UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

De Virtvte Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus Theologiæ Moralis præcipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione ... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

urn:nbn:de:hbz:466:1-76561

Visual Library



Th. 548a!

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE
CASTRO
PALAO
TOM.
I. II. III
EN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

G. VIII
7.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE
CASTRO
PALAO
TOM.
I. II. III.
IV.

R. P. FERDINANDI

DE

CASTRO PALAO,

LEGIONENSIS SOC. IESV,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris;

OPERIS MORALIS,

DE VIRTVTIBVS, ET VITIIS CONTRARIIS,

In varios Tractatus, & Disputationes Theologicas distributi,

PARS SECVNDA,

DE VIRTVTE RELIGIONIS, ET EI ANNEXIS;

Continens septem Tractatus Theologiæ Moralis præcipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione, Horisque Canonicis. Secundus, de Adoratione, & Sactificio. Tertius, de obseruatione festorum. Quartus, de Decimis, Primitiis, & Oblationibus. Quintus, de reuerentia debita locis sacris, & eorum immunitate. Sextus, de reuerentia debita Ecclesiasticis personis & eorum bonis, seu de Immunitate Ecclesiastica. Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis.

DVPLICI INDICE ILLVSTRATA;

Vno Tractatuum, Disputationum, & Punctorum; altero Rerum præcipuarum.

NOVISSIMA EDITIO PRIORI AVCTIOR, ET EMENDATIOR.



LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,

& GVILLIELMI BARBIER.

M. DC. LXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROBAT.



INDEX

TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, PVNCTORVM, & Paragraphorum, qui in hac secunda Parte Operis moralis de Virtutibus, & Vitiis contrariis continentur.

TRACTATVS VII. qui est de Oratione, Deuotione, Choriſque Canonicis.

DISPVTATIO I. de oratione, & deuotione in communi: Explicatur essentia religionis. *Punct.* 1
Quid sit deuotio, oratio, laus, & gratiarum actio, & quotuplex. *Punct.* 2
Quid in oratione petendum est, vbi dominica oratio exponitur. *Punct.* 3
Quibus orationes fundenda sunt. *Punct.* 4
Qui possint orare. *Punct.* 5
Pro quibus orandum est. *Punct.* 6
Quæ circunstantiæ seruandi sint in oratione, vt vera, & fructuosa sit, infallibilēq; habeat effectū. *Punct.* 7
An oratio sit ad saluum necessaria, & quando. *Punct.* 8

DISPVTATIO II. de speciali oratione ab Ecclesia instituta horarum Canonicarum priuatim facta.
Quæ personæ obligentur horas Canonicas priuatim dicere. *Punct.* 1
Expenditur clericorum obligatio. §. 1
Expenditur obligatio Beneficium habentium. §. 2
De obligatione religiosorum. §. 3
Quonam Officium diuinum debeant supradicti clerici, & beneficiati, & religiosi recitare. *Punct.* 2
Quomodo à supradictis Officium diuinum recitandum sit, vt præcepto fiat satis. *Punct.* 3
Quo tempore, quo Ordine, quo loco, & quo corporis habitu, & situ diuinum Officium recitandum sit, vt præcepto fiat satis. *Punct.* 4
Quanta sit obligatio in clericis horas Canonicas recitandi. *Punct.* 5
Quæ causæ excusent ab horarum Canonicarum recitatione. *Punct.* 6
De pœnis clericorum non recitantium. *Punct.* 7

DISPVTATIO III. de oratione publica, seu in choro facta horarum Canonicarum.
Quæ personæ possint, & teneantur horas Canonicas publicè in choro recitare. *Punct.* 1
An præbendati grauiter peccent, si à choro absint. *Punct.* 2
An omnes Beneficianti à Canonici teneantur in choro horas Canonicas recitare, vel sint aliqui, qui huic muneri satisfaciant sola assistentia. *Punct.* 3
Quomodo præbendati assistere choro, & recitare horas Canonicas teneantur, vt possint distributiones horis correspondentes lucrari. *Punct.* 4
Quo Ordine, quo tempore, quo loco, & quo corporis habitu, & situ horæ canonicæ sint publicè recitandæ. *Punct.* 5
Sub qua pœna teneantur Beneficiati choro assistere *Punct.* 6
An canonici à choro absente, teneantur soluere annatam, quindennium, charitatiuum, subsidium, decimam, & pensionem, qua debebant soluere, si choro interfuissent & distributiones lucrarentur. *punct.* 7
Quibus accrescant distributiones, & fructus, quos beneficiatus amittit ob chori absentiam. *punct.* 8
Quæ causæ excusent beneficiatum à choro, vt nō obstante illius absentia distributiones lucretur. *punct.* 9
Explicatur causa infirmitatis. §. 1
Expeditur 1. causa excusans, quæ est corporalis necessitas iusta, & rationabilis, ob quam non interessentibus conceduntur distributiones. §. 2
Expenditur. 3. causa excusans ab assistentia diuinorum Officiorum, quæ est euidens Ecclesiæ vtilitas. §. 3
An ab assistentia in capitulo excusaris ab assistentia chori, & distributionum amissione. §. 4
An pœnitentiarius ob eius officium lucretur fructus, & distributiones choro non assistens. §. 5
De canonico magistrali, & lectorali quid est dicendum. §. 6
An Vicarius Episcopi, & eius familiaris examinator synodalis, visitator diœcesis & lucrentur fructus, & distributiones choro non assistentes. §. 7
An familiares Pontificis excusentur à choro & distributiones acquirant. §. 8
An docentes, & studentes lucrentur fructus, & distributiones. §. 9
An ex priuilegio possis à residentia chori excusari, & distributiones in absentia consequi, & qua ratione hoc priuilegium intelligatur. §. 10
An ex statuto Ecclesiæ excusari possis longiori tempore trium mensium ab assistentia horarum canonicarum, & nihilominus fructus, & distributiones lucrari. §. 11
An ex consuetudine excusari à residentia chori possis, & distributiones lucrari. §. 12
An absens à choro distributiones lucreris, si alij canonici quibus distributiones absentium competunt, tibi, donent, remittant, vel transigant. §. 13

TRACTATVS VIII. religionis, qui est de adoratione, & sacrificio.

DISPVTATIO I. De adoratione.
Quid sit adoratio, & quotuplex. *punct.* 1
Qua adoratione Christus Dominus adorandus sit. *punct.* 2
Qua ratione homines, & Angeli adorandi sint. *punct.* 3
Qua ratione liceat imagines Dei, & Sanctorum adorare.

INDEX

rare. punct. 4
An licitum sit templa,& altaria in honorum Sanctorum erigere,vota illis fundere,festa statuere.punct.5
De Sanctarũ reliquiarum adoratione,& cultu.punct.6

DISPVTATIO II. De Sacrificio.
Quid sit sacrificium,quotuplex,& an sit in præcepto. punct. vnic.

TRACTATVS IX. religionis, qui est de obseruatione festorum, & disputatio vnica sub eodem titulo.
An sit præceptum de obseruatione festorum quale sit, & quis eius finis. punct.1
Quis possit præter Pontificẽ dies festos instituere,& qui sint ad illorum obseruationem obligati.punct.2
Quale sit præceptum seruandi festa,affirmatiuum,an negatiuum? & an illo detur paruitas materiæ, & quæ hæc sit. punct.3
Quæ actiones exercendæ sunt præcepto affirmatiuo seruandi festa. punct.4
Quæ sint opera seruilia prohibita in die festo.punct.5
Quæ actiones liberales sint in die festo licite,& quæ prohibitæ. punct.6
Qua ratione citatio processus, & sententia die festo prohibeantur. punct.7
An quodcumque iuramentum in die festo prohibitum sit. punct.8
Vtrum quodlibet peccatum mortale sit specialiter prohibitum in die festo, ita vt illud committens necessario teneatur in confessione explicare circumstantiam diei festi. punct.9
Quæ causæ excusent ab huius præcepti obseruatione. punct.10

TRACTATVS X. religioni, & disputatio vnica de decimis,primitiis,& oblationibus.
Quid sit decima,quotuplex,& quo iure soluẽda.pun.1
Vtrum ex præcepto soluendi decimas habeant Ministri Ecclesiæ Dominum in decimam partem fructuum,antequam separetur à cumulo. punct.2
Vtrum Summus Pontifex, vel alius Prælatus possit dispensare, vel abrogare hanc legem de soluenda decima, vel tibi applicare. punct.3
Vtrum consuetudo liberare possit aliquem à debito decimarum. punct.4
Vtrum præscriptio,compositio,vel remissio aliquem eximere possit à debito decimarum. punct.5
Ex quibus rebus, & qualiter iure communi decima personalis sit soluenda. punct.6
Ex quibus rebus, & qualiter decimæ prædiales soluendæ sunt. punct.7
Quomodo quando,& quo loco hæ decimæ prædiales soluendæ sint. punct.8
Quæ personæ possint decimas possidere, & præscribere. punct.9
Quibus personis Ecclesiasticis iure communi debeantur decimæ. punct.10
Quæ personæ teneantur decimas soluere. punct.11
Qui examinatur à debito decimarum. punct.12
Qua ratione priuilegium non soluendi decima amittatur. punct.13
Quæ pœna impositæ sint non soluentibus decimas, aut facientibus non solui, vel illas aliquo modo vsurpantibus. punct.14
Quomodo Ecclesia recuperare possit decimas non solutas,& à quibus,& coram quo iudice. punct.15
Quid sint primitiæ,& qua ratione sint debitæ.pun.16
De oblationibus, & qua ratione illas fideles teneantur. punct.17
A quibus personis oblationes recipi non possunt. punct.18

TRACTATVS XI. religionis,qui est de reuerentia debita locis sacris, & eorum immunitate, & Disputatio vnica sub eodem titulo.
An sint contra reuerentiam debitã loco sacro omnes actiones,quibus ipse polluitur,& quæ hæ sint.pun.1
An furtum in loco sacro sit contra reuerentiam illi debitam; & quæ pœna furantibus sit imposita. punct.2
An actiones forenses sæcularium iudiciorum obstent reuerentiæ debitæ locis sacris. punct.3
An concilia,confabulationes, contractus politici, & similia prohibeantur fieri in loco sacro. punct.4
An contra reuerentiam debitam loco sacro sit, illuc confugientes vi extrahere. punct.5
Quibus locis sacris hæc reuerentiam immunitates debeantur. punct.6
Quæ personæ gaudeant hoc immunitatis priuilegio. punct.7
An supradictis debita sit immunitas in causa ciuili. punct.8
In quibus causis criminalibus debita sit immunitas. punct.9
An sint alij casus excepti ab immunitate præter supradictos. punct.10
Quos effectus habeat immunitas. punct.11
Quam culpam, & pœnam incurrant indebitè extrahentes delinquentem à loco sacro. punct.12
An confugientes ad Ecclesiam tradendi sint iudici sæculari, & qua ratione id fieri debeant. punct.13

TRACTATVS XII. religionis, qui est de reuerentia debita Ecclesiasticis personis, & eorum bonis seu immunitate Ecclesiastica, & disputatio vnica sub eodem titulo.
Quo iure clerici à potestate laïcorum exempti sint. punct. 1
Qui nomine clerici priuilegio fieri gaudentes intelligantur. punct. 2
Explicantur aliqua dubia circa superiorum doctrinam. punct.3
Quis sit iudex, cum dubium est, an debeas gaudere fori priuilegio. punct. 4
In quibus causis gaudeant supradicti clerici, & religiosæ personæ priuilegio fori. punct.5
Explicatur exemptio in causis criminalibus. punct.6
Qualis sit exemptio clerici à iurisdictionibus laicali in causis ciuilibus. punct.7
Quæ sit clericorum exemptio à gabellis, & tributis realibus. punct.9
Quæ culpa sit violatio supradictæ immunitatis,& quæ pœna violantibus sit imposita. punct.10
An renunciatione hoc priuilegium clericis concessum amitti possit. punct.11
An consuetudine priuilegium immunitatis amitti, aut diminui possit. punct.12
An Ecclesiastici iudices laïcos iudicare possint, & in quibus causis. punct.13
Quæ ratione res Ecclesiasticæ immunitate locationis gaudeant. punct.14
Qua ratione Ecclesiastica bona alienationis immunitate gaudeant. punct.15
Quæ bona dicantur immobilia, & nobilia pretiosa; quæ seruando seruari possunt, ac proinde id alienabilia. §.1
Quæ alienationis prohibitæ sunt, quæ permissæ, vbi expenduntur conditiones ad alienationem Ecclesiasticorum bonorum requisitæ. §.2
An cessione iuris, & permutationes rerum Ecclesiasticarum sint supradictæ conditiones secundæ. §.3
An supradictæ conditiones seruandæ sint in concessione feudi, & emphyteusis. §.4

Quæ

Tractat. Disputat. Punctor. &c.

Quæ conditiones in alienatione iuris patronatus,& sepulchorum seruandæ sint. §.5
An alienatio rerum Ecclesiasticarum absque iusta causa,vel sine debita solemnitate valida sit tam in foro externo,quam in conscientiæ. §. 6

TRACTATVS XIII. religionis, qui est de Beneficiis Ecclesiasticis.

DISPVTATIO I. de Beneficiorum Ecclesiasticorum natura, conditionibus,& effectibus.
Quid sit Beneficium Ecclesiasticum. *punct.* 1
Quotuplex beneficium sit. *punct.* 2
Quæ sint conditiones,& qualitates beneficiorum regularium,& sæcularium. *punct.* 3
Quando beneficium regulare dari possit sæcularibus, & sæculare regularibus. §.1
Quid dicendum de Beneficiis Ecclesiasticis. §.2
An equitibus militaribus,& nouiciis conferri possint beneficia sæcularia, vel regularia. §. 3
An sæculare beneficium possit in regulare transire,vel è contra. §.4
Quæ qualitates in sunt tam in simplici,quam dupliciti beneficio. *punct.* 4
Quæ sint qualitates beneficij perpetui, & manualis. *punct.* 5
Expenduntur qualitates,& conditiones cappellaniarum. *punct.* 6
De præstimoniis,& hospitalibus, eorumque qualitatibus. *punct.* 7
De vicariis,& commendis earumque qualitatibus.*p.*8
De eo adiutoriis, earumque qualitatibus. *punct.*9
Examinatur aliquot difficultates circa adiutorias præbendarũ Ecclesiæ Cathedralis,& collegiatæ.*p.*10
De pensione,eiusque qualitatibus. *punct.*11.
Quid si pensio,& quotuplex,& an sit beneficium.§.1
Quis possit in beneficiis pensionem imponere,& ex qua causa. §. 2
Qui beneficiorum pensiones obtinere possunt. §. 3
Quæ sint beneficia, in quibus pensiones constitui possunt,& in qua quantitate. §. 4
De forma imponendi pensionem in beneficio. §.5
De obligatione beneficiarij soluendi pensionem, & potestate pensionarij illam exigendi. §. 6
Sub qua pœna teneatur beneficiarius pensionem soluere. §. 7
Quæ sint oblationes pensionarij ob habitam pensionem. §. 8
Qua ratione pensionarius possit pensionem in alium transferre. §. 9
Quot modis pensiones extinguantur. §.10

DISPVTATIO II. de his, qui beneficia prouidere possunt, & de illorũ prouisione, & aquisitione.
Qiibus modis beneficium acquiratur. *punct.* 1
Quid,& quotuplex sit ius patronatus,& qua ratione acquiratur. *punct.* 2
Qua ratione de iure patronatus cõstare debeat,vt quis admittatur ad beneficiorum præsentationẽ. *punct.*3
Quibus competat ius præsentandi. *punct.* 4
Intra quod tempus liberum sit patrono nominare ad beneficium instituendum. *punct.* 5.
An liberum sit patrono in præsentatione variare.*p.*6
Quem debeat patronus præsentare. *punct.* 7
Quem modum seruare debent patroni in præsentando cum plures sunt. *punct.* 8
Quem ex præsentatis teneatur ordinarius instituetur. *punct.*9
An Pontifex ius patronatus derogare possit,& quando hæc derogatio contingat. *punct.* 10
Qua ratione electione,illiusque confirmatione beneficium acquiratur. *punct.*11
Qui potestatem habeant eligendi. §. 1
Quem debeant electores eligere, & intra quod tempus. §. 2
An valeat electio digni omisso digniori. §. 3
An teneatur ad restitutionem eligens dignum omisso digniore,cum digniorem eligere teneretur. §.4
An dignus petens beneficium,Cathedram,seu Collegium, illudque acceptans in concursu dignioris peccet, obligeturque ad restitutionem, & quid de impedientibus dignum, vel digniorem ab illius consecutione. §. 5
De tempore requisito ad electionem,eiusque confirmatione. §. 6
Qualiter postulatione ius in beneficium, acquiratur, & de potestate Romani Pontificis in beneficiorum collatione, illiusque prælatione comparatione ordinarij. *punct.* 13
An cum Pontifex beneficia vacantia in montibus ordinarij prouider,debeat expresse huic iuri derogare, vt eius concessio teneat. *punct.* 14
Quæ beneficia generali,vel speciali reseruatione Pontifici reseruentur,& quid qualisque sit reseruatio. *punct.* 15.
Expenditur reseruatio clausa in corpore iuris, quæ est de beneficiis vacantibus apud sedem. *punct.*16
Explicatur prima reseruatio contenta in prima regula cancellariæ. *punct.* 17
Explicatur reseruatio secundæ regulæ cãcellariæ.*p.*18
Explicatur reseruatio regulæ tertiæ cancellariæ.*p.*19
Explicatur reseruatio quartæ regulæ cãcellariæ.*p.*20
Explicatur reseruatio quintæ, sextæ, & septimæ regulæ cancellariæ. *punct.* 21
Explicatur præcipua cancellatiæ reseruatio contenta in regula 8. quæ nuncupatur regula de mensibus, & alternatiua. *punct.*22
Quæ beneficia in hac regula 8. reseruentur. §. 1
Pro quibus mensibus reseruatio sit constituta. §. 2
Quæ limitationes vltra supradictam limitationem mensium dicta regula 8. habeat. §.3
De exceptione Cardinalium, & Beneficiorum concordatorum apposita in hac regula. §. 4
In impetratione beneficiorum mentio mensis,in quo vacatio contingit,facienda est. §. 5
Qua ratione derogentur obstacula reseruationis. §.6
Explicatur gratia alternatiuæ in regula 8.cancellariæ concessa. *punct.* 23
Quibus,& quæ gratia alternatiuæ concessa sit. §. 1
Sub quibus conditionibus gratia alternatiuæ concedatur. §. 2
Ad quæ beneficia se extendat alternatiua. §. 3
A quo tempore incipiat gratia alternatiuæ effectum habere. §.4
Quando cesset gratia alternatiuæ. §.5
Quæ beneficia vltra supradictas regulas reseruationi subsint. *punct.* 24
De potestate legati à latere in beneficiorum collatione. *punct.* 25
De potestate Legati nati, & missi in beneficiorum collatione. *punct.*26
De potestate Ordinarij Collatoris in beneficiis conferendis. *punct.* 27
An ratione possessionis ius conferendi, eligendi, vel præsentandi Prælatis competere possit,& quid dicendum ratione sequestri. *punct.* 28
Qua ratione capitulo sede vacante competat beneficiorum collatio. *punct.* 29
De potestate Vicarij Episcopi in beneficiorum collatione. *punct.* 30
De litteris Apostolicis pro beneficiis vacantibus, & de potestate executoris illarum. *punct.* 31
Quæ sine litteræ Apostolicæ pro beneficiis vacantibus & qualiter concedantur. §. 1

INDEX

Qui sint executores litterarum Apostolicarum, & quæ eorum potestas. §. 2
Quæ debeat exécutor Apostolicus verificare, prius quam gratiam exequatur. §. 3
Quæ beneficiorum conditiones exprimendæ sint in mandatis Apostolicis obtinendis. §. 4
Quæ facere debeant executores litterarum Apostolicarum in forma breuis de capienda possessione. §. 5
Qua ratione subrogationis rescripto beneficia acquirantur. §. 6
Qualiter acceptatione, & possessione iuridica beneficium acquiratur. *punct.* 32
Qualiter possessione de facto, licet non de iure ius in beneficium acquiratur. *punct.* 33
Qualiter deuolutione beneficium acquiri possit, & prouideri. *punct.* 34

DISPVTATIO III. de forma, & conditionibus seruandis in beneficiorum prouisione.
Quæ conditiones seruandæ sunt in prouisione cuiuslibet beneficij. *punct.* 1
Quæ forma, & conditiones seruandæ sunt in beneficiorum parochialium prouisione. *punct.* 2
Quibus competat Vicarium in Parochiali vacante constituere, edicto ad examen vocare, & de qualitate Vicarij designati, & edicti proposito. §. 1
Qui possint se subscribere examinandos, ita vt teneatur ordinarius illos admittere. §. 2
Quales examinatores debeant esse ad supradictum examen peragendum. §. 3
Qualiter examen ad Parochialem præstandum sit. §. 4
In quibus beneficiis examen per concursum faciendum sit. §. 5
Qualiter facto examine electio, collatio, seu institutio beneficiorum parochialium facienda. §. 6
De, forma seruanda in prouisione canonicatum magistralis, & doctoralis. *punct.* 3
De forma, & conditionibus, seruandus in prouisione beneficiorum simplicium. *punct.* 4
Quando, & quo tempore prouideri beneficia possint. *punct.* 5

DISPVTATIO IV. quibus beneficia sunt conferenda, seu de qualitatibus requisitis ad beneficia ex parte suscipientium.
Qualiter legitimus otus ad beneficium obtinendum requiratur. *punct.* 1
Quando filij censeantur legitimi, vel illegitimi. §. 1
Qualiter filij illegitimi reddantur legitimi subsequenti matrimonio legitimentur. §. 2
Qualiter rescripto principis filij illegitimi legitimari possint. §. 4
Qui possint legitimationem concedere. §. 5
De his qui legitimari possunt. §. 6
Quæ conditiones exprimendæ sunt, vt validum sit legitimationis rescriptum. §. 7
An filij præsbyterorum aliàs legitimati, vel dispensati ad beneficia obtinenda possint in Ecclesia paterna beneficium obtinere. *punct.* 2
De ætate requisita ad beneficium. *punct.* 3
De aptitudine ex parte corporis requisita beneficium. *punct.* 4
De morum probitate ad beneficium requisita. *punct.* 5
De scientia, seu litteratura ad beneficiū requisita. *p.* 6
Qualiter ordo, & intentio illum recipiendi pro singulis beneficiis requiratur. *punct.* 7
De carentia censuræ, irregularitatis, alterius vt impedimenti ad beneficium requisita. *punct.* 8
De naturalitate, & consanguinitate pro aliquibus beneficiis requisita. *punct.* 9

DISPVTATIO V. de beneficiorum oneribus, & vtilitatibus.
Qualiter beneficium residentiam expostulet. *punct.* 1
Quo loco beneficiatus debet, vt obligatione residendi satisfaciat. *punct.* 2
Quibus pœnis non residentes afficientur. *punct.* 3
Quæ sint legitimæ causæ excusantes Episcopos, & parochosa residentia. *punct.* 4
An stante causa legitima possit Episcopus, vel Parochus à beneficio abesse. *punct.* 5
De obligatione suscipiendi ordines ratione beneficij. *punct.* 6

DISPVTATIO VI. de beneficiorum vacatione amissione, diuisione, exstrictione, erectione, & illorum vnione.
De vacatione beneficij per obitum. *punct.* 1
De vacatione beneficij per renunciationem. *punct.* 2
Quæ sit renunciatio, quotuplex, & quæ causæ ad eius valorem requirantur. §. 1
Quæ beneficia & coram quo superiore renunciari possunt. §. 2
Qui possint beneficia renunciare. §. 3
An per procuratorem possit resignatio fieri. §. 4
De conditionibus requisitis resignationem. §. 5
De publicatione resignationum. §. 6
De vacatione contingente ob resignationem ex causa permutationis. *punct.* 3
Quid sit permutatio, & ex qua causa facienda sit. §. 1
Quæ beneficia permutari possunt. §. 2
Cuius authoritate sint beneficia permutanda, & qui ea permutare possunt. §. 3
De conditionibus in permutatione seruandis. §. 4
Qualiter vacent beneficia permutata. §. 5
De vacatione beneficij contingente ob assecutionem alterius. *punct.* 4
De vacatione contingente ob promotionem ad Episcopatum, Abbatiam, seu Prælaturam Ecclesiæ Collegiatæ. *punct.* 5
De vacatione ob matrimonij contractum. *punct.* 6
De vacatione beneficiorum ob religionis ingressum *punct.* 7
De vacatione contingente ob priuationem. *punct.* 8
Qualiter beneficium extingui, supprimique possit. *punct.* 9
Qualiter beneficia dismembrari, diuidique possint. *punct.* 10
Qualiter erectio beneficiorum, & cum illo mutatio contingat. *punct.* 11
Qualiter beneficia aliis vniri possint. *punct.* 12
Quid sit vnio, quotuplex, & qui eius effectus. §. 1
Quæ, & qualiter, & à quibus beneficia vniri possunt spectator iure communi. §. 2
Qualiter beneficia spectato nouo iure Trident. vniri possint. §. 3
Quando vnio censeatur effectum sortita, & qualiter probetur; & reuocari possit. §. 4

APPRO

APPROBATIO M. FR. DOMINICI VELEZ, ex Augustiniana familia.

ACcuratè vidi hoc Opus Sapientissimi Patris Ferdinandi de Castro Palao Legionensis, decreto Domini, Domini Ildefonsi Flores de Valdez, apud Salmanticenses collegas Sancti Pelazij Rectoris, & in hac Metimnensi Abbatia pro Domino Episcopo Vallisoletano Generali Vicario, mihi commissum. In eo Author obuia pertransiens, difficiliora & minùs trita diligenter congessit, digessit vtiliter. De aliorum placitis graue iudicium, quod fert proprium, forti ratione tuetur: Vtrique foro necessarius liber est: & qui improbo non pepercit labori. Et ita pollet acumine, vt cuilibet, qui possit occurrere, casui præscius occurrat. Quapropter opus suo Authore dignum, & quod in tot, necnon tantorum librorum multitudine, qui de hisce materiis agunt, sanè deerat. Metimnæ del Campo, in Conuentu S. Patris N. Augustini, die 28. mensis Iulij, Anni 1630.

Fr. DOMINICVS VELEZ.

Facultas Domini Vicarij Metimnensis.

VIsa hac censura P. M. Fr. Dominici Velez Ordinis S. Augustini, cui examinandum commisimus librum, dictum: *Opus morale, de Virtutibus & Vitiis contrarius, Tertia Pars*; à P. Ferdinando de Castro Societatis IESV, in Collegio Metimnensi Rectore, elaboratum: Facultatem concedimus, vt in communem vtilitatem typis mandetur, præmissis iis quæ Hispaniæ iura præscribunt. In quorum fidem, hoc nostra, & infrà scripti Vicarij manu signatum, instrumentum dedimus. Metimnæ del Campo, die 29. mensis Iulij, Anni 1630.

Licentiatus ILDEFONSVS FLORES DE VALDEZ.
De mandato Vicarij Metimnensis,
PETRVS DE AVENDAÑO.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis IESV in Prouincia Castellana.

EGo Gaspar de Vegas Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Castellana Prouincia, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Mutio Vitelleschi Præposito nostro Generali, facultatem facio, vt Tomus Tertius de Virtutibus & Vitiis contrariis, à Patre Ferdinando de Castro Palao nostræ Societatis, Sacræ Theologiæ Professore compositus, & eiusdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Metimnæ 8. Iulij, Anni 1630.

GASPAR DE VEGAS Prouincialis.
IOANNES DE LIGANA Sec.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Doctor, Custos sanctæ Crucis, in Ecclesia Lugdunensi, & in hac Diœcesi Vicarius Generalis substitutus Domini, D. Alphonsi Ludouici du Plessis de Richelieu, Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi & Comitis Lugdunensis: fidem facimus, nos hanc Tertiam Partem Operis Moralis de Virtutibus & Vitiis contrariis, in varios Tractatus & Disputationes Theologicas distributam, à R. P. Ferdinando de Castro Societatis IESV compositam, euoluisse, omniáque in ea iuxta Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, Sanctorumque Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione, singularis ingenij acumine, & eximia mentis perspicuitate exposita comprobata esse. Lugduni, Non. Ianu. 1635.

DEVILLE.

NOs quoque subsignati Doctores Parisienses, fidem eandem facimus, & attestamur omnibus ad quos quomodocunque spectabit, præfatam Tertiam Partem Operis Moralis de Virtutibus & Vitiis contrariis, in varios Tractatus & Disputationes Theologicas distributam, à R. P. Ferdinando de Castro Societatis IESV compositam, vidisse, & nihil in ea reperientes fide indignum Catholica, vt in lucem ederetur dignum iudicasse. Lugduni, in Conuentu S. Bonauenturæ, die 4. mensis Februarij, Anni Domini 1635.

Fr. DESIDERIVS RICHARD,
Guardianus præfati Conuentus.
Fr. BERNARDINVS MOLIASSON.

APPRO

APPROBATIO.

NOs infra scripti Societatis IESV Theologi fidem facimus legisse hanc quartam *Operis Moralis partem à R. P. Ferdinando do Castro Palao, de eadem Societate nostra Theologo elaboratam*; atque nihil in eâ comperisse, quod à Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ sensis, & à sanâ sanctorum Patrum doctrinâ foret alienum. Proinde dignam testamur, quæ in communem vtilitatem typis mandetur. Lugduni, 27. Octobris, 1646.

CAROLVS DV-LIEV.

IOANNES FERRAND.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunensi.*

CLAVDIVS MAVCLER, Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1606. & Ludouico XIII. 14. Febr. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant: permittit Claudio Prost, & Ioanni Baptistæ Deuenet, vt Librum cui inscriptio est *Operis Moralis de Virtutibus & Vitiis contrariis in varios Tractatus & Disputationes Theologicas distributi per 4. de Sacramentis in genere & specie, authore P. Ferdinando de Castro Palao, Legionensi Societatis* IESV, Sacræ Theologiæ Professore & sanctæ Inquisit. Qualificatore, & Consultore, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni 5. Nouemb. 1646.

CLAVDIVS MAVCLER.

SVMMA PRIVILEGII REGIS.

CAutum est auctoritate Regis, ne quis in Regno suo aliisve locis suæ ditioni subiectis imprimat aut diuendat; Librum cui titulus est, *R. P. Ferdinandi de Castro Palao Opus Morale*, septem Tomis comprehensum absque Philippi Borde consensu mulcta indicta qui secus fecerit; provt fusius in diplomate Regio continetur. Datum Parisiis, die 15. Nouembris 1666.

De mandato Regis.

POCTOIS.

Præfatus Philippus Borde, ius omne sum transtulit, & cessit Guillielmo Barbier vt patet ex instrumento super id confecto.

OPVS

OPVS MORALE

DE VIRTVTIBVS, ET VITIIS CONTRARIIS, SECVNDA PARS;

De virtute Religionis, eique annexis.

TRACTATVS VII.

RELIGIONIS,

QVI EST

DE ORATIONE, DEVOTIONE, horísque Canonicis.

PROOEMIVM.

EXPLICATIS Theologicis virtutibus, moralium naturam debemus inuestigare. Et quia inter virtutes morales præcipuum locum obtinet religio, vtpote quæ Deum, ad quem omnes referuntur, propinquius respicit, de ea primò instituimus sermonem. Habet religio plures actus, quibus Majestas diuina colitur, & honoratur. Alij sunt potius interni quàm externi. Alij econtrà potius externi, quàm interni. Internos voco cum D. Thom. *quæst.* 81. & 82. deuotionem, & orationem, quæ est præcipuus religionis actus; siquidem ipso protestamur Deum nobis esse superiorem, & dominum, ab ipsóque pendere, ipsiúsque fauore indigere. Sub oratione continetur laus, & gratiarum actio: quia secundùm D. Thom. *quæst.* 83. *art. vlt.* gratiarum actio pars est orationis, & laus petitioni miscetur. Huic annectitur votum; quia ipso profitemur nos velle Deo, vt superiori, & Domino semper inseruiri; quæ protestatio sine dubio est verus Dei cultus. Eadem ratione annectitur iuramentum, quo Deum testem infallibilem veritatis recognoscimus. Et generaliter quilibet virtutis actus materia, & obiectum religionis esse potest, quatenus illo religamur Deo, ipsíque vnimur, & debitam erga ipsum subiectionem profitemur, vt tradit S. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 3. *ad* 1. Actus religionis, qui exterius consummantur, sunt: Adoratio Deo, & Sanctis, eorúmque imaginibus, & reliquiis facta: Festorum obseruatio: Oblatio Sacrificij, & primitiarum, decimarúmque solutio: Reuerentia facta rebus, & locis sacris, personísque Ecclesiasticis. His annectitur Sacramentorum receptio, & ministratio; ac denique cuiuslibet Ecclesiasticæ censuræ timor, & obseruatio. Et per antithesim pertinent ad religionem omnia, quæ supradictis aduersantur. Sed quia horum omnium explicatio est præcipua pars moralis Theologiæ in præsentia solùm agemus de iis, quæ ad religionem magis directè pertinent. Reliqua, Deo fauente, pro sequenti volumine reseruamus.

In triplicem disputationem Tractatum hunc diuido.

In prima tracto de iis, quæ ad orationem in communi pertinent.
In secunda de iis, quæ ad horas canonicas priuatim recitatas attinent.
In tertia de iis, quæ pertinent ad horas canonicas publicè recitatas.

DISPVTATIO I.

De Oratione & Deuotione in communi.

PVNCTVM I.

Explicatur essentia religionis.

1 *Vnde dicatur religio.*
2 *Definitur religio.*
3 *Quodnam est obiectum religionis.*
4 *Quomodo distinguatur hæc virtus à reliquis.*
5 *Probatur non distingui religionem, qua colitur Deus, ab ea qua coluntur Sancti.*
6 *Distingui cum communi sententia defenditur.*
7 *Ob diuersas perfectiones Dei, & diuersa beneficia nobis collata non distinguitur religio.*

ANTEQVAM in particulari de actibus religionis instituamus sermonem, oportet explicare quid sit religio, & quotuplex, & qua ratione ab aliis virtutibus distinguatur. Et primò præmittendum est, nos in præsenti non loqui de religione, prout est quidam status, quo plures obstricti castitatis, paupertatis, & obedientiæ votis congregantur in vnum, vt Deo perfectius famulentur. Neque de generali statu Ecclesiæ Catholicæ, qui etiam religio Christiana dicitur, quia verum Dei cultum continet, & extra quam nullus alius est. Sed loquimur de virtute religionis, qua mouemur hunc cultum Deo debitum exhibere. Hæc igitur virtus nomine religionis appellata est ab aliquibus Doctoribus; quia ea, quæ in Dei cultum cedunt relegata sunt, & separata à communi vsu. Aliis placet dici à relegendo; quia sæpè relegenda, & reuoluenda sunt, quæ ad Dei cultum pertinent, vt dixit Cic. 2. *de nat. Deor.* quem sequitur Isidor. *lib.*10. *ethymol. cap.*17. *litt.D. in prine.* Alij existimant dici à reeligendo; quia iterum Deum eligimus, quem peccando reieceramus. Sic August. *de ciuit. c.*4. Sed præ omnibus Lactant. *lib.*4. *de vera sapient. cap.*28. veritatem attigit, dicens religionis nomen deriuati à religando; quia ipsa religione nos Deo vnimur, & religamur. Consentit August. *lib.*1. *de vera relig. cap. vlt.* qui primam suam ethymologiam retractat *lib.*1. *retractat. cap.* 13.

2. Est igitur religio virtus moralis, quæ Deo tanquam omnium creatori, & Domino debitum cultum, & honorem exhibet. Sic omnes DD. cum D. Thom. *quæst.*81. *art.*1. Esse autem virtutem dubitari non potest; siquidem eius obiectum, & materia, circa quam versatur, est cultus Deo debitus, quæ est valde honestati, rationique consormis. Quod autem sit virtus moralis, & non theologica, inde probatur; quia non respicit Deum, vt immediatum obiectum, sed respicit eius cultum, & reuerentiam. Item religio est pars quædam potestatiuæ iustitiæ, quia est ad alterum, scilicet Deum; qui intendit reddere debitum honorem. Ergo est virtus moralis. Quod amplius constabit ex dicendis. Cum autem dicimus officium huius virtutis esse debitum Deo cultum exhibere, non est intelligendum, quòd quilibet cultus ex præcepto rigoroso debeatur: sæpè enim colimus Deum, & honoramus actibus non obligatoriis, sed voluntariis. Sed est intelligendum, quod in genere debetur cultus, & honor Deo exhibendus pro possibilitate nostra, cui debito, etsi quoad exercitium non semper debeatur, sit satis tum spontaneum, tum debitum honorem illi deferendo.

3. Hinc constat quodnam sit obiectum huius virtutis. Est, inquam, immediatum eius obiectum, quilibet actus, siue internus, siue externus, quo diuinam excellentiam nobis superiorem esse protestemur. Actus verò à religione elicitus est affectus, quo hic actus honoratiuus intenditur. Deus autem est obiectum immediatum, cui talis actus honoratiuus defertur, quod exemplo iustitiæ fieri potest manifestum. Velle proximo reddere ius suum, illæsumque conseruare actus est iustitiæ, cuius obiectum est ipsa redditio. Persona, circa quam redditio versatur est proximus. Ita in præsenti voluntas honorandi Deum, reddendique illi debitum cultum, est immediatus actus religionis, ipsa verò honoratio cum submissione propria est obiectum, Deus autem est persona, circa quam hæc honoratio versatur; & cuius bonum, & quasi commodum per eum intenditur.

Dices: sæpè nos honorare Sanctos, eorumque imagines, & reliquias veneramur, & ministris Ecclesiæ decimas soluimus, & tamen Deus per hæc immediatè non videtur attingi, vt persona, cui honor defertur. Ergo religio non respicit immediatè Deum, vt personam, cui deferatur honor. Respondeo, dupliciter nos posse Sanctos honorare, vel secundùm propriam excellentiam, vel vt sunt templa Dei, in eisque Deus habitare censetur. Si primo modo honorentur; eorum honoratio ad virtutem religionis non pertinet: pertinet tamen si secundo modo honorentur, & tunc non tam Sancti, quàm Deus honoratur, ipsique honor defertur. Idémque dicendum est de veneratione facta imagini. Non enim Deus excluditur ab eius veneratione, sed potius ipse est, quid in imagine veneratur. Solutio autem decimarum facta Ecclesiæ ministris est quædam diuinæ excellentiæ & suprémi dominij protestatio: ac proinde licèt vtilitas temporalis illius actionis hominibus deferatur; quia tamen in protestationem diuinæ excellentiæ defertur; ideo Deus est per illam cultus, & honoratus.

4 Ex his facilè colligitur distinctio huius virtutis religionis à reliquis omnibus. Nulla enim virtus est quæ hoc modo Deum respiciat. Nam Theologales virtutes Fides, Spes, & Charitas Deum alio diuerso modo respiciunt. Nam fides, respicit Deum sub ratione primæ veritatis. Spes sub ratione summi boni nostri. Charitas sub ratione summi boni verè & propter se amabilis. At religio respicit Deum vt summè excellentem nobisque superiorem; ac proinde dignum summo cultu & veneratione. Neque inde fit religionem esse virtutem Theologalem, sicut est Fides, Spes, & Charitas: nam ad hoc vt esset virtus theologalis, debet Deum immediatè vt propriam materiam attingere, sicuti facit Fides, & Spes, Charitas. Nam fides immediatè credit Deum esse infallibilis veritatis, spes illum sperat possidendum, charitas amat. At religio non immediatè Deum attingit, sed attingit eius cultum; quia cultum Deo propter eius excellentiam defert: ac proinde cultus, & veneratio est eius immediatum obiectum; & consequenter virtus Theologalis non est, sed ab illis distincta. Sic D. Thom. ab omnibus receptus 2. 2. *quæst.*81. *art.*4. & 5. Ab aliis autem virtutibus constat distinctam esse; quod facilè videri potest si per singulas discurramus; neque potest esse aliqua difficultas.

Et primo à iustitia rigorosa distinguitur: quia iustitia rigorosa est ad alterum cum æqualitate, at religio non potest æqualitatem constituere. Nunquam enim Deum ita honorabis, quin ipse maiori honore dignior sit. Secundò, ab obedientia religio distinguitur; quia obedientia respicit conformitatem subditi cum Superioris voluntate: at religio respicit reuerentiam ipsi superiori exhibitam, exhibere autem obedientiam & cultum, quid distinctum est ab obedire. Et licèt qui obedit alteri, dicatur large illum colere? at formaliter id obedientia non intendit. Tertiò differt à pœnitentia. Quia officium proprium pœnitentiæ est, Deo debitam pro peccatis satisfactionem reddere, in quæ propriè non attenditur excellentia Dei. Quarto, à virtute fiduciæ & gratitudinis erga Deum distinguitur, quia fidelitas respicit solutionem promissi, quia promissum est, sub qua ratione non attingitur à religione. Gratitudo respicit beneficij accepti quasi compensationem. Ergo ab omnibus iis distinguitur.

5 Maior est difficultas, an religio, qua colitur Deus, distinguatur à virtute religionis, qua coluntur Sancti? & ratio difficultatis est; quia charitas, qua amatur Deus & proximus propter Deum amatur, eadem est. Ergo etiam eadem erit religio, qua Deus & Sancti propter ipsum coluntur. Quòd si dicas, hoc verum esse de cultu, qui Sanctis exhibetur, vt sunt Dei imagines, ipsamque repræsentant; non tamen de cultu Sanctis exhibito, vt sanctitatem habent & gloriam obtinent; quia ratione huius sanctitatis digni sunt honore alio distincto ab eo quo Deus ipse honoratur. Adhuc non satisfacis; quia illa sanctitas ad Deum refertur, estque illius participatio. Ergo facta reuerentia ipsi Sancto propter sanctitatem sit reuerentia Deo, à quo sanctitatem accepit, & ad quem refertur. Ergo ad eandem virtutem pertinet vtraque reuerentia. Sicut honor exhibitus legato Regis quatenus talis est, non est distinctus ab eo, qui exhibetur Regi, sed ad eundem habitum spectat. Et ita tenet Matsil *in* 3. *q* 8. *art.*1. *in fine.* & probabile reputat Lessius *lib.*2. *cap.*36. *dub.*3. *n.*16.

6 Nihilominus retinenda est communis sententia affirmans cultum exhibitum Sanctis ob sanctitatem ipsis inhærentem pertinere ad diuersam religionis virtutem ab ea, ad quam pertinet cultus Deo exhibitus, vel exhibitus Sanctis qua Deum repræsentant. Sic D. Thom. 2. 2. *q.*82. *art.*4. & *q.*103. *art.*3. Bonauent. Richard. Gabriel, Durandus, & alij *in* 3. *d* 9 Suarez *lib.* 2. *de habitu religionis, cap.*5. *n.*4. Lessius *lib.*2. *c.*38. *dub.*3. *n.*16.

C

& seqq. idémque insinuant sancti Patres affirmantes Deum adorari adoratione latriæ, Sanctos duliæ. Ratio est, quia vbi est diuersa ratio formalis cultus, ibi est diuersus cultus, diuersàque virtus, sed in cultu exhibito Deo est diuersa ratio formalis à cultu exhibito Sanctis, quâ Sancti sunt. Nam Deus ob excellentiam increatam colitur, Sancti verò ob excellentiam creatam & participatam. Ergo: Neque obstat hanc Sanctorum excellentiam dicere ordinem intrinsecum ad diuinam: quia non attingitur vt dicit, ordinem, sed quatenus in se est quoddam bonum excellens reddens hominem dignum honore. Licet enim quælibet creatura intellectualis dicat ordinem ad Deum: nihilominùs tamen potest per se esse digna aliquo honore distincto ab eo, quo Deus est dignus, quia habet excellentiam distinctam ab illo. Et hinc colligi potest differentia, quæ est inter reuerentiam exhibitam imagini Christi, & reuerentiam exhibitam Sanctis quatenus tales sunt. Nam quando imago Christi adoratur & colitur, non adoratur & colitur ob aliquam excellentiam ipsi inhærentem: sed ob excellentiam, quæ in prototypo & exemplatiis reperitur, & quatenus illud respicit, ita vt exemplar sit quod formaliter adoratur, & cui nos formaliter submittimus, imagini autem materialiter tantùm. At Sanctus, qua sanctus est, habet propriam excellentiam distinctam ab excellentia diuina, quæ illum dignum honore facit ac proindè petit distinctam virtutem, vt honoretur ab ea, quam petit ipse Deus.

7 Sed inquiris, An ob diuersas perfectiones in Deo existentes, vel ob diuersa beneficia nobis collata, debeatur ipsi diuersus cultus, & religio specie distincta?

Respondeo, nequaquam deberi diuersam, sed vnam eandem specie; quia est vnica & simplex ratio colendi Deum adorationc latriæ, nempè esse primum principium, à quo omnia dependent. Sed ratio primi principij prouidentiam, sapientiam, bonitatem, omnipotentiam, reliquasque diuinas perfectiones continet: (quia omnes continere debet vt sit principium & origo totius esse.) Ergo Deus secundum omnes honoratur. Ergo ob diuersas in Deo perfectiones non variatur cultus. Et ita tradit D. Thom. *q.41.art.3. ad 1. & q.84.art.1.ad 2.* & multis probat Suarez *lib.1.de relig.cap.6.n.4.* Lessius *lib.2.cap.36.dub.4.n.26.*

Neque item ob diuersa beneficia, Creationis scilicet, Redemptionis & iustificationis, &c. nobis collata debemus Deo diuersum cultum specie, sed vnum & eundem. Quia beneficia non sunt ratio formalis ob quam Deus colitur, & honoratur, sed est ipsa diuina excellentia, à qua illa beneficia proueniunt. Diuinæ enim excellentiæ nos submittimus & paremus: beneficia autem solùm sunt causa ob quam hæc submissio & obedientia debetur. Si enim à Deo nullam dependentiam haberemus, nihilque ab illo esset acceptum, non apparet quomodo obligati essemus ipsum reuereri & colere? Quia ergo eius esse est ita perfectum, vt omnia ab illo necessariò pendeant, ideò illum colimus, & ex obligatione colimus, licèt causa huius obligationis multiplex sit. Vide Lessium *lib.2.cap.36.dub.4.*

Punctum II.

Quid sit deuotio, oratio, laus, & gratiarum actio, & quotuplex.

1 *Definitur deuotio, & vnde excitetur, & qua ratione ad religionem pertineat.*
2 *Oratio definitur & probatur esse religionis actum.*
3 *Petitionem esse actum voluntatis, tametsi operationem intellectus supponat.*
4 *Laus & gratiarum actio quomodo ad orationem & religionem pertineant.*
5 *Quæ sit oratio mentalis, qua vocalis?*

Inter præcipuos religionis actus hi numerantur à D. Thoma *q.82. & 83.* Dicendum ergo est primò cum eodem Doctore Angelico *q.82.art.1.* Deuotionem esse actum voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei inseruiendum. Qui enim se offert ad seruiendum alteri, illius deuotus dicitur. Dupliciter autem te Deo offerre potes. Primò, solo proposito & desiderio. Secundò, voto & iuramento. Si primo modo te offeras, gratum te exhibes Deo, sed gratiorem secundo modo, vtpotè iam sis omninò deuinctus & obligatus diuino famulatui.

Ex huiusmodi oblatione præcipuè feruenti nascitur quædam specialis & sensibilis lætitia, quæ solet communiter deuotio nuncupari, cùm tamen verè & propriè deuotio non sit, sed affectus illius. Item nascitur quædam tristitia, tum de diuina offensa, tum quod tantùm differatur diuina visio.

Hæc autem deuotio vt benè docet Cajetanus *2.2. quæst.82. art.3.* excitatur primò & præcipuè ex contemplatione diuinæ excellentiæ & beneficiorum ab eo in nos promanantium. Secundò, ex consideratione propriorum defectuum, qua cognoscimus nobis necessarium esse Deo niti vt aliquid boni habeamus.

Hanc igitur deuotionem ad religionis virtutem tanquam eius obiectum & materiam pertinere, nemini dubium esse potest: cùm sit signum quo diuinam excellentiam & omnium ab illo dependentiam protestamur, & in iis DD. conueniunt.

2 Secundò, dicendum est orationem esse petitionem decentium, sic D. Damasc. *lib.3. de fide orthodoxa cap.24.* Basilius *hom.5. de variis quæ est in Martyrem Iulitam.* Non enim ad orationem sufficit te bona aliqua à Deo desiderare, sed insuper requirit, vt illa ab ipso petas. Immo in ipsa petitione præcipua ratio orationis consistit. Quia præcipuè per ipsam petitionem Deum honoramus: siquidem ipsa petitione illi nos submittimus, protestantes eius diuinam excellentiam, & nostram indigentiam. Ex quo fit orationem esse religionis actum; non quidem elicitum sed imperatum: imperatum, inquam, ab affectu, quo vis petere; vt media petitione Deum inclines ad petita concedenda, quod alia via fieri non potest, nisi ipsum Deum colendo & honorando petitione. Est ergo petitio religionis actus, & ita tradunt communiter Doctores cum D. Thom. *q.81. art.4. & q.83.art.1.& 2.* Valentia *disp.6.quæst.2.punct.1.* Suarez *tom.2. de relig.lib.1.cap.7.num.3.* Lessius *lib.2.de iustitia cap.37.dub.2. num.7.*

Sed obiicies orationem ad virtutem charitatis, vel spei pertinere posse, Quia ad illam virtutem pertinet media apponere; ad quam pertinet finis intentus. Sed finis intentus in petitione esse potest petita obtinere, vt Deo magis placeas, illóque fruaris. Ergo petitio facta ex tali fine ad charitatem, vel spem pertinet. Ergo non ad religionem.

Responderi posset cum Lessio *suprà*, negando vltimam consequentiam. Quia optimè stat vnum actum à multiplici virtute imperari. Potes enim missam audire, vt voto satisfacias, & vt adimpleas Ecclesiæ præceptum. Item potes docere ignorantem ex compassione proximi, & vt illi benefacias, in quo virtutem misericordiæ exerces: & potes illum docere vt gratum te Deo exhibeas, eique placeas, qui charitatis actus est. Sic similiter potes à Deo beneficia postulare, vt illi placeas, vel vt illo fruatis, vel vt debitum ei cultum & honorem exhibeas. Secundùm finem ergo in petitione propositum erit actus vel charitatis, vel spei, vel religionis. Quod si ab illo triplici fine imperetur, erit actus imperatus illius triplicis virtutis.

Sed hæc solutio nullo modo satisfacit. Quia aliàs oratio non magis erit religionis actus quàm pœnitentiæ, charitatis, & spei, cùm æqualiter ab iis omnibus prouenire possit. Quapropter dicendum censeo cum Suarez *lib.1. de oratione cap.2.n.9.* orationem semper esse actum imperatum immediatè à virtute religionis: quia semper assumitur vt medium ad inclinandum & mouendum Deum vt petita concedat: non potest esse medium nisi quatenus honoratiuum est diuinæ maiestatis; ac proinde quatenus procedit ex tali affectu. Ergo licet ex affectu charitatis velis rem postulatam obtinere; non inde infertur, postulationem à charitate imperari immediatè, sed solùm infertur charitatem imperare virtutem religionis, ipsamque elicere affectum petendi rem illam, & ex tali affectu petitionem in cultum Dei elici.

Adde à quacumque virtute petitio imperetur, semper est actus implicitus religionis; quia semper aptus est generare de Deo æstimationem, & debitum de illo conceptum: sicuti genuflexio & protestatio coram Deo, etsi à sola charitate imperetur? est tamen actus implicitus religionis; quia illo testamur excellentiam diuinam nobis esse superiorem.

3 An autem petitio seu oratio actus sit intellectus, vel voluntatis; dicendum est vniusque actum esse, sed præcipuè voluntatis, sic Suarez *lib.1. de orat. toto cap.3.* Breuiter probo. Ad petitionem seu orationem. Primò est necessarium vt cognoscas illorum, quæ petere vis, habere indigentiam, Deumque potentem esse ea concedere. Secundò, debes velle vt ea tibi vel aliis concedat, si pro aliis est petitio. Tertiò, manifestare debes illi tuum desiderium cum supradicta humili cognitione, vt inde moueatur Deus ad beneficium concedendum. Neque aliud imaginari potest quod ad petitionem possit excogitari. In duplici ergo priori actu intellectus & voluntatis oratio consistere non potest: cùm possis cognoscere Principem aliquem potentem esse tibi concedere beneficium aliquod, illudque possis desiderare, non tamen velis ab illo petere. Ergo petitio aliquid amplius est à desiderio beneficij, & cognitione potestatis in concedente & indigentiæ in recipiente. Restat ergo vt sit practica manifestatio illius desiderij & recognitionis. Quæ manifestatio, etsi aliquibus placeat esse formalem actum intellectus: mihi probabilius videtur esse formalem actum voluntatis. Nam hæc practica manifestatio nihil aliud est, quàm voluntas qua vis tuum desiderium & humilem cognitionem Deo fieri manifestam, vt inde ipsa moueatur ad bene concedendum. Per eam enim voluntatem loqueris cum Deo, ad illumque desideria tua dirigis. Hac enim ratione vnus Angelus cum alio loquitur, quatenus vult suum desiderium illi fieri manifestum, & petitionem citra illum exercet, si velit vt ex tali manifestatione, moueatur ad concedendum desideratum.

4 Laus & gratiarum actio ad orationem pertinent, quia & petitionem solent antecedere, & illius consecutionem non leuiter iuuant, & obtenta petitione debentur. Laus ergo interior Dei actus est formalis intellectus, quo diuinam excellentiam reco-

gnoscis; si tamen velis eam recognitionem Deo præsentare, & in illius cultum offerre, cum Deo loqueris, illúmque coram ipso laudas. Similiter etiam gratiarum actio nihil aliud est quàm quædam beneficiorum recognitio, quàm Deo præsentas in eius obsequium & beneficij aliqualem recompensationem: quæ præsentatio actus est voluntatis. Fit ergo orationem in actu voluntatis consumari.

5 Tandem diuiditur oratio in mentalem & vocalem. Mentalis est, quæ actibus intellectus, & voluntatis perficitur, Vocalis, quæ verbis exprimitur. Vtimur autem sæpiùs oratione vocali, quia est apta ad deuotionem & attentionem excitandam tam in nobis, quàm in aliis: & quia ipsa testamur Deum non solùm corde, sed ore esse laudandum.

Item hæc vocalis oratio, alia est publica, alia priuata. Publica est quæ nomine Ecclesiæ per ministros ab ipsa deputatos fit, ea intentione vt munus suum expleant. Priuata, quam vnusquisque propria auctoritate offert. Vnde si laycus recitaret horas Canonicas non diceretur publicam orationem facere, etiamsi in platea recitaret; quia non est minister ab Ecclesia deputatus. Neque etiam Sacerdos diceretur publicam facere orationem, etiamsi horas canonicas recitaret, si à se excluderet intentionem recitandi vt minister Ecclesiæ. Requiruntur ergo hæc tria ad orationem publicam. 1. Esse orationem ab Ecclesia constitutam. 2. esse factam à ministro Ecclesiæ. 3. procedere ex tali intentione. ita Suarez *lib. de orat. cap.* 2.

Punctum III.

Quid in oratione petendum est? vbi Dominica oratio exponitur.

1 *Quæ à Deo petenda sunt expenduntur.*
2 *Quæ Christus signauit in oratione Dominica absque vlla conditione expostulari possunt.*
3 *Explicantur prima verba orationis dominicæ.*
4 *Tres primæ petitiones gloriam diuinam expectantes declarantur.*
5 *Qui panis quotidianus expostuletur.*
6 *Quomodo petit iustus peccator sibi, & peccata dimitti.*
7 *Petimus à Deo ne in tentationem labamur.*
8 *Vt ab omni noxio liberemur concludimus petitionem.*

1 PRimò certum est beatitudinem, gratiam & charitatem, reliquásque virtutes te petere à Deo posse; quia iis constitueris sanctus, & Dei amicus. Secundò certum est, omnia alia, siue spiritualia, siue temporalia, quæ horum consecutioni necessaria vel apta sunt, te posse petere, & desiderare non absolutè, sed quatenus media sunt: quia sub illa ratione semper Deo placent. Quia hæc bona, quæ absolutè temporalia dici possunt, vt sunt scientia philosophiæ & cuiuslibet artis, ingenij acumen, prudentia humana in negotiis tractandis, diuitiæ, honores, longitudo vitæ, pulchra vxor, speciosa proles, & similia, sæpissimè homini nocent, ob eius malitiam & beatitudinem impediunt; ea de causa consilium optimum est, ea non absolutè petere, sed sub conditione si ad Dei gloriam & suam salutem profutura sint, vt benè dixit S. Thom. *q.* 83. *art.* 6. Valent. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 4. *post med. vers. secundò in eadem quæstione.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 4. *num.* 21. Si tamen ea absolutè petas; quia existimas tuo statui conuenire, illísque bene vsurum, non peccas: sicuti non peccas illa absolutè desiderando; quia desideras ea, quæ absolutè bona sunt, & à Deo donantur, & naturæ rationali conueniunt, Quod non leuiter insinuauit Christus Dominus, cum in oratione Dominica nos docuit panem nostrum quotidianum absolutè expostulare. Quod autem illis malè vti possis, non vitiat eorum petitionem: cùm ille malus vsus non ex rebus petitis, sed ex tua malitia proueniat: aliàs vitiaret petitionem virtutis, qua per superbiam & malitiam malè vti potes. Sic Suarez *lib.* 1. *de orat. cap. à n.* 7. *& seq. præcipuè n.* 11. vbi pluribus hanc veritatem exornat. Periculum autem abusus, quod in iis rebus adest, non videtur esse proximum & morale, quod obligationem constituat à similium petitione abstinendi. Quæ ratio probat te non peccare etiamsi diuitias & honores in abundantia peras absolutè; quia remotum est periculum abusus, & potius existimas illa abundantia bene te esse vsurum. Suarez *d. c.* 17. *à n.* 14.

2 Vnum tamen in hoc puncto est omninò certum, ea absolutè & absque vlla conditione postulari posse, quæ Christus *Matth.* 6. petenda docuit in oratione Dominica, quam optimè explicat Chrysologus *hom.* 14. Niss. *hom.* 2. Aug. *lib.* 2. *de serm. Dom. in monte cap.* 4 & D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *& alij Patres & Euangelij expositores, & D. Thomæ commentatores.* Quibus annumerandi sunt, & meritò Valentia *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 4. Suarez *l.* 3. *de orat. cap.* 8. Hæc autem oratio, quæ omnium est diuinissima tres partes continet. In prima quasi Dei beneuolentia capratur, quod fit illis verbis, *Pater noster qui es in cœlis.* In secunda continentur tres petitiones, Deum eiúsque gloriam expectantes. In tertia, ea quæ ad nostram salutem pertinent.

3 Primò Dei beneuolentia captatur eum *Patrem* nominando: æstimat enim tanti hunc titulum ob fiduciam, quam in nobis generare potest, vt videatur illum præferre cæteris illis maiestuosis titulis, Iusti, Omnipotentis, & Sapientis, &c. Vt hac via iudicaret nobis voluntatem, quam habet *vt filij Dei nominemur & simus*; insuperque augeret fiduciam obtinendi quidquid ab eo postulemus. Nam vt dixit S. Aug. *serm.* 182. *de temp.* & Beda *in præsenti loco Matthæi.* quid negauit filius, qui iam dedit quod Pater est. Adde huic titulo ita affectum esse, vt quamuis tu vt filius prodigus nomen & dignitatem filij amittas, ipse tamen nomen Patris retinere vult vt rectè ponderauit Chrysologus *serm.* 3. *de filio prodigo in illa verba, Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus*, &c. *Ille* (inquit Chrysologus) *scilicet Deus, quod Patris est, non amisit. Vrgenter Patris viscera iterum genitura per veniam.* Quæ satis commendant diuinam charitatem & nostram obligationem procedendi vt sit filij talis parentis. Neque enim iustum est à tanto & tam diuino Patre degenerare. Secundò voco Deum *Patrem nostrum* non *meum* 1 vt indicem voluntatem quam habet se omnibus communicandi. 2. vt denotem diuerso modo nos esse filios, ac est Christus, Christus enim est filius naturalis, nos adoptiui. 3. vt manifestem me pro omnibus, quorum Deus pater est, postulare velle, vt sic mea oratio illi gratior fit. Nam vt ait Chrysost. *d. hom.* 14. dulcior est ante Deum oratio, non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. Tertiò, fateor Deum nostrum *in cœlis* esse; non quia simul in terris non sit, cùm sit immensus, sed vt denotemus ibi præcipuè se manifestare, tum gubernando cœlos, tum beatificando Angelos. Apposuitque Christus illa verba. 1. vt indicaret nobis potius cœlestes, quàm terrestres esse debere iuxta illud Pauli, conuersatio nostra in cœlis est. 2. cœlum esse patriam nostram, & ad illam tanquam peregrinos properare. 3. vt mentem & animum à terris abstractum in cœlis figamus vbi noster Pater residet. 4. vt summa cum reuerentia illum alloquamur, vtpotè Dominum cœli & terræ. 5. vt si titulus humanissimus Patris ob nostram iniquitatem nos audaces reddidit; regalis titulus cœlorum præsidis contineat. 6. vt nostram fiduciam firmet & spem augeat possidendi cœlos. Nam vbi est Pater, & filij debent esse: & vbi est caput, ibi membra. *Non enim* (ait Bernardus *in illud Iob, in sex tribulationibus liberabo te*) *sine membris caput inuenitur in regno.* & Magnus Leo *serm.* 1. *de Ascensione Christi. Quo præcessit gloria Capitis, eo spes vocatur & corporis.*

4 Postquam iis rebus beneuolentiam diuinam captauimus, Deumque, vt *Patrem nostrum* recognouimus, nósque illius esse filios, vt tales ad petendum accedimus. Cùm ergo nihil filio magis proprium sit quàm procurare, quæ ad honorem & voluntatem patris pertinent; ea de causa primò petimus, vt *nomen Dei sanctificetur.* Sanctificetur, inquam, non in se: quia in se non potest esse magis sanctum, sed in nobis, vt ait Chrysostomus. In nobis autem sanctificabitur, si eum cognoscimus, & veneramur, & cogitatione, verbo, & opere ab eius voluntate nunquam recedimus, sed potiùs ita nos geramus vt videant homines opera bona nostra, & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est.

Sed quia præcipuus modus sanctificandi Deum est, qui prouenit ex eius gratia, & charitate, vtpotè quæ ius tribuit illum in cœlis possidendi, ideò post petitam sanctificationem sui nominis, petimus 2. vt eius *regnum ad nos veniat.* Veniat, inquam ad nos eius regnum in pignore, spe & iure certo, quod fit per gratiam & charitatem, & valdè notandum est verbum illud *veniat.* Nam nequaquam petimus vt nos ad illud accedamus, sed potiùs vt ipsum nobis accedat. Quia prius Deus ad nos venire debet per gratiam, quàm nos possimus illum possidere.

Ad obtinendum huiusmodi regnum medium vnicum est diuinæ voluntatis executio: ideò tertio loco petimus, *vt eius voluntas fiat sicut in cœlo & in terra.* Contingit autem sæpè nos diuinam voluntatem ignorare, vel in illius executione languescere: petimus ergo à Deo nostrum intellectum cognitione diuinæ voluntatis illuminari, & nostram voluntatem in illius executione feruescere, non vtcumque, sed qualiter Angeli, spiritúsque beati. Optamus namque vt in executione diuinæ voluntatis gratia operetur in nobis, quod status perfectus gloriæ operatur in beatis. In beatis enim operatur status ille perfectus, vt sic Deo adhæreant vt ab illo nunquam recedant. Petimus ergo vt per gratiam sic Deo eiúsque voluntati hæreamus, vt ab illo nunquam recedamus. Insuper petimus vt non solùm nos diuinam voluntatem exequamur, sed etiam vt in nobis, & in toto mundo executioni mandetur. Neque obstat hanc voluntatem efficacem esse, & necessariò impléndam, vt non possimus orare vt impleatur; quia efficax & absoluta est media præuisa oratione.

Hæ tres petitiones Dei gloriam dicuntur præcipuè spectare, etsi in nostram vtilitatem cedant; quia gloria Dei est sanctificatio nostra, eiúsque voluntatis diuinæ prompta executio. Neque obstat, his petitionibus idem esse postulatum, vt petit ones distinctæ non sint: quia non est idem postulatum formaliter, sed virtualiter & implicitè. Formaliter enim prima petitione petitur à

tur à Deo, vt eius nomen, & quidquid ipse est à nobis celebretur, & honoretur, quod præcipuè fide & religione fit. In secunda expostulatur eius regnum nobis aduenire per charitatem, & gratiam. In tertia generaliter optamus diuinæ voluntatis conformitatem, quod est opus magnæ perfectionis & charitatis.

5 Tertio loco subsequuntur petitiones nostram vtilitatem præcipuè spectantes, quarum prima & in ordine quarta est petitio panis quotidiani. Dicimus namque Deo Patri nostro, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: id est ea, quæ necessaria sunt ad vitam nobis concede. Quod expendens D. Chrysost. *hom.* 18. inquit: Non petuntur pretiosæ vestes, nec cibi delicati, sed ea solùm quæ naturæ necessaria sunt. Neque enim placet Deo ampliùs indulgere naturæ, quàm à nobis ipse necessitatis vsus exposcit. Vnde infert Chrysostomus. Qui in vno conuiuio & vno die ea, quæ pluribus diebus consumenda erant, consumit, non videtur consumere quæ petiuit, & quæ Deus voluit concedere. Ipse enim alimentum vnius diei expostulauit, & plerum dierum alimentum consumpsit. Item expostulari voluit Christus alimentum pro die præsente, vt solicitudinem in crastinum reseraret; non enim videtur æquum solicitudinem habere alimenti pro illis diebus quos ignoramus an simus victuri. Quòd si quis vt ille dives, qui subitò mortuus est, & sepultus in inferno, in plures dies annos paratum cibum habet, quo feruore & efficacia dicere potest (inquit Chrysost. *dicta hom.* 15.) panem nostrum quotidianum da nobis hodie? Illud enim expostulatur efficaciter, quod non habetur. Ex quo videtur sequi hanc orationem cum omni sua perfectione raucis conuenire. Pauci enim inueniuntur ita à terrenis curis & solicitudinibus mundi liberi, qui solo alimento illius diei contenti sint, nihil in crastinum reseruantes. Sed ne hanc diuinam petitionem omnibus communem coarctemus, dicendum est, non solum esse de quotidiano alimento, sed de quotidiano alimento à Deo nobis concedendo. Habere namque alimentum commune est iustis & peccatoribus: sed habere illud ex manu Dei & iuxta eius voluntatem iustis conuenit (inquit Chrysostomus:) quia illi tantum sunt, qui iustè, piè, & sanctè acceptum à Deo consumunt. Peccatores enim & malè acquirunt, & peius consumunt. Et ita dici potest cum qui de iustitia acquisitum panem manducat, suum panem manducare, qui autem cum peccato, alienum.

Non solum autem de materiali pane hæc petitio intelligitur à sanctis Patribus, sed etiam de pane illo Eucharistico: quod satis indicat verbum *supersubstantialem* appositum à Christo Domino *Matth.* 6. iuxta vulgatam translationem S. Hieronymi. Hunc ergo panem diuinum, etiamsi iam ex se nobis datus sit, expostulamus, vt detur de facto cum fructu & effectu, ad illúmque cum summa reuerentia accedamus. Petimus autem illum quotidie; non quia necesse sit illum quotidie accipere, sed quia ad illud quotidie recipiendum debemus esse dispositi, iuxta illud Ambros. *lib. de Sacram.* 1. sic viue vt quotidie mereatis accipere. Neque ex hac petitione quotidiana sequitur, quod non possit hic panis peti non solùm pro præsenti die, sed etiam pro reliquis, sed id effectum est, vt nobis indicaret Christus singulis diebus augendam esse dispositionem ad hunc cælestem panem recipiendum.

Quinta petitio est de remissione peccatorum pro qua obtinenda fiduciam maximam habere potest, quem Deus ita excludit, vt ad eius mensam permiserat accedere, eiúsque diuino corpore sustentari. Petimus ergo remissionem peccatorum quoad culpam, & pœnam: quia petitur perfecta remissio debiti, de cuius ratione est remissio culpæ & pœnæ. Extenditúrque hæc petitio non solùm ad debita mortalia, sed venialia; quia vtraque sub debito comprehenduntur. Quòd si aliquis liber ab omni peccato mortali & veniali sibi videtur esse, & à pœna pro ipsis debita: adhuc non debet ab hac oratione cessare; quia timere debet non ita esse sicut ipse existimat 2. *Corinth.* 4. *Ecclesiastici* 5. & 9. nimisque arrogans, & præsumptus esset si se ita liberum reputaret. Sed dato quod per reuelationem cognosceret, adhuc sic debet orare; quia non pro se tantum, sed pro omnibus orat, & non solùm pro remissione peccatorum, quæ commisit, sed pro remissione peccatorum facienda, si committantur. Adde orare pro remissione cuiuscumque pœnalitatis debitæ pro peccato commisso.

6 Subiungimus item vt nobis dimittat, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, quod non æqualitatem denotat, sed conditionem ad remissionem. Non enim intendimus vt Deus nobis debita remittat, ea forma & mensura, qua nos debitoribus nostris remittimus. (Proh dolor quàm diminuta esset remissio!) sed intendimus vt secundùm suam magnam misericordiam nobis remittat debita; siquidem, *& nos dimittimus omni debenti nobis*, vt dixit Luc. *cap.* 11.

Sed quid dicendum si áctualiter peccato affectus sis, & maximè peccato odij aduersus proximum: cessaréne tunc debes ab hac oratione, ne videaris Deum irridere, à quo peccati remissionem postulas, cum velis non tibi remitti, posito quod in illo animo perseueraueris: insuper quæ falsò allegas remissionem proximo factam, cum tamen nulla sit?

Respondeo adhuc te posse & debere hanc orationem fundere, non intendendo vt Deus tibi peccata remittat absque mutatione tuæ prauæ voluntatis, hoc enim esset sacrilegium: sed vt mutando prius tuam prauam voluntatem tibi peccata remittat. Cum verò tunc petis tibi remitti peccatum, sicut remittis iniurias, vis dicere: sicut mihi debitum est iniurias remittere, sic peto remissionem peccati. Ad remissionem enim peccati remissio cuiuslibet iniuriæ præsupponi debet. Petis ergo vt Deus tibi remittat peccatum mutando prauam voluntatem, quam de præsenti habes; sicut etiam debet mutare prauam voluntatem & inimicitiam, quam circa proximum retines, quia hanc mutare ad remissionem peccati tibi debitum est. Adde illa verba, *sicut nos dimittimus*, non tam ad particularem personam quàm ad Ecclesiam referuntur, vt dixit S. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 16. *ad* 3. Ecclesia autem cùm sancta sit & pura iniurias remittit.

7 Hæc autem debita, quorum remissionem petimus, ex tentatione oriuntur: ideo subsequitur sexta petitio, *& ne nos in tentationem* (peccati scilicet) *inducas*. Cuius postulatum duplex est. Primum & præcipuum ne nos permittat tentationibus peccatorum consentire: quia tunc propriè per consensum in tentationem inducimur. Secundum postulatum est, ne illis vexemur. Nam licet vexari tentationibus malum non sit; est tamen periculosum, ac proindè optimè possumus desiderare & petere à tali periculo liberari. *Neque enim malè*, sed potiùs benè egit Paulus cum à Deo postulauit vt stimulus carnis ab eo recederet. Sed quia dum sumus in hoc mortali corpore absque miraculo liberi esse non possumus ab omni tentatione: tum quia fomes peccati ad malum inclinat, tum quia Dæmon semper, *circuit quærens quem deuoret*, & ex alia parte in aliquibus tentationibus parum periculi esse potest, & occasio copiosi fructus: ideo credo, nos non petere absolutè nulla tentatione vexari, sed non vexari tentatione periculosa, & quæ nos ad consensum grauiter inclinet, & quasi in periculo morali constituat.

8 Vltima petitio est, vt si à malo liberemur. Per malum autem non solum insidiæ diaboli intelliguntur, aliàs hæc petitio à præcedenti non fuisset distincta contra communem sensum Patrum distinguentium septem petitiones in hac oratione. Sed intelliguntur mala, quæ & beatitudinem retardare possunt, & nobis esse possunt nociua, etiamsi temporalia sint. Quia desiderare iis omnibus esse liberos bonum est. Protestamúrque tali petitione nos continuò à Deo pendere.

His omnibus petitionibus additur clausula *Amen*, per quam indicat omnino se consentire omnibus superioribus petitionibus, illásque denuò approbare, & nouum circa illas affectum habere, vt dixit Hieron. *in cap.* 6. Matth. & Ambros. *Psalm.* 40. *super illa verba. Fiat, fiat.*

PVNCTVM IV.

Quibus orationes fundendæ sunt?

1 *Proponitur error nullum alium nisi Deum inuocandum esse.*
2 *Quæ argumenta hunc errorem probent.*
3 *Deum vel primum autorem solum esse inuocandum, Sanctos, vt pro nobis orent, & intercedant, & ex potestate à Deo accepta nobis beneficia conferant.*
4 *Probatur Deum solum, vt primum omnium bonorum autorem esse inuocandum.*
5 *Sanctos vt intercessores inuocandos esse.*
6 *Vt nobis beneficia conferant, inuocari debere.*
7 *Satisfit argumentis hæreticorum.*
8 *Animabus purgatorij nos commendare non posse vt probabilius defenditur.*

1 HAc in re est cum hæreticis controuersia. Ipsi enim tenentur nullum alium præter Deum inuocandum esse. Sic docuit Eustachius Sebale Episcopus, quem refert Castro *contra hæreses verbo sancti*, colligitúrque ex epistola synodali Concilij Grangensis, cum damnantur, quia Basilicas Martyrum contemnebant. Hunc sequutus est Vigilantius secundum Hieronymum in libro contra eundem, & in *epist.* 53. ad Ripurium successerunt huic dicti hæretici Apostolici tempore Bernard. *serm.* 66. *in Cantic.* Item Catharenì, & Passareni tempore Alexand. III. teste Turrecrem. *lib.* 4. *de Eccles.* 2. *p. cap.* 83. His adhæserunt VValdenses, seu pauperis de Lugduno teste Antonino 4. *p. tit.* 11. *cap.* 7. §. 2. & Tritemio *in Chronol. anno* 160. Item Vbicleph, qui dicebant inutilem esse Sanctorum inuocationem, teste Thom. VValdens. *tom.* 3. *de Sacram. cap.* 108. & *seqq.* Ac denique nostris temporibus Lutherus, & Caluinus, & alij hæretici, qui non solùm ausi sunt affirmare inutilem esse Sanctorum inuocationem, sed impiam, & sactilegam, vtpotè derogantem dignitati Christi.

2 Fundamenta huius erroris esse possunt. Primùm, quia nullus alius præter Deum dignus est adoratione. Ergo nullus alius præter Deum orandus est, cum oratio cultus sit religiosus. Antecedens probari potest, tum ex illo Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me.* Nam qui sanctos inuocat, & orat, videtur eos, quasi Deos habere. Tum ex illo Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino Deo tuo, neque addas quidquam, neque minuas,*

minuas. Non igitur in materia cultus licitum est addere his, quæ à Deo sunt præcepta. At præceptum non est, vt colas Sanctos, illósque ores. Ergo, tum ex illo *Matth. 6.* vbi solum ad Deum nos docuit Christus orare.

Secundò, inutilis esse videtur, ac periculosa talis oratio: tum quia nobis non constat Sanctos, quibus orationes fundimus, vere Sanctos esse, & Deum videre, & multò minùs nobis constat nostras orationes præcipuè mentales cognoscere, cùm longè à nobis sint, faciatque illud Isaæ 63. *Abraham nescivit nos, & Israël ignorauit nos. Tu Domine Pater noster, & Redemptor noster*, & quasi solus Deus sit, qui nos cognoscat. Ideóque *Isaiæ 8.* culpantur auxilium petentes pro viuis à mortuis.

Tertiò, hæc inuocatio Sanctorum videtur derogare dignitati Christi. Primò, quia indicat Christum non esse vnicum mediatorem Dei, & hominum contra illud Pauli 1. *Timoth.* 2. siquidem alij mediatores assumuntur. Secundò, indicat eius intercessionem esse insufficientem: nam si ipsa sufficit, vt quid Sanctorum intercessio postulatur?

Quartò, videris minùs fidere de Deo, ciúsque diuina misericordia, cum tot intercessores apponas, ad illum inclinandum. Ipse enim ab æterno decreuit quid esset facturus, neque vllius intercessione desistere potest ab eo. Item promptissimus & ad tibi benefaciendum, vt quid ergo intercessores assumis.

3 Nihilominus Catholica veritas est Deum solum inuocandum esse, vt primum autorem, & causam omnium bonorum; Sanctos verò vt aduocatos & intercessores apud ipsum, vel etiam vt nobis ex potestate sibi à Deo concessa, aliqua dona conferant. Hanc conclusionem latè, & eruditè defendunt aduersus hæreticos nostri temporis Sanctissimus, & Doctissimus Pater Robertus Bellarm. Societatis nostræ professus, & S.R.E. Cardinalis, *lib. 1. de cultu Sanct. cap. 15.* Valen. 2. 2. *disp. 6. quæst. 2. pun. 7.* Suarez *lib. 1. de orat. cap. 9. & 10.* Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 6. & alij apud ipsos*. Triplicem partem habet conclusio. Prima est Deum nobis vt autorem bonorum omnium esse inuocandum. Secunda esse Sanctos inuocandos, vt nostros patronos, & intercessores. Tertia, vt potestatem ministerialem habentem nobis conferendi aliqua bona, quas singulas, sic probo.

4 Prima ergo pars, quòd Deus sub illa ratione sit solùm colendus, est luce meridiana clarius. Nam solus Deus est primus autor, & causa totius esse, ita vt ab ipso omnia pendeant, ipse verò a nemine. Ergo solus Deus sub illa ratione orari potest. Solùm inquiri potest, an possis orare Patrem, quin ores Filium, & Spiritum sanctum cum omnes illæ tres personæ per modum vnius principij indiuisi causa sint totius boni esse? Respondeo te non posse orare vnam personam, quin virtualiter ores omnes. Ob rationem dictam; quia scilicet in omnibus est eadem diuinitas, maiestas, & potentia. Potes tamen formaliter, & expresè dirigere orationem vni, & non alteri, ob realem inter ipsas distinctionem, quódque sæpè facit Ecclesia dirigendo orationes suas Patri, ab illóque dona postulando per merita Iesu Christi, & Filij eius. Aliquando dirigit Filio specialiter, aliquando Spiritui sancto, vt in lætitiis est manifestum.

Secunda pars conclusionis, pone inquam inuocari Sanctos, vt pro nobis orent, & intercedant, à variis conciliis est definita, præcipuè à Trident. *sess 25. de veneratione Sanctorum*, declarante hunc vsum à primordiis Ecclesiæ originem duxisse, quod certè sufficiens erat hæreticorum ora obtundere. Nam vt dixit S. August. *epist. 118. ad Ianuarium*. De eo quod tota per orbem frequentat Ecclesia disputare, an ita faciendum sit insolentissimæ insaniæ est.

Ratione autem Theologica euidenter probatur. Sancti, & amici Dei possunt pro nobis apud Deum efficaciter intercedere, & de facto sic intercedunt. Ergo piè, & vtiliter eorum intercessionem postulamus. Consequentia est certa. Quia illorum intercessionem vtiliter postulamus, quæ prodesse potest, si apponatur, & probabiliter speramus apponendam esse; vt humanis exemplis illustrari poterat. Antecedens probo primo exemplo Pauli qui ad *Colossen. 4. Thessal. 3. & ad Hebræos 13. & alibi*, aliorum se orationibus commendauit. Ergo sensit orationes Sanctorum sibi prodesse posse: quod si hanc vtilitatem habent orationes Sanctorum, in hac vita degentium, vbi sunt miseriis pleni, peccatis subiecti, de sua salute incerti; & solliciti, maiorem certè habebunt, postquam hinc demigrauerint, & cum facti sint omnino securi. Nam vt rectè ratiocinatur Hieron. *contra Vigilant. cap. 3.* Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando de se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post victorias, coronas, & triumphos, vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Domino esse cæperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam resoluta esse cæperit cum Christo tunc ora clausurus est? Absit. Quapropter Cyprianus *in sermone de Mortalitate*, inquit. Magnus illic charorum numerus expectat, frequens nos & copiosa turba desiderat iam de sua immortalitate securi, & adhuc de nostra salute soliciti. Secundò probatur idem antecedens exemplo Angelorum, qui pro nobis orationes fundunt. Constat ex illo Tobiæ 12. *Quando orabas cum lacrymis, &c. Ego* (Raphaël Angelus) *obtuli orationem tuam Deo.* & Apoc. 8. *Data sunt ei* (scilicet Angelo) *vt daret de orationibus Sanctorum omnium, &c. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Sed animæ Sanctorum æquales sunt Angelis in statu beatitudinis; vt dicitur *Matth. 22. & Luc. 20. & Apoc. 21.* Ergo idem habent officium. Tertiò probo testimoniis tam veteris quàm noui Testamenti. Nam *Ier. 15.* dicitur Moysem & Samuelem stetisse coram Domino pro populo. Et 2. *Machab. 15.* notatur Ieremiam multum orasse pro populo & vniuersa sancta ciuitate Hierusalem. Ergo signum euidens est cognouisse hos sanctos, suis orationibus populo prodesse posse. Si ergo in carcere lymbi inclusi hoc poterunt, quid non poterunt in patria existentes, & Deum clarè intuentes, & summo amore prosequentes? & in *Apocal. 5. Quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*. Illa autem animalia & seniores ex hominibus beatis erant, vt docent communiter expositores. Ergo homines beati suis orationibus nobis fauent. Quapropter Apostolus Petrus *epist. 2. cap. 1.* discessurus ex hoc mundo fideles consolabatur se apud Deum memoriam illorum habiturum promittens, *Dabo* (inquit) *operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*. Quasi diceret mea intercessione faciam, vt ea, quæ vos docui memoria retineatis. Maneat ergo certum, non solùm Sanctos beatos suis orationibus nobis prodesse posse, sed etiam velle, cùm ardentius quàm in hoc mundo nos diligant.

Tertiam conclusionis partem probant continua miracula quibus Deus aliquos sanctos specialiter honorat, ratione quorum ab illis fideles beneficia expostulant. Habent enim aliqui sancti à Deo specialem potestatem sanandi infirmitates, eiiciendi dæmonia, reuocandi aliquos mortuos. Si enim dum adhuc viuerent, illis fuit hæc potestas concessa, quid mirum si ipsis in cœlo existentibus concedatur? faucétque hymnus in honorem Apostolorum compositus:

Quorum præcepto subditur
Salus & languor omnium.
Sanate ægros moribus
Nos reddentes virtutibus.

Quasi illis videatur concessa à Domino potestas hæc omnia efficiendi. Dupliciter autem sancti hos effectus præstare possunt, primò petitione à Deo: possunt namque scire Deum hæc esse effecturum si ipsi absolutè petant. Quòd indicant illa verba prædicti hymni:

Nos à peccatis omnibus
Soluite iussu quæsumus.

Soluite iussu, id est, petitione. Quasi diceremus si vos pro nobis oratis, & à peccatis liberari petitis, liberi erimus. 2. & specialiter possunt præstare hos effectus media potentia ministeriali, qua simul cum Deo ad illorum productionem concurrant. Hoc ergo supposito non potest non esse Deo gratissimum eorum auxilium implorare. Siquidem hac via testamur illos vt speciales sibi amicos honorasse. Sanctis etiam gratissimum erit; quia sic excitantur ad vsum beneficij accepti, eorúmque dignitas commendatur.

7 Argumenta hæreticorum nullius sunt ponderis. Ad primum dico Deum solum dignum esse adoratione latriæ, quæ consistit in recognitione humili supremi dominij, & increatæ excellentiæ: at alia adoratione inferiori, quæ duliæ seu hyperduliæ vocatur, qua ad virtutem obseruantiæ, seu pietatis Sanctos dignos esse. Ad locum Exodi nego inuocantem Sanctos vt intercessores reputare Deos: potius enim Deo inferiores reputamus; siquidem rogamus vt apud illum pro nobis intercedant. Locus Deuteron. tantùm probat nobis licitum non esse addere diuino cultui aliquid, quod non sit ita præceptum, vt deroget diuino præcepto: aliàs non esset licitum colere Deum iuramento, voto, obseruatione alicuius festi, sacrificij oblatione, si præcepta non essent; quod est absurdum. Cultus ergo Sanctorum etiamsi in veteri testamento præceptus non fit, quia tamen prohibitus non est, ideò licitus esse potest. Adde in veteri testamento optimè posse cultum Sanctorum, specialiter publicum prohiberi, tum ob periculum idololatriæ, tum quia non erat regnum cœlorum propalatum, vt ipsi Sancti in illo existentes cognoscerent orationes & deprecationes, quæ ad illos fundebantur. Neque his obstat doctrina Christi Domini, qui *Matth. 6.* nos docuit ad Patrem orare, vt ad totius boni fontem; non tamen negauit ad Sanctos orandum esse tanquam nobis patronos, & aduocatos.

Ad secundum negamus inutilem esse & periculosam talem orationem. Nam si oratio est publica, non potes illam fundere ad Sanctum, qui ab Ecclesia vt talis approbatus non sit: si est priuata debet saltem tibi moraliter constare de eius beatitudine ob opinionem sanctitatis in qua mortuus est. Cessat ergo morale periculum errandi. Cùm autem vides, Sanctos cognoscere non posse orationes nostras, præcipuè mentales, negandum est. Possunt, inquam, illas à principio suæ beatitudinis in Verbo cognoscere. Quid enim implicat, quòd Deus cuilibet beato

beato notitiam illorum, quæ ad eius statum aliquo modo pertinent, communicet, cum sui visionem communicat; ita vt tunc in Verbo videat quidquid successu temporis in illius honorem faciendum est? Quòd si hic modus dicendi tibi non placet, necessariò fateri debes, Deum continuò manifestare Sanctis per specialem reuelationem orationes, quæ ad illos funduntur: ne Ecclesia imprudenter & otiosè cum ipsis loquatur, vtpotè qui locutionem percipere non possunt. Neque contra hoc facit locus *Isa.*63. Quia loquitur Propheta non de qualicumque cognitione; sed de cognitione approbatiua. Non enim Abraham facta illius populi approbauit, ideóque dixit Propheta illos ignorasse, sicut spontus dixit ad Virgines vatuas: *Nescio vos*, id est, vos reiicio, ac si nunquam cognouissem. Adde illo tempore Abraham non vidisse Deum; quia clausa erat ianua regni cœlestis, quousque Christus Dominus illud intrauit; ac proindè non mirum si petitiones ad ipsum non fuerint delatæ, neque delatas cognouerit. Cùm verò *Isa.*8. damnantur viui auxilium à mortuis petentes, ideò est: quia per incantationes & superstitiones petebant, vt colligitur ex illomet loco ibi: *Cùm dixerint ad vos, quærite à Pythonibus & à Diuinis, qui stridentincantationibus suis, nunquid non populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis & ad testimonium*, &c.

Ad tertium negamus hanc Sanctorum inuocationem derogare dignitati Christi: & ad probationem respondeo, Sanctos non esse mediatores sicut est Christus Dominus. Nam Christus Dominus est simul Deus & homo, ac proindè virtute propria, & non aliundè accepta mediator existit *Timoth.*2. Satisfecit enim pro omnibus, illósque quantum in se est Patri reconciliauit, & hac ratione solus ipse vnicus & mediator existit. Nam Sancti etiamsi mediatores apud Deum existant sua merita præsentando, non existunt mediatores in ratione propria, sed à meritis Christi accepta, à quo omnia sua merita virtutem habuerunt: neque nos Deo solutione reconciliant, sed solùm intercedunt vt de facto reconciliemur. Non ergo derogant Christi dignitati. Adde Christum secundùm aliquorum sententiam non exercere in cœlis officium mediatoris orando pro nobis, sicut nec merendo, nec satisfaciendo, sed solùm seipsum diuino Patri præsentando, suáque merita & satisfactiones, & orationes, & reliqua, quæ in hac vita mortali fecit, ante oculos proponendo: Sancti verò non solùm pro nobis in cœlo sua materia præsentant, sed etiam orant. Ideóque fortè Ecclesia non postulat à Christo, vt orationes fundat apud Patrem: postulat autem id à Sanctis. Ergo diuerso modo Sancti mediatores existunt ac Christus. Iam etiamsi concedamus Christum Dominum in cœlis pro nobis orare, vt communior sententia Patrum affirmat, teste Toleto *cap.16.in Ioan. à num.35.* Maldonato *ibid.* & satis indicant illa verba Ioan.14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Vbi Dominus de oratione facienda apud Patrem post eius in cœlum ascensum videtur loquutus, adhuc diuerso modo orat, ac orant Sancti; quia orat tanquam filius naturalis, reliqui vt adoptiui.

Nunquam tamen Ecclesia postulat à Christo Domino, vt apud Patrem pro nobis oret, sed postulat vt misereatur nostri: ne occasionem tribuat existimandi Christum non esse Deum, nec posse sua virtute omnia nobis concedere.

Ad secundam probationem de sufficientia meritorum Christi, quæ videbatur inuocatione Sanctorum minui; facilè respondetur, dicendo nos non postulare, vt pro nobis Sancti intercedant; quia existimamus merita & intercessionem Christi nobis non sufficere; sed quia nos indignos iudicamus illius intercessione, fauore & meritis, intercessione Sanctorum nos disponi intendimus, & mediis illis ad ipsum accendimus. Ex quo nullo modo licet inferri minùs sufficientem esse Christi intercessionem; aliàs id liceret inferre ex eo, quod orationes Sanctorum in hac vita degentium expostulemus, quod non est dicendum.

Eodem modo soluitur quartum argumentum. Non enim inuocatio Sanctorum arguit minorem fiduciam de diuina bonitate, sed arguit maiorem sui submissionem, & propriæ indigentiæ cognitionem; & licèt Deus promptissimus sit ad tibi benefaciendum: id præstat per media à sua diuina prouidentia præordinata; quorum vnum & præcipuum esse potest, vt eius amicos honores, illorúmque orationibus & intercessionibus foueatis.

Sed inquiris an animabus purgatorij nos commendare, & ad ipsas orare possimus?

Respondeo breuiter probabilius esse nos non posse illarum orationibus commendare: sic Syl. V. *oratio.* Nauar. *de orat. cap.*1. *num.*22. & relato D. Thom. Palud. Alens. inclinat Suarez *lib.*1. *de orat. cap.*10. *n.*25. *iuncto, num.*27 & 28. Azor. 1 *p. lib.*9. *cap.*30. *quæst.*4. Valent. 2.2. *disp.*6. *quæst.*2. *punct.*7. *versic. Quarto certum est*, & post medium ad quartam obiectionem vers. *secundo dico* cum August. *lib. de cura pro mortuis agenda cap.*13. Ratio est, quia neque est certum ipsas ibidem existentes pro nobis orare, neque nostras orationes cognoscere. Posita autem hac incertitudine otiosum esse videtur ab illis aliquid petere, vtpotè quæ non intelligunt petitionem. At quia probabilius est pro nobis orare, nostráque orationes cognoscere media reuelatione ab Angelis custodibus sui vel nostri probabile est ad illas posse nos orationes fundere. Sic docet Bonacina alios referens *disp.*1. *de horis canonic. quæst.*1. *punct.*1. *in fine.* Quapropter (concludit Suarez *suprà*) sentientem in hac oratione fructum & deuotionem, non esse ab illa remouendum.

PVNCTVM V.

Qui possint orare?

1 *Nulla diuina persona quatenus talis est, orare potest.*
2 *Omnes homines viatores orare possunt.*
3 *Angeli & animæ beatæ pro nobis orant.*
4 *Proponitur obiectio quædam & soluitur.*
5 *Pro se beati qua ratione orent.*
6 *Damnati veram orationem non possunt fundere.*
7 *An animæ existentes in purgatorio pro nobis orent? Refertur communis sententia, non orare.*
8 *Probabile satis est oppositum.*
9 *Satisfit argumentis num.*7. *positis.*

1 ALiqua sunt in hoc puncto extra controuersiam. Primò, diuinas personas quatenus tales sunt orare non posse. Tum quia oratio est actus religionis inferioris ad superiorem, nulla autem diuina persona est alteri inferior. Ergo. Tum quia non habent distinctam voluntatem, quòd necessariò præsupponi debebat: Dixi diuinas personas quatenus tales sunt orare non posse: vt indicarem Filium quatenus homo est ad seipsum vt Deum, & ad Patrem, & Spiritum sanctum orare posse, vt de facto sæpè orauit existens in hoc mundo. Quod autem modò existens in cœlo pro nobis oret, probare videtur locus ille Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis vt maneat vobiscum.* & ad Hebræos 7. *semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Cùm ergo de propria interpellatione, & rogatione possit intelligi, non debet ad impropriam loquutionem reduci. Neque obstat in hac vita Christum Dominum omnia cum Patre tractasse, & pro omnibus orationes fudisse, sciuisséque pro quibus exaudiebatur, & in quibus ob eorum malitiam sua oratio sanctissima non habebat effectum. Non, inquam obstat, quominus in cœlis orare non possit: quia hoc solùm probat, eius orationem necessariam non esse; non tamen probat, non esse piissimam & sanctissimam, & vt talem fundi posse. Aliàs dum exstitit in hac vita solùm semel orare debuerat. Cum & illa oratio, tunc fuit infinitæ virtutis, & efficacitatis, & optimè cognouit, in quibus habitura esset effectum, & in quibus non. Si ergo non obstante hac oratione ob eius eximiam in nos charitatem sæpius orationem repetiuit, idem in cœlo nunc facere potest, & de facto facit: vt sic veriùs verificetur, semper pro nobis interpellate. Quod si obicias. Ergo potero Christum orare, vt pro me quatenus homo est, ad Patrem oret; quod videtur esse contra Ecclesiæ praxim. Respondeo concedendo id fieri posse, si debita intentione fiat, & absit scandalum; quia peto quod honestum est, & quod Christus Dominus sanctissimè facit. At quia datur occasio maleuolis, & ignorantibus errandi, existimando Christum Dominum non esse personam diuinam, neque per se posse concedere quidquid nobis necessarium est, ideò à tali postulatione, & oratione abstinemus.

2 Secundò certum est, omnes homines viatores orare posse, siue iusti sint, siue iniusti: debent tamen esse fideles; quia absque fide eorum oratio (de qua in præsenti loquimur) non erit supernaturalis religionis actus. Nam vt dicit Paulus ad Rom.10, *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* quasi diceret Deum inuocare non possunt, inuocatione pertinente ad salutem, nisi prius in ipsum credant. Suppositá autem fide; si iusti sunt, clarum est, orare posse; tum pro se, & pro aliis iustis, vt in iustitia contineantur; tum pro peccatoribus, vt à peccato desistant. Si verò peccatores sint, orare ad Deum possunt, & debent vt eos moueat peccata relinquere. Neque ex eo, quòd oratio fiat ab hoc peccatore, mala est, sed potius est bona, vtilis, & consulenda, vtpotè qua solet Deus moueri ad excitandum peccatorem, vt se ad gratiam diuino auxilio innixus disponat. Aliàs peccatores non rectè dicerent, *dimitte nobis debita nostra.*

3 Tertiò certum est, Angelos in cœlo existentes animásque beatas Deum pro nobis orare, non solùm in genere, sed etiam in specie & figillatim; aliàs Ecclesia non peteret specialem eorum intercessionem, neque specialem ad illos orationem funderet. Dupliciter autem pro nobis orant. Primò petendo à Deo, quæ vident nobis profutura ad salutem, siue ab ipsis ea petierimus, siue non. Secundò offerendo Deo nostras petitiones. Nam licèt Deus optimè cognouerit petitiones nostras, neque ad hunc effectum indigeat illarum à Beatis præsentatione, at illi gratissimum est, quòd beati pro nobis hoc officium suscipiant, orationésque nostras iam sibi præsentatas iterum præsentent, & suas orationes illis adiungant.

4 Sed obiici potest aduersus hanc doctrinam beatos optimè nosse, quæ Deus facturus sit ex iis, quæ illis homines proponunt à Deo petenda. Ergo petere non possunt ea, quæ sciunt Deum facturum non esse; aliàs diuinæ voluntati non essent omninò conformes. Pro iis autem, quæ sciunt Deum esse facturum, superuacanea videtur eorum petitio.

Respondetur 1. negando beatos cognoscere semper, quæ Deus facturus sit, ex iis, quæ illis homines proponunt petenda. Quia talis cognitio neque ad eorum statum, neque ad efficaciam petitionis necessaria est. Et ita docuit D.Thom. 1. *p. quæst.* 113. *art.*8. ex illo *Dan.*10. vbi Gabriël Angelus cum Daniele orauit, & custos Angelus illius regni, illis orando restitit. Quia nesciebat (inquit D.Thom.) quid Deus disposuisset, & procurabat commodum regni sibi commendari, donec de diuina ordinatione sibi constaret. Consentit Caiet. 2.2. *quæst.*83. *art.*4. & 3. *p. quæst.*10. *art.*2. Suarez *lib.*1. *de orat. cap.*11. *n.*6.

Respondeo 2. admittendo beatos cognoscere, quæ Deus facturus sit. Nego tamen inde inferri, non posse petere. Nam si sciunt Deum non esse facturum, non absolutè & efficaciter petunt, sed inefficaciter, quasi conditionatè: sicuti Christus pro salute omnium orauit, & pro liberatione à morte Crucis, quæ sciebat non esse facienda. Ostendunt enim tunc beati simplici affectu circa bonum petitum, charitatem quam in nos habent, & quàm benè affecti sint. Quod si agnoscunt Deum esse concessurum petenda, non superfluit eorum petitio. Quia fortè ob petitionem illorum Deus sic decreuit concedere, & ita credendum est. Si tamen independenter ab illorum petitione Deus ea facere decreuisset, adhuc vtilis est talis petitio: tum vt diuinæ voluntati se ostendant conformes; tum vt charitatem & affectum suum erga nos ostendant. Vide Suarez *illo lib.*1. *de ort cap.*11. *à n.*5.

3 Quartò certum est, beatos orare non posse pro se in his, quæ pertinent ad beatitudinem essentialem, benè tamen in iis, quæ ad illam accidentalem pertinent: ita Suarez *lib.*1. *cap.*11. *num.*10. & 11. cum D. Thom. *quæst.*83. *art.*11. Prior pars conclusionis videtur euidens; quia petitio est rei non possessæ. Beati primo instanti suæ beatitudinis sunt beati: Ergo possident quidquid ad beatitudinis essentiam necessariò requiritur. Cùm autem ad essentiam beatitudinis non solùm necessarium sit Deum videre, sed videre illum perseuerantèr, à principio possident debitum illius, & hoc cognoscunt. Ergo nihil ad beatitudinem essentialem pertinens postulare possunt. Secunda verò pars probatur, quia petere à Deo possunt, vt numerus prædestinatorum impleatur, quia hoc modo accidentaliter crescit eorum gloria. Item possunt petere glorificationem corporum. Nam licèt hanc sciant infallibiliter dandam esse, petunt tamen, vt illo nouo titulo illis detur. Vel potiùs vt illa petitione protestentur, semper gloriam illam sub dominio, & voluntate Dei esse, illam ipsis concedere quantumcumque promiserit, sic Suarez *lib.*1. *de orat. cap.*2. *n.*23.

4 Quintò certum est damnatos orare non posse vera oratione: Tum quia carent fide: tum quia pium affectum non habent; & Deum summo odio continuè prosequuntur. Possunt tamen aliqua à Deo petere, vt refertur *Iob* 1. & 2. vbi diabolus petiuit à Deo vt permitteret tentare Iob, & *Luc.*16. diues ille in tormentis positus petiuit vt Lazarus ad fratres mitteretur.

5 Dubium autem est de animabus in purgatorio existentibus, an orare possint pro nobis? Nam pro se non videtur dubitandum. Orant namque Deum vt excitet fideles, vt pro ipsis satisfaciant. Quid enim obstare potest huic orationi, cum se videant in summa necessitate constitutas, & sciant nullum aliud sibi superesse remedium, ad se ab illa necessitate liberandum? Quapropter ex multis historiis constat animas in purgatorio existentes postulasse à viuis orationes, suffragia, & indulgentias. Ergo facilius poterunt petere à Deo, vt fideles moueat ad hæc opera pro illis præstanda, cùm certò cognoscant fideles non posse illa præstare, nisi à Deo priùs moueantur, & excitentur,

Pro nobis autem communis sententia docet non orare. Sic D.Thom. *q.*83. *art.*11. *ad* 3. Alens. 4. *p. q.*91. *memb.*4. Nauarr. *in Enchirid. de orat. in prælud. n.*26. & 29. Mouentur: tum quia nostras necessitates non cognoscunt: tum quia sunt in statu potius satis patiendi, quàm impetrandi, magisque debent ab aliis auxiliari, quàm aliis auxilio esse.

6 Nihilominus contraria sententia satis probabilis est, eámque defendit Bellarminus *lib.*2. *de purgatorio cap.*15. Medina *q.*5. *de oratione*, Valentia 2.2. *disp.*6. *q.*2. *p.*6. *vers. Quartò asseuero.* Suarez *lib.*1. *de oratione cap.*11. *num.*16. Lessius *lib.*2. *de iustitia cap.*37. *dub.*5. *num.*23. & *alij.* Ratio est, quia pœna, quam animæ in purgatorio existentes patiuntur, impedire eas non potest ab oratione pro nobis fundenda. Tum quia æquo animo eam sustinent. Tum quia nos feruenti charitate prosequuntur, neque desiderium, quod in hoc sæculo habebant nostræ salutis, est illis imminutum. Tum quia vident se hac oratione summè Deo placere. Et confirmari potest exemplo Moysis & Samuelis, qui pro populo orabant, vt colligitur ex Ierem.15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* 2. *Machab. vlt.* orauit Ieremias multum pro populo, & tamen ij omnes non erant beati. Ergo licèt animæ in purgatorio existentes beatæ non sint, poterunt pro nobis orare.

9 Neque argumentum contrarium vrget. Fateor, inquam, esse in statu satispatiendi, & indigere nostro auxilio, & orationibus: hoc tamen non tollit quominus ipsæ etiam possint nobis correspondere. Quòd si dicamus nostras necessitates non cognoscere, neque cognoscere orationes, quæ ad ipsas funduntur; inde solùm infertur non posse pro nobis specialiter orare: hoc est pro speciali necessitate: at non infertur orare non posse in genere pro nobis, petendo à Deo vt nobis concedat, quod suæ voluntati & diuinæ gloriæ magis est conforme, nostrásque petitiones audiat, si id videat expedire. Nulla tamen in hac oratione esse potest repugnantia; ac proindè credo animas in purgatorio existentes, vtpotè Deo charissimas, & nobis benè affectas commendare sæpè Deo amicos, quos habuerunt in hoc sæculo, consanguineos & propinquos, & quotquot illis beneficiunt, illísque se commendant.

PVNCTVM VI.

Pro quibus orandum est.

1 *Pro damnatis orare non potest*
2 *Pro beatis qua ratione possit orari.*
3 *Pro viatoribus siue iustis, siue iniustis est orandum.*
4 *Proponuntur duæ difficultates aduersus hanc doctrinam.*
5 *Soluitur prima difficultas.*
6 *Satisfit secundæ difficultati.*

1 CErtum est orationem fundi non posse pro damnatis, quia sunt omnino à beatitudine excluſi, neque illis aliqua ratione oratio prodesse potest: quod definitum est ab Innocentio III. *in cap. eùm Martha, de celebratione Missarum.*

2 Pro beatis verò clarum est nos orare non posse, petendo eorum conseruationem beatitudinis: quia hanc certò cognoscunt sibi esse debitam, & à Deo concessam. Solùm de oratione, in qua postularetur aliqua gloria accidentalis resultans ex multitudine prædestinatorum, ex glorificatione corporum, ex laudibus in cœlo factis ob peccatorum pœnitentiam potest esse dubium, an pro ea possimus orare. In quo breuiter dico nullum in hac oratione reperiri inconueniens, immò per se bonam, & honestam esse. Quia hac oratione postulatur nomen Dei sanctificari: & quia hæc postulantur in fauorem & commodum beatorum, vt ipsi inde voluptatem & gaudium nouum accipiant, dicitur, fieri pro beatis, sic docet Suarez *lib.*1. *de orat. cap.*14. *num.*4. cum Bellarm. *lib.*2. *de purgatorio cap.*18.

Pro animabus purgatorij nemini Catholico esse dubium potest salutare esse orare, vt à peccatis soluantur.

3 Loquendo de viatoribus conclusio ab omnibus recepta est, pro omnibus esse orandum, siue iusti sint, siue iniusti, siue fideles, siue infideles, siue amici, siue inimici, prout docuit Paulus 1. Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quod intulit ex eo, quòd Christus pro omnibus mortuus est, & ratio est manifesta, quia omnes dum sunt in hac vita, capaces sunt salutis.

4 Sed est difficultas. *Qua ratione pro omnibus sit orandum,* & ratio difficultatis est. 1. quia in omnium collectione constat manifestè plures esse reprobos, & vt tales à beatitudine excluſos. Ergo illi comprehendi non possunt in oratione, qua petis omnibus salutem, quia esset nimis præsumptuosa & stulta petitio, & contraria diuinæ ordinationi. Adde, nullam religiosam petitionem fieri posse, quæ non procedat ex spe obtinendi petitum, quam tamen in præsenti habere non potes, cùm certò scias contrarium esse à Deo determinatum. 2. difficultatis ratio est: quia honestè & licitè sæpè orans pro prædestinatis tantùm, pro amicis, po benefactoribus, pro consanguineis, pro reipso. Ergo non teneris pro omnibus orare. Ergo etiamsi aliquem excludas, non peccabis?

5 Ad primam difficultatem respondeo probate te non posse pro omnibus collectiuè petere beatitudinem vt cum effectu detur: at diuisiuè bene potes pro omnibus beatitudinem absolutè postulare. Quia dum tibi per reuelationem clarum non constat, qui sint à Deo specialiter reprobati, optimè facis, si omnibus gratiam, & beatitudinem postules. Quòd si obiicias plures esse ita remotos à via salutis, tum ob infidelitatem, tum ob vitia, quibus sunt immersi, vt moraliter loquendo non videantur condemnationem vitaturi. Ergo illos optimè poteris excludere à petitione absoluta beatitudinis. Neganda est consequentia; quia ob nullam infidelitatem, & peccatorum obstinationem tollitur peccatori capacitas & possibilitas se conuertendi: ac proindè nec possibilitas pro illis orandi. Immò quo maior peccator existit, magisque à via salutis remotus est, eò magis oratione indiget, qua moueatur Deus vt illum à malo diuertat. Cæterùm pro beatitudine omnium viatorum collectiuè, & idem est pro beatitudine illius, quem ex reuelatione cognoscerés condemnandum, optimè poteris orare, affectu, inquam, simplici, & conditionato diuinæ voluntati subordinato. Nulla enim repugnantia est in eo, quod velis, quantum est ex te, reprobo salutem: immò in hac voluntate charitatem erga illum ostendis, diuinæque te voluntati conformas, quæ quantùm ex se est vult omnes homines saluos fieri. Ergo ex hac voluntate benè potes petere à Deo, vt det illi reprobo auxilia, quæ ad huiusmodi effectum videat esse necessaria. Item petere potes, vt illis auxilis

ille

ille reprobus non resistat. In toto enim hoc obiecto nihil est diuinæ voluntati contrarium. Vt latiùs hæc omnia probat Suarez *lib.1.de orat.c.15.à num.6.* Lessius *lib.1.cap.37.dub.7.* Valentia *2.2.disp.6.punct.8.in princ.*

6 Secundæ difficultatis ratio conuincit, te non esse obligatum semper pro omnibus orare, sed aliquando posse & debere pro te solùm orare. Item pro amico vel inimico, in graui necessitate constituto. Quod manifestè constat exemplo Christi & Sanctorum, qui sæpè orationes pro speciali aliqua persona obtulerunt, quia illis specialiter indigebant. Christus namque Dominus pro Petro orauit, ne eius fides deficeret, in qua oratione reliquos non comprehendit. Item rogauit Patrem pro crucifigentibus ipsum: & Stephanus pro lapidantibus, vtpotè qui speciali illo auxilio indigebant. Cùm ergo communis sententia docet pro omnibus orandum esse, neminémque ab oratione excludendum; loquitur. Primò de oratione communi, quam Ecclesia pro omnibus offert, quam si limitares & coactares, graue peccatum esset: non solùm quando oras vt minister Ecclesiæ deputatus, sed etiam quando per ministros Ecclesiæ orationes fundis; quia tunc aduersaris intentioni Ecclesiæ. Secundò, loquitur de oratione priuata pro aliqua communitate ex obligatione facta, à qua si excludas aliquem, qui pars sit illius communitatis, grauiter peccas, vtpotè priuans illum satisfactione, & impetratione, quæ ex tali oratione sibi debetur. Tertiò, loquitur de oratione voluntaria etiam priuata, pro aliqua communitate & illius patribus, à qua oratione non est tibi licitum, aliquem, qui pars sit illius communitatis, excludere. Nam posito quod voluisti pro illa communitate orare, debes in oratione omnes comprehendere, neque aliquem absque rationabili causa excludere: nulla autem excogitari potest, quæ sufficiat ad honestandam hanc exclusionem. Ergo: An verò hæc exclusio sit peccatum mortale, vel solùm veniale si abest scandalum, neque fiat ex expresso animo vindictæ non definio. Vnum tamen est certum, te obligatum esse pro quolibet proximo etiam inimico orare, quoties tua oratione, extremè, vel grauiter indiget, & spem probabilem habes illi esse profuturam, & in iis consentiunt Lessius, Valentia, & Suarez *locis allegatis.*

PVNCTVM VII.

Quæ circunstantiæ seruandæ sint in oratione, vt vera & fructuosa sit, infallibilémque habeat effectum.

1 *Ad veram orationem voluntas saltem implicita requiritur.*
2 *Attentio expostulatur ad veram orationem.*
3 *Debent item peti, pia, honesta, & decentia.*
4 *Oratio opus est meritorium, satisfactorium, & impetratorium.*
5 *Proprius orationis effectus est impetratio.*
6 *Explicatur prima orationis conditio, quæ est petere vtilia ad salutem.*
7 *Declaratur secunda conditio, quæ est pietas in petitione.*
8 *Expenditur tertia conditio, quæ est perseuerantia.*
9 *Quarta orationis conditio declaratur, quæ est, vt quis pro seipso oret.*
10 *An stantibus supradictis conditionibus concedat Deus petitum ex iustitia? Resoluitur concedere ex fidelitate.*
11 *Declaratur, an oratio pro pluribus æquè prosit singulis, ac si pro singulis offerretur.*

1 VT vera oratio sit. Primò requiritur necessariò formalis, vel virtualis, seu implicita voluntas orandi, quod in oratione vocali manifestius est. Nam cùm oratio sit actus humanus & religiosus, necessariò supponit voluntatem liberam illum faciendi. Si enim legeres breuiarium animo solùm studendi, studium faceres, non orationes. Sic Nauarr. *c.13.n.14.* Suarez *lib.3. de orat. c.3.* Dixi requiri formalem vel virtualem intentionem; quia hæc virtualis, & implicita intentio sufficit, ficut etiam sufficit ad sacramentum conficiendum. Vocatur implicita intentio orandi, si habeas intentionem formalem alicuius quod in se orationem contineat: vt si habeas intentionem tuo muneri satisfaciendi, & ex hac intentione breuiarium assumas, diceres virtualem orandi intentionem habere, quia muneri tuo satisfacere in illis circumstantiis, est orare. Si autem expressam intentionem orandi haberes, & ex hac intentione breuiarium assumeres & recitares, etiamsi ab illa intentione formali cessares, adhuc virtualiter ex illa oras; quia ipsa virtualiter permanet dum permaner in aliquo affectu à se relicto neque ipsa est retractata, vt latiùs diximus tractatu de legibus *disput.1.punct.17.* & tradit in præsenti Suarez *lib.3.de orat. cap...n.6.*

2 Secundò ad veram orationem requiritur attentio. 1. quia oratio est locutio, at sine attentione aliqua formali, vel virtuali esse non potest humana locutio. Ergo: Item oratio est ascensio mentis in Deum, vt dixit Damasc. *lib.3.de fide c.24.* Augustin. *serm. 230.de temp. & lib. de spiritu & anima cap.50.* quod esse non potest absque attentione. 3. est cultus latriæ. Ergo requirit attentionem necessariò. Hæc autem attentio triplex est in oratione vocali: vt tradit D.Thom. communiter receptus *2.2. q.83 art.13.* Prima ad verba. Secunda ad illorum sensum. Tertia ad Deum. Ad veram orationem quælibet ex iis attentionibus sufficit. Vnde si minimam attentionem habes, qualis est attendere vt verba orationis absque errore dicantur; verè oras, quia verè profers orationem vocalem, cum intentione colendi Deum, mensque tua in Deum virtualiter eleuatur. Sic Suarez *lib.3. de oratione, c.4.n.8.* Valentia *disp.6.q.2.p.9. in princ.* Ex quo fit te orare, & cum fructu, etiamsi non percipias sensum, & significationem verborum quæ profers, quia profers verba laudes Dei continentia cum intentione Deum laudandi: ergo verè oras, sic Suarez *lib.2.de orat.cap.5. num.5.* & tradit Valentia *disputat.6. quæst.2. p.9.vers.3.*

Tertia circunstantia ad orationem requisita est pietas, quæ consistit in eo vt pia, honesta, & decentia à Deo petantur, & in finem honestum: aliàs, cultus Religionis non erit, & consequenter neque vera oratio. Colligitur ex Suarez *num.13.* & docet Valentia *suprà.*

4 Vt autem oratio fructuosa sit, eædem circunstantiæ intentionis, attentionis, & pietatis sunt requisitæ. An verò aliæ circunstantiæ requirantur? statim dicemus. Triplicem fructum oratio habere potest, meritum, satisfactionem, & impetrationem, hîc vltimus est proprius orationis. Nam meritum & satisfactio cuiuslibet operis virtuosi fructus est. Cùm ergo vera oratio inter opera virtuosa enumeretur, meritum, & satisfactionem habet. At quia nullum opus virtuosum mereri potest ex condigno præmium aliquod præsertim vitam æternam, nisi ab homine iusto procedat: vltrà supradictas conditiones, debet oratio vt meritoria sit, procedere ab homine in gratia existente. Sic D.Thom.2.2. *quæst.83.art.15.* Valentia *2.2.disput.6.quæst.2.p.4. vers.Non potest autem oratio.* Suarez *lib.1.de orat.cap.22. num.3. & num.4.* reputat probabile meritum de congruo inesse posse orationi peccatoris; quia decet Deum ob orationem humilem moueri ad beneficia aliqua peccatori conferenda. An autem ad satisfactionem requirat oratio similiter gratiam in operante? in materia de pœnitentia latiùs dicemus. Credo tamen nunquam habere virtutem satisfaciendi pro peccatis, si à peccatore procedat, nisi ad summum vt est pars integrans sacramenti pœnitentiæ.

5 Impetratio rei postulatæ est proprius, & natiuus fructus orationis. Quia oratio ad hunc finem tendit, vt per seipsam rogando scilicet, & postulando moueat & inclinet Deum, quem rogat vt postulata concedat. Sed quia in nulla oratione reperiebatur vis ad mouendum Deum, vt infallibiliter concederet petitum, ideò ipse sua se promissione voluit obstringi: vt hac promissione fructus, nos securos beneficij postulati redderet. Promisit namque petentibus debito modo concessurum postulata, Matth.7. *Petite & accipietis*, & Ioan.16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non enim promisit cuilibet postulanti se concessurum: cùm videamus multa à fidelibus etiam iustis peti, quæ tamen non obtinent. Signum ergo est non postulari debito modo; id est, cum illis conditionibus, quibus Deus se concessurum postulatæ permittit.

6 Difficultas ergo est. Quæ sint illæ conditiones? D. Thom. communiter receptus *2.2. quæst.83. art.15.* quatuor conditiones enumerat. Prima, vt petat necessaria, vel vtilia ad salutem. Secunda, vt piè petat. Tertia, vt perseueranter petat. Quarta, vt pro seipso petat. Sed an omnes hæ conditiones necessariæ sint? & qua ratione intelligantur? non est facilè explicatu.

Primam conditionem, quæ est, vt petat necessaria, vel vtilia ad salutem, omnes admittunt, quia illa petendo, petis quod à Christo approbatur, & eius voluntati est conforme. E contra verò, si ea, quæ petis ad salutem vtilia non sunt: non sunt secundùm voluntatem eius. Quia eius voluntas est de tua iustitia, & sanctificatione. Ergo hæc conditio necessaria est ad impetrandum infallibiliter, & fundatur in illis verbis Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* & 1. Ioan.5 *Quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos.* Hinc fit te non esse infallibiliter exaudiendum, si rem indifferentem nullo appositio honesto fine petas. Tum quia illa petitio non est oratio, siquidem non cedit in cultum Dei. Nullus enim cultus Deo exhibetur rem ab illo indifferentem vt talem postulando. Imò potiùs aliqua videtur illi fieri irreuerentia, cùm intendis & procuras, vt tibi rem illam inutilem concedat, & desiderium tuum inutile compleat. Non audet tamen Suarez (& benè *lib.1.de orat. cap.23.num.5.* affirmare peccatum esse graue talem orationem, in qua à Deo solùm petis rem indifferentem nullo appositio fine honesto. Quia quatenus à Deo procedere potest, nullam malitiam habet: esto illam habeat, quatenus à te postulatur: eo quòd debitum finem illi non adiunxeris.

7 Secunda conditio ad impetrandum necessaria, est pietas in petitione, quæ in eo sita est, vt cum fide, spe, & charitate petas. De fide, & spe constat ex illo Matth.21. *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis dicetis monti,* &c. & Iacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* De charitate colligitur ex illo Ioan.15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* & tradit D.Thom.2.2. *quæst.83. art.15.& 16.* Fides autem, quam habere debes, non est de con-

fecutione

secutione absoluta postulati, quia hanc habere non potes nisi ex speciali reuelatione. Sed est fides de consecutione postulati, si petitio habeat omnes conditiones, sub quibus à Deo promissa est infallibilitas petitionis. Idem de spe est similiter dicendum non esse necessariam spem certam, & securam de absoluta consecutione rei postulatæ, sed de consecutione illius, si petitio habeat conditiones ad infallibilitatem requisitas, ex quo fit non obstare huic fidei, & spei, te dubitare & timere rationabiliter, an postulatum sit concedendum? si talis dubitatio & timor non in infallibilitate diuinæ promissionis eiúsque liberalitate, sed in tua indignitate nitatur. Aduerto tamen aliquando esse fidem, & spem ita fermentem de consecutione rei postulatæ, vt magna ex parte pellat dubium, & timorem etiam ex tua in dignitate prouenientem. Vide Suarez *lib.*1. *de orat. lib.*24. Charitas non videtur necessariò petitionem comitari debere ad eius infallibilitatem, quia sæpè Deus orationes alicuius peccatoris exaudit: sicut exaudiuit illius publicani *Luc.*18. petentis peccatorum remissionem. Video tamen dici posse exaudire Deum aliquando peccatoris orationem, non quia sic promiserit, sed quia sic vult pro sua benignissima misericordia. Nihilominus quia locutiones scripturæ generales sunt, & indicant ipsam orationem hanc virturem habere: ideo verosimilius est non solùm orationi iusti, sed etiam peccatoris, promissum esse fructum, si reliquas conditiones habeat. Probat sanè locus ille Matth.7. vbi inquit Christus Dominus: *Omnis enim qui petit, accipit. & qui quærit, inuenit*; in quo nulla distinctio iusti à peccatore facta est. & *Luc.*11. sub parabola illius, qui nocte ab amico suo petiuit, declarauit peccatorem petentem à Deo sibi necessaria consecuturum esse, si non ob amicitiæ titulum, quam non habet, ob perseuerantem petitionem, quam adhibet. Et fuit ratio, quia nostra petitio non habet efficacitatem, ex dignitate personæ orantis, sed ex benignitate Dei, ad quem refertur; cùm ergo Deus se benignissimum ostendat peccatores orationes exaudiens, dicendum est sic promisisse exauditurum. Et ita tradit Chrysostomus in Matth. *hom.*18. Augustt. *tractatu* 4. in Ioan. Basilius *in constitut. mon. cap.*17. D. Thom *quæst.*83. *art.*16. Valent. *disp.*6. *q.*2 *p.*6. *circa principium*. Quòd si obiicias illud *Isaiæ* 1. vbi orationi multiplicatæ negatur auditus ob nullam aliam rationem, nisi quia *manus* orantis *sanguine*, id est, peccatis *plenæ sunt*. & *Psal.*69. agnouit Dauid se non esse exaudiendum, si iniquitatem aspexerit in corde suo. Facilè respondetur primò non esse exaudiendum peccatorem ex misericordia, qui vt talis postulat: hoc est, qui postulat, vel mala, vel ob malum finem, iuxta illud Iacobi, *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis*, &c. Dixi non esse exaudiendum ex misericordia peccatorem sic postulantem, quia aliquando exauditur ex ira, vt rectè ponderat Augustt. *tract.*73. in Ioan. *Metuendum est* (inquit) *ne multa, quæ posset Deus, non dare propitius, det iratus*. Adde verisimile esse peccatorem non esse exaudiendum, si non oret animo exeundi à peccato: quia aliàs diuinam Maiestatem videtur irridere, cùm velit obtinere beneficium ab eo, quem in animo habet contemnere. Requiritur ergo vt oratio peccatoris exaudiatur, vt voluntatem aliquam habeat relinquendi peccatum.

8 Tertia conditio ad orationis infallibilitatem est illius perseuerantia, quam sæpè scriptura commendat *Lucæ* 18. *ad Rom.* 12. & 1. *Thessal.*5. & *Iacobi* 5. & *alibi*. Sæpè enim Deus petita negat cùm primò postulantur; quæ tamen postea concedit, cùm orationibus vrgetur; quia sic desiderium nostrum crescit, & beneficium magis æstimatur, quia nescimus, qualiter nobis conueniat petitum. Aliquando enim ad primum pulsum ostium aperitur, & petitum conceditur: aliquando bis, & sæpè oportet pulsare, & petere vt concedatur. Vnum tamen est omnino certum vt bene aduertit Suarez *lib.*1. *de orat. cap.*26. *num.*3. Si res, quæ petitur, spiritualis est, semper petitionem habere bonum aliquem effectum. Nam licèt rem postulatam non obtineat tamen eam, quæ petenti prodest. Vt si petat (inquit Suarez suprà) amoueri à se tentationem aliquam: si non obtinet vt neque Paulus obtinuit, obtinet tamen, vel illius diminutionem, vel victoriam, vel ne aliis tentationibus grauioribus vrgeatur.

9 Quarta conditio infallibilitatis orationis expostulata à *D. Thom.* est, vt quis oret pro seipso, fauétque D. Augu. *tract.*102. in Ioan. expendens illud Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Nihilominus satis probabile est ex hac parte, non reddi orationem inefficacem. Primò, quia aliis in locis est facta absoluta promissio absque tali limitatione Matth. 7. *Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit*, &c. Ioannes 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam*. Secundò, quia ea, quæ aliis donantur ob tuam petitionem, tibi dicuntur donari, iuxta illud Pauli Act.27. *Ecce donauit tibi Deus* (dixit Angelus Paulo) *omnes, qui nauigant tecum*. Tertiò, quia hac vita commendatur diuina misericordia, liberalitas, & benignitas, cùm non solùm audiat orantem pro se, sed etiam pro aliis. Quartò, excitamur ad charitatem mutuam exercendam, cum sciamus posse nos postulata efficaciter consequi, æquè pro aliis ac pro nobis, si ex parte aliorum non sit resistentia: hoc enim semper requiritur, sicut etiam requiritur cùm pro nobis petimus, & ita docet Toletus in Ioan. *cap.*16. *annotat.*30. *fauet* Valentia *disp.*6. *quæst.*1. *p.*4. *circa finem*. Suarez *lib.*1. *de orat. cap.*27. *num.*2.

10 Sed inquiris primò, an stantibus iis conditionibus concedat Deus petitum ex iustitia? Affirmat Ioannes Medina *tract. de orat. quæst.*18. *in fine*, & mouetur. Quia Deus promisit rectè petenti se concessurum postulatum. Ergo de iustitia. Quia iustitia petit vt vnicuique ius suum seruetur: sed quilibet petens rectè ius habet fundatum in diuina promissione obtinendi, quod postulat. Ergo. Nihilominus dicendum est, non concedere Deum ex iustitia, sed ex fidelitate, quæ à se rectè postulantur; quia petitio est solùm conditio, vt promissio habeat effectum, & vt talis expostulantur, non autem expostulatur, vt opus recompensandum postulati concessione. Ad obligationem autem iustitiæ necessarium erat, vt Deus postulata concederet in recompensationem petitionis sicuti concedit gloriam in recompensationem meritorum. Cùm ergo non in compensationem petitionis petitum concedat, sed petitionem postulet, vt conditionem suæ promissionis, efficitur non obligari ex iustitia, sed solùm ex fidelitate. Quod exemplo humano est manifestum. Si enim promitteret dare eleemosynam cuilibet pauperi à te petenti, vt sic tua peccata redimeres; non ideò obligatus esses de iustitia implere, sed solùm ex fidelitate, seu religione in Deum. Valentia 2.1. *disp.*6. *quæst.*2. *p.*4. *post medium. versic. sed ad maiorem declarationem*. Suarez *lib.*1 *de orat. cap.*27. *num.*4.

11 Secundò inquires. An oratio oblata pro pluribus æquè prosit singulis, ac si pro singulis offerretur? Et quidem quoad satisfactionem, cùm limitata sit, manifestum est non æquè prodesse. Quoad impetrationem verò, cùm hæc in benignitate infinita Dei, eiúsque promissione fundetur, dubium est. Probabilius existimo non æquè prodesse, sic Nauarr. *de orat. cap.*20. *num.*48. Couar. *cap. Alma mater* 1. *p.* §. 5. *num.*9. Azor. *tom.*1. *lib.*1. *quæst.*7. Suarez *lib.*1. *de orat. cap.*27. *num.*6. Medina *Cod. de orat. quæst.*21. Probo primò: Quia esto impetratio in benignitate, & misericordia diuina principaliter fundetur; fundatur etiam in congruitate ipsiusmet petitionis, quòd abundè conuincitur ex eo, quòd feruens oratio aptior est ad impetrandum, quàm tepida; sed petitio pro pluribus applicata non æquè congruit singulis, ac si pro singulis esset; quia singuli in petitione illa communi, confusè & indistinctè intelliguntur. Secus in petitione speciali. Secundò, quia Ecclesia sæpè orat pro aliquo peccatore speciali, quod non esset consultum, si orando pro omnibus peccatoribus æquè illi prodesset.

Punctum VIII.

An oratio sit ad salutem necessaria & quando?

1 *Probatur ad salutem necessariam esse.*
2 *Pro quo tempore hoc præceptum obliget? Proponitur ratio dubitandi.*
3 *Resoluitur arbitrio prudentis remittendum esse tempus huius obligationis.*
4 *Quâ ratione in aliis casibus hæc obligatio subsistat.*
5 *Satisfit rationi dubitandi num.*2. *posita.*
6 *An omittens orationem, cùm tentationi vincendæ necessaria est, duplex committat peccatum.*

1 OMissis hæreticorum erroribus, negari non potest orationem esse vtilem & conuenientem. Nam licèt Deus ab æterno omnia, quæ facienda sunt in tempore, statuerit; ea sæpè statuit fieri ex præuisa oratione, quæ successu temporis habenda erat. Esse autem necessariam ad salutem omnibus adultis (nisi breui tempore vitam finiant) clarè constat ex pluribus scripturæ locis, præcipuè ex illo Matth 26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*, id est, vt tentationi non consentiatis. Cùm ergo in vita plures tentationes omnibus occurrant, oratio ad illas vincendas necessaria reputatur. Item ad Ephes. 6. *Galeam salutis assumite per omnem orationem, & obsecrationem orantes*. & 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate*, id est, quantum fieri potest. & Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini*, & alibi sæpè; quæ omnia ita repetita indicant sanè necessitatem. Probarique potest hac ratione. Omnibus enim adultis ad habendam gratiam, & perseuerandum in illa est necessarium speciale auxilium Dei, vt definit Trident. *sess.*6. *de iustificat. can.* 22. Sed hoc auxilium potuit Deus statuere non dare indigentibus, nisi ipsi ab illo petant. Ergo tunc petitio necessaria erit. Quod autem sic statuit, satis colligitur, tum ex commendatione orationis ita sæpè facta, tum quia ita videbatur conueniens, vt quis diuinam excellentiam, & suam indigentiam cognosceret. Tum ex illo Matth. 7. *Vbi petens accepit. & pulsanti aperitur, & qui quærit, inuenit*. Tacitè inde insinuatur non petenti nihil concedi, non pulsanti non aperiri, neque inuenire, qui non quærit. Si enim malè petenti denegatur petitum, iuxta illud Iacob. 4. *Petitis, & non accipitis eo quod malè petatis*, etiam denegari debet nihil petenti, sic D. Thom. *quæst.*83. *ar.*3. Suarez *lib.*1. *de orat. cap.*28. *num.*3. Valentia *disp.*6. *quæst.*2. *p.*3. vbi ex sententia plu-

rium

rium Sanctorum veritatem exornat. Lessius *lib.2.cap.32. dub.3. num.* 10. Aduertendum tamen est hanc orationem pro diuino auxilio obtinendo, non esse ita necessariam, vt semper Deus ad concedendum quodlibet auxilium illam exigat. Id enim falsum est, cum sæpè ex sua benignitate nobis non petita concedat. Sed dicimus necessariam esse ad obtinendam perseuerantiam in gratia longo tempore. Quia hæc sine victoria plurium tentationum vrgentium, & sine speciali & continuo Dei auxilio esse non potest.

Hinc que oritur ratio dubitandi. Quónam tempore præceptum orandi obliget? Videtur enim semper & omni tempore obligare, aut nunquam. Si enim hoc præceptum ex verbis Scripturæ colligendum est (vt verè colligi debet) continuò & incessanter obligat. Dixit enim Dominus Lucæ 18. *Oportet semper orare*: & Paulus 1. ad Thessal. *vlt. Sine intermissione orate*; & ad Colossl. 4. *Orationi instate.* Item Matth.7. dixit Christus, *Petite & accipietis*: Ergo ad recipiendum quodlibet beneficium saltem supernaturale necessaria est oratio; vel si ad aliquod necessaria non est, neque ad vllum necessaria erit. Quia non est vnde colligatur necessitas pro vno beneficio potius quàm pro alio. Matth.26. dixit Christus, *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*: Ergo pro obtinenda victoria cuiuslibet tentationis necessaria est oratio, vel pro nulla. Adde Christum Dominum nullum speciale præceptum reliquit, præter ea quæ ad fidem & sacramenta pertinent. At fides esse potest absque oratione, cum ad bene orandum iam fides præsupponatur: sacramenta autem recipi possunt absque eo, quod recipiens specialem orationem fundat. Ergo ex præcepto Christi speciali oratio necessaria non est. Restat ergo, vt solùm sit necessaria ex præcepto diuino naturali: Hoc est annexo ex diuina institutione gratiæ ad beatitudinem necessariæ. Sed hoc non apparet, quo fundamento firmo dici possit. Nam ad recipiendam primam gratiam in adultis (de quibus solùm est dubium) oratio non videtur necessaria: siquidem eo ipso, quo adultus diuino auxilio supernaturali munitur, eliciat contritionem, iustificabitur. Sed hoc auxilium dari potest, & sæpè datur absque petitione recipientis illud, vt contingit cum inuincibiliter petitionis oblitus de grauitate culpæ propter Deum dolet. Ergo. Ad conseruandam autem gratiam semel receptam, non videtur petitio necessaria, tum quia hæc conseruari potest, etiamsi grauissima tentatione molesteris; tum quia auxilium ad illius conseruationem absque petitione ex sola misericordia Dei sperari potest: tum & præcipuè, quia si pro conseruatione gratiæ necessaria est oratio, signandum est tempus huius necessitatis, quia aliàs culpabilis non erit quælibet omissio, cùm pro quolibet signato tempore dicere possit, non esse illud tempus determinatum ad implendam hanc obligationem.

3. Nihilominus tamen recedendum non est à communi sententia, quæ affirmat tempus huius obligationis non esse quodlibet instans vitæ, siue physicum siue morale, vt aliqui hæretici dixerunt prout refert illos D. Augustinus *hæres. 57.* quia hoc est regulariter hominibus impossibile: Sed tempus huius obligationis arbitrio prudentis determinandum esse, ita vt aliquoties in vita huius obligationi satisfacias, neque permittas multùm differri. Censeo tamen dilationem huius mensis grauem esse. Nam cùm singulis diebus tot tentationes occurrant, tot pericula adsint gratiæ admittendæ, auxiliúmque diuinum necessarium sit ad hæc omnia superanda, si pro vno mense omittas à Deo petere, meritò periculum incurris illo carendi, saltem quod efficax sit. Sic docet Suarez *lib.1.de orat. cap.vlt. num.16.* Lessius *lib.2.de iustitia, cap.37.dub.3.num.12.* Aduertunt tamen Suarez, & Lessius, & Valentia 2.2.*disput.6.quæst.2.p.3.in fine.* neminem nisi omninò perditum omittere huius obligationis executionem cum tantissimus sit, qui integro mense abstineat ab oratione.

Præter supradictum tempus huius obligationis, aliqui euentus enumerantur à Doctoribus, in quibus videris obligatus orare. Primò, cùm grauissima vrget tentatio. Secundò, cùm opus arduum aliquod aggrederis. Tertiò, cùm te contritione vel sacramento ad gratiam vis disponere. Quartò, cùm proximus in periculo peccandi versatur, neque consilio aut alia via auerti potest. Sic Lessius & Valentia *suprà*, & ex parte consentit Suarez *num.17.* His addit Sylvester *Verbo oratio. quæst.8.* cum primùm incipit orationem vti, quia tunc ad Deum se debet conuertere, ac proinde ipsum orare, vt te ad conuersionem disponat. Secundò, cùm audis sacrum ex obligatione, quia tunc saltem teneris orantibus assistere, & mediis illis orare. Probabilis est obligatio in his euentibus, sed quia durum est obligationem præcepti toties multiplicari; ideò existimo æqualiter suprædicta temperanda esse. Et quidem si agnoscis te vrgeri grauissima tentatione, quæ te in periculo consentiendi constituit, ad cuiúsque victoriam (moraliter loquendo) extraordinario Dei auxilio indiges; omninò credo te ex charitate obligarum esse orare, & petere à Deo tale auxilium quia debes apponere medium conueniens ad illius impetrationem; aliàs valde negligens eris tuæ salutis. Sic Lessius, Valentia & Suarez *suprà*. Idémque, & eadem ratione dicendum est de opere aliàs arduo, & difficili, vt de martyrio. Tertius casus regulariter verus non est, vt dicit Suarez *dicto cap. vlt. num.17.* quia ex cogitatione diuinæ offensæ auxilio ordinario adiutus te ad recipiendam gratiam potes disponere, quin petitione aliqua præueniaris. Quartus casus de necessitate proximi verus est, si moraliter exilissimas nullas alia via præter orationem ei subuenire posse, & orationem habituram effectum. Quia ex charitate proximo debita teneris, eius bonum spirituale procurare, cùm facile possis, alias non teneris. At ratiò hæc contingent, sic Lessius *lib.2.cap.37.dubio 3.num.12.* cum Nauar. *lib.de orat cap.3.num.14.* Non tamen requiritur, vt certò cognoscas orationem profuturam, sufficit si cum magna probabilitate id opineris. Suarez *lib.1. de orat. cap.vlt.num. vlt.*

Casus tamen relati à Sylvestro minorem probabilitatem habent. Nam de instanti vsus rationis reiciendus est. Tum quia illa obligatio de conuersione ad Deum in primo instanti vsus rationis non est adæquatè firma. Tum quia illa esse potest absque oratione. Quæ enim repugnantia inueniti potest in eo, quòd excitatus per fidem moueatis immediatè ad volitionem seruiendi Deo, ciúsque præcepta implendi, excitari autem per fidem, priusquam conuenienter ores, videtur necessarium, quia orationem fides antecedit iuxta illud Pauli à Rom. 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt.* Alius verò casus de præcepto audiendi Missam non est ad rem, quia in præsenti non inquirimus de obligatione orationis publicæ, sed priuatæ & personalis. Concedo namque te satisfacere obligationi publicæ orandi pro populo, si sacro assistas cum debita attentione, & reuerentia: at nullo modo satisfacis obligationi priuatæ orandi, cum vrget tentatio, & in periculo peccandi constitutus es, & in aliis euentibus. Hæc enim priuata oratio pro cuiuslibet necessitate imponitur, quæ cùm diuersa in singulis reperiatur, diuersum tempus expostulat: ac proinde non erat conueniens, vt solùm tempus sacrificij quod omnibus commune est, omnes obligaret. Nota te sæpè ab obligatione in suprædictis casibus contingente excusari, quia obligationis inuincibiliter obliuiscaris, cùm nec cognoscas grauitatem tentationis, nec periculum, nec orationis necessitatem. Sic Valent. 2.2.*disp.6. q.2.punct.3. fin.* Less. *lib.1. c.37.dub.3. n.12.* Suar. *lib.1. de orat. c.30. n.18. fine.*

5. Ad rationem dubitandi respondeo obligationem orationis deduci ex verbis Christi iuncta explicatione Scholasticorum & Patrum, ex quibus constat illis verbis, sine intermissione, semper, continuò, solùm iudicare frequentiam orationis, non physicam & realem continuationem. Castro *verbo oratio hæres.* 2. Suarez *lib. 1. de oratione cap. 30. num.7.* Valentia 2. 2. *disp.6. quæst.2. p. 9. circa finem.* Quæ autem frequentia sub præcepto contineatur, explicuerunt Doctores, & præcipuè declararunt, pro obtinendo auxilio ad perseuerandum in gratia, vincendámque periculosam tentationem esse orationem necessariam; ne temeritatis & superbiæ arguaris spernens diuinum auxilium tibi esse concedendum negligens à Deo petere.

6. Sed inquiris an omittens orationem, pecces, non solùm contra illam virtutem, ad cuius conseruationem oratio necessaria reputabatur, sed etiam contra religionem. Verbi gratia, vrgeris tentatione periculosa aduersus castitatem, omittis orationem, qua debebas obtinere à Deo auxilium ad tentationem vincendam: succumbis, peccásne solùm contra castitatem, seu etiam contra religionem? Lessius *lib.2. cap.37. dub.3. in fine*, videtur existimare solùm contra castitatem te esse peccaturum, quia solùm ex periculo violandi castitatem culpabilis existit omissio orationis. Cæterùm credo satis probabile esse, te non solùm contra castitatem, sed etiam contra religionem peccare. Cùm enim quælibet virtus sua tempora determinata habeat, in quibus obliget, & religio obliget ad exhibendum Deo cultum media oratione, & petitione tempore necessitatis propriæ, & alienæ, efficitur sanè te peccaturum aduersus religionem, si illo tempore orationem omittas. Sic Suar. *lib.1. de orat. c.29. à num.8.* cum D. Thom. *q.88. art.3. ad 2.*

DISPVTATIO II.

De speciali oratione ab Ecclesia instituta horarum Canonicarum.

HVCVSQVE de iis, quæ pertinent ad orationem in communi sermonem fecimus; restat agere de speciali oratione ab Ecclesia instituta, quæ diuinum officium vocatur. Neque animus est immorati in probanda illius institutionis conuenientia, cum satis per se nota sit. Quid enim aptius excogitari poterat ad Deum laudandum, gratias referendas, mentem instruendam, quàm canonicum officium; quod plenum est verbis ab Spiritu sancto dictatis, sanctorum Patrum sententiis & exemplis, & tam admirabili ordine dispositum, vt inde solùm colligi possit Spiritu sancto inspirante compositum esse. Eáque de causa vocatur diuinum officium, quia nihil eo postulari

potest

potest diuinitati congruentius, nihil magis pium & religiosum; quàm iis precibus Deum, laudare & honorare. Appellatur item Horæ canonicæ; quia certis horis recitandum est iuxta canonicas sanctiones. Dicitur pensum, quia ad illud recitandum obligantur clerici quasi ad pensum & tributum soluendum. Appellatur tandem Breuiarium, quia est summa & compilatio eorum, quæ ad laudem Dei, & gratiarum actionem, & nostram institutionem pertinere possunt. Vide de iis omnibus Bellarminum *tom.4. controuers. tit. de bonis operibus lib.1. cap.10.* Valentiam *2.2. disp.6. q.2. p.10. §.1.* Less. *lib.2. cap.37. dub.8.* Bonac. *de horis canonicis disp.1. q.1. p.1. propositione 1.* Suar. *lib. 4. de orat. c.3. & sequentibus.*

Vt autem cum distinctione in hac disputatione procedamus primò examinandum est, quæ personæ obligentur ad hanc orationem? Secundò quid sit recitandum? Tertiò. Quomodo recitandum sit? Quartò. Quo tempore, & quo loco? Quintò. De grauitate huius obligationis? Sextò. Quæ causæ ab hac obligatione excusent? Septimò. Quæ pœnæ sint appositæ non recitantibus?

PVNCTVM I.

Quæ personæ obligentur horas Canonicas priuatim dicere.

OMnes conueniunt Clericos in maioribus ordinibus constitutos, beneficiatos, & religiosos professos, choro ex professione deputatos, obligatos esse horas canonicas singulis diebus recitare: sed vnde hæc obligatio nascatur, an ex iure naturali & diuino, an positiuo scripto, an solùm ex consuetudine aliqua, est controuersia. Dicendum tamen est ad has horas determinatè recitandas ex iure diuino nullam esse obligationem. Suarez *tom.2. de relig. lib.4. de orat. cap.16. num.2.* Azor. *1.p. lib.10. c.4. fine.* Quia licet clerici, beneficiati, & religiosi specialem obligationem habeant orandi pro populo, vt verè habent, non tamen habent ex iure diuino obligationem orandi hac speciali forma, quæ non à iure diuino, sed ab Ecclesiastico facta est. At quia Ecclesia habet specialem obligationem orandi, determinauit has preces, ideò aliquo modo dici potest ex iure diuino obligari. Posito ergo ex iure diuino esse obligationem, videamus quæ & qualis sit. Et claritatis gratia. Primò, dicamus de Clericis. Secundò, de Beneficiatis. Tertiò, de Religiosis.

§. I.

Expenditur Clericorum obligatio.

1. *Omnes Clerici in sacris hanc habent obligationem.*
2. *Clerici in minoribus constituti hac non tenentur, ratione inquam ordinis.*
3. *Proponitur sententia & argumenta, quibus probatur non posse Episcopum clericis sua diœcesis hanc obligationem imponere.*
4. *Probabilius est imponere posse.*
5. *Nullibi creditur esse impositum, & quid de obligatione recitandi orationes tempore ordinationis impositas.*

ET quidem Clericos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos hanc obligationem sub graui culpa habere ex iure positiuo communis fert sententia. De Presbyteris probat textus *in cap. Presbyter, de celebratione Miss. rum* ibi, *Presbyter mane matutinali officio expleto pensum seruitutis sua canendo primam, tertiam, sextam, nonam vesperamque persoluat.* De Diacono & Subdiacono probatur ex *cap. Dolentes, eodem titulo de celebratione Missarum*, vbi præcipit Innocentius III. cum Concilio generali Prælatis, & minoribus clericis in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum Officium nocturnum pariter & diutnum quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & deuotè. Idem etiam probatur *ex cap. siquis presbyter 92. d.* ibi, *Si quis presbyter aut Diaconus, vel quilibet clericus Ecclesia deputatus, si intra ciuitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis, ad Ecclesiam non conuenerit, deponatur à clero; si non castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem voluerit promereri.* Verùm huiusmodi textus aliqui infirmant dicentes, ex illis non conuinci clericos in sacris obligatos esse ad officium diuinum priuatim recitandum. Nam *cap. Presbyter*, solùm de sacerdote rectore Ecclesiæ loquitur. *cap. Dolentes.* non exprimit satis, qui clerici sint illi minores, potetant enim intelligi de presbyteris rectoribus, qui sine dubio minores clerici sunt comparatione prælatorum. *Cap. 5. Si quis presbyter*, loquitur de clericis alicui Ecclesiæ deputatis & de officio publico, & de obligatione illud dicendi in Ecclesia. Quapropter Nauar. *de horis canonicis, c. 7. à num.2.* Azor. *1.p lib.10. cap 5 quæst.1.* Suar. *lib.4 de oratione cap.16. num. 9.* quos alij sequuntur, dicunt ex iure scripto non satis conuinci hanc obligationem pro omnibus clericis in sacris constitutis: sed illam ex consuetudine firmatam esse, & hoc sufficit. Præterquam quod Concilium Basilense *sess.21.* expresè supponit hanc obligationem, quod Concilium quoad causas beneficiales & censuras, & articulos contra hæreticos definitos approbatum fuit. Adde sessionem illam fuisse ante schisma, vt notauit Vasquez *de benef. cap.4.§.1. dub.1.* Aduerto tamen debere hos clericos ordines suscepisse sponte, non coactè, quia hæc obligatio annexa est ordini sponte sucepto. Sic Nauarr. *cap.22. num.51. ad finem*, Emmanuel sà *verbo. ordo, tit.24.* Sanchez *lib.7. de impedimentis disp.29. num.7.* si tamen liberè vtatur ordine accepto, tunc ad omnia illi annexa obligatur, quia per illum vsum liberum ratificat ordinem; sic Sanchez *supra num.9.* cum aliis. Et idem est dicendum de ordinato in sacris ante pubertatem, vt idemmet Sanchez probat *disp.30. num.10.* præcipuè *num.12. 13. &c.*

Clerici verò in minoribus constituti ex recepta fere omnium sententia hac obligatione non tenentur, neque ad Psalmos, neque ad officium Beatæ Virginis, neque ad Canticum gradum. Ita Vasquez *dub.2.* Lessius *lib.2. cap.37. dub.9. n.46.* Neque obstat textus *in cap. Si quis presbyter 92. d.* vbi de quolibet clerico Ecclesiæ deputato cauetur obligatum esse ad horas canonicas dicendas. Non inquam obstat, nam loquitur de clerico Ecclesiæ deputato per beneficium, non per ordinem, quia si de deputatione, quæ ex præcisa ordinatione procedit, loqueretur; sufficeret dicere, *quilibet clericus* absque additione illorum verborum *Ecclesiæ deputatus.*

An autem Episcopus possit hanc obligationem iis clericis suæ diœcesis imponere? Negat Soto *lib.10. de iustitia quæst.5. art.3.* Valentia *2.2. disp.6. quæst.2.p.10.§.2.* Azor. *lib.10. cap.5. quæst.4.* Lessius *lib.2. cap.37. dub.9. num.46.* Suarez *lib.4. de oratione cap.16. in fine.* Mouentur primò; Quia non videtur licere Episcopo onus perpetuum ordinatis imponere, quod non est à Pontifice impositum. Quia non licet ipsi grauare clericos suæ diœcesis specialiùs absque speciali causa quæ in præsenti non apparet. Secundò; Non licet Episcopo, tempus & ætatem ordinandorum immutare postulãdo ætatem pro subdiaconatu, quæ petitur pro diaconatu, & pro diaconatu, quæ petitur pro presbyteratu, & pro presbyteratu, quæ petitur pro Episcopatu. Ergo neque licet hanc libertatem, quam ordinati in minoribus obtinent, non recitandi horas canonicas, tollere. Limitant Azor. & Suarez hãc sententiam, vt intelligatur de ordine perpetuo & ordinationi annexo. Nam à temporali affirmant ab Episcopo imponi posse. Non enim extra potestatem Episcopi est, quod non possit ordinatos in minoribus obligare, vt bis vel ter officium diuinum dicant. Vt sic aliquo modo intelligant se disponi ad obligationem, quam successu temporis debent subire, si ordines maiores recipiant.

Nihilominus tamen credo probabilius posse Episcopum hanc obligationem clericis suæ diœcesis imponere. Sic docet Nauar. *de horis canon. cap.7.* Bonacina *disp.1. de hor. can. quæst.2.p.3. num.2. vers. Addo.* Ratio est, quia hoc præceptum non derogat legem vniuersalem, & ex alia parte est de re honesta, & quæ potest ab ordinatis impleri. Ergo nulla est causa, ob quam Episcopo negetur potestas hoc præceptum imponendi sibi subditis, consequentia est legitima. Antecedens probo. Nulla enim est lex vniuersalis, quæ positiuè hos clericos eximat ab obligatione, sed solùm lex, quæ de his horis recitandis fertur, quæ illos non comprehendit. Ergo impositio huius obligationis non contradicit alicui legi vniuersali. Deinde est obligatio de re honesta, vt constat, & quæ facilè potest ab ordinatis impleri, si sint in ætate ad beneficium requisita constituti: sicuti possent & deberent si beneficiati essent: ergo. Adde consuetudine introduci posse hanc obligationem, fatetur Lessius, & Suarez, & Azor. Ergo ex authoritate Episcopi, quæ inferior non est authoritate clericorum consuetudinem introducentium. Neque obstant contraria. Concedo namque Episcopum singulariter grauare clericos suæ diœcesis absque speciali causa, sed hæc contingenter & rarò inueniri potest. Esset autem causa sufficiens, si videret expedire esse ad frenandam Clericorum distractionem hoc onus illis imponere. Ad secundum, concedo non posse Episcoporum limitare, neque extendere tempus, & ætatem ordinandorum, quia derogaret legem vniuersalem tempus & ætatem determinantem: bene tamen posse imponere clericis hoc onus, quia in hac impositione nulla legis fit derogatio. Sicut nullam legem derogat Episcopus cùm præceptum de nouo facto seruando in sua diœcesi imponit.

5. Cæterùm etsi hoc ita sit, nullibi credo tale præceptum neque consuetudinem esse. Immo probabile existimo, cum Episcopus ordinandis iniungit aliquos Psalmos & Litanias recitare, nolle sub graui culpa obligare, sed ex quadam honestate & decentia; sic docet Soto *lib.10. quæst.3. art.3.* Valent. *disp.6. quæst. 2. p.10. §.2. in principio*, vbi dicit hos ordinatos non teneri ex iure diuino, aut naturali magis quàm laïcos ad aliquid specialiter recitandum. Consentit Lessius *l.4. de or. c.16. num.14.* Sufficienter enim suo muneri satisfaciunt, si Ecclesiæ in gradu accepto deseruiant:

§. II.

§. II.

Expenditur obligatio beneficium habentium.

Beneficiati omnes hanc sustinent obligationem,
2 *Sub beneficio comprehenditur in præsenti præstimonium.*
3 *Item capellania collativa.*
4 *Comprehenditur commenda.*
5 *Vicaria beneficij probabile est non comprehendi.*
6 *Pensio in præsenti à ratione beneficij excluditur.*
7 *Item coadiutoria cum futura successione.*
8 *Beneficium cuius fructus sunt exigui, qui defendunt, & quibus probent non obligare ad recitationem.*
9 *Probabilius est oppositum.*
10 *Aliqua inferuntur notabilia ex superiori doctrina.*
11 *Beneficium cuius fructus tua culpa non recipis, te obligat recitare.*
12 *Idem si pro aliquo tempore copiosos non accipias.*
13 *Idem iuris est si speras accepturus.*
13 *Item si beneficium accipias ex resignatione, cum obligatione satisfaciendi eius muneri tametsi fructus non recipias.*
15 *Quid de beneficio nullam administrationem requirente?*
16 *Si ex fraude aut vi impediaris fructus recipere, non teneris recitare.*
17 *Limitat* Suarez, *si in perpetuum fructibus prioueris.*
18 *Limitatio non admittitur.*
19 *Quid de consuetudine Ecclesiæ non recipiendi primo vel secundo anno vllos fructus? Defenditur vt probabilius obligationem esse recitandi.*
20 *Titulum beneficij cum spe possessionis & fructus obligare, qui sentiant.*
21 *Negant alij.*
22 *Qui defendant requiri pacificam possessionem.*
23 *Si tua culpa possessionem non accipis, obligaris.*
24 *Quomodo obligeris habens possessionem beneficij litigiosam.*
25 *Habens solum titulum & impeditus à possessione ob causam sibi inuoluntariam non obligatur.*
26 *Habens plura beneficia debeat ne pluries recitare? proponitur ratio dubitandi.*
27 *Certum est vnica recitatione fieri satis.*
28 *Habens beneficium & pensionem satisfacit horas canonicas recitans.*
29 *Supradictus beneficiatus, vel beneficiatus & sacerdos omittens officium diuinum vnum tantùm peccatum committit.*
30 *Impedienti iniustè aliquem à beneficij consequutione non obimde tenetur recitare.*

1 Secundum genus personarum, quæ obligantur ad horarum recitationem sunt, beneficia siue Curata siue simplicia habentes. Constat ex Concilio Lateran. sub. Leone X. *sess. 9. de reformatione Curiæ, §. statuimus quoque & ordinamus,* & ex motu quodam Pij V. qui est 1338. iliius Pontificij, editio an. 1572. duodecimo Kalen. Octob. quem refert Nauar. *sum. cap. 25. num. 122.* & Bonacina *de horis canonicis disp. 1. q. 5. p. 1.* debet tamen, qui habet beneficium liberè recepisse, non coactè, vt de ordinato diximus. Quare non obligabitur ad horas ob coactam receptionem beneficij, nisi velit stipendio illius frui, quia tunc ratione illius voluntatis remittit coactionem. Vt benè Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 31. num. 174.* Hoc posito circa hanc obligationem aliquæ difficultates enodandæ sunt.

Prima. Quid nomine beneficij intelligatur? Respondeo. Clarum est intelligi Episcopatum, Rectoriam, Canonicatum Dignitatem, Præposituram, & similia. Quia hæc nullus dubitat verè & propriè beneficia esse. Sed de Præstimoniis, Capellaniis, & Vicariis, & Pensionibus, & Coadiutoriis est solùm dubitatio. De iis ergo.

2. Dico primò. Sub nomine beneficij ad hunc effectum comprehendi, Præstimonia, quæ sunt portiones quædam ex beneficij redditibus deductæ, & adolescentibus assignatæ vt sustententur in studiis, & sic eruditi tandem possint Ecclesiæ deseruire. Nam licèt probabile sit beneficia propriè esse, non tamen est probabile ad officium canonicum non obligare. Quia ad hunc effectum sub beneficiis ea comprehendit Pius V. in sua Constitutione, vt constat ex illis verbis *Declarantes præstimonia, præstimoniales pensiones, & qualiacumque alia beneficia etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi,* & notauit Vasquez *opusculo de benef. c. 4. §. 1. dub. 3. in principio.* Franciscus Suarez *de horis canonicis lib. 4. c. 22. n. 10.* & alij communiter.

3 Secundò, dico comprehendi capellaniam collativam, id est, quæ authoritate Episcopi erecta est, & ab ipso confertur, etiam si ex patrimonio laicorum sit institura, & ipsis nominatio seu præsentatio reseruata. Quia habet omnes qualitates ad beneficium requisitas. Scilicet conferri à Prælato & personæ Ecclesiasticæ, & ad officium Ecclesiasticum, sic Vasquez *supra dub. 3. num. 9.* Suarez *num. 11. & sequentibus.* Bonacina *disp. 1. de horis can. quæst. 2. p. 4. num. 6.* Azor. 1. *p lib. 10. c. 3. quæst. 5.* Garzia *de benef. 1. p. c. 2. num 81.* Quod etiam verum habet, etiam si hæc capellania sit ad nutum amouibilis. Et generaliter de quodam beneficio manuali (vt vocant) idem est dicendum. Nam pro illo tempore, pro quo capellaniam habes, habes ius percipiendi fructus; ac proinde dici debes habere beneficium ad huiusmodi effectum. Adde tale ius perpetuum esse ex se, quia pro nullo tempore terminato confertur, etiamsi secluſa forma impediri possit. Sic Azor *suprà c. 4. quæst. 2.* Garzia *1. p. c. 2. n. 82.* Perez de Lara de *capella. lib. 2. c. 6. num. 15.* Suarez *c. 22. num. 16.*

4 Tertiò, dico comprehendi Commendam. Nam licèt beneficium propriè non sit, subire tamen debet commendatarius illius onera & obligationes. Sed hoc intelligitur de commenda in vtilitatem commendatarij facta. Quia talis commendatarius habet ius percipiendi fructus ex tali commenda, & consequenter æquiparatur titulo beneficij. Item commendatario commendatur beneficium, vt omnia illius onera subeat, sed vnum ex præcipuis oneribus beneficij est obligatio ad horarum recitationem. Ergo hanc commendatarius habet. Et ita tradit Suarez *lib. 4. de hor. can. c. 22. n. 15.* Vasquez *de benef. c. 4. §. 1. dub. 3. fin.* Azor. 1 *p. lib. 10. c. 3. quæst. 6.* Bonacina *disput. 1. de hor. canon. quæst 2. p. 4. n. 2.* Secus verò est de commenda in vtilitatem Ecclesiæ per quam non datur potestas disponendi de fructibus. Garzia *3. p. de benef. c. 1 n. 106.*

5 Quartò, dico probabile esse non comprehendi Vicariam beneficij vniti alicui religioni, aut Ecclesiæ parochialis vacantis, vt ex vi illius teneatur Vicarius horas canonicas recitare. Quia ille Vicarius non reputatur iure, & reipsa beneficiarius, sed beneficiatij substitutus; sicut si à proprietario ob eius absentiam, aut aliud impedimentum nominaretur, & ita tradit contra Suarez *dicto cap. 22. n. 15.* Garzia *de benefic. 3. cap. 1. num. 106.*

6 Quintò, dico excludi à ratione beneficij obligantis recitati officium Diuinum pensionem, quæ beneficio imponitur in subsidium resignantis beneficium, vel ob aliam causam. Quia hæc pensio propriè beneficium non est, cum non sit ius percipiendi fructus ob aliquod Ecclesiasticum officium, sed potiùs est ius percipiendi fructus beneficij ab eo qui titulum beneficij habet. At huiusmodi pensionarius obligatus est officium paruum B. Mariæ recitare: quia ita cauetur expressè in supradicta bulla Pij V. Debet autem pensionarius pensionem habere tanquam clericus, vt hanc obligationem subeat. Tunc autem dicitur pensionem quis habere tanquam clericus, quando necessariò debet esse initiatus prima tonsura, vt illam recipiat: secus quando hanc qualitatem non requirit. Contingit enim aliquando dari quibusdam pensionem titulo sæculari, eò quod sint de Ecclesia benemeriti, vel ob aliquam operam temporalem, scilicet pulsandi cymbala, aperiendi templi fores, gubernandi horologium, docendi pueros & similia, & ita tradunt Valent. *disp. 6. quæst. 2. puncto 10. §. 2.* Azor. 1. *p. lib. 10. cap. 4. quæst. 3.* Suarez *de relig. tom. 2. lib. 4. de hor. can. cap. 22. num. 6.* Bonacina *disp. 1. de hor. can. quæst. 2. p. 4. num. 8.* Aduerto tamen huiusmodi pensionarium, qui sacrum ordinem non habet, si efficiatur miles & ordinis militaris, cum indulto retinendi pensionem, satisfacere obligationi recitandi, si orationes Dominicas, & Angelicas à religione præceptas reciter. Quia Pius V. solùm obligare voluit ad recitationem officij B. Virginis eos pensionarios, qui aliàs ad nullas preces adstricti erant. Sic docet relatis aliis Garzia *de beneficis 3. p. cap. 1. num. 117.* & Bonacina *disput. 1. de hor. can. quæst. 2. p. 4. num. 2.* Secundò, aduerto pensionarium si vellet loco officij parui B. Virginis, officium magnum recitare, abundantiùs obligationi satisfacere. Quia intentio Pontificis fuit releuare pensionarios ab onere recitandi officium Canonicum, imponendo illis minorem obligationem casu, quo illam grauiorem non subirent. Sic Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 22 n. 6.* Bonacina *num. 9.* Garzia *n. 19.*

7 Sextò; Dico coadiutoriam Concessam alicui, assignata aliqua portione pro congrua, & cum futura successione, non esse beneficium, neque obinde ad horas canonicas obligare. Sic Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 22. num. 19.* Azor. *lib. 10. quæst. 1. cap. 4.* Garzia *3. p. cap. 1. num. 109.* Bonacina. *disput. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 13. & 15. & 16.* Quòd autem coadiutoria quatenus talis beneficium Ecclesiasticum non sit (præterquam quòd sic declarauit Paulus V. vt testantur Suarez & Bonacina & Garzia suprà) probatur. Quia coadiutori datur potestas succedendi in beneficio post proprietarij mortem. Ergo non confertur illi beneficium proprietarij; aliàs idem beneficium in duobus existeret. Neque obstat mortuo proprietario non requiri nouam collationem, quia hoc prouenit ex eo, quòd cùm datur coadiutoria, beneficium tunc proprietarij confertur coadiutori, non absolutè, sed dependenter à proprietarij morte: quare mortuo proprietario, tunc habet effectum collatio, & coadiutor beneficium obtinet. Vocatur autem Canonicus, tum ob ius succedendi, tum ob vocem in capitulo, tum ob sedem in choro etiamsi post proprietarios. Quòd si dicas coadiutoriam non esse beneficium proprietarij, esse tamen aliud distinctum beneficium; eò quod sit ius

percipiendi fructus ob aliquod Ecclesiasticum officium, verbi gratia, assistendi in choro, dicendi Missas, ministrandi Sacramenta, &c. Respondeo coadiutoriam non esse ius percipiendi fructus, quia non ob coadiutoriam illos percipit coadiutor, quasi ex titulo, sed in stipendium laboris, quem subit ob proprietarium, alias quilibet substitutus diceretur beneficiatus. Posito autem coadiutoriam non esse beneficium, ex nullo capite ad horas canonicas obligatur coadiutor. Omitto dummodo expresse ad hanc obligationem subeundam non arctaretur coadiutor ex indulto Pontificis, aut ex pacto cum proprietario. Quia tunc ratione pacti, vel Pontificis præcepti deberet horas canonicas recitare. Proprietarius tamen non ob id à recitando excusaretur, sic docet Bonac. *de hor. can. disput. 1. quæst. 2. part. 4. à num. 13.* & alij multi.

8 Secunda difficultas est. An beneficium, cuius fructus exigui sunt, obliget ad horarum recitationem? & quidem si beneficium nullos haberet fructus, beneficium non esset. Quia non esset ius percipiendi fructus ob aliquod Ecclesiasticum officium (quæ est beneficij definitio:) ac proinde ex illo nulla nasceretur recitandi obligatio. Sic Garzia *de benef. part. 3. cap. 1. num. 41.* Suarez *lib. 4. cap. 19. num. 6.* Sed quando fructus sunt adeò tenues, vt non sufficiant ad bonam partem moderatæ clerici substentationis est celebris opinio Dominici Soti. *lib. 10. de iustitia quæst. 5. art. 3.* asserentis non obligare. Sotum sequuntur aliqui recentiores Man. Roder. *tom. 1. sum. cap. 140. numero tertio*, Vega *1. p. cap. 128. casu 13.* Petrus de Ledesma. *2. tom. sum. tract. 9. cap. 4. conclus. 6. difficult 4.* Lessius *lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 31. num. 169.* reputat probabile de beneficio non attingente 15. nummos aureos singulis annis. Consentit Vasquez *de benef. cap. 4. §. 1. dub. 5. in fin.* Si beneficium habet alia onera, ob quæ possit dari. Item docet Malderus *de virtutibus tract. 10. cap. 2. dub. 3. vers.* Nihilominus vbi expresse requirit ad hanc obligationem inducendam, vt beneficium attingat tertiam partem sustentationis clerici. Aragon *2. 2. quæst. 83. art. 12.* testatur (sed immeritò) recentiores communiter sequi hanc opinionem. Quæ autem dicenda sit bona pars sustentationis? Sotus ad 10. aureos extendit. Lessius *ad 15.* Aragon prudentis arbitrio relinquit, & certè nisi tertiam partem attingat dici non potest attingere bonam partem sustentationis. Qua propter si hæc sententia vera esset, beneficium cuius redditus hoc tempore non attingunt triginta, vel quadraginta aureos nequaquam dici potest attingere bonam partem sustentationis moderatæ, vt bene notat Suarez *lib. 4. cap. 21. num. 2.* Quibus enim decem tempore Soti sufficiebant, modò triginta non sufficiunt.

Duplex est fundamentum huius sententiæ. Primum est, beneficium tenue reputari in iure pro non beneficio, quia fructus exigui reputantur nulli, iuxta illud *parum pro nihilo reputatur*, fauetque textus *in cap. is, cui, de Præben. in 6.* vbi potestatem habens conferendi beneficium alicui personæ, non potest illud eidem conferre, si beneficium habeat sufficiens: tacitè indicatur illud solùm non esse beneficium, cum habenti insufficiens bene possit conferre. Ex hoc fundamento infertur nullam obligationem recitandi habere accipientem tale beneficium.

Secundum fundamentum est. Quia beneficium, quod nullos habet fructus non obligat ad horarum recitationem. Tum quia non est beneficium verum, sed fictum. Tum quia non potest ad onus obligare cùm non det commodum. Non enim potest obligare ad seruiendum altari, quem non valet ex altari sustentare. Sed beneficium tenue non valet beneficiatum sustentare. Ergo neque valet obligare ad seruiendum altari in recitatione horarum. Hæc ratio ad summum probat non valere obligare ad seruiendum altari singulis diebus, non tamen probat non posse obligare beneficiatum ad seruiendum altari, & recitandas horas aliquibus diebus, quorum sustentationi redditus sufficiunt. Eáque de causa dixit Lessius *dict. cap. 34. dub. 31. num. 169.* percipientem aliquos fructus ex beneficio aliquoties teneri per annum recitare, verbi gratia, festis & Dominicis.

9 Nihilominus tenenda omnino est contraria sententia; affirmans beneficium exiguos fructus habens obligare ad horarum recitationem singulis diebus. Sic post alios antiquiores docet Nauarrus *de orat. cap. 7. numero vigesimo septimo*, Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 13. num. 8. §. 12.* Valent. *2. 2. disp. 6. quæst. 2. puncto 10. §. 7.* Azor. *1. p. lib. 10. cap 3. quæst. 3.* Bonacina *disput. 1. de hor. can. quæst. 2. punct. 4. numero decimo septimo*, Garzia *3. part. cap. 1. num. 39.* Suarez *lib. 4. cap. 21. num. 3. & sequentibus*, & alij innumeri apud ipsos testantes esse communem sententiam. Ratio præcipua est. Quia beneficium habens tenues fructus verè est beneficium; quia est ius percipiendi fructus ex speciali titulo. Sed beneficio absque vlla distinctione pinguis, vel tenuis annexum est onus recitandi ex Concil. Lateran. & ex Bulla Pij V. Ergo. Consequentia & minor propositio videntur claræ: maiorem probo. Nam beneficium tenue reddit beneficiatum eodem modo exemptum, ac priuilegiatum sicut beneficium pingue. Item suspensus à beneficio, tam est suspensus à beneficio tenui, quam à pingui.

Dices beneficium tenue esse propriè beneficium, at non esse verisimile voluisse Ecclesiam hoc graue onus recitandi ei annectere; quia iustitia, & æquitas postulat vt stipendium labori correspondeat. Quapropter cum Ecclesia dicit, beneficium dari propter officium, intelligi debet de beneficio congruo competenti officio exhibendo.

Sed contra, quia illa limitatio videtur sine fundamento, cum in iure nullum detur ad illam adstruendam: imò potius contrarium, non leuiter colligitur *ex cap. Clericus 91. d.* vbi clerico qui ex Ecclesia sibi commissa commodè sustentari non potest, dicitur, vt quærat sibi victum & vestitum ex artificio, vel agricultura, post sui muneris & officij pensum persolutum.

Secundò, quia obligatio ad recitandum, optimè potuit ab Ecclesia imponi cuilibet beneficiato, etiamsi exiguos fructus reciperet, sicut potuit imponi cuilibet clerico in sacris nullos fructus repetenti; quia hoc onus optimè compensat honore, exemptione & priuilegiis, quæ beneficiato confert. Neque enim onus recitandi ita graue est, vt exiguis fructibus, & hoc honore, & priuilegiis abundè non compensetur.

Et ex hoc patet responsio ad fundamenta contrariæ sententiæ Dominici de Soto.

10 Ex quo infero. Primò, mihi non videri probabile beneficium, cui nullum aliud onus, & officium est annexum, deobligare beneficiatum à recitatione horarum ob exiguos fructus, Quia ex suppositione, quòd beneficium sit, non potest deobligare ab aliquo officio Ecclesiastico. Alias non esset vera illa regula cap. vlt. de rescript. in *6. beneficium dari propter officium.*

Secundò, infero si beneficium habet alia onera annexa vt Missas, assistentiam in choro, &c. quæ si per teipsum præstes, potes obtinere saltem tertiam partem tuæ moderatæ sustentationis, credo probabile non esse te deobligatum esse à recitatione horarum, & quòd aliis exequentibus ea munera dones. Nam hoc est per accidens: & non debet beneficij naturam mutare. Et ita tradit Suarez *lib. 4. de horis can. cap. 21. num. 10.* Neque valet dicere fructus illius beneficij esse stipendium iustum; & æquale illarum functionum. Ergo contra rationem imponitur vltra illas, obligatio recitandi absque vllo stipendio. Non, inquam valet; Nam illud stipendium, quod videtur iustum illarum functionum: Primò, & per se datur ob recitationem horarum, vtpote quæ est præcipuum beneficiati officium.

Tertiò, infero, si tibi adolescenti concedatur capellania, vel aliud beneficium, cui est annexum onus dicendi aliquas Missas, pro quibus omnes fructus beneficij insumis, te deobligatum non esse à recitatione, quia fructus, quos insumis, verè acquiris, & consequenter tibi dantur Missas dicendas, & officium recitandum. Si enim habilis esses ad Missas dicendas, dubitari non potest te tunc obligatum esse recitare ex vi beneficij. Ergo etiam quando per alium hanc obligationem exequeris. Quia posse ponere substitutum in aliqua obligationis parte non te eximit ab obligatione personali recitandi, quam in alium transferre non potes. Sic Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. num. 172.* Azor. *1. p. lib. 10. c. 4. q. 8.* Bonacina *disp. 1. de hor. can. q. punct. 4. n. 20.*

Quartò, infero beneficiatum habentem plura beneficia tenuia, quibus omnibus competenter possit magna ex parte sustentari, etiamsi quodlibet insufficiens sit, obligatum esse ad recitationem horarum; neque contrarium esse probabile. Ita docet Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 21. num. 12.* Cattia *3. p. de benef. cap. 1. num. 39. in fin.* Bonacin. *disput. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 18.* Ratio est; quia iste beneficiatus iam recipit ab Ecclesia iustum stipendium oneris impensi, quod verò illud stipendium beneficio vno vel pluribus accipiat accidentarium est.

Cæterùm communis est Doctorum sententia, omnes Clericos, qui in sacris constituti sunt, licet nullum Ecclesiasticum Beneficium obtineant, ad horas Canonicas priuatim recitandas sub culpa mortali obligatos esse. Sumitur ex *c. 1. de celebr. Missarum*, quod sumptum est ex *cap. Presbyter. d. 91.* Sed quia in canone isto de solis Presbyteris mentio fit, ideo obligationem hanc, quatenus omnes Clericos in maioribus Ordinibus constitutos astringit, potius in generali Ecclesiæ consuetudine fundatam esse, notauit Nauar. *cap. 7. num. 2.* Azor *cap. 5. quæst. 1.*

Adde clericum non liberari hac obligationes tametsi sit excommunicatus, suspensus depositus, aut degradatus, sicuti ex communi docet Nauar. *cap. 7. num. 17.* Angel. *verb. hora. §. 5. & verb. degradatio q. 8.* Azor. *cap. 5. q. 6.* Couar. *3. resol. cap. 13. n. 8. vers. duodecimò.* Auila *de censuris p. 2. cap. 6. disp. 4. dub. 6. concl. 1. & p. 4. disp. 1. dub. 1. concl. 2.* Rodt. *cit. cap. 141. concl. 14.* Ne ex propria iniquitate commodum ferat.

De clericis autem in minoribus duntaxat constitutis, certum est primò, eos nullo iure vel consuetudine vniuersali obligatos esse ad Officium, vel Psalmos, aliásve certas preces recitandas. Ita docet Sotus *lib. 10. quæst. 5. art. 3.* Medina *de orat. quæst. 7. in fine*, Azor. *cap. 5. quæst. 2.* Tol. *lib. 2. cap. 12. princ.* Suarez *cap. 16. ad finem* Lessius *num. 46. & 47.* aliíque communiter, contra Abb. *in cap. 1. num. 7. de celebrat. Missarum.*

Ad

Ad extremum monendum obligationem hanc recitandi Officij Ecclesiastici esse grauamen, & sub peccato mortali ex genere suo, quippe ex virtute Religionis, atque in beneficiatis etiam ex Iustitiæ virtute. Quæ est communis Doctorum sententia, quicquid contra eam improbabiliter dicat Angel. *verb. hora*, §. 10. Requiritur tamen Omissio materiæ notabilis, cuiusmodi est, vel integrum vnius diei officium; vel vna eius pars, siue hora licet brevissima; & fortasse etiam dimidium talis horæ.

11 Tertia difficultas est, an obligeris recitare ratione beneficij, cuius nullos percipis fructus? Plures casus sub hac difficultate comprehenduntur. Vt ergo certa ab incertis separemus, dicendum est primò, (in quo ferè omnes Doctores conueniunt,) si tua culpa beneficij fructus non recipias, vt quia es excommunicatus, suspensus, vel absens ab Ecclesia, vel alia via non vis beneficio inseruire, neque illius possessionem capere, te esse obligatum ad horarum recitationem. Quia non licet tibi à beneficio hanc obligationem excutere, cum beneficium ex parte sui stipendium pro illa suppeditet. Neque æquum est vt Ecclesia, quæ indemnis seruari debet, defraudetur seruitio, & officio ex tua malitia. Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 20. num. 12.* Vasquez *de benef. cap. 4. §. 1 dub. 6. num. 25.* Azor. *1. p. lib. 10. cap. 4. quæst. 6.*

12 Secundò, debet esse certum, si pro aliquo tempore non accipias fructus copiosos beneficij, (quos grossam vocant) accipias tamen si assistas in choro, aliàque munera beneficij proprij exercens, distributiones quotidianas, vt in pluribus canonicatibus Hispanis contingit, te obligatum esse horas recitare. Quia iam ratione beneficij tibi suppeditatur stipendium pro officio impenso Suarez *cap. 20 num. 3. 4. 7. 9 & 11.* cum Nauar. *cap. 7. de orat. num. 30.* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 173.* Vasquez *de benef. cap. 4. §. 1. dub. 6. num. 27.* Garzia *de benefic. 3. p. cap. 1. num. 61.*

13 Tertiò, certum debet esse, te esse obligatum recitare etiamsi de præsenti nullos fructus percipias, speras tamen in posterum te percepturum. Quia spes firma orta ex iure ad fructus percipiendos, æquialet fructibus perceptis; aliàs fere nullus beneficiatus in primo anno suæ præsentationis obligatus esset recitare: cùm regulariter perceptio fructuum soleat differri. Sic Suarez relatis Nauar. Cordoua, Medina, Toleto, & aliis *lib. 4. cap. 20. num. 1.* Vasquez *cap 4. de benef. §. 1, dub. 6. num. 26. vers. 4.* ex quo fit, si statutum sit, vt nihil beneficiato concedatur ob seruitium, & munus primo anno impensum, sed omnes fructus illius anni ei reseruentur post mortem, expendendi in eius fauorem, esse obligatum recitare. Quia verè luctatur fructus, & spes illorum firma, est sufficiens stipendium officij impensi. Azor. *lib. 10. cap. 4. quæst. 4.* Lessius *cap. 34. num. 170.* Suarez *cap. 20. num. 9.* Garzia *3. p. capit. 1. num. 62.* Bonacina *disp. 1. de hor. can. quæst. 2. p. 4. num. 22.*

14 Quartò, pro certo habendum est, si ex resignatione beneficium accipias cum obligatione satisfaciendi eius muneri, & reddendi omnes fructus in pensionem resignantis, te obligatum esse recitare. Quia ex hac acceptatione beneficij non impediris accipere stipendium debitum pro beneficij administratione, neque reseruatione fructuum huiusmodi stipendium debitum reseruari censetur. Quod si aliquando contingat (quod nunquam est præsumendum) te Pontificis consensu cedere fructibus & emolumento debito beneficij administrationi, & sic beneficium acceptare; credo te esse obligatum recitare. Sicut enim absque stipendio susscipis obligationem administrandi beneficium, verbi gratia, assistendi in choro, vel Sacramenta conferendi; ita debes susscipere obligationem recitandi, quæ beneficio natiua est. Adde non esse verisimile velle Pontificem liberare tale beneficium ab officio recitandi horas canonicas: quia cederet in Ecclesiæ damnum. At si tu, qui beneficiatus es, non obligatis, cessat talis obligatio in illo beneficio. Nam pensionarius illam non habet, sed solùm obligationem recitandi officium paruum B. Mariæ. Ergo. Denique cum voluntariè recipis beneficium, & obligationem administrandi, absque vllo stipendio, virtualiter cedis, & quasi donas stipendium debitum administrationi. Ergo ex stipendio dici potes, te ministrare, & recitare, & ita tenet aliis relatis Vasquez *de beneficiis cap. 4. §. 1. dub. 6. numero 34. & 35.* Suarez *lib. 4. cap. 20. à numero secundo*, Garzia *de beneficiis 3. p. cap. 1. num. 54.* Bonacina *disp. 1. de hor. can. quæst. 2. p. 4 num. 21.* Verùm si tu solùm accipias beneficij titulum, pensionario autem relinquantur fructus, & beneficij administratio, credo probabilius te non teneri, sed pensionarium. Quia verè tu beneficium non habes, sed ad summum habes tantùm Coadiutoriæ titulum, vel aut sui æquipollentem, & ita docet Suarez *lib. 4. cap. 20. à numero secundo, ad 5.* Garzia plures referens 2. *part. cap. 1. à num. 55.* Bonacina *num. 22.* reputat valdè probabile.

15 Sed inquiris, quid dicendum si beneficium nullam requirat administrationem vt præstimonium? Respondeo: si accepisti ex resignatione beneficium, cuius fructus ex tuo consensu sunt reseruati resignanti, credo te esse obligatum ob rationem dictam: quia virtualiter donas fructus, quos posses recipere. At si fructus ex prædecessoris consensu fuerint reseruati, credo te deobligatum esse: quia tunc verè non possides beneficium, sed tantùm titulum illius, cum non possideas ius percipiendi fructus, neque in tua potestate fuit i lud possidere. Pensionarius item ad solum officium B. Virginis tenebitur. Sic relatis Paris. Mandosa, docet Garzia *de benef 3. p. cap. 1. num. 58.* & alij apud Bonacinam *disp. 1. quæst. 2. part. 4. de hor. can. num. 21.*

16 Quintò, videtur esse certum si per vim, fraudem, vel aliam iniustam viam impediaris à consecutione fructuum, neque spem habeas tibi esse aliquando restituendos, te non esse obligatum hoc titulo recitare. Sic docet Nauar. *cap. 7. de orat. numero vigesimo octauo. & in sum. cap. 25. num. 103.* Valentia *disp. 6. quæst. 2. punct. 10. § 7.* Azor. *1. p. lib. 10. cap. 4. quæst. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 168.* Garzia alios referens *3. p. cap. 1. num. 45.* Ratio est, quia obligari non potes ad officium, nisi ob stipendium acceptum, vel recipiendum. Cùm ergo pro illo tempore non detur tibi vllum stipendium, imponi non poterit obligatio.

17 Limitat autem Suarez sub probabilitate, *lib. 4. de relig. cap. 20. num. 15. & 16.* vt procedat hæc doctrina, si impediaris à consecutione fructuum beneficij, quasi in perpetuum: ita vt spem non habeas acquirendi vllos ex beneficio fructus aliquo tempore: secus verò dicendum existimat, si ablatio fructuum non est perpetua, sed pro aliquo tempore, etiamsi sit violenta, & iniusta, & sine spe recuperationis. Probat primo, quia si per rapinam, vel furtum priuetur beneficiatus fructibus, non est propterea excusandus ab administratione beneficij, neque ab administratione Sacramentorum, si sit curatus. Ergo neque ab onere recitandi, quod non minùs est per se coniunctum beneficio. Secundò, probat, si aliquo, vel aliquibus annis ob sterilitatem temporum nullos redderet beneficium fructus, non propterea videtur excusandus beneficiatus ab administratione beneficij. Quia si contingeret recipere duplo maiores aliis, quos in principio recipiebat, non obinde duplicatur eius obligatio: ergo neque etiam debet minui ex eo, quòd diminuantur. Et ratio est, quia accipiens beneficium ea videtur conditione accepisse, vt siue minuantur fructus, siue crescant, siue pereant, teneatur beneficij oneribus satisfacere. Tertiò, quia contingere potest prioritus annis tot fructus accepisse, & posterioribus esse accepturum, vt sufficientes sint, tam fructus accepti, quàm in posterum recipiendi, inducere obligationem recitandi pro illo intermedio tempore.

18 Cæterùm etsi hæc limitatio probabilis sit, probabilius tamen est, admittendam non esse; quia opponitur communi sententiæ expressè asserenti te deobligatum esse à recitatione horarum pro eo tempore, quo in tua potestate situm non est fructus vllos habere ex beneficio, neque speras te habiturum, vt bene docet Vasquez vltrà superiùs allegatos opusculo *de benefic. cap. 4 §. 1. dub. 6. num 31. & 32.* & docuerat Suarez illomet *cap. 20. numero septimo, fine.* & tradit Bonacina *disput. 1. de horis can. quæst. 2 punct. 4. num. 25. Verisimi valdè.* Neque rationes Suarez vrgent. Ad primam: Respondetur, dupliciter posse beneficiatum priuari fructibus, per rapinam scilicet, postquam illos obtinuit, vel ante illorum obtentum: si priuetur postquam illos obtinuit, clarum est esse obligatum recitare, quia iam beneficium beneficiato concessit stipendium pro munere exhibendo; at si ante illorum obtentum priuetur beneficiatus à fructibus percipiendis, pro toto illo tempore, quo impeditur sine spe recuperationis, censeo obligari, tam à recitatione horarum, quàm ab alio quouis ministerio nisi fideles, vel Episcopus prædictos fructus alia via suppleat, necessaria pro illo tempore suppeditando. Ad secundam, credo si ob sterilitatem annorum nullos fructus redderet beneficium, & Episcopus, vel fideles defectum non supplerent, beneficiatum obligatum non esse. Quia pro illo tempore dici non potest in re habere beneficium, sed solum titulum, qui insufficiens est ad obligationem inducendam. Neque obstat successu temporis abundantes fructus esse colligendos, aut annis superioribus esse collectos: quia illi fructus suo tempori correspondent, dantúrque pro officio exercendo illo tempore, non pro alio, & per hæc patet responsio ad tertiam, his tanquam certis suppositis.

19 Controuersia grauis est: An si in aliqua Ecclesia vigeat consuetudo, qua caueatur, vt primo, vel secundo anno possessionis beneficij, nullos fructus, vel distributiones beneficiatus acquirat, neque post mortem illi reseruentur, sed distribuantur inter antiquos beneficiatos, vel applicentur fabricæ. Ecclesiæ, vel alteri pio operi, debeat tunc recitare? Aduerto hanc consuetudinem contrariam esse extrauag. Ioannis 22 *Suscepti, de elect. & sub titulo Ne sede vacante inter communes*, quibus cauetur ne beneficiatus priuetur omnibus fructibus, sed potiùs dimidia pars ei applicetur. Item esse contrariam Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 14. & Constitutioni Pij V. quæ est in Bullario 106. & incipit Durum*; in quibus reprobantur consuetudines applicandi fructus antiquis beneficiatis à nouo beneficiato acquisitos, tanquam speciem simoniæ, vel auaritiæ redolentes. Insuperque statuitur, vt vbicumque huiusmodi

huiusmodi fructus, & distributiones fabricæ, vel sacristiæ, vel alterius pij loci vsibus, vltra semestre temporis reperiantur concessi, horum duntaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram verò beneficiari prædicti integram percipiant. Non obstante ergo hac constitutione nemini dubium esse potest obligatum esse beneficiatum recitare non solùm vltra semestre, sed etiam intra illud, quia vltra grossam distributiones quotidianas lucrari potest.

Quocirca dubium solùm est. An, si vigeat in aliqua Ecclesia supradicta consuetudo, non obstantibus supradictis decretis debeat beneficiatus recitare? Affirmant vt probabilius Lessius *lib.2. cap.34. numero* 170. Suarez *lib.34. cap.26. numer.6. & 14.* Garzia *de benefic. cap.1.numero* 76. Azor. *lib.10. cap.4. quæst.4.* cum Nauarr. *cap.7. de orat. numero* 30. Bonacina *disputat.1.de horis can. quæst.2. p.4. numero* 23. Mouentur primò; quia sic recipiens beneficium voluntariè suscipit illius obligationem, quia debet, verbi gratia, choro assistere, Sacramenta ministrare, si beneficium curatum est. Ergo etiam debet recitare, quia recitatio vna est ex præcipuis obligationibus, & quæ aliarum est fundamentum Secundò, quia si illi fructus & distributiones antiquis beneficiatis distribuuntur, eáque de causa tibi nouo beneficiato non applicantur, at tunc obtines ius, & spem, vt fructus beneficiorum post te ingredientium applicentur. Ergo ius illud, & spes pretio est æstimabilis, & reputari potest, vt stipendium tibi concessum, vt hac via obligeris ad recitationem. Tertiò, si fabricæ, vel piis operibus applicentur, hac applicatione excusaris ab obligatione tantumdem exhibenti in reparationem fabricæ, vel in opera pia ex fructibus tui beneficij. Ergo exemptio huius obligationis loco stipendij esse potest, ac proindè obligationem recitandi inducere.

Placet mihi hæc sententia maximè propter 2. & 3. rationem. Contrariam tamen reputo probabilem, vt tenent supradicti Doctores, scilicet nullam in supradicto casu obligationem recitandi habere beneficiatum, sicut neque assistendi in choro, neque alia munera exercendi, si distributionibus quotidianis briuetur. Quia tunc videtur illa irrationabilis consuetuo, & per quandam quasi moralem violentiam beneficiatum obligari ad illa munera exercenda, vt in sequentibus annis possit fructibus beneficij gaudere. Neque aliæ rationes conuincunt. Non illa de iure ad fructus aliorum beneficiatorum; quia in re non obtinetur ius, & spes firma alicuius emolumenti. Quia hoc ius dependet, tum ab ingressu noui beneficiati, tum ab eo quòd in suscepto perseueres, at contingere potest, & sæpè contingit, quòd antequam nouus Canonicus intret, tu decedas, aut Canonicatum permutes, vel resignes; & idem est de exemptione ab obligatione impendendi fructus in pauperes, quæ sub dubio est, an illam sis habiturus; & præterea rarò hanc obligationem ex iustitia habere potes.

20 Quarta difficultas est. An solus titulus beneficij cum spe possessionis, & fructus sufficiat ad inducendam in beneficiato obligationem recitandi; vel necessariò requiratur possessio, non qualiscumque, sed pacifica?

Variæ sunt in hac difficultate sententiæ. Prima affirmat solùm titulum beneficij cùm spe habendi possessionem, & fructus, ab illo tempore, quo titulum accepisti, sufficere ad inducendam obligationem. Sic Nauarr. *cap.7. de orat. numero* 28. *&* 29. & Lessius *lib.2. cap.34. numero* 167. Garzia plures referens 3. *p. de benefic. capite* 1. *à numero* 92. *&* 102. Probant quia is, cui beneficium est collatum, & ab ipso acceptatum verè beneficiatus est, & verè dicitur habere beneficium *ex cap. Si tibi absenti, de Prabendis in 6.* & tradit Mandos. *reg. 3. Cancellaria quæstione* 13. *numero* 5. *& reg. 16. quæst. 39. numero* 2. Rebuffus *in Concordat. tit. de collatione*, §. *volumus, verf. obtineat*, Tuschus *conclusione* 38. *lit. B.* At Concilium Lateranense, & Pius V. obligant ad recitandum habentem beneficium. Ergo. Secunda, fructus beneficij à die acceptura collatione debentur beneficiato regulariter etiamsi possessio requiratur, vt conditio, vt illos de facto accipiat. Ergo obligat ad recitandum ab illo die. Quia iustum est, vt sentiat onus à die, quo commodum sentit.

21 Secunda sententia negat titulum solum sufficere, cùm spe habendi possessionem, & fructus, sed insuper esse necessariam possessionem, nisi per ipsum stet quominus illam habeat. Sic Suarez *libro 4. cap.18. à numero* 7. cum Flamin. *de resignat. lib.1. quæst 9. numero* 15. Probatur: Primò, quia obligatio recitandi est grauis, & onerosa. Ergo non debet extendi, sed limitari. Ergo debet limitari ad habentem beneficium perfectè, propriè, & cum omni rigore. Hic autem solùm est, qui possidet. Ergo. Secundò, fructus ante possessionem beneficij non semper debentur beneficiato, sed in hac parte varius est vsus pro diuersitate regionum. Ergo obligatio, quæ generalis est, comprehendere solùm debet eos, quibus per se, & necessariò fructus debentur, qui sunt beneficij possessores.

22 Tertia sententia supradicta addit, non solùm esse necessarium possessionem beneficij, sed requiri pacificam. Sic Henriquez *in summ. lib.13. cap.13. §. 2.* Manuel Rodriguez *in summ. tom.1. capite* 145. *numero* 1. Vega 1. *part. cap.* 128. *casu* 18. *ad fin.* Ceballos *pract. quæst. 643. numero vltimo.* Probatur; quia non videtur æquum obligare beneficiatum ad certum onus sine certo stipendio. At cum beneficium litigiosum est, non est certum stipendium applicandum esse possessori, si quidem sæpè contingit possessorem vinci, & à possessione deturbari. Ergo.

23 Dicendum ergo est. Primò, te esse obligatum recitare, si per teipsum stat, quominus possessionem habeas beneficij. Quia non est æquum tua culpa priuare beneficium debito obsequio. Sic Nauarr. *cap.7. de horis can. num.28.* Garzia 3. *p.de beneficiis cap.1.num.85.* Suarez *lib.4.cap.19. à num.7. &* 8. & alij pro prima sententia relati.

24 Dico secundò, te obligatum esse recitare, esto beneficij possessionem litigosam habeas, si lite non obstante beneficium ministras, & speras morali certitudine tibi esse applicandos fructus, saltem seruitio debitos. Quia tunc iustissimum est, vt subeas onus, cum speres te commodum recepturam esse, neque periculo fraudis videres exponi. Secus verò esset dicendum si hæc certitudo moralis deficeret ob rationem tertiæ sententiæ; Lessius *cap.34. num.* 137. Petrus de Ledesma *tractat.9. cap.4. conclus.6. difficult.10.* Zerola *verbo beneficium. §.4. numero* 8. Bonacina plures referens *disp.1. de hor. canon.q.2.punct.4. n.26.*

25 Dico tertiò, habentem titulum beneficij, & impedimentum ab illius possessione capienda, vel lite, vel alia de causa sibi inuoluntaria non esse obligatum recitare, in quo cum 2. & 3. sententia conuenio. Mouetur præcipuè, quia fructus non sunt omninò certi, sed contingentes ob contingentiam possessionis, & non est iustum subire onus certum pro stipendio incerto. Sic plures referens Bonacina *disputatione 1. quæst.2. part.5. numero* 5. Ex quo à fortiori infertur, si duo litigarent super aliquo beneficio, & neuter esset in possessione, neutrum ad recitandum teneri. Quia neuter habet propriè, & in rigore beneficium; & vtrique est dubium de victoria litis. Alias omnes litigantes tenerentur recitare ratione vnius beneficij, quod non est dicendum. Sic Suarez *lib.4. cap.19. &* 10. Petrus Ledesma *tractat.9. cap.4. conclus.6. difficultate* 10. & relatis Paludano, Soto, Beja, docet Garzia 3. *part. de Benef. cap.1. numero* 101. Bonacina *disputat.1. de hor. can. q.2. §.4.num.26.*

26 Difficultas est. An habens plura beneficia, quorum quodlibet inducit obligationem recitandi, debeat bis in die recitare? Ratio dubitandi est: quia cuilibet beneficio est annexa hæc obligatio. Ergo cùm sint beneficio distincta, distinctæ obligationes annectenturi Ergo non fit illis satis vnica recitatione. Et confirmo, si duas Capellanias haberes, quarum quælibet te obligaret ad dicendum per seipsum aliquas Missas pro defunctis, non satisfaceres eisdem Missis vtrique obligationi. Ergo neque vniqua recitatione satisfacis obligationi duorum beneficiorum. Quòd si obligatio vtriusque Capellaniæ eisdem diebus concurreret, esseque tibi impossibile vtrique satisfacere, non videris posse tuta conscientia illa retinere. Ergo similiter non poteris beneficia retinere, quibus satisfacere non potes, nisi multiplicando recitationes.

27 Nihilominus omnino tenendum est, tanquam certum vnico officio iis obligationibus te satisfacere. Ita aliis relatis docent Suarez *libro quarto, de hor. can. cap.18. ann.* 1. Bonacina *de hor. can. disputatione 1. quæst.2. punct.4. numero* 27. Garzia *de benef.3. part. cap.1. numero* 110. Azor.1. *part. lib.18. cap.4. quæst.* 10. Henriquez *lib.5. summ. §.6. in gloss. litera Q.* Ratio præcipua est. Quia ea videtur esse intentio Ecclesiæ non multiplicare obligationem, sed eam nouo titulo imponere Aliàs esset obligatio satisfactu ferè impossibilis, cum possit contingere te habere decem beneficia simplicia, quorum quodlibet sufficit ad inducendam obligationem recitandi. Quomodo ergo decies eodem die, & eisdem horis officium diuinum posse recitare? Affirmare autem tunc te esse obligatum illa beneficia renunciare ob hanc causam, alienum est à consuetudine recepta. Et confirmo. Ordinatus tribus ordinibus sacris non obligatur ter in eodem die recitare, neque habens beneficium cum ordine sacro obligatur bis recitare: quia licèt multiplicentur causæ obligationis, non multiplicatur ex intentione Ecclesiæ effectus. Sicut cùm festum cum Dominica concurrit non obligat ad duplicem Missam audiendam. Sic similiter, cum plura beneficia in eodem subiecto concurrunt, non obligant ad plures recitationes. Secus verò est dicendum in exemplo adducto in ratione dubitandi; quia cùm ibi non respiciatur vtilitas beneficiati, sicut in recitatione respicitur, sed potiùs vtilitas defunctorum, vel beneficium instituentis, ideò ad multiplicationem capellaniæ debent sacra multiplicari.

28 Hinc infertur primò, habentem beneficium & pensio-

nem

nem satisfacere obligationi, si officium canonicum semel singulis diebus recitet. Quia obligatio ad dicendum officium B. Mariæ, quam habet pensionatius, est sub conditione, quòd officium canonicum non recitet. Voluit enim Pontifex non augere obligationem pensionatio, magis quàm aliis beneficiatis, sed potius beneficiatorum obligationem diminuere. Sic Nauar. *consil. 22. de celebrat. Missarum*, Suarez *lib. 4. c. 22. à numero 6.* Garzia *alios referens. 3. p. cap. 1. num. 116.*

29 Secundò, infertur omittentem diuinum officium obligatum dicere ob plura beneficia vel ob ordinem sacrum, & beneficium; non committere duplex peccatum, sed vnum tantùm, grauius tamen. Quia eadem est res præcepta omnibus illis titulis, & sub eadem ratione. Præcipitur namque recitatio in laudem Dei. sic Azor *2. p. lib. 4. c. 2. quæst. 6.* Salas. 1. 2 *tract. 13. disp. 3. sect. 2. num. 17.* Garzia *3. p. de benef. c. 1. num. 124.* Bonacina *disput. 1. de horis canonicis, quæst. 2. punct. 4. num. 27.*

30 Sed inquires. An habens beneficium iniustè, vel impediens iniustè alterum ab illius possessione, debeat ratione illius horas canonicas recitare? Affirmat Suarez *lib. 4. c. 19. n. 10.* Bonacina *disp. 1. quæst. 2. p. 4. num. 28.* Mouentur, quia priuant per iniuriam Ecclesiam debito obsequio, & seruitio, debent ergo recitare. Nihilominùs existimo probabilius non obligari supradictos ad recitandum, sed solùm ad dimittendum beneficium, & à lite iniusta cessandum. Quia beneficiati non sunt obligati ex iustitia ad recitationem horarum, sed ex præcepto Ecclesiæ: neque impedientes hanc recitationem censentur iniustitiam committere contra Ecclesiam, sed ad summum contra beneficiatum. Ergo non sunt obligati recitare. Aliàs quoties obligatum audire Missam, ieiunare, vel aliud opùs pium facere impedires, deberes eadem tu ipse ex iustitia præstare. Quod non videtur receptum. Sic docet Garzia. *3. p. de benef. c. 1. n. 120. quamuis videatur docuisse contrarium numero 90.*

§. III.

De Obligatione Religiosorum.

1 *Religiosi choro deputati obligati sunt ex consuetudine.*
2 *Qui defendant non esse hanc obligationem sub graui culpa.*
3 *Retinenda est tanquam certa communis sententia.*
4 *Religiosus ex dispensatione Pontificis viuens extra claustra, si dispensatio in perpetuum sit? excusatur ab hac obligatione.*
5 *Comprehenduntur ne religiosi damnati ad triremes? fugitiui & ejecti?*

1 TErtium genus illorum, qui ad officium canonicum obligantur, sunt religiosi professi choro deputati. Hos inquam recepta est omnium sententia, obligatos esse officium diuinum recitare: non quidem ex aliquo iure positiuo scripto, quia nullum est; neque ex vi professionis, quia ratione illius solùm obligatur ad perfectionem conari, quem conatum explere possunt aliis exercitiis spiritualibus absque harum horarum recitatione: neque ex eleemosynis fidelium, quia hæ dantur religiosis ea præcipua ratione, quia pauperes sunt, & diuino cultui mancipati; & secundò vt curam habeant fideles Deo commendandi, nullibi tamen habetur concedi sub obligatione recitandi has horas. Sunt ergo obligati eas recitare ex consuetudine præscripta. Sic Syluest. *verb. Hor. numer. 3.* Nauar. *c. 23. numero 96.* Valent. *disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 2.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 17. num. 6.* Vasquez *de benef. c. 4. §. 1. dub. 11.* Bonacina *disp. 1. de hor. can. quæst. 2. p. 2. p. 2. à numer. 1.* Azor. *1. p. lib. 10. c. 6. q. 1. & 2.* & alij plures apud ipsos.

Dixi obligatos esse ex consuetudine religiosos choro deputatos, vt excluderem religiosos laicos, seu conuersos ad munia temporalia destinatos, qui hac obligatione non tenentur: & religiosos equites militares, qui non choro, sed militiæ, sunt destinati: & nouitios, qui sub nomine religiosi in oneribus non comprehenduntur, neque pro illis est consuetudo. Sic relati Doctores. Vnde si aliquis religiosus choro deputatus, ad conuersos authoritate superioris transeat, eo ipso eximitur ab obligatione recitandi, quæ annexa est illi statui: è contra verò, si ex statu laicorum transeat ad statutum chori statum, induit supradictam obligationem. Sic Suarez *lib. 4. c. 17. numero 7.* Bonacina *disp. 1. q. 2. p. 2. numero 2. fine.* Azor. *1. p. lib. 10. c. 6. quæst. 7.*

Quod dictum est de viris religiosis, dicendum est de monialibus professis choro deputatis: esse inquam ex consuetudine obligatas singulis diebus horas canonicas recitare, sic Suarez, Nauar. Valentia, Vasquez, Bonacina, *suprà & alij apud ipsos.* Non tamen obligantur conuersæ seu laicæ & non nouitiæ.

Hinc fit religiosos illius religionis, quæ ex suo instituto choro non est addicta, non esse obligatos officium diuinum recitare, nisi sint in sacris, Quia hæc obligatio recitandi priuatim, succedit loco publicæ recitationis, quam religio profitetur. Sic omnes Doctores suprà relati, specialiter Bonacina, Suarez, Valentia, Vasquez, *eisdem locis suprà relatis.*

2 Difficultas autem est. An hæc consuetudo obliget sub graui culpa religiosos & moniales, ne diuinum officium omittant.

Caietanus *in Sum. verb. Horæ canonicæ* Dubitat de consuetudine, & affirmat non videri ita receptam vt obliget in vi præcepti. Medina. *in instructione c. 19.* inclinat non obligare sub mortali. Emanuel Saa. *verb. hora can. num. 1. in editione Complutensi* reputat id esse probabile. Angelus *verb. Hor. num. 10.* & Aragon. *2. 2. quæst. 83. art. 11. dub. 4.* existimant religiosum omittentem bis, vel ter priuatim diuinum officium, non peccare mortaliter. Quia ex præscripto regulæ ad id tenetur, quæ non videtur ita grauem obligationem inducere.

3 Cæterùm reliqui omnes Doctores absolutè docent esse peccatum mortale, si vel semel omittantur horæ. Quia consuetudo dicendi hos religiosos diuinum officium, est instar clericorum in sacris. Ergo sicut non est probabile, clericos omittentes semel diuinum officium, non peccare mortaliter; ita nec est probabile religiosos & moniales, non peccare mortaliter si omittant, cum consuetudo vim habeat præcepti, & fortè ob hanc causam in Summa Emanuelis Saa, edita Romæ expuncta sunt illa verba, quibus probabilis iudicabatur illa sententia. Neque enim in hac parte laxandæ sunt habenæ, cum ex eius relaxatione non leue religionis detrimentum proueniret.

Dubium tamen est. An sub hac obligatione comprehendatur religiosus ex dispensatione Pontificis extra clausturm viuens. Communis sententia concedit, si dispensatio in perpetuum sit, ab obligatione eximi: secus si pro aliquo determinato tempore. Quia dispensatus, vt perpetuò extra clausturm viuat, à choro liberatus est. Ergo etiam liberatur ab obligatione recitandi priuatim, quæ loco obligationis ad chorum succedit. sic Soto *de iustitia lib. 10. quæst. 5. art. 3* Bonacin. *disput. 1. quæst. 2. p. 2. n. 4.* Azor. *1. p. lib 10. c. 6. q. 8.* Nihilominus probabilius existimo hunc esse obligatum. sic Suarez. *lib. 4. de hor. can. c. 17. num. 8.* Ratio est: Quia obligatio in religioso recitandi officium diuinum non oritur ex eo, quod ipse religiosus personaliter obligatus sit choro interesse, sed ex eo quod statum habeat choro deputatum. Aliàs, qui ex dispensatione Pontificis, vel Prælati regularis à choro in perpetuum esset exemptus, obligatus non esset, horas priuatim recitare, quod videtur absurdum. At dispensatus in perpetuum, vt extra clausturm viuat, non mutat statum religiosi professi choro deputati, vt de se constat. Ergo.

Et confirmo. Si exemptio perpetua ab assistentia in choro eximit religiosum ab onere perpetuo recitandi, quia hæc obligatio priuatæ recitationis succedit loco publicæ: Cur exemtio pro determinato tempore, ab onere recitandi pro illo tempore non liberabit? Adde religiosum non esse regulariter obligatum sub graui culpa choro assistere, vt postea dicam Ergo obligatio recitandi non commensuratur ex hac obligatione, sed ex statu deputato chori assistentiæ.

5 Item dubitatur. An comprehendantur sub hac obligatione religiosi damnati, ad triremes electi, fugitiui è religione. Negat de iis omnibus Bonacina, *disp. 1. q. 2. p. 2. num. 6.* Quia hi videntur esse extra statum, qui choro deputatus sit. *Adhæret* Lessius *loquens de ejecto, vel ad triremes damnato, &* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 8. num. 11.* Secus de fugitiuo, & rationem differentiæ assignant. Quia ejectus non potest ad monasterium redire, etsi velit: secus fugitiuus. At mihi probabilius est eos omnes per se comprehendi. sic Nauar. *c. 7. de orat. num. 20.* Azor *lib. 10. c. 6. quæst. 5. 6. & 8.* Suarez *lib. 4. c. 17. num. 9.* Ratio est. Quia ex eo quod religiosus sit extra monasterium, non est extra statum choro deputatum: quia non est extra statum religiosum in quo antea erat. Neque enim ob fugam, aut ejectionem, religiosum statum amittit. Aliàs, cum iter faceret, aut peregrinaretur, vel quoties extra monasterium viueret, dici posset esse extra statum religiosum. Ergo apostasia, vel ejectio à monasterio, non soluit religiosum ab obligatione recitandi, sicut neque ab aliis oneribus, quæ professioni ex consuetudine annexa sunt possúntque in illo statu impleri.

Quod si dicas eos religiosos fugitiuos, & ejectos, vel ad triremes damnatos, etsinon amittant religiosum statum, quem antea habebant, amittere tamen chori deputationem, quæ religioso statui annectitur, non vtcúmque, sed ex consuetudine; quæ consuetudo non videtur extendi ad ejectos, & triremibus damnatos, immò neque ad fugitiuos, sed solum ad illos, qui in monasterio commorantur, vel ex licentia prælati extra clausturm existunt.

Sed contra. Quia non videtur cum fundamento dici, hanc consuetudinem annecti solum religioso statui illorum, qui in monasteriis vel extra de Prælati licentia commorantur, & non extendi ad fugitiuos, & ejectos. Quia non est æquum vt ex culpa commodum reportent.

Dixi *per se hos religiosos sub obligatione recitandi comprehendi*, vt indicarem per accidens excusari posse, vt sæpe ejecti, & damnati ad triremes excusantur, ob impotentiam moralem

recitandi, & ne religioni,& sibi dedecus afferant; si se esse religiosos manifestent.

PVNCTVM II.

Quodnam officium diuinum debeant supradicti clerici, beneficiati, & religiosi recitare.

1 *Omnes tenentur recitare officium Romanum, exceptis aliquibus personis.*
2 *Hoc præceptum singulis diebus obligat sub graui culpa.*
3 *Qui defendant posse priuilegiatos in Bulla Pij V. Romanum officium recitare, omisso illo cuius habent priuilegium.*
4 *Probabilius est oppositum.*
5 *Quid dicetur de beneficio obligato Romanum officium recitare, & commoratur in diœcesi Mediolanensi,*
6 *Quid de Mediolanensi existente Romæ.*
7 *Possintne religiosi exempti festiuitatibus diœcesis se conformare. Explicatur sensus quæstionis.*
8 *Proponitur ratio dubitandi.*
9 *Quid sit tenendum.*
10 *Possitne Episcopus de Sancto extra Kalendarium instituere recitationem? Affirmatur id posse de Sancto assignato in Patronum, vel naturali diœcesis, vel cuius insignes ibidem reliquiæ requiescunt.*
11 *De aliis Sanctis constitutione perpetua id fieri non potest.*
12 *Decreto tamen particulari, & ex causa vrgenti, & per modum dispensationis,id fieri posse credendum est.*
13 *Vtentes Breuiario Pij V. non tenentur officium B.Virginis,Defunctorum, & Psalmos Graduales recitare.*
14 *Quid si Romanum officium alia lingua præter Latinam diceres.*
15 *Si addas vel diminuas officio diuino, peccas.*
16 *Si in graui notabilique parte diminuas,non satisfacis obligationi.*
17 *Satisfaciésne si vnum officium pro alio recites de Sancto, scilicet, cum est recitandum de feria.*
18 *Probabilius est te non satisfacere.*

1 REspondeo omnes esse obligatos recitare iuxta formulam Breuiarij Romani Pij V. & Clementis VIII. exceptis solùm iis, in quorum Ecclesiis vel Conuentibus ducentis annis ante Pium V. aliud Breuiarium fuerit institutum, vel consuetudine approbatum. Sic habetur in supradicta Bulla Pij V. & Clementis VIII. initio Breuiarij Romani præfixa: in qua Bulla omnes aliæ formulæ recitandi abrogantur, cassantur, & irritantur. Hinc infertur, malè Angelum *verbo Hora.num.*12. existimare ordinatum ad titulum patrimonij posse officium recitare secundùm formam, quæ illi magis placuerit, quia nulli Ecclesiæ addictus est. Nam ex eo, quòd non sit addictus Ecclesiæ, quæ consuetudinem habeat ducentis annis antiquiorem præcepto, & constitutione Pij V. efficitur tunc obligatum esse recitare iuxta formam præscriptam à Pio V. quæ omnes Clericos beneficiatos, & religiosos comprehendit, exceptis solùm, qui sunt illius Ecclesiæ, in qua est supradicta consuetudo. Et ita docet, vt certum Suarez *lib.*4.*c.*23.*num.*4. Lessius *c.*37. *num.*75. Bonacina *disp.*1. *de hor. can. quæst.*3. *p.*2.*num.*4.Reginaldus *lib.*18. *num.*168. Azor. 1.*p. lib.*10. *c.*11.*quæst.*1. & alij. Hi autem excepti poterunt ex consensu Episcopi, & totius Capituli, Breuiarium Romanum, admittere excluso suo antiquiori: constat ex supradicta Bulla. Si tamen monasterium fuerit exemptum, non requiritur consensus Episcopi,sed sui Prælati, & totius Capituli. Lessius *lib.*2. *c.*37. *dub.*12.*num.* 74. Cùm autem exigitur consensus vniuersi Capituli, non debet intelligi consensus omnium singulorum Capituli, ita vt nullus dissentiat, quia hoc ferè esset impossibile, sed sufficit consensus maioris partis Capituli, vt sic in vnum congregati. Quia ille in rigore, & propriè vniuersi Capituli consensus est. Vt benè notauit Suarez *lib.*4. *de hor. can. c.*11. *num.*4 *fine.*Bonacin. *disp.*1. *de hor. can. quæst.*3. *p.*1. *circa finem, num.*21. At si semel ex consensu Prælati, & Capituli Breuiarium Romanum fuerit admissum, nullo modo licebit ad pristinum redire, sed necessariò Romanum retinendum est. Quia iam per illam receptionem Breuiarij Romani, abrogatum & cassatum fuit antiquum; & vrget præceptum Pij V. & Clementis VIII. de recitando iuxta formulam illius Breuiarij, & excepti cessauit, quæ solùm fuit, dum ab Episcopo & Capitulo Breuiarium Romanum approbatum non fuerit. Sic Suarez *num.*4. Bonacin. *in prine.num.* 2.

2 Circa huiusmodi præceptum dubitatur primò. An obliget sub graui culpa singulis diebus iuxta formam Breuiarij Pij V. præscriptam recitare? Non desunt qui affirment non esse peccatum mortale, vno vel altero die illam omittere, recitando iuxta formam Breuiarij Dominicanorum, Cisterciensium, aut aliarum Ecclesiarum. Quia substantia præcepti est septem horas canonicas dicere;modus autem,vel formula huius, vel illius Breuiarij ad ritum,& cultum specialem pertinet; cuius omissio vno,vel altero die facta non videtur grauis. Sic Naua *c.*19.*num.*217.Reginaldus,*prax.lib.*19.*n.*171. fauet Raphael de la Torre,*de Relig.controuers* 8.*in princ. de horis canonicis*, Vasquez *de beneficiis c.*5.§.1.*artic.*2. *dubio primo num.*57.

Nihilominùs tanquam certum habendum est peccare mortaliter obligatum recitare iuxta formulam Breuiarij Romani, si illam omittens recitet vno die iuxta formam alterius Breuiarij. Sic reliqui Doctores in hoc puncto referendi, qui post dictam constitutionem scripserunt. Et ratio est manifesta. Quia omnes conueniunt,quemlibet obligatum esse singulis diebus illud officium Pij V.recitare?nisi ex consuetudine ducentorum annorum excusetur, sed hæc materia grauis est. Ergo grauiter obligat. Item omnes aliæ formulæ recitandi omnino cassantur, & abrogantur ad effectum satisfaciendi præcepto. Ergo recitare per ipsas,idem est ac si non recitares. Ex quo soluitur contraria ratio,quia præceptum non solùm est de recitandis more & formula à Pio V. præscripta: vt constat ex verbis Bullæ.

3 Secundò, dubitatur è contra. An potenti recitare alia formula præter formulam Breuiarij Romani, possit illa omissa per Breuiarium Romanum recitare; Saa *verbo Hora, in vtraque editione num.*6. Caietanus *verbo Hora.* §.2. affirmant.Reputat probabile Suarez *lib.*4. *c.*23. *num* 9. *fine.* Lessius *c.*37. *num.*74. Bonacin. *disp.*1. *de hor. can. quæst.*3. *p.*1. *num.*5.Mouentur primò. Quia consensus Episcopi & Capituli, ad omittendum Breuiarium antiquum, & assumendum Romanum,requiritur pro vsu chori, vt colligitur ex illis verbis. *Dummodò Episcopus & vniuersum Capitulum in eo consentiat, vt id in choro dicere & psallere possint permittimus.* Ergo pro vsu priuato cuilibet videtur permissum absque consensu Episcopi & Capituli. Secundò. Quia assumentes Breuiarium Romanum suæ Ecclesiæ dicentur conformari, cùm Ecclesia Romana omnium mater sit. Quod non procedit, cùm excluso Romano Breuiario, & proprio suæ Ecclesiæ, assumeretur Breuiarium alterius. Neque obstat Clementina: *Dignum de celebratione Missarum,* vbi commensalibus Episcoporum, & Cardinalium indulgetur vt possint vti Breuiario, quo vtuntur Episcopi, & Cardinales; si igitur liberum esset illis vti Romano, non indigerent dispensatione. Non inquam obstat, tum quia hæc indulgentia videtur esse pro commensalibus recitantibus simul cum Episcopo, vel Cardinali; secus si separatim recitent, vt tradit Graffes 2.*p.lib.*3.*c.*16.*num.*26. Tum quia loquitur de Cardinalibus,& Episcopis recitantibus aliud officium à Romano.

Cæterum (etsi supradicta sententia probabilis sit) probabiliorem reputo contrarium: scilicet hos exemptos in Bulla Pij V. non posse propria authoritate formula Breuiarij Romani recitare,omissa propria suæ Ecclesiæ. Sic Suarez, Bonacina, Lessius, *suprà.* Valentia *disp.*6, *quæst.*2. *punct.*1. §.3. *in princ.* Garzia *de Beneficiis* 3.*p. c.*1. *num.* 155. Ratio est, quia de his exemptis nihil determinat Bulla Pij V. sed illos dispositioni,& ordinationi iuris communis relinquit. Sed ius commune quemlibet arctat ad recitandum officium suæ Ecclesiæ; vt constat *ex c. de his c.Placuit*, 12.*distinct.Ergo.*

Et hæc sententia nullam habet dubitationem, cùm Episcopus, seu Prælatus iis Clericis sibi subditis, præcipit ne alio officio vtantur:quod sine dubio facere potest, sicuti fecit S. Carolus Archiepiscopus Mediolanensis, qui omnibus Clericis suæ diœcesis præceptum imposuit,vt officio Ambrosiano vterentur. Hoc enim præceptum conforme est Bullæ Pij V. quæ consuetudines recitandi antiquiores ducentis annis in suo robore,& fortitudine relinquit. Obligat ergo tale præceptum, vtpote de re licita, & honesta.

5 Tertiò dubitatur, An Clericus habens beneficium,ratione cuius debet Romanum officium recitare, si commoretur in diœcesi Mediolanensi,debeat tunc iuxta Ambrosianum, an potius iuxta Romanum Breuiarium recitare?

Breuiter respondeo posse quod sibi maluerit eligere, & iuxta illius formam recitare. Potest inquam Romanum recitare. Quia ex habitatione Mediolanensi non desinit esse Romanus beneficiatus. Potest autem Mediolanensi Breuiario vti, quia per habitationem diuturnam censetur esse Clericus illius diœcesis. Ex quo fit si solùm transeunter Mediolani existeret,credo non posse vti Breuiario Mediolanensi. Nam licèt dixerim in Tractatu de legibus, peregrinos & foraneos obligari legibus & constitutionibus illius regionis, quam transeunt; hoc intelligendum est de legibus generalibus, & quæ forenses & peregrinos virtualiter non excipiunt. At hæc lex seu priuilegium recitandi extra formulam Breuiarij Romani, non est concessum cuilibet clerico vtcumque residenti in diœcesi, sed clerico domiciliario: quia est concessum clericis, monasteriis, ordinibus, & locis exemptis, & inde ipsorum clericis. Colligitur ex Suarez *lib.*4. *c.*23.*num.*6. Bonacina *disput.*1. *quæst.* 3.*p.*1.*num.*5.& 6.

At si clericus beneficiatus sit Mediolanensis, vbi recitatur iuxta formulam Breuiarij Ambrosiani, Romam tamen pergat, maius est dubium an possit, vel teneatur vti Ambrosiano, maximè si statutum sit beneficiatos clericos Mediolanenses, nullo alio vti posse? Et ratio dubitandi ea est: quia statutum vel

præceptum

præceptum diœcesanum extra diœcesim non extenditur, vt latiùs probamus in Tractatu de legibus. Ergo statutum vel præceptum, quo ligantur Mediolanenses clerici ad recitandum iuxta formulam Breuiarij Ambrosiani, extra Mediolanum non extenditur. Ergo extra Mediolanum debent vti Breuiario Romano.

In hac re primò dicendum est, posse vti Romano Breuiario hunc clericum Mediolanensem, ob rationem proximè dictam. Quia præceptum vel statutum, seu lex Mediolanensis extra diœcesim existentes non obligat. Et quia quilibet se conformare potest moribus illorum, quibuscum viuit, etiam transeunter, si alias impeditus non sit, sicuti non est hic clericus cum impedimentum cesset.

Secundò dico probabilius esse, hunc clericum obligatum esse vti Romano. Quia in tantum ab hac obligatione eximi potest, quatenus Mediolanensis beneficiatus est, quibus concessum est vti Ambrosiano. Sed hoc priuilegium non videtur extendi ad clericos Mediolanenses extra diœcesim existentes, sed intra ipsam, neque pro illis videtur consuetudo introducta, neque posse introduci, quæ consuetudo legi æquiualet. Cùm autem lex intra iurisdictionem legislatoris non possit extendi, ita nec consuetudo. Aliàs extra diœcesim haberet Mediolanus Antistes iurisdictionem: quod est impossibile. Ergo.

Neque obstat: Dominicanum religiosum existentem Romæ posse, & debere vti Breuiario sui ordinis, & non Romano. Quia hæc obligatio prouenit ex vi professionis, & voti, cuius iurisdictio vbique extenditur. At Mediolanensis iurisdictio siue sit ex consuetudine, siue ex lege, non potest extra Mediolanum extendi. Adde si in monasteriis Dominicani ordinis essent plura Breuiaria, & religiosus transiret illac: credo posse, dum ibi existeret, vti quo voluerit, vel Breuiario sui proprij Conuentus, qui retinet subiectionem ad illum, vel illius, per quem transit, quia etiam similiter est illi subiectus, & efficitur illius pars.

Quartò dubitatur. An teneantur, vel possint religiosi exempti vtentes Breuiario Romano excitare de festiuitatibus Sanctorum, de quibus iuxta Constitutiones diœcesanas à Sede Apostolica confirmatas in diœcesi, in quo ipsi existunt, recitatur? Et quæstio procedit in nostra sententia (quam statim probabimus) affirmante obligationem esse recitandi non solùm iuxta formam Breuiarij Romani in genere, sed sigillatim & in particulari, ita vt quo die recitandum sit de feria, non reciteur de Sancto, neque è contra. Nam si vera esset sententia, quam probabilem reputamus, asserens sub obligatione graui solùm adstringi clericos ad recitandum iuxta quamlibet formam in Breuiario contentam, tametsi non recitatur iuxta formam, quæ pro illo die præscribitur, ferè nulla est difficultas. Nam ad honestandam mutationem, quæ absque causa solùm inducit veniale peccatum, quælibet honesta, & rationabilis causa videtur sufficere. At posita nostra sententia affirmante quemlibet obligatum esse sub graui culpa officium recitare iuxta formam ab Ecclesia Romana pro illo die præscriptam, neque satisfacere obligationi si alia vtatur: est difficultas. An religiosi exempti possint diœcesanis festiuitatibus se conformare, omisso officio feriæ, vel Sancti, quod à Romana Ecclesia illo die præscribitur.

Ratio dubitandi est, Quia omnes religiosi, & clerici, qui specialiter exempti non sunt, tenentur seruare morem præscriptum in Breuiario, vt expresè dicitur in Bulla Pij V. apposita in principio Breuiarij, & satis suprà dictum est. At hi religiosi Constitutionibus diœcesanis non eximuntur ab hac obligatione, cùm illis non subdantur, vt diximus *tract. 3. de legibus disp. 1. p. vlt. §. 6.* Ergo. Confirmo primò. Nullus sæcularis clericus tenetur alterare officium à Romana Ecclesia præscriptum & recitare de Sancto illius diœcesis, sed potest omisso illius officio recitare de Sancto vel de feria, de qua vniuersalis Ecclesia recitat, excipe nisi fuerit patronus Ecclesiæ propriæ, vel diœcesis, vt constat ex Bulla Gregorij XIII. apposita officio proprio Sanctorum Hispanorum, ibi enim dicitur: *Cùm prædecessor noster (prædictus scilicet* Pius V.*) indistinctè concesserit vt Ecclesia Hispaniæ possint celebrare officia propria Sanctorum illius prouinciæ, illique plures sunt numero: ex hoc sequebatur, vt officium maioris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breuiarij ferè subuerteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, & prædecessoris prædicti mentem sano modo interpretantes; declaramus vnamquamque Hispaniæ Ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breuiario nõ sunt descripti, officia propria celebrare posse, qui vel illius diœcesis sunt naturales, vel eius Ecclesiæ, vel diœcesis sunt patroni, vel eorum corpora, seu notabiles reliquiæ in ea Ecclesia, seu diœcesi requiescunt.* Notandum est verbum *celebrare posse*, quod licentiam concedit, non præceptum imponit. Sed in hac concessione non videntur religiosi comprehendi, quia exprimuntur: & priuilegium derogans iuri communi, non debet extendi ad alias personas præter expressas, cùm strictè interpretandum sit. Neque valet dicere religiosos esse satis expressos cùm dixerit Gregorius *vnamquamque Ecclesiam*. Signum enim illud *vnamquamque*, vniuersale est, quod omnes Ecclesias comprehendit. Nonnnquam, valet. Tum, quia paulò inferiùs intendens religiosos obligare, vt in die quo celebratur festiuitas patroni totius diœcesis se conforment, illos exprimit. Ergo cum in aliis festiuitatibus nullam de religiosis faciat mentionem, religiosi non poterunt se conformare. Tum & præcipuè, quia loquens Gregorius de specialibus festiuitatibus, quas in tota Hispania volebat generaliter celebrari, subiunxit. *Volumus quòd festiuitates sequentes sint in tota Hispania generales, ita quòd omnes Ecclesiæ, & Religiones existentes in illa prouincia recitent de illis.* Expende, *omnes Ecclesiæ & Religiones.* Si enim sub verbo (*Ecclesia*) & vniuersali signo affecto, religiones comprehenderentur, frustra Gregorius, illas exprimeret, & confirmo. Secundò, exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; cùm ergo religiosi eximantur ab obligatione, seruandi ordinem præscriptum à Pio V. solùm in festiuitatibus Patroni diœcesis, & generalibus pro tota Hispania, sit sanè in aliis festiuitatibus obligatos esse.

9 Cæterùm existimo posse religiosos in prædictis festiuitatibus cum clericis sæcularibus illius diœcesis se conformare. Moueor primò, quia vt diximus *tract. de legibus disp. 5. de priuilegiis*, priuilegium Principis, & maximè concessum regno, vel prouinciæ late est interpretandum. Ergo priuilegium concessum à Sede Apostolica, vt Ecclesiæ illius diœcesis de tali Sancto recitent, omnes Ecclesias etiam regulares sub forma Breuiarij Romani recitantes comprehendit. Tum quia lata interpretatio, quam priuilegium habere debet hanc petit extensionem. Tum quia hac via datur conformitas Ecclesiarum in diœcesi, ita vt religiosorum Ecclesiæ cum sæcularibus conformentur. Quam conformitatem procurauit Concilium, vt satis colligitur *ex sess. 25. de Regul. specialiter cap. 12.* vbi ex declaratione Cardinalium relata ibi à Barbosa, omnes regulares tam vtentes Breuiario Romano, quàm proprio suorum ordinum, debent in concionibus, & sacris lectionibus, vti epistolis, & Euangeliis quibus clericus sæcularis vtitur. Ergo religiosi qui Romano ritu vtuntur in omnibus cùm clero se conformare debent. Secundò, probo ex supradicta Bulla Gregorij, vbi conceditur omnibus Ecclesiis, vt possint recitare officium illius Sancti, qui vel illius diœcesis est naturalis, vel eius Ecclesiæ, seu diœcesis est patronus, vel eius corpus, seu notabiles reliquiæ in ea Ecclesia, seu diœcesi requiescunt. Sed in hac concessione religiosorum Ecclesiæ sub forma Breuiarij Romani recitantes comprehenduntur. Tum ob ea, quæ diximus. Tum quia nulla est ratio, quæ illos religiosos à tali concessione eximat. Cùm talis concessio illis onerosa non sit, sed potiùs onus leuet, & voluntati illorum vsum talis priuilegij remittat. Tum quia exceptio, quam Gregorius facit de festiuitate Patroni, & aliis generalibus potiùs firmat supradictam concessionem. Aliud enim est obligari religiosos ad recitandum de aliquo Sancto, aliud posse, si velint, de illo recitare: vt autem religiosi censerentur obligati in constitutione obligante sæculares clericos, debebant exprimi: at vt censerentur comprehensi in constitutione priuilegium, & facultatem concedente, non erat opus expressione: quia in concessione huius facultatis est fauor, at in expressione obligationis est rigor. Concedo ergo de sola festiuitate Patroni, aliisque generalibus obligatos esse religiosos se cum sæculari clero conformare. Quia solùm pro iis festis est expressa obligatio. Potuerunt tamen, si velint, in reliquis festiuitatibus se conformare. Et hoc erit decentius, Deo gratius, & populo vtilius, & ex his satisfactum est rationi dubitandi.

10 Maior autem difficultas est an possit Episcopus instituere, vt totus clerus suæ diœcesis festiuitatem alicuius Sancti celebret, cùm iuxta rubricas Breuiarij Romani de alio Sancto, vel feria recitandum erat?

Et quidem si ille Sanctus signatur in Patronum totius diœcesis, vel illius diœcesis est naturalis, vel eius corpus, seu notabiles reliquiæ in diœcesi requiescunt, credo posse Episcopum obligare clericos suæ diœcesis, vt de illo officium persoluant. Quia hæc constitutio aduersa non est constitutionibus Pontificiis, sed potiùs illis conformis. Conformatur enim constitutioni Gregorianæ concedenti, vt de tali Sancto possint officium recitare.

11 Quocirca quæstio solùm procedit de Sancto, qui neque est Patronus diœcesis, neque illius naturalis, neque illius corpus, aut notabiles reliquiæ in tali diœcesi existunt. An, inquam, de hoc possit Episcopus statuere, vt clerici suæ diœcesis officium recitent?

Certum est constitutione perpetua id fieri non posse, quia esset aduersa supradictæ Gregorianæ constitutioni. Inquit enim: *De aliis verò Sanctis etiamsi sint naturales, vel patroni alterius diœcesis, etiamsi illorum corpora, vel notabiles reliquiæ in aliqua Ecclesia alterius diœcesis requiescant non celebretur officium proprium, sed seruetur ordo Breuiarij Romani.* At Episcopus derogare non potest sua constitutione constitutionem Pontificiam *ex text. in cap. Maiores de Baptismo, & cap. inferiori, de maior. & obedient.* Ergo.

12 At si de decreto aliquo particulari loquamur, dicendum existimo posse Episcopum vna, vel alia vice statuere, vt de aliquo Sancto à Sede Apostolica canonizato recitetur, si vrgens

aliqua causa occurrat, quæ Pontificem consuli non permittat. Probo, quia solùm obstare potest lex generalis lata à Pontifice recitandi illo die de alio Sancto, vel de feria. Sed Episcopi potestatem habent dispensandi in legibus Pontificiis: vt latè probamus *tractat. de legibus, disput. vltima de dispensatione* præcipuè cùm vrget causa, & non patet aditus ad Pontificem. Ergo poterit in hac lege generali dispensare. Secundò, priuilegia & facultates, quæ à Sede Apostolica expostulantur, sunt pro recitatione perpetua. Ergo signum est pro temporali ab Episcopo fieri posse.

13 Quintò, dubitatur. An sit præceptum recitandi Officium Virginis, Defunctorum, Psalmos pœnitentiales, & graduales? Respondeo ex omnium sententia, vtentes Breuiario Pij V. non teneri extra chorum ad horum recitationem, quia ita cauetur in supradicta Bulla. At alij spectare debent consuetudinem sui loci, & iuxta consuetudinem metienda est obligatio. Sic alios referens Bonacina *disput. 1. quæst. 3. part. 1. num. 22.* Ab hac regula excipitur dies commemorationis omnium defunctorum, in quo teneris officium defunctorum dicere, quia est pars officij illius diei, & ita habetur in Calendario. & constat ex praxi. Idemque est dicendum de Litanis tempore Rogationum si processionibus non interfis: quia est pars officij illius diei, neque in Bulla Pij V. excipiuntur, sicut excipiuntur alij Psalmi, & preces, esto contra teneat Carolus Macig. *cap. 29. num. 18.* & indicet Vasquez *de benefic. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 1. in fin.* vbi adducit Sotum, Armillam, & Syluestrum, sed loquuntur extra tempus Rogationum.

14 Sextò, dubitatur. An satisfacias si officium Canonicum alia lingua præter Latinam dicas? Respondeo probabile esse te satisfacturum obligationi. Quia formulam Romanam precandi quoad substantiam retines. Quia hæc non tam ex idiomate Latino, vel Græco constat, quàm ex sensu orationis, & illius dispositionis. At sine dubio grauiter peccabis, si aliquoties facias: quia censeris Ecclesiæ generalem ritum, & morem parui pendere, illumque tuæ particulari deuotioni postponere. Secundò, si publicè facias. Quia præbes populo occasionem scandali & erroris. Sic latè Bellarm. *lib. de verbo Dei, cap. 15. & 16.* Suarez *tom. 2. de Relig. cap. 7. n. 8.* Emmanuel Sà *verbo Hora num. 10.* Bonacina *disput. 1. de hor. can. q. 3. punct. 1. n. 15.*

15 Septimò, dubitatur. An si addas, vel diminuas aliquid ex officio Canonico, peccES? Nemini est dubium te peccare saltem venialiter, etiamsi minimum addas, vel diminuas, tanquam partem diuini officij. Quia expressè in Bulla Pij V. præcipitur nullam esse faciendam additionem, vel diminutionem. Quod à fortiori procedit, cum officium publicè dicitur, seu in choro. Imò crederem esse peccatum mortale, si vel minimam adderes, vel detraheres animo, vt in perpetuum sic duraret. Quia licèt respectu diuini officij illa sit minima pars, & leuis additio, vel diminutio: non est tamen leue, sed graue illam minimam partem ritui Ecclesiæ quasi perpetuò addere, vel diminuere. Tum ob vsurpatam iurisdictionem; tum ob introductionem noui ritus & cultus. Sic Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 15. n. 15.* Filliucius *tract. 23. cap. 6. q. 11.* esto contra teneat Bonacina *disput. 1. q. 3. punct. 1. num. 21.*

Dixi *tanquam partem diuini officij*, quia si addas aliquid concomitanter, & per accidens ad maiorem diuini cultus solemnitatem, non est peccatum. Hæc enim ratione honestatur cantus, qui inter vnum, & alium Psalmum solet ad organum, vel musicum instrumentum fieri, ita Bonacina *loco suprà indicato.*

16 Octauò, dubitatur. An supradicta additione, vel diminutione satisfacias præcepto recitandi? & quidem, si notabilem partem diminuas, clarum est te non satisfacturum. Tum quia illud officium sic diminutum non retinebit absolutè formam præscriptam. Tum quia illud officium est absolutè præceptum secundùm se totum. Ergo omissa graui parte præceptum absolutè implendum omittitur. At si officio notabilem partem addas, credo, etsi peccES, propter additionem, te satisfacturum præcepto recitandi, Quia totum, quòd præcipitur, recitas, etsi aliis præcibus mixtum. Dices: ex illa mixtione probatur te non satisfacere præcepto, quia illa mixtio facit vt non sit eadem formula officij, sed alia: at teneris recitare iuxta formulam in Breuiario præscriptam. Ergo non satisfacis. Respondeo moraliter loquendo non esse aliam formulam; quia non debes censeri illa addere, vt partem diuini officij, sed quasi per accidens.

17 Nonò, dubitatur. An satisfacias præcepto recitandi, si die quo recitandum est de Sancto, recites de feria, & è contra? Non desunt autores qui affirment te solùm in hac mutatione committere peccatum veniale. Sic Caiet. *verb. Hor. §. 3.* Syluester *eodem verbo, quæst. 12.* Emmanuel Saa *eodem verbo, num. 12.* Zerola *n. 6.* & reputant probabile Valent. *disput. 6. quæst. 2. part. 10. §. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 37. num. 77.* Vasquez *de benef. cap. 4. §. 1. dub. 2.* Vega *1. p. cap. 118. casu 17.* Mouentur quia præceptum impletur quoad substantiam, etiamsi in modo deficias, substantia enim præcepti est, vt recites secundùm formam Breuiarij Romani, & non alterius. Modus autem accidentalis est, vt hoc die recites de feria, alio de Sancto. Ergo.

18 At mihi verius & probabilius est te non satisfacere præcepto, si omisso feriali officio recites de Sancto, vel loco officij de Sancto recites de feria, cum recitandum non est, sic docent plurib⁹ relatis Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 11. n. 6. & cap. 23. num. 12. &* 14. Bellarm. *tom. 3. lib. 1. controu. 3. cap. 18.* Garzia *de benef. 3. p. cap. 1. num. 150.* Bonacina *disp. 1. de hor. can. quæst. 3. punct. 2. num. 17.* Reginaldus, *praxi lib. 18. num. 177.* Filliucius *tract. 23. cap. 8. quæst. 4. num. 186. & cap. 7. quæst. 3.* & alij apud ipsos Moueor, quia præceptum non solùm est de recitando in genere secundùm formam præscriptam à Pio V. sed de recitando, verbi gratia, tali die de Sancto, & tali de feria, quia hoc in forma præscripta continetur. Aliàs non solùm non esset peccatum mortale illius omissio, sed nec veniale; quia non potest esse peccatum veniale, vbi non est materiæ præceptæ violatio. Quod si fatearis, vt verè fatendum est, materiam præcepti esse hanc particularem recitationem; & illam omittens recites aliam, quæ præcepta non est, non videris præcepto satisfacere. Quia non potest fieri satis præcepto per rem non præceptam. Item si verum esset te tantùm esse obligatum recitare secundùm quamlibet formam Breuiarij Romani; & non secundùm formulam contingentem quolibet die, satisfaceres præcepto recitandi, si officium dicas de Resurrectione quolibet die quadragesimæ, & Dominicæ per annum. Consequens autem durum videtur, cùm totum illud officium non æquiualeat matutinis precibus alterius diei. Ergo. Et ex his patet responsio fundamento contrario. Nego enim præceptum secundùm substantiam esse tantùm recitationem secundùm formam Breuiarij Romani, vt sic, sed etiam secundùm hanc, & illam formam. Quia pro quolibet die est distinctum præceptum iuxta distinctionem ritus recitandi.

PVNCTVM III.

Quomodo à supradictis officium diuinum recitandum sit vt præcepto fiat satis.

1 *Deciditur quæstio ab Innocentio III.*
2 *An truncare verba obstet obligationi.*
3 *Quid dicendum de interruptione.*
4 *Attentio illa requiritur, quæ ad orationem necessaria est.*
5 *Intentio sufficit virtualis.*
6 *Si solus recitas, non teneris proferre verba voce ita altiori, vt te audias.*
7 *Quid si cum socio.*
8 *Quæ tenearis proferre, quando recitas cum socio.*
9 *Non satisfacis obligationi, si non expectes integram socij prolationem.*
10 *Quid si recites animo non satisfaciendi præcepto.*
11 *An si recites sine attentione peccES?*

1. SAtisfecit huic interrogationi Innocentius III. *in cap. Dolentes, de celebratione Missarum*, præcipiens in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis, omnibus ad recitandum obligatis, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit studiosè celebrent pariter, & deuotè. Quid autem sit studiosè celebrare? quid deuotè? videndum est.

Ad studiosam celebrationem notant Doctores tria requiri: Primò, ne verba omittantur: Secundò, ne truncentur, & mutilentur: Tertiò, ne interrumpantur. Quotiescumque enim aliquod horum contingit, culpabiliter, diei non potest officium studiosè, sed potiùs negligenter celebrari. Ad deuotam verò celebrationem requiritur debita intentio & attentio. *Sic omnes Doctores cum glossa in sup. dict. cap. Dolentes.*

2 Omissio verborum communiter contingit cum verba priora versiculi vltimis iunguntur omissis intermediis; quæ omissio si in magna quantitate sit, sine dubio est mortale. Tum quia ex officio diuino relinquitur grauis quantitas. Tum quia illa, quæ dicuntur, possunt reputari non dicta. Nam dicta illo modo, vel nullam, vel propriam significationem habent: proindè sic omittens tenetur repetere. Si aurem in leui quantitate fiat, leue erit peccatum. Aliquando tamen propter inaduertentiam, balbutionem, inolitam consuetudinem excusari poterit, sed rarò, ait Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 10. num. 56.*

Truncare, vel mutilare verba, quod fit absorbendo syllabas, existimat Lessius solùm esse peccatum veniale, si voluntariè fiat, & nullum peccatum, si inuoluntariè. Regulariter credo ita esse, quia rarò ob syncopen syllabarum perditur sensus, & significatio verborum. Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 25. num. 6.* At si tanta esset truncatio verborum, seu syllabarum omissio, vt sensum, & significationem amitterent, idem est dicendum, quòd nuper diximus de omissione verborum, esse quidem peccatum mortale cùm obligatione repetendi, si in magna quantitate fiat, & veniale si in leui.

3 Interrumpere officium absque causa extra chorum, etsi plures existimant esse mortale, nisi fiat animo repetendi, vt docuit Nauarrus *cap. 16. num. 75.* Medina *de orat. quæst. 6. sub finem.* Angles *de orat. q. 5. difficult. 5.* Azor. *1. p. lib. 10 cap. 8. quæst. 5.* At probabilius est non esse mortale, neque obligationem repetendi. Quia interruptio non impedit quominus verè recites omnia cuilibet horæ pertinentia; ergo neque impedit, quominus satisfacias

facias præcepto recitandi illam horam. Neque obstat recitationes illas non esse continuas, sed discretas; nam ex discretis recitationibus vna integra hora componi potest. Imò sentio, si aliqua causa iusta subsit intercidendi Psalmos à lectionibus, vel vnum ab alio Psalmo, te à peccato excusari posse. Sic Lessius *lib.2.cap.37.dub.10..n.57.* Bonacina *disput.1.de hor. can.quæst. 3.p.2.§.1.num.27.* Quia quilibet Psalmus immò quilibet versus suam cpmpletam significationem habet distinctam ab alio.

4 Quantùm verò ad attentionem attinet illa necessariò requiritur, & sufficit, quam diximus orationi sufficere; quare si quis solùm ad verba attendat cum intentione saltem generali colendi, laudandique Deum, præcepto fasisfacit, & quia hanc intentionem habere potest aliquibus rebus exterioribus occupatus, quæ non multùm distrahunt mentem, ideò Doctores communiter censent sic occupatum recitantem satisfacere, verbi gratia, si reciter cùm lauat manus, vel se vestibus induit. Sic Vasquez *de benef.cap.4.§.1.art.2.dub.5.* cum Soto *lib.10.de iustitia quæst.5.art 5.* Bonacina *disp.1.q.3.p.2.n.12 §.2.*

5 De intentione implendi præceptum nihil speciale dicendum occurrit, præter ea, quæ de legibus dicta sunt, sufficere, scilicet virtualem, quæ in eo consistit, vt quis voluntatem habeat faciendi rem præceptam: hac enim voluntate præcepto satisfacit. Quam voluntatem habere censeris, dum solito more assumis Breuiarium ad recitandum. Nauarr. *de orat.cap.25.n.8.* Suarez *de orat.lib.3.cap.3.num.6.* Lessius *lib.2.cap.37.dub.11. num.71* Bonacina *disput.1.de hor.can.quæst.3.punct.2.§.2. à n. 10* Garzia *de benef.3.part.cap.1.num 209.*

Circa supradicta restant nonnullæ difficultates enodandæ, vt clariùs doctrina eluceat.

6 Prima difficultas est. An necessariò proferre debeas verba taliter, vt teipsum possis audire ad præcepti satisfactionem?

Respondeo breuiter, si solus recites, non esse necessarium ita proferre vt teipsum audias. Quia præceptum solùm est de locutione vocali cum Deo; sed cum Deo optimè loqui potes verbaliter, quin teipsum audias: quia potes verba formare, quæ Deus optime percipiet. Ergo Deindè si necessarium esset ad orationem vocalem, & huius præcepti executionem te audire verba prolata; orare non posses vocaliter, neque hoc præceptum exequi si surdus esses, aut strepitus magnus simul cum tua recitatione concurreret, qui te ab auditione impediret, quod nequaquam est dicendum. Sic Doctores statim referendi. Verùm etsi necessarium non sit, teipsum audire, est tamen necessarium moraliter loquendo, verba ita distinctè, & clarè proferre, vt teipsum audire possis, nisi aliquod impedimentum adsit; quia verba, quæ auditu percipi non possunt, non videntur verba, sed quidam motus in gutture, seu inter dentes facti, qui potiùs sunt inchoatio verborum, quàm verba. Colligitur ex Valentia *disp. 6.quæst.2.punct.10.§.4.* Reginaldo *lib.18.n.174.* Medina *Cod. de orat.quæst.7.* Filliucio *tract.23.cap.3.n.117.& cap.7.quæst.8.* Azor. *lib.10.cap.11.quæst.4.* & tradit expressè Suarez *lib.4. de hor. can.cap.7.num.6.*

7 Si autem cum socio recites, debes ita proferre verba, vt ipsa socius audiat, si ipse obligatus est recitare, aliàs præcepto non satisfaciet: & è contra ipse socius ita debet verba proferre, vt illa percipias: sin minùs præcepto non facies satis. Quia oratio alterius in tantùm potest esse tibi communis, in quantum illam percipis. Quia auditus loco prolationis succedit, ideóque diceris recitare, quæ socius recitat, quia illum audis.

8 Secunda difficultas est. Quæ tenearis proferre quando recitas cum socio? Respondeo te obligarum esse proferre alternatim Psalmorum versus responsoria autem, antiphonas, capitulum, orationes, & lectiones; etsi omnia socius dicat, tu verò attendas, satisfacies. Quia sæpè in choro, cui priuata recitatio se accommodat, dicuntur ab vno reliquis audientibus, ita Sylvester *verbo Hora quæst.7.* Suarez *lib.4. cap.25. n.5.* Bonacina *disp.1.de hor.can.quæst.3.§.1.n.11.*

9 Tertia difficultas est. An satisfacias tuæ obligationi, si ita cum socio festinanter recites, vt antequam ipse postrema verba sui versiculi proferat incipias tu proferre, quæ tibi competunt? Ratio dubitandi est. Quia ad præcepti satisfactionem solùm requiritur, vt ea, quæ tibi competunt, proferas, audiásque quæ ab alio proferuntur. Sed verumque fieri potest in supradicto modo recitandi. Nam potes, & verba tua proferre, & audire prolata à socio. Ergo satisfacis, & confirmo: audire Missæ potes horas Canonicas recitans: quia recitatio non impedit Missæ auditum cum debita attentione. Ergo neque tuorum versiculorum recitatio, non impediet audire, quæ socius recitat.

Nihilominùs dicendum credo, te nequaquam satisfacere. Moueor præcipuè. Quia inde sequeretur, si socius suum versiculum proferret quando tu profers tibi competentem, te satisfacturum. Consequens autem videtur falsum, tum quia simultanea recitatio aliena est ab vsu, & consuetudine Ecclesiæ. Tum quia alterius recitatio succedit loco illius, quam tu facere debebas, sed tu non poteras simul verumque versiculum recitare. Ergo neque eodem tempore, cùm recitat socius, potes satisfacere. Ad rationem dubitandi respondeo, ad satisfactionem præcepti requiri, vt socij recitationem audias, cùm eam facere posses, quia nomine tui facit: at quia non poteras illam recitare, cum audis, eo quod verumque simul recitare non potes, ideò non satisfacis. Secus est in exemplo audiendi Missam: quia auditus non succedit loco alicuius recitationis. Ita expressè Tolet. *lib.2.cap.13.num.6.* Reginaldus *lib.18.tract.2. num.146. & lib. 4.cap.10.num.87.* Bonacina *disput.1.quæst.3.part.2. §.1. num.3.* & alij.

10 Quarta difficultas, Satisfaciasne præcepto si horas recites animo non satisfaciendi? Solutio huius difficultatis constat ex his, quæ diximus, tract. de legibus. Ibi enim asseruimus probabilius esse satisfacere, quia rem præceptam fecisti, illúmque animum procedere ex errore, quo putas posse te impedire præcepti implctionem præceptum exsequendo. Teneris tamen tempore præcepti ab hac voluntate cessare, & iudicare te adimplesse præceptum, aliàs præceptum voluntate violabis.

11 Quinta difficultas. An recitans horas Canonicas, sine attentione ad verba pecces? Respondeo, si ex obligatione horas Canonicas recitas, præcepto non satisfacis, quia verè non oras: ac proinde peccas mortaliter, si animum non habeas repetendi. At si ex deuotione recitas distinguendum est, si animum habes orandi, peccas ad minus venialiter: quia irreuerenter Deum alloqueris. Verùm si orare non intendis, sed solùm mentem distrahere. & à prauis cogitationibus diuertere, benè que occupatum esse: non videris peccare. Lessius *lib.2.cap.37.dub.11.n.67.* Bonacin. *disput.1.de hor.can.quæst.3.punct.2.§.2.num.7.* Azor. *1. p lib.10.cap.12.quæst.11.* Suarez *tom.2.de relig.lib.3.cap.4.n.3.* & sequentibus, Reginald. *lib.18.n.149.& lib.4 cap.10.n.85.*

Punctum IV.

Quo tempore, quo ordine, quo loco, & quo corporis habitu, & situ officium diuinum recitandum sit, vt præcepto satisfacias?

1 *Omnibus diebus officium diuinum recitandum est.*
2 *Præuenire, vel postponere intra diem tempus horarum solùm est veniale.*
3 *Quo tempore præueniri potest Matutinarum precum recitatio?*
4 *Ordo in diuino officio seruandus est saltem sub veniali.*
5 *Quid si ordinem inuertas in eadem hora.*
6 *Non est mortale dicere Missam nondum expleto matutino officio illius diei.*
7 *Nullum locum signatum esse pro priuata recitatione.*

1 QVantùm ad tempus attinet respondeo te obligatum esse singulis diebus recitare totum officium: *tum ex cap. Dolentes, de celebratione Missarum; tum ex Bulla Pij V.* tum ex consuetudine recepta. Cùm autem dies incipiat à media nocte antecedentis diei, & finiatur media nocte sequentis, intra huius temporis latitudinem teneris totum officium recitare. Cui obligationi satisfacis quacumque hora illius diei recites, siue manè, siue vesperi, siue ante solis ortum, siue post illius occasum.

2 Verùm etsi hoc ita sit, peccatum veniale erit præuenire, vel postponere horas absque causa extra tempus determinatum, verbi gratia, dicere Primam Vespertino tempore, Completorium mane; & sic de reliquis. Quia ordinem præscriptum ab Ecclesia peruertis. Non autem videtur grauis materia præsertim pro officio priuato.

Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam tribus horis post solis ortum, nec veniale est simul dicere; quia ita vsus obtinuit, vt sic dicantur, neque Vesperas Completorio hora secunda post meridiem; in iis consentiunt Doctores statim referendi.

3 Aduerto tamen Matutinum officium cum Laudibus ex receptâ consuetudine te præuenire posse pridie ad Vesperam, id est, ante solis occasum, seu postquam Vesperæ, & Completorium in Ecclesiis Cathedralibus absoluta sint, quod esse solet hora quarta pomeridiana, imò tertia cum dimidia: & illa hora Matutinum sequentis diei incipere potes. Sic Lessius *lib.2. de iustitia cap.37.dub.vlt. à num.78.* & clariùs Bonacina *disp. 1. de hor. can quæst.3. p.3. in fine*, qui dicit tribus horis post meridiem Matutinum recitari posse. Suarez *lib.4. cap.26. num.14.* dicit inter tertiam & quartam horam pomeridianam recitari posse, & aduertit hoc posse fieri, siue hyeme, siue æstate.

Difficultas autem est. An illo die, quo in clericis beneficiatis, & religiosis incipit obligatio dicendi officium, debeant integrum dicere. Respondeo non debere, sed solùm ab illa parte, à qua obligatio incepit, v.g. accepisti ordinem, beneficium, professionem hora vndecima ante meridiem, non teneris recitare Matutinum illius diei neque Primam, neque Tertiam, sed ad summum Sextam & reliquas horas: quia ab illa hora vndecima incepit obligatio, & nullus obligatur ad recitandas horas cum illarum post positione, nisi suo tempore obligatus esset illas recitare. Suarez *lib.4.de hor.can.c.27.n.8.* Bonacin. *alios referens disp.*

diſp.1.de hor.can. quæſt.2.part.5. num.9. Sed quid dicendum,ſi antequam accepiſſes ordinem, beneficium, profeſſionem, horas omnes illius diei recitaſti ? Reſpondeo probabilius eſſe, te non ſatisfacere obligationi ſuperuenienti.Quia non poteſt eſſe ſatisfactio obligationis , vbi nulla eſt obligatio. Debes ergo accepto ordine, beneficio , aut profeſſione recitare horas illi temporı & ſequenti correſpondente. Bonacina *ſup.p.5.in fine.*

4 Quoad ordinem verò ſi officium ſequentis diei incipias, antequam finias officium diei præſentis, v.g. Matutinum ſequentis diei, antequam dicas Veſperas diei præſentis , peccas venialiter, ſi abſque vlla rationabili cauſa facias. Non quia officium vnius diei habeat cum alio connexionem:ſed quia intentio Eccleſiæ videtur eſſe, vt obligationi præſentis diei facias ſatis, antequam incipias ſequentem explere. Et quia regulariter id fieri non poteſt , niſi vel vnum , aut aliud officium notabiliter anteponas ; vel poſtponas tempore conſueto , & ab Eccleſia præſcripto. Suarez *lib.4.de hor.can.c.24.num.3.* Si autem horarum ordinem eiuſdem diei peruertas, & priùs recites Primam,quàm Matutinum , Veſperas , quàm Primam abſque vlla rationabili cauſa , peccatum veniale committes : quia eſt inuerſio ordinis ab Eccleſia præſcripti. Non tamen in hoc caſu , & præcedenti eſt peccatum mortale ; quia modus ille præceptus non videtur grauis materia, ſic Suarez *lib.4.c.24. num.4.* Bonacin. *diſp. 1. quæſt.3. p.4. à numer.1. & ſeqq.* At exiſtente cauſa rationabili, vt quia inuitatis ab amico recitare Primam , cum Matutinum nondum recitaſti , vel recitare Tertiam, non recitata Prima,vel recitando Tertiam recordatis ,non te recitaſſe Primam,nullum peccatum nunc committis inuertendo ſuptadictum ordinem:ſic Suarez & Bonacina *loco allegato*, & alij apud ipſos.

5 Maior tamen eſt difficultas,ſi in eadem hora ordinem inuertas, v.g. ſi priùs recites in Matutino Lectiones , quàm Pſalmos, Laudes quàm Matutinum, Preces & Capitula,quàm Pſalmos & ſic de aliis ; Tunc enim videris non recitare ſecundùm formam præſcriptam : quia hæc forma principaliter conſiſtit in diſpoſitione , quam partes habent inter ſe ; eſt enim quælibet hora quoddam artefactum , cuius eſſentia præcipuè in artificio conſiſtit. Nihilominùs communi ſententia docet, ſecluſo ſcandalo.& contemptu non eſſe peccatum mortale,ſed veniale tantùm. Quia partes cuiuſlibet horæ ſeorſim ſumptæ completam ſignificationem habent , neque vna ab alia pendet. Ad componendam autem vnam horam , vniuntur potiùs per aggregationem,quàm per continuationem, aut aliam vnionem ſtrictiorem, cui aggregationi non obſtat hæc inuerſio , & mutatio. Ergo. Hinc fit ſi aliqua rationabilis cauſa, hunc ordinem mutandi interuertat,nullum te omittere peccatum , v.g. ſi chorum intraſti medio matutino , potes cum aliis proſequi , & poſtea recitare , omiſſa. Idem eſt ſi oblitus fuiſti aliquam partem recitare , potes illam poſt ſupplere. Item ſi cùm recitas Matutinum, deeſt tibi Breuiarium ad lectiones, & reſponſoria, poteſt omiſſis lectionibus poſtea recitandis,reliquum recitare,maximè ſi times aliquas occupationes futuras, quæ te ab ita commoda recitatione impediant. Sic Doctores prælegati.

6 An autem ſi peccatum mortale dicere Miſſam Matutinis precibus non recitatis ? ſolet communiter dubitari.Negaui cum communiori ſententia *tract.de Euchar. diſput. vlt. de ſacrificio Miſſæ* , & vltra Doctores ibi allegatos docet in præſ. Suarez *de relig.tom.2.lib.4.cap.24.num.6.* Leſſius *lib.2.cap.37.dub.12. n.* 81. Valentia *tom.3.diſp.6.quæſt.5.punct.*10.§.4. Vaſquez *de Benefic.cap.4.§.1.art.2. dub.3. num.*85. Bonacina *pluribus relatis diſp.1.quæſt.3.punct.4.num.*11.Ratio præcipua eſt.Quia nullum extat de hac re præceptum. Dices eſſe præceptum latum à Pio V. in principio Miſſalis vbi in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit Miſſam dicere iuxta ritum Miſſalis abſque additione, vel diminutione , aliáve mutatione alicuius ceremoniæ ibi præſcriptæ. Sed vnà ex ceremoniis ibi præſcriptis eſt dicere Miſſam Matutino cum Laudibus abſoluto , vt conſtat ex præſcriptione rituum ; qui in Miſſa obſeruandi ſunt. Ergo eſt obligatio grauis ſic dicendi. Reſpondeo Pium V. tuliſſe præceptum ſeruandi. Reſpondeo Pium V. tuliſſe præceptum ſeruandi ritum dicendi Miſſam , nec nouum inducendi ; ſub hoc tamen generali præcepto non comprehendit Matutini recitationem ; quia recitatio Matutini non eſt ritus aliquis Miſſæ,ſed ad Miſſam præſupponitur. Neque illa præſuppoſitio eſt ſub præcepto.Aliàs vacare orationi aliquantulum ſub præcepto eſſet , cum in illis rubricis caueatur. Aliqua tamen in rubricis præſcribuntur non vt præcepta, ſed vt conſilia.Neque obſtat inter defectus in Miſſa cõtingenter computati omiſſionem matutinarum precum *cap.10.de defectibus in Miniſtro.* Quia ſolum eſt defectus leuis : vel dicendum eſt procedere ex ſententia antiquorum Canoniſtarum. Neque item obſtat dari aliquando priuilegium ad dicendam Miſſam non recitato Matutino:quia hoc dari poteſt , tum ad tollendos ſcrupulos, tum & præcipuè vt peccatum veniale vitetur. Quod ſine dubio ſæpè contingit , quando abſque rationabili cauſa Miſſa dicitur non præmiſſa Matutini recitatione , quia ita eſt conſuetudo recepta,& quia Matutinum hora conſueta , & ab Eccleſia præſcirpta non eſt dictum.

7 Locus autem pro priuata recitatione nullus eſt ab Eccleſia ſignatus, ac proinde in quocumque ſatisfacere præcepto poteſt. Si tamen abſque aliqua neceſſitate in locis immundis , vel diſtractioni expoſitis recites peccabis ad minimum venialiter, quia irrauerenter procedis. Bonacin. *diſp.1.quæſt.3 p.5. num.5. & 6.* Sedere cùm ſtandum eſt , vel ſtare cum eſt flectendum ex rubricæ præſcripto , non videtur eſſe peccatum ſi abſque contemptu fiat , quia non videtur præcipi , ſed conſuli , & ordinari maioris deuotioni gratia, ſic Bonacina *Punct.6.*

Pvnctvm V.

Quanta ſit obligatio præcipuè in Clerici horas canonicas recitandi.

1 *Eſſe grauem obligationem non omittendi notabilem partem,& quæ hæc ſit.*
2 *Obligatum titulo ordinis, & beneficij & religionis, tria peccata committere,vel vnum cum tribus circunſtantiis neceſſariò in confeſſione manifeſtandis affirmauit* Sanchez.
3 *Probabilius eſt vnum ſimplex peccatum committere.*

1 EA eſt obligatio in clericis , beneficiatis, & religioſis recitandi ſingulis diebus horas canonicas, vt abſque graui culpa nullus horum poſſit partem notabilem omittere. Quæ autem ſit notabilis pars , non ſatis inter Doctores conſtat. Exiſtimarem ſanè quamlibet horam paruam , aut illi æquualens eſſe partem notabilem , & non aliud. Sic Leſſius *lib.2. cap.37.dub.9. num.*52. Bonacin. *diſp.1. q.5.p.1 num.2.* Moueor. Quia communior ſententia eſt vnum eſſe præceptum de ſeptem horis canonicis recitandis , vt ſtatim dicam, ſed poſita vnitate præcepti, leuis materia iudicanda eſt , quæ quantitatem horæ paruæ non attingit, cùm non attingat partem duodecimam materiæ præceptæ.

Quod autem vnico præcepto totum officium præcipiatur , & non ad multiplicitatem horarum multiplicentur præcepta, videtur conſtare *ex cap. Dolentes,de celebratione Miſſarum*, vbi officium nocturnum pariter & diurnum præcipitur ; & ex Bulla Pij V. & ex inſtitutione horarum, quæ vnicum officium continet ; quia & præcepta multiplicanda non ſunt abſque manifeſta ratione. Ex quo fit omittentem vno die omnes ſeptem horas, vnicum peccatum committere , grauius tamen, quàm ſi vnicam tantùm omitteret ; ſicut grauius peccaret omittens Miſſam audire integram, quàm ſi partem notabilem omitteret.Sic Nauarrus *cap.7.de orat.num.*60.Vaſquez *de beneficiis cap.4.§.1.art.2. dub.5.num.7.* Suarez *de religione lib.4. cap.25. num.*18. Bonacina *diſp.1.quæſt.5.punct.1.num.*8. Garzia 3. *p. de Benef. cap.1. num.*132. & alij plures apud ipſos.

2 Dubium graue eſt.An obligatus horas canonicas recitare, tum ratione ordinis , tum ratione beneficij, tum religioſi ordinis, quem profitetur committat tria peccara, vel vnum cum tribus circumſtantiis neceſſariò in confeſſione manifeſtandis : vel tantùm ſimplex peccatum ?

Sanchez *lib.9.de Matrimonio diſp.15.num.6.ſub finem.* Bonacina *diſp.1. de horis canonicis quæſt.5. p.1.num.4.* aliis relatis docet eſſe plura peccata Quia beneficiatus omittens horas peccat contra debitum ſui officij & muneris, ratione cuius tenetur horas canonicas recitare. Sed quoties quis debitum ſui muneris omittit , peccat contra iuſtitiam. Ergo beneficiatus clericus omittens horas, dupliciter peccat contra religionem ſaltem , & contra iuſtitiam.

3 Nihilominus probabilius cenſeo vnicum peccatum committere , beneficiatum , clericum , & religioſum omittentem horas canonicas. Quia ad horas recitandas ſolùm tenetur ex vi præcepti Eccleſiaſtici , æquè beneficiatus , clericus & religioſus. Ergo cum vnicum præceptum ſit , vnicum peccatum committitur. Et confirmatur ordo clericalis , religio & beneficium non obligant ex ſe ad harum horarum recitationem , ſed ad ſummum obligant clericos religioſos & beneficiatos, ſpeciales orationes pro populo fundere.Ergo in omiſſione harum horarum non committunt iniuſtitiam. Neque obſtat beneficium dari propter officium , id eſt ſub onere & obligatione officij, quia non datur ſub obligatione iuſtitiæ , ſed religionis ; quæ obligatio non ex beneficio , ſed ex præcepto ratione beneficij impoſito ortum habuit;& ita alios referens docet Henriq. *l.5.de pœnitentia cap.5.n.6.*Garzia *de beneficiis 3.p.cap.1.n.*14. & 125.

Pvnctvm VI.

Quæ cauſæ excuſent ab horarum canonicarum recitatione ?

1 *Impotentia , quæ prouenire poteſt tum ex obliuione , tum ex ignorantia,tum ex infirmitate , tum ex carentia Breuiarij, tum ex impedimento extrinſeco,excuſat .*
2 *Qua ratione repentina occupatio excuſet.*
3 *Diſpenſatione eximitur quis ab obligatione , & quis poſſit diſpenſare.*

4 *Impoten*

4 *Impotentem recitare totum officium ad nihil dicendum teneri, qui dicant.*

5 *Alij affirmant impotentem maiorem partem officij recitare, ad minorem obligatum non esse.*

6 *Alij dicunt te esse obligatum recitare eas horas, quas commodè potes.*

7 *Resoluitur primò te non esse obligatum recitare illam horam, cuius notabilem partem debes omittere.*

8 *Potens recitare maiorem officij partem ad illam tenetur.*

9 *Si maiorem officij partem recitare non potes, probabilius est te ad nihil teneri.*

10 *Quid faciendum cùm dubius es, an possis maiorem officij partem recitare,*

11 *An carens visu vel Breuiario tenearis maiorem officij partem recitare, si eam memoriæ feliciter teneas? Resoluitur affirmatiuè.*

12 *An impotens solus, potens verò cum socio teneatur recitare? Proponuntur variæ sententiæ.*

13 *Resoluitur te obligatum esse.*

14 *Apponuntur aliquot limitationes.*

15 *Proponitur ratio dubitandi: An tenearis prauenire recitationem sciens te impediendum esse.*

16 *Resoluitur te esse obligatum.*

1 VArias causas excusantes enumerant Doctores, quas ad tria capita possumus reducere: Impotentiæ scilicet, repentinæ occupationis, & dispensationis?

Quoad primam attinet, & dicendum est impotentiam simpliciter excusare, quia impossibilium non datur obligatio, *leg. impossibilium. ff. de reg. iuris.* Hæc impotentia prouenire potest primò ex obliuione. Secundò ex ignorantia. Tertiò ex infirmitate. Quartò ex carentia Breuiarij, de quibus sigillatim.

Primò prouenit impotentia ex obliuione naturali, seu inculpabili, & tunc non est culpabilis omissio recitationis: quia peccatum debet esse voluntarium. Debes tamen diligens esse, ne hæc obliuio contingat. Quare si expertus sis te recitandi obliuisci, quando hora consueta non recitas, debes adhibere aliquod memoriæ excitatiuum, quo obligationis recorderis. Sic Suarez *de horis canon. lib. 4. cap. 28 num. 4.* Bonacin. *disp. 1, quæst. 6. p. 3. num. 9.* Sed quid si dubius es, an recitaueris? Respondeo te obligatum esse ad recitandum: quia possidet præceptum, à cuius obligatione solui non potes satisfactione dubia. Sic in præsenti Nauarr. *de orat. cap. 20. num. 30.* Bonacin. *alijs relatis disp. 1. de hor. can. quæst. 6. p. 3. n. 11.* Excipe nisi dubium deponas aliqua ratione probabili, sic supradicti Doctores. Si autem certus sis recitasse, dubites tamen an antiphonam, Psalmum, vel quid simile dixeris? Deponere potes dubium credens te recitasse, quia non præsumitur omissum, quod in ordinario cursu, & quasi naturali sequela, & ordine recitatur. Sic Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 26. num. 20.* Azor. *1. p. lib. 10. cap. 12. ad finem,* Nauarr. *cap. 13. de orat. num. 29.* Bonacin. *disp. 1. q. 6. part. 3. num. 12.* Filliucius *tract. 23. cap. 8. quæst. 3 ad finem,* & alij apud ipsos. Secundò ex ignorantia prouenire potest impotentia, & excusatio, primò si sit inuincibilis ignorantia legis, vt si ignores inuincibiliter te obligatum esse recitare. Quia transgredi voluntariè obligationem non potes si obligationem ignoras. Secundò, si sit ignorantia facti: quia nescis recitare. Sed hæc ignorantia vix contingere potest inculpabiliter, si quidem cùm beneficium, aut ordinem recipis, debes te agnoscere esse indispositum, vt obligationi susceptæ satisfacias. Sicut enim obligatus es habere Breuiarium; vel moralem spem alio die habendi illud siue proprium, siue commodatum: ita obligatus es habere scientiam recitandi, vel saltem spem habendi illam: quia ad satisfaciendum obligationi hæc omnia necessaria sunt. Huic tamen obligationi satisfacies, si officium diuinum recitare quoad substantiam scias, etsi perfectam rubricarum notitiam non habeas. Hæc enim decursu temporis, & continua recitatione docetur. Tertiò excusat impotentia, quæ prouenit ex infirmitate, quæ si te simpliciter reddat impotentem, constat excusare. Hac enim de causa cæcus excusatur à recitatione: quia absque visu non potest recitare, & idem est de muto. Surdus autem non excusatur; quia non est necesse ad recitationem priuatam seipsum audire. Alia autem infirmitas, vt tertiana, quartana, tunc excusat à recitatione horarum, quando ea laborans non potest absque graui nocumento recitare: quia *iugum Domini est suaue:* Secus, si cum leui nocumento possit. Quia leue nocumentum nullius est considerationis, vt graue præceptum omittatur. Quartò excusat carentia Breuiarij, quia Breuiarium est medium necessarium ad recitationem.

2 Secundum caput excusationis est repentina, & necessaria occupatio recitationem impediens, quam omittere, aut in aliud tempus differre, vel simul cum recitatione exequi non potes absque graui tui, vel proximi iactura in vita, honore, vel fortuna. Ex quo cap. excusari possunt publicam lectionem facientes intra certum horarum terminum in oppositione alicuius Cathedræ, non solùm quando oppositores sunt, sed etiam quando in ostentationem scientiæ se præparant ad legendum, vt sic viam parent ad cathedram: quia hæc voluntaria lectio reputatur necessaria in illa occasione. Item excusantur Concionatores, & Confessores, qui nec concionem, nec confessiones omittere possunt, aut in aliud tempus differre, absque graui nota, & scandalo: neque simul cum illis valent recitare.

3 Tertium caput excusationis est dispensatio, quæ si à Pontifice fiat non est dubium validam esse, quia dispensat in iure à se lato. Sic multis relatis docent Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 28. à num. 38.* Bonacin. *disp. 1. q. 1. p. 2. num. 5.* Ab Episcopo autem dari non potest clerico neque beneficiato: quia inferior dispensare non potest in lege superioris, nisi iure vel consuetudine ei sit permissum, quod in hoc casu non reperitur. Si tamen dubium sit, an in aliquo casu clericus, vel beneficiatus debeat recitare, poterit Episcopus sententiam ferre. Suarez & Bonacin. *suprà & alij apud ipsos.*

Prælati autem religiosorum, quibus commissa est facultas dispensandi in legibus, & consuetudinibus religionis, poterunt cum religiosis hac in parte dispensare, si causa subsit. Regulariter autem solus prælatus supremus hanc dispensationem concedere potest; quia ita videtur in religionibus receptum, vt pluribus relatis probat Bonacin. *disp. 1. q. 2. punct. 2. n. 9.*

Præter has causas allegari potest spirituale impedimentum censurarum, excommunicationis scilicet, suspensionis, interdicti, irregularitatis, & degradationis, sed recepta est omnium sententia hæc recitationem horarum non impedire. Solùm degradatione est nonnulla difficultas, an eximat clericum ab obligatione, si quidem illum deponit ab officio & beneficio, & ab omni clericali priuilegio. Quapropter Emanuel Saa *verb. horæ. 2. edit. Complutens.* inclinat excusare. At reliqui Doctores negant, ne ex culpa sua commodum reportet. Et in iis ferè omnes Doctores conueniunt. Suarez *lib. 4. de hor. can. toto cap. 28.* Valentia *disp. 6. q. 2. p. 10. §. 7.* Lessius *lib. 2. c. 37. dub. 9. fine.* Azor. *1. p. lib. 1. cap. 13.* Vasquez *in Opuscul. de beneficiis cap. 5. §. 1. art. 1. dub. 12.* Bonac. *disp. 1. q. 6. p. 1. 2. & 3.* & alibi Toletus *lib. 2. c. 14.*

4 Restant tamen aliquæ difficultates circa supradicta enodandæ. Prima. An si ex infirmitate, vel superueniente occupatione impotens sis recitare totum officium, tenearis recitare illius partem. Negant aliqui, quia est vnicum præceptum, quod si impleri non potest, cessat illius obligatio. Neque enim dicendum est, te esse obligatum ad partem, & non ad totum, quia obligatio ad partem non est distincta ab obligatione ad totum, aliàs essent præcepta distincta, & explico. Qui non potest Missæ integræ assistere, non tenetur ad illius partem, verbi gratia, ad audiendum Euangelium & qui non potest toto die ieiunare, non tenetur manè, aut vespere seruare ieiunium. Quia obligatio ad partem non est distincta ab obligatione ad totum. Cùm autem in præsenti vnica sit obligatio ad omnes horas, si hanc obligationem implere non potes, cessat obligatio ad partem.

5 Hæc sententia mihi nullo modo probatur: ex illa enim infertur potentem recitare Matutinum cum Laudibus, & horas minores, excusari posse ab illarum recitatione, ex eo quòd impotens sit recitare vesperas: quia ex illius horæ omissione infertur, præceptum impleri non posse, quod certè videtur absurdum. Quapropter Lessius *lib. 2. cap. 37. num. 54.* Azor. *lib. 10. cap. 13. q. 4. & 5.* Raphaël de la Torre *controuers. 7. de horis can. num.* cum Nauarro *de orat. cap. 11. à num. 15.* sentiunt potentem recitare maiorem officij partem obligatum esse ad illius recitationem, secus verò si solum minorem partem possit: quia maior pars videtur trahere ad se minorem, & cum ab obligatione maioris partis solutus sis, à minori censeris solutus.

6 Alij verò Doctores strictiùs loquuntur. Sentiunt namque te esse obligatum recitare eas horas, quas commodè possis, siue sint maior pars officij, siue minor. Sic Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 28. à num. 22. & 27.* Valentia *illo punct. 10. §. 7.* Bonacin. *p. 2. num. 7.* Garzia *3. p. de beneficiis c. 1. n. 226.* Mouentur. Quia hoc præceptum etsi vnicum sit, est tamen de materia diuidua, & quæ plures partes habet inter se non connexas. Non enim Prima dependet à Tertia, neque Tertia à Matutino. Ergo obligatio recitandi vnam horam impleri potest, etiamsi eidem obligationi, quoad alteram partem fieri satis non possit. Et confirmatur. Qui non potest soluere integrum debitum, obligatus est soluere partem, quando pars solui potest independenter à toto: quod in præsenti contingit, cum possis recitare Vesperas independenter à recitatione Primæ. Immò ad illas recitandas potes obligari, quin ad Primam fueris obligatus, vt si Subdiaconatum ad meridiem susceperis.

7 Ego verò dicendum existimo. Primò te non esse obligatum recitare illam horam, cuius notabilem partem debes omittere, verbi gratia, te non esse obligatum recitare Matutinum, si impotens sis lectiones recitare, vel quia Breuiario careas, aut visu, aut alia de causa impediaris: quia exclusis lectionibus Psalmi non constituunt substantialiter Matutinum iuxta formam à Pio V. præscriptam. Cùm autem præceptum sit de recitatione Matutinarum precum iuxta formam præscriptam à Pio V. & hoc sine lectionibus impleri non possit, efficitur sanè te non esse obligatum ad Psalmorum recitationem. Sic Garzia *3. p. de benef. cap. 1. à n. 221.* Torre *controuersia 7. art. 6.* Fauet Suarez

lib. 4.

lib.4.de hor. can. cap.28. num.10. & 26. Ioan. Sanchez *disp.15. select.num.1*

8 Secundò dico, potentem recitare maiorem officij partem sine dubio ad illam teneri, verbi gratia, potens recitare Laudes cum Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis & Completis, etiamsi Matutinum cum lectionibus recitare non possit, tenetur Laudes cum reliquis horis recitare. Quia sunt partes distinctæ præcepti, quarum vna ab alia non pendet. Sic Nauarrus, Lessius, Azor. Garzia, Suarez, Valentia, Bonacin. *locis allegatis.* Neque obstat Laudes non esse horam distinctam à Matutino. Quia esto vna hora cum Matutino sit, potest tamen ex aliqua iusta causa leui, à Matutino separari, & tanquam hora distincta dici, vt patet in festo Natiuitatis Domini, & in recitatione priuata, id est, consuetudine receptum. Garzia *plures referens 3.p.cap.1.num.224.*

9 Tertiò dico, Mihi probabiliorem esse sententiam Nauarri, Lessij, & aliorum asserentium te non esse obligatum officium recitare, si maiorem illius partem non potes. Tum ob rationem superiùs dictam, quia maior pars trahit ad se minorem. Tum quia ita videtur esse consuetudine receptum, ne infirmi & debiles, vel aliis impediti scrupulis & perplexitatibus vexentur. Quod sine dubio contingeret si potens sine notabili damno recitare quamlibet horam, ad illam teneretur. Quis enim determinare posset, quot horæ tibi nocumentum graue afferrent, aut quis affirmare vnam solam horam ex minimis graue nocumentum allaturam? Ne igitur perplexus sis, ab omni hora videris excusatus, cùm maiorem officij partem recitare non potes, verbi gratia, cùm non potes recitare Matutinum cum Laudibus, quia hæc est pars maior, prima, & præcipua officij. Sic docet loquens de infirmis Manuel Rodriguez *1. tom. Sum.cap. 144.& tom.1.quæst. Regul.quæst.42.art.10.* Garzia *3.p.de benef. cap.1.num.226.* Suarez *tom.2. de relig.lib.4. de hor.can. cap.28. à num.22.*

10 Secunda difficultas est. Quid faciendum, si dubius sis an maiorem officij partem recitare possis absque notabili salutis nocumento? Clarum est te posse & debere iudicio Medici conformare, quia periris in arte credendum est. Qui si asserat tibi nocituram recitationem, eo ipso ab illa præstanda liber existis. Sic Suarez *cap.28.num.21.* Bonacin. *disput.1.q.6.punct.1. n.4.* & alij apud ipsos. Verùm si medicus dubius est, an grauiter tibi nocitura sit recitatio? Suarez inclinat te esse obligatum, quia præceptum & illius obligatio est certa, & causa excusans dubia; præualet ergo præcepti obligatio. Bonacina negat te esse obligatum: quia non tenetis periculo grauis damni te exponere ob præcepti Ecclesiastici executionem. Et hoc mihi probabilius videtur: quia periculum illud grauis damni causa est certa, & non dubia, qua stante præceptum Ecclesiasticum obligare non potest, quia esset rigorosa obligatio, & aliena à suauitate Euangelij.

11 Tertia difficultas est. An carens visu, vel Breuiario teneatis recitare maiorem officij partem, verbi gratia, Laudes cum reliquis horis, si eas memoria fideliter teneas? Sotus *de Iustitia, quæst.5.art.3. p.2. conclusionum*, dubitat de hac obligatione. Quia accidentarium est, quod memoria teneantur. Neque enim videtur iustum ob illam causam honestam onus hoc graue imponi, quod non imponeretur carenti illa. Cæterùm omninò dicendum est, sic tenentem memoria maiorem officij partem obligatum esse ad illam dicendam, quia posita illius officij memoria, iam valet præceptum implere, & sine difficultate. Ergo tenetur. Neque obstat accidentarium esse, quod officium memoria teneatur. Quia posito illo accidenti iam necessarium est te esse obligatum: sicut tempore interdicti accidentarium est te Bullam habere: qua conceditur facultas audiendi sacrum, &c. At illa facultate posita non est accidentarium, sed necessarium, quod præcepto audiendi Missam obligeris. Sic in præsenti. Et ita docet Nauarrus *cap.21. de orat. numero 11.* Suarez *lib.4.de hor.can.cap.28. numero 10.* Valentia *disputat.6. q.2. p.10. §.7.* Bonacin. *disputat.1.de ho.can.q.6. p.2.num.6.* Azor.1. *p. lib.10. cap.13.q.5.*

12 Quarta difficultas est. An si impotens sis recitare solus, possis tamen cum socio, illúmque habeas ad manum, teneatis cum illo recitare? Negat Ioan. Sanchez *disp.15.select. num.2. & alij relati à* Garzia *3.p.de benef.cap.1.num.214.* Quia recitare cum socio priuilegium est, quo non videris ad vtendum adstrictus. Lessius verò *lib.2.cap.37. dub.9. num.54.* & Garzia *suprà n.215.* distinctione vtuntur. Si solitus sis socium adhibere teneris, secus si solitus non sis. Excipit tamen Garzia, nisi antea gratis haberes socium, & postea non inuenires nisi cum stipendio. Et ratio est, quia nullum onus tibi speciale imponitur.

13 Cæterùm cum communi sententia affirmandum est te obligatum esse recitare cum socio, si facilè habere potes siue antea vsus fueris illo siue non. Quia hoc per accidens est ad obligationem indicendam. Sic Nauarr. *cap.11. de orat. n.13.* Azor. *lib.10.cap.13.q.3 & 6.* Manuel Rodriguez *1. tom. Sum.cap.144.n.1.* Bonacin. *disp.1. de hor.can. q.6. p.2. num.8.* Suarez *lib.4.de hor.can.28.à num.13.* Valentia *disp.6.q.2. punct. 10. §.7.in principio.* Reginald. *prax.lib.18.num.183. ad finem,* & alij apud ipsos. Ratio est. Quia obligaris ex præcepto Ecclesiæ recitare: Sed hoc præceptum facilè implere potes adhibendo socium. Ergo obligatus es illum adhibere. Quia obligatus es adhibere media ad exequendum præceptum, quæ tibi difficilia, non sunt. Dices, te esse obligatum apponere media per se ordinata ad præcepti executionem, secus media per accidens, & priuilegiata: vsus autem socij non est medium per se ordinatum ad huius præcepti executionem, sed extra iliam. Siquidem ex permissione Ecclesiæ, & quasi ex priuilegio vsus socij conceditur. Aliàs si vsus socij esset medium per se ordinatum ad huius præcepti executionem, obligatus esses illum conducere, quando gratis habere non posses, sicut obligatus es Breuiarium emere? Respondeo. Etsi vsus socij non sit medium per se ordinatum absolutè ad huius præcepti executionem, est tamen medium suppositа tua impotentia aliter implendi præceptum.

14 Limitant Suar. *n.12.* & Bonac. *p.2.n.9.* cum aliis, & benè supradictam conclusionem. Primò, nisi surdus & surdaster sis, & audire non possis absque magna vociferatione: tunc enim socium adhibere non teneris; quia esset obligatio nimis onerosa. Secundò, limitant vt vsus socij gratis habeatur, quia non es obligatus quærere socium pro stipendio. Quia talis stipendiaria inquisitio non est medium ex consuetudine, & intentione legislatoris statutum ad huius præcepti executionem. Excipe nisi beneficiatus sis: quia beneficium datur propter hoc officium. Cùm ergo ex iustitia ad illud officium obligetis, mirum non est, vt obligeris moderatos sumptus facere pro illius executione. Secus verò affirmant si Clericus simplex, & religiosus sit. Quia horum obligatio non est ex iustitia, sed ex religione. Hæc tamen limitatio mihi non probatur. Credo enim quemlibet Clericum, vel religiosum, si habeat vnde absque difficultate graui possit socium conducere ad secum recitandum, obligatum esse illum conducere, vel nullum Clericum etiam beneficiatum hanc subire obligationem. Quia, vt suprà dixi, eadem est obligatio Clerici simplicis, & beneficiati ad recitationem. Quod autem quilibet Clericus hanc obligationem habeat inde probo: quia vsus socij in persona impotenti aliter recitandi est medium simpliciter necessarium ad huius præcepti executionem. Ergo si ex communi sententia obligamur ad hoc medium assumendum, obligari debet ad expendendos, aliquos moderatos sumptus, si necessarij sunt ad huius medij assumptionem.

15 Quinta difficultas est. An sciens Vesperè impediendum esse à recitatione, debeas illam manè anticipare? Ratio dubitandi est. Quia quælibet hora suo tempori correspondet. Ergo quousque ipsum accedat, non intrat illius obligatio. Item si illo tempore, quo ex præcepto Ecclesiæ hora recitanda est, legitimè es impeditus, cessat illius recitandæ obligatio. Quia horas anteponere, vel postponere solùm tibi ex priuilegio conceditur, non ex obligatione. Et ita tenet Emanuel Saa, *in editione Complutensi, verbo Hora.n.1.* Vbi inquit. *Nec tenetur ad horas, qui vrgenti negotio est impeditus. Huic enim sufficit recitare horas temporis non impediti.* Aduerte in editione Romana ex correctione Magistri Sacri Palatij hoc expunctum esse.

16 Cæterùm tenendum est te obligatum esse anticipare recitationem. Sic ex communi sententia docent Sylvester *verb. Hora.q.vltima.* Graffis *1. p.lib 2.cap.54.* Bonacin. *alios referens disput.1.de hor.can.q.6.p.2.num.2.* Valentia *2.2.disp.6.q.2.p.10. §.7.* Suarez *c.28.n.28.& 36.* Azor. *1. p. lib.1.c.13. q.15.* Ratio est. Quia præceptum recitandi horas obligat non solùm illo tempore, cui horæ specialiter correspondent, sed etiam toto integro die quia in qualibet parte illius diei recitans satisfacis obligationi. Ergo si in aliqua parte diei impeditus es exequi præceptum, & in alia exequi illud potes, obligaris sanè præcepto pro illa parte diei, qua expeditus es. Neque obstat ratio dubitandi. Fateor namque quamlibet horam suo tempori correspondere, quatenus habet specialem significationem, & institutionem, ob quam non licet absque causa anteponere, vel postponere: at quatenus præcepta est toti integro diei correspondet, ac proinde obligationem habes recitandi, ea parte temporis, qua expeditus fueris. Ad confirmationem dico priuilegium esse anteponendi, vel postponendi horas, cùm suo tempore recitari non possunt; vt quando suo tempore recitari possunt, (possunt tamen ante, vel post intra terminos illius diei) non est priuilegium, sed obligatio anteponendi, vel postponendi. Sit ergo certum te obligatum esse recitare horas manè, si toto vespere scis esse impediendum.

PVNCTVM VII.

De pœnis Clericorum non recitantium.

1 *Obligati sunt beneficiati fructus restituere.*
2 *Primo semestri beneficij non est obligatus restituere.*
3 *Fructus perceptos post illud semestre obligatus est restituere.*
4 *Debet fieri restitutio fructuum correspondentium illis diebus, quibus recitationem omittit.*
5 *Quid dicendum de omittente partem notabilem elicitus horæ.*
6 *Omittens leuem partem ad nullam restitutionem tenetur.*

7 Qui

7 *Qui sine vlla attentione recitat obligatus est restituere, ac si non recitasset.*

8 *Omittens recitare vno, vel duobus diebus obligatus est restituere pro rata.*

9 *Qui sentiant contrarium, & qua ratione probent.*

10 *Ante iudicis sententiam habet beneficiatus hanc obligationem.*

11 *Fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus hæc restitutio facienda est.*

12 *Probabilius est sibi applicare posse beneficiatū, si verè pauper sit.*

13 *Duplex limitatio supradictæ doctrinæ adhibetur.*

14 *An fructus Canonicatus aliis Canonicis sint applicandi, neque super illos compositio fieri possit?*

15 *Potest beneficiatus non recitans excommunicari, suspendi, & beneficio priuari.*

16 *Quod dictum est de beneficiato, dicendum est de pensionariis non recitantibus.*

17 *Potest pensionarius non recitans recipere pensionem tradendam fabricæ, vel pauperibus, neque beneficiatus eam sibi potest retinere.*

1 NVlla alia pœna est imposita ipso iure præter restitutionem fructuum perceptorum: quia neque ex lege, neque ex consuetudine habetur, & notauit Suarez *lib.4.de horis can.c.9.n.1.* cùm autem solus clericus beneficiatus fructus ex beneficio percipiat, solus ipse hac pœna obligari potest. Ea autem pœna statuta est *in Concil. Lateran. sub Leone X sess.9. §.statuimus*, vbi in hæc verba, inquit Concilium *Statuimus quoque & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura si post sex menses obtento beneficio officium diuinū non dixerit, legitimo impedimento cessante beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis officij & temporis, sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneantur. Si verò vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente beneficio priuetur. Cùm propter officium detur beneficium. Intelligatur autē officium omittere, quoad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud bus salrem non dixerit: Deo tamen vltra præmissa de dicta omissione reddituri rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties fit, quoties contra facere conuincuntur.* Hæc constitutio declarata, innouataque fuit, & aucta à Pio V. in sua constitutione, quæ incipit, *ex proximo Lateranensi* sed ta 12. Kalendas Octobris 1571. in hæc verba. *Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ex proximo Lateranensi Concilio salubris sanctio emanauit, vt quicumque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses quam illud obtinuerit, diuinum officium legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis suos non faciat: sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verumtamen animi iusti sensione tenentur, cuiusmodi rata pradicta ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius atque expressius prouidere volentes, statuimus vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij sui beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus respondorent, si quotidie diuiderentur: qui verò Matutinum cantum dimidiam, qui cæteras omnes horas aliam dimidiā, qui harum singulos, sextam partem fructuum eius diei amittant: tametsi aliquis choro adductus non recitans omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit fructusque & distributiones, fortè aliter assignatas sola præsentia, iuxta statuta, consuetudinem, vel alias sibi lucri faciēdæ prætendatis etiam præter fructuum, & distributionum amissionem, graue peccatum intelligat se admisisse. Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes præsimenia, præstimoniales, pensiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes cùm prædictis pariter conuenire. At quicumque pensiones fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parium B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, & rerumque ipsarum amissioni obnoxium, Nulli ergo liceat, &c.*

2 Ex his ergo constitutionibus videtur inferri, Primò, beneficiatum clericum obligatum non esse primis sex mensibus ab obtento pacifice beneficio, aliquid restituere etiamsi recitationem omittat: quia Concil. Lateran & Pius V. solùm affirmarunt, sic omittentem peccare mortaliter: & nihil de restitutione dixerunt. Ergo tacitè insinuarunt nullam habere obligationem.

Dices insinuasse non habere obligationem ita rigidam, ac habent transacto semestri. Nam post illud habent obligationem restituendi pro rata fructus perceptos, etiamsi alia officia, & munera obeant: at illo primo semestri non ita rigidam obligationem habent, sed iuxta officium positum mitigare possunt restitutionem. Quia solùm obligantur ex iure naturali, quod intactum videtur relictum; quia beneficium datur propter officium. Sic docent plures grauésque Doctores, quos refert, & sequitur Franciscus Suar. *de hor.can cap.29.num.7.* Vasquez, *t.2. disput. 160.n.32. & disp.168.n.34.* Azor. *1.p.lib.10.c.14.* Valentia *2.2 disp.6.q.2.p.10.§.8.* Couar. *3.variar.c.p.13.n.10.* Menochius *de arbitr.cent.2.cas.429.*

Cæterùm existimo probabilius nullam habere supradictum beneficiatum obligationem restituendi ob omissam recitationem illo primo semestri. Sic Nauarrus *cap.21 de orat.n.38.* Vasquez sibi contrarius *de benefic.cap.4 §.1.art.1.dub.8.* Lessius latè probans *lib.2.c.34.dub.31.n.129.* Bonacina *disp.1.quæst.5.p.2.n.9.* Filliucius *tract.23.c.10.n.308.* Garzia *3.p.de beneficiis cap.1.n.7. & 19* Moueor. Primò, quia Ecclesia ante Concilium Lateranense non concessit beneficium, & illius fructus, sub conditione, vt officium diuinum recitaretur, sed ad summum sub onere, & obligatione illud recitandi; aliàs cùm Parocho concedit beneficium & fructus, esset facta concessio sub conditione, & modò, vt Sacramenta ministraret, ac proinde si in illorum ministratione negligens esset, deberet restitutionem fructuum facere, quòd certè non est in vsu. Item omittens officium absque culpa non posset fructus suos facere, quia sunt dati sub illa conditione. Secundò: Moueor, quia Ecclesia optimè potuit liberare beneficiatum ab obligatione restituendi illo primo semestri, etiamsi illam haberet ex iure naturali. Tum, vt ostenderet erga beneficiatum nouum suam benegnitatem, quem ob difficultatem operis timebat sæpè non integrè satisfacturum suo officio. Tum ob priuationem omnium fructuum, quam subsequenti tempore faciebat, cuius rigore abundè benignitas prima compensabatur. At ita factum esse præsumi potest. Siquidem Concilium Lateranense, & Pius V. solùm affirmant illo primo semestri beneficiatum non recitantem peccare mortaliter, & obligationem restituendi omittunt. Non igitur est illis imponenda. Neque enim multiplicandæ sunt obligationes absque manifesta ratione.

3 Secundò, infertur post primum illud semestre obligatum esse beneficiatum culpabiliter non recitantem restituere pro rata fructus, quos post illud semestre perceperit: quia ita cauetur in supradictis constitutionibus, & tradit Garzia *3.p.cap.1.n.25.* Suarez *cap.29.n.13 & 14.* Dixi *culpabiliter.* Nam si ex aliquo capite à culpa excusetur beneficiatus non recitans, nullam habet obligationem restituendi. Quia hæc obligatio imponitur, quando cessat legitimum impedimentum. At quoties à culpa beneficiatus excusatur, legitimum habet impedimentum. Ergo tunc non obligatur, & ita docent Garzia *3 part de benefic.cap.1 n.27.* Azor. *1 p.lib.10.cap.14.q.7.* Suarez *lib.4.de hor.can.cap.30.n.17.* Regina dus *lib.30.n.44.* Bonacina *disp.1. de hor. can. q.5 p.2. n.4.* Lessius *lib.2.cap.34.n.181 & n 183.*

Dixi esse obligatum restituere fructus, quos percipit post illud semestre, seu qui correspondent omissioni recitationis post semestre factæ. Vt indicarem nullam esse obligationem restituendi fructus, quos primo semestri percipit, etiamsi postea omittat recitare. Quia Concil. Lateranense, & Pius V. illi primo semestri solùm obligationē peccati non restitutionem annexerunt. Item omittentem aliquo, vel aliquibus diebus post primum illud semestre, inquit, Pontifex esse obligatum restituere omnes fructus, qui illis vel illis diebus correspondent. Si igitur obligaretur restituere omnes supradictos fructus correspondentes primo semestri, id debebat Pontifex explicare: quia non sunt pœnæ imponendæ, & extendendæ absque manifesta ratione, & ita docent Suarez *lib.4.cap.29 ad finem.* Filliucius *tract.23.c.10.q.3. n.310.* Bonacin. *disp.1.de hor.can.quæst.5.punct.2.n.10.*

4 Tertiò, infertur omittentem horas recitare post illud primum semestre obligatum esse restituere fructus correspondentes illi, vel illis diebus, quibus recitare omittit. Ita vt si vno die omisit recitare Matutinum cum laudibus, dimidiam partem fructuum illi diei correspondentem debet restituere: siue verò reliquas horas alteram dimidiam, pro singulis horis, Sextam. Sic expressis verbis tradit Pius V & notauit Azor *1.p.l.10. c.14.q.7.* Lessius *cap.34.num.176* Bonacina *disp.1.de hor. can. q.5.p.2.n.8.* Suarez *lib.4.c.30.à n.9.* Garzia *3. p de benef cap.1. n.27.* Vasq. *de benef. c.4. §.1 art.1.dub.8.n.43.* & alij. Neque audiendi sunt Sotus *lib.10 de iustitia q.5.art.5.vers. Quod ergo consilium.* Bartholomæus de Medin. *in summa lib.1.c.14 § 11.* Ludouicus Lopez *instruct.conscient. tom.1. cap 241. & 2. tom. c.105.* Vega *in summa 1.p c.36.casu 1.& 2.& cap.128 casu 18. relati à* Garzia *3. p. de benef.c.1 n.27.* affirmantes omittentem vno, vel altero die horas Canonicas non esse obligatum aliquid restituere, quod probabile putat Filliucius *tract.23.cap.10. q.8* cum Angelo & Aragon. Non, inquam, sunt audiendi: quia expressè contradicunt Pio V. qui pro quolibet die, & pro qualibet hora restitutionem fieri præcepit. Neque obstat famulum omittentem vno, vel altero die in anno debitum seruitium præsumi à Domino exemptum esse ab obligatione restitutionis, ex quadam benigna congruitate: ne videatur Dominus nimis rigidus exactor. Quominus dicamus omittentem recitationem obligatum non esse restituere, quia in hoc casu expressit suam voluntatem Dominus, scilicet Ecclesia. Dum autem hanc voluntatem satis non expressisset, poterat illud præsumi. Quapropter Menochius *lib.2. casu 429. n.9 & 10.* etsi attenta dispositione Concilij Lateranensis, affirmet clericum non recitantem vno vel altero die obligatum non esse restituere, negat tamen attenta constitutione Pij V.

5 Quartò, infertur quid dicendum sit de omittente partem

notabilem alicuius horæ? Suarez *lib.4. de hor.can. c.30. à n.9.* Tolet. *lib.2.cap.12.n.6* excusant hunc ab obligatione restituendi, si fructus correspondentes leues sint, eo quod beneficium sit tenue. Quia non est præsumendum cum eo rigore Ecclesiam suos ministros velle obligare.

Sed credo probabilius esse oppositum. Quia omittens partem notabilem alicuius horæ, absolutè dicitur illam omittere, sicut absolutè dicitur omisisse Missam, qui partem notabilem non audit. Sed pro cuiuslibet horæ omissione est debita restitutio iuxta constitut. Pij V. etiamsi fructus illi correspondentes leues sint. Ergo etiam est debita restitutio pro omissione cuiuslibet partis notabilis. Paucitas enim fructus excusabit ab obligatione graui restituendi, non à leui, ita Garzia 3. *p. de benef. cap.1. n.27.* Bonacin. *disp.1.de hor.can.q.5.p.2.n.13.*

6 Quintò, infertur omittentem partem leuem alicuius horæ, nullam habere obligationem restituendi: quia non dicitur horam omisisse, & solùm pro omissione cuiuslibet horæ signata est restitutio à Pio V. Ergo hic tacitè est excusatus. Adde ex contraria sententia plures scrupulos suboriri, quod non est credendum de benignitate Ecclesiæ. Si enim ex leui omissione obligatio restituendi nasceretur, ferè nulles esset, qui intra paucos dies obligationem grauem non haberet restituendi: quia nemo est, qui singulis diebus integras horas, studiosè & deuotè recitet. Quapropter etsi omissioni leui cuiuslibet horæ fructus leues correspondeant, at multis omissionibus grauis quantitas fructuum debita erit. Ne ergo affirmemus animas fidelium ita illaqueari, dicendum est, pro omissione leui cuiuslibet horæ nullam esse obligationem restituendi, etsi fructuum quantitas illi omissioni leui correspondens grauis sit. Sic Nauarrus *de orat.cap.9. in fine & cap.10.n.42.* Petrus Nauarra *lib.2. de restitut. c.2. dub.3.n.202.* Tolet. *lib.2.c.12.n.6.* Suarez *lib.4.c.30.n.13.* Reginaldus *lib.30.n.44.* Petrus Moneta *tract.de distribut.2.p.quæst. 4.n.42.* Filliuc. *tract.23.cap.10.quæst.7.* & alij.

Dices? cuilibet parti horæ sua pars fructuum correspondet, sicut integræ horæ integra quantitas fructuum. Sed omissa hora perditur integra quantitas fructuum. Ergo omissa parte amittitur pars fructuum illi correspondens. Quia non apparet titulus, ob quem retineri possit, hic enim solùm erat illius horæ partis restitutio. Propter hanc obiectionem Bonacin. *disp.1.de hor.can. quæst.5.p.2.n.11.§. verum* non approbat ex animo suprædictam communem sententiam. At omnino retinenda est, & ad obiectionem dico: quantitatem fructuum non diuidi in singulos Psalmos, seu versiculos, ita vt cuilibet Psalmo, aut versiculo sua pars correspondeat, sed in singulas horas diei: vnde si hora dicitur, & non diminutè dicta sit, quantitas illi correspondens acquiritur: quia horæ per modum vnius correspondet.

Maior autem difficultas est de eo, qui partem leuem in singulis horis omittit, cuius omissio comparatione totius officij diei grauis quantitas censeri potest. An, inquam, obligatus sit restituere? Ratio difficultatis est, quia præceptum de diuino officio non est multiplex pro multiplicatione horarum, sed vnum pro toto officio diei. Sed qui grauem partem officij omittit, absolutè officium omisisse censendus est. Ergo tenetur restituere non vtcumque, sed integrè. Sicut si grauem quantitatem alicuius horæ omitteret. Consequens autem videtur durum: aliàs recitans diminutè singulas horas teneretur restituere idem, ac si nihil recitasset. Nihilominus censeo satis probabile nullam habere obligationem restituendi sic omittentem. Et quidem si pro qualibet hora suum distinctum præceptum latum sit; mihi certum est. Quia tunc omissiones non coniunguntur. Sicut omissio in officio vnius diei non coniungitur cùm omissione in officio alterius diei. Sed adhuc admisso vnicum esse præceptum pro integro officio diei credo nullam esse obligationem. Quia ita est vnum præceptum, vt virtualiter multiplex sit, & obligatio restiturionis singulis horis est annexa. Vnde si quælibet hora per se sumpta nullam inducit obligationem restituendi, neque illam inducet, quatenus vnicum quoddam officium constituit. Officium namque inducere non poterat obligationem restituendi, nisi partes illius officij diuisim inducerent; & ita tenet Moneta de distributionibus *2.p.q.3.n.22.* Filliuc. *tr.23.c.10.q.7.*

7 Sextò, infertur recitantem sine vlla attentione obligatum esse restituere eo modo, quo obligatus est, qui recitare omittit. Quia paria sunt recitare sine vlla attentione, & non recitare. Fructus enim beneficij acquirunt ob recitationem præceptam, & amittuntur ob illius omissionem. Sed recitatio sine attentione non est recitatio præcepta; quia non est oratio. Ergo ex illa fructus non acquiuntur, & ita tenet Nauar. *c.13. de orat.num.17.* Azor. *1.p.lib.10.cap.11.quæst.5.* Bonacin. *disp.1.de horis canon. q.5.p.2.n.17.* Lessius *lib.2.c.37.dub.11.n.67.* Petrus Nauar. *l.2. de restit.cap.2.n.240. & sequent.* Garzia *de benef.3. p. cap.1. n. 186.* Suarez *lib.4.de horis can.cap.30. n.14. & alij apud ipsos.* Quamuis contrariam sententiam teneat Tolet. *lib.2.c.12.dict.4.* Cordoua, Henriquez, Medina, & alij relati à Garzia, & à Petro Nauarra; & probabilem reputat Lessius & Azor. suprà moti ea ratione: quia pœna restitutionis imponitur iis, qui officium diuinum dicere omittunt, non autem iis, qui negligenter, vel distractè dicunt. Sed hæc ratio leuis est momenti. Fateor namque pœnam restitutionis imponi omittentibus diuinum officium studiosè & deuotè recitare: qui autem sine attentione vlla recitat verè diuinum officium studiosè, & deuotè recitare omittit, ac proindè pœna restitutionis ligatur.

8 Septimò, infertur omittentem recitare vno, vel pluribus diebus obligatum esse restituere omnes fructus correspondentes illis diebus pro rata, ac si diuiderentur in plures illos dies; neque ab hac integra restitutione facienda excusari, etiamsi beneficium alia munera annexa habeat. Quia Pius V. in sua constitutione eodem modo de beneficio cum cura & sine cura loquitur, & de vtroque dicit omnes beneficij, seu beneficiorum fructus, qui illis diebus, in quibus omittit recitare correspondèrent, si diuiderentur, suos non faciat; sed tanquam iniustè perceptos debeat restituere. At qui beneficium, sine vlla cura habet, obligatus est omnes integrè restituere. Ergo etiam qui beneficium curatum habet.

Et confirmo. Pius V. priuat beneficiatum Canonicum non recitantem omnibus fructibus, & distributionibus, quos ob præsentiam, & assistentiam in choro aliàs lucrari debebat, vt constat ex vltimis verbis Bullæ. Ergo non solùm priuat fructibus correspondentibus recitationi præcisæ, sed etiam aliis officiis, & muneribus à beneficiato exhibitis. Denique hac constitutione intendebat Pontifex nouum ius statuere, noua pœna beneficiatorum socordiam propellere; quod constat ex verbo *statuimus*, quod noui iuris videtur esse inductiuum, *iuxta glossam in c. litigantium de offic.ordinariorum in 6.* & Clem. *finali de rescriptis. verbo Statuimus.* At non esset noui iuris inductiua, si solùm priuaret fructibus recitationi correspondentibus, & non aliis muneribus. Ergo omnibus priuat, & ita tenet Valentia *2.2. disp. 6.q.2.p.10.§.3.* Azor. *1.p.lib.10.cap.14.quæst.5.* Petrus Nauarr. *lib.2.de restitut.cap.2.à num.183. & n.196. & seq.* Suarez alios referens *lib.4.de hor.can.c.30.à n.6.* Garzia *de benef. 3. p. c.1. num.28.35. & sequent.* Malderus *de Virtutibus tract.10. cap.2. dub.4.versiculo sequitur.* Vasquez *sibi contrarius 1.2. disp.168. n.34 & sequentibus.* Reginald. *lib.30 n.46.* & alij.

9 Dices? Pium V. solùm dixisse omittentem recitare, obligatum esse pro rata restituere omnes beneficij, seu beneficiorum fructus, qui illis diebus omissionis correspondèrent. Sed hoc limitari potest, vt intelligatur, qui correspondèrent recitationi, non qui correspondèrent aliis muneribus à beneficiato exhibitis. Ergo sic explicandum est. Tum quia sic iuri naturali obligatio restituendi à Pio V. imposita esset conformior; tum quia temperaretur rigor huius pœnalis constitutionis. Tum quia durum est beneficiatum parochum, & capellanum eadem obligatione teneri, qua tenetur simplex beneficiatus, cui nullum onus præter recitationem est beneficio annexum.

Propter hæc graues Doctores censent satis probabiliter Bullam Pij V. cum suprædicta limitatione intelligendam esse: ac proinde, parochum, vel Episcopum solùm obligari ad quintam partem, restituendam, Canonicum ad quartam alios capellanos, & beneficiatos ad tertiam. Sic Lessius *cap.34. num.173.* Tolet. *lib.2.cap.12.dict.2.* Henriquez *in summa lib.13. cap. 13. §.2.* Emanuel Saa, *verbo Beneficium n.58. in vtraque editione.* Lopez *2.p.instructorij cap.95.* Rodriguez *summ.1. p.cap. 164.n.4.* Medina *instruct. confess. in expositione tertij præcepti §.11.* Vasquez *de benef.c.4.§.5. art.1.dub.7.num.38.* Bonacina, qui alios refert. *disp.1.q.5.p.3.n.2.*

Illud verò, quod dicit Henriquez pensionarium, & beneficiatum simplicem, cui nullum onus est annexum præter recitationem posse aliquos fructus retinere, quia obligatur ad deferendum habitum, & tonsuram mihi non probatur, sicut nec Bonacinæ. Quia delatio habitus, & tonsuræ abundè compensatur immunitate Ecclesiastica, & aliis honoribus clerico concinnis. Quapropter existimo clericum beneficiatum, cuius beneficium nullum onus habet annexum præter recitationem, si recitare omittat, omnes fructus obligatum esse restituere. Neque contrarium in iis beneficiatis, & pensionariis reputo probabile.

10 Octauò, infertur: hanc obligationem restitutionis habere beneficiatum sic omittentem officium ante iudicis sententiam. Quia in suprædicto Concil. Lateran. & Bulla Pij V. expressè dicitur, fructus suos non faciat. Item tanquam iniustè perceptos erogare teneatur. Quæ verba indicant manifestè beneficiatum, non acquisisse illorum dominium, sed tanquam rem non suam illos retinere non posse. Potuit enim Ecclesia fructus beneficij applicare beneficiato sub ea conditione, vt beneficiatus culpabiliter non omittat recitationem. Ergo sic est præsumendum esse factum, cùm verba suprædicta id clarè indicent; & ita tenet, vt indubitatum Suarez *lib.4 de horis canon. c.30. num.2.* Nauarr. *cap.25. num.22.* Petrus Nauarra *de restitut.lib.2.c.2.num.195.* Bonacina *disp.1. de hor. can. quæst.5. p.2. num.7.* Lessius *lib.2. cap.34. dub.32. num.183.* Filliucius *tract.28.cap.10.q.4.num.311.* Garzia *de benef.3. p.cap.1. n.32.* & alij plures apud ipsos.

11 Nonò, infertur hanc restitutionem faciendam esse fabricæ beneficij, vel pauperibus; quia ita cauetur in suprædictis constitutionibus. Vnde liberum tibi est ex iis, quod malueris eligere. Si ergo eligas in fabricam beneficij expendere, potes domum beneficij reparare, agros, & vineas colere, & alia præstare, quæ in beneficij vtilitatem cedunt. Non tamen potes eos fructus expendere in vtilitatem alterius Ecclesiæ ab ea, quam habes, & à qua fructus accepisti. At si eligas restitutionem pauperibus

peribus erogare, potes non solùm pauperibus loci, in quo est beneficium situm, sed etiam quibuslibet aliis facere. Quia in supradicta constitutione non limitatur. Sub nomine pauperum, quælibet opera pia in vtilitatem pauperum redundantia, & suffragia pro animabus purgatorij intelliguntur. Sic tenent & latiùs expendunt Suarez *lib.4.de hor. can. cap.30. à num.18.* Bonacina *ibi disp.1.quæst.5.p.4.à n.1.*

12 Sed an sibi beneficiatus applicare fructus possit, si verè pauper sit? Credo probabilius posse. Quia ipse non debet esse deteriotis conditionis aliis pauperibus; & quia ipse non tam sibi applicat quàm Pontifex ipsi. Sic Nau.*c.25.n.191.* Lessius *l.2 c.34. n.173.* Suar.*l.4.de hor.can.c.30.n.21.* Bonac. *disp.1.q.5. part.4. n.8.* Toletus *lib.2.c.12.n.5.* Neque obstat in supradictis constitutionibus dici beneficiatum non facere fructus suos, sed illos tanquam iniustè perceptos obligatum esse restituere: quia hoc intelligitur dum ipse sibi ratione paupertatis non applicauerit.

13 Huic doctrinæ duplicem limitationem Doctores apponunt. Prima est nisi aliud constet, aut rationabiliter præsumatur Pontificem velle. Nam esto velit Pontifex pauperibus illos fructus restitui, potest non quibuslibet, sed certis applicare, & alios excludere, vt de se constat. Credo autem nolle Pontificem beneficiato pauperi fructus applicare, quoties ipse fixus hac sibi applicatione facienda titulo paupertatis, recitationem omittit. Quia credendum non est velle Pontificem occasionem peccandi suppeditare. Quare in Bulla compositionis eos à priuilegio compositionis excludit, qui sub spe compositionis furantur, & ita tenet Bonac. *disp.1.quæst.5.part.4 n.9* Tolet. *lib.2.cap.12. distinct.3.*

Secunda limitatio est nisi ex consuetudine, aut speciali statuto, & lege applicati sint fructus amissi ob nõ recitatum officium alicui pio operi certo. Quia tunc non licèt, nec sibi, neque aliis pauperibus, aut alteri pio operi applicare. Quia Concilium Lateranens. & Pius V. non videntur voluisse derogare hanc legem, & consuetudinem; sed tantùm applicare fabricæ beneficij, vel pauperibus eos fructus, qui applicati non sunt. Adde quamlibet consuetudinem, statutum, & legem applicantem fructus certo pio operi derogatoriam non esse legis applicantis fabricæ, vel pauperibus, vel illius latitudinem quasi restringere, & coarctare. Ergo obseruanda est, & ita docet Tolet. *lib.2 c.12.dict.3.* Suar. *c.30.n.18.* Rodrig. *t.p.sum. c.146.n.3* Bonacina *disp.1. quæst.5. p.4 n.9.* Filliucius *tract.23.cap.10.n.324.* & alij.

14 Ex his patet non posse compositionem fieri super fructus sic amissos, quando fructus sunt applicati ex consuetudine, aut ex constitutione certo alicui operi. Dubium tamen est, an distributiones quotidianæ, & grossæ fructus, quos Canonici amittunt, ob omissam recitationem priuatam sint applicata aliis Canonicis, aut mensæ capitulari. sicut sunt applicatæ ob non residentiam? Affirmant supradicti Doctores, & alij plures relati à Garzia *3.p.de benef.c.1.n.35* & mouentur, *ex cap.vnico de Clericis non residentibus*, & ex Trid. *sess.21. can.3. & sess.34.c.12.* Verùm meo iudicio supradicti textus solùm probant ob non residentiam fructus esse applicatos aliis Canonicis residentibus: At cùm nihil loquantur de applicatione ob non recitationem priuatam, dicendum est seruandam esse constitutionem Pij V. & Concil. Lateranens. applicantem hos fructus fabricæ beneficij, vel pauperibus. Adde Canonicum residentem, & non recitantem, etsi ratione residentiæ lucretur quotidianas distributiones, ob non recitationem illas amittit. Sed non amittit illas, *ex text. in c.vnico de cleric.non resident.* neque ex aliis locis Tridentini: sed solùm ex supradicti Concilij Lateranens. & Pij V. constitut. Ergo neque aliis applicandæ sunt, nisi illis, quibus supradictæ constitutiones applicant, & ita tenet Garzia *suprà.* Torre. *tract. de hor.can.controuers.10.disp.6.circa finem.*

15 Vndecimò infertur, præter supradictam pœnam, & obligationem restituendi fructus malè perceptos posse beneficiatum horas omittentem, post semestre excommunicari, & suspendi, & beneficio priuari, si intra quindecim dies postquam monitus est bis saltem non recitauerit. Habetur in supradicto Lateranens. & notauit Vasquez *de beneficiis c.4. §.1. dub.8. in fine. num.45.* Bonacina *de horis canonicis quæst.5.p.2. in fine.*

16 Duodecimò infertur, de Pensionatiis non recitantibus officium parium B. Virginis idem esse dicendum, ac dictum est de beneficiatis? peccare inquam mortaliter post obtentam pensionem, si non recitauerint; & transacto semestri obligatos esse restituere integros fructus perceptos: quia nullum officium præter recitationem exequuntur, ratione cuius ab integra restitutione excusari possint. Sic colligitur ex supradicta Constitutione Pij V. & tradit Suarez *cap.30. in fine.* Bonacin. *part.2. n.21.* Petrus Nauarr. *lib.2.de restit.c.1 n.399.* & alij apud ipsos.

17 Dubium tamen est. An possit hic pensionarius à beneficiato pensionem accipere? Item, An possit ipse beneficiatus pensionem retinere? Et ratio dubij est: quia pensionarius non recitans est incapax illius recipiendæ. Ergo malefacit illam recipiens. Ergo tenetur ab illius receptione abstinere. Ergo beneficiatus ei tradere non debet. Ergo poterit sibi retinere. Probo hanc vltimã consequẽtiam. Quia solùm obligatus est beneficiatus pensionario ex fructibus sui beneficij pensionem concedere, quoties pensionarius capax illius est. Qua ratione plures Doctores censent excommunicato pensionario, non esse obligatum beneficiatum tradere pensionem: quia est incapax illius. Cùm ergo ob non recitationem sit etiam incapax, efficitur pensionem illi tradi non debere. Nihilominus tenendum est non peccare hunc pensionarium accipientem pensionem, non sibi retinendam, sed tradendã fabricæ beneficij, vel pauperibus, sicut non peccat beneficiatus non recitatus accipiens beneficij fructus, si illos accipiat non sibi, sed pauperibus, vel fabricæ beneficij applicandos. Neque potest beneficiatus pensionem retinere, quia pensionarius non recitauit, sicut neque possunt fideles fructus retinere, quia beneficiatus horas non exoluit. Sic Suarez *dicto lib.4.de hor.can.c.30. in fine.* Ratio est. Quia beneficiatus obligationem habet tradendi pensionem in sustentationem pensionarij: est enim illa pars fructuum à beneficio extracta, & pensionario applicata, sicuti fideles sunt obligati tradere beneficiato fructus beneficij in illius sustentationem, vt ipse beneficiatus pro ipsis oret, & alia officia ministret, Si autem Beneficiatus ea officia non præstat, non tenetur fructus beneficij, à quibus accepit, reddere: quia ipsi non tradiderunt eos fructus sub conditione, vt officia præster. Sed absolutè, eo tamen fine, vt illa munera possit præstare, vel saltem sub eo onere, vt illa munera præstet, Ecclesia verò beneficiato, imposuit obligationem recitandi, qua non impleta inhabilem eum constituit sibi fructus retinendi, & obligauit vt eos tanquam iniustè perceptos traderet fabricæ beneficij, vel pauperibus, non autem illis, à quibus acceperat. Sic dicendum de pensionario.

DISPVTATIO III.

De Oratione publica, seu in choro facta horarum Canonicarum.

NOTO immorari in declaranda conuenientia huius publicæ orationis: quia sanis mentibus sufficit, sic esse ab Ecclesia institutum, & à tempore Apostolorum vsu, consuetudine approbatum. Videri potest Suarez *lib.4. de hor. can.per octo capita* rem vtiliter expendens. Quocirca examinandum est quæ personæ hanc publicam recitationem possint, & teneantur facere; Et quomodò illam præstare debeant; & sub qua pœna? & an aliquæ adsint causæ excusantes.

PVNCTVM I.

Quæ personæ possint, & teneantur horas canonicas publicè in choro recitare.

1 *Hoc officium ad Clericos & laicos pertinet: ad clericos & religiosos proprissimè.*
2 *An obligentur? Proponitur dubitandi ratio.*
3 *Esse in Ecclesia præceptum publicè recitandi adstruitur.*
4 *Spectato iuris rigore in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis & Regularibus adest præceptum.*
5 *Ex consuetudine in pluribus Ecclesiis hoc præceptum temperatur.*
6 *Vbi est consuetudo sic recitandi obligantur superiores & Prælati curam habere.*
7 *Ratione ordinis nullus Clericus obligatus est officium publicè recitare.*
8 *Qui sentiant & qua ratione probent Episcopum obligatum esse choro interesse.*
9 *Probabilius est ex munere Episcopatus hac non teneri obligatione.*
10 *Parochi spectato iure antiquo obligati sunt choro interesse.*
11 *Attenta consuetudine ab hac obligatione excusantur.*
12 *Nullus religiosus particularis obligatur horas in choro dicere.*
13 *Canonici seu præbendati obligati sunt sub graui culpa officium in choro recitare, iuxta consuetudinem suæ Ecclesiæ.*

1 CErtum est hoc officium non solùm ad Clericos, & religiosos, sed etiam ad laicos pertinere, vt probat recepta consuetudo, quia officium psallendi in choro non est officium requirens ordinem, cum sit commune omnibus Christianis, vt videtur decidi *c.Psalmista.23.d.ibi Psalmista, id est, cantor potest absque scientia Episcopi,* & consequenter absque eius ordinatione *sola iussione presbateri officium cãtandi suscipere.* Sic tradit pluribus exornans Suarez *l.4.de hor.can.c.9. à n.3.* Consentit Bonacin. *disp.2.de hor.can.quæst.1.p.1.n.8.* At non ad quoslibet laicos promiscuè hoc officium pertinet, sed ad illos, qui à Clericis ad hoc munus obeundum deputati sunt, & ratione huius deputationis, à reliquorum fidelium cœtu separantur, & in vnum locum cum Clericis congregantur, vt sic maiori cultu &

decentia officium diuinum celebretur. Clericis & ipsis laicis electis canentibus, reliquo fidelium cœtu audiente.

Ad Clericos verò & religiosos proprissimè pertinet hoc officium. Quia proprium illorum est Deum laudare, & pro populo intercedere, ipsúmque ad deuotionem excitare. Bonacin. *disp.2. de horis can.q.1.p.1.n.7.*

2 Dubium tamen est. An ad hoc munus obeundum obligentur. Et ratio dubitandi est. Quia recepta est consuetudo psallendi in Cathedralibus, & Collegiatis, regularibúsque Ecclesiis officium diuinum; ita vt absque scandalo omitti non possit. Sed hoc officium diuinum necessariò debent præstare Clerici, & religiosi. Ergo ipsi obligati sunt; quia sine obligatione particularium hæc obligatio communis impleri non potest.

3 Pro decisione huius dubij præmitto primò, in Ecclesia præceptum esse diuinum officium publicè recitandi. Colligitur *ex c. vltimo 29. d.* vbi Clerico Ecclesiæ deputato pœna depositionis imponitur, si Matutinis, & Vespertinis horis recitandis (hoc est omnibus horis tam manè, quàm Vespere) ad Ecclesiam non accesserit. Est ergo obligatio grauis recitandi in Ecclesia diuinum officium: siquidem deputati non accedentes pœna graui depositionis puniuntur. *Et c.1.de celebratione Missarum* datur facultas anticipandi horas Clerico rusticano, dummodò horis competentibus iuxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur. Supponit Pontifex (*vt bene dicit* Suarez *statim referendus*) obligationem esse publicè recitandi. Congruentia huius obligationis est manifesta. Nam Ecclesia non solùm intendit officio diuino deuotionem Ecclesiasticorum promouere, sed etiam totius populi, ipsúmque ad deuotionem excitare, vt dixit S. Thom. *Opusc.19. c.5.* ibi, *orationibus & Psalmis vacare in Ecclesia, est quoddam opus publicum ad Ecclesiæ ædificationem ordinatum*, hoc autem obtinere Ecclesia non poterat, nisi publicè officium diceretur, & eo in loco vbi populus congregatur. Conueniens ergo fuit hæc institutio. Videndus Suarez *lib.4.de hor. canon.c.10.n.2.* Filliucius *tom.2. tract.23. c.4.q.4.* Bonacina *disp.2.de hor can.q.1.p.1.n.1.* & alij.

4 Præmitto secundò, spectato iuris rigore in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, & Parochialibus, extat obligatio dicendi publicè diuinum officium singulis diebus. Colligitur apertè *ex Clement.1. de celebrat. Missarum*, vbi dicitur. *In Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus & Collegiatis, deuotè psallatur, in aliis verò conuenienter & debitè celebretur diuinum officium diurnum pariter & nocturnum. Item c.1. de celebrat. Missarum*, Presbytero Parochiali mandatur, vt per se, vel per scholares, (hoc est per minores Clericos secundùm Innocentium & Hostiensem ibi, & Durant. *lib.3. de ritibus c.23. n.7.* vel vt placet Suarez *lib.4.de hor.can.c.9.n.5.* filios fidelium, qui in Ecclesia docentur, & instruuntur, iuxta *cap. Vt quisque de vita & honestate Clericorum*, diuinum officium horis competentibus compleatur: non solùm die dominico, & festiuo, sed etiam, diebus feriatis: siquidem permittitur hic Presbytero ad opus rurale exire, officio per se, vel per scholares publicè recitato. Idem colligitur ex *c.vltim.92. d.* vbi depositionis pœna feriendus est Clericus Ecclesiæ deputatus, si intra ciuitatem fuerit, vel in loco, vbi Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi officium, Matutinis, & Vespertinis horis ad Ecclesiam non accesserit. Supponit ergo esse Ecclesias plures, in quibus diuinũ officium psallitur. Denique *in c. Dolentes de celebrat. Missarum*, districtè præciptur, officium diuinum celebrari à Clericis, quod non solùm de priuata recitatione, sed potiùs de publica intelligendum est. Sic docet Suarez *aliis relatis lib.4. de hor.canon. c.10. à n.3.* Bonacin. *disp.2. q.1 p.1. n.2.* Et ratio deducitur ex præcedenti suppositio. Si enim necessarium est ob necessitatem populi diuinum officium publicè celebrari; iustum & æquum erat, vt in Ecclesiis dignioribus, & principalibus celebraretur: quia ibi maiori cum solemnitate, deuotione, & fidelium concursu, celebrabitur. In Ecclesiis verò simplicibus, seu Capellis nulla est ex vi iuris communis obligatio publicè officium celebrandi, sed spectanda est eorum institutio, & iuxta illam merienda est obligatio.

5 Verùm etsi hoc ita sit spectato iuris rigore: at ex consuetudine in pluribus Ecclesiis præcipuè Collegiatis, & Parochialibus, imò & regularibus, temperatur obligatio publicè recitandi. Vt solùm pro diebus Dominicis & festiuis, vel aliis solemnioribus sit. Imò in aliquibus ex toto est hæc obligatio extracta, tum ob tenuitatem stipendij quod insufficiens videbatur ad hanc obligationem grauem, & continuam apponendam; tum ob paucitatem ministrorum, ob quam non poterat debitè, & decenter officium celebrari. Adde in aliis aliquarum religionum consuetudinem esse introductam à principio suæ institutionis non psallendi in choro, eo quod aliis grauioribus Ecclesiæ ministeriis, & officiis sint occupati, iuxta *text. in c. Sancta Rom.92. d. & Glos.* ibi Quapropter spectanda est consuetudo, quæ si ex suprà dictis causis introducta sit, sufficiens erit obligationem iuris communis derogare; quia est iuri conformis. Sic Suarez & Bonacin. *suprà* & alij apud ipsos.

6 Præmitto tertiò, in Ecclesiis vbi consuetudo viget diuinum officium publicè celebrandi, obligati sunt sub graui culpa, earum Prælati & Superiores curam & solicitudinem habere, ne vnquam omittantur. Habetur expressè Clem.1. *de celebrat. Missarum.* Vbi ad euitandam Dei, & Apostolicæ Sedis indignationẽ præcipitur, iis prælatis hanc curam & solicitudinem habere. Ratio est manifesta. Quia ad Prælatum, & Superiorẽ communitatis spectat curare, vt obligationes communitatis executioni mãdentur: quia ipsi commissum est regimen communitatis. Cùm autem ipse solus hanc obligationem recitandi officium diuinum exequi non possit; efficitur obligatum esse diligentiam adhibere, vt alij exequantur. Ipse tamen ex vi huius obligationis non tenetur magis assistere choro, quàm alij particulari: nisi fortè ratione maioris exempli, vel scandali vitandi. At si prælatus negligens fuerit, vnusquisque ex communitate tenetur procurare, ne officium hoc omittatur. Quia deficiente prælato obligatio munerum, & officiorum communitatis ad particulares descendit, Suar. *lib.4.de hor.can.10.n.8. iunẽto n.15. & 18.* His tanquam certis præmissis dubitationi respondeo sequentibus conclusionibus.

7 Prima Conclusio. Nullus Clericus ratione ordinationis obligatus est officium diuinum publicè in Ecclesia celebrare: quia nullus est textus hanc obligationem inducens Clericis ratione ordinis, sed solùm ratione beneficij. Nam *c. vl. 92. d.* & Clem.1. *de celebrat. Missarum*, & *c.1. eodem titulo*, loquuntur de Clericis Ecclesiæ deputatis ratione beneficij, vt expendenti constat. Aliàs subdiaconus obligatus esset, & quilibet in minoribus constitutus cum ratione ordinis Ecclesiæ sit deputatus, insteuire. Ergo Clerici exempti sunt ab hac obligatione. Et ita consuetudo recepta obtinet. Sic docet Nauarrus *de orat. c.4.* Azor. *lib.10. c.11. quæst.8.* Valentia *2.2. disp.6.q.2.p.10.§.6.* Suarez *lib.4. c.10. à n.10.* Bonacin. *disp.1. de hor.can.q.3 p.5.n.5.*

8 Solùm de Episcopis, & parochis est inter Doctores controuersia: An obligati sint diuinum officium in Ecclesia persoluere. Et quidem de Episcopis tenet Syluester *verb. Hora q.10.* & Angelus *eodem verbo, n.28.* Tabienna *n.29.* Probant primò, *ex c. Episcopus 41.d.* vbi Concilium Carthaginense, 4. *c.15.* ordinat Episcopo ne hospitium longè ab Ecclesia habeat; quod videtur esse, vt obligationi choro assistendi commodiùs satisfacere possit. Secundò, *ex c. Peruenit.7. quæst.1.* Vbi mandatur Episcopo in Ecclesia sua residere. Tertiò, *ex c.1. de celebr. Missarum.* Vbi prælatis conceditur ex causa abesse à choro. Ergo illa cessante obligationem habent. Quartò, *ex c. Episcopus de consecratione, d.3.* vbi cauetur ne die Dominico absit ab Ecclesia, qui proximus fuerit, nisi infirmitate fuerit impeditus. Ergo saltem diebus Dominicis hanc obligationem habet. Neque deest ratio pro hac sententia. Cùm enim Episcopus magis principaliter omnium Ecclesiæ deputatus sit, conueniens erat strictiori obligatione teneri. Cùm igitur (vt postea dicemus) Canonici, & Præbendati obligationem habeant assistendi, à fortiori Episcopus pinguiores redditus habens eam obligationem subire debet.

9 Nihilominus probabilius censeo ex munere Episcopatus non esse obligatum Episcopum choro interesse quotidiè, immò nec diebus festiuis, & Dominicis, sed solùm quãdo ob occurrentem casum, tum exempli, tum scandali vitandi, tum muneris sui præstandi visum fuerit. Sic D. Th. *2.2.q.91.art.2.ad 3.* Garzia *de beneficiis 3.p.c.2.n.181.dub.1.& n.480.* Suar. *de Religione tom.1. lib.4. de hor.can.c.10.n.13.* Valentia *2.2. disp.10. quæst.6. p.2. ad finem*, Bonac. *disp.1. de hor.can. quæst.3. p.5. n.9.* Filliuc. *tr.25. c.4. q.8.* Carolus Maccigu. *de horis canon. c.57.* & alij relati à Bonacin. & Suar. *suprà*. Secunda pars conclusionis, quæ est de obligatione extrinseca satis constat. Priorem verò partem ea ratione probo: quia nemini est imponenda obligatio, nisi ex manifesto textu, vel ratione constat. At nullus est textus, qui hanc obligationem Episcopi inducat; neque est ratio efficax illam persuadens. Ergo asserenda non est. Minorem probo discurrendo per textus suprà relatos. Canon enim *Episcopus*, nullum habet verbum præceptiuum, & concesso, quòd in illo Canone præciperetur Episcopum hospitium non longè ab Ecclesia habere: non inde infertur obligatum esse choro interesse; cùm id præcipi possit ob varios fines, vt commodiùs gubernationi temporali, & spirituali subditorum attenderet; tum vt officiis diuinis, si vellet, assisteret; tum vt subditi commodiorem accessum ad illum habeant. Textus item *in c. peruenit ad nos*, de Residentia in Ecclesia propria seu in loco beneficij loquitur, quæ quid distinctum est ab assistẽtia in choro. Non enim obligabatur ille Episcopus choro assistere, sed solùm ne per diuersa loca vagaretur, & in propria Ecclesia resideret: residet autem quoties ibi commoratur, etiamsi choro non intersit. *Caput verò primum de celebrat. Missarum*, non de Episcopis, sed de parochis seu Presbyteris loquitur; de quibus est specialis ratio, cùm non sint ita grauibus ministeriis, ac Episcopi occupati. Denique *caput. Episcopus de consecratione*, solùm probat debere Episcopum debitis Dominicis Ecclesiæ interesse, non quidẽ omnibus horis Canonicis, sed ad summum sacrificio Missæ, de quo loquebatur textus. Neque hoc sub obligatione videtur iniunctũ, cùm vsus fuerit textus verbo *debet*, quod sanè decentiam importat, non obligationem, vt satis colligitur *ex lege solùm §.1 ff. de noui operis nunciat.* & tradit Tuschus *to. 2. lit. D. concl 32. n.3.* Suarez *dict. c.10. n.13. in fine*, Bonacin. *n.10. fine*, quamuis multis telaris contrarium doceat Sanchez *lib.4. de Matr. d.23. n.22.* Quòd autem nulla ratio efficax sit hanc obligationẽ persuadens patet. Quia licèt Episcopus strictiùs, quàm alij Canonici, & præbendati, Ecclesiæ deputatus sit, & ob hãc rẽ strictiùs videbatur obligandus choro interesse: at quia alia munera exercet quæ non exercent præbendati, aliisque grauioribus ministeriis

ministeriis docendi populum ; prædicandi Euangelium , gubernandi subditos , visitandi Ecclesias occupatus sit, merito ab obligatione assistendi choro censetur exemptus , iuxta text. *in cap. Sancta Rom. 92. d. &* D. Thom. *quæst. 91. art. 2. ad 3.* excusantem à chori obligatione Prælatos obligatos docere populum, vtpotè grauioribus ministeriis occupatos. Neque obstat aliquos prælatos non concionari , sufficit , si per alios concionentur , & ipsi huius ministerij curam habeant. Quocirca per se nullam habet obligationem Episcopus assistendi choro diebus determinatis. Verùm etsi hoc ita sit , expedit tamen vt choro Dominicis, & festis , & præcipuè solemnioribus festiuitatibus assistat, vt sic aliis sit in exemplum.

10 De parochis maior est dubitatio : An ratione sui muneris obligati sint officium diuinum publicè recitare ? Et quidem si ius scriptum & antiquum spectemus , credo obligatos esse singulis diebus publicè officium recitare : tum *ex c. finali 92. d.* vbi Presbyter & Diaconus deponi mandantur , si moniti ab Episcopo horis Canonicis in Ecclesia persoluendis non interfuerint , *& c. 1. de celebratione Missarum* , Presbytero rurali permittitur ad colendos agros exire , si per se vel per scholares pensum horarum competentibus horis persoluat. Signum ergo est ex se obligationem habere. Siquidem ratione paupertatis , & necessitatis colendi agros excusatur à personali recitatione publica. Idem colligitur *ex Clement. 1. de celebratione Missarum* , vbi postquam dixerat in Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus & Collegiatis deuotè psallendum esse. Subdit Pontifex *in aliis verò Ecclesiis* (quæ non possunt esse aliæ , quàm parochiales) *conuenienter , & debitè celebretur diuinum officium , diurnum pariter , & nocturnum.* Debet ergo per parochum aliósque beneficiatos celebrari. Ergo per se hanc habent obligationem.

11 Verùm si consuetudinem spectemus plurimi sunt parochi, & in parochialibus Ecclesiis beneficiati, qui ab hac obligatione publica recitandi exempti sunt. Tum quia in ipsis Ecclesiis ob tenues redditus beneficij horæ Canonicæ non dicuntur singulis diebus , sed ad summum diebus Dominicis , & festis, & in iis non omnes horæ , sed solùm Vesperæ, in aliis verò neque etiam his diebus dicuntur. Ergo ij parochi, & illarum Ecclesiarum beneficiati ad horas Canonicas publicè recitandas non arctantur. Quoties autem est consuetudo dicendi in parochialibus Ecclesiis diuinum officium, parochus præcipuè obligatus est nisi ex causa legitima impediatur , ea autem intercedente, substitutum debet apponere. In his conueniunt communiter Doctores , vt videre est apud Suarez *lib. 4. de hor. can. cap. 10. n. 4. & 11.* Bonacin. *disp. 1. de hor. canon. quæst. 3. p. 5. num. 12.* Filliuc. *tract. 23. c. 4. quæst. 6. n. 131.* Quælibet autem causa rationabilis sufficit, vt parochus per se hoc officium dicere excusetur, præcipuè vno, vel altero die, vt satis colligitur *ex c. 1. de celebr. Missarū.*

12 Secunda Conclusio, per se loquendo nullus particularis religiosus adstringitur sub graui culpa horas in choro dicere. Quia neque obligantur ex iure scripto , neque ex consuetudine , neque ex accepto stipendio. Ergo ex nullo capite. Ex iure namque non obligantur ; quia nullus est textus ad sic dicendum obligans. Nam *Clement. 1. de celebrat. Missarum* , quæ solet ad id probandum adduci , id non probat ; quia solum dicit in Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis officium diuinum debitè psallatur. Ex quibus verbis infertur adstringi ad dicendum diuinum officium, & Prælatum curam esse habiturum, vt sic dicatur : possèque subditis, quos voluerit sub præcepto obedientiæ , ad sic dicendum obligare. Non tamen infertur quemlibet particularem religiosum ex vi illius textus esse obligatum. *Cap. item finale. 92. d. & c. 5. de celebratione Missarum*, & alia, quæ adducuntur nihil de religiosis agunt, sed de Clericis Ecclesiæ deputatis per beneficium. Ex consuetudine autem regulariter non censeo hanc esse obligationem. Quia in nulla religione agnosco hanc esse consuetudinem , ita grauiter obligantem , si tamen alicubi sit , obseruanda erit. Denique ex stipendio accepto , nulla est obligatio imposita in particulari religioso. Tum quia ipse non accipit stipendium , sed communitas. Tum quia ipsum stipendium non est datum sub hac obligatione. Sed solùm est datum in sustentationem religiosum : vt Deo liberiùs inseruiant , & benefactores Deo commendent. Quocirca religiosus in particulari solùm ad chorum adstringitur ex vi suæ regulæ , & instituti , quod regulariter ad culpam non obligat religiosum , sed ad pœnam subeundam , si deficiat. Prælatus autem (vt dixi) licèt specialiter obligatus sit curare, ne officium diuinum in choro omittatur non tamen specialiori obligatione adstringitur ibi assistendi, quàm adstringuntur alij religiosi , imò facilius quàm alij excusari potest ab illa assistentia , ob occupationes sui muneris occurrentes. Sic Suarez *lib. 4. de horis canon. c. 10. num. 16. & 18.* Bonacin. *disput. 2. quæst. 1. p. 2. num 9.* & alij apud ipsos. Hinc infertur à fortiori moniales choro non esse obligatas , nisi iuxta obligationem regulæ , quæ regulariter non ad culpam , sed ad pœnam subeundam obligat. Sic Bonacin. *supr. n. 11.*

13 Tertia Conclusio Canonici, seu præbendati Ecclesiarum Cathedralium , & Collegiatarum , quibus ob assistentiam in choro distributiones conceduntur , obligati sunt sub graui culpa officium diuinum ibidem recitare , iuxta consuetudinem cuiuslibet Ecclesiæ præscriptam. Ratio est. Quia hæ distributiones ea lege conceduntur , vt officium diuinum ibi dicatur. Ergo obligati sunt illas recipientes ad sic dicendum. Faueque *textus in c. fin. 92. d.* in quo pœna depositionis imponitur deficientibus ab hac obligatione. Sic Suarez *lib. 4. de horis canon. c. 10. num. 17.* relatis Syluestro , Angelo , Armilla, Turrecremata , & aliis. Dixi *iuxta consuetudinem cuiuslibet Ecclesiæ præscriptam* , vt indicarem variam esse consuetudinem Ecclesiarum ; tum in modo dicendi officium ; tum in diebus , quibus dicendum est , & consequenter variam esse Canonicorum obligationem. Nam in aliquibus Ecclesiis (quales sunt regulariter Cathedrales , & aliquæ Collegiatæ pingues) singulis diebus totum officium publicè canitur : in aliis verò vbi redditus sunt tenues , singulis diebus recitatur officium , non canitur : in aliis nec totum officium recitatur , in aliis solùm diebus festiuis, vel Dominicis. Iuxta hanc ergo consuetudinem obligantur præbendati talium Ecclesiarum officium diuinum dicere ; quia stipendium sub hac obligatione illis conceditur. Sic Suarez *supra & num. 3.* Bonacin. *disp. 2. quæst. 1. p. 1. num. 2. & 3.* Hinc constat strictiori vinculo adstringi beneficiatos ad chorum , quàm religiosos. Quia beneficiati adstringuntur ex obligatione iustitiæ, & sub graui culpa, religiosi autem ex regula , quæ ad culpam regulariter non obligat. Suarez *numero 17.* & Bonacina *numero 10.*

Vt autem doctrina huius Conclusionis clarius eluceat, plures difficultates enodandæ sunt, quæ in sequentibus proponemus.

PVNCTVM II.

An præbendati grauiter peccent, si à choro absint.

1 *Si absens à choro distributiones vsurpet , quæ præsentibus interessentibus conceduntur , grauiter peccat. Item si ob eius absentiam officium dimittitur.*

2 *Si distributionibus cedit , neque officium omittitur , sentiunt plures non peccare mortaliter.*

3 *Probabilius est absentiam plurium dierum absque legitima causa esse mortalem.*

4 *Vno vel altero die abesse à choro non est peccatum mortale.*

5 *Quid dicendum de obligatione assistendi Capitulis.*

1 EX superiori Conclusione videtur decisum peccare grauiter præbendatum , si à choro absit vltra tempus sibi à iure concessum: quia ex distributionibus acceptis hanc obligationem choro assistendi subiit. Sed quia res est grauissima , & quotidiana, oportet amplius Conclusionem examinare. Et quidem supponendum est , tanquam omninò certum , absentem absque legitima causa à choro peccare grauiter cum obligatione restituendi , si distributiones assistentibus , vel legitimè impeditis concessas vsurpet. Quia vsurpat id , quod suum non est. Et decidit *c. Vnico , de Clerico non residente in 6. & in Trid. sess. 24. c. 12. de Reformat.* Item etiam est certum peccare mortaliter, si ob eius absentiam officium diuinum in choro omittitur, aut cum debita solemnitate non celebratur. Quia quilibet ex communitate tenetur onera communitatis, & illius obligationes subire & sustentare. Sic omnes Doctores statim referendi , specialiter Suarez *lib. 4. de hor. can. c. 13. n. 9.*

2 Quare solùm est difficultas quando præbendatus cedit distributionibus , & propter eius absentiam officium non dimittitur nec sine decenti solemnitate celebratur: An tunc peccet mortaliter, si à choro absit. Ratio difficultatis est. Primò, quia nullus est textus vnde hæc obligatio colligatur. Nam *cap. si quis Presbyter. 92. d.* vbi mandatur deponi Presbyter , Diaconus , vel alius clericus Ecclesiæ deputatus, qui ad diuinum officium psallendum in Ecclesia, vbi residet non conuenerit , id non probat. Quia non mandatur deponi , nisi postquam ab Episcopo monitus fuerit , & monitioni parere noluerit. Ergo secluso Episcopali præcepto non videtur peccare. Item in *cap. 1. & Clement. 1. de celebrat. Missarum*, solùm obligantur addicti alicui Ecclesiæ Cathedrali, vel Collegiatæ, vt per se, vel substitutos officium diuinum dicatur. Ergo si ex absentia alicuius præbendati officium non omittitur in Ecclesia , & ipse distributiones præsentibus interessentibus , & legitimè impeditis concessas non vult recipere, poterit tuta conscientia ab Ecclesia abesse. Ergo ex nullo textu hæc obligatio assistendi choro expressè colligitur. Ergo imponenda non est. Secundò , si ex supradictis capitibus nasceretur obligatio assistendi choro : singulis diebus essent obligati assistere : consequens videtur durum. Quia inde sequeretur eos peccare mortaliter, si vno die absque causa graui abessent : quia est materia grauis. Sicut cum priuatim absque graui causa recitare omittunt. Tertiò, tota obligatio in præbendatis assistendi choro videtur nasci ex distributionibus acceptis , siquidem in hunc finem conceduntur. Ergo qui cedit distributionibus, excludit à se totam obligationem. Si enim ex titulo beneficij hæc obligatio nasceretur, vt quid Ecclesia has distributiones concedit ? Quartò , non minùs pertinet ad præbendatum capitulis

assistere, quàm choro. Sed abesse à capitulis potest absque graui peccato. Ergo, etiam à choro, & ita tenet Sylvest. *verb. hora. quæst.* 2. Cajet. §. 5. Aug. *num.* 21. Navarr. *cap.* 5. *de orat. num.* 14. Valentia 2.2. *disput.* 6. *quæst.* 2. *p.* 10 §. 6. Reginaldus *lib.* 18. *Praxis, num.* 176. Carol. Magic. *de hor. can. cap.* 56. *num.* 34. Augustinus barbos. *de potestate Episcopi* 3. *p. alleg.* 53. *n.* 181. *fine.*

3 Nihilominus longè probabilius est præbendatum, si absque legitima causa à choro absit pluribus diebus, etiamsi distributiones remittat peccare mortaliter, Sic docet Vasquez *de benef. cap.* 4. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 182. Garzia *de benef.* 3. *p. cap.* 2. *num.* 321. *dub.* 15. Bonacina *disput.* 2. *de hor. can. quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 1. Suarez *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 17. *& cap.* 13. *à num.* 5. *& sequent.* & alij apud ipsos. Moueor ex *cap. Relatis*, 91. *d.* vbi clericus vigiliis non assistens, & officium diuinum publicè non recitans vltrà priuationem stipendij excommunicati, & suspendi mandatur: quæ pœnæ non nisi ob grauem culpam imponuntur. Item in *cap. si quis Presbyter*, pœna depositionis afficiendus est clericus absens ab officijs celebratis in Ecclesia vbi resider. Quod autem hac pœna depositionis non afficiatur, quousque monitus sit ab Episcopo, non excusat grauitatem eius culpæ. Ideò autem sub pœna depositionis monetur ab Episcopo, vt assistat, quia ipse obligatus est assistere. Adde in supradicto textu non videri requisitam monitionem Episcopi ad incurrendam suspensionem: sed solùm quod ipse clericus à clero depositus veniam ab Episcopo per satisfactionem noluerit promereri. Deindè in *cap. Dolentes. de celebrat. Missarum*, sub pœna suspensionis præcipitur clericis obligatis ad diuinum officium ne transcurrendo, mutilando, aut syncopando horas dicant; sed potiùs studiosè pariter, & deuotè: vbi textus loquitur non solùm de priuata recitatione, sed potiùs de publica. Item *in Clement. 1. eod. tit. de celebrat. Missarum*, grauiter reprehenduntur clerici tardè chorum ingredientes, vel ante officium expletum exeuntes, vel ibi confabulantes, &c. Ergo à fortiori reprehendendi sunt, qui integrè sine causa legitima absunt. Et ex iis soluitur primum argumentum contrarium. Secundò: Moueor hac ratione. Quia existimo beneficia Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum concedi beneficiatis, vt officia diuina in vtilitatem populi & deuotionem fidelium celebrentur, quia nullum aliud officium Ecclesiasticum publicum, & in vtilitatem populi cedens videntur habere. At omittere ea, quæ alicui competunt ratione proprij muneris, est graue peccatum. Ergo. Ex quo fit non obligari præcisè præbendatum ob distributiones acceptas choro assistere, sed ratione beneficij, quod habet. Distributionibus autem incitatur ad assistendum. Tertiò, supradicti beneficiati sub graui culpa obligati sunt in propria Ecclesia residere, & ad id cogi possunt à superiore sub pœna excommunicationis, & priuationis fructuum, & beneficij. Trident. *sess.* 6. *cap.* 1. *& sess.* 20. *cap.* 3. *& sess.* 22. *cap.* 3. *& sess.* 23. *cap.* 1. & alibi. Sed hæc residentia est ad exercendum suum munus, & satisfaciendum obligationi, quæ nulla alia regulariter est præter publicam in choro recitationem, officijsque diuinis assistentiam. Ergo ad hanc tenentur.

4 Dixi peccare mortaliter præbendatum, si à choro absis absque legitima causa pluribus diebus, vt insinuarem esse plurium sententiam vno, vel altero die in anno abesse vltra tempus à iure permissum, non constituere culpam grauem; sed requiri quasi consuetudinem. Sic Sylvest. *verb. Hora. quæst.* 10. Vasquez *dub.* 1. *num.* 182. *& dub.* 4. *num.* 192. *fin.* Couar. 3. *var. cap.* 13. *fine.* Bonacina tribus, vel quatuor diebus existimat leuem esse materiam. Suarez *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 8. *in fine*, id non reputat improbabile, & ratio esse potest, quia sic videtur vsu receptum apud timoratos. Cùm enim à iure concedatur iis præbendatis absentia à choro tribus mensibus in anno, & pro nullo die obligatio recitandi priuatim relaxetur, efficitur sanè ex huius obligatione ad obligationem absentiæ non posse argumentum deduci. Sed potiùs ex tam lata remissione in absentia, & tam stricta obligatione in priuata recitatione deduci potest tres, vel quatuor dies in anno absentiæ à choro non constituere culpam grauem; etsi vnius diei recitationis omissio illam constituat. Aliàs absentia à choro in vna hora sine legitima causa peccatum graue esset: quod est nimis durum.

5 Ex his manent soluta argumenta contraria, solùm restat quartum de obligatione assistendi capitulis, quæ non est ita stricta, ac est obligatio choro assistendi. Tum quia assistentia capitularis non pertinet ad Ecclesiasticum officium: neque ob illius assistentiam signantur beneficiato distributiones, sicut signantur ob assistentiam in choro. Neque in Trident. mandatur compelli sub pœna excommunicationis, suspensionis, & priuationis fructuum præbendatos ne à capitulo absint, sicut compelluntur ne absint à choro: neque talis assistentia capitularis reputatur tam onus beneficij, quàm fructus illius. Siquidem ob culpam solent Canonici illa assistentia, seu voce actiua & passiua in capitulis priuari. *Clement. 11. de etate, & qualitate*, qua non priuarentur si ipsa assistentia onus esset, ob quas rationes non desunt Doctores, qui affirment non esse obligationem grauem in præbendato capitulis assistendi, nisi quando eius assistentia necessaria fuerit Ecclesiæ gubernationi rectæ, & fauet Armill. *verb. elect. num.* 2. & Sotus *de iust. & iur. lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. *vers. postremum denique*, Ioannes Gutier. *canon. quæst. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 86. asserentes electores Cathedrarum cedere posse iuri eligendi, nec posse compelli ad suffragandum, nisi quando aliàs electio legitima periclitaretur, aut cessare deberet. Ergo similiter Canonici compelli non possunt ad ferendum suffragium in capitulo, nisi quando eorum suffragium ad prædictos fines necessarium iudicatum fuerit. Ergo illis causis cessantibus, non peccant si absint. Ex qua doctrina, si vera est, non licet argumentum facere ad obligationem assistendi in choro.

PVNCTVM III.

An omnes beneficiati Canonici teneantur in choro horas Canonicas recitare, vel sint aliqui, qui huic muneri satisfaciant sola assistentia.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Cum est cantus figuratus sufficit assistentia.*
3 *Si minuenda est solita solemnitas, debet canere.*
4 *Per se loquendo non sufficit assistentia.*
5 *Consuetudine introduci potest, (vt fere est in omnibus Ecclesijs Hispanis,) vt præbendati satisfaciant sola assistentia.*

1 RAtio dubitandi est, quia clericus Ecclesiæ deputatus obligatus est ad Ecclesiam accedere ad Psallendum diuinum officium iuxta textum *in cap. final.* 92. *d.* Ergo non satisfacit sola illius præsentia. Item proprium officium Canonici est choro inseruire, & laudes diuinas decantare, vt tradit Sotus *lib.* 10. *de iustitia, quæst.* 5. *art.* 4. Graff. 1. *p. lib.* 2. *cap.* 51. *num.* 12. *& cap.* 52. *num.* 22. Carol. Macignus *cap.* 66. Item in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformatione*, cauetur omnes Canonicos compellendos esse officia diuina per se, & non per substitutos celebrare. Ergo.

2 Dico primò, quoties cantu, quem dicunt figuratum, diuinum officium persoluitur, non tenetur Canonicus suam vocem miscere, sufficit si ibi assistat. Constat ex praxi, & quia hic cantus necessarius non est, esto sit summè honestus. Sic Bonacina *disp.* 2. *de hor. quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 4. Lessius *l.* 2. *de iustitia cap.* 34. *dub.* 33. *num.* 185. *&* 186.

3 Dico secundò, quoties officium diuinum omittendum est, vel minuendum in solita solemnitate, nisi Canonici cantent, tenentur canere, neque sufficit, si ibi tantùm assistant. Quia ipsis incumbit primò, & per se onera Ecclesiæ subire, & officia diuina ibi celebrari solita sustentare. Sic Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restitut. cap.* 2. *num.* 114. Moneta *de distribut. quæst.* 2. *num.* 25. Pesantius 2.2. *quæst.* 62. *art.* 2. *disp.* 4. *num.* 4. *&* 7. & alij, Bonacin. *disp.* 1. *de hor. can q.* 3. *punct.* 2. §. 1. *n.* 19.

4 Dico tertiò, per se loquendo omnes Canonici tenentur horas Canonicas in choro recitare iuxta suorum Ecclesiarum vsum. Hanc conclusionem probat ratio dubitandi: & quia obligatio Canonicorum recitandi officium diuinum non tantum priuatim, sed publicè personalis est ex sua primæua institutione; aliàs nullus Canonicus esset obligatus personaliter officium diuinum recitare; omnes à recitando se possent excusare, & sic officium diuinum omitteretur. Personalis autem obligatio non potest in alios transferri. Ergo. Sic Bonac. *disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 5. *in fine, & punct.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 33. *num.* 184. Tuschus *tom.* 2. *concl.* 514. *numer.* 6. Suarez *lib.* 4. *de hor. can. cap.* 12. *à num.* 8. Garzia 3. *p. de benef. cap.* 2. *à num.* 513. vbi plures refert.

Ex quo fit secluſa consuetudine, aut priuilegio, non posse Canonicum in sui locum substituere alium, qui deseruiat.

5 Dico quartò, fundatione Ecclesiæ, statuto, consuetudine, & priuilegio, obtineri potest, ne teneantur Canonici per se in choro psallere, sed satisfaciant, si ministris, & capellanis psallentibus ibi assistant, & sua præsentia officia præsent, vt fere in omnibus Hispaniæ Ecclesijs Cathedralibus est consuetudo recepta. Sic Suarez *lib.* 4. *de hor. can. cap.* 12. *à num.* 11. Azor. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 11. *quæst.* 5. *&* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 33. *num.* 184. Petrus Nauarra *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 114. *& sequentibus*, Bonacina *disput.* 1. *de hor. can. quæst.* 3. *p.* 2. §. 1. *n.* 18. Garzia 3. *p. de benef. cap.* 2. *n.* 518.

Ratio est. Quia hic modus fundationis, statuti, consuetudinis, seu priuilegij, turpitudinem non habet, sed potiùs decorem, & splendorem specialem in Ecclesiæ ministris, & Ecclesiæ authoritatem extollit, quæ varios ministros habet, alios ad cantum diuinorum officiorum deputatos, alios deputatos ad assistendum supradictis officijs, suaque præsentia actum condecorandum. Neque hæc fundatio, consuetudo, aut priuilegium contrarium est *cap. fin.* 29. *d.* neque Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformatione.* Nam in supradicto cap. finali solùm obligantur clerici Ecclesiæ deputati, vt conueniant ad Ecclesiam ad officium psallendum in choro, quod satis impletur, si

omnes

omnes clerici ad illud officium conueniant pro suo munere, & obligatione, ita vt qui fuerint deputati ad psallendum conueniant ad psallendum, qui verò ad assistendum, & actum sua præsentia condecorandum, conueniant ad assistendum eo modo. Tridentina Synodus solùm dicit compellendos esse præbendatos vt diuina officia per se, & non per substitutos obeant, & Episcopo celebranti assistant & interueniant, atque in choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotéque laudent: Quæ omnia non conuincunt obligatos esse Canonicos horas canere. Tum quia ibi nomine diuinorum officiorum non horæ Canonicæ, sed Missa Euangelium, & Epistolæ aliáque similia munera intelliguntur: si quidem de horis Canonicis postea subiungit, debere ad psallendum conuenire. Tum quia non per substitutos diuina officia obeunt Canonici quando ex fundatione Ecclesiæ, statuto, vel consuetudine signati sunt, qui canant, & qui assistant. Assistentes enim, & canentes nomine proprio sua munera exequuntur. Item assistentes sua præsentia, diuina officia per se obeunt, & Deum reuerenter & deuotè laudant.

Adde, etsi supradicta consuetudo contraria sit *cap. fin. 92. d.* & Tridentini decreto, posse nihilominus aduersus illa præualere, si sit legitimè præscripta: quia nec reprobatur à Tridentino, neque est iuri naturali contraria, vt rectè expendit Azor. *lib.* 10. *cap.* 11. *q.* 6. Garzia 3. *p. de benef. cap.* 2. *num.* 522.

Imò non solùm consuetudine, priuilegio, atque statuto induci potest Canonicum satisfacere suæ obligationi, si choro assistat priuatim recitans; sed etiam si absens à choro alium substituat, vt nomine ipsius assistat, & distributiones lucretur. Quia hæc nullam turpitudinem continet, & potest pluribus causis honestari. Sic aliis relatis docet Bonacina *disp.* 2. *de hor. can. q.* 1. *p.* 5.

Punctum IV.

Quomodo præbendati assistere choro, & recitare horas Canonicas teneantur, vt possint distributiones horis correspondentes lucrari.

1 *Non desunt qui affirment assistentem absque attentione lucrari.*
2 *Probabilius est debere attendere.*
3 *Quid de præbendatis obligatis ad canendum.*
4 *Omittens suam partem recitare attendens ad eam, quæ ab aliis recitatur dimidiam partem fructuum lucratur secundum probabilem sententiam,*
5 *Reputarem probabilius nullas lucrari distributiones.*
6 *Si partem tuam canis, & aliorum, etsi procures non percipias, lucraris.*
7 *Quid dicendum de versibus organo dictis.*

1 SI de præbendatis obligatis tantùm ad assistendum loquamur, non desunt Doctores, qui affirment distributiones lucraturos quomodocumque ibi assistant, etiamsi non attendant, sed cum aliis loquantur, modò postea priuatim recitent, hoc enim semper supponitur. Sic docet alios referens Garzia *de benef.* 3. *q. n.* 514. & tradit Suarez *lib.* 4. *cap.* 14. *à num.* 12. & ratio est: quia ij verè assistunt etsi indebitè. Ergo lucrantur distributiones assistentibus concessas. Item ij non possunt dici abesse à choro. Ergo non possunt vt absentes distributionibus priuari. Adde in Concilio Lateran. & in constit. Pij V. distributionibus priuantur ij, qui priuatim non recitant etiamsi choro assisterint. Ergo è contrario si choro interfuerunt corporaliter, & postea recitauerint priuatim distributionibus priuari non debent.

2 Nihilominus probabilius censeo hunc Canonicum corporaliter assistentem, neque diuinis officiis attendentem, sed voluntariè distractum maximè scribendo, confabulando, vel dormiendo nullo modo distributiones lucrari. Sic Azor 1. *p. lib.* 10. *cap.* 11. *q.* 5. Petrus de Ledesma *summa* 2. *p. tr.* 9. *cap.* 4. *vlt. conclus. difficult.* 1. & 2. Ludouicus Lopez *instruct. conscientia* 1. *tom. cap.* 246. Vega 1. *p. sum. cap.* 128. *casu* 10 Manuel Rodrig. *in summa* 1. *tom. cap.* 245. *num.* 5. Raphaël de la Torre, *controuers.* 10. *disput.* 7. & 9. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. §. 1. *num.* 19. & 21. & Barbosa 3. *de potest. in allegat.* 53. *num* 132. Ratio est, quia distributiones conceduntur ob præsentiam, & assistentiam humanam, & honorariam cedentem in Dei cultum, & authoritatem diuinorum officiorum: atqui voluntariè distractus est, ita vt ad officia diuina nequaquam attendat, nullatenus dici potest ipsis moraliter, & humano modo præsens, *ex lege coram* Titio *ff. de verb. significat.* Ergo.

3 Quod si de præbendaris obligatis ad canendum sermo sit, dicendum est esse obligatos primò canere nec satisfacere si submissa voce recitent. Secundò, esse obligatos attendere ad ea, quæ alius chorus canit: quia hæc necessaria sunt, vt officium publicè persoluatur alternatim, & vnus chorus cum alio communicet. Sic Suarez *lib.* 4. *de hor. can. cap.* 12. *n.* 9. & 10. Lessius *lib.* 2. *de iustitia cap.* 34. *dub.* 33. *num.* 184. Bonacina plures alios referens *disp.* 1. *de hor. canon. q.* 3. *punct.* 2. §. 1. *num.* 17.

4 Difficultas autem est. An supradictus præbendatus submissa voce recitans suam partem, vel non recitans, sed solùm attendens ad partem, quam alius chorus recitat, lucretur mediam partem distributionum?

Placet pluribus Doctoribus lucrari: quia dimidiatè officium suum exequitur, quatenus ad partem, quæ alius chorus recitat attendit. Ergo accipere debet dimidium stipendium. Item dantur distributiones non solùm pro cantu, sed etiam pro assistentia. Ergo qui assistit tam exequitur munus, cui aliqua pars stipendij correspondet. Ergo lucratur illam. Sic Suarez *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 18. Petrus Nauarra *lib.* 1. *de Restitut. cap.* 2. *n.* 222. Cenedo *collect.* 15. *ad* 6. *num.* 6. Bonacina alios referens *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. § 1. *n.* 17. Neque obstat Constitutio Pij V. statuentis non lucrari fructus, & distributiones, qui, cùm aliis choro assistit, non recitat. Responderi enim potest non lucrari integrè, sed dimidiatè. Secundò, non luctari nec dimidiatè, si non reciter ibi, vel extra. Quia omittenti recitationem publicam, vel priuatam imponitur pœna amissionis omnium fructuum.

5 Cæterùm mihi hæc doctrina difficilis est. Putarem sanè supradictum nullas distributiones lucrari. Quia distributiones non conceduntur iis præbendatis ob assistentiam infrugiferam & mutam, sed ob assistentiam quæ deseruit publicæ recitationi. Item conceduntur publicè recitantibus, seu ob recitationem, quæ fideles ad deuotionem excitare possit. Sed qui submissè recitat, vel non recitat, sed solùm attendit ad ea, quæ alius chorus recitat, publicè non recitat, & consequenter eius recitatio publica non est. Ergo non est digna vlla distributione. Quòd si dicas non esse dignam vlla distributione, quatenus ab ipso prodit, sed quatenus ab aliis oritur, & ipse attendit: quia secundùm illam partem recitatio est publica, obstat, quia si ipse publicè non recitat, ita vt alij ipsum percipiant, non communicat cùm aliis in recitatione, & exercitatione aliorum non fit vnum officium Canonicum publicum. Neque enim dici potest recitare officium Canonicum ille, qui alternos versus pronunciaret omissis intermedijs.

6 Sed quid si tuam partem caneres, & percipere non posses, quàm alius chorus canit, satisfacerésne obligationi chori, vt posses distributiones integras percipere?

Respondeo te satisfacere, posséque distributiones recipere modò postea priuatim suppleas, quæ non percepisti: quia per te non stetit quominus perciperes, & cùm aliis in recitatione communicares. Sic Nauarrus *de orat. cap.* 11. *num.* 41. Monet *de distribut.* 2. *p. quæst.* 2. *num.* 47. Suarez *lib.* 4. *cap.* 30. *n.* 15. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2 §. 1. *num.* 20. Quod autem debeas priuatim supplere, quæ non percepisti conuincit hæc ratio: quia partem, quam non percipis, non potes dici recitasse; quia sola perceptione, seu auditione, tuam efficere potes: at non recitans officium diuinum priuatur omnibus distributionibus etiamsi choro interfit ex Bulla Pij V. Ergo.

Quocirca non approbo, quod Emanuel Saa *verbo Horæ, n.* 9. affirmat, hunc non esse obligatum priuatim supplere: quia contrarium ex ratione superiùs dicta colligitur, & notauit Bonacina *cum aliis supra n.* 20.

7 Hinc à fortiori infertur versus, qui organo, seu musico instrumento dicuntur deberi ab aliquo pronuntiari, aliàs non satisfacis obligationi recitandi officium, nisi, vel eos versus pronuncies, vel audias, etiamsi obligationi chori facias satis: quia pulsatio organi, seu musici instrumenti non est recitatio. Sic Suarez *cap.* 14. *num.* 15. Bonacin. alios referens *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *num* 12.

Secundò infero, si dum alij recitant, tu choro ex officio, vel superioris mandato interfis, præbendo thus, transferendo libros ex vna in aliam partem satisfacere obligationi, & assistentiæ in choro; debere tamen priuatim postea recitare, si ob illa munera à recitatione tuæ partis, & ab attentione alterius impediaris. Sic Vasquez *de benef. cap.* 4. §. 1. *dub.* 6. *numer.* 111. Bonacina *de hor. can. q.* 3. *punct.* 2. *n.* 13.

Tertiò infero Canonicos pœnitentiarios, qui dum officia diuina celebrantur, audiunt confessiones, & Decanum, aliósque Canonicos qui ex proprio officio aliis ministeriis incumbunt, satisfacere sufficientes obligationi choro assistendi: quia reputantur vt præsentes, etsi priuatæ recitationi non faciant satis. Sic aliis relatis docet Bonacina *num.* 14. & colligitur ex Trident. *sess.* 22. *cap.* 3. *de Reformatione.*

Punctum V.

Quo ordine, quo tempore, quo loco, & quo corporis habitu, & situ horæ Canonicæ sint publicæ celebrandæ.

1 *Seruandus est ordo, & tempus ab Ecclesia præscriptum.*
2 *Locus non est alius ab Ecclesia.*
3 *Sedere in proprio stallo, & vestes Canonicales ferre, non est necessarium ex vi iuris communis, secus esse potest ex consuetudine.*

1 SEtuandum esse ordinem, & tempus ab Ecclesia præscriptum in recitatione publica horarum constat manifestè, tum ex consuetudine, tum ex rubricis Breuiarij, tum ex decreto Pij V. mandantis horas recitare iuxta formam ibidem præscriptam ad quam non solùm substantia, sed modus, & tempus pertinet. Quocirca teneris primò Matutinum, & Laudes, deinde Primam, posteà Tertiam, & sic de reliquis suo tempore recitare. At si hunc ordinem horarum inuertas, vel notabiliter eum anteponas, vel postponas absque graui, & publica causa, crederem in recitatione publica esse mortale. Quia tollis vniformitatem, quæ Ecclesiæ decorem specialem tribuit, & occasionem præbes grauem offensionem, & scandalum generandi. Sic Suarez *lib.4. cap.11. num.7.* Filliucius *tract.23. cap.6. quæst.2.* Carol. Macig. *de horis can. cap.45. ad fin. num.5.* quamuis rigorosum videatur Bonacinæ *disput. 1.q.3.p.4.num.5.*

2 Quoad locum attinet, certum est debere esse Ecclesiam *ex cap. fin. 92. d. cap. 1. & Clement. 1. de celebrat. Missarum.* & aliis textibus. Neque in alio loco nisi necessitas grauis, aut consuetudo legitimè præscripta suadeat, satisfacere huic obligationi potes. Bonacina *sess.p.5.à num.1.*

3 De obligatione ferendi vestes, quas alij Canonici in choro ferre solent, & de sedendo in proprio stallo, vt distributiones lucrentur, nihil est à iure præscriptum. Quocirca si cum aliis assisteres, & horas publicè recitares, etiamsi habitum illum choro deputatum non deferres, neque in proprio stallo sederes distributiones acquireres ex vi iuris communis: quia præstas conditionem ad lucrandas distributiones à iure præscriptam, quæ sola est publica in Ecclesia recitatio. Sic Bonacina *disput.2. quæst.4.p.1.fine.*

At si ex consuetudine, vel statuto Ecclesiæ cautum sit, ne aliquis distributiones lucretur, nisi taliter indutus chorum ingrediatur, & in proprio stallo resideat, sine dubio illas non lucrabitur, sed tanquam absens à choro est reputandus, qui his caret conditionibus. Quia hæc consuetudo, vel statutum rationabile est, & approbatur à Tridentino *sess.24. cap.11. de Reformatione in fin.* Sic Bonacina *suprà* Garzia plures referens *3. cap.2. num.357.*

PVNCTVM VI.

Sub qua pœna teneantur choro assistere.

1 *Decisio Bonifacij VIII.*
2 *Proponitur dubium. An ante iudicis sententiam distributionibus priuetur.*
3 *Resoluitur priuari.*
4 *Vltrà supradictam priuationem aliis pœnis puniri possunt.*
5 *Explicatur quid nomine distributionum, & fructuum intelligatur.*

1 REspondet Bonifacius VIII. *in cap. vnico de cler. non resident. in 6.* sub priuatione distributionum obligatos. esse. Quia distributiones donantur solùm choro interessentibus seu præsentibus, vt constat ex supradict. text. & Trid. *sess. 24.12. de Reformatione.* Qui igitur illegitimè abest illas non lucratur. Ergo illis manet priuatus.

2 Solùm est difficultas, an his distributionibus priuetur illegitimè absens ante iudicis sententiam. Et ratio difficultatis est. Quia nullam pœnam etiam priuatiuam, quæ propria pœna est à censura distincta, tenetur delinquens subire, neque habet effectum quousque sententia, saltem declaratoria criminis accedat, vt ex probabili sententia diximus tractat. de legibus. Sed harum distributionum priuatio est pœna, & non censura. Ergo probabile est absentem non esse obligatum illam subire, quousque sententia declaratoria criminis accedat.

3 Cæterùm omnino tenendum est ante omnem iudicis sententiam sic absentem manere priuatum distributionibus, quas, si diuinis interesset obtinere potuisset. Sic supponunt omnes, & tradit expresè Moneta *3.p.quæst.7.* Bonacina *disp.2. de hor. can. q.7. punct.2. num.2.* Ratio est manifesta. Quia nullus retinere potest rem, cuius dominium acquirere non potest, neque suam facere: Sed absens illegitimè à choro, distributionum dominium acquirere non potest, neque suas facere. Vt expresè à Bonifacio VIII. in dicto cap. vnico est definitum. *Qui aliter* (inquit) *de distributionibus ipsis receperint, quam interessendo diuinis officiis in eisdè Ecclesiis, earum sic receptarum dominium non acquirant, nec faciant eas suas, imò ad omnium restitutionem, qua contra huiusmodi constitutionem receperint teneantur.* Idem confirmauit Trident. *sess.24. cap.12. de Reformat.* Ergo de facto absens ante omnem sententiam manet distributionibus priuatus: priuatione inquam, quæ propriè pœna non est. Quia non priuatur beneficiatus iure aliquo quæsito contra eius voluntatem, sed potiùs ipsemet se priuat non residendo distributionibus, quas residendo obtineret. Sicuti si alicui esset certa quantitas à testatore legata, si in tali vel tali loco resideret: si ipse conditionem non præstaret ob eius onus, legato priuatus esset: & tamen non diceretur legati priuatio illi esse pœna, quia nunquam ad legatum ius habuit, nisi posita conditione. Sic dicendum in distributionibus, ad quas beneficiatus ius non habet, nisi posita diuinis officiis interessentia. Et ex his soluitur ratio dubitandi.

4 Præter supradictam priuationem distributionum, si beneficiati vltra tempus à Concil. Trident. *dict. sess.24. cap.12. de Reformat.* permissum, abfuerint: pro primo anno, & prima vice priuandi sunt dimidia parte fructuum, quos residendo, & interessendo diuinis fuerint lucrati. Quod si iterum ea fuerint vsi negligentia, priuandi sunt omnibus fructibus: crescente verò contumacia non solùm fructibus, sed beneficio sunt spoliandi. Sic Concilium. Hæc igitur priuatio est propria pœna, & non ipso iure lata, sed imponenda per iudicem, vt constat ex verbis textus, & notauit Rota *in caus. Cautionis. fructuum coram* D. Orano 10. *Aprilis* 1592. Garzia *de benefic.3.p.cap.2.n.152.*

Qualiter autem in hac priuatione debeat iudex procedere ex variis decisionibus Rotæ tradit Garzia *suprà n.154 & segq.*

5 Sed inquires. Quid nomine distributionum, & fructuum, quibus beneficiatus, ob absentiam à choro priuatur, veniat intelligendum?

Breuiter respondeo sub nomine distributionum venire intelligendos illos prouentus, quos beneficiatus acquirit ob continuam chori interessentiam, Garzia plures referens *3. p. cap.2. num.440.* Riccius *praxi decis.495.* Tuschus *tom.2. lit. d. concl. 511.* Moneta *1. p.q.1.num.12.* Bonacina *disp.2. de horis can.q.2. p.1. in principio*, & alij. Sub fructuum nomine comprehendo annuos redditus beneficiato ob beneficij titulum concessos: & licèt ad illorum acquisitionem aliqua assistentia requiratur, non habetur ad illam respectus. Sic Garzia *suprà.* Moneta *quæst.6.* Bonacin. *n.4.* Tusch. *num.8.* Gonzalez *ad 8. Regul. Cancellar. pr. æm. §.7. num.154.* Ex quo fit distributiones quotidianas à fructibus beneficij distingui, vt manifestè constat ex Trident. *sess.24. cap.12. de Reformatione.*

PVNCTVM VII.

An Canonici à choro absentes teneantur soluere Annatam, Quindennium, Charitatiuum subsidium, decimam & pensionem, quæ debebant soluere si choro interfuissent & distributiones lucrarentur.

1 *Quid sit Annata, Quindennium, & reliqua supradicta.*
2 *Annata & Quindennium non soluitur ex distributionibus quotidianis.*
3 *Item nec pensio. Possunt tamen ex voluntate Pontificis aliquando iis imponi.*
4 *Sic imposita censentur quando Pontifex conscius beneficium non habere alios redditus adhuc illud grauat.*
5 *Decima ex fructibus beneficij regulariter non soluitur. Quando id censeatur.*
6 *Si Annata, vel Quindennium super distributiones fundatum sit, debet beneficiatus soluere, tametsi integro anno à choro abfuerit.*
7 *Charitatiuum subsidium, Decima, & Pensio debentur, si culpabiliter à choro absit: secus si inculpabiliter.*
8 *Apponitur limitatio, sed non approbatur.*
9 *Satisfit rationibus n.7. adductis.*
10 *Capitulum recipiens distributiones tuæ præbendæ, quas tu reciperes si adesses, pensionem soluere non teneri probatur.*
11 *Probabilius est obligatum esse.*
12 *Ante diuisionem fructuum & applicationem singuli est obligatum Capitulum soluere pensionem, si in se velit illam partem fructuum retinere.*
13 *Si interessentibus dividat, omnes illi obligati sunt hypothecaria actione pensionem soluere.*

1 PRæmittendum est primò quid sit Annata, Quindennium, Charitatiuum subsidium, Decima & Pensio. Annata est dimidia pars fructuum vnius anni, quæ Cameræ Apostolicæ soluitur à beneficiatis obtinentibus à Sede Apostolica beneficia, 24. ducatos camerales excedentia, quam partem fructuum debent soluere beneficiati, eo ipso, quo beneficia impetrant independenter à reali fructuum perceptione. Quia sub eo onere, & obligatione soluendi illam partem fructuum in sustentationem ministrorum Pontificis, ab ipso Pontifice beneficia conferuntur. Sic colligitur ex Azor. *2.p.lib.7.cap.12.quæst.1.* Gigante *de Pensionibus quæst.26. num.2.* Bonacina *disp.2. de hor. can. quæst.6. punct.1. in principio.* Gonzal. *ad 8. reg. Cancellariæ §.7.num.167.* Flamin. Paris. *de Resignation. lib.12.q.2.n.63.*

Quindennium loco annatæ succedit, eiusque naturam imitatur: Estque dimidia non integra pars fructuum vnius anni beneficij à Sede Apostolica vniti alicui communitati, Collegio, vel capitulo, quod Collegium, vel communitas soluit Cameræ Apostolicæ decimoquinto anno illam partem fructuum, quasi tunc beneficium illud vacaret, & denuò inciperet possideri; ne Camera Apostolica ex perpetua vnione beneficij defraudare-

tur

tur annata, seu pensione, quæ sibi competeret quoties beneficium vacaret, si vnitum non esset. Sic Bonacina *num.* 2. Azor. *cap.* 13. *per totum.* Moneta *de distribut.* 3. *p. quæst.* 9. *n.* 37. Mandos. *tract. de priuileg. ad instar. gloss.* 7. & alij.

Charitatiuum subsidium dicitur illud, quod Episcopus exigere potest à Clericis beneficia possidentibus ex fructibus beneficij. *Iuxta textum in c. Conquerenti, de officio ordinarij c. cum Apostolus, de Censibus, & extrauag. Vas electionis, de Cens. inter communes.* Decima est illa decima pars fructuum, quæ in recognitionem diuini supremique Domini parochis soluitur, aut aliis loco parochorum ex præscripto Summi Pontificis. Colligitur ex toto titulo de decimis.

Pensio est onus beneficio, seu fructibus beneficij impositum authoritate Sedis Apostolicæ, quia nullus alius grauare beneficia potest. *Iuxta* textum *in c. Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

2 Secundò præmitto. Annata & quindennium regulariter non est soluendum ex distributionibus quotidianis. Quia solum soluitur ex fructibus beneficij, distributiones autem sub fructuum nomine non comprehenduntur, quia non ex beneficio, sed potiùs ex personali labore, & diuinis assistentia proueniunt. Sic Gonzales plures refert. *ad 8. reg. cancellar.* §. 7. *prænum. num.* 166. Bonacina *disp. 2. quæst. 6. punct. 7. n. 7.* Flamin. Paris. *de resignat. lib.* 10. *quæst. 2. num.* 63. Quod est intelligendum etiamsi beneficium in solis distributionibus consistat, adhuc non debetur ex illis annata; vt constat in Canonicatibus Ecclesiæ Toletanæ, Hispalensis, Compostellanæ, &c. qui valorem duorum millium ducatorum attingunt, sed quia totus valor in distributionibus quotidianis consistit, nulla soluitur annata. Gonzalez & Bonacina 5. Idem dicendum est de charitatiuo subsidio, nequaquam ex distributionibus quotidianis deberi regulariter, inspectóque iure communi, Bartholomæus Bellezin. *tract. de Charitatiuo subsidio quæst. 76. num. 5. & 2.* & Gonzalez *num.* 174. Bonacina *n.* 9. Azor. 2. *p. lib. 9. c. 14. quæst. 6.*

3 Pensio similiter regulariter non censetur imposita, nec soluenda ex distributionibus quotidianis, sed ex beneficij fructibus. Quia distributiones quotidianæ constituræ sunt ad diuini cultus augmentum, & in mercedem personalis laboris; non igitur censendæ sunt grauatæ pensione, nisi id clarè constet. Sic Azor. 2. *p. lib.* 8. *c.* 8. *quæst.* 17. Moneta, 3. *p. quæst.* 8. *num.* 1. Rota Romana, *dec. sic.* 134. *in nouis*, & alij apud ipsos. Dixi annatam charitatiuum subsidium, & pensionem regulariter, & inspecto iure communi non censeri impositas super distributiones, sed super fructus, vt indicatem posse Pontificem hæc omnia onera distributionibus annectere. Quia cum ipsi competat beneficiorum, tedduum, emolumentorum, aliorúmque Ecclesiasticorum prouentuum libera dispensatio *c. 2. de prabendis in 6.* poterit sic distributiones quotidianas grauare.

4 Solùm est dubium. An sic grauare censeatur, si beneficium nullos alios fructus habeat præter quotidianas distributiones? Cui dubitationi affirmatiuè respondeo, si id Summo Pontifici manifestetur, & adhuc pensionem fructibus illius beneficij imponat: quia non est censendus Pontifex illusorium actum facere. *Gloss. c. vn. de Cleric. non resid. in 6.* Moneta *de distributionibus*, 1. *p. quæst.* 5. *num.* 14. Azor. 2. *p. lib.* 8. *c.* 8. *quæst.* 2. Secus verò si Pontifici notum non fuit, neque ipse expressè suam voluntatem explicauit. Quia censendus est pensionem imponere iuxta terminos iuris communis, & sic solùm fructus beneficij grauare, non distributiones.

5 Decima neque ex fructibus beneficij, neque ex distributionibus regulariter est soluenda *ex text. in cap. 2. de decimis in priori parte*, & tradit Suarez *de decimis c.* 17. *num.* 23. quia non est soluenda decima à personis Ecclesiasticis ex iis, quæ speciali titulo acquisita sunt, vt tradit *gloss. in sup. dict. cap.* ac proinde, nisi expresserit Pontifex suam intentionem, nullo modo debetur. Hanc autem intentionem sufficienter exprimere censetur, si mandet decimam soluere de redditibus, & prouentibus beneficij fabricæ, Collegij, &c. quia tunc ex fructibus est soluenda. Si verò addat ex redditibus. & prouentibus quibuscumque Ecclesiasticis, ex distributionibus, & fructibus soluenda est: quia distributiones (licèt non sint propriè fructus, & prouentus beneficij) sunt tamen fructus & prouentus Ecclesiastici. Vt habetur expressè extrauag. *vnica de decimis circa finem vers. & quia non occurrit nobis.*

6 His suppositis dicendum est. Si Annata, vel Quindennium super distributiones fundata sint, debet beneficiarius illa soluere etiamsi integro anno choro abfuerit. Quia independenter à distributionum acquisitione, & horarum præsentia soluenda est. Datur enim annata, vt dixi, in ipso beneficij ingressu, & datur in significationem, seu gratitudinem beneficij accepti. Sic ex Moneta, Rota, & aliis tenet Bonacin. *disp. 2. q. 6. punct. 1. num. 4. & 5.*

7 Difficultas autem est de charitatiuo subsidio, de decima, & pensione, an hæc debeantur si distributiones non lucreris? Ratio difficultatis est. Quia hæc sunt onera realia fructuum & distributionum. Ergo distributionibus non acquisitis non contrahitur onus huiusmodi. Item hoc onus contrahit, qui distributiones acquirit. Ergo non contrahit, qui illas amittit. Cæterùm distinguendum est, an omittas distributiones culpabiliter: an à culpa excusatus, quia legitimam causam habes absentiæ. Si culpa excusatus distributiones amittas, credo te non esse obligatum hæc onera subire tum ob rationem dubitandi: tum quia non est æquum te absque culpa condemnari, vt ex propriis solùm ea, quæ solùm ratione fructuum quos debebas percipere, soluere teneris. At si culpabiliter distributiones amittas? probabilius existimo charitatiuum subsidium, & pensionem te esse obligatum soluere ex propriis. Ratio, quia videris obligatus non solùm tibi, sed pensionario & prælato laborare, & ita tenet Garzia *de beneficiis 1. p. c. 5. n.* 230. Bonac. *disp. 2. q. 6. punct. 3. n.* 10.

8 Limitat autem Bonacina *num.* 13. Garzia cum Couarruuias *lib. 3. Variar. c.* 13. *num.* 8. *vers. duodecimo infero.* Didaco, Perez, Vgol. Suarez, & aliis: dummodò tua culpa fuerit immediata causa non lucrandi distributiones: vt contingit cùm absens es ab Ecclesia, quia non vis ibi assistere. Secus verò si non ex tua immediata culpa, sed ex pœna, & impedimento à te oppositio illas non lucreris; vt contingit cum es excommunicatus, aut suspensus. Excommunicatio enim, & suspensio pœna est non culpa, ac proinde distributionum amissio ex illa prouenientes tibi non est imputanda, *iuxta c. Diuersitatem, de concessione præbendarum*, & ibi Abbas *num.* 11. At hæc limitatio non est satis firma, si quidem qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, & ita illam non approbat Bartolus, Albericus, Angelus, & Paulus *in l. inter quas* §. *damnum, ff. de damno infecto.* Gigas, *quæst.* 64. Toletus *in Summ. lib.* 1. *cap.* 13. *in fine, in Romana editione.* Notanter dixi te esse obligatum charitatiuum subsidium, & pensionem impositam, super beneficij fructus & distributiones soluere, & omissi loqui de onere decimarum: quia decimam existimo te non esse obligatum soluere, quoties fructus & distributiones non percipis, etiamsi tua culpa omittas percipere. Quia obligatio decimarum non est absoluta, sed ex suppositione, quod acquiras fructus decimationi subiectos. Ad pensionem autem, & charitatiuum subsidium absolutè ratione beneficij videris obligatus.

9 Ad rationem dubitandi respondeo, verum esse charitatiuum subsidium, & pensionem onera esse realia fructuum, & distributionum; vt aliis relatis docet Guttierrez *can. 99. lib. 1. c. 5. num.* 11. Sed hoc non obstat quo minus illa onera ex propriis tenearis subire, si tua culpa non acquiris fructus, ex quibus possis soluere. Ad confirmationem nego consequentiam. Nam esto acquirens distributiones teneatur illa onera subire (quod satis est dubium vt statim videbimus) at non releuat, quin amittens sua culpa fructus similiter teneatur: pensionarius que duplicem habet actionem, vel contra Capitulum percipiens fructus, vel contra beneficiatum omittentem fructuum.

10 At quia hæc quæstio quotidiana est, & grauissima placet amplius examinare; an Capitulum teneatur hæc onera subire, dum distributiones percipit, quas tu, si choro adesses, perciperes? Negat Toletus *lib.* 1. *Summ. c.* 14. *ad finem*, *num.* 13. Guttierrez *lib.* 1. *quæst. can. c.* 1. *num.* 20. Moneta, *de distributionibus* 3. *p. quæst.* 8. *n.* 17. *& sequent* Nauar. *cons. 1. de solut. pens.* Mouentur. Quia capitulum omnes distributiones absentium, & præsentium recipit, iure proprio interessentibus diuidendas, iure inquam proprio non decrescendi. Sed ante hanc diuisionem non est Capitulum ad charitatiuum subsidium, pensionémque soluendam grauatum: quia pensio non est imposita super cumulum fructuum omnium præbendarum, quia non est imposita super omnes præbendas, sed super vnam tantum; facta autem diuisione nullus Canonicus videtur obligatus ad illorum onerum solutionem, quia omnes fructus, quos quilibet recepit, illos recipit iure proprio suæ præbendæ, quæ grauata non est. Item si beneficium, cui est grauata pensio extingueretur, nullóque redderet fructus possidenti, nulla esset obligatio soluendi pensionem. Sed beneficium, quod nullos alios fructus habet præter quotidianas distributiones non possidens illud abest à choro comparatione illius reputatur extinctum, nullóque reddit fructus. Quod à fortiori procedit cum Canonicatus vacat, & Capitulum ob vacationem percipit: percipit enim illos iure proprio, non iure præbendæ, quæ non est.

11 Nihilominus probabilius censeo, & in praxi omnino sequendum obligatum esse Capitulum ad solutionem pensionis, charitatiui subsidij, & aliorum onerum quæ præbendæ imposita sunt, dum ipsum Capitulum recipit distributiones, & fructus alioquin obuenturos præbendato, si esset, vel resideret, diuinisque interesset. Sic Rubius *in sua praxi vers. praxis pensionum dec.* 433. Gigas *de Pensionibus quæst.* 51. Roman *cons.* 288 Gonzalez *ad reg.* 8. Cancell. *gl. ff.* 5. § 5. *num.* 44 *& sequent.* Quaranta, *verbo distributiones quotidianæ ad finem*, Garzia *de beneficiis*, 1. *p. c.* 5. *num.* 224. Barbosa, 3. *p. de potestate Episcopi allegat.* 53. *n.* 177. Bonacina *disp. 2. quæst. 6 punct. 3 num* 9. Nauarus *cons. 3. de solut. num. 3. in fine, mutauit sententiam quam consil. 1. amplexus fuerat*, & alij plures apud ipsos. Mouetur præcipuè, tum quia sic declarauit Clemens VIII ann. 1592. quoniam breui in fauorem D. Alphonsi Coloma postea Episcopi Carthaginensis. Præcepit enim Capitulo Viisbonensi soluere ei pensionem sexcentorum ducatorum impositam super Canonicatu illius Ecclesiæ vti à Capitulo debitam; eò quod perceperit distributio

stributiones Canonicatus super quibus erat pensio imposita. Cui declarationi inhærens Rota Romana sæpè in hanc partem tulit sententiam. Vt 4. Iunij 1693. in vna Romana pensionis coram D. Lira, & in alia Conimbricensi pensionis de ordine eiusdem Clementis 28. Ianuarij anni 1605 coram illustrissimo Cardinali Millino, & in vna comen. pensionis de ann. 1606. & aliis, quæ passim à Doctoribus referuntur; sed hoc omnino ostendunt intentionem. Pontificis esse extrahere ex illa mensa Capitulari partem correspondentem præbendæ, super quam pensionem imponit, illámque obligare ad illius pensionis solutionem.

12 Ex quo fit ante diuisionem fructuum, & cuilibet illorum applicationem, obligatum esse Capitulum ad solutionem pensionis, si in se velit retinere, aut aliis interessentibus applicare, illam partem fructuum quæ beneficiato grauato, si assisteret esset concedenda. Quia illa pars indeterminatè à cumulo fructum ex voluntate Pontificis est extracta, & ad pensionem grauata ex gratia Pontificis independenter à seruitio possessoris. Negari enim non potest hunc modum imponendi pensionem possibilem esse. Quod autem sit conuenientior inde probatur manifestè. Quia intentio Pontificis in concedenda pensione est, prouidere certò & infallibiliter pensionario sustentationem: at si pensionarius non posset obtinere pensionem à Capitulo recipiente fructus, & distributiones tempore, quo beneficiatus non existit, vel non recitat, non certò & infallibiliter, annuatim pensionario erit prouisum. Quod si respondeas personaliter beneficiatum esse obligatum ad illius solutionem? Præterquam quod est dubium, cum fructus nullos recipit, non infertur secuta pensionarij sustentatio, si quidem beneficiatus sæpè impotens est ad soluendum; & ex alia parte, cum non possit pensionarius fructus sequestrare, remanebit insolutus. Adde Capitulum succedit loco beneficiati non recitantis, seu non assistentis horis, sed beneficiatus non potest sibi lucrari pensionem. Ergo neque Capitulum. Ergo tenetur ad illius solutionem, Vide Gonzalez *supradicto loco, n.48. & seqq.*

13 Secundò infero, si de facto Capitulum pensionem non soluat, sed omnes fructus, & distributiones præbendæ grauatæ correspondentes interessentibus diuidat, obligatos esse sic accipientes pro rata, hypothecaria actione ad pensionis solutionem. Hoc tamen venit limitandum dummodò beneficiatus grauatus non receperit fructus sufficientes ad solutionem pensionis. Quia tunc ipse est, qui est obligatus, non alij Canonici. Sic Bonac. *disp. 2 q.6. punct.3.num.10* Gonzalez *ad reg.8.* Cancell. *gl.5.§.5. in fine.*

Punctum VIII.

Quibus accrescant distributiones & fructus, quod beneficiatus amittit ob chori absentiam.

1 *Promittitur diuisio fructuum aliquarum Ecclesiarum.*
2 *Portiones absentium ad præsentes pertinent facta supradicta diuisione.*
3 *Portiones amissæ ob non residentiam competunt interessentibus, cùm amittitur.*
4 *Fructus amissi non ipso iure competunt Canonicis interessentibus, quando diuiduntur.*
5 *Si patrimonium inter Ecclesiæ fabricam, & ministros non sit diuisum, interessentibus accrescit, quod absentes amittunt.*
6 *Apponuntur aliquot limitationes.*
7 *Distributiones absentium an competant occupatis in vtilitatem Ecclesiæ, vel alias impeditis? proponitur dubitandi ratio.*
8 *Probabilius est supradictas distributiones non deberi.*

1 PRæmittendum est in aliquibus Ecclesiis redditus Ecclesiasticos esse diuisos in duas partes, quarum vna applicatur Ecclesiæ ad eius fabricam, ornamenta, cæteráque necessarias altera pars applicata est ministris Ecclesiæ in eorum sustentationem, quibus pro qualitate seruitij, à chori assistentia iuxta præscriptam Ecclesiæ consuetudinem sua portio conceditur. In aliis verò Ecclesiis non est facta hæc diuisio, sed ex patrimonio Ecclesiæ tam fabricæ, quàm beneficiatis prouidetur. Hoc supposito.

2 Dico primò. In Ecclesiis, in quibus est facta supradicta diuisio, portiones absentium, & fructus quacumque ratione amissi ad mensam Capitularem pertinent interessentibus diuidendi. Sic Moneta, *3.p.q.6. num.26. & 34.* Ioan. Gutierr. *lib.1. can.q.c.1.numer.107.* Couar. *3.var.c.13.num.7. vers. Quod verò* Bonacin. *disp.1.quæst.7.punct.1.num.2. in fine.* Garzia *de beneficiis 3.p. cap.2. n.447. probat que quadam decisione* Rotæ in causa Burgensi coram D. Penna 9. *Maij ann.1594.* Ratio vero est. Quia per hanc diuisionem excluſa est Ecclesia à pensione qualibet ministris competenti; vnde si aliquis minister inhabilis factus est ad illius receptionem ad mensam Capitularem deuoluitur eius portio aliis habilibus diuidenda, non ad Ecclesiam. Hoc autem venit limitandum, nisi ipsa mensa Capitularis cederet iuri, quod habet: quod contingit cum beneficiato illegitimè absenti distributiones donat, & remittit. Talis inquam remissio, & donatio nulla est quoad effectum transferendi dominium in beneficiatum *iuxta* Trident. *sess.24.c.12.* At valet, quoad effectum se priuandi distributionibus, quæ sibi obuenire debebant, & notauit Garzia *dicto c.2. num.452. & sequentibus*, ex quadam declaratione Congregationis quam dupliciter sublimitat. Primò, vt procedat respectu illorum, qui in donatione, seu remissione consenserunt, non respectu illorum qui contradixerunt, etiamsi fuerint minor pars. Quia in his, quæ tendunt ad damnum Capituli, sufficit vnius contradictione à Capitulo gestum videatur. Secundò limitat, vt cum effectu sibi absenti distributiones donatæ, & applicatæ. Nam ante applicationem potest Capitulum retrocedere & impedire solutionem, eò quod remissio facta nulla fuerit.

3 Restat tamen difficultas. An illi fructus, & distributiones per absentes amissa competant Canonicis tunc interessentibus? An verò competant Canonicis actu existentibus, cùm illarum fit diuisio? Sed distinguendum est inter fructus & distributiones. Dico ergo distributiones amissas ob non residentiam competere Canonicis actu interessentibus. Sic Rota *in vna Valentia emolumentorum coram Mantica 13. Maij 1593. & in vna* Gerund. *distributionum Lunæ 16. Februarij 1604.* coram Illustrissimo Cardinali Bononiensi, *postea meritissimo* Pontifice Gregorio XV. *& in altera* Astorensi residentiæ *6. Iunij 1616. Coram* Domino Coccino Rotæ Romanæ Decano; & aliis relatis à Garzia, *3.p c.2.num.446.* Moneta, *3.p. quæst.6.num.20.* Gutier. *lib.1. can. quæstionum.c.1.n.106.* Couar. *3.var.c.13. num.7.* Azor. *2.p.lib.7. c.7. quæst.8.* Augustin. Barbosa, *3.p. de potest. Episcop. alleg.53. n.152.* Probatur. Quia absentes amittunt ipso iure distributiones *ex c.Vnico. de Cler non residentr. & ex* Trident. *sess.34. c.12.* Vbi distributiones solùm præsentibus conceduntur. Ergo illæ distributiones amissæ cõpetere nõ possunt Canonicis præteritis, neque futuris, sed actu præsentibus, & interessentibus. Ergo illis sunt applicandæ quando fuerit facta diuisio? Neque obstat distributiones illas à puncto absentiæ manere in mensa Capitulari, & Capitulum semper esse idem. *ex leg. proponebatur, ff. de iudicis*, quo minùs debeat Capitulum, quando illarum diuisionem facit, attendere ad Canonicos, qui illo tempore, quo fuerant amissæ, residebant. Quia illi Canonici residentes ius ad illas acquisiuerunt.

4 De fructibus verò, qui non ipso iure amittuntur, sed per sententiam condemnatoriam dicendum est, illis Canonicis deberi, qui tempore quo soluuntur residet. Ratio est. Quia tunc Capitulum illos fructus acquirit, & consequenter Canonici tunc existentes. Ergo inter illos est diuisio facienda. Sic plurib⁹ firmat Gonzalez *ad reg.8.* Cancell. *gl.37. num.26.* Garzia *3.p.c.2.n.429.*

5 Dico secundò. Si patrimonium Ecclesiæ non sit inter fabricam & ministros diuisum, tunc distributiones quotidianas, quas absentes amittunt excluſa in contrarium consuetudine interessentibus accrescunt. Sic Couarr. Azor. Barbosa, Moneta, Guttier *suprà. &* Bonacina *disp.2. quæst.7. punct.1. in principio.* Colligitur ex Tridentino *sess.21. cap.3. & sess.24. cap.12.* Ratio huius conclusionis est. Quia per hanc incitantur Canonici ad assistendum diuinis officiis, ob quam causam distributiones fuerunt assignatæ.

6 Limitanda tamen est conclusio, vt non procedat. Primò, in distributionibus extraordinariis, & impropriis, quæ de redditibus alicuius dignitatis & personatus constituta sunt: lucrandis tamen ab eo, cuius est dignitas & personatus, vt sic ad residentiam & interessentiam diuinis excitetur. Hæ enim diuinis excitentur. Hæ enim distributiones aliis interessentibus non accrescunt, sed fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitrio ordinarij applicandæ sunt *Iuxta* Trident. *sess.22. cap.3.* & varias declarationes sacræ Congregationis, quas adducit Garzia, *3.p. de beneficiis, c.2.num.465.* & consentit Nauarr. Miscell. *59. de Oratione, num.6.* Barbosa, *3.p. allegatione 53.n.154.* Bonacina, *disp.2.quæst.7.punct.1.n.2.*

Secundò limitatur, vt non procedat in distributionibus ex quibus cuilibet præbendato interessenti est signata determinata pars: quia per hanc assignationem tacitè insinuatur illa debere esse contentum, neque amplùs lucrari posse, & tunc si abest, cedit illa portio Ecclesiæ, non aliis præbendatis. Sic Nauarr. Barbosa, & Bonacina, *suprà.*

Tertiò limitatur, vt non procedat in distributionibus amissis ob aliam causam præter absentiam à choro. Hæ enim distributiones non interessentibus, sed Ecclesiæ, si indigeat vel alteri pio loco arbitrio ordinarij sunt applicandæ. Quia ex nullo text. constat interessentibus deberi. Liberum est ergo ordinario eas, cui voluerit applicare. Bonacina *suprà*, & idem est de fructibus, quibus absentes priuantur: ij inquam, non debentur interessentibus, sed Ecclesiæ, vel alteri pio loco applicandi sunt. Garzia. *3. p.c.2.num.156.* Barbosa *3.p.allegat.53.n.150.*

7 Sed inquires. An infirmi & impediti, & in vtilitatem Ecclesiæ occupati distributiones absentium lucrentur, ac si personaliter residerent? Ratio dubitandi est: quia reputantur in iure interessentes: ergo non solùm debent sic reputari ad lucrandas distributiones sibi competentes, sed etiam absentibus

com

competentes. Quia *concil. sess. 21. cap. 3. & sess. 24. cap. 12. de Reformat.* non videtur aliis concedere absentium distributiones, nisi iis, quibus concedit proprias, si quidem interessentibus concedit, quas absentibus denegat, neque aliud tertium genus personarum agnoscit. *Item in cap. vnico de cler. non resident. in 6.* supradictis impeditis conceditur, ne amittant ob absentiam distributiones quæ interessendo diuinis illis debebant conuenire; sed distributiones, quæ illis debebãt conuenire, si interessent, sunt propriæ, & aliorum absentium. Ergo. Fauétque vsus, & praxis Ecclesiarum Hispaniarum in quibus distributiones, etsi pro singulis horis sint assignatæ, non illos accipit quis dum singulis horis interest, sed in fine anni, & tunc absentium distributiones diuiduntur inter eos, qui & realiter præsentes fuerunt, & fixione iuris præsentes reputantur.

8 Nihilominus censeo probabilius supradictis impeditis distributiones absentium non deberi. Sic tradit Bonac. *disp. 2. q. 7. punct. 1. in fine.* Moueor, quia in nullo textu inuenitur expressum hos absentes ex causa infirmitatis, vtilitatis Ecclesiæ, vel necessitatis corporalis lucrari aliorum absentium distributiones. Ergo non sunt illis concedendæ. Consequentia liquet. Quia nullum priuilegium cedens in diminutionem diuini cultus est præsumendum nisi expressè probetur: lucrari autem hos legitimè absentes aliorum absentium distributiones est priuilegium cedens in diminutionem diuini cultus. Primùm verò antecedens probo. *Nam in cap. consuetudinem de cler. non residentem. in 6.* vbi de iis legitimè absentibus mentio fit, solùm permittitur ne amittant distributiones sibi obuenturas, si residerent. Inquit enim textus. *Qui verò aliter, quàm per præsentiã diuinis officiis de distributionibus ipsis quidquam receperit, exceptis illis, quos infirmitas seu iusta, & rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret, rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, &c.* Sed in his verbis non conceduntur aliorum absentium distributiones. *Item sess. 21. Trid. c. 3. & sess. 22. c. 3. & sess. 24. c. 12.* vbi de distributionibus lucrandis est sermo, solùm dicitur distributiones interessentibus, & deseruientibus esse concedendas: neque vllum verbum est de iis infirmis & impeditis: ac proinde ex vi illius textus absentibus per infirmitatem nullæ distributiones deberent donari. Ergo sat est, si illis sua pars donetur, *dicto cap. Vnico de cler non resid. in 6.* Et ex his soluitur ratio dubitandi, excepto priuilegio desumpto ex consuetudine, quæ si legitimè sit præscripta seruanda est.

PVNCTVM IX.

Quæ causæ excusent beneficiatum à Choro, vt non obstante illius absentia distributiones lucretur.

TRes causas constituit Bonifacius VIII. *in c. vnico de clericis non residentibus in 6. Infirmitatem scilicet, iustam, & rationabilem corporis necessitatem, & euidentem Ecclesiæ vtilitatem,* & subungit, vt vidimus puncto præcedenti. *Qui verò aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, dominium non acquirat, nec faciat eas suas: imò ad omnium restitutionem. quæ contra huiusmodi nostram constitutionem receperit teneatur.* Ex quibus verbis videtur inferri solùm illos, quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusat, posse distributiones in absentia lucrari, reliquos verò amittere.

§. I.

Explicatur causa infirmitatis.

1 *Ob infirmitatem grauem absens non solùm fructus, sed & distributiones lucratis.*
2 *Quæ autem sit grauis infirmitas arbitrio prudentis relinquitur.*
3 *Excusat infirmitas, tametsi tua culpa eam contraxerit.*
4 *Limitatur à pluribus, dummodò antea choro assistere soleres.*
5 *Habet tamen limitatio difficultatem & contrarium est probabile.*
6 *Limitatur insuper, vt procedat in infirmo, qui est præsens loco residentiæ, & qua ratione hoc intelligatur.*

1 RAecepta est sententia absentem à choro ob grauem infirmitatem non solùm fructus beneficij, sed etiam distributiones quotidianas, quæ interessentibus conceduntur, lucrari. Sic habetur in supradicto text. & tradit Couar. 3. *var. c. 3. n. 8.* Gutierrez, *lib. 1. can. quæst. c. 1. num. 140.* Bonacina, *disp. 2. quæst. 5. punct. 2. in principio.* Vasquez *de beneficiis c. 4. §. 3. dub. 3. n. 224.* Augustinus Barbosa, *3. p. de Potest. Episcopi. allegat. 53. n. 166.* Menochius *lib. 1. de arbitr. casu, 429. n. 14.* Dixi ob infirmitatem grauem, quia leuis excusare non solet à graui obligatione, *iuxta text. in leg. Quæsitum. ff. de re iudicata*, & tradit aliis relatis, Menochius, Bonac. Vasquez & Couarr. *suprà.*

2 Quæ autem sit grauis, vel leuis infirmitas arbitrio prudentis viri, seu medici periti relinquitur, si extraiudicialiter res agatur. Si verò in iudicio res agitur arbitrio Prælati, seu iudicis relinquatur, qui ex medicorum consilio, & iudicio iudicare debet Sic Menochius & Bonacina suprà. Moneta, *de distributionibus 2. p. quæst. 6. n. 24* aliquando de morbo, qui in se leuis est, tamen incrementum graue habet, ob accessum ad chorum, quod non timetur ob priuatam recitationem. In quo casu certum esse debet te excusatum à choro manere, ac si morbo graui laborares: quia ille morbus leuis ob periculum incrementi reputatur grauis. Tum quia verum illud periculum est iusta, & rationabilis corporis necessitas, quæ est causa excusans ab interessendo in choro, *ex dicto c. vnico.*

3 Hoc priuilegium non amittis etiamsi tua culpa infirmitatem contraxeris: quia textus non excluſit infirmos, qui causam infirmitati dederunt, sed omnibus ob infirmitatem impeditis hoc priuilegium concessit. Ergo non est limitatio apponenda, aliàs daretur occasio magna litibus, si semper inuestigandum esset an infirmi causam infirmitati dederint? daretúrque afflictis afflictio. Sic ex sacra Congregatione decisum, refert Garzia *3. p. de beneficiis cap. 2. n. 363.* Bonacina *quæst. 6. punct. 1. num. 7.* Barbosa *alleg. 53 num. 160.* Moneta *2. part. de distribut. q. 6. à num. 12.* Couar. *dict. n. 8. vers. 7.* Azor. *institut. moral. 2. p lib. 7. cap. 7. q. 11.* Gutierez *cap. 1. num. 138.*

Neque obstat famulo ægrotanti salarium, non deberi pro tempore infirmitatis iuxta magis receptam sententiam, & facit *text. leg. si vno, §. item cum quidam, ff. locati.* vbi locans operas suas non recipit mercedem pro tempore, quo eas est impeditus præstare, & consonat *lex Regia 44. tit. 14. part. 15.* Non, inquam, obstat quominus Canonico infirmo debeantur distributiones. Quia distributiones non dantur tanquam merces, & salarium laboris impensi, sed in alimenta illius, qui taliter laboraturus erat.

Dices, famulo infirmo, neque alimenta debentur saltem secundùm probabilem sententiam etiamsi probabilius sit oppositum, vt docet rectè Couar. *illo cap. 13, n. 8.* Ergo neque Canonico infirmo debentur quotidianæ distributiones. Respondeo negando consequentiam; quia Ecclesia cum suis ministris mitiùs agi voluit; non enim eos, vt famulos conductos, sed vt filios tractari voluit, ac proinde voluit mercedem præbere non tam ob laborem in vinea, sed etiam ob obligationem ad illum, quando per ipsos non stat, quominus in vinea laborent, vt bene Couarruuias *citato loco.*

4 Limitatur tamen supradicta doctrina ferè ab omnibus Doctoribus vt verum habeat, si antea interesse officio diuino solebat, secus verò si non consueuerat interesse; quia tunc infirmitas non est causa absentiæ; siquidem infirmitate cessante adhuc abesset. Couarr. *3. var. cap. 13. num. 8.* Azor. *2. p. lib. 7. cap. 7.* Decanus *tom. 2. consil. 69 n. 8. & 9.* Moneta *2. p. de distribut. q. 5. num. 21.* Vasquez *de benefic. c. 4. §. 3. n. 125.* Guttierez *lib. 1. can. quæst. cap. 1. n. 138.* Barbosa *3. p. de potestate Episcopi allegat. 42. n. 167.*

5 Cæterùm Petrus Nauarra *lib. 2 de restitut. cap. 2. dub. 3. & n. 238.* hanc limitationem reiicit. Existimat namque te recipere posse distributiones, non obstante, quòd ante infirmitatem assistere choro non consueueris: quia infirmitas in illo casu, causa est vt absis à choro si quidem ex illa impeditis adesse, etiamsi voluntatem habeas interessendi. Quòd autem illa cessante adhuc abesses, solùm infers infirmitatem non esse causam vnicam absentiæ, at non probat veram causam non esse. Cùm verò *in c. vnico de Clerico non residente, in 6.* concedatur impeditis ob infirmitatem lucrari distributiones posse; & tu in illo casu ob infirmitatem verè impediaris, efficitur sanè te in hoc priuilegio esse comprehensum.

Adde si impeditus infirmitate mutares voluntatem non residendi, quam antea habebas, & haberes firmum propositum residendi, si ab infirmitate liber existeres, acquireres distributiones, vt sentit Bonacina *disp. 22. de hor. can. quæst. 5. punct. 1. n. 12.* quia tunc infirmitas vera causa est absentiæ. Sed mutatio illius propositi non immutat infirmitatem. Ergo. Si vnico casu infirmitas causat absentiam, etiam in alio.

Fateor hanc rationem mihi videri efficacem, & ob illam censeo satis probabilem esse Petri Nauarræ sententiam: sed quia à communi recedit, respondere possumus ex communi sententia: textum in *dict. cap. vnico*, sic debere explicari, vt non quibusuis impeditis ob infirmitatem concedantur distributiones, sed tantùm illis, quibus infirmitas vnica est causa absentiæ, illáque cessante adesset.

6 Secundò limitatur doctrina, vt procedat in infirmo, qui præsens est loco residentiæ. Nam si extrà illum existens infirmetur, negant distributiones lucrari. Sic Vasq. *n. 225.* Gutier. *lib. 1. can. q. c. 1. n. 189.* Couar. *3. var. c. 13. n. 8.* Garzia *de benef. 3. p. c. 2. n. 360. & 364.* Mouentur præcipuè *ex c. cùm non deceat, de electione in 6.* vbi absentibus à loco Ecclesiarum ob illarum vtilitatem fructus conceduntur, non distributiones. Ne igitur hic textus contrarius sit decisioni textus *in c. vnico de cler. non resid. in 6.* affirmandum videtur textum in c. vnico procedere de impedito in loco beneficij, alium verò de impedito vbilibet.

Cæterùm vt hæc limitatio verum habeat, intelligendum est de eo, qui absque legitima causa à loco beneficij abest; quia hic censetur tunc non tam ex infirmitate, quam ex malitia abesse, sicuti ille, qui absque causa solitus erat ante infirmitatem abesse

esse. At si ex legitima causa à loco beneficij abfuit, ibique infirmatus est, credo lucrari distributiones, nisi stet in contrarium consuetudo, quia tunc infirmitas vera causa iudicatur absentiæ. Neque obstat textus *in cap. cum non deceat.* quia in illo cap. non negantur accedentibus ad Romanam curiam distributiones, eò quòd à loco beneficij absint, sed quia non erat omnino euidens eorum absentiam vtilem esse Ecclesiæ. Sic docent August. Barbosa *3. p. de potest. Episcop. alleg. 53. num. 167. fine.* Bonacina *disput. 2. quæst. 5. p. 1. num 6.* Moneta de distributionibus, *2. p. q. 6. à num. 19.*

Hinc fit, si tempore vacationis aliò te transferas, ibique infirmeris, ob quam infirmitatem venire ad residendum non possis, lucrari distributiones, ac si præsens existeres. Quia per te non stat, quominus assistas. *Sic colligitur ex Barbosa, Bonacina, Moneta suprà.*

§. II.

Expenditur secunda causa excusans, quæ est corporalis necessitas iusta, & rationabilis ob quam non interessentibus distributiones conceduntur.

1 *Quando contingat hæc necessitas.*
2 *Enumerantur plures casus ferè ab omnibus recepti in quibus datur excusatio.*
3 *Quid dicendum de eo, qui in carcerem coniectus est, aut in exilium pulsus?*
4 *Quid de excommunicato, & ob illam causam horis non assistente.*
5 *Apponitur quædam limitatio de excommunicato vitando, sed reiicitur.*
6 *In Hispania non censetur priuatus, quousque punctatoribus excommunicatio notificetur.*
7 *Si dubium sit, sine iustè, vel iniustè excommunicatus? præsumptio est pro superiore.*
8 *Si post priuationem fructuum, compertum sit esse iniustè priuatum excommunicatum, à quo fructus repeti debent?*
9 *Quod dictum est de excommunicato, dicendum est de suspenso, & quomodo explicatur.*
10 *Idem proportione seruata dicendum est de interdicto.*
11 *Quid dicendum de tempore cessationis?*
12 *Quid de eo, cui est beneficium ablatum.*

1 TOta difficultas est in explicando quando contingat hæc iusta, & rationabilis necessitas: nam illa posita euidens est patientem excusatum esse ab assistentia chori, & fructus præbendæ, & distributiones interessentibus assignatas lucrari: quia ita diuisum est *in suprà dicto c. vnico de cler. non resident. in 6.*

Mihi ergo dicendum videtur, tunc adesse iustam, & rationabilem corporalem necessitatem; quando ex assidentia chori tibi imminet graue damnum vitæ, honoris, vel fortunæ. Quodcumque enim graue damnum in quolibet horum bonorum genere reputari meritò debet iusta, & rationabilis necessitas. Neq; enim Ecclesia, quæ pia mater est, credi potest velle obligare suos ministros ad officium peragendum, cum tam graui eorum damno; neque priuare emolumento eos, qui ex tam iusta, & rationabili causa officium omittunt. Sic Doctores statim referendi, qui licèt in genere hanc non tradant doctrinam, ex casibus specialibus, quos subiungunt, manifestè colligitur.

2 Primò, debentur distributiones ei, qui à choro abest, eò quòd ex iudicio medici putat graue damnum sibi prouenturum, si domo egrediatur, & choro assistat, vt contingit sæpè in valetudinariis, & aliis, qui medicinam qua copus expurgatur, sumunt. Sic Azor. *2. p. lib. 7. cap. 7. quæst. 11.* Bonacina *disput. 2. quæst. 5. p. 2. num. 4.* Moneta *2. p. de distributionibus, quæst. 6. num. 8.* Barbos. *3. p. allegat. 33. num. 169.* & alij apud ipsos.

Secundò, debentur ei, qui ex eodem consilio medici aliò se confert acquirendæ sanitatis causa, puta ad balnea, vel ad celebrimum aliquem medicum, vel etiam, vt cœli sibi officientis inclementiam effugiat, & aliò se transferat. Sic expressè Moneta *num. 10.* Barbosa *dict. num. 169.*

Tertiò, non sunt deneganda distributiones ei, qui causa recuperandi vires in infirmitate amissas aliò se transfert. Sic Bonacina *punct. 2. num. 4. & num. 5.* Subiungit denegandas non esse ei, qui ob eantum nimium defatigatus aliquantisper se retrahit à choro, vt spiritus assumat, seque quantum fert necessitas recreet.

Quartò, debentur distributiones beneficiato, qui commodè assistere choro non potest. Sic Hoieda *de incompatibilitate beneficiorum 1. part. cap. 12. num. 17.* Garzia *3. p. de benef. cap. 2. num. 361. ex declaratione sacræ Congregat.* Bonacin. *disput. 2. quæst. 5. p. 2. num. 6.* Barbosa *alleg. 53. num. 164.* & alij apud ipsos. Quando autem senectus hoc impedimentum præstet, arbitrio prudentis medici relinquitur. Regulariter septuagenariis inest. Sic Bonacina *suprà.*

Quintò, debentur distributiones ei, qui abest à choro, & à loco beneficij ob timorem pestis grassantis in illo loco. Sic Bonacin. *disp. 2. quæst. 5. p. 2. num. 7.* faciunt, quæ tradit Menochius *lib. 2. casu 152. num. 11.* vbi ex Neuizano, inquit, absentem in causa pestis pro præsenti haberi. Limitat autem Bonacina hoc dictum, vt non procedat in Canonicis, quibus officium parochi præcipuè commissum est. Quia hi tenentur tempore pestis assistere omnibus cum periculo vitæ, ac proinde non habent iustam, & rationabilem causam absentiæ. Quod verum est, quando non adest alius, qui eorum loco substituatur, eorúmque vices suppleat.

Sextò, distributiones debentur habenti inimicum, cuius conciliationem facilè obtinere non potest, & à quo timet graue damnum si assistat, vt contingit si in vrbe grassatur bellum; tunc enim locus tutus non est, & impedimentum præstat assistendi. Sic Moneta alios referens *2. part. de distrib. quæst. 5. à num. 72.* Garzia *de benef. 3. p. cap. 2. à num. 351.* Bonacina *disp. 2. quæst. 5. p. 2. num. 8.* Menoch. *in simili, lib. 2. de arbitr. casu 153. num. 13.* & alij.

Septimò, tibi debentur distributiones, si timore ne alios inficias peste, eò quòd loco non sano venias, vi compelleris non assistere, & idem est si alia via detineris, quam vincere nequaquam possis. Quia tunc habes iustam, & rationabilem causam absentiæ. Sicut enim corporalis infirmitas est sufficiens causa, quia te reddit impotentem ad assistendum, ita quodcumque impedimentum tibi appositum, quòd facilè excutere non potes, est sufficiens causa tuæ absentiæ. Sic Azor. *2. p. lib. 5. cap. 7. q. 10.* Moneta *2. p. de distribut. quæst. 5. num 55* Bonacin. *disput. 2. de hor. canon. quæst. 5. p. 2. num 9.* Couarruuias *3. var. cap. 13. n. 8.* Vasquez *de benef. cap. 4. §. 3. dub. 3. fin. num. 226.*

Omnes enim suprædicti casus excusant Clericum ab assistentia chori, illúmque habilem reddunt non solùm ad fructus beneficij percipiendos, sed etiam ad distributiones quotidianas præcisa qualibet consuetudine. Quia verè abest à choro ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem, quam vincere nequaquam potest. Sic suprædicti Doctores.

3 Hinc infertur quid dicendum sit de eo, qui in carcerem coniectus est, vel in exilium pulsus; & quidem si causam huic impedimento non dedit, etiamsi iudex legitimè eum condemnet, vtpote qui falsis testibus ac probationibus mouetur; acquirit distributiones. Quia corporali necessitate, quam excutere non potest, impeditur ab assistentia. Sic Couarruuias *3. var. c 13. n. 8. vers. 11.* Quaranta *verb. distributiones quotidianæ vers. De Canonico.* Bonacin. *disp. 2. de hor. can. quæst. 5. p. 2. §. 1. à num. 1. præcipuè à n. 4.* Moneta *de distribut. 2. p. quæst. 5. à n. 80.* Garzia *de benef. 2. p. c. 2. n. 364.* At si causam condemnationi dedit, etiamsi iudex absque sufficientibus indiciis eum capi fecerit, vel condemnauerit, distributiones choros interessentibus assignatas non lucrabitur. Quia tunc ipse causa est absentiæ: neque dici potest abesse ob corporalem necessitatem, sed ob suam malitiam. Sic tanquam indubitatum suprædicti Doctores supponunt.

Dices: qui culpa sua infirmitatem contraxit, & ob eam choro non assistit non perdit distributiones: quia proxima causa, qua ab assistentia chori impeditur, non est culpa, sed pœna ex culpa resultans. Sed qui crimen commisit ratione cuius in carcerem coniicitur, vel in exilium pellitur, non impeditur formaliter à chori assistentia ob culpam, sed ob pœnam ex culpa resultantem, quam ipse vitare non potest. Ergo non debet perdere distributiones. Respondeo negando consequentiam; quia infirmitas est effectus culpæ non pœnæ, secus verò incarceratio & exilium.

Dixi, *etiamsi iudex absque legitimis probationibus condemnet.* Quia iniustitia iudicis non tollit, quin delinquens veram causam condemnationi dederit. Sic Bonacina *dicto punct. 2. §. 1. n. 4.*

4 Secundò infertur, quid dicendum sit de Clerico excommunicato, & ob illam causam horis non assistente? Distinguendum est. Si iniustè excommunicatus sit, neque fructibus, neque distributionibus priuari debet: quia corporali necessitate impeditur, ne diuinis assistat; timore scilicet grauioris nocumenti. Sic Vasquez *de benef. cap. 4. §. 3. dub. 4. num. 230.* Garzia *7. p. de benef. cap. 13. à num. 116.* Bonac. *disput. 2. de hor. canon. quæst. 5. punct. 2. §. 2. num. 5.* Guttierez *can. quæst. lib. 1. quæst. 1. num. 135. & 137.* Emanuel Saa *verbo Beneficium, n. 48.* Henriquez *l. 13. cap. 13. num. 4.* Petrus Nauarra *lib. 1. de Restitut. cap. 2. n. 238.* Barbosa plures referens *3. p. alleg. 53. num. 174.* Debet tamen, si commodè possit, absolutionem procurare, & impedimentum illius iniustæ excommunicationis remouere; aliàs sua culpa abesse diceretur, & non adstrictus necessitate. Sic Moneta multis exornans, *2. p. de distribut. q. 5. n. 43.* Martinus Nauar. *c. 25. num. 124.* Petrus Nauarra *l. 2. de Restitut. cap. 2. n. 238.* Bonac. *disp. 2. quæst. 5. p. 2. n. 9. fin.* Garzia *de benef. 7. p. cap. 13. num. 120.*

Si verò iustè excommunicatus sit, & ob eam causam choro non assistit, distributiones non lucratur. Quia non ob necessitatem, sed ob voluntatem malitiosam, qua in excommunicationem incidit, & persistit, abest à choro. Sic omnes Doctores. At si ipse paratus sit satisfacere, & absolutionem petat, & denegetur, credo distributiones lucrari. Quia resipiscenti iniustè denegatur absolutio, & tanquam excommunicatus iniustè habendus est.

est. Sic Vasquez *de benefic. cap. 4. §. 3. n. 231.* Suarez *5. tom. de cens. disp. 13. sect. 2. n. 16. & 20. ad finem.* Imo plures Doctores affirmant, si in mora non sit petendæ absolutionis, & satisfactionis præstandæ distributiones & fructus lucrari. Quia per ipsum non stat, quominus assistat, & impedimentum remoueat. Sic Sylueſter *verb Clericus 4. q. 25. & verb. excommunicat. 3. vers. 9.* Saa *verbo Beneficium, n. 50.* Armilla *verbo Cleric. n. 18.* Henriq. *lib. 7. c. 36. §. 1. & lib. 13 cap. 3. §. 3. ad fin. & cap. 13. §. 4.* Cæchus de casibus reseruatis *casu 1. de excommunic. §. de mal. excomm. vers. 7.* Vega *summa cap. 36. casu 2.* & in libro quem Hispanicè inscripsit *Espejo de curas, cap. 12. n. 83.* Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 5. n. 206* Lopez *2. tom. 2. p. cap. 18.* At credo hoc admittendum non esse. Quia iustè pro illo tempore priuatur excommunicatus choro assistere, & consequenter distributionibus assistentiæ correspondentibus; & sibi, suæque culpæ imputare potest hāc priuationem: quia per ipsum stat, quominus non possit diuinis assistere, quamuis per ipsum non stet, quominus impedimentum remoueatur. Sic Suarez *dicta disp. 13. de censuris notab. 2. n. 4. &* Bonac. *disp. 2. de excommun. q. 2. part. 4. n 7. & de hor. can. disp. 2. quæst. 5. p. 2. §. 2. n. 1.* Garzia *de benef. 7. p. cap. 13. n. 93.*

Quod si iustè excommunicatus horis interfit, plures Doctores censent lucrari fructus, & distributiones officio correspondentes. Nam licèt in tali assistentia peccet, & ob hoc peccatum merito debeat fructibus, & distributionibus priuari, *iuxta textum in cap. Pastoralis, §. verum, de appellationibus*: Ipso tamen iure priuatus non est: quia nullibi constat hanc priuationem esse impositam. Sic Gloss. *in dicto §. verum verb. subtrahamus.* Petrus Nauar. *lib. 2. de restitut cap. 2. n. 243 & sequentib.* Vasq. *de benef. c. 4. §. 3. dub 4. n. 229.* Abila *de censuris 2. p cap. 6. dub. 1.* Bonac. *disp. 2. de excommunicat. quæst. 2. par. 4. §. 2. num. 2. & disp. 2. de excommunicat. quæst. 2. part. 4. §. 2. n. 2. & disput 2. de hor. canon. quæst. 5. p. 2. §. 2.* Sanchez satis probabile reputat *lib. 3. de matrimonio disp. 51. num. 12.* Coninch. *disp. 14. de excommunicat. dub. 9. num. 80. & sequentibus.*

5 Limitat hanc doctrinam locis allegatis Bonacina, vt non intelligatur in excommunicato vitando: quia ipse non præstat officium nomine Ecclesiæ, cùm Ecclesia illum ab officio repellat. Cæterùm reliqui Doctores huius distinctionis non meminere, & meritò. Quia tam excommunicatus occultus, quam publicus: toleratus, quàm non toleratus expulsus est ratione excommunicationis ab assistentia chori. Neque Ecclesia voluit in aliquo fauere excommunicato occulto. Ergo de vtroque est idem dicendum. Neque in iure inuenitur excommunicatum vitandum, esse priuatum ipso iure distributionibus, & fructibus beneficij potius quam excommunicatum toleratum.

Adde distributiones, & fructus beneficiato horis Canonicis assistenti concedi, etiamsi in peccato, & ob malum finem assistat: quia præstat officium ratione cuius conceduntur. Ergo etiam concedi debent, etiamsi in excommunicatione publica persistat, si officium præstet. Denique quantumuis sit excommunicatus vitandus nomine Ecclesiæ officium præstat non quidem licitè, sed illicitè. Ergo debetur illi stipendium dum eo pertentiam non priuatur.

6 Aduerto tamen in Hispania in Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis consuetudinem esse, vt quoties aliquis Canonicus excommunicatur, eo ipso statim notum sit punctatoribus, vt illum extra numerum constituant, (Hispanè *ponganendesfuento.*) & iuxta hanc consuetudinem non censetur excommunicatus priuatus fructibus, & distributionibus, quousque hæc notificatio excommunicationis punctatoribus facta sit: illa verò notificatione facta priuatus censetur, seu vt melius dicam priuatus. Sic Garzia *de benef. 7. p. c. 13. num. 130.*

7 Aduerto secundò: si dubium sit, an excommunicatio iustè, vel iniustè lata sit, præsumptio stat pro superiore excommunicante. Pendente verò quæstione super iustitiam, vel iniustitiam excommunicationis, fructus deponi debent, & seruari apud aliquem, vt dentur cui de iure competunt: fructibus enim consumptis difficilius fiet satisfactio excommunicato iniustè cùm de iniustitia constet. Ne igitur damnum patiatur, conuenit fructus seruari. Sic Bonacina *disp. 2. q. 5. part. 2. num. 3.* Gutierrez *lib. 1. canon. quæst. cap. 1. num 136.*

8 Quòd si excommunicatus priuatus est distributionibus, & fructibus, quia creditum est iustè fuisse excommunicatum; at re maturius inspecta, cognitum est iniustè excommunicatum fuisse: fructus, & distributiones repeti debent ab iis, quibus fuerant applicata: quia ipsis applicari non potuerunt, nisi ex suppositione excommunicationis iustæ, qua cessante nulla fuit applicatio. Sic aliis relatis tradit Gutierrez *lib. 1. canon. quæst. cap. 1. num. 38.* Moneta *de distributionibus quæst. 15. num. 32. & 44.* Garzia *de benef. 7. part. cap. 13. num. 120.* Bonacina *disput. 2. de horis canon. quæst. 5. punct. 2. §. 2. num. 4.* contra Vgolinum, Suarez, & Sayrum, relatos à Garzia, & Bonacina *supra.*

At si illi, quibus fuerunt distributiones applicatæ bona fide eas consumpserunt, neque inde facti sunt locupletiores, repeti debent à Capitulo, si in Capitulum primò translatæ fuerunt, & inde in Canonicos diuisæ, & distributæ. Quia Capitulum ea intractione fructus, & distributiones excommunicati diuisit, vt si postea compertum fuerit iniustè excommunicatum fuisse, satisfaciat ipsi excommunicato integrè. Eâque de causâ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis non solent fructus, & distributiones in hac lite poni in sequestro. Quia Capitulum semper est idem, & est soluendo, & solutioni obligatur si condemnetur. Sic Guttierez *suprà*, & Garzia, *num. 121.*

Verum si ab iis, quibus fructus, & distributiones fuerunt applicatæ recuperare excommunicatus non possit, agere potest aduersus iudicem iniustè excommunicantem, & ab illo recuperare poterit, non solùm fructus, & distributiones, sed etiam litis expensas, & omne damnum, quod ex iniusta excommunicatione passus fuerit. Quia iudex iniustè fuit illius causa. Sic Vgolinus *de censuris tribulat. 2. cap. 12. n. 4.* Suarez *de cens. disp. 13. sect. 2. num. 23.* Sayrus *lib. 2. de censuris cap. 5. num. 17.* Bonacina *disp. 2. quæst. 5. punct 2. de hor. can. § 2. num. 4.* vbi aduertit hoc intelligendum esse, modò iudex bona fide non processerit. Sed hoc in foro externo nunquam præsumitur, quoties declaratur fuisse iniustam excommunicationem, neque excommunicatus eam bonam fidem præsumere debet.

9 Tertiò infertur, idem ferè dicendum esse de suspenso, ac dictum est de excommunicato: si enim iniustè suspensus fuit ab officio ordinis, & iurisdictionis à beneficio, à diuinis officiis, distributiones recuperat ab iis quibus fuerant applicatæ, vel à iudice iniustè suspendente; etiamsi diuinis non interfit. Quia non debet absque culpa pœna puniri, cùm in eius potestate non sit diuinis interesse. Timere enim iustè posset graue damnum. Sic moneta *de distributionibus 2. part. q. 5. n. 42.* Gutierez *lib. 1. canon. quæst. cap. 1. n. 137.* Bonacin. *disput 2. de hor can. q. 5. p. 2. § 3. in princ.* Barbosa *3. p. de potestate Episcopi alleg. 58. n. 175.* & alij apud ipsos.

Si verò iustè suspensus sit, videndum est cuius qualitatis sit suspensio, si suspensus est à diuinis officiis, & illis assistat, credo probabilius lucrari fructus & distributiones: sicuti dixi de excommunicato, & latè probo tractatu de suspensione. Quia nullibi inuenitur priuatum esse ipso iure fructibus officio male exercito correspondentibus, & tradit Garzia *7. p. de benef. cap. 13. num. 92. & cap. 4 n. 58.* plures referens, etiamsi contrarium sentiat in excommunicato, & Bonacin. *disp. 2. de hor can. q. 5. p 2. §. 3.* admittit in suspenso tolerato. Si autem à beneficio suspensus sit, priuatus manet fructibus, & emolumentis, quæ ex beneficio prouenjunt, etiamsi officiis diuinis assistat, quia redditur incapax illa acquirendi. An autem priuatus sit distributionibus quotidianis, si à fructibus beneficij, distinguitur? Credo probabilius non manere priuatum, quia non sunt fructus beneficij, sed potiùs officij, cùm propter officium diuinum, & illius assistentiam concedantur. Ergo non debent sub suspensione à beneficio comprehendi, & de distributionibus, quæ ob anniuersaria conceduntur, tenet Bonacina *suprà*, cum Sayro *de censur, lib. 4 cap 6. n. 11.* ob supradictam rationem.

10 Quartò infertur, idem proportione seruata dicendum esse de interdicto. Si enim ob iniustum interdictum priuatis diuinis assistere, priuandus non est distributionibus, ob rationem sæpè à latam. Quia iusta & rationabili causa omittis assistere timore, scilicet maioris nocumenti si contempta illa censura iniusta diuinis te immisceas. Si autem iustè interdictus es ab ingressu Ecclesiæ, & consequenter diuinis assistere ibidem; credo probabiliùs te lucrari distributiones, si assistas. Nam esto pecces, præstas officium ob quod distributiones conceduntur, sicuti in excommunicato, & suspenso diximus.

At si Ecclesia sit specialiter interdicta, neque tamen interdicto causam dederis, distributiones lucraris; quia per te non stat, quominus ibi diuinis assistas, & idem est cum Ecclesia polluta est, ob quam causam celebrari ibi officia non possunt. Verùm si generaliter Ecclesia interdicta est, neque tu causam dederis interdicto, cùm ibidem possis celebrare diuina sicut antea, teneris conditionibus relatis *in cap. Alma mater, de sent. excommun in 6.* distributiones lucraris si diuinis assistas.

11 Quintò infertur, quid dicendum sit tempore cessationis. An tunc lucreris distributiones, & fructus; & quidem fructus beneficij titulo correspondentes lucraris, etiamsi causam dederis cessationi, nisi per sententiam illis priueris, quia non priuaris beneficio. Distributiones autem minimè lucraris: quia hæ correspondent officio, quod tua culpa non exercetur. Si autem causam non dedisti cessationi, sed ob alterius culpam cessatur, licitè videris consecutus distributiones: quia legitima, & iusta causa impediris diuinis assistere, sicut cùm est Ecclesia polluta, vel specialiter interdicta. At quia *in cap si Canonici, § scisciteri de officio ordinariorum. in 6.* cauetur eum, qui causam dedit cessationi debere restituere Canonicis omne interesse, quod amittunt ex omissa assistentia diuinis officiis; efficitur sanè distributiones non lucrari, quia illæ sunt interesse amissum. Sic Couarr. *in cap. Alma mater*, §. 4. *num. 7.* Moneta *2. p de distribut. quæst. 16. num. 36.* Bonacina *disp. 6. de censuris punct. 3. num. 11. & disp. 2. de hor. can. quæst 5. punct. 2. §. 5.* Suarez *disp 34. sect. 3. num. 16.* Sayrus *lib. 5. cap. 19. num. 19.* & alij apud ipsos.

Si tamen qui causam dedit cessationi non esset soluendo, credo ex benignitate posse tibi à Prælato distributiones, & alia

emolumenta amissa applicari. Neque enim videtur iustum absque culpa te illis priuandum esse.

12 Sextò infertur, quid dicendum sit de eo, qui beneficio priuatus est. Si enim ita priuatus est beneficio, vt nullo modo illud retineat, sed alteri collatum sit, etiamsi hoc iniustè factum fuerit, distributiones non lucratur. Quia non habet fundamentum ad illatum acquisitionem. Tenetur tamen qui iniustitiam commisit omnia damna reparare. Bonacina *disp.2.de hor.can. q.5. p.2. §.9. in fine.* Si autem ita priuatus sit beneficio, vt possit illud retinere, quousque sententia declaratoria criminis accedat, vt regulariter in omni priuatione delicto annexa contingit; omnes fructus & distributiones medio illo tempore contingentes lucratur, si diuinis assistat, cùm hoc tamen onere, vt prolata sententia declaratoria criminis, omnes fructus, & distributiones à die commissi criminis debeat restituere.

Poterit tamen bis ab hac sententia declaratoria criminis appellare. *l.1.ff.de appellat.* & interim executio suspenditur, & distributiones lucratur, & fructus, quousque bis fuerit sententia confirmata. Et idem est quoties per sententiam est beneficio priuandus. Quousque enim de facto priuetur, & beneficium ab illo auferatur, fructus & distributiones retinere potest, diuinis assistens; quia ius habet ad illa.

Hinc etiam constat, quid sit dicendum de deposito, & verbaliter degradato. Cùm enim depositio, & verbalis degradatio sit quædam officij Ecclesiastici in perpetuum priuatio; efficitur sanè fructibus, & distributionibus à die depositionis, & degradationis priuandum esse; interim tamen dum beneficio non priuatur ex fructibus illius moderatè ali debet, vt latiùs dixi cùm de depositione, & degradatione sermonem feci.

§. III.

Expenditur tertia causa excusans ab assistentia diuinorum officiorum, quæ est euidens Ecclesiæ vtilitas.

1 *Absens ob euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem lucratur fructus, & distributiones.*
2 *Non teneris in eodem loco beneficij assistere, etiamsi plures affirment.*
3 *Quomodo cognoscatur absentiam cadere in propriam Ecclesiæ vtilitatem.*
4 *Missus ad visitanda limina Apostolorũ lucratur distributiones.*
5 *Item à Capitulo Missus ad Concilium generale, vel ad Principem, & Legatum gratulationis causa.*
6 *Si à Capitulo assigneris ad sumendas rationes redituum.*
7 *Si Missus ab Ecclesia ad iurisdictionem aliquam illius exercendam.*
8 *Item si præbendam habes, cui animarum cura incumbit.*
9 *Visitans Ecclesiam vt Archidiaconus distributiones lucratur.*
10 *Item si ob iura tuæ Ecclesiæ defendenda absis.*
11 *Quid dicendum de absente ob defensionem iuris proprij beneficij.*
12 *Quid de obside dato ab Ecclesia?*
13 *Occupatus tempore diuinorum tametsi possit præuenire, lucratur fructus & distributiones.*
14 *Cui negotia expedienda commissa sunt Matutino tempore, & tunc propria expedit, Vesperi negotia Ecclesiæ censent plures nullas distributiones lucrari.*
15 *Probabilius est eas lucrari, quæ correspondent tempori, quo Ecclesiæ negotia expedita fuerunt.*
16 *Declaratur tempus, per quod in expediendis negotiis censeris occupatus.*

1 CErtum est, te absentem à diuinis officiis ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem lucrari, non solùm fructus, sed etiam distributiones, ac si præsens esses quia ita habetur *in c.consuetudinem de cler. non resident in 6.* vt constat ex eius verbis. Notanter dixi *ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem*: quia dubia vtilitas cessante consuetudine non concedit ius lucrandi distributiones. Non enim æquum erat, vt Ecclesia distributiones concederet ob absentiam fortè sibi damnosam. Vtilitas Ecclesiæ grauis debet esse, non leuis, vt te à graui obligatione diuinis officiis assistendi excuset. Sic Moneta, *2.p.de distrib.q.11.n.33.* Bonacina, *disp.de hor.can.q.5 p.3.n.5.*

Item debet esse vtilitas propriæ Ecclesiæ, non alienæ. Nam si in alienæ Ecclesiæ vtilitatem cederet tua absentia, ab illa stipendium postulare deberes, nõ à propria. Sic Bonac. *suprà n.6.* Quòd si ob vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ abesses, non caret probabilitate te lucraturum non solùm fructus, sed distributiones: quia absolutè abesse censeris ob euidentem tuæ Ecclesiæ vtilitatem, cùm vtilitas communis propria sit cuiusque. Et fortè ea de causa in dicto *c.consuetudinem*, absolutè dictum est, in euidentem Ecclesiæ vtilitatem absque vlla limitatione. Adde bonum commune excellentius esse speciali: Si igitur ob speciale bonum propriæ Ecclesiæ tibi licet abesse, & fructus & distributiones lucrari: à fortiori ob bonum ipsi, & reliquis Ecclesiis commune.

2 Sed est dubium. An debeas in eodem loco beneficij existere vt distributiones lucreris? Communis sententia affirmat, vt videri potest apud Couarr. *3.Var.c.13.num.8.* Gutierez. *can. quæst.lib.1.c.1.à num.144.* Garzia, *de beneficiis, 9.p.c.2.à num. 36.* Mouentur *ex c.cum non deceat, de elect.in 6.* vbi clerici accedentes ad Sedem Apostolicam pro negotiis suarum Ecclesiarum censentur vtilitatem illarum prosequi, & ob eam causam fructus & alia emolumenta, quæ ibi deberent consequi, si personaliter residerent, consequuntur (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis.) Ne igitur hic textus contrarius sit textui *in c.Consuetudinem, de Cler.non resident.* vbi absenti ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem conceduntur distributiones; affirmandum est textum in cap. cùm non deceat loqui de absente à loco beneficij, cui non debentur distributiones, nisi adsit contraria consuetudo, etiamsi debeantur fructus. *Ex text. in cap.Consuetudinem*, loqui de residente in loco beneficij, præcisa qualibet consuetudine.

Cæterùm existimo probabilius non requiri existentiam in loco beneficij, vt distributiones lucreris, si absentia ab illo in vtilitatem propriæ Ecclesiæ cedit. Sæpè enim vtilitas propriæ Ecclesiæ hanc absentiam requirit. Non igitur ex hac parte priuilegium limitandum erit, cùm in capit. *consuetudinem* nulla sit limitatio opposita. Neque obstat textus in cap. *Cum non deceat.* Nam omissis variis solutionibus ea mihi probabilior apparet, vt intelligatur caput *cùm non deceat*, de illo speciali casu absentiæ ob institutionem electionis, in quo casu absens fructus præbendæ acquirit, exceptis distributionibus. Caput verò consuetudinem intelligatur generaliter de quolibet alio casu in vtilitatem propriæ Ecclesiæ cedente. Limitat ergo caput, *cùm non deceat* aliquo modo generalem concessionem supradicti capitis consuetudinem.

3 Quòd si inquiras? Vnde cognosces tuam absentiam cedere in euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem? Respondeo te proprio iudicio inhærere non debere, sed iudicio virorum sapientum, & conscientiæ timoratæ, qui si affirmant esse grauiter Ecclesiæ vtilem tuam absentiam, securè procedes, & fructus, & distributiones tibi debentur. Quia tunc iudicatis abesse ob Ecclesiæ vtilitatem moraliter certam, quæ est euidentia, quæ in his rebus haberi potest. Regulariter autem quoties à proprio Capitulo electus fuisti ad aliquod negotium peragendum, quod ab ipso iudicatum fuit Ecclesiæ vtile, fructus & distributiones lucraris. Quia tunc iudicare optimè potes te Ecclesiæ vtilitati euidenter inseruire. Placet tamen in particulari aliquos casus subiungere, ex quibus alij decidi possunt.

4 Primò certum est te distributiones lucrari, si à tuo Episcopo mittaris ad visitanda eius nomine limina Apostolorum, vel illum in hac causa committeris. Quia negotium tuæ Ecclesiæ agis instruendo Bontificem de eius statu. Sic ex constitut. 17. Sixti V. & variis decisionibus sacræ Congregationis refert decisum Garzia *de beneficiis, 3.p. cap.2. numero 349.* Riuig. *decis.498. numero 3.* & tradit Bonacina, *disputat.2.de hor. can. quæst.5. p.3. numero 14. plurimus relatis.* Barbosa, *3.p. de potest. Episcop.allegat.53. numero 135.* Secus verò esset dicendum, si esses missus ab Episcopo aliarum Ecclesiarum, aut illum committeres. Quia tunc non censeberis abesse ob tuæ, sed alienæ vtilitatem: & sic nec distributiones, nec fructus lucraberis. Garzia, *numero 350.* Aduerto, si parochus sis, vel beneficium habeas seruitorium, te non posse vltra bimestre ab Episcopo in hoc negotio occupari, etiam Vicario, seu substituto apposito. Quia absentia parochi reputatur in iure ita damnosa Ecclesiæ propriæ, vt grauissimam causam requirat ad illius honestatem. Sic Garzia, *pluribus declarationibus sacræ Congregationis exornans, 3.p. cap.8. numero 40. & numero 350.* Aduerto 2. Si Episcopus mittat ad inuisenda limina, non posse plures designare, sed vnum tantùm; quia vnus reputatur sufficiens. Si tamen ipse vadit, potest secum duos deferre, etiamsi alij duo maneant in suo seruitio occupati. Colligitur ex supradicta constitutione Sixti V. & quia dignitas Episcopalis hunc comitatum videbatur expostulare: neque ob illius causam, ab aliis negotiis peragendis Episcopo assistentes cessare debeant. Sic Garzia *suprà.*

5 Secundò, debentur tibi distributiones, si à Capitulo ad Concilium Generale, vel Prouinciale mittaris tanquam Theologus, Canonista, vel Ecclesiæ tuæ procurator. Quia cedit absentia in claram tuæ Ecclesiæ vtilitatem. Sic Bonacina, *disp.2.de hor.can.q.5.p.3. num.13.* Moneta, *2.p. de distribut.q.11.n.91.* Barbosa, *alleg.53.n.158.*

Tertiò debentur, si missus sis à Capitulo tanquam legatus ad Pontificem, vel Principem ad gratulandum de aliquo felici euentu, quando consuetudo est has fieri legationes. Quia tunc sunt debitæ Ecclesiæ, & si in illis deficeret, Principem haberet offensum quod est graue incommodum. Sic Bonacina, *suprà num.2.*

6 Quartò, tibi debentur distributiones, si à Capitulo assigneris ad sumendas rationes redituum, & bonorum Ecclesiæ, & in illis sumendis tempore diuinorum officiorum fueris occupatus. Quia hoc officium est Ecclesiæ maximè necessarium. Sic Moneta, *2.p.de distributionibus, quæst.5 n.47.* Bonacina *disp. 2.quæst.*

2. quæst. 9 p. 3. num. 11. Neque obstat alio tempore posse hæc computa fieri, & orationes assumi. Quia illud est cum speciali grauamine illius, qui ad hoc officium assignaretur, quod subire non tenetur. Neque etiam obstat quædam declaratio sacræ Congregationis contrarium insinuans, quam refert Garzia, *3. p. de benef. c. 3. num. 368.* quia illa non loquitur de Canonicis signatis à Capitulo ad sumendas has rationes, sed de Capitulo, & Episcopo; Capitulum enim, & Episcopus tempore Diuinorum officiorum non possunt has rationes assumere. Quia cederet in graue detrimentum diuini cultus Capituli à choro absentia, cum tamen necessaria non sit. Quod tamen in vno vel altero Canonico non procedit.

7 Quintò tibi debentur, si missus sis à Capitulo ad iurisdictionem aliquam tuæ Ecclesiæ annexam exercendam: quia occuparis in negotio vtilitatis tuæ Ecclesiæ. Vtilius enim illi est te solùm habere occupatum, quàm totum Capitulum. Bonacina *suprà.* Scilicet, si Sede Episcopali vacante, morte Episcopi, vel à paganis capti Vicarius, seu prouisor à tuo Capitulo eligaris, acquiris distributiones dum abes causa exercendi officium: quia in euidenti Ecclesiæ vtilitate occuparis. Secus verò est, si cùm sis Canonicus Vicarius Episcopi eligaris. Tunc enim non tam deseruis tuæ Ecclesiæ quàm Episcopo: nec illud officium cedit in specialem tuæ Ecclesiæ vtilitatem, sed vtilitatem Ecclesiarum diœcesis, ac proinde non est iustum obligare tuam Ecclesiam, in qua Canoniam habes ad distributiones concedendas, sufficit, vt concedat fructus, & releuet ab assistentia. Sic relato Rebuffo, Hojeda, Moneta, & aliis docet Garzia, *3. p. de beneficiis, c. 2. num. 357.* Bonacina, *disp. 2. de hor can. q. 5 p. 3.*

8 Sextò, si præbendam habeas, cui animarum cura incumbit, non solùm fructus, sed etiam distributiones lucratis, dum sacramenta ministras, vel alia exerces ad animarum curam pertinentia. Quia vtile est ipsi Ecclesiæ, vt animarum cura prouideatur, & obligationibus cuiuscumque præbendæ satisfiat. Et hoc habet verum, etiamsi Canonicatum simul habeas, obtines quidem omnes fructus, & distributiones tam præbendæ curatæ, quam Canonicatus *ex decreto Trident. sess. 22. de Reformatione, cap. 3. vers. Quod si alicui*, & pluribus decisionibus comprobat Garzia, *3. p. de benef. cap. 2. an. 335.* Aloysius Riccius, *decis. 89. n. 4* Barbosa, *allegat. 35. n. 162.* Limitat autem Bonacina, *disp. 2. de hor. can. quæst. 5. p. 3 §. 7. in fine*, vt intelligatur, de distributionibus extraordinariis, & impropriis; quales sunt, quæ constituuntur ex reddibus particularibus dignitatum, personatuum, & beneficiorum, ab iis solis, qui beneficia, dignitates, & personatus habent obtinenda. Secus verò de distributionibus propriis, & ordinariis constitutis ex bonis communibus Ecclesiæ, & inter præsentes diuinis officiis diuidendis. Has enim distributiones existimat Bonacina suprà non lucrari præbendatum, cui animarum cura inest, nisi priuilegio, vel consuetudine muniatur: vel nisi eius præbenda non habeat alios fructus præter distributiones quotidianas. Cui consentit Garzia *3. p. de benef. cap. 2. n. 351. & sequentibus.* Sed quod diximus probabilius est ob rationem allatam. *Et quia Trident § 22. cap. 3.* expressè dicit hunc incumbentem animarum curæ pro tempore, quo in curata Ecclesia residerit, ac ministrauerit, tanquam præsens sit, ac diuinis interfuit in Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur. Ergo lucratur quascumque distributiones interessentibus competentes. Et videtur esse *Supra citata, numero 335.*

9 Septimò, visitans Ecclesiam, iura vel redditus suæ præbendæ, verbi gratia, Archidiaconatus non solùm fructus, sed distributiones illius met præbendæ obtinet. Siquidem visitando prædicta iura, & loca seruit Ecclesiæ in re vtili. Moneta, *2 p. de distribut. q. 11. num. 53.* Barbosa. *allegat. 63. num. 63. Et in remiss. Conci. sess. 24. c. 12. num. 50.* Notanter dixi, *illius met præbendæ, cuius iura visitat*, quia si Canonicatum simul habet cuius fructus, & distributiones sint distinctæ non lucratur illius fructus, & distributiones: quia illa visitatio non cedit in vtilitatem Canonicatus: ergo non est æquum, vt Canonicatus fructus, & distributiones percipiat. Secus verò dicendum est in portione annexa, & vnita dignitati: quia tunc cum ipsa dignitate reputatur vnum beneficium, & consequenter obtinens fructus, & distributiones dignitatis, obtinet etiam fructus, & distributiones portionis annexæ. Sic Garzia, *3. p. de benef. c. 2. n. 338.*

10 Octauò, lucraris distributiones, si absis ob iura Capituli, vel Ecclesiæ tuæ defendenda. Quia abes ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem. Doct multis relatis Barbosa, *allegat. 3 numero 17.* Quod verum habet etiamsi tibi salarium constituatur; quia salarium non constituitur ea conditione, vt tu remittas distributiones & fructus ex iure debitos, sed vt diligentiùs defensioni Ecclesiæ incumbas, & faciliùs possis onera absentiæ sustinere. Bonac. *disp. 2. q. 5. punct. 2. §. 2.*

11 Nonò, debentur tibi distributiones & fructus, si pro defendendis iuribus tui beneficij absis: quia illa defensio cedit in vtilitatem euidentem Ecclesiæ, in qua situm est beneficium. Siquidem ratione illius redditur beneficium nobilius, & optabilius. Bonacina, *suprà.* Barbosa, *allegat. 53. num. 172.* Garzia, *3. p. c. 2. n. 49.* Secus verò dicendum est, si ob defensionem iuris proprij ad beneficium aduersus alterum absis. Quia tunc non abes ob Ecclesiæ, & beneficij vtilitatem, sed ob vtilitatem propriam, & sic non lucraris distributiones. Bonacina, *suprà §. 3. numero 2.* Garzia, *suprà numero 49.* Quamuis etedam lucrari fructus, & distributiones, si pro causa Ecclesiæ, & defensione ipsius iurium, & præeminentiarum excommuniceris iniustè. Quia tunc ob causam Ecclesiæ emolumento priuaris. Sic Gutierrez, *can. quæst. lib. 1. cap. 1. n. 142. 147.* Barbos. *3. p. de Potest. Episc. allegat. 53. num. 173.* Imò etiamsi, iustè excommuniceris, quouisque conuincaris iuridicè, lucraris fructus, & distributiones: quia iustè defendis iura Ecclesiæ, dum non conuinceris iniustam causam fouere. Ergo iustum est, vt Ecclesia tibi fructus, & prouentus non deneget. Gutierrez, *num. 242.* Barbosa, *num. 173.* Idem est, & ob eandem rationem, si cùm sis prouisor sede vacante ob causam officij excommuniceris. Quia excommunicaris ob officium ad Ecclesiam pertinens, & quod ipsa Ecclesia per se exercere debebat; Gutierrez, & Barbosa, *suprà.*

12 Obses datus ab Ecclesia, aut etiam repræsaliarum causa captus, & detentus quotidianis distributionibus priuari non debes. Quia ob causam Ecclesiæ abes. Item corporali necessitate adstrictus abesse cogeris. Moneta, *2. part. de distributionibus, quæst. 5. n. 56.* Aug. Barbos. *n. 165.*

13 Sed inquiris. An tibi debeantur fructus, & distributiones occupato in negotiis euidentem Ecclesiæ vtilitatem spectantibus, si negotia extra tempus officij diuini expediri rectè possint, tu verò tempore diuinorum officiorum expedias?

Ratio difficultatis est. Quia non videris abesse à diuinis officiis ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem, cum absque detrimento Ecclesiæ posses diuinis assistere negotia ante, vel post tempus diuinorum officiorum expediens. Item videres affectare impedimentum, & ob eam causam esse in dolo. Ergo non debet tibi prodesse. Sic affirmat Moneta, *2. p. de distributionibus, q. 4. num. 43.*

Nihilominus dicendum est, te lucrari fructus & distributiones. Sic Bonacina, *disputat. 2. de hor. can. quæst. 5. p. 3. num. 16.* Quia negari non potest te tempore diuinorum officiorum occupatum esse in euidenti Ecclesiæ vtilitate: sed sic occupatis conceduntur fructus, & distributiones. Ergo. Item in supradicto cap. vnico noninuenitur priuilegium ad eos, qui nulla via vtilitatem Ecclesiæ præuenire, vel postponere tempori diuinorum officiorum potuerunt. Ergo sine fundamento asserimus. Deinde si occupati in vtilitatem Ecclesiæ obligati essent vel præuenire, vel postponere, vt possint indemnes seruari, nullum vel minimum esset priuilegium illis concessum. Imò sæpè præ cæteris grauarentur, siquidem tempore, quo alij vacant, debebunt ipsi in vtilitatem Ecclesiæ laborare, & insuper choro sicut alij assistere. Non igitur est credendum de suaui Ecclesiæ regimine, & prouidentia, præsertim cùm hæc obligatio non modicam scrupulis & inquietudini conscientiæ viam aperiret.

Ad rationem difficultatis patet ex dictis: negando te non abesse in euidentem Ecclesiæ vtilitatem: neque obstat te hanc consequi posse alio tempore, etiamsi diuinis assisteres: sufficit enim, si tunc consequaris. Ad confirmationem dico te non affectare impedimentum, sed procurare priuilegium, illóque vti. Nullibi autem tibi prohibitum est priuilegium à iure concessum non procurare, illóque habito non vti. Ergo.

14 Item inquires. An, si tibi commissa sunt negotia expedienda Matutino tempore, tu verò propria tunc expedias, Vespere negotia Ecclesiæ expediturus, lucreris distributiones Matutino tempore correspondentes? an correspondentes Vespere? an nullas? Videris nullas lucrari. Non enim lucrari potes distributiones Matutinales: quia in tantum eas lucrari potes in quantum in euidenti Ecclesiæ vtilitate occuparis. At vt supposito non occuparis tunc in vtilitatem Ecclesiæ, sed in propriam. Ergo. Item licentia tibi concessa non interessendi illo Matutino tempore fuit, eo sine & sub ea conditione, vt negotia Ecclesiæ tunc expedires, alias nulla esset concessio. Ergo te non expediente illa negotia, cessat licentia & concessio. Ergo cessat priuilegium lucrandi fructus, & distributiones. & ita sentit Moneta, *illa quæst. 5. num. 44.* Quòd vero lucreris distributiones Vespertino tempore correspondentes, affirmat Bonacina, *disp. 2. de hor. can. quæst. 5. p. 3. num. 21.* Eò quod illo tempore diuinis posses assistere, si statuto tempore negotia peregisses, ac proinde ex propria culpa, & negligentia, & non ex licentia, & voluntate Prælati tunc abes. Ergo nullas distributiones tibi debentur. Non Matutinas: quia eo tempore negotia Ecclesiæ non peregisti, non Vespertinas: quia contra voluntatem Prælati tunc abfuisti.

15 Cæterùm dicendum est, te aliquas lucrari. Cùm enim tibi fuerit permissum à choro abesse, & distributiones Matutinales lucrari ob Ecclesiæ negotiorum expeditionem, & de facto tempore diuinorum officiorum illa negotia expedieris, efficitur sanè te legitimam causam habuisse non interessendi aliquibus officiis diuinis, & distributiones illis correspondentes tibi debitas esse. Credo autem probabilius tibi deberi correspondentes tempori, in quo negotia Ecclesiæ expedisti. Quia tunc verè est in vtilitatem Ecclesiæ te fuisse occupatū. Neque obstat fuisse occupatū ex tua negligentia, & culpa: quia tempore assignato necessitate

gotio non expedisti, & contra voluntatem Ecclesiæ. Non inquam, obstat: quia absolutè in vtilitatem Ecclesiæ fuisti occupatus, & posita priori negligentia iam ex voluntate Ecclesiæ Vespertino tempore abes.

16 Tertiò inquires? Quanto tempore lucrari distributiones, & fructus possis absens ab Ecclesia pro negotiis eius expediendis? Respondeo: toto eo tempore, quod in eundo, & redeundo ad locum negotij, & in illius expeditione consumsisti, distributiones lucraris. Quia non solùm expeditio negotiorum, sed via ad illa expedienda, & reditus in propriam domum cedit in vtilitatem Ecclesiæ tanquam quid antecedens, vel necessariò consequens expeditionem, *ex l. si cui in Prouincia, & l. qui mittuntur, §. fin. ff. ex quibus causis maior*, & notauit Bonacina, *disp. 2. de hor. can. q. 5. p. 3. num. 19.* cum Sfortia Oddo, *de restitutione in integrum, 1. p. q. 27. art. 3.*

Quod si inquiras, quantum temporis, tum in via, tum in negotio consumere possis? Respondeo, certa regula definiri non posse, sed prudentis arbitrio est relinquendum. Illud est certum te eam diligentiam esse obligatum apponere, quàm in propriis apponeres, & quam quilibet vir probus, & timoratus in similibus haberet. Aliàs si ob tuam negligentiam, & remissionem negotiorum expeditio longo tempore distraheretur, securus in conscientia non esses, neque distributiones tibi deberentur; quia tunc non negotiorum expeditio, sed tua remissio causa est, illius longæ absentiæ. Pro itinere regulariter quolibet die septem vel octo leucas debes consumere: quia sic à lege pro iter agentibus est institutum, *l. 1. ff si quis caut. & l. 3 ff. de verborum signification.* & tradit Moneta, *de distributionibus, 2. p. q. 5. n. 35.* Quod si breuiori tempore, quàm obligatus esses, peragas iter, negotiúmque expedias, non poteris ab Ecclesia illis diebus abesse, quos poteras in itinere, vel in negotio expediendo consumere; quia in vtilitatem Ecclesiæ tunc occupatus non es: sicuti si tibi demandatum esset quoddam negotium, quod tempore diuinorum officiorum expedire poteras, tu verò præuenisti tempus & ante horam officiorum diuinorum expedisti, non poteris postea ab officiis diuinis abesse: quia non habes causam excusationis. Sicut non excusatur pœnitentiarius ab horarum assistentia ob confessiones auditas extra tempus horarum. Illud tamen est omnino notandum, si dum negotium peragis, vel ad illud peragendum proficisceris, infirmeris vel alio impedimento detineris, quo diuinis assistere non posses, te excusatum esse, eodem modo, & eadem ratione distributiones lucrari, ac si in negotio peragendo occupatus esses. Quia tunc ex eadem radice præsumeris esse impeditus, & in negotiis Ecclesiæ expediendis esse occupatus, perseuerat enim eadem absentiæ causa, *l. si cui in Prouincia, §. tamdiu, & l. hi qui. ff. ex quibus causis maior*, & tradit aliis relictis Moneta, *2. p. de distrib. q. 5. numero 38.* Sfortius Oddo, *de restit. in integ. 2. p. quæst. 27. art. 3. pag. 253.* Bonacina *disputat. 2. q. 5. p. 3. num. 18.*

Alij sunt casus difficiliores, quos placuit per paragraphos distinguere.

§. IV.

An ob assistentiam in Capitulo excuseris ab assistentia Cori, & distributionum amissione.

1 *Proponitur ratio dubitandi.*
2 *Quilibet Canonicus tenetur Capitulis interesse, nec potest ordinariè ab illis abesse.*
3 *Tempore recreationis obligatus non es Capitulis assistere.*
4 *Tempore diuinorum celebrari non possunt Capitula, excipe nisi aliqua vrgens & euidens necessitas Ecclesiæ aliud expostulet.*
5 *Deciditur quæstio, assistentiam in Capitulis regulariter non esse causam sufficientem lucrandi distributiones datas choro interessentibus.*

1 RAtio difficultatis est: Quia assistere Capitulo non videris obligatus, quia hæc assistentia potius est honor præbendæ, quàm onus illius, siquidem iis, qui non sunt in sacris denegatur. Tridentin. *sess. 22. cap. 4. de reformat.* Item denegatur sæpè in pœnam alicuius culpæ commissæ, Clement. II. *de ætate & qualit.* Sed honori & præeminentiæ potest quis cedere. Ergo. Item electores, Cathedrarum renunciare possunt iuri eligendi, neque compelli possunt à Rectore, nisi fortè quando ob paucitatem eligentium, vel ob aliquorum fraudem timeretur inordinata electio, vt tradit Amilla, *verbo electio. num. 2.* Sotus, *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. vers. Postremum.* Ioan. Gutierez. *can quæst. lib. 2. cap. 11. num 86.* Glos. *cap. cùm nobis, de electione verb. renouare*, & notat Abbas, *cap. Quia prior eodem titulo, num. 4.* & generaliter quilibet potest suæ voci renunciare, dum Ecclesiæ contrarium grauiter non interest. Docet Azebedo, *in curia Pisana, lib. 2. cap. 5. & c. finem.* Adde etsi obligatus sis Capitulis assistere, at non videris obligatus illis assistere tempore quo diuina celebrantur. Tum quia illo tempore Capitula celebrari non debent. Tum quia assistentia in Capitulo non pertinet ad primam Canonici obligationem, sed ad secundam. Prima enim Canonici obligatio est residentia, Ecclesiæ seruitium, & diuini cultus promotio. Trident. *sess. 24. cap. 12. de Reformat.* Ergo non debet prima obligatio ob secundam omitti: ac proinde ob assistentiam in Capitulo non videris sufficienter excusatus ab assistentia chori, & distributionum amissione.

2 Pro resolutione præmittendum est, quemlibet Canonicum ratione suæ præbendæ obligatum esse Capitulis interesse, neque posse ordinariè ab illis abesse absque graui culpa. Sic relatis Ioanne Guttier. & Petro de Ledesma, docet Garzia, *de benef. cap. 2. à num. 629.* Vbi testatur à sacra Cardinalium Congregatione sic fuisse decisum. Ratio est. Quia celebrare Capitula necessarium est ad rectam Ecclesiæ gubernationem, & administrationem, vt de se constat, sed hæc infallibiliter & necessariò celebrari non possunt, nisi Canonici obligati sint illis assistere. Ergo nec essent Capitula, quilibet debet esse obligatus illis assistere. Hoc tamen intelligendum est, dummodò Capitula in fauorem Ecclesiæ, & non in illius damnum celebrentur, si in damnum Ecclesiæ celebrantur, tu possis resistere, & impedire, etiam cum aliqua tui iactura.

3 Secundò præmitto; te non esse obligatum tempore recreationis Capitulis assistere. Quia ad Capitularem assistentiam secundariò es obligatus. Si igitur ab assistentia, quæ est prima obligatio excusaris illis diebus, à fortiori manes excusatus ab secunda. Excipe nisi graue damnum Ecclesiæ tua assistentia posses impedire: Quia tunc ex iure naturali obligaris assistere. Sic relatis Azedo, Ioanne Guttier. docet Garzia, *num. 541.* & *542.*

4 Tertiò præmitto, Capitula celebrari non posse tempore, quo diuina officia, & præcipua Missa maior celebratur. Quia præstat prius Deo seruire, quàm hominibus, & diuino cultui vacare quàm negotiis temporalibus. Sic pluribus Conciliis Prouincialibus, & sacræ Congregationis declarationibus, & specialiter decisione Clementis VIII. in suo Breuiar. 18. Ianuarij quod incipit. Decet Romanum Pontificem, confirmat Garzia, *3. p. cap. 2. num 556.* Solúmque hoc venit limitandum, sicuti limitat Clemens VIII. nisi fortè aliqua vrgens, & euidens necessitas Ecclesiæ aliud postulauerit, quòd rarò potest euenire. Rarò enim contingit Ecclesiam graue damnum pati, nisi Capitulum tempore diuinorum officiorum fuerit celebratum: Ex quo apparet grauissimum esse abusum illarum Ecclesiarum, in quibus passim Capitula conuocantur tempore diuinorum, occasione simulatæ necessitatis, cum potiùs intendant à diuinis abesse, & distributiones in absentia lucrari. Adde illa Capitula nulla esse nisi omnes, qui sunt in Ciuitate vocentur, iuxta *l. 1. C. de decurion. lib. 10.* & tradit Garzia, *supra num. 572.* cum Abbate, *in c. cùm omnes, de Const. num. 6.* Felino, *numero 21.* Decio, *41. in prima lectura.* Azedo in Curia Pisania *lib. 2. cap. 5.* Vel nisi duæ partes Canonicorum, qui vocandi sunt conueniant. Tradit Felinus, *in dict. cap. cùm omnes, num. 33.* Decius, *numero 51.* Abbas, *num. 11.* Garzia, *num. 573. & facit lex nulli, ff. Quod cuiusque Vniuersitatis nomine. Leg. Nominationum. Cod. de decurion. lib. 10.* Vel nisi esset statutum annullans Capitulum extraordinarium non vocatis his, qui sunt in Ciuitate & declarato negotio, ad quod vocantur, vt in multis Ecclesiis viget. Quia tunc nullum esset etiamsi duæ partes Canonicorum conueniant. Garzia, *num. 574. & 575.*

5 Ex his ergo deciditur difficultas, affirmo namque regulariter loquendo capitularis congregationis assistentiam non esse causam sufficientem, vt choro absens distributiones lucreris. Quia non cedit in vtilitatem Ecclesiæ, sed potiùs in illius damnum. Siquidem cedit in diminutionem diuini cultus, & chori interessentiæ, Ecclesiæ vtilissimæ. Dixi *regulariter*, vt exciperem casum extraordinarium, & Ecclesiæ valdè vtilem, cui nec præueniri, neque postponi ad horas potest. Quia tunc assistens capitulo in euidentem Ecclesiæ vtilitatem es occupatus, & vt talis distributiones lucraris.

6 Ad rationem dubitandi nego regulariter te non esse obligatum capitulis assistere. Quia saltem secundariò obligaris bono regimini Ecclesiæ prouidere, ad cuius obligationis executionem necessaria est capitulis assistentia. Neque obstat hanc assistentiam esse potiùs honorem præbendæ, quàm onus, quominus tenearis illius obligationi satisfacere. Sicut iudex tenetur officio iudicandi satisfacere, etiamsi iudicatura honor sit, potiùs quam onus. Ab hac autem obligatione assistendi capitulis excusaris, si capitula fiunt tempore, quo recreatis, vel in quo diuina celebrantur, nisi ferùe exurgenti, & euidenti Ecclesiæ vtilitate eo tempore celebretur, quod rarò contingit. Sed casu posito si capitulo ades, censeris occupatus in euidenti vtilitate Ecclesiæ, ac proinde excusatus à choro, & distributiones lucraris, aliàs non.

§. V.

§. V.

An pœnitentiarius ob eius officium lucretur fructus, & distributiones choro non assistens.

1 *Affirmatiuè respondetur dummodò in Ecclesia assistat paratus confessiones audire,*
2 *Extenditur ad Litanias, & Processiones extra Ecclesiam.*
3 *Quid de aliis Canonicis tempore diuinorum confessiones audientibus.*
4 *Quid si sint signati ad hoc officium præsente pœnitentiario, vt illum adiuuent? Probabilius est lucrari sicut pœnitentiarius.*

1 CAnonicus pœnitentiarius dum in Ecclesia assistit paratus confessiones audire, ibique pœnitentes expectat, aut cum eisdem loquitur de rebus ad confessionem pertinentibus, præsens choro censetur, & fructus, & distributiones lucratur, ac si diuinis assisteret: ex decreto Tridentini, *sess 24. cap. 8. de reformat.* Quia vtilitati Ecclesiæ prouidet sic onera sui beneficij exequens, & in specialem decorem, & splendore Ecclesiæ cedit, sic esse paratum ad fidelium confessiones audiendas, & licèt decretum Tridentini tolùm dixerit censendum esse choro præsentem, dum confessiones in Ecclesia audit, hoc non tollit, quominus extendi non possit ad tempus, quo se confessionibus audiendis præparat, vel præparat pœnitentes, vel circa confessiones audiendas consilia præbet: quia hæc omnia ad munus confessarij pertinent, & necessaria sunt, & moraliter loquendo, dum in ipsis occupatur, dici potest occupatus in confessionibus audiendis. Sic Bonacina *disputat. 2. de hor. canon. quæst. 5. punct. 3. §. 5.*

Neque obstat sacram congregationem declarasse pœnitentiarium non acquirere distributiones, si tempore diuinorum priuatim officium in confessionario recitet vel sacrum facit, vel confabulatur, etiamsi tempore antecedenti occupatus fuerit in confessionibus audiendis. Garzia *5. de benef. cap. 4. numero 124.* Alex. Moneta *2. p. de distribut. quæst. 11. numero 16.* Vgolinus *de officio Episcopi, cap. 33. num. 5.* Bonacina §. *4. n. 2.* Non. inquam obstat. Quia aliud est officia pene assumere, quæ ad confessionem non ordinantur, aliud assumere media ad confessionem ordinata, aut quæ confessionem complent. Præparare enim se ad confessiones excipiendas expectando in loco confessionarij pœnitentes, vt facilius confiteri possint, illisque ad confessionem disponere, & de melioris vitæ fruge consilia præbere, officium est confessarij, ac proinde ob illud præsens choro reputari debet. Secus verò ob confabulationem aliam sæcularem, vel ob priuatam horarum recitationem: quia non sunt officia confessarij. Fauetque declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium relata ab Augustino Barbosa pro Ecclesia Abulensi in remissionibus Concilij, *sess. 24. cap. 8. de reformatione*, vbi mandatur pœnitentiarius assistere in sede, & loco ad confessiones excipiendas deputato, ne pœnitentes perquirere eum cogantur, & ob verecundiam huius inquisitionis confessiones omittant. Barbosa *allegat 55. num. 28.*

2 Adde non solùm pœnitentiarium confessiones audientem in Ecclesia censendum esse choro præsentem, cùm in illo diuina officia celebrantur, sed etiam censendum esse cum extra Ecclesiam Litaniæ, & Processiones habentur. Quia hæc publica, & communis Litaniarum, & Processionum recitatio, sub nomine diuinorum officiorum, quæ in choro celebrantur, comprehenditur: chorúsque non tam locus ille materialis, quàm congregatio Canonicorum diuina persoluens intelligitur. Sic decisum à sacra Cardinalium congregatione, refert Garzia *3. p. de benefic. cap. 4. numero 125.* Bonacina *dict. §. 5. n. 4.* Barbosa *3. p. allegat. 55. num. 31.* Quamuis contrarium teneat Moneta *2. p. de distribut. quæst. 11. n. 65.*

3 Sed quid dicendum de aliis Canonicis, qui tempore diuinorum confessiones audiunt? Si enim ex deuotione huic muneri incumbunt, credo nullo modo pro præsentibus choro esse habendos. Quia eorum officium sic assumptum, etsi cedat in vtilitatem populi: regulariter cedet in damnum Ecclesiæ, & diminutionem diuini cultus. At si ex mandato, seu assignatione superioris huic officio incumbant, satis probabile reputo fructus, & distributiones lucrari, sicut pœnitentiarius non solùm quando pœnitentiarius abest, vel mortuus est; & in eius locum aliquis subrogatur: sed etiam quando illo præsente in illius adiutorium aliquis alius designatur. Imò etiamsi designentur duo, vel tres, eò quòd multitudini pœnitentium solus pœnitentiarius satisfacere non possit. Et quidem lucrari distributiones, & haberi tanquam choro præsentem subrogatum loco pœnitentiarij ob illius absentiam, vel mortem defendit Bonacina *suprà*, & ratio esse potest. Quia subrogatus sapit naturam illius in cuius locum subrogatur cum omnibus suis qualitatibus primordialibus, & accidentalibus. Lege *si cum, §. iniuriarum, ff. si quis cautionibus, l. in duobus §. 1. ff. de iureiurando, §. fuerat institut. de actionibus*, & aliis pluribus exornat Tiraquellus *de retractatu lign. §. 32. glos. 1. an. 10. vsque ad* 18 Molina de Hispaniis primogenijs, *cap. 4.* per totum. Anton. Gab. *tit. de reg. iuris conclus. 2. per totam.* Sed pœnitentiario audienti confessiones in Ecclesia conceduntur distributiones, ac si præsens choro esset. Ergo etiam deberent concedi illi, qui in eius locum est subrogatus. Item hic occupatur in eodem officio, ac occupatur pœnitentiarius. Sed pœnitentiarius in tali officio occupatus, censentur occupatus non solùm in vtilitatem populi, sed etiam in vtilitatem Ecclesiæ, ad quam pertinet populo confessorem aliquem deputare, qui à reseruatis absoluat, & cuius consilia secure sequi fideles possint. Ergo etiam subrogatus in vtilitatem Ecclesiæ censebitur occupatus.

4 Verùm si præsente pœnitentiario alius, vel alij in illius adiutorium ad audiendas confessiones designentur ob multitudinem pœnitentium? credo probabilius tali assignatione facta lucrari distributiones, ac si choro præsentes essent. Sic tenet Moneta *de distributionibus 2. p. quæst. 11. num. 68.* Moueor, quia occupantur in euidenti Ecclesiæ vtilitate. Vtile enim est Ecclesiæ imò necessarium ministros habere, qui populo in re ita necessaria satisfaciunt.

§. VI.

De Canonico magistrali, & lectorali quid est dicendum.

1 *Cùm legit, vel concionatur in propria Ecclesia, distributiones lucratur tali horæ, imò & tali diei correspondentes,*
2 *Quid de consuetudine lucrandi fructus per octo dies antecedentes.*

1 DIstributiones lucratur Canonicus Magistralis, vel lectoralis cùm in propria Ecclesia concionatur, vel legit, *ex cap. vnico de cleric. non resident. in 6.* Quia exequitur officium, & obligationem suæ præbendæ, quod non potest non esse maximè Ecclesiæ vtile; ex confessione autem Gregor. XIII. & declaratione sacræ Congregationis, non solùm ea hora, in qua concionatur, vel legit, sed omnibus horis illius diei reputatur choro præsens, & meritò: quia exercet actionem magis laboriosam, quàm alij præbendati, & quæ specialem præparationem requirit. Sic Garzia *3. p. de benef. cap. 2. num. 119.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. §. 7. proœmij num. 80* Moneta *de distributionibus 2. part. quæst. 10. num. 27.* Bonacina *dicta disput. 2. q. 5. p. 3. §. 6.* Augustinus Barbosa *3. p. de potest. Episcop. allegat. 56. n. 8.* & alij apud ipsos. Verùm etsi hoc ita sit legens, vel concionem habens eo die non censetur præsens matutinis horis, quæ secundùm aliquarum Ecclesiarum consuetudinem dicuntur in vespere diei antecedentis; quia non sunt horæ illius diei, in quo concionem, vel lectionem habet, sed sequentis. Sic Garzia, Barbosa, & Bonacina *suprà*.

2 In aliquibus tamen Ecclesiis est consuetudo, vt non solùm eo die quo Canonicus magistralis concionatur, habeatur pro præsenti, sed etiam per octo dies concioni antecedentes; quia ipsi reputantur necessarij, vt absque graui defatigatione officium prout decet exercere possit. Reputatem tamen hanc consuetudinem extendi posse ad lucrandos fructus præbendæ, non tamen quotidianas distributiones, nisi fortè in ipsis tota præbenda consisteret. Moueor quia Gregorius XIII. dixit distributiones quotidianas deberi concionanti, & legenti non solùm horas, qua legit, sed pro toto die, ex gratia, inquam, vt constat ex allegatis à Garzia *3. p. de benefic. cap. 2. num. 120.* extendere autem gratiam ad alios dies nimium videtur. Vide Garziam *num. 25.* Si autem in distributionibus tota præbenda consistit, eas lucratur, ne inutile reddatur priuilegium. Garzia *num. 351.* An verò deducenda sit tertia pars pro interessentibus? Affirmat cum Bonacina *disput. 2. quæst. 5. p. 3. §. 6. fin.* Garzia *n. 152.* in simili ex declarationibus sacræ Congregationis. Quia hac ratione incitantur Canonici ad assistendum, & interessentes non patiuntur damnum.

§. VII.

An Vicarius Episcopi, & eius familiaris, examinator synodalis, visitator diœcesis, &c. lucrentur fructus, & distributiones choro non assistentes.

1 *Fructus lucrantur supradicti, non distributiones, nisi speciali consuetudine, aut indulto Pontificis concedantur.*
2 *Canonicus Vicarius Episcopi excusatur à residentia, & fructus lucratur.*
3 *Quod beneficiatos possit Episcopus in sui familiares assumere.*
4 *Ex Ecclesia collegiata sicut neque ex Cathedrali non potest plures Canonicos, quàm duos in sui familiares assignare.*
5 *Parochus vltra duos menses non potest in vicarium Episcopi assignari.*
6 *Nomine Episcopi venit intelligendus habens iurisdictionem Episcopalem, quique Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ caput sit.*

1 CAnonici ab Episcopo constituti visitatores hospitalium, & Ecclesiarum diœcesis, Vicarij foranei, administratores locorum, beneficiorum examinatores fructus præbendæ lucrantur, qui legitimam habent causam absentiæ. Non tamen lucrantur distributiones quotidianas, nisi priuilegio Pontificis consuetudine legitimè præscripta, aut statuto à Pontifice confirmato eis concedantur. Quia non sunt occupati in seruitio Ecclesiæ propriæ, sed in seruitio Episcopi, & Ecclesiæ in communi. Sic relato Alex. Moneta docuit Garzia *3. p. de beneficiis cap. 2. num. 354.* vbi refert priuilegium concessum ad instantiam sancti Caroli præbendatis Ecclesiæ Mediolanensis. Bonac. *disp. 2. de hor. canon. quæst. 5. p. 3.* §. 8. Barbosa loquens de examinatoribus *3. p. allegat. 53. num 161. & in remiss. Consil sess. 24. cap. 12.* sentit his examinatoribus deberi fructus, & distributiones *ex Lelij Zecho de Rep. Ecclesiast. titulo de beneficiaris n. 13. ad finem.*

Item debentur fructus, sed non quotidianæ distributiones duobus Canonicis ab Episcopo in eius seruitium assignatis, ac si præsentes choro essent, *iuxta text. in cap. de catero, c. ad audientiam de cleric. non residen.* quod non est derogatum à Tridentino *sess. 24. cap. 12. de reformat.* Vt tenent Garzia, Barbosa, Gonzales ttatim referendi. Quòd debeantur fructus constat: quia legitima causa absunt quatis est, seruitium Episcopi, & vtilitas Ecclesiarum. Quod verò distributiones non sint debitæ, inde constat; quia non sunt occupati in vtilitatem Ecclesiæ propriæ. Excipe nisi consuetudo esset in contrarium, vel nisi præbenda alios fructus non habeat præter quotidianas distributiones, quia tunc eas lucratur deducta tertia parte, ne priuilegium esset inutile; & quia tunc distributiones loco fructuum succedunt. Sic pluribus exornat Garz. *3. p. de benef. c. 2. an. 346.* Barbosa *3. p. de potest. Episc. allegat. 53. num. 142.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellariæ glos. 6 num. 255.* Quamuis contra videatur tenere Bonacina *disp. 2. quæst. 5. p. 3. §. 2. num. 3. & §. 6. n. 4. & §. 9. n. 2.* motus ea ratione. Quia non redditur inutile priuilegium à iure concessum de lucrandis fructibus in absentia: si quidem hoc verificatur in beneficio habente fructus distinctos à quotidianis distributionibus. Verùm cùm textus absolutè dicat lucrari fructus in absentia Canonicum seruientem Episcopo, de quolibet Canonicatu intelligi debet. Tum quia est priuilegium insertum in iure communi, & sic latè interprerandum. Tum quia in pluribus Ecclesiis Hispaniæ esset inutile, cùm ferè in omnibus fructus beneficij non sint alij præter quotidiana s distributiones, & tradit *glos. in simili in cap. licèt de præbendis & dignitat.*

2 Hinc constat Canonicum Vicarium Episcopi excusarum esse à residentia, & fructus præbendæ lucraris, quia est in seruitio Episcopi, & in vtilitatem diœcesis occupatus, non tamen percipit distributiones quotidianas, nisi consuetudo sit in contrarium, vel nisi præbenda alios non habeat fructus, & tunc tertia pars deducenda est ratione nuper dicta. Sic Alex. Moneta *2. p. q. 11. an. 78.* Rebuff. *in praxi, titulo de Vicariis Episcoporum, num. 5.* Garzia *3. p. cap. 2. num. 357.*

Constat. Secundò, Canonicos associantes suum Prælatum extra Ecclesiam volentem audire Missam, vel illam celebrare, non lucrati distributiones quotidianas, quæ interessentibus dantur, sed solùm fructus. Sic decisum refert Gonzalez *ad reg. 8. Cancellariæ, §. 7. præmij, num. 183.* Moneta *2. p. de distributionibus, quæst. 8. num. 14.* August. Barbosa *3. p. allegat. 54. num. 141.*

3 Sed rogabis. Quos autem beneficiatos possit assumere Episcopus in sui familiares? Respondeo inspecto iure communi *dict. c. De catero, cap. Ad audientiam.* solos Canonicos, seu portionarios, qui fuerint de capitulo Ecclesiæ, cuius ipse Episcopus caput est, assumi posse: secus portionarios, & alios clericos inferiores, qui de Capitulo non sunt, nisi grauis necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ vrgeret. Sic pluribus decisionibus Rotæ, & Doctoribus comprobat Garzia *3. p. de benef. cap. 2. à n. 371.* Gonzales *ad reg. 8. Cancell. glos. 6. à n. 260.* Barbosa *3. p. allegat. 53. num 143.* Bonacina *disput. 2. de hor. canon. quæst. 5. p. 3. n. 2.* aduersus Ioannem Andream *in dicto cap. Ad audientiam vers. dici potest*, quem ibi sequitur Butrius *num. 9.* Cardin. *quæst. 4.* Imola *n.* Anania *in princip.* Ancharran. *notab. 3.* Sylua *de benef. 4. p. quæst. 6. num. 13. seu 33.* quos referunt Gonzales, & Garzia *suprà* existimantes quoslibet Clericos ab Episcopis assumi posse, sed sine fundamento.

4 Quod autem aliqui dicunt. Moneta, *2. p. quæst. 8. num. 6. & 7.* Ex Ecclesia Collegiata posse Episcopum assumere non duos tantùm Canonicos, sed plures in sui familiares: quia in dicto cap. *De catero*, nulla fit limitatio, & in cap. *Ad audientiam*, vbi limitatio fuit facta ad duos Canonicos, loquitur de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, sustinendum non est. Quia ex limitatione facta in cap. Ad audientiam, infertur limitandum esse cap. De cætero. Si enim ex Ecclesia Cathedrali non potest Episcopus nisi duos tantùm in familiares assignare, neque etiam poterit ex Ecclesia Collegiata, vbi regulariter numerus præbendarum minor est, & forrè ea de causa Vgolinus *de officio Episcopi cap. 19. num. 6.* dixit Prælatum Ecclesiæ Collegiatæ vnum tantùm habere posse in suo seruitio, non plures, Aliàs si plures signate posset sine limitatione, cederet priuilegium in grane detrimentum diuini cultus Ecclesiarum Collegiatarum, & ita tenet Garzia *3. p. de benef. cap. 2. num. 381.*

5 Veruntamen debet esse omnino certum parochum nequaquam in familiarem Episcopi assumi posse vltra duos menses à Concilio permissos, neque designari in Vicarium, aut visitatorem, &c. *Sic pluribus decisionibus sacræ Congregationis probat* Garzia *3. p. c. 2. num. 40.* Gonzales *reg. 8. Cancell. glos. 5. num. 258.* Barbosa *3. p. alleg. 53. toto n. 86.* Reputatur enim assistentia Parochi ita vtilior Ecclesiæ, vt ex assistentia ad Episcopum honestari non possit.

6 Nomine Episcopi quilibet habens iurisdictionem Episcopalem intelligitur, & qui caput est alicuius Ecclesiæ Collegiatæ, vt Abbas, vel Prior. Hic enim assumere potest in sui seruitium duos ex præbendatis, quia ab assistentia chori excusantur in ordine ad fructus lucrandos licèt non in ordine ad distributiones quotidianas. Sic Abbas *in dicto cap. De catero. num. 3.* Syluan. *de benef. 4. p. quæst. 6. casu 17.* Rebuffus *praxi titulo de dispensatione, num. 47.* Garzia *3. p. de benef. cap. 2. n. 381.* Quocirca Legatus in Prouincia suæ Legationis, & Archiepiscopus in sua diœcesi eos suæ diœcesis (licèt non diœcesibus Suffraganeorum nisi in illis casibus, in quibus superior est) assumere potest in sui familiares, & eos ab assistentia chori excusare quoad fructus lucrandos. Sic Salzedo *pract. cap. 52. casu 2.* Moneta *2. p. de distribut. q. 8 à n. 9. & q. 9. à n. 3. coneluf. 1.* & Garzia aliis relatis *3. p. cap. 2. num 382.*

§. III.

An familiares Pontificis excusentur à choro, & distributiones acquirant.

1 *Excusantur quoad lucrandos fructus non distributiones.*
2 *Qui dicantur Pontifici inseruire.*
3 *Recensentur qui ex priuilegio Pontificis non solùm fructus, sed etiam distributiones lucrantur.*
4 *Non debet extendi supradictum priuilegium ad familiares Cardinalium, & Legatorum.*
5 *Neque item ad seruientes Regi, & supremo Principi in officiis ab ipso designatis.*

1 PRimò excusantur Canonici, & præbendati ab assistentia diuinorum officiorum in ordine ad lucrandos fructus præbendæ, si Pontifici seruiant, quia est legitima causa absentiæ, & fortior, quàm Episcopi seruitium, vt dicitur in *cap. cùm dilectus, de cler. non resident.* At non possunt distributiones quotidianas lucrari, nisi aliquo priuilegio, aut consuetudine legitimè præscripta muniantur, vt in supradicto cap. habetur, & tradit pluribus relatis Garzia *3. p. de benef. cap. 2. num. 383.* Moneta *2. p. quæst. 9. num. 13.* Bonacina *disp. 2. q. 5. p. 3. §. 1.*

2 Illi autem dicuntur Pontifici inseruire, vt supradicto priuilegio gaudeant, qui sunt eius Capellani, Camerarij, Secretarij, ac reliqui similes Officiales. Item qui ex mandato ipsius in curia commorantur, vel quibus expeditio alicuius negotij in vrbe, aut extra committitur. Sic Bonacina *suprà.*

3 Dixi nisi aliquo speciali priuilegio muniantur. Quia aliqui sunt Pontifici inseruientes, quibus non solùm fructus, sed distributiones conceduntur. Sunt autem Auditores Romanæ Rotæ ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit: Conuenit, prout tradit Lelius Zechus *in Rep. Eccles. 11. num 2.* Barbosa *3. p. de potest. Epis. alleg. 53 n. 155.* Secundò, Inquisitores, & Fiscales hæreticæ priuitatis ex priuilegio Pauli III. & Pij V. prout referunt Rojas *de hæreticis singulari 96.* Garzia *3. p. cap. 2. n. 356.* Barbosa *3. p. alleg. 53. n. 156.* Spino *in speculo testam. glos. 3. in princ. num. 78.* ad parochos etiam hoc priuilegium extendit, sed absque fundamento, & contra expressam declarationem sacræ Congregationis relatam à Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 6. n. 265.* Rubius *decis. 393 n. 4.* Barbosa *alleg. 53. num. 87. & 165.* Zeballos *commun. contra comm. quæst. 585. num. 12.* Tertiò, Collectores generales Cameræ Apostolicæ, Subcollectores, Aduocati, Procuratores, Fiscales, & Notarij in causa spoliorum, & iurium præfatæ Cameræ eorum officio durante: ex Bulla Sixti V. edita 8. Maij 1590. & tradit Moneta *2. p. quæst. 11. num. 111.* Barbosa *3. p. de potest. Episcop. allegat. 55. num. 157.* Ij enim omnes solùm lucrantur fructus, sed etiam quotidianas distributiones.

4 Supradictum priuilegium percipiendi fructus in absentia pro familiaribus Pontificis illisque inseruientibus, aliqui extendunt ad familiares Cardinalium, & Legatorum; quia reputantur Papæ seruientes. Sic Syluester *verbo residentia, num. 7.* Zerola, *praxi Episcop. 1. p. verb. Residentia, §. 4.* Selua *de benef. 4. p. quæst. 6. casu 21.* Villadiego *de Cardinal. n. 63.* Azor. *2. p. institutionem moral. lib. 7. cap. 4.*

Cæterùm dictum priuilegium etsi olim fuerit concessum (de quo multùm dubito) per Tridentinum sublatum omnino est, vt vsus testatur. Sic Garzia aliis relatis *3. p. de beneficiis cap. 2. num. 388. & 423.* Alex. Moneta *2. p. quæst. 9. num. 7.* & Bonacina *disp. 2. q. 5. pun. 3. §. 1.*

5 Secundò

5 Secundò, extendunt supradictum preuilegium percipiendi fructus in absentia ad eos, qui in seruitio, seu officiis Regis, & supremi Principis occupantur. Sic Selua *de benef.4.q.6. casu 24.*Petrus Gregor.*de benef.cap.7.n.9.*Zeballos *in suis comm. contra comm.quæst.*585. *num.7.* At sine sufficienti fundamento est talis extensio facta. Nam licèt ante Concilium Trident. fuerit Regi Franciæ tale priuilegium concessum, vt testatur Boërius *decis.17.*& Rebuffus *in concord. tit.de collation.§.1. vers. residentia,*& Capellanis Regis Hispaniæ à Paulo III. Iam per concilium *sess.6.cap.2.*& Bullam Pij V. est reuocatum. Sic Garzia *de benef.3.p.cap.2 n.265.& sequentibus, & n.389. & sequentibus.* Bonacina *disp.2.de hor. canon.q.5.p.3.§.1.*

§. IX.

An docentes, & studentes, lucrentur fructus, & distributiones?

1 *Studentes Theologiam, seu ius Canonicum in studio generali, seu celebri Vniuersitate, lucrantur fructus, num.1.& ibi, quod sit studium generale.*
2 *Qui nomine docentium intelligantur.*
3 *Debent docere Theologiam, seu ius Canonicum.*
4 *Gaudet hoc priuilegio Parochus, neque licentia Episcopi requiritur.*
5 *Studentes debent maiorì anni parte in Vniuersitate commorari ibique diligenter studere.*
6 *Probabile est consequi fructus tametsi ius ciuile studeant.*
7 *Controuertitur an debeant studentes licentiam ab Episcopo obtinere.*
8 *Post Tridentinum probabilius est non posse Parochum à beneficio abesse ratione studij.*
9 *Probabile est oppositum.*
10 *Rationibus num.8. adductis sit satis.*
11 *Tempus est septennium pro studentibus: pro docentibus nullum est assignatum.*
12 *Semel concessa facultas reuocari non potest, nisi ex grauissima causa.*
13 *Expenditur solos fructus non distributiones lucrari.*

1 EXcusantur diuinis interesse, & fructus in absentia lucrantur docentes publicè Theologiam, vel ius Canonicum in aliquo studio generali, seu celebri Vniuersitate, & ibi studentes eadem facultates, *cap. finali de Magistr. vbi Doctores communiter.*

Dixi, *in aliquo studio generali, seu celebri Vniuersitate.* Quia non sufficit docere, vel studere in quocumque collegio, vbi publicè leguntur supradictæ scientiæ, sed debet esse studium generale, *cap.2.de priuileg in 6 & cap.tua.de cler.non residentibus:*reputatúrque illud solùm, quod est ad huiusmodi finem erectum,& institutum à Papa, Rege, seu Principe supremo. Sic plures referens Garzia *3.p.de benef.cap.2.n.56.*Augustin. Barbosa *3.p.de potestate Episcopi allegat 56.n.21.& 22.* Ex quo sit studentes in Ecclesiis Cathedralibus non gaudere hoc priuilegio, quo gaudent studentes in studiis publicis, & academis. Sic aliis relatis docet Barbosa *allegat.56.n.23.*Garzia *3.p.cap.2.n.118.*

2 Quoad docentes verò est aduertendum eos intelligi, qui docent ex licentia Vniuersitatis, seu Claustri, aut Collegij Doctorum etiamsi absque stipendio,& Cathedra legant. Quia in supradicto *c.finali,& in priuilegiis ab Eugenio IV concessis Salmantinæ Vniuersitati;*quæ iam sunt Complutensi, & Vallesoletanæ communia solùm expostulatur publicè in scholis docere. Ergo, siue sponte,& voluntariè, siue mercede conducta doceant, hoc priuilegio gaudent. Verùm ne hac occasione inutiles, & infructuosi Magistri à residentia excusarentur; cautum est neminem posse hoc munere legendi se tueri; nisi ab Vniuersitate, clausto, seu Collegio Doctorum fuerit ad legendum approbatus. Sic pluribus declarationibus comprobat Garzia *3. p. de benef.cap.2.à n.60* Barbosa *allegat.56.n.27.*

3 Item debent docere Theologiam, seu ius Canonicum; quia licèt *in cap.finali de Magistr.* solùm de Theologia sermo habeatur, cum Ecclesiæ æquè prosit ius Canonicum, idem est de illo intelligendum, vt aliis relatis docet Barbosa *allegat.56. num.26.*Garzia *3.p.cap.2.n.64* Bonacin. *disp.2.de hor. can.q.5. punct.3.§.9.* Quocirca non existimo ius ciuile legentes hac via excusari posse. Legentes verò Grammaticam, quia ad Theologiam,& ius ciuile necessaria est, poterunt ex licentia Prælati excusari, præcipuè cùm non adsit alius, qui doceat *ex dict.c.quia nonullis, de Magistr.*

4 Deinde hoc priuilegio gaudent docentes etiamsi sint Parochi. Quia in vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ eorum absentia cedit, & quia nulla fit limitatio *in c.final. de Magistr.* & multis comprobat Garzia *3. p. de benef. cap.2.n.62.* Excipe nisi legat Grammaticam; quia ob huiusmodi lecturam non potest Parochus à residentia excusari, vt ex declaratione sacræ Congregationis Cardinalium testatur Gonzales *reg.8. Cancell. gloss.6. n.* 254. Neque ad hanc absentiam requiritur Prælati licentia, est enim à iure expressa. Sic Garzia decisum refert à sacra Congregatione *dict.cap.2.n.87 & n.559.fine.*Barbos. *alleg.56 fin.n.53.*

5 Quoad studentes verò est aduertendum primò debere maiori anni parte in Vniuersitate commorari, ibique diligenter studere. Nam si otiosi sint, & tempus terunt, neque scholas eum debita diligentia frequentant eo anni tempore, nullo modo priuilegio percipiendi fructus in absentia gaudent: quia cessat finis ob quod est concessum, & ita tradit Bonacina *disp.2. q.5. p.3.§.9.n.9.* Moneta *2. p. de distributionibus, q.10. n.19.* Barbosa *allegat.56.n.24.& 35.* & alij apud ipsos.

6 Secundò, aduerte debere studere ius Canonicum, seu Theologiam, *ex dicto cap.fin.de Mag.* probabile tamen est consequi fructus, etiamsi studeant ius ciuile. Quia *in c.Tua fraternitatis de cleric.non resident.* nulla est facta limitatio, & tradit Glossa *cap.cum ex eo, de elect. in 6.*Moneta *2.p.quæst.10 n.21.*Barbosa *num.26.* Bonac. *n.10.* Excipe nisi sit Sacerdos Archidiaconus, Decanus, Præpositus, Cantor, vel personatum habens; quia his studium medicinæ, & iuris ciuilis sub pœna excommunicationis est prohibitum, *c.fin.Ne clerici, vel Monachi.* Vndè nisi speciale priuilegium à Sede Apostolica pro hoc studio obtineant, ex vi illius excusari non possent, quia non excusarentur ex causa rationabili. Sic tradunt Moneta, Barbosa & alij *suprà.*

7 Tertiò, aduerto esse maximè inter Doctores controuersum, an hi studentes debeant petere ab Ordinario licentiam, vel possint absque illa se absentare, & fructus lucrari? Plures Doctores relati à Garzia, *n 85.3.p.cap.2.* existimant non requiri. Mouentur, quia *in cap. fin. de Mag.* conceditur eis facultas à Sede Apostolica percipiendi fructus in absentia. Ergo non est necessaria licentia Ordinarij. Tunc enim Ordinarij licentia expostulatur, quando danda est ex aliqua causa non expressa in iure, ob causas autem in iure expressas concedit. Neque obstat textus *in cap.Relatum, cap.tua fraternitatis, de cler.non resident.iuncta explicatione glossæ:*in quibus textibus videtur necessariò expostulari licentia Ordinarij. Non, inquâ obstat. Tum quia tempore Alexandri III. studium generale non erat sufficiens causa absentiæ, nisi ab Ordinario approbaretur; quæ postea per Honorium III. *in dict.cap.de Mag.* fuit absolutè approbata, ac proinde non indiget iam noua approbatione. Tum quia licentia in dicto *cap.expostulata,* non iungenda est cum studio literarũ, sed cùm aliis honestis causis in iure non expressis; secus de expressis in iure, in quibus nulla Prælati requiritur licentia, vt aliis relatis defendit Garzia *dict.cap.2.n.96.& 97.* Bonac. *disp.2.q.5.p.3.n.2.*

Nihilominus etsi de iure antiquo hæc licentia requisita non fuerit: at de iure nouo Tridentini, & præcipuè constitutione Pij IV. quæ incipit, *Ad aures*, edita 24. *Nouemb. anno* 1564. probabilius longè existimo licentiam ab ordinario requiri: quia ita cauetur expressè in supradicto motu proprio: & in parochis est omnino certum *ex Trid.sess.23. c.1.* Ratio congruentiæ est. Quia ad ordinarium pertinet examinare, an confluentes ad studia habeant qualitates à iure requisitas? scilicet an sint apti ad scientiam, & in ætate debita constituti? & ne Ecclesia ad eorum absentiam in diuino cultu patiatur detrimentum? Quæ omnia fieri non possunt, si ordinario irrequisito ad studia influerent. Debet ergo peti ab ordinario licentia, & ita tenet ex decisione sacræ Congregationis. Garzia, *de benef.3.p.c.2. num.87.* Augustinus Barbos. *de potest.Epis.3.p.allegat.56 num.28.* Ordinarius verò tenetur hanc licentiam concedere, si in petente concurrit ætas, & qualitas requisita ad scientiam, & Ecclesia ex eius absentia graue non patiatur detrimentum in diuino cultu. Quia posito priuilegio iuris iam non gratiæ, sed iustitiæ. Sic Garzia, Monetra, & Barbos. *suprà.* Quod si ab ordinario debitas qualitates habent denegetur, poterit repulsus appellare, & ad superiorem recurrere. Sic Selua, *de bene. 4.p.quæst.7.n 29.vers. 171.* Zerola, *verbo studium,§.1.& verbo Residentia,§.3* Abb. Felinus Butrius, & alij quos refert, & sequitur. Garzia, *de benef. 3.p.c.2.n.86.*

8 Quartò aduerto, post Tridentinum probabilius esse, obtinentes parochiales Ecclesias, non posse ob causam studij à suis Ecclesiis abesse, & fructus lucrari. Sic decisum referunt Gonzalez, *reg.8 Cancell.gloss.6.num 249.*Garzia, *de benef.2. p.c.n.83.* Prosper. Aug. *additionibus ad Quarantam, verb Residentia vers. Item limita* Aloys. Riccius, *in collection. decision.3.p.collect.563. in medio,*& in praxi fori Ecclesiastici, *dec.502.in fine, in 1.editione,& resolut.393.in fine, in 2.editione,& dec 364 in 1 editione & resolut.310.n 1 in fine in 2. editione.* Augustin. Barbosa, *de Potest.Episc.3.p.allegat.56 n.3.* Mouentur ex decreto Trident. *sess.23.c.1.de Reformat.* Vbi non permittitur Episcopo dare licentiam parochis, vt à propria Ecclesia absint vltra bimestre, nisi ex graui causa. Sed à sacra Congregatione Concilij non reputatur causa grauis studium in parocho: vt ex declarationibus, quas refert Garzia, & Gonzalez, & Riccius, & Barbosa, *in remissionibus Concilij supradict cap. 1. sess 23* colligitur. Ergo. Secundò, post Concilium nemini datur beneficium curatum, nisi à tribus Synodalibus examinatoribus fuerit iudicatum habere sufficientem scientiam ad regimen animarum requisitam, Sed priuilegium absentiæ ratione studij concessum fuit, vt beneficiati competentem scientiam haberent. Ergo cùm ante

beneficium obtentum supponantur iam illam habere, cessat finis priuilegij, & consequenter ipsum priuilegium. Tertiò, quia ita est expressè decisum à sacra Congregatione Cardinalium, vt videri potest in Doctoribus *suprà citatis*.

9 Nihilominus etsi hæc sententia in iudicando, & consulendo seruanda sit, probabile tamen est, posse Ordinarium parocho studere volenti hanc licentiam cõcedere non obstante Tridentino, neque supradicta sacræ Congregationis declaratione. Sic tenent grauissimi Doctores, qui post Tridentinum scripserunt. Petrus Matthæus explicans motum primum Pij IV. de non residendo in fauorem studij in fine Concilij constitutum, & qui est 29. in ordine illius Pontificis, & subdit in fine, licèt ob huiusmodi constitutionem ad absentiam ratio studij requiratur licentia Ordinarij, consuetudo autem in multis locis est, ac vbique vt Clerici se ad studia conferant sine licentia suorum Prælatorum, & ea quidem valet, &c. Idem tenet Nauart. *in Summ. cap. 2. n. 121.* Cardinalis Toletus *lib. 3. cap. 5. num. 4.* Ludouic. Lopez. *1. tom. instruct. conscientia, cap. 249. Versic. prima igitur causa*, Gregor. de Valentia, *2. 2. disp. 10. quæst. 3. part. 5. §. Alius eiusmodi casus, pag. 1870.* Ioan Azor. *Instit. Moral. 2. p. lib. 7. c. 4. quæst. 3. §. 2. p. 817.* Lessius, *lib. 2. de Iustitia, c. 34. dub. 29. n 163. in noua editione*, Horatius Liuius, *tract. de Priuilegiis Scholar. Priuileg. 98. & se quentibus.* Salzedo, *pract. crim. c. 52. §. Primus*, cum Ioanne de Selua, *tract. de beneficiis, 4. p. quæst. 6.* Angles, *q. de Restitutione facienda propter negligentiam Ecclesiasticorum, difficult. 1. dub. 1. concl. 5.* Zerola, *cum aliis in praxi Epis. 1. p. verf. studium §. Ad Septennium.* Manuel Rodriguez, *in summ. tom. 1. verb. Beneficio c. 33. num. 2. verf. La segunda conclusion. & 2 tom. verbo Residentia, cap. 26 num. 2. verf. La segunda conclusion.* cum Rebuffo, *Pract. benef. titulo de dispens. de non residend. n. 25.* Antonius Gomez, *in explicatione Bullæ Cruciatæ, cap. 7. ad 4. clausulam, num. 27.* Emanuel Saa, *verbo Residentia, num. 8.* & supponit Zechus, de casibus reseruatis; *cas. 3. n. 2. & de munere Episcoporum. c. 5. n. 4* Vega, Maiolus, Hoseda, Candelabrum aureum, & alij relati à Garzia, *3. p. de benef. cap. 2. à n. 74.*

Ratio huius sententiæ ea est. Quia à Concilio Tridentino, non est sublata facultas Ordinariis antiquo iure concessa permittendi parochos ratione studij abesse à beneficio, & fructus in absentia lucrari. Ergo nullum est firmum fundamentum denegandi illis hoc priuilegium. Antecedens probo ex ipso Tridentino, *sess. 1. c. 1. de Reformat.* Vbi in fine, illius cap. dicitur. *Docentes verò ipsam sacram Scripturam*, (& idem est de iure Canonico, vt diximus) *dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares, in ipsis Scholis studens priuilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum, & beneficiorum suorum in absentia à iure concessis plenè gaudeant & fruantur*, ex quibus verbis manifestè videtur constare Concilium non solùm non reuocasse priuilegium concessum, *in c. fin. de Mag. & Cap. cum ex eo, de elect. in 6.* Sed omnino illud firmasse, & sic Horatius Liuius ad margiaem Concilij refert dictum *c. final. de Mag.* vt tacitè insinuet ad ipsum attendisse Concilium. Item *sess. 6. c. 2. de Reform.* postquam Concilium dixerat debere Prælatos cogere parochos, vt resideant, non obstante quolibet priuilegio, vel indulto perpetuo, subiungit. *Indulgentiis verò & dispensationibus temporalibus ex veris & rationabilibus causis tantùm cẽcessis, & coram Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris.* Quod autem causa studij inter causas veras, & rationabiles computari debeat, inde probatur: quia semper à iure sic reputata fuit, & quia ad marginem huius decreti appositum est, *Cap. cum ex eo, de elect. in 6.* Vbi causa studij iudicata est sufficientissima. Et licèt in huiusmodi cap. derogentur priuilegia, & indulta perpetua de non residendo; non inde infertur derogari hoc indultum, & priuilegium causa studiorum, Aliàs etiam priuilegium quod habent docentes Theologiam, esset derogatum. Solùm ergo Concilium derogat priuilegia, & indulta absque causa legitima concessa, seu concessa particularibus personis.

10 Neque obstant contraria. Nam ad textum in *c. 1. sess. 23.* Concilij satis responsum est, affirmando, studium grauem causam esse, & licèt circa finem illius Capitis dicatur, non posse sic studentes absentes à suis beneficiis, se defendere vigore Eugenianæ constitutionis, hoc non tollit quominus ex causa studij abesse possint. Nam in illis verbis solùm intendit Concilium, vt non possint se defendere, quominus ordinarij valeant per censuras, aliáque iuris remedia eos compellere, ne absque eorum licentia, & in scriptis obtenta à beneficiis absint. Nullum tamen est verbum in illo cap. ex quo possit colligi Prælatum ob causam studij non posse parocho licentiam concedere, ipsumque abesse non posse licentia in scriptis obtenta.

Adde illa verba *Vigore Eugenianæ constitutionis*, non referuntur ad Eugenianam constitutionem, qua in fauorem Salmantinæ Vniuersitatis priuilegium conceditur omnibus ibidem studentibus, vt possint à suis beneficiis abesse: sed referuntur ad Eugenianam constitutionem, de qua fit mentio in extauag. 3. *de Priuileg. inter communes*; vt benè notauit Horatius Lucius *in marg. huius decreti Concilij*, & defendit Garzia, *3. p. de benef. c. 2. num. 70*

Neque item obstat parochus habere sufficientem scientiam pro beneficij administratione. Nam hanc etiam antè Concilium habere debebant ex iure ipso naturali, quo non obstante illis priuilegium studendi concedebatur. Quia non solùm pro sufficientia, sed pro superabundantia scientiæ conceditur, & vt melius parochi officio satisfacere possint.

Solùm obstat declaratio sacræ Congregationis, cui primo respondere possumus, etsi magnæ authoritatis sit, non esse necessariò illi standum. Vt in simili dixit Thomas Sanchez, *lib. 8. de Matrim. disput. 2. n. 10. circa finem*, Gabriel Vasquez, *tom. 2. de legibus, disp. 177. c. vltimo, num. 75.* Secundò respondeo cum Zerola, *Praxi Epis. 1. p. verb. studium. §. ad Septennium*, debere intelligi de licentiis petitis in Curia Romana à Pœnitentiario, non de licentiis petitis ab ordinario, & consentit Zechus, *de Repub. Eccles. tit. de Clericis, num. 7. verf. 28.* Illæ enim licentiæ non suffragantur absentibus, nisi singulorum ordinariorum locorum, in quibus singula beneficia sita sunt, gratus consensus accedat. Sic Moneta, *2. p. de distribut. quæst. 10. num. 9.* Barbosa, *allegat. 56. num. 29.* Tertiò, respondeo non constare authenticè de tali declaratione.

11 Quintò, aduerte tempus concessum à iure studentibus plures Doctores limitare ad quinquennium à die, quo incipiunt studere, neque vltrà extendendum, *ex c. fin. de Mag.* Sic decisum referunt Garzia, *3. p. de beneficiis, c. 2. num. 103.* Moneta, *2. p. de distrib. q. 10. n. 14.* Barbos. *3. p. alleg. 56 n. 31.*

Cæterùm cùm in Capite. *Cum ex eo, de elect. in 6.* (quod posterius est) concedatur Septennium, ad illud tempus videtur extendi posse. Sic Zerola, *1. p. v. studium. §. 3.* Zechus, *de Repub. Eccles. tract. de Cler. num. 7. verf 28.* Conciliantque Caput finale de Mag. & Caput, cum ex eo, de elect. in 6. Vt cap. fin. de Mag. Concedens quinquennium, loquitur de studentibus ius Canonicum, & Caput, cum ex eo, de studentibus Theologiam. Cum enim ad huius studium requiratur præcessisse studium Philosophiæ per tres annos, & in Theologia soleant quatuor consumi; sanè totum hoc tempus concedi posse. Et de studentibus Theologiam in Vniuersitate Salmantina approbat Garzia, *suprà num. 107.* posse per Septennium abesse, & fructus in absentia percipere. Docentibus verò nulla est limitatio facta, sed toto eo tempore, quo in docendo occupati fuerint fructus percipiunt in absentia, *ex c. finali de Mag. & Trident. sess. 5. c.* .. & tradit Monera, *2. p. q. 10. n. 16.* Barbos. *alleg. 56. n. 32.*

12 Sextò, aduerte semel concessam ab ordinario hanc licentiam studendi reuocari non posse, nisi ex iusta, & rationabili causa, eáque manifesta. Vt tradit Gloss. *c. cùm ex eo, de elect. in 6. verb. Septennium.*

13 Dixi in principio sic docentes, & studentes consequi fructus præbendæ, non distributiones. Quia ita habetur *in c. licèt de præbendis*, & in Constitutione Eugeniana pro Vniuersitate Salmantina concessa, & pluribus declarationibus comprobat Garzia *3. p. de benef. cap. 2. n. 113.* Couar. *3. Var. cap. 13. num. 2.* Guttierez, *can. quæst. lib. 2. cap. 15. num. 12.* Moneta, *2. p. de distribut. quæst. 10. n. 23.* Gonzalez, *reg. 8. concl. §. 7. Proœmij n. 78.* Barbos. *3. p. alleg. 56. n. 19.* Bonacin. *disp. 2. quæst. 5. p. 3. §. 9. in princ.* & alij apud ipsos.

Solùm est dubium. An si beneficium constat solùm ex distributionibus quotidianis, eas lucretur absens ratione studij? Aliqui negant lucrari. Sic Bonacin. *disp. 2. quæst. 5. p. 3. §. 9. & alibi.* Ratio esse potest. Quia solùm est facta concessio fructuum præbendæ demptis distributionibus. Ergo si præbenda nullos habet fructus, nulla est concessio. Nihilominus tenendum est lucrari distributiones omnes dempta tertia parte. Tum quia illæ distributiones loco fructuum succedunt. Tum quia priuilegium esset inutile his beneficiatis. Tum quia sic est declaratum à sacra Congregatione, vt testatur. *Quaranta in Summa Bullarum verbo Residentia.* Piasecus, *praxi Epis. 2. p. c. 3. n. 10.* Moneta, *quæst. 10 num. 24.* Tuschus, *concl. 514. lit. D.* & pluribus relatis Garzia, *3. de benf. c. 2. num. 116 & 551.* Barbosa, *alleg. 56. num. 19. & 20.*

§. X.

An ex priuilegio possis à residentia Chori excusari, & distributiones in absentia consequi? & qua ratione hoc priuilegium intelligatur?

1 *A Pontifice hoc priuilegium concedi potest, sed non est credendum concedi absque causa.*

2 *Nullus præter Pontificem potest tale priuilegium in perpetuum concedere.*

3 *De priuilegio, seu dispensatione ad tempus, probabile est posse illam Episcopum concedere.*

4 *Hoc priuilegium lucrandi fructus in absentia strictè interpretandum est.*

5 *Priuilegium percipiendi fructus ad distributiones non extenditur, etiamsi adderet redditus, & prouentus.*

6 *Quid si præbenda tota consisteret in distributionibus?*

7 *Indultum de percipiendis de distributionibus non extenditur ad illas minutas, quas inter præsentes actu diuiduntur.*

8 *Priuilegium*

8 *Priuilegium recreationis trium mensium specialem causam præter leuamen naturæ non requirit,*

9 *Quomodo debeant illi tres menses computari?*

10 *Vt hoc priuilegio gaudeat, debet integro anno interesse, & distributiones lucrari.*

11 *Hoc priuilegium ad solos fructus non distributiones extenditur, nisi præbenda alios fructus præter distributiones non habeat.*

1 NOn est dubium tibi posse concedi priuilegium non interessendi horis. Cùm enim chori assistentia à iure humano inducta sit, poterit Pontifex in ea dispensare. Nunquam tamen credendum est talem dispensationem fieri absque causa iusta, & rationabili. Quod si aliquando contingeret absque legitima causa hanc dispensationem scienter Pontificem concedere, valida esset quoad chori obligationem: quia ab ipso obligatio ad chorum pendet. At mihi dubium esset, valeátne quoad distributionum perceptionem? quia hæ à fidelibus relinquuntur diuino officio interessentibus. Sed fidelium voluntates absque iusta causa non potest Pontifex mutare, quia ipse non est bonorum illorum Dominus, sed dispensator. Ergo, & hæc ratio me conuincit, vt credam non posse à Pontifice absque legitima causa priuilegium concedi percipiendi in absentia distributiones illas minutas, quæ non ex beneficio, sed ex legatis habentur, & conceduntur anniuersaria, & missas recitantibus. At distributiones illas quotidianas, quæ ex redditibus beneficij extrahuntur, & singulis diebus interessentibus diuiduntur, existimo lucrari talem beneficiatum ex priuilegio à Sede Apostolica concesso. Quia beneficio, & illius fructibus non est iure naturæ obligatio illi annexa assistendi in choro; sed ex iure positiuo, in quo validè, licèt non licitè absque causa dispensat, qui illud condidit. Vt latius diximus, *tr. de legibus, disp. de priuil. & dispensationibus.*

2 Ab alio quàm à Pontifice non potest tibi tale priuilegium concedi: quia inferior non potest in lege superioris dispensare. Sed est lex à iure communi lata obligans ad residentiam beneficiatos, nisi eos infirmitas, corporalis necessitas, & euidens Ecclesiæ vtilitas excuset, *c. Vnico de cler. non resident. in 6.* Ergo non licet Episcopis, nec Capitulis Ecclesiarum priuilegium & dispensationem alicui concedere.

3 Et quidem de priuilegio, seu dispensatione in perpetuum concessa nullus dubitat: at de priuilegio, seu dispensatione ad breue tempus, & ex causa aliqua rationabili, dubium non leue est. Communis sententia negat Episcopum dare posse, quia nullibi inuenitur tradita hæc potestas, & cum sit in lege superioris, Episcopus eam habere à seipso non potest. Sic Garzia, *variis decisionibus comprobans, 3. p. de benef. cap. 2. à n. 404.*

Nihilominus credo satis probabiliter dici posse, licere Episcopo de consensu Capituli dispensare cum aliquo iusta aliqua causa interueniente, vt fructus, & distributiones in absentia percipiat. Sic docet Zerola. *in praxi Episcopali, 1. p. verbo priuatio. §. 4. 2. dict. ponitent. 2. dubio.* Zechus, *de Rep. Eccl. tit. de benef. n. 9. vers. Quod si beneficia.* Mouentur ex quadam declaratione Cardinalium facta Episcopo Caurien si; cui nititur respondere Garzia affirmans illam non esse generalem declarationem, sed specialem facultatem tali Episcopo concessam. Sed licèt ita sit, quod non est certum, ex illa sumiuntur sufficiens fundamentum ad affirmandum ex aliis causis præter illas quæ in iure continentur, posse Episcopum in residentia dispensare, & ita tenet Armendar, *in additionibus ad recopilat. leg.* Num. *lib. 2. tit. 23. de Residentia, rub. An canonici, vel alij habentes dignitatem in suis Ecclesiis teneantur residere. num. 1. 4.* Comitolus, *resp. moral. lib. 1. quæst. 59. n. 2.* Barbosa, *3. p. allegat. 53. num. 13.* Ratio autem, quæ me mouet, ea est: quia constat ex praxi sæpè Episcopum dare licentiam parocho, vt à beneficio absit, & fructus lucretur ob defensionem iuris sibi in beneficio competentis. Item, vt visitet parentes, quos longo tempore non vidit; & vt eos in aliqua afflictione consoletur, & ob alias similes causas quæ iustæ, & rationabiles reputantur, licèt non sint ex illis, quæ in iure sunt expressæ. Sed residentia parochi strictior est, quàm Canonicorum residentia. Ergo poterit Episcopus Canonicis hanc facultatem ob alias similes causas concedere. Fauérque Trident. *sess. 6. c. 2.* vbi remittit arbitrio Episcopi causam absentiæ examinare, & prout ipsi expediens videbitur facultatem dispensandi in residentia concedit. Item in eodem capite reuocantur priuilegia, & indulta perpetua de non residendo, indulgentiis & dispensationibus temporalibus ex veris, & rationabilibus causis concessis, & coram ordinario legitimè probandis in suo robore permansuris. Ergo tacitè insinuatur posse ordinarium absentiam temporalem permittere ex causa legitima. Adde si solùm ex causis in iure contentis posset ordinarius licentiam absentiæ concedere, nulla esset ordinariorum facultas, cùm tunc in probabili sententia nulla licentia, nec facultas requiritur ab ordinario expostulari. Ergo dicendum est posse ordinarium dispensare ex causa illa, qua creditur, Pontificem dispensaturum si consultus esset. Item hoc videtur ad suauem gubernationem, & rectam pertinere. Durum enim esset ita beneficiatos ad residentiam coarctare. Adde supradictas causas, & similes ad necessitatem corporalem reduci posse.

Dixi *ad breue tempus*: quia ad longum tempus necessaria non est Episcopi facultas, cum à Romano Pontifice expostulari possit, & in hoc casu loquuntur Cardinalium declarationes à Garzia relatæ.

Ex vi tamen huius dispensationis dispensatus solùm lucrabitur fructus præbendæ non distributiones: quia *in c. Vnico de cler. non residentibus*, expressè cauetur distributiones non lucrari, nisi aliqua ex tribus causis ibi enumeratis, intercedat.

4 Quod si inquiras, quomodo hoc priuilegium percipiendi fructus, & distributiones in absentia explicandum sit? Breuiter dico strictissimè interpretandum esse salua verborum proprietate. Quia cedit in diminutionem diuini cultus, & in derogationem legis communis obligantis ad residentiam, & in iacturam illorum, qui residunt, quibus obuenturi prouentus, diminuuntur. Sic omnes Doctores.

5 Ex quo sit primò, si tibi concessum est priuilegium percipiendi fructus in absentia, non posse ex vi illius indulti distributiones quotidianas percipere. Gloss. *verbo adfuerint in c. Vnico de cler. non resident. in 6.* Couar. *3. var. c. 13. n. 2. ad medium.* Gonzalez, *8. reg* Cancell. *§. 7. proœmij. n. 175.* Carol. Mascig *de hor. can. c. 71. n. 130.* Bonac. *disp. 2. q. 5. p. 2. n. 4.* Ratio est, quia sub nomine fructus comprehenduntur illa, quæ ratione beneficij beneficiato competunt. At distributiones non tam ratione beneficij, quàm personalis seruitij, laboris, & mercedis competunt beneficiato, vt multis exornat Gonzalez, *sup. n. 54. & 155.* Ergo in priuilegio percipiendi fructus distributiones non clauduntur.

Idem quod dictum est de priuilegio percipiendi fructus intelligendum est, etiamsi adderetur redditus & prouentus, & quælibet alia emolumenta quæ præsentibus & residentibus conceduntur, adhuc distributiones quotidianæ non veniunt intelligendæ: quia illa verba ferè idem significant. Vt constat ex his quæ adducit Gonzal. *reg. 8* Cancell. *§. 7. Proœm. à n. 186.*

6 Solum aueem venit hoc limitandum casu, quo præbenda nullos alios fructus habetet præter distributiones quotidianas, Quia tunc in priuilegio percipiendi fructus, hæ distributiones comprehenduntur: quia hæ distributiones magis naturam fructus, quàm distributionum imitantur: siquidem in absentia solent percipi, neque singulis horis diuiduntur inter præsentes, sed in fine mensis, vel anni, neque sunt incertæ, sed certæ, & determinatæ. Aliàs indultum esset inutile, si hæ distributiones comprehensæ non essent, & ita tenet Gonzalez aliis relatis, *supra, n. 157.* Aloysius Riccius, *Praxi, resol. 390. edit. n. 2.* Barbosa *alleg. 53. n. 124.*

7 Infero secundò, si indultum esset de percipiendis distributionibus quotidianis, quæ interessentibus conceduntur, non esse extendendum ad illas distributiones minutas, quæ singulis horis inter præsentes diuinis officiis diuiduntur, quásque neque infirmi, neque alia legitima causa impediti lucrantur, quæ ob mortuaria, & anniuersaria conceduntur. Quia non est credendum Pontificem, nisi clarè exprimat, velle contra voluntatem defunctorum procedere, qui huiusmodi distributiones interessentibus reliquerunt. Neque ipsæ sunt quotidianæ distributiones, cum non quotidie, sed aliquibus determinatis diebus conferantur, neque ratione beneficij conceduntur, sed ex testatorum voluntate. Sic Gonzalez, *dicto n. 177. & 181. & 206.* Bonacin. *disp. 2. quæst. 5. punct. 4. n. 6.* Moneta, *2. p. quæst. 14. num. 21. & 22.* Riccius *decis. 494. n. 8.* & alij apud ipsos.

8 Infero tertiò, priuilegium à iure concessum Canonicis, & præbendatis, vt possint tribus mensibus in anno abesse recreationis causa, non requirere aliam specialem causam præter leuamen à residentiæ obligatione, quæ grauis est. Hæc enim causa est sufficiens ad hoc priuilegium concedendum. Sic pluribus declarationibus sacræ Congregationis confirmat Garzia, *3. p. de benef. c. 2. n. 914.* Riccius, *resolut. 392. num. 4 & 5.* Barbosa, *3. p. de Potest. Episc. alleg. 53. n. 118.* Item ad hanc absentiam non requiritur ordinarij facultas. Tradunt Barbos. Riccius, & Garzia suprà. Poterit tamen ordinarius, si viderit ob multitudinem absentium diminui diuinum cultum, eo quòd vel non sunt dicendæ horæ, vel non sunt dicendæ cum ea solemnitate, ac solent dici, cogere, ne absint, iuxta *c. cum ad, de cler. non residentib.* Quia tunc ipsimet Canonici tenentur hoc priuilegio non vti. Non enim credendum est velle Pontificem cum diminutione diuini cultus priuilegium concedere. Sic plures referens Bonacin. *disp. 1 quæst. 5. punct. 4 n. 7.*

9 Ob huiusmodi priuilegium potest Canonicus abesse à choro 90 dies, siue continuos, siue discretos, quia conceditur priuilegium absentiæ trium mensium absque vlla determinatione: mensis autem absolutè prolatus 30. dies continet. Quia tot diebus luna in coitu solis remoratur, & ad suas vices redit, cursúmque conficit, vt eleganter probat Menochius, *de arbit. l. 2 casu 40 per totum*, tradit alios referens Gonzalez, *reg. 8* Cancell. Gloss. 11 *num. 8.* Insuper quia Concilium non determinat à quo tempore hi menses debeant incipere. Ergo sumi continui, & interpellati possunt. Sic Garzia, *3 p. c. 2. n. 306.* Gonzal. *reg. 8.* Cancell. Gloss *n. 8.* Barbos. *alleg. 53. num. 120.* solùm tempore Paschatis, & maximarum solemnitatum vitare debet ordinius, ne præbendati absint, sic ex declaratione sacræ Congregationis

gationis Archiepiscopo Genuensi missa testatur Zerola, Praxi Episc. 1. p. verb. Priuatio. §. 4. 2. dict. Pœnitent. 3. dub. Zechus, de Rep. Eccles. ist. tit. de benef. n. 6. vers. Quod sit beneficia, Barbos. alleg. 35. num. 119.

Fateor hoc procurari ab ordinario deberi ex declaratione, sed non ex obligatione stricta: præcipuè in Hispania, vbi ex Canonicorum absentia quolibet tempore anni debito seruitio Ecclesia fraudari non solet. Sic Garzia, 3. p. de benef. c. 2. num. 118. Bonac. disp. 2. de hor. can. q. 5. Punct. 4. in fine.

Adde Congregationem Concilij declarasse non posse confici ex horis quibus Canonici residentes absunt à choro dies, & ex diebus & horis, sic collectis confici menses absentiæ, de quibus in hoc decreto. Neque ad colligendum seruitium nouem mensium colligendas esse punctaturas quasi ij, qui nouem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex seruitio totius anni conflantur, deseruiendo tulerint, seruitio nouem mensium debito satisfecerint. Sed ipsos dies residentiæ, & seruitij, siue continui, siue interpellari sint numerandos esse: vt compleant numerum dictorum nouem mensium. Sic refert Barbos. in declarat. Concilij sess. 24. c. 12 pag. 553. Garzia, de benefic. 3. parte, c. 2. n. 327.

10 Vt autem Canonicus possit nouem priuilegio frui, solùm requiritur, quod teneatur per integrum annum diuinis interesse, & possit distributiones lucrari. Quia Concilium dicta sess. 24. c. 12. hoc priuilegium concedit Ecclesiis, quæ integro anno residentiam expostulant, seu integro anno obligant residere. Sic decisum refert Garzia, Sæpè citatus, 3. p. de benef. c. 2. num. 311. Barbos. num. 221. Quocirca si Canonicus possessionem Canonicatus accipiat in medio anni, non poterit tribus mensibus illo anno abesse, sed solùm vnum mensem cum dimidio. Quia cum solùm ad residentiam dimidij anni fuerit obligatus, medietate priuilegij concessi obligatis toto anno residere, gaudere debet: & sic pro raro temporis obligationis computandum est priuilegium. Sic Bonacin. disp. 2. q. 5. punct. 4. de hor can. num. 9. Quòd si in integro anno, vel maiori illius parte Canonicus absuerit absque legitima causa, non ideò ipso iure amittit priuilegium, pro illis tribus mensibus concessum. Quia non datur hoc priuilegium iis, qui actu residet, sed obligatis ad residendum: Aliàs frui non posset supradicto priuilegio, quoysque nouem menses prius residerent: quod non est vsu receptum; cùm posset in qualibet parte anni hos tres menses recitationis accipere, vt diximus, & tenet Bonac. an. 22. & n. 15. in fine.

11 Tandem aduerto hoc priuilegium solùm extendi ad lucrandos fructus, non distributiones quotidianas. Vt multis allegatis docet Barbos. dicta 3. p. de Potest. Episc. allegat. 53. num. 124. Garzia, 3. p. de benef. c. 2. num. 249. aduersus Zenedo, collectione 15. ad 6. decret. num. 7. & videtur probari, ex c. Vnico de cler. non resident. in 6. Vbi distributiones quotidianæ solùm conceduntur, si infirmitas, necessitas corporalis, & euidens Ecclesiæ vtilitas interesserit. Si autem præbenda non haberet alios fructus præter distributiones quotidianas, probabilius censeo aduersus Garziam supra num. 252. absentes his mensibus lucrari, ne videatur illis priuilegium inutile. Et quia tunc distributiones naturam fructuum imitantur. Sic pluribus relatis. Barbos. supra.

§. II.

An ex statuto Ecclesiæ excusari possis longiori tempore trium mensium ab assistentia horarum Canonicarum, & nihilominus fructus & distributiones lucrari.

1 *Statutum hoc factum à fundatore, qui censeant non valere.*
2 *Tenendum est esse validum.*
3 *Si fiat à Capitulo communis est sententia inualidum esse.*
4 *Proponuntur aliquot obiectiones.*
5 *Fit illis satis.*
6 *In quibus casibus valeat statutum ab Episcopo factum.*

1 STatutum fieri potest ab ipso fundatore Ecclesiæ, à Capitulo, vel ab Episcopo, seu ordinario. Et quidem si fiat, vel factum sit ab ipso fundatore, non desunt Doctores qui affirment inualidum esse. Quia fundatur beneficij residentiam expostulantis debet iuxta qualitates à sacris Canonibus requisitas fundare. Cùm autem sacri Canones solùm iis beneficiis trium mensium recreationem constituant, quaslibet consuetudines, & statuta in contrarium abrogantes, effici videtur non posse fundatorem aliter disponere. Præterea fundatur exigere non potest ratione fundationis, quod Ecclesiæ damnosum sit. At eximere præbendatos longiori tempore trium mensium à residentia, reputatur à Concilio, Ecclesiæ damnosum. Ergo non licet fundatori statutum facere à residentia vltra tres menses excusans in beneficiis residentiam expostulantibus. Sic tanquam probabilius defendit Azor. 2. p. lib. 7. cap. 6. sub. 3 quæstione.

2 Nihilominus tenendum est licere fundatori tale statutum condere, validúmque esse. Quia tale statutum sacris Canonibus contrarium non est. Non enim sacri Canones fundationes immutant, sed illas intactas relinquunt, iuxta fundatorum voluntates: ne alij à similibus fundationibus auertantur. Sic decisum refert à sacra Congregatione Moneta 2. p. q. 13. an. 33. Garzia 3. p. de benef. cap. 2. num. 244. & 7. p. cap. 1. an. 118. plures referens, & cap. 4. num. 9. & 9. p. cap. 2. n. 270. Bonacina disput. 2. de hor. can. quæst. 5. punct. 5. in fine, & tradit Barbosa 2. p. de potest. Episcop. gloss. 17. tit 2. num. 25. & 26. & in simili plures referens 3. p. allegat. 60 n. 78. Ex quo fit non exigere conditionem Ecclesiæ damnosam, sed vtilem; cùm vtilius sit Ecclesiæ habere beneficium cum aliqua residentia, quàm illo carere. Item ad Ecclesiæ pulchritudinem pertinet diuersitas beneficiorum in residendo.

3 Quòd si statutum de vacatione vltrà tres menses, vel de percipiendis distributionibus illo tempore vacationis fiat à Capitulo, vel Episcopo de Capituli consensu; communis omnium sententia est inualidum esse. Quia nequit inferior aduersus superiorem statuere, cap. Institut. 28. quæst. 2. Clement. Ne Romani, de elect. cap. super his de maioritate, & obedientia, cap. Cùm omnes. de constitut. & aliis. Cùm autem à Concilio Tridentino sit statutum, vt tribus tantùm mensibus vacent præbendati, illóque tempore fructus lucrentur non distributiones: nequit inferior aduersus hoc statutum procedere, & ita tradit Abb. in cap. finali de consuetudine n. 7. & 8. Garzia de benefic. 3. p. cap. 2. n. 104. Barbos. 3. p. de potestate Episcop. alleg. 93. num. 29. Bonacin. disp. 2. de hor. can. q. 5. p. 5. & alij apud ipsos.

Ex quo fit, si in aliqua Ecclesia sit statutum, quòd Canonici seruire possint per substitutos, vel alternatim vnus pro alio, inualidum esse: quia est contra Concilium personalem residentiam requirens. Sic Rota Romana apud Farinacium dec. 659. num. 3. in nouissimis. Prax. Episcop. p. 2. verbo Canonicus. Garzia 3. de beneficiis cap. 2. num. 498. Barbosa 3. p. allegat. 53. num. 136.

4 Sed obiicies, inferiores possunt aduersus ius commune consuetudine præscribere. Ergo & statuto. Ergo poterit Capitulum, & Episcopus statuere longum recreationis tempus, & distributiones quotidianas illo tempore concedere. Secundò, in cap. vnico de cleric. non resident. in 6. cauetur distributiones diuidendas esse iuxta cuiusque Ecclesiæ ordinationem. Ergo potest Ecclesia ordinationem facere; vt quibus voluerit concedantur, Tertiò, quia de facto in pluribus Ecclesiis est factum statutum iubilationis pro iis, qui quadraginta annos inseruierunt, quibúsque non solùm fructus, sed etiam distributiones conceduntur. Sic Zenedo 3. p. collect. 15. ad 6. decretum ad finem. Praxis Episcop. 2. p. cap. 3. num. 9. versic. de Senio. Stephanus Gratet. disceptat. forens. cap. 208. num. 19. Moneta de distributionibus quotidianis 2. p. quæst. 7. num. 21. & quæst. 12. n. 61. & quæst. 13. num. 41. Garzia 3. p. de beneficiis, Barbosa 3. p. allegat. 53. num. 117. qui omnes testantur sic fuisse decisum à Gregorio XIII. loquens pro statuto Compostellanæ Ecclesiæ; quod dixit tolerandum esse, & cùm dixerit tolerandum esse, tacitè insinuauit ex se validum esse. Propter hæc Zenedo supradicta collect. 15. sentit valere statutum Ecclesiæ iubilationem vltra tres menses concedens, & distributiones illo tempore vacantibus applicans.

5 Cæterùm retinenda est communis sententia; nequaquam fieri posse, nec valere tale statutum, esto valeat consuetudo; quia consuetudo vires habet non tam ex introducentibus illam, quàm ex superioris consensu expresso in cap. fin. de consuetud. Qui consensus non est expressus circa statutum, sed potiùs est circa illud expressus dissensus. Ratio autem, quare ius approbauit consuetudinem legi derogantem, & reprobauit statutum, & esse potest. Quia consuetudo non repentè, sed paulatim introducitur, & sæpè ex bona fide, neque vires habet quoysque sit legitimè præscripta. Statutum verò ab ipso exordio vires habere debet, ac proinde directè legi aduersatur. Meritò ergo ius indulgere amplius voluit consuetudini, quàm statuto. Ad secundum dico concedi, vt distributiones diuidantur secundùm Ecclesiæ ordinationem, inter præsentes, inquam, non inter absentes. Vt constat ex dicto cap. vnico. Aliàs possent concedi nunquam interessentibus. Ad tertium, credo tale statutum in rigore iuris inualidum esse, nisi à Pontifice fuerit approbatum. Sic Bonacina disp. 2. quæst. 5. de hor. can. punct. 5. circa finem. Moueor: quia approbatio Compostellani statuti non infert simile statutum in qualibet Ecclesia valere: quia non approbauit Pontifex illud statutum, vt validum, & tolerandum ante approbationem; sed ipsa approbatione validum fecit, & tolerandum. At gratiam derogatoriam iuris communis vni Ecclesiæ factam ad alias Ecclesias non licet extendere leg. Papinianus ff. de vniuers. Ergo. Adde etsi concedamus tale statutum valere, non inde infertur posse Episcopum, vel Capitulum quælibet statuta facere à residentia excusantia, & distributiones concedentia. Quia in illo statuto est specialis ratio, quæ in aliis non reperitur. Qui enim per quadraginta annos Ecclesiæ seruiuit, præsumi non potest firma esse valetudine, vt residentiam continuare possit, ac proinde tanquam valetudinario, & laboribus fatigato requies conceditur: ac proinde tanquam infirmus excusatur, & distributiones lucratur.

6 Supradicta

6 Supradicta doctrina aliquas patitur limitationes: Prima nisi causa vrgens sit, neque cogitata per Canones, & Pontifex facilè Consuli non potest. Tunc enim poterit Episcopus ex consensu Capituli aliquid statuere contra Canones, debere tamen in ipso statuto causam eius exprimere. Sic Abbas *in cap. fin. de consuetud. num.* 10. Felinus *cap. Quod super his, de maiorit. & obed. num.* 4. *& cap.* 1. *num.* 49. *de constitut.* Prax. noua Episcop. *cap.* 2. *num.* 7. *vers. primo*, quos allegat Barbosa 3. *part. allegat.* 93. *num.* 3. Verùm hoc non tam vocari debet statutum, quàm dispensatio. Secundò, si dubium sit. An illa concessio, & exemptio, facta per statutum comprehendantur sub ea, quæ fit à iure? Tunc enim potest statutum fieri, quia est quasi iuris declaratio. Sic relato Philippo, Probo, Felino, Hozeda, & aliis docet Barbos. *sup. dict. num.* 31. *in fin.* Ex qua doctrina dici potest, primò valere statutum de subilatione pro inseruientibus quadraginta annis factum. Quia dubium est, an ex illa ætate valeant assistere; Secundò, valere statutum concedens præbendatis distributiones quotidianas tempore vacationis, cùm præbenda non habet alios fructus. Quia dubium est, an tunc sub nomine fructuum illæ distributiones comprehendantur. Tertiò, si statutum confirmatum sit à Sede Apostolica valet. Quia tunc non valet ratione statuentis, sed ex Pontifice confirmante. Sic refert doctissimus Nicolaus Garzia *decisum 3. p. de benef. cap.* 2. *num.* 167. *& 214 & sequentib.* Barbos. 2. *p. allegat.* 53. *n.* 116. Debet tamen statutum esse confirmatum ex certa scientia, & cum causæ cognitione, neque sufficere confirmari in forma communi, vt multis exornat Garzia *sup. à num.* 21.

§. XII.

An ex consuetudine excusari à residentia possis, & distributiones lucrari.

1 *Sublata est per Concilium consuetudo absentiæ vltra tres menses. Difficultates habet. An extendatur ad consuetudinem immemorialem.*

2 *Si post Concilium ex causa rationabili introducta sit consuetudo absentiæ vltra tres menses: valida est.*

3 *Consuetudo, quæ viget in aliquibus Ecclesiis absentia per quatuor menses, reputanda est legitima.*

4 *Si consuetudo introducta sit lucrandi distributiones: præsumi debet honesta.*

5 *Potest hæc consuetudo extendi ad seruientes Episcopo, studentes, docentes, &c.*

6 *Introduci potest consuetudine, vt Canonici tempore diuinorum Missas in eadem Ecclesia celebrantes lucrentur distributiones.*

7 *Idem extendi potest ad confessiones audiendas.*

8 *Idem iuris est de occasione peregrinationis alicuius insignis.*

9 *Valet consuetudo concedens iubilum absentiæ eis qui quadraginta annos inseruierunt Ecclesiæ.*

10 *Valet consuetudo concedens tot distributiones interessentibus matutinis horis, ac aliis.*

11 *Potest consuetudine introduci, vt chori obligationi satisfaciat, si per alium assistat.*

12 *Idem iuris est de consuetudine, vt vnus pro alio suppleat.*

13 *Obtineri consuetudine potest, vt fructus primi anni detur hæredibus defuncti.*

14 *Consuetudine obtineri potest, nullam esse obligationem interessendi matutinis.*

15 *Consuetudine firmari potest, consecutio grossæ ex assistentia vnius horæ singulis diebus, vel ex assistentia aliquorum dierum singulis annis.*

16 *Sustineri debet consuetudo concedens duos, vel tres dies iubilationis redeuntibus ex aliquo negotio.*

17 *Quid secluſa consuetudine faciendum est.*

18 *Consuetudo assumendi singulis hebdomadibus vnum, vel dimidium diem recreationis protensione barbæ, non satis mihi probatur.*

19 *E contra verò introduci potest consuetudo non lucrandi distributiones assistendo choro, si fructibus compensetur assistentia, secùs è contra,*

20 *Valet consuetudo, qua cauetur, ne lucretur distributiones infirmus, qui extra locum, in quo est Ecclesia existit, vel domo egreditur, & non ad Ecclesiam.*

21 *Distributiones relictæ ex testatorum voluntate interessentibus officiis, nulla consuetudine introduci potest, vt dentur aliis.*

1 PRo certo habendum est sublatam esse à Concilio *sess.* 24. *cap.* 12. Omnem consuetudinem, quæ beneficiatis vltra tres menses absentiam à choro permittebat, & distributiones concedebat. Sic ex variis decisionibus comprobat Garzia 3. *p. de benef. cap.* 2. *à n.* 197. Aloysius Riccius praxi *resol* 392. *n.* 2. Barbosa 2. *p. de potestate Episcop. allegat* 53. *num.* 115. *& 116.* Qui ex supradictis declarationibus extendunt ad consuetudinem immemorialem. Quod tamen difficultate non caret. Nam absentia vltra tres menses, cùm per se turpis, & inhonesta non sit, non censetur reuocari, si consuetudine immemoriali firmata sit. Quia consuetudo immemorialis non tollitur per clausulã generalem, & vniuersalem reuocantem omnem consuetudinem, sed requiritur, vt illius fuerit facta expressa mentio. Flor. Var. *lib.* 2. *q.* 10. *n.* 44. Manuel Rodriguez *Rec. q. tom.* 1. *q.* 9. *art.* 5. *ad finem.* Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 33. *n.* 2. & alij relati à Garzia 3. *p. de benef. c.* 2. *n.* 190. cùm autem à Concilio expressè dictum non sit, non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus etiam immemorialibus, sed solùm dictum sit, non obstantibus quibuscumq; statutis, & consuetudinibus, &c. efficitur consuetudinem immemorialem sublatam non esse, & fauet ratio. Quia consuetudo immemorialis præsumitur ex fundatione, vel priuilegio, alióue simili titulo procedere. Sed reuocãs consuetudine non censetur reuocare priuilegia, & fundationem. Ergo neq; immemorialem consuetudinem, & ita in præsenti docet Menoch. *cons.* 90. *n.* 65 *& cons.* 402 *n.* 9. Carol. Macig. *de hor. can. q.* 65. *n.* 9. & probabilẽ reputat Bonac. *disp.* 2. *q.* 5. *p.* 6. *vers. n.* 6. *verum.* Puteus *dec.* 52. *&* 205. Ex qua ratione fortè oritur id, quod video ferè in omnibus Ecclesiis Hispaniæ obseruari, dignitates possidentes non obligari ad residentiam. Contendunt enim sic habere præscriptum ex consuetudine immemoriali, cui Concilium obligans dignitates ad residendum, non videtur derogare voluisse.

2 Cæterùm quidquid sit de consuetudine ante Concilium, at si post Concilium introducta sit consuetudo lucrandi distributiones tempore recreationis, vel alio, quo à residentia ex legitimè excusatus: item si sit introducta consuetudo vacationis maioris, quàm vltra tres menses. Si hæc, inquam consuetudo ex honesta rationabilique causa fiat, valida erit, ex cap. fin. Sic pluribus firmat Couar. 3. *var. cap.* 13 *num.* 6. Garzia 3. *p. de benefic. cap.* 2. *num.* 348. Riccius *decis.* 498. *num.* 2. Vasquez *de benef. cap.* 4. *§* 3. *dub.* 1. Bonacina *disput.* 2. *de hor. can. quæst.* 5. *p.* 6. *num.* 4. Carol. Macign. *cap.* 71. *num.* 41. & alij apud ipsos. Quare tota difficultas est in inuestigando, an consuetudo sit legitimè præscripta, hoc est ex causa honesta, & rationabili, & cùm reliquis conditionibus ad consuetudinem requisitis. Regulariter autem ita præsumendum est. si Prælatis videntibus, & non contradicentibus obseruetur. Vt autem hæc clarius innotescant, placet subiungere aliquos casus, ex quibus hoc cognosci potest, & in quibus solet præbendatis absentia permitti, & distributiones concedi.

3 Primò, in multis Ecclesiis permittitur ex consuetudine præbendatis quatuor menses abesse à choro. Quia fortè ad strictiorem residentiam reliquis anni partibus obliganrur; & quia iudicatum est in illa Ecclesia sic conuenire præbendatis ad sua negotia componenda, & ad exequiendum tædium, animúmque relaxandum, & ob alias causas honestas; quæ excogitari possunt: ac proinde censenda est talis consuetudo licita, & valida. Neque enim negari potest hoc ex priuilegio licere. Sed quidquid ex priuilegio licet, licet etiam ex consuetudine legitimè introducta. Ergo

4 Secundò, solet permitti, & validè tempore recreationis distributiones quotidianas lucrari. Si enim tempore recreationis fructus beneficij conceduntur, iuxta Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformatione*, etiam distributiones quotidianæ poterunt ex consuetudine concedi; cùm distributiones quotidianæ ex fructibus beneficij fuerint extractæ. Item, quia eadem causa, quæ ad concedendos fructus valet, valere potest ad concedendas distributiones. Si enim fructus conceduntur, vt sic priuilegiati maiori cum alacritate, specialique feruore, elapso recitationis tempore officium diuinum persoluat, si vltra fructus etiam conceduntur distributiones, efficaciùs incitabuntur. Sic docet Couar. 3. *var. cap.* 13. *n.* 5. Zenedo *in collect. ad ius Canonicum* 3. *p. collect* 15. *n.* 7. Moneta 2. *p. quæst.* 12. *n.* 54. Caro Macig. *de distribution. c.* 45. *n.* 21 & probabile reputat Bonac. *disp.* 6. *quæst.* 5. *part.* 6. *n.* 6. & alij relati à Garzia 3. *p. cap.* 2. *n.* 248. Neque obstat sacram Congregationem declarasse Canonicos non posse vti cuiusliber consuetudinis, etiam immemorialis frui quotidianis distributionis, illis tribus mensibus, quibus à Concilio permittitur abesse. Sic decisum refert Garzia 3. *p. c.* 2. *n.* 249. Azor. 2. *p. l.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 6. Torres *de Relig. de hor. canon. controuers.* 10. *disp.* 4. *&* 5. & Bonacina *supra*. Non, inquam obstat, quia debet intelligi non posse Canonicos vti cuiusliber consuetudinis Concilio antecedentis, & absque rationabili causa introducta percipere distributiones; secus verò de consuetudine quadragenaria post Concilium, & ex legitima causa introducta.

5 Tertiò valet consuetudo legitimè præscripta percipiendi non solùm fructus, sed etiam distributiones per eos, qui Episcopo, vel Pontifici inseruiunt, studiis dant operam, suam iurisdictionem visitant, & qui aliis negotiis occupantur, ob quæ absentia cum acquisitione fructuum permittitur. Quia honestati potest ex eadem causa, qua honestarur fructuum concessio. Sic Couar. 3. *var. cap.* 13. *n.* 5. Hoseda *de incompatibilitate benef.* 1. *part. cap.* 17 *num.* 10. Bonacina *disp.* 2. *de hor. can. quæst.* 5. *p.* 6. *num.* 19. Garzia 3. *p. cap.* 2. 322. *&* 348. Ex. Moneta 2. *p. quæst.* 12. *num.* 42. Gratian. *discept. for. cap.* 166. *n.* 9.

6 Quartò, consuetudine firmari potest, vt omnes Canonici tempore diuinorum officiorum Missam in eadem Ecclesia celebrantes

celebrantes, siue illam celebrent ex mandato superioris, siue ex deuotione, reputentur choro interessentes, & distributiones lucrentur. Quia adesse potest legitima causa talis introductionis, videlicet vt præbendati ad celebrandum excitentur, & maior populi concursus ad Ecclesiam accedat sciens plura ibi esse sacrificia. Cedit ergo talis consuetudo in Ecclesia specialem honorem, & splendorem, præcipuè cum ex illa debito seruitio non fraudatur Ecclesia, hoc enim semper præ oculis habendum est; neque vlla consuetudo huic seruitio derogans est permittenda. Sic Garzia alios referens 3. *p.de benef.cap.2. n.*401. Secluſa verò consuetudine, neque fructus, neque distributiones lucrantur, nisi iussi fuerint à superiore, vt ex declaratione sacræ Congregationis comprobat Garzia suprà, & aliis pluribus relatis. Bonacin.*disp.2.quæst.5.p.3.§.4.*

7 Quintò, idem dicendum est ob eandem rationem de Canonicis confessiones audientibus. Reputari possunt ex consuetudine choro interessentes, & non solùm fructus, sed etiam distributiones lucrari. Garzia suprà, vbi ex directorio Ecclesiasticæ disciplinæ, *tit.de residen.num.6* hæc verba refert.*Similiter eos qui vel sacrificant, vel audiunt confessiones, ipsa hora quæ hæc faciunt pro præsentibus habendos esse decernimus, modò tamen ad principales horas iuxta Ecclesiæ suæ consuetudinem ingressum fecerint, & sacrificio suo, & confessionibus finitis si nondum sit perfectum officium chori, in ipsum redeant.*

8 Sextò, tenet consuetudo aliquarum Ecclesiarum, qua concedunrur præbendatis aliquot dies absentiæ vltra tres menses ad peregrinationem aliquam insignem faciendam, & in quibus distributiones conceduntur. Quia hæc est causa cedens in cultum Dei specialem, & deuotionem excitat. Sic Alex. Monet.2. *p.quæst.13.n.46.* esto contra videatur sentire, *quæst.6. num* 51. Neque obstat sacram Congregationem dixisse Canonicos deuotionis causa peregrinantes, & visitantes aliquas Ecclesias, non lucrari distributiones quotidianas non obstante aliqua in contrarium consuetudine. Sic refert decisum Garzia 3.*p.cap.2.n.*394. Non, inquam, obstat. Quia debet explicari de consuetudine ante Concilium introducta, & absque legitima causa. Secus de quadragenaria, & ex legitima causa introducta, post Concilium vt placet Zenedo *collect. iuris ad 6. decret.3. p. collect.*15. *n.*7. Azor. *lib.7.cap.7.quæst.5.&* 6. Carol.Macig.*cap.*71.*n.*139. *In supradict.decret.cap.vnico de cler.non resident.in* 6.& in Concil. Trident. *sess.*24. *cap.*12. non reprobatur consuetudo dandi distributiones quotidianas iis, qui tempore determinato absunt, sed iis, qui perpetuò absunt.

9 Septimò, valet consuetudo, qua in aliquibus Ecclesiis conceditur iubileum absentiæ iis, qui quadraginta annos Ecclesiæ inseruierunt: quia ex legitima causa introduci potest. Nam ex parte Ecclesiæ introduci potest in signum gratitudinis pro tam continuo, & perseueranti seruitio. Ex parte beneficiatorum, vt spe iubilationis ad inseruiendum continuò excitentur: fauétque *lex à muneribus, ff. de muneribus*: vbi veterani milites à muneribus personalibus excusantur. Potetit ergo pati Ecclesia ad horum exemplum suos veteranos milites Ecclesiæ non tot labores subire, neque tot periculis exponi, ac exponuntur sæculi milites; quoniam excusari legitima consuetudine possunt. Quia sufficit laborasse tanto tempore in obsequium Ecclesiæ, quæ pia mater est, & in suos filios se gratiorem vult ostendere. Adde, hos tanquam senes reputandos esse. Si igitur senibus septuagenariis concedit & bene Bonacina *disp.2.quæst.3.p.6. num.*16. priuilegium percipiendi fructus, & distributiones in absentia, si consuetudine iuuetur: etiam debet concedi iis, qui quadraginta annis Ecclesiæ inseruierunt, cùm ij regulariter senes sint, & infirmis, & valetudinariis debeant comparari, & ita docet Garzia 3. *part.de benef.c.2. num.*344. Moneta 2. *part. de distribut.q.*7. *n.*20.*& quæst.*12.*num.*6. Zenedo 3. *p.collect.iuris ad 6.decret. collect.*15.*n.*8.

10 Octauò, admittenda est consuetudo, qua interessentibus matutinis precibus conceduntur tot distributiones, ac conceduntur præsentibus reliquis horis: quia adest iusta causa conuenientiæ, vt scilicet præbendati ad illius horæ assistentiam, quæ difficilior est, excitentur. Adde horas matutinas medium esse officij. Sic Moneta *de distribut.*2.*part.quæst.*12. Hoseda 1.*p.de incompatibilit.benef.cap.*17.*num.*11. Azor.2.*p.lib.*7.*cap.*7.*q.*6. Bonacina *disp* 2.*quæst.*5.*p.*6.*n.*14.

11 Nonò, consuetudine introduci potest, vt obligationi chori satisfacias, si per alium assistas. Quia hæc obligatio assistendi personaliter choro non est orta ex iure naturæ, sed ex præscripto Ecclesiæ, *cap.vnico de cleric.non resident.in* 6. Trident. *sess.*24.*cap.*12.*de Reformatione*. Sed ius positiuum abrogari potest consuetudine legitimè introducta, *cap.fin.de consuetudine*, & docent omnes. Ergo. Secundò, priuilegio concedi potest, vt choro satisfacias inseruiendo per alium, vt videre est in coadiutoris, quæ quotidie conceduntur. Sed quidquid conceditur priuilegio, obtineri regulariter potest consuetudine, quæ vim priuilegij habet. Tertiò, posita hac consuetudine nullum Ecclesia damnum sequitur, cùm non priuetur debito ministro. Quartò, quia in pluribus Italiæ Ecclesiis sic est receptum, vt testatur Bonacin.*disp.*2.*quæst.*1.*p.*5.*&quæst.*3.*p.*6.*num.*17. Ergo, Et ita tenet ipse ibi cum Moneta 2.*part.quæst.*12.*num.*48. Beroio. *quæst.*114. Carol. Macig. *cap.*67.*num.*8. Azor. *lib.*10. *cap.*11.*quæst.*6. Petrus Nauar.2.*de restit.cap.*2.*num.*217. Lessio *lib.*2.*cap.*34.*dub.*33.*num* 185. Neque obstat textus *in cap.vnico de cler.non resident. in* 6.& in Trident.*sess.*24.*cap.*12.*de reformat.* quibus obligantur beneficiati per se diuina officia obire; neque aliis nisi interessentibus conceduntur distributiones, qualibet in contrarium consuetudine reprobata. Non, inquam obstat. Quia vt sæpè dictum est, reprobantur ibi consuetudines ante Concilium, non quæ post Concilium ex legitima causa fuerint introductæ.

12 Decimò, eisdem rationibus firmari consuetudine potest, vt præbendati sibi ipsi officia suppleant, & vnus pro alio assistat tempore, quo ipse obligatus non est officia assistere, secus verò si ipse obligatus esset assistere. Quia tunc sua præsentia non posset alterius præsentiam supplere; quia defraudaret Ecclesiam assistentia vnius ministri. In hoc tamen, & præcedenti casu spectanda diligenter est causa, ob quam consuetudo aduersus legem fuerit introducta; quia rarò rationabilis, & iusta esse potest.

13 Vndecimò, consuetudine obtineri potest, vt non solùm fructus, sed etiam distributiones primi anni concedantur hæredibus defuncti, &, quidem de fructibus est certum ex Extrauag. susceptí regiminis de elect.& tradit Azor. *lib.*7. *cap.*7. *quæst.*5. Moneta 2.*p.quæst.*12 *num.*62. Bonac. *disput.*2.*quæst.*5. *punct.*6. *num.*12. De distributionibus autem sic probo. Quæ est iusta causa hanc consuetudinem introducendi, nempè vt Canonicus recens hanc in suum antecessorem exerceat misericordiam.

Dices, *in cap.vnico de cler.non residen.n.*6. & in Trident. *sess.*24.*cap.*12. reprobatur, vt irrationabilis consuetudo percipiendi distributiones in absentia: non tamen reprobatur consuetudo percipiendi fructus. Ergo consuetudo percipiendi fructus prævalere potest, non tamen consuetudo percipiendi distributiones. Sic Bonacina *disp.*2. *quæst.*5. *p.*6. *n.*11. Respondeo neque distributiones, neque fructus in absentia illegitima percipi posse; fructus enim percipi non possunt licitè, esto validè percipiantur. Distributiones, neque validè, neque licitè percipiuntur, & sic vtraque consuetudo percipiendi, inquam in absentia illegitima fructus, & percipiendi distributiones in supradictis textibus reprobatur. Sed non obstante hac reprobatione præscribi consuetudine potest, ius percipiendi fructus in absentia, cùm absentia ex honesta causa procedit. Ergo etiam præscribi potest consuetudine ius percipiendi distributiones. Adde in supradicto casu hæredes defuncti non lucrantur distributiones, sed ipse Canonicus recens illas hæredibus defuncti lucratur, quod nullo textu prohibitum est.

14 Duodecimò, consuetudine præscribi potest, non esse obligatos Canonicos Matutinis interesse, cùm hora intempestiua, videlicet media nocte dicuntur. Etiamsi ad principium noctis dicantur, audio in multis Ecclesiis vigere consuetudinem, non esse obligatos interesse. Quia cùm ordinariè Canonici Cathedrales delicatæ complexionis sint, ob eorum valetudinem conseruandam poterit introduci consuetudo excusans ad horas tam incommodas interessentiæ. Est enim rationabilis causa; siquidem per mansionarios, aliósque inferiores ministros sufficienter choro prouidetur. Sic docet Garzia 3. *p. de beneficiis cap.*2. *n.*326. Garzia, *n.*325. *in fine*, in contrarium. Quia respondet non aliter à principio Concilium esse receptum.

15 Decimotertiò, introduci potest consuetudo, & ferè in omnibus Hispaniæ Ecclesiis est introducta, vt Canonici lucrifaciant grossam, seu præbendæ fructus assistendo choro paucis diebus in anno, vel vna hora singulis diebus. Quia hæc consuetudo non est contraria dispositioni Concilij. Siquidem non tollit quominus fructibus acquisitis priuari possit Canonicus, si in reliqua parte anni non resederit. Garzia 3.*p. de benefic. cap.*2. *num.*330. Numquam tamen credo introduci posse consuetudinem, vt lucrentur distributiones reliquarum horarum ij, qui vna tantùm hora assistunt. Quia non se mihi offert iusta, & rationabilis causa huius introductionis. Cùm hæc introductio diminuat diuinum cultum, & remissionem, relaxationémque foueat. Sic Bonac. *disp.*2 *quæst.*5. *part.*6. *num.*10 cum Graffis 2.*p. lib.*3. *cap.*15. Moneta 2.*p.quæst.*3. *num.*50. Idem à fortiori censeo de illa consuetudine, vel potiùs corruptela, qua distributiones conceduntur iis, qui in principio, vel in fine horæ assistunt, etiamsi ad reliquas partes absentes fuerint.

16 Decimoquartò, sustinenda videtur consuetudo, qua redeuntibus ex aliquo negotio Ecclesiæ vtili conceduntur duo, vel tres dies vacationis, vt possint quiescere ex itinere, sarcinulas componere, & vires assumere ad chori assistentiam, est enim hæc causa rationabilis iubilæi, & distributiones concedendi. Cùm hoc Iubilæum in vtilitatem Ecclesiæ cedat, cuius causa præbendatus defatigatus fuit: sicque alij ad inseruiendum Ecclesiæ incitantur. Adde illo tempore pro absente habendum esse, *ex leg.ab hostibus, §. vltimo in fin. ff. ex quibus cau. maio.* Moneta, *de distributionibus* 2.*p.quæst.*12.*num* 49.*&* 50.*n.*40. Graffis 2.*p.decis.lib.*2.*cap.*15.*n.*11. Zenedo 3.*p. collect. iurisc collect.*15. *num.*7. Bonacina *disputatione* 2. *quæst.* 5. *punct.*6. *num.*20.

Quod

Quod dictum est de reuertente ab itinere, dicendum est de profecturo ad illud, concedi ex consuetudine illi posse duos, vel tres dies pro itineris præparatione. Quia sic ad viam reputantur necessarij, & dum quis se ad viam præparat, censetur in illa esse, *iuxta legem, qui mittuntur, §. similiter, & ibi glossa in verbo agere. ff. ex quibus causis maior, & ex leg. Legato. ff. de legato*, in quibus probatur legatum censeri in legatione, dum se præparat, vt proficiscatur, & notauit doctissimus Menochius *lib.2. de Arbitrar. cas.33. in fine.*

17 Secluſa verò consuetudine prudentis arbitrio pensandum est, quot dies absentiæ tam profecturo, quàm reuersuro debeant concedi, secundùm personarum, rerum, & negotiorum qualitatem, vt bene ex Baldo aliisque Doctoribus probat Menochius *suprà*, fortè iter breue est negotiumque non difficile, vt solùm vnius diei recreationis, vel præparationis sufficiat.

18 Decimoquintò: consuetudo, quæ in aliquibus Hispaniæ Ecclesiis viget, vt præbendati singulis mensibus vnum, vel duos dies vacationis assumant, pro tonsione barbæ, & in eis distributiones lucrentur, mihi non probati. Quia non videtur ex causa iusta, & rationabili introduci posse, cum breui tempore huic necessitati satisfieri possit absque absentia chori, & diminutione diuini cultus. Docet Gerzia *3.p.cap.2. num.245.* cùm Alexand. Moneta *2.p.quæst.13.n.45.* Aduersus Nauarrum *de orat. cap.5. n.21 & cap.21. num.64.*

19 Sed inquires? An econtra possit consuetudine introduci, vt interessentes diuinis officiis nullas distributiones lucrentur? Ratio difficultatis est; quia aduersus ius naturale introduci non potest consuetudo, sed de iure naturali debetur ei, qui altari seruit, vt de altari viuat. Ergo introduci non potest negatio distributionis ei, qui ex obligatione diuinis assist. Sic Tusch. *concl. 514. n.4.*

Cæterùm omnino affirmandum est consuetudine introduci posse, vt nullas acquirant distributiones interessentes diuinis. Sic docuit Azor. *2.p.lib.7.c.7.q.5. ad finem.* Moneta, *2.p.quæst.12. n.40. circa medium.* Bonacina, *disp.2 quæst.5.p.6.num.21.* Ratio est, quia stare optimè potest obligatio assistendi choro absque distributionum concessione, si abundè hæc obligatio compensatur fructibus beneficij in fine anni concessis. Ergo hæc consuetudo non est contra ius naturale. Ergo introduci potest. Aduerto tamen facta distributionum diuisione, & constitutione qua cauetur interessentibus distributiones deberi, censeo sustinendam non esse consuetudinem, quæ interessentibus supradictas distributiones negaret, nisi ad summum pro aliquo determinato, breuique tempore. Moueor: quia non se mihi offert iusta, & rationabilis causa talem consuetudinem introducendi: cùm cedat talis consuetudo in diminutionem diuini cultus, ob cuius augmentum Concilium distributiones cancedit, & exhortatur Prælatos, vt saltem tertiam partem beneficiorum in has distributiones conuertant.

Dixi, *nisi pro aliquo determinato, breuique tempore.* Quia tunc videtur compensari posse illa denegatio, casu quo pro alio tempore distributiones augeantur; quia pro illo tempore diligentiùs choro inseruient: & sic quod in vna parte detrahitur, in alia compensatur.

Si autem consuetudo introducatur, vt nullus infirmus, vel in negotiis Ecclesiæ impeditus distributiones lucretur, valida erit talis consuetudo. Quia adest rationabilis causa illius introductionis, scilicet ne diuinus cultus diminuatur, & omnes ad assistendum excitentur. Sic Hoseda, *de incompat. benef. quæst.17. num 19.* Moneta, *2.p. quæst.12. num.40.* Carol. Macig *de hor. can c.71.num.30.* Garzia, *3.p.c.2.num.361.* Vbi refert sacram Congregationem in hæc verba declarasse. *Consuetudo in aliqua Ecclesia introducta, vt Canonici infirmi fructus tantùm suæ prebendæ, non distributiones quotidianas percipiant, si legitimè præscripta sit, tollit constitutionem: præscribitur autem spatio quadraginta annorum.* In refert Garzia *suprà.*

20 Hinc à fortiori constat validam esse, & firmam eam consuetudinem, qua cauetur non reputandum esse infirmum, nec vt talem lucrari distributiones, eum, qui extra ciuitatem existit, vel domo exit, neque ad Ecclesiam accedit, vel qui Capitulum de sua infirmitate certum non facit. Quia consuetudo hæc nititur vltra rationem superiùs assignatam in vitandis fraudibus, quæ sine dubio facilius contingerent, si præbendatis ob infirmitatem à choro excusatis permitteretur liberè domo egredi, & per ciuitatem euagari. Quocirca Garzia *referens alios, 3.p.c.2. num.435.* existimat hanc consuetudinem, & statutum non contraire text. *inc.vnico de clerico non residente in 6.* In quo infirmis conceduntur distributiones; sed illum textum ita declarandum, & limitandum, vt intelligatur de infirmis domo non exeuntibus. At credo hanc limitationem contrariam esse illius textus dispositioni. Quia hic textus omnibus verè infirmis hanc prærogatiuam concedit. Ergo consuetudo limitans ad infirmos domi manentes ex parte derogat supradictæ constitutioni. Sicuti derogat consuetudo, qua cauetur, ne reputetur infirmus absens ratione infirmitatis, si cum primum è domo exit non se Ecclesiæ præsentet; Et sicuti derogat, *c. Ad audientiam, de cler. non resid.* consuetudo, vel statutum, quo cauetur, ne familiares Episcopi tanquam præsentes numerentur, nisi determinato tempore electi fuerint, vel pro aliquo determinato tempore. Nullam enim in his casibus differentiam inuenio, quidquid contra sentiat Garzia *supra.* Verum etsi hæc consuetudo contraria sit supradictæ dispositioni, illam tamen derogare potest, si quadragenario sit præscripta.

Aduertit tamen Garzia, & bene *dicto c.2. num.437.* consuetudinem præscriptam, *ne infirmi*, vt tales reputentur, si domo exeant, non debere intelligi de infirmitate, & noteria laborantibus, qualis est prodagra, paralysis. Quia durum esset hos arctare, vel ad nunquam exeundum domo, vel ad carendum distributionibus, quæ infirmis debentur & conceduntur.

21 Hucusque egimus de consuetudine lucrandi distributiones, quæ ex beneficiis sunt deductæ; si autem de distributionibus; quæ ex testatorum voluntate donantur interessentibus diuino officio, anniuersariis, & missis loquamur;

Dicendum est nulla consuetudine introduci posse, vt absentes lucrentur distributiones. Ratio est manifesta. Quia aduersus ius naturale præualere non potest consuetudo, quia est irrationabilis, & turpis; sed ex iure naturali debentur hæ distributiones, quibus concedunt, & applicant. Cùm ergo solum interessentibus applicent, illis solis debentur. Et ita ferè in omnibus Hispaniæ Ecclesiis vsus obtinuit, vt hæ distributiones, neque infirmis, neque in vtilitatem Ecclesiæ occupatis, neque alia quauis legitima causa impeditis diuidantur, sed solùm interessentibus. Supradicta procedunt in legatis relictis pro iis, qui anniuersaria, & mortuaria celebrant. At si sub nomine communitatis legatum relictum sit, scilicet tali Capitulo, & Ecclesiæ diuna celebrantis; tunc consuetudine præscribi potest, vt non solùm intercelebrantes officium, sed etiam inter eos, qui absunt, diuidantur. Quia non est talis diuisio contraria intentioni testatorum. Sic aliis relatis. Moneta, *2.p. de distribut. quæst.2. num. 22.& 24.* Bonacin. *disp.2.de hor. can quæst.5. punct.6.n.8.*

§. XIII.

An absens à choro distributiones lucreris: Si alij Canonici quibus distributiones absentium competunt, tibi donent, remittant, vel transigant.

1 *Quid sit donatio, remissio, & transactio.*
2 *Si tibi donentur distributiones ab illis Canonicis, qui illas possident, poteris licitè tenere, dummodò sint datæ omnino liberaliter.*
3 *Quid si Capitulum, antequam diuidantur distributiones, tibi donet? credo inualidè donare.*
4 *Si Canonici distributiones sibi applicandas tibi remittant, inualida est remissio.*
5 *Probatur supradicta intelligi de remissione destributionum acquirendarum, non acquisitarum.*
6 *Probabilius est de omnibus intelligi.*
7 *Licita est transactio de distributionibus sub dubio debitis.*

1. DOnatio illorum est, quæ in tua sunt potestate, & dominio. Remissio illorum, quæ tibi debentur, & ad quæ habenda ius habes. Transactio est compositio super debito dubio, & incerto. Transis enim & recedis ab actione exigendi debitum integrè, eo quod tibi pars aliqua soluatur. Colluſio est mutua debitorum remissio, seu condonatio. His positis.

2. Dico primò. Si tibi donentur distributiones amissæ ab his Canonicis, qui illas possident, poteris illas licitè & validè retinere. Quia Concilium non prohibuit donationem propriam, sed remissionem, vel colluſionem. Ita Moneta, *de distributionibus 3.p.q.5.num.6.* Nauarrus, *de orat miscell.59.num.4 & consilio 5. de cler.non residen.* Suarez, *tom.2.de relig.lib.4.c.30.num.17.* Bonacin. *disp.2.de hor.can. quæst.5.p.7.§.2.* Hoc tamen intelligendum est, dummodo sint datæ omnino liberaliter: aliàs non est vera donatio. Quare si ex aliqua conuentione, vel tecum vel cum Capitulo celebrata concedantur, vt potest contingere; si Capitulum tradat tuas amissas distributiones interessentibus, ea conditione, vt ipsi eas tibi reddant; vel tibi tradat, & tu interessentibus concedas ea conditione, vt ipsi tibi restituant, nulla est tunc donatio, neque acceptas distributiones retinere potes. Quia ex iusta, & iniqua obligatione imposita illas accipis. Sic Nauar. Moneta, & Bonac. *suprà.*

Notanter dixi, *si tibi donentur distributiones amissæ, ab iis Canonicis, qui illas possident.* Nam ante possessionem non habent, quid donent nisi ius ad illas habendas; cuius donatio est propriè distributionum remissio, quæ à Concilio prohibetur. Illas autem possident, eo ipso, quo sint distributæ à Capitulo, & interessentibu sassignatæ, esto apud Thesaurarium remaneant. Quia tunc remanent apud ipsum non tam nomine Capituli, quàm nomine singulorum Canonicorum.

3 Sed quid si Capitulum antequam diuidantur distributiones, mandet tibi amissas donare? Poterisne illas accipere? Ratio difficultatis est. Quia in Concilio sola remissio, non donatio videtur prohibita: Sed hæc non est propriè remissio, sed donatio, quia est rerum, quæ à Capitulo possidentur. Ergo.

Nihilominus credo invalidam esse talem donationem. Quia Capitulum non est Dominus talium bonorum, sed administrator, & dispensator: cum autem administratori necessarium sit iuxta voluntatem Domini rem administrare, aliàs nulla est administratio, Capitulo conuenit iuxta sacros Canones distributiones concedere: Hæ igitur solùm interessentibus debentur, & absentibus denegantur. Ergo non potest Capitulum aliter disponere, neque eius dispositio valida erit. Et ita expressè declarauit sacra Congregatio; prout refert Garzia, 3. *p. de benef. c. 2. num.* 431. his verbis: *Non licet Capitulo aliquo prætextu distributiones donare, relinquere, aut quauis collusiuè remittere alicui, qui vel à seruitio Ecclesiæ abfuerit, vel alio quouis modo distributiones legitimè debeat amittere. Nec fas sit cuipiam eas accipere, si acceperit suas non faciat, sed restituere cogatur illico restituendas fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi.*

4. Dico secundò, si Canonici tuas distributiones amissas, & sibi applicandas tibi remittant, illicita, & inualida est talis remissio, neque ex illa obtinere distributiones potes. Sic docet Garzia, *suprà*. Bonacina *disput. 2. quæst. 5. part. 7. §. 1.* Quod sit illicita talis remissio, constat manifestè *ex Trident. sess. 24. c. 12. de Reformat.* vbi prohibetur quælibet in hac parte seu remissio, seu collusio. Quod sit inualida, ex eodem decreto colligitur: excludit enim collusionem, & remissionem harum distributionum verbo ablatiuo, quod importat formam, & ita declarauit sacra Congregatio, nuper adducta.

Ex quo fit te non posse, sic acceptas distributiones retinere: quia solùm ex remissione illas retinere poteras, quæ tamen nulla est.

5. Solùm est dubium: An supradicta procedant, non solùm in distributionibus amittendis, sed etiam in iam amissis, ita vt non solùm inualida sit remissio, quàm Canonici facerent de distributionibus, quas ob absentiam amittere posses, sed etiam de distributionibus iam amissis. Plures Doctores sentiunt solùm in supradicto decreto Tridentini prohiberi remissionem, & collusionem distributionum amittendarum, non illarum quæ iam sunt amissæ. Sic Manuel Rodriguez, *Sum. 1. p. Sum. cap. 36. casu* 41. Sandobal, *de offic. Ecclesiast. 6. p. c. 17.* & alij, quorum opinionem probabilem reputat Moneta, *3. p. quæst. 5. n. 9.* Naldus, *verb. distributiones, num. 3.* & Bonacin. *disput. 2. quæst. 5. p. 7. §. 1. in fine*, censet probabilissimam. Ratio esse potest. Quia hoc decretum est nimis rigorosum, cum priuet Canonicos potestate cedendi iuri proprio, & annullet actum alioquin validum. Ergo strictè interpretandum est. Ergo de sola remissione, & collusione distributionum amittendarum sufficit explicare: siquidem hæc sola remissio est, quæ obstat diuino cultui, & ansam præbet diuinis non interessendi: non autem illa, quæ de distributionibus amissis fit; Quia hæc cum iam supponat abfuisse, non incitat ad absentiam.

6. Nihilominus tenenda est, tanquam probabilior contraria sententia, scilicet non solùm de remissione antecedenti amissionem distributionum, sed de subsequenti intelligendum esse. Sic Bonacin. *suprà*, & Garzia, *3. p. cap. 2. n. 431.* Barbos. *de potest. Episc. 3. p. alleg. 53. num. 140.* & Menochius, *lib. 2. casu 429. num. 10.* & alij apud ipsos, qui testantur fæpè sic esse decisum à sacra Congregatione. Ratio est. Quia excludit Concilium quamlibet remissionem, aut collusionem. Ergo non excludit tantùm remissionem amittendarum distributionum, sed etiam amissarum. Aliàs non esset verum dicere Concilium excludere quamcumque remissionem, si aliqua remissio exclusa non remaneret. Item si verba Concilij ponderentur potius de remissione subsequenti amissionem distributionum, quàm antecedenti loquitur. Inquit enim Concilium, *Distributiones, qui statis horis interfuerint recipiant, reliqui quauis collusione, aut remissione excluſa his careant.* Sed distributiones quæ recipiuntur, sunt quæ interessentiæ præsenti correspondent, non futuræ. Ergo his debent carere absentes etiamsi remittantur.

Neque obstat hoc decretum rigidum esse comparatione beneficiatorum, quominus secundùm proprietatem verborum explicari debeat. At secundùm proprietatem verborum de quauis remissione loquitur: non solùm remissionem distributionum amittendarum, sed iam amissarum comprehendit. Adde hoc decretum respectu Ecclesiæ fauorabile esse: quia fouet diuinum cultum, & arcet Canonicos ab absentia diuinorum officiorum scientes se amittere distributiones sine spe remissionis. Quod tamen non procederet, si scirent posse à Canonicis licitè, & validè sibi remitti.

7. Dico tertiò. Quilibet potest super distributiones sub dubio sibi debitas transigere. Quia nullibi talis transactio est prohibita, est enim vtilis ad vitandas lites, pacémque seruandam. Quod non solùm habet verum in transactione super distributiones iam acquisitas, sed etiam in transactione super distributiones à te acquirendas, non à successore. Potes enim conuenire cum aliquo de cessione distributionum à te acquirendarum, sub certa summa tibi concedenda. Quia nullibi talis contractus videtur prohibitus. Neque in eo est aliqua labes, seu species simoniæ, cum non vendatur quid spirituale, neque spirituali annexum, sed temporale. Bonacina, *disput. 2. quæst. 5. part. 7. §. 3.* Non tamen potes contrahere super distributiones acquirendas à successore: quia nullum super illis ius habes, ac proinde absque facultate superioris successorem grauare non potes, *c. de cætero, c. Venienti, de Transactionibus*, & docent omnes.

Dixi, *Sub dubio tibi debitas.* Nam in distributionibus, quæ tibi certò sunt debitæ, non intrat transactio, sed amicabilis compositio, seu remissio, quæ, si fiat Capitulo, licita est; si fiat Canonicis choro absentibus, omnino prohibita, *ex Trident. sess. 24. cap. 12.*



TRACTA

TRACTATVS VIII.

RELIGIONIS,

QVI EST

DE ADORATIONE, ET SACRIFICIO.

PROOEMIVM.

PRÆCEDENTI Tractatu diximus Religionem varios actus habere, internos & externos. Ex externis præcipui sunt Adoratio,& Sacrificium; quia his maximè cultum Deo debitum exhibemus: adoratione enim Deo, vt supremo Principi, & Domino te submittis, Sacrificio eius diuinam excellentiam, & dominationem testaris. De vtroque dicendum.

DISPVTATIO I.

De Adoratione.

PVNCTVM I.

Quid sit Adoratio, & quotuplex.

1 *Nomen adorationis, qua ratione vsurpetur.*
2 *Explicatur definitio adorationis.*
3 *Ex intentione adorantis, & ex dignitate personæ adoratæ distinguitur.*
4 *Debet persona adorata esse superior adorante.*
5 *A tribus Theologicis virtutibus adoratio distinguitur.*
6 *Adoratio alia est absoluta, alia respectiua; & quæ hæ sint.*

1. NOmen adorationis commune est cultui exhibito Deo, Angelis,& hominibus, vt ex Scriptura sacra constat *Deuteronom. num 6.* & *Matth.* 4. Nomen adorationis pro cultu tantùm Deo exhibito vsurpatur. At *Gen.* 19. applicatur ad Angelorum cultum: vidit enim Loth duos Angelos, surrexit, & iuit obuiam iis, adorauitque pronus in terram. Sed 3.*Reg.*1.*& alibi* sæpè accipitur adoratio pro reuerentia hominibus facta. Secundò, nomen adorationis commune esse solet sacrificio; quia per sacrificium cultus Deo exhibetur, iuxta illud,*Ioan.* 4. Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem, scilicet per sacrificium, de quo erat interrogatio facta. At sacrificium non est propriè adoratio; quia solùm est testificatio supremi dominij, & excellentiæ, quod absque vlla submissione fieri potest. Iis positis.

2 Definitur adoratio in genere, vt sit submissio, & recognitio excellentiæ personæ adoratæ ex affectu illam sic recognoscendi: Sic omnes Doctores ex Damasceno, *Orat.* 1. *de imagin. propè ab initio,& orat.*3.Potest ergo hæc adoratio Deo,& creaturis fieri; quia in Deo, & creatutis excellentia reperitur adoratione digna.Si adoratio fiat Deo,erit submissio Deo tanquam supremo principi, & infinitè perfecto ex affectu illum sic recognoscendi. At si adoratio homini, vel Angelo fiat, erit submissio proueniens ex recognitione creatæ excellentiæ. Quapropter cùm creata excellentia, & increata omnino diuersa sint, adoratio creatæ excellentiæ, & increatæ omnino differunt. Vnde Sancti ad earum distinctionem variis nominibus vtuntur, & adorationem Dei vocant latriam, adorationem Sanctorum duliam; eam verò quæ B. Virgini fit, hyperduliam; quia intra latitudinem creatæ excellentiæ omnium est eminentissima.

3 Ex his constat primò, adorationem ex intentione adorantis, & ex dignitate personæ adoratæ distingui: & licèt personæ adoratæ, Deus scilicet, & creaturæ in dignitate, & excellentia analogicè tantùm conueniant; non inde infertur adorationes analogicè tantùm conuenire: quia vtraque adoratio creata est, & supernaturalis, ac proinde non habent in se, vnde analogicam diuersitatem habeant, sicuti amor Dei, & proximi vniuocè conueniunt, etsi vnus respiciat increatam bonitatem, alius creatam. Sic Suarez *disp.* 51. *sect.* 2. *vers. Nihilominus.*An verò pertineant ad eandem virtutem, infrà.*Punct.* 3. videbimus.

4. Secundò constat adorationem esse cultum, honorem, venerationem, & reuerentiam, quam adorans exhibet personæ adoratæ: at non omnis cultus, honor, veneratio, & reuerentia est adoratio. Quia honorare, colere, & venerari æqualem, & inferiorem potes; non tamen adorare; est enim adoratio actus, quo te alteri submittis, & illius superioritatem recognoscis,vt benè notauit Vasquez,*de Adorat.disp.*1.*c.*1. *num.*..... Suar. *tom.*1.*in* 3. *p. disp.* 51. *sect.* 1. *in princ.*

5 Tertiò, constat distingui adorationem à tribus Theologicis virtutibus: tum quia est actus virtutis moralis; tum quia non respicit Deum, vt proprium obiectum, sed cultum submissum, & venerationem diuinæ excellentiæ. Tum quia fide, spe, & charitate non te Deo propriè submittis, licèt illum colas, & venereris. Quartò constat distingui ab humilitate; quia humilitas est voluntas exhibendi signa submissionis ex affectu continendi te in gradu proprio. Adoratio verò procedit ex affectu diuinam excellentiam, & maiestatem recognoscendi.

6 Præter supradictam distinctionem adorationis, alia est communis distinctio adorationis absolutæ; & respectiuæ. Adoratio absoluta est illa, qua quis alteri se submittit ob excellentiam illius, quæ adoratio soli creaturæ rationali, & intellectuali conuenire potest, quia sola illa capax est absolutæ adorationis; siquidem sola illa capax est virtutis, sanctitatis, dominij, &c. quæ sunt qualitates constituentes obiectum dignum adoratione; soláque illa intelligere submissionem potest. Respectiua adoratio est,quæ fit alteri non propter excellentiam in illo residentem, sed propter respectum, quem habet ad aliud,& ratione cuius iudicatur honore dignus: hæc igitur adoratio rebus inanimatis conuenire potest,quia non fistit in illis, sed transit, & refertur ad personas, ad quas illæ res inanimatæ respiciunt, vt contingit in adoratione imaginum. Sic Suarez *Tom.* 1. *in* 3. *p. disp.*51.*sect.*2.*in fine.* Azor.1.*p.l.*9.*c.*5.*q.*4.Bonac.*Tom.*2.*disp.* 3. *de adorat.Punct.*1.*in fin.*Vasq.*de adorat. disp.*3.*c.*3.*in prine.*

PVNCTVM II.

Qua adoratione Christus Dominus adorandus sit.

1 *Christus Dominus adoratur adoratione latria perfectissima.*
2 *Humanitas coniuncta Verbo adoratione latria adoratur.*
3 *Possitne humanitas adorari adoratione inferiori latria. Proponitur dubitandi ratio.*
4 *Decenter humanitas Christi adorari non potest adoratione inferiori.*
5 *Satisfit rationi dubitandi, num. 3. adiecta.*

1. DE fide est Christum Deum, & hominem adorandum esse adoratione illa latria perfectissima, qua adoratur tota Trinitas, & quælibet persona Sanctissimæ Trinitatis. Tum quia, vt sic Christus Dominus est verus Deus. Neque enim Verbum diuinum assumens naturam humanam, se diuinitate priuauit; sed retinens diuinitatem, humanitatem sibi copulauit: tum quia sic fuit adoratus à Magis *Matth.* 2. à cœco illo illuminato, *Ioan.* 9. ab Apostolo Thoma, *Ioan.* 20. & sic esse adorandum tradit *Paul. Philipen.* 2. cùm dixit in nomine Iesu, omne genuflectatur, & ad *Hebr.* 1. & adorent eum omnes Angeli eius, & ita tradunt omnes Catholici, vt multis exornat Suar. *Tom.* 1. *in* 3. *disp.* 53. *sect.* 1. Vasquez *disp.* 3. *cap.* 2. *&* 3. *disput.* 95. *cap.* 2. Azor 1. *p. lib.* 9. *cap.* 5. *&* 7.

2 Difficultas autem est de humanitate. An inquam hæc humanitas vnita Verbo adoraretur eadem adoratione, ac ipsum verbum, ita vt non solum verbum, sed etiam ipsa humanitas terminus sit illius perfectissimæ adorationis? Ratio difficultatis est; quia humanitas non est Deus. Ergo non est digna latria adoratione, quæ solùm Deo competit.

Dicendum tamen est cum communi omnium Catholicorum sententia, humanitatem verbo coniunctam terminum esse adorationis latriæ. Sic Suarez, Vasquez, Azor, & alij apud ipsos. Colligitur ex *Trident. Sess.* 13. *c.* 4. *&* 6. *can.* 6. Vbi latria adoratione dicitur venerandum esse sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sed Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non est Deus, sed Deum continet. Ergo licèt humanitas non sit Deus; quia Deum continet, adoratione latria adoranda est. Ratio est: quia adorans personam aliquam excellentem, adorat, seu coadorat quidquid illius est; adorat inquam pedes, caput, manus, &c. quia illius sunt, etiamsi in pedibus, capite, & manibus non sit formaliter dignitas, & excellentia, quæ personam reddit adorandam, sufficit, si partes sint illius personæ, illique coniunctæ: Sed humanitas vnita verbo, est aliquid verbi, eique intrinsecè coniuncta. Ergo adoratur eadem adoratione, qua verbum; sicuti inquit Damasc. *lib.* 3. *de fide, c.* 8. *&* *lib.* 4. *c.* 3. cùm ferrum ignitum fugis propter ignem, non solum ignem, sed ferrum fugis, sic cùm humanitatem deificatam adoras, non solùm deitatem, sed humanitatem ipsam propter Deitatem sibi coniunctam adorare debes. Et ex his soluitur ratio dubitãdi. Concedo humanitatem non esse Deum; ac proinde ratione sui non adorari adoratione latria; coadorari tamen hac adoratione; quia continet Deum, illique est vnita.

Quod si obiicias. Ergo humanitati vnitæ verbo offerri potest sacrificium. Respondeo negando consequentiam. Ratio differentiæ ea est; quia sacrificium est protestatio supremi dominij, in eo cui offertur: cùm autem humanitas vnita verbo non sit primum principium vitæ, & mortis, ei nequaquam efferri potest sacrificium. Esto, verum sit per communicationem idiomatum homini sacrificium offerri. At adoratio non tantùm fit personæ, sed ratione illius omnibus eius partibus; ac proinde latria adoratio humanitati conuenire potest, etiamsi sacrificium non conueniat; sicuti imago Christi latria adoratione colitur, non tamen coli potest sacrificio.

3 Maior autem est difficultas, An ipsa humanitas vnita verbo non solùm eadem adoratione, qua verbum adoretur, sed possit alia adoratione inferiori adorari? Ratio difficultatis est; quia humanitas vnita verbo non solùm habet excellentiam verbi, sed etiam excellentiam vnionis, quæ excellentia vnionis inferior est verbi excellentia. Ergo si humanitatem adores ob illam vnionis excellentiam, à verbi excellentia præcisam, non latria, sed dulia, vel hyperdulia adoratione adorabis. Hanc autem fieri præcisionem non est impossibile neque inconueniens, cùm solùm in intellectu, & in affectu adorantis consistat. Ergo Item humanitas vnita verbo habet gratiam charitatis reliquasque virtutes; sed propter has Sancti digni sunt adoratione. Ergo etiam humanitas Christi propter illas tantùm adorari potest. Et confirmò. Propter has virtutes præcisè laudari, & honorari humanitas potest, destincto honore, & laude, quo diuinitas honoratur, & laudatur. Ergo etiam adorari distincta adoratione potest. Item humanitas, licèt si verbo coniuncta, non tollit, quominus sit quid creatum, & deitate inferius, ob quam rationem potest pro nobis interpellare apud Patrem. Ergo etiam poterit sub hac ratione, distincta adoratione coli: sic tradit Suarez, *Tom.* 1. *de incarnat. disputat.* 53. *sect.* 2. *concl.* 2. *&* 3. Bonacina *disputat.* 3. *circa primum Decalogi Præcept. p.* 2. *numero* 5.

4. Dicendum tamen est decenter humanitatem Christi adorari non posse alia inferiori adoratione, quàm latria, sic multis testimoniis Conciliorum, & Patrum firmat Vasquez, *de Adorat. lib.* 2. *tota disp.* 4. Et quidem si humanitas adoratur, ex eo quod apprehendatur vnitam esse verbo, videtur impossibile alia inferiori adoratione, quàm verbum adorari; quia tunc adoratur ob dignitatem, quam à verbo accipit; sed dignitas à verbo accepta reddit illam adorandam adoratione latria. Ergo. Si autem humanitas Christi non ex apprehensione vnionis ad Verbum adoraretur, sed ex apprehensione gratiæ, charitatis, reliquarúmque virtutum, quas habet; tunc etsi possit inferiori adoratione, quàm latria adorari, at non videtur decens; quia non decet eum qui multis titulis honorari potest Ducis; Comitis, & Regis, inferiori titulo Ducis honorare, relicto excellentiori titulo Regis: cùm humanitas Christi, non solùm titulo gratiæ, & charitatis, sed specialiter titulo vnionis ad Verbum, & ob dignitatem è verbo acceptam honorari possit, non decet relicta hac suprema adoratione inferiorem assumere. Adde non videri possibile te posse adorationem Christi ab hac suprema adoratione abstrahere. Nam cùm apprehendis humanitatem Deificatam gratia habituali, reliquisque virtutibus, illam apprehendis vnitam Verbo, vel non; Si non apprehendis vnitam Verbo; iam illa in toto conceptu non est humanitas Christi, sed est quasi à verbo separata, cui non debetur latria adoratio, sed dulia, vel hyperdulia. At certè non decet illam sic apprehendere, quia non docet hanc nobilissimam substantiam, sine maxima eius dignitate concipere. Si autem illam apprehendis vnitam verbo, necessarium est, vt apprehendas verbo deificatam; ac proinde dignam latria adoratione. Ergo non poteris illi eam adorationem denegare.

5. Ex quibus sit satis difficultati in princ. positæ. Ad confirmationem concedo laudem, & honorem humanitati ratione gratiæ habitualis exhiberi posse, distinctum ab eo, qui ei exhibetur ratione vnionis ad verbum: quia non est inconueniens quemlibet laudare ob quamliber illius singularem excellentiam; quia ipsamet excellentia est, quæ præcipuè laudatur. At secus est in adoratione, quæ ad personam ipsam directè terminatur, non ad gratiam, & charitatem, alíasque virtutes: hæ enim omnes non adorantur, sed reddunt suppositum adoratione dignum: cùm autem ex illis; & ex vnione ad verbum humanitas reddatur digna adoratione, efficitur sanè non multiplici adoratione sed vna perfectissima esse adorandam, idem est de oratione, quæ ad solam naturam rationalem terminatur: petere enim ab humanitate Christi possumus, vt interpellet pro nobis ad Patrem; quia est distincta à Patre natura. At non possumus eam distincta adoratione adorare ab ea, qua Pater, Filius, & Spiritus sanctus adorantur; quia Deificatur persona Filij, eiúsque diuinitate, ratione cuius adoratione est digna.

PVNCTVM III.

Qua ratione homines, & Angeli adorandi sint.

1 *Angeli, beati: & homines Sancti adorari possunt.*
2 *Proponitur obiectio, & fit illi satis.*
3 *Adorantur adoratione diuersa ab ea, qua adorantur Duces, Magistratus, aliique in potestate humana constituti.*
4 *Sanctorum adoratio ex virtute distincta à religione, qua colitur Deus, & qua coluntur homines ob ciuilem dignitatem prouenit.*
5 *Sanctissima Virgo eadem virtute, qua colitur Sancti, colitur.*
6 *Proponitur obiectio, & fit illi satis.*
7 *Qua certitudo habenda est de sanctitate illius, qui adoratur, tum publico, tum priuato cultu.*
8 *Quid liceat tibi facere cum eo, quem Sanctum reputas, tametsi canonizatus non sit.*

1. DE fide est te posse beatos, & homines Sanctos, siue in hac vita existentes, siue vita functos adorare. Constat tum ex pluribus locis sacræ Scripturæ, vbi refertur, tum Angelos, tum homines Sanctos fuisse laudabiliter adoratos, tum ex pluribus definitionibus Conciliorum, præsertim Niceni, 2. *Act.* 1. 2. *&* 6. *t.* 6. & Trident. *sess.* 25. *de inuocat. Sanctorum*, tum ex multis Patrum testimoniis exornat Canis. *lib.* 5. *de beata Virg. à c.* 14. Vasquez *de adorat. lib.* 1. *dis.* 5. *cap.* 2. Suar. *t.* 2. *in* 3. *part. disp.* 42. *sect.* 1. Ratio est manifesta; qui fundamentum adorationis, seu submissionis, est dignitas personæ adoratæ. At Angeli, beati, & homines Sancti habent excellentissimam dignitatem, quæ illos amicos Dei & regni cœlestis hæredes, seu possessores constituit. Ergo sunt perfectissimè adorandi.

2 Neque obstat sæpè in Scriptura dici solum Deum esse adorandum, *Deut.* 6. *&* *Matth.* 4. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies: ad *Rõ.* 1. *&* 1. *ad Timoth.* 1. Soli Deo honor, & gloria, &c. quia loquitur Scriptura de adoratione latria, quâ súma, suprema, & diuina excellentia recognoscitur: hæc enim Sanctis non competit, sed alia longè inferior, iuxta inferiorem eorum dignitatem

tatem. Quod si vrgeas, hanc inferiorem adorationem noluisse Sanctos viros aliis præstare, nec sibi permittere, vt constat ex *Esther 3. & 13.* vbi Mardochæus noluit genuflectere Aman, & Petrus prohibuit Cornelium sibi adorare volentem, *Act. 10.* & Paulus, & Barnabas recusarunt à Lycaonibus adorari, *Act. 10.* & quidam Angelus prohibuit Ioannem, ne ipsum adoraret. Ergo signum est conuenientem non esse hominibus, & Angelis adorationem. Facilis est horum solutio, Mardochæus enim noluit genuflectere Aman, ne videretur homini, honorem Deo debitum deferre: erat enim mos Iudæis nullum alium præter Deum continuò honorare, genuflexione, vt tradit Azor *lib. 9. c. 10. q. 3.* Aman ergo non semel, aut iterum postulabat hunc honorem, sed continuò: noluit ergo Mardochæus sic continuò honorare, ne scandalum præberet, & ne diuinum cultum ad hominem transferre videretur. Petrus verò ex modestia honorem alioquin sibi conuenientem recusauit. Paulus item, & Barnabas adorationem illam recusarunt; quia Lycaones tanquam Ethnici, & Gentiles adorationem Deo debitam, illis præstare valebant. Angelus autem adorationem Ioannis recusauit, tum ex vrbanitate, tum vt indicaret, quanti ab Angelis humana natura post verbi assumptionem æstimabatur; & præcipuè quanti Sacerdotes, Apostoli; & Deo charissimi æstimari debeant.

3 Difficultas tamen est, quæ adoratio Sanctis, & Angelis competat, & ad quam virtutem pertineat?

Et quidem beatis, & Sanctis competere adorationem specie distinctam ab ea, quo honorantur Duces, Magistratus, Reges, aliique in dignitate, & potestate humana constituti, videtur hac ratione manifestum; quia sanctitas, & beatitudo est dignitas superioris ordinis, & rationis qualibet alia dignitate humana, & politica: sed fundamentum adorationis est dignitas personæ adoratæ. Ergo adoratio Sanctis competens est superioris rationis ab ea, quæ competit hominibus potestate humana gaudentibus: sic pro certo supponit Suar. *t. 1. in 3. p. disp. 52. sect. 3. in princ.* Vasq. *lib. 1. disp. 5. c. 2. & seqq.* Hinc fit adorationem, quæ hominibus ob dignitatem humanam tribuitur esse cultum ciuilem, quæ verò Sanctis ob eorum sanctitatem conceditur esse cultum religiosum, & sactatum; quia affinis est cultui sacro, & religioso, quo Deus honoratur, & ab eo originem ducit; tum quia eisdem rebus, quo Deus honoratur, honorantur; sanctis Templis nimirum, Canticis, Hymnis, Psalmis, luminaribus, altaribus, &c. vt optimè dixit Damascen. *lib. 4 cap. 10.* Tum quia ad pietatem pertinet, tum quia deuotionem excitat, tum quia mouet Sanctos, vt pro nobis intercedant, ac denique bonum spirituale animæ maximè auget Suarez *supr. vers. tertio.* Vasquez *supra dicto c. 2. & disp. 6. cap. 1. in fine* Lessius *lib. 2. c. 36 dub. 3 n. 24.*

4 Ad quam autem virtutem hic cultus pertineat? variant Doctores. Alij dicunt ad religionem pertinere. Quia non est inconueniens eadem virtute honorari Sanctos, vt Dei amicos, ac ipse Deus honoratur: sicuti non est inconueniens eadem charitate Deum, & proximum diligere. Alij econtra dicunt pertinere ad virtutem obseruantiæ, qua homines honorantur; quia obiectum huius virtutis est dignitas creata. Quælibet ex his sententiis suos habet patronos, vt ex Doctoribus statim referendis constat. Mihi probabilius videtur specialem virtutem esse constituendam distinctam à religione, qua colitur Deus, & qua homines ob ciuilem dignitatem columtur: sic optimè probat Vasquez *lib. 1. de adorat. disp. 6. cap. 1. & sequent.* Suarez *disp. 52. sect. 3. vers. quarto.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap 26. dub 3 num 22.* Quod debeat ad huiusmodi cultum virtus à religione distincta constitui, tradit expresse D. Thom. *communiter receptus, 2. 2. quæst. 81. 102. & 103.* & probatur illa efficaci ratione; quia dignitas increata, & creata sunt omnino diuersæ. Postulant ergo diuersa virtute adorari. Neque obstat eadem charitate Deum, & proximum amari; quia hoc tantùm verum est, quando proximus non propter se, & propter suam bonitatem amatur: sed propter Deum, & Deus in ipso, quod sæpè contingit. At si proximus ob bonum, quod habet, ametur, quia bonum illius est; non ad charitatem, sed ad aliam virtutem misericordiæ, seu beneficentiæ pertinet. Sic dicendum est in adoratione. Si enim Sancti non ob dignitatem, quam ex sanctitate participant colantur, sed quatenus templa Dei sunt, & in illis Deus complacet; ita vt proxima, & formalis ratio adorationis, diuina excellentia sit, & non creata dignitas in illis existens, tunc certè illa adoratio ad virtutem religionis pertinebit, sicuti pertinet adoratio imaginis Dei: sed quia hæc adoratio periculum habet, tametsi fieri possit, ideò consulit D. Thom. & omnes, ab illa abstinere, quod periculum in amore nullo modo cernitur, ac proinde amor Dei, & proximi regulariter ad eandem virtutem pertinent; adoratio verò Dei, & Sanctorum regulariter ad diuersam. Deinde adorationem Sanctis exhibitam ad diuersam virtutem pertinere ab ea, ad quam pertinet adoratio politica, & ciuilis, eodem fundamento probatur; quia ciuilis dignitas est inferioris rationis dignitate supernaturali sanctitatis, & beatitudinis. Ergo non potest sub eadem ratione obiectiua virtutis contineri; ac proinde dicendum est, Sanctorum adorationem ad duliam, seu pietatem pertinere, adorationem verò politicam, ad obseruantiæ virtutem.

5 De beatissima Virgine est nonnulla difficultas, an coli debeat adoratione ad religionem pertinente? Et ratio difficultatis est; tum eius perfectissima sanctitas, tum prærogatiua matris, ob quam Deo est præ omnibus coniuncta. Cæterùm dicendum est, eadem virtute, qua coluntur Sancti, & ipsam coli, quia eius dignitas procedens à gratia, & charitate, reliquisque virtutibus tametsi perfectissima sit, non est diuersæ rationis à dignitate reliquorum Sanctorum, sed propter hanc dignitatem præcipuè beatissima Virgo honoratur, potiùs quàm ob dignitatem maternitatis, iuxta illud *Luc. 11.* vbi mulieri laudanti matris dignitatem, & dicenti. Beatus venter, qui te portauit. Respondit Christus, quinimò qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud. Ergo si ob dignitatem à gratia, charitate, reliquisque virtutibus acceptam non deberet adoratio diuersæ speciei ab ea, quæ debetur reliquis Sanctis, neque etiam ob dignitatem matris. Item dignitas matris non est dignitas increata, & infinita, sed est dignitas creata, finita, & inferior dignitate Filio. Ergo non potest eadem adoratione coli, qua Filius adoratur, vt rectè expendit S. Thom. *3 p. quæst. 25 art. 3 ad 2.*

6 Dices sanctissimam Crucem propter contactum ad Christum adoratione latria venerari. Sed beatissima Virgo pressius Christum tetigit, illique fuit coniuncta. Ergo propter hanc coniunctionem adoratione latria veneranda est. Respondeo cum D. Thom. *supra.* Azor *lib. 9. cap. 5. fin. & cap. 7. q 3.* Bonacina *disputat. 3. de adorat. q. 1. p. 3. num. 6.* negando consequentiam Nam Crux, reliquæque res inanimatæ nullam aliam dignitatem habent, præter relationem ad exemplar, & prototypum; ac proinde illi, adoratis prototypus, & exemplar adoratur. Beatissima verò Virgo ex illa diuina coniunctione cum Filio dignitatem intrinsecam habet, ob quam honore, cultu, & adoratione digna est. Non igitur hac omissa adoratione, illa tantum adoratio extrinseca Filij exhibenda est, tametsi fieri possit. Aliàs etiam Sancti, quia sunt domestici Dei, & illius amici, ad ipsumque referuntur, adorandi essent adoratione latria, quod nullo modo admittitur. Tum ne detur occasio errandi, & intelligendi eos dignos in se esse talj adoratione, vel nullam aliam dignitatem habere adoratione dignam, præter illam relatiuam. Tum quia præstat quemlibet ob propriam, & intrinsecam excellentiam honorare, potiùs quàm ob alienam.

7 Sed inquires, quam certitudinem habere debes de sanctitate alicuius, vt illum tanquam Sanctum, & Dei amicum veneretis.

Distinguendum est de cultu publico, & priuato: si priuato cultu illum venerari vis, sufficit, si tibi prudenter persuadeas Sanctum esse: at si cultu publico eum colere intendis: debet tibi ab Ecclesia eius sanctitas proponi, vel canonizatione, vel beatificatione, vel generali approbatione, quæ iis æquiualet iuxta text. *in cap. fin. de Relig. & venerat. Sanctor.* Sic Suarez *disput. 52. sect. 3. post medium, vers. respondetur in fin.* Vasquez *lib. 1. de adorat. disput. 5. in fin. numero 167.* Bellarm. *lib. 1. de Sanctis, cap. 10.* Sanch. *in sum lib. 2. cap. 43. num 3.* Bonac. *disp. 3. de adorat. q. 1. punct. 2. num. 2.* Azor *1. p. lib 9. cap. 7 q 9.* Publicus cultus ille dicitur, qui ab Ecclesia est constitutus, & nomine illius fit. Bellarm. *lib. 1. de Sanctis, cap. 10.* Sanch. *lib. 2. cap. 43. num 3.*

8 Hinc infertur licere tibi (si absit scandalum) viri, quem Sanctum reputas, tametsi canonizatus, nec beatificatus sit, osculari pedes, orationem fundere, imaginem eius depingere, & in cubiculo habere, diem mortis eius, vt festiuum seruare, vigiliam ieiunare; quia hic cultus priuatus est, non publicus. Non tamen licet tibi altare erigere, sacrificium in eius honorem offerre, in Letaniis etiam priuatim dictis nominare, eius imaginem in altari etiam priuato, vel Ecclesia collocare (nisi forte constet collocari ad solum ornatum, non ad venerationem) quia hæc omnia cultus sint publici ab Ecclesia instituti ad Sanctos canonizatos, vel beatificatos venerandos: Sic Sanch. Bonac. & Bellarm. *supra.* & constat ex Trident. *sess 25. de inuocat. Sanct.* & notat ibi in remissione Barbosa *vers. ullam. insolitam ponere.* Fit secundò, neque gubernatori ciuitatis, neque Episcopo licitum esse publicum votum, ieiunium, aut diem festum instituere in honorem Sancti, qui, vt talis à Summo Pontifice approbatus non sit; quia sicut publicam approbationem Sanctorum sibi Pontifex reseruauit, ex consequenti cultus publicus illam supponens reseruatus est, *cap. 1. de relig. & venerat Sanctor.* Si tamen Sanctus approbatus sit à Pontifice, poterit Episcopus ieiunium, votum, & festum publicum instituere iuxta *cap fin. de feriis, & cap. 1. de consecrat. dist. 3.* Sic Sanch. Bonacin. Bellarm. *supra* Barbosa alios referens, *3 part. alleg. 105. n. 36.*

PVNCTVM IV.

Qua ratione liceat imagines Dei, & Sanctorum adorare.

1 *Vsus sacrarum imaginum est sanctissimus.*
2 *De imagine Trinitatis, & Angelorum proponitur dubitatio. Sed illa non obstante firmatur illorum vsus.*
3 *Eadem adoratio imagini, & ei cuius est imago debetur. Diuerso tamen modo.*

4 *Proponitur obiectio, & fit illi satis.*
5 *An dæmon sub imagine Crucifixi apparens adorari possit.*
6 *Ea quæ Christum tetigerunt adoranda sunt, sicut eius imago.*
7 *Proponitur obiectio. Fit illi satis.*
8 *Instrumenta assumpta ad representanda passionis instrumenta ex hac præcisa ratione non sunt adoratione digna.*
9 *Quæ pœna imposita sit imagines conculcantibus.*

1 NEmini Catholicorum dubium esse potest sanctissimum esse sacrarum imaginum vsum, ipsásque esse adorandas, & venerandas, vt multis aduersus hæreticos nostri temporis defendit Azor. 1.*p.lib.*9. *cap.*6. *q.*4. Vasq. *toto lib.*2. *de adorat.* Suarez *in* 3.*p. q.*25. *disp.*54. *per septem sectio.* Bellarm. *in disp. fidei Cathol. controu.*7. *lib.*2. & alij plures, quos refert Barbosa *in remiss.* Concil. *sess.*25. *decret. de venerat. Sanctor.* Constátque ex vsu, & praxi totius Ecclesiæ, quæ imagines Sanctorum exosculatur, amplectitur, coram illis procumbit, caput aperit, orationes fundit; non quòd in ipsis credat inesse aliquam diuinitatem, vel virtutem, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia sit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, qui in idolis suam spem collocabant, sed quoniam honos, qui in eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant; ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur: Sic Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*2. Neque obstat *Exod.* 20. *& Deut.* 4. Obserua ergo teipsum, ne forte deceptus facias tibi vllam similitudinem, *Isai.*40. & 46. Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponitis ei? Non, inquam obstant hæc verba, vt ex illis inferatur omnem imaginum vsum nobis prohibitum esse: tum quia si de imagine Dei sit sermo, & non de idolorum simulachro, illud præceptum non erat iuris naturalis, sed ad summum positiui respectu illius populi Iudaici; eò quòd ad idololatriam erat propensus? quod præceptum morte Christi abrogatum est, sicut alia cæremonialia, & iudicialia præcepta. Tum quia, non vrcunque imago Dei prohibetur, sed quæ assumeretur ad repræsentandum ad viuum Deitatem ipsam, vel eam, quæ pro vero Deo coleretur, ac si in ea aliqua diuinitas, virtus, & efficacia inesset. Adde, vt aliquibus placet, non videri imaginem Dei, & Sanctorum ibi prohiberi; sed tantùm imaginem inanium, & falsorum Deorum, quasi hæc cum Deo comparanda sit.

2 Solùm de imagine Dei, Trinitatis, & Angelorum est aliqua dubitatio: An ritè haberi, & coli possit? Ratio dubitationis est; quia Spiritus imagine corporea, & materiali repræsentari non potest. Ergo non potest esse illius imago. Secundò, datur occasio errandi imperitis, qui existimant Deum, & Angelos esse, qualiter per imagines repræsentantur. Nihilominus retinendus est harum imaginum vsus, tum quia ab Ecclesia est communiter permissus, vel potiùs approbatus, tum quia in septima Synodo generali, quæ est Nicena, 2. *Actor.* & 5. decisum fuit retinendum esse vsum Angelos, & Spiritum sanctum depingendi: & idem est de reliquis personis Trinitatis sanctissimæ. Tum quia non depinguntur, vt nobis repræsentent sic esse, sed vt nobis repræsentent sic apparere, & cuius qualitatis, & virtutis sint, quod satis indicauit Trident. *dict. sess.* 25. *cap.* 2. dum dixit: Si aliquando historias, & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Vnde cùm Pater æternus depingitur senex, est quia sic *Daniel.*7. Visus est; Filius in eius pectore consistens, quia ab illo est genitus, Spiritus sanctus sub specie columbæ, quia sic dignatus est se nobis ostendere. Angeli autem depinguntur tanquam iuuenes, non quia sic existant, sed quia sic sæpè apparuerunt, & vt indicetur eorum vitam nunquam senescere. Depinguntur alati ad indicandam eorum celeritatem in exequendis diuinis mandatis, & in albis vestibus propter eorum integritatem, puritatem, & innocentiam, vt optimè expendit Azor. 1.*part. lib.*9. *cap.*7. *quæst.*2. *&* 3. Vasquez 3.*p. quæst.*25. *disput.* 103. *& de adorat. lib.*2. *disput.*3. *num.* 44. 61. *& seqq.* Bellarm. *t.*2. *controuers.*4. *lib.*2. *cap.*8. Et ex his soluitur ratio dubitandi. Concedo enim imaginem assumi non posse ad repræsentandum Spiritum in se; teneri tamen, vt sæpè ostensus est, & per quandam metaphoram ad eius virtutes, & conditiones indicandas. Aduertendum tamen est in harum imaginum vsu, quod prudentissimè Concil. Trident. *dict. sess.*25. *cap.*2. animaduertit, nempe, vt nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur, nullæque procaci venustate depingantur, aut ornentur, ac denique nihil in illis sit inordinatum, nihilque profanum, nihil præposterum, inhonestúmque appareat, cùm iustum sit repræsentationes cum rebus reprætentatis omnino conuenire.

3 Sed inquires: Primò, quæ adoratio imagini Dei, & Sanctorum debeatur? Respondeo eandem adorationem, quæ debetur ei, cuius est imago, diuerso tamen modo: nam Deo, & Sanctis debetur adoratio vt personis, quæ per se adoratione dignæ sunt: Imaginibus verò non debetur adoratio ob excellentiam aliquam, & virtutem, quam in se habent, & propter quam adoratione dignæ sunt: Sed quia referuntur ad Deum, & Sanctos, illósque repræsentant. Quare cùm ratio adorandi imaginem sit excellentia repræsentata, eadem adoratione adoranda est, ac adoratur repræsentatum: Sic Azor. 1. *part. lib.* 9. *cap.*6. *quæst.* 5. Bonacina *disputatione* 3. *quæst.* 1. *punct.* 3. *numero* 9. multis relatis Vasquez *lib.* 2. *de adorat. disputatione* 8. *cap.* 3. *& sequentib.* Lessius *lib.*8. *cap.*36. *dub.*3. *num.* 19. quia repræsentatum ipsum in imagine adoratur, & per imaginem Deum, & Sanctos repræsentatos adoramus; quia illos cum imagine in nostro intellectu, & affectu coniungimus.

4 Dices imaginem in se habere aliquam excellentiam, ob quam veneratione digna sit. Est enim ad repræsentandum Deum, & Sanctos instituta, ac proinde sacris vsibus dedicata. Ergo ratione huius dedicationis, & repræsentationis honore digna est. At non est digna eodem honore, ac est prototypus; quia hæc dignitas repræsentationis est distincta à prototypo, & prototypi dignitate multo inferior. Ergo. Fauétque septima Synodus generalis, quæ est *Nicena*, 2. *Act.*7. vbi statuitur Crucem, & imaginem Christi non latria adoratione coli, sed alia multo inferiori. Exemplóque humano id fieri potest manifestum. Legatus enim Regis, & coli potest eodem honore, quo Rex, si Rex in Legato honoretur, & alio inferiori, quatenus in se dignitatem Legati habet, ob quam dignitatem honore speciali dignus est: sic videtur dicendum in imagine duplici honore esse colendam, alio respectiuo, qui sit idem honor cùm honore prototypi, alio absoluto, qui in ipsa imagine assistit propter excellentiam, quam in se habet, licèt illa excellentia ad prototypum referatur, & ab eo proueniat.

Respondeo negando imaginem habere aliquam excellentiam in se, ob quam digna sit adoratione, & veneratione à prototypo distincta. Tum quia *Trident.* expressè dixit, in imaginibus nullam inesse virtutem, ob quam ipsæ coli debeant. Tum quia adoratio est submissionis nota personæ excellenti exhibita ex affectu illam, vt superiorem recognoscendi, quòd rebus inanimatis, & irrationabilibus nequaquam potest conuenire: non enim rei inanimatæ secundùm se te submittere potes; quia semper illa superior es. Quod non procedit in Legato Regis. Nam ipse Legatus ratione Legationis constituitur tui superior, & dignus speciali honore, & veneratione: at imago ob repræsentationem non constituitur tui superior, cùm semper sit res inanimata, & irrationalis, ac proinde nunquam per se digna est submissionis, & seruitutis nota. Est ergo cum exemplari adoranda, & non aliter. Cùm autem septima Synodus imagini Christi denegat adorationem latriam, distinguit inter submissionis notam, & affectum huius submissionis, & seruitutis, & submissionis notam dicit per se ad imaginem terminari, quia ipsi procumbimus, humiliamur, &c. effectum verò submissionis ad ipsum Deum, non ad imaginem terminari: at quia ex submissione, & affectu integra ratio adorationis coalescit, fit eadem adoratione Crucem, & Christum adorari. Eadem, inquam ex parte submissionis, submissio enim ad Crucem terminatur, affectus ad prototypum, cui affectui ex sententia Concilij adoratio latria competit, ideóque dixit adorationem latriam Cruci non pertinere, vt latissimè expendit hæc omnia Vasquez *lib.* 2. *de adorat. tom. disp.* 8. Idem quod dictum est de imagine Dei, Christi, & Sanctorum, dicendum est de eorum nominibus, esse quidem adoranda eadem adoratione, ac adoratur prototypus, quia non ratione sui, sed ob excellentiam exemplaris, quod repræsentat, & in cuius cognitionem nos ducunt, adorantur. Sic Azor 1.*p. lib.*9. *cap.*8. *quæst.*12. Bonacina *disp.*3. *de adorat. p.* 3. *in fin.* Vasquez *lib.*2. *de adorat. disp.*8. *cap.*10. Suar. *t.*2. *in* 3. *disp.*56. *sect.*5.

5 Inquires secundò, an si dæmon sub imagine crucifixi tibi appareat, possis adorare? Ciarum est non licere, si dubius es, esse dæmonem; quia neminem potes adorare, nisi cum morali certitudine esse dignum veneratione. At si probabiliter existimes veram Dei apparentiam esse, adorare poteris: sic optimè expendit Vasquez *lib.*3. *de adorat. disp.*1. *cap.*5 Bonac. *disp.*3. *q.*1. *p.*1. *n.*5. Cauté tamen debes procedere ne decipiatis: sæpè enim deceptio in his apparitionibus contingit, & dæmon in Angelum lucis se transfigurat. Quapropter probabilius credo non licere sic repræsentatum adorare absolutè, nisi sub conditione expressa, si tu es Christus, Deipara, vel Sanctus: quia hæ apparitiones, tam à bono Spiritu, quàm à malo fieri solent. Ergo vt videtur morale periculum errandi, apponi debet conditio: sic relato Altisiodor. Bonac. Marsil. Gabr. Sylvest. Armilla, & aliis docet Azor 1.*p.l.*9. *cap.*9. *quæst.*11. Secus verò contingit in adoratione Hostiæ, quam eleuat Sacerdos; quia in ipsa non est morale periculum errandi cùm absque temeritate iudicare non possis conficeratam non esse, ideóque necesse non est expressam conditionem apponere, sufficit tacitam habere, quæ consistit in eo, quòd eo animo, & affectu sis, vt nequaquam Hostiam adorares, nisi putares consecratam esse: sic pluribus relatis firmat Azor. *quæst.* 10. Vasquez *in* 3. *p. disp.*110. *cap.*15. Bonac. *disp.*3. *de adorat. q.*1. *p.*2. *n.*7.

6 Inquires: Tertiò, an ea, quæ Christum Dominum tetigerunt, vt Crux, claui, lancea, spinæ, adorandæ sint adoratione latriæ, sicut eius imago adoratur? Et generaliter, an ea, quæ

Sancto

Sanctos tetigerunt adoranda sint eadem adoratione, qua eorum imagines adorantur? Affirmatiuè respondeo cum D. Thom. *communiter recepto. 3. part. quæst. 25. art. 4.* Azor. *1. p. lib. 9. c. 5. q. 9.* Vasquez *de adorat. lib. 3. disp. 1. cap. 2.* Ratio est manifesta; quia sicut imaginem ratione repræsentationis cum prototypo coniungimus, & ob eandem causam in illa prototypum adoramus, ipsique reuerentiam exhibemus, sic rebus huiusmodi inanimatis, quæ Christum, & Sanctos tetigerunt ratione contactus, reuerentia, & honor exhiberi potest.

9 Dices, si hoc verum est, etiam asinam, quæ Christum portauit adorandam esse si viueret, item manus impiorum flagellantium, & percutientium Christum. Respondeo negando consequentiam, & primò de asina id non decet; quia videreris asinam ob aliquam excellentiam illius honorare. De manibus autem impiorum, id est, omnino negandum; quia non religiosè, sed impiè, nefariè, contumeliosè Christum Dominum tetigerunt; ac proinde non adorandæ, sed potiùs execrandæ sunt. Secus verò dicendum est de instrumentis mortuis, & separatis. Item si manus illas impias coleres, indicares irrisiones, & vulnera ab illis Christo facta tibi placere.

8 Quartò, inquires, an quælibet Crux, & quælibet instrumenta, quæ ad repræsentanda Christi instrumenta efformantur, digna sunt adoratione; Respondeo sub hac ratione præcisè digna non esse; quia illud est dignum veneratione, & cultu, quod coniungitur cum re animata, & rationali cultu, & veneratione digna. At hæc instrumenta secundùm hanc rationem non coniunguntur cum Christo, sed cum eius passionis instrumentis inanimatis, quibus nullus per se cultus debetur. Ergo. Sic cum D. Thom. *3. p. q. 25. art. 4.* tradit Azor. *1. p. lib. 9. c. 6. q. 9.* Bonac. *disp. 3. de adorat. q. 1. p. 3. n. 8.* Aduerto tamen sæpè hæc instrumenta efformari ad repræsentandam Christi passionem, & tunc veneratione digna sunt, quia sunt imagines Christi pro nobis passi: sic Suarez *3. p. q. 25 disp. 56. sect. 2.* & Bonac. *suprà.* Est tamen inter Crucem, & reliqua instrumenta hæc differentia, vt dixit D. Thom. *suprà relatus*, quòd Crux semper assumitur non solùm ad repræsentandam Crucem, in qua Christus pependit, sed etiam ad repræsentandum ipsum ibidem pendentem. Alia autem instrumenta rarò ad repræsentandum Christum passum assumuntur, ac proinde cuicunque Cruci semper latriæ honor debetur, secus aliis instrumentis Azor. *1 p. lib 9 cap. 6. q. 2.*

9 Quintò inquires, qua pœna afficiendi sunt, qui imagines conculcant, irridentes, aut malè tractant? Respondeo nullam in iure statutam esse: arbitrari tamen poterit pœnam iudex pro qualitate delicti, iuxta text. *in c. si Canonici, § vlt. iuncta gloss. penult. de officio ordinarij in 6.* Flagellis, vel exilio, vel amputatione manus: sic Doctores statim referendi; imò si iniuria publica sit, & nimis scandalosa, poterit reus pœna mortis puniri: sic ex Angelo, *in l. ex Senatusconsulto, ff. ad l. Cornel. de Sicariis*, firmat Menochius *lib 2. de arbit. casu 376. an 3.* Farinac. *1. part. Praxis, quæst. 20 à num. 68.* Azor. *1. p. lib. 9. c. 7. quæst. 4.* & alij apud ipsos. Hoc delictum est mixti fori, poteritque iudex Ecclesiasticus, & Secularis ad præuentionem cognoscere. Quia deliquens aduersus religionem omnibus iniuriosus existit, iuxta *l. Manichæos, C. de Hæreticis.* Item censores fidei possunt in eum tanquam de hæresi vehementer suspectum animaduertere, vt bene tradit Simanch. *de Catholic. institit. tit. 33. num. 17.* Azor. *dicta quæst. 4.* Farinac. *de hæresi quæst. 178. n. 53.*

PVNCTVM V.

An licitum sit templa, & altaria in honorem Sanctorum erigere, vota illis fundere, festa statuere?

1 *Altaria, & templa in honorem Sanctorum dicantur.*
2 *Dies festi Sanctis dicantur.*
3 *Vota Sanctis fundimus.*

1 AZor. *1. p. lib. 9. c. 10. quæst. 8.* probat optimè à principio nascentis Ecclesiæ templa, & altaria Deo dicari, in Sanctorum tamen honorem, & venerationem, cedit enim in magnum Sanctorum honorem, si ob eorum respectum, templa, & altaria erigas Deo, ibique Deo sacrificia offeras. Quapropter ratione huius respectus dicitur templum Sanctis esse dedicatum. Non quia in ipso templo, & altari sacrificium Sanctis sit offerendum, cùm soli Deo sacrificari possit; sed quia in memoriam, & recordationem Sanctorum, & in eorum honorem Deo sacrificandum sit. Item dicantur templa Sanctis tum ad seruandas eorum reliquias, tum vt gratiores sint nostræ preces ibi fusæ, tum vt faciliùs ibidem exaudiantur. Tum vt suis precibus, & meritis, quæ illo in loco specialiter relucent nos protegant, & defendant.

2 Item dies festos Sanctis dicamus. Tum vt eos honoremus. Tum vt eorum virtutes, & gesta celebremus, tum vt faciliùs eorum patrocinium consequamur. Deinde vigilias habemus, & instituimus in eorum honorem ob easdem rationes; cupimus enim eorum meritis, & vigilias nostras vigilias Deo acceptas fieri.

3 Vota deinde Sanctis fundimus, non quia ipsis directè fiant, sed quia fiunt Deo in Sanctorum honorem, quos cupimus, tum testes habere nostræ promissionis, & obligationis, tum patronos, qui nobis impetrent gratiam ad promissa exequenda. Cum verò votum est de materia, quæ specialiter cedit in honorem Sancti, vt si Beatæ Virgini, Petro, Francisco, Ignatio promittas calicem, vestem, vel quid aliud, tunc respectu Sancti est honoraria promissio ad duliam pertinens; respectu verò Dei est votum, quia voues Deo promissionem Sanctis factam executuram. Sic Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 5. n. 27.*

PVNCTVM VI.

De Sanctarum Reliquiarum adoratione, & cultu.

1 *Sanctorum reliquiæ, & quæ illos tetigerunt adoranda sunt.*
2 *Eadem adoratio ipsis datur, quæ adoratæ personæ.*
3 *Debes tamen esse moraliter certus personæ adoratæ reliquias esse.*
4 *Si publico cultu venerandæ sint reliquiæ, qualiter tibi debeant esse propositæ.*
5 *Modus, quem seruare debet Episcopus in reliquiarum approbatione.*
6 *Extra diœcesim potest fieri hæc approbatio.*
7 *Si aliò transferantur non indigent approbatione.*
8 *Corpus adorari potest vno in loco ex Episcopi approbatione, tametsi dicatur alibi esse.*
9 *Cuilibet licet Sanctas reliquias secum portare.*
10 *Peccatum commissum deferendo reliquias, non habet speciem necessariò in confessione manifestandam, quamuis aliquà contrarium tenant.*
11 *Licitum tibi est crucem variis reliquiis non approbatis ab Episcopo ornatam populo adorandam proponere.*
12 *Si cum reliquiis approbatis miscentur non approbatæ, non licet tibi eas populo adorandas proponere.*
13 *Vrgens causa debet esse, vt reliquiæ antiquæ ex capsullis extrahantur.*
14 *Ex vno loco in alium possunt Sanctæ reliquiæ transferri, seruatis tamen aliquibus conditionibus.*
15 *Si piè, & religiosè latcus reliquias tangat, non peccat.*
16 *Licitum, & sanctissimum est ad imagines, & sepulchra Sanctorum cereos accendere.*
17 *Pecuniam dare potes non ob videndas reliquias, sed ne illas videres & habere impediaris.*
18 *Non est prohibitum ostendere reliquias intentione, vt eleemosyna augeantur.*
19 *Accipiens reliquias ab alio possessas illo inuito furtum, & sacrilegium committis.*
20 *Excipe nisi ab infidelibus possideantur, vel authoritate præfecti, quibus illarum custodia commissa est, fiat.*
21 *Nulla pœna ipso iure imposita est furantibus sacras reliquias. Excipe constitutionem Greg. de hac re.*
22 *Cereos agnos debes piè, & religiosè venerari.*
23 *Sub pœna excommunicationis prohibitum est hos agnos pingere, & illuminare, & pluris vendere, quàm venderentur secluſa consecratione, & expensis in illorum asportatione.*
24 *Clerici in minoribus eos tangere possunt, laici si absque necessitate tangant; non videntur culpam mortalem committere.*
25 *Manente consecratione vestes, & vasa sacra vsibus profanis accommodare graue est peccatum, perdita consecratione, esto excusetur à peccato, indecens tamen est.*
26 *Vestes, vasa profana vsibus sacris applicari possunt, & qua ratione.*

1 NEmini Catholicorum est dubium Sanctorum reliquias, siue partes ipsorum fuerint, vt carnes, ossa, dentes, capilli, vngues, cineres, siue res aliæ, quæ ipsos in vita, vel post mortem tetigerint, ad ipsósque pertinuerint adorandas, & sacro honore habendas esse: sic est definitum in Concilio Grangen. *can. 5. & in septima Synodo Generali, act. 7. in Brachar. 3. can. 5. in Lateranens. c. 62. & præcipuè in Trident. Sess 25. t. 2.* & multis exornat Vasq *de Adorat. lib 3 disp. 3.* Azor *1 p. lib 9. c. 8. quæst. 2.* Suarez *in 3. p. tit. 1. disp. 55.* Bellarm. *lib. 1. de Sanctis, c. 1.* Valent. *2. 2. disp. 6. quæst. 11. punct 5. & 6.* ibique friuola argumenta hæreticorum dissoluunt. Quod si inquiras; an vermes, in quas corpora Sanctorum conuertuntur, adorandi sint, sicut adorantur cineres. Dicendum est adorari non debere. Non esto corpus Sancti tetigerint, & ob eam causam venerari possint; quia non vermes, sed Sancti in vermibus venerantur. At indecens videtur in his rebus putridis; fœtidis; & obscœnis Sanctos venerari: quia indecens esse videtur eos in illis rebus apprehen-

dere: videremur enim vermes non Sanctos venerari: Sic Suar. *disp.* 55 *Sect.* 1. *ad fin. m.* Sanch. *Sum. lib.* 2. *c.* 43. *n.* 2. Vasquez 3. *p. disp.* 112. *c.* 8. *n.* 29 Bonac. *disp.* 3. *de Adorat. q.* 1. *p.* 4. *in prine.*

1 Adoratio autem, quæ supradictis reliquiis fit, est eadem quæ tribuitur personæ, cuius sunt reliquiæ. Quia non adorantur reliquiæ propter aliquam virtutem, & excellentiam, quam habent: sunt enim res inanimacæ; ac proinde ratione sui incapaces submissionis, & honoris, sicut & contumeliæ, & iniuriæ. Adorantur tamen propter ralationem, quam habent ad personam, cuius sunt reliquiæ, ac proinde in ipsis, & per ipsas sicut in imagine persona adoratur, & colitur: sic optimè expendit Vasquez *supra, & de adorat. lib.* 3. *disp.* 4. *c.* 2. Ex quo infert Christi præputium, & sanguinem relictum in terris adoratione latria esse venerandum non quia actu verbo vnitus sit, aliquamque in se diuinitatem, & virtutem habeat; sed quia Christi pars fuit, ad ipsumque refertur. Secundò, infert eadem adoratione latria adorandum esse sanguinem, qui ex aliqua imagine Christi fluxit, quia ipsum Christum repræsentat. Idem credo esse dicendum, si miraculosè sanguis appareat in Sanctissimo Eucharistiæ sacramento, semper enim cum Christo apprehenditur, & eadem adoratione, qua ille adorandus est. Azor. *lib.* 9. *c.* 6. *q.* 3. Bonac. *p.* 2. *fine.*

3 Sed dubium est. Quæ conditiones requirantur, vt reliquias Sanctorum adorare possis. Aliquam enim conditionem requiri non est dubium, cùm sæpè periculum ad sit deceptionis, venerandi inquam reliquias perditi hominis, ac si essent alicuius Sancti cum Deo in cœlo regnantis.

Dicendum ergo est, te certum debere esse moraliter reliquias, quas adoras veras esse, & non supposititias; quia sine hac morali, certitudine imprudenter cultum, & adorationem exhiberes, & te periculo errandi exponeres. Posita autem hac certitudine morali absolutè, & sine vlla conditione adorare poteris. Sanchez *lib.* 2. *c.* 43. *in fine.* At quia dupliciter reliquiæ adorari possunt, vel publico cultu, vel priuato, diuersimodè pro vtroque cultu certus esse debes: si enim priuato cultu reliquias venereris, sufficit si tibi vir probus, & religiosus eas tradiderit; quia illius testimonium te reddit moraliter certum de veritate. Et idem est dicendum de qualibet alia coniectura probabili, qua prudenter iudicare possis ita esse. Sic Azor. 1. *p. lib.* 9. *c.* 8. *quæst.* 8. *in fine.* Sanchez *c.* 43 *num.* 13. Suarez *disp.* 55 *sect.* 2. Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 5.

4 At si publico cultu eas venerari velis, debent esse prius, à Pontifice, vel ab Episcopo iuxta Trident. *sess.* 25. *c.* 2. propositæ, & approbatæ. Quia illicitum est sine hac approbatione publica publicum cultum illis exhibere: sic Azor. Sanchez, Bonac. *supra* Aduerto tamen Episcopum nullo modo posse reliquias Sancti nondum in Sanctorum numerum à Pontifice relati exponere populo adorandas, iuxta text. *in c.* 1. *& 2. de Relig & vener. Sanct.* quia hæc expositio est cultus publicus ad honorandos Sanctos ab Ecclesia approbatos institutus. Nequit ergo alteri adaptari: sic ex sacra Congregatione decisum tradit Barbos. *in remiss. Concil. dicto c.* 2. *sess.* 25. Bonacin. *disp.* 3. *quæst.* 1. *p.* 4. *n.* 5. Azor. *quæst.* 8. Suarez *sect.* 2. Sanchez *num* 10. *&* 14. Neque in Concilio Trident. aliquid in hac parte, est immutatum, dum concedit Episcopis reliquias nouiter inuentas approbare: quia id est, intelligendum de reliquiis Sancti ab Ecclesia approbati, vt benè expendit Sanch. Suar. & alij apud ipsos.

Si autem reliquiæ sint alicuius Sancti ab Ecclesia approbati, sintque nouiter inuentæ, vt populo adorandæ proponantur: debent, vel à Pontifice pro illius Sancti reliquiis approbari, vel ab Episcopo seruata Trident. forma: quia vsque hæc approbatio accedat, Ecclesia certa non est Ecclesias esse veras reliquias.

5 Modum autem, quem Episcopus seruare debet in harum reliquiarum approbatione tradit Trident. *Sess. illa* 25. *c.* 2. nempè vt consultat Theologos, aliósque viros pios, & illis consultis exequatur quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit. In quibus verbis satis iudicatur non esse obligatum Episcopum consilio Theologorum adhærere, sed illis auditis poterit ipse quod iudicauerit conuenientius exequi: sic Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 4. *n.* 6. Sanch. *lib.* 2. *c.* 43. *n.* 15. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit, exitrpandus, vel omninò aliqua de his rebus grauior quæstio incidat, Episcopus antequam controuersiam dirimat, Metropolitani, & Comprouincialium Episcoporum in Concilio Prouinciali sententiam expectet, ita tamen vt nihil in consulto Sanctissimo Romano Pontifice nouum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur: sic Concilium. Ecce qua ratione in hoc speciali casu conciliarem sententiam expectare debet Episcopus. priusquam controuersiam definiat. Hæc autem sententia concialiaris à maiori parte Episcoporum in concilio existentium ferenda est, quia tunc, & non aliter dicitur ferri à concilio. Sic Sanch. *c.* 43. *n.* 16. & Bonac. *p.* 4. *n.* 6.

6 Hanc verò approbationem reliquiarum poterit Episcopus extra diœcesim existens facere, & licentiam concedere, vt in sua diœcesi collocentur venerandæ: quia hic actus iurisdictionis est voluntariæ, non contentiosæ; non enim inter partes inuitas exercetur: & tradit Sanch. *dicto c.* 43. *n.* 14. Bonac. *n.* 6. Barbos. 3. *p. alleg.* 97. *fine.*

7 Approbatis tamen reliquis vel à Pontifice, vel ab Episcopo loci, in quo fuerint inuentæ, si aliò transferantur, non indigent noua approbatione Episcopi illius loci ad quem transferuntur, quia hæc absolutè sint approbatæ, nec sunt nouiter inuentæ: & concilium de nouiter inuentis, & non approbatis, approbationem requirit. Debet tamen Episcopus, antequam illas publicè venerandas permittat proponi, examinare, an illæ reliquiæ sint, quæ Pontificis rescripto, vel diœcesani Episcopi iudicio fuerint approbatæ. Sic Bonac. *supra* & Sanch. *n.* 18.

8 Ex his constat solutio illius difficultatis. An liceat tibi adorare absolutè corpus alicuius Sancti, quod multi affirmant alibi esse? Si enim à Pontifice, vel ab Episcopo fuerit approbatum ibi existere, poteris adorare; quia nullo morali periculo errandi te exponis, cùm prudenter operaris, secus si nulla existit approbatio: colligitur ex Sanch. *c.* 43. *num.* 18. & tradit Bonac. *num.* 7. Suarez *sect.* 2. Neque obstat duplici in loco idem corpus venerari ex approbatione Pontificis, vel Episcopi: quia non sequitur in vtroque loco, idem corpus integrè requiescere, sed partem, quod sufficit, vt possit dici ibi corpus illius Sancti requiescere, vt benè notauit Azor. 1. *p. lib.* 9. *c.* 8 *q.* 2. *fine.*

Hucusque dixi de conditionibus requisitis tum in priuata, tum in publica reliquiarum adoratione. Restat satisfacere nonnullis difficultatibus circa eius vsum.

9 Prima difficultas est. An liceat cuilibet secum portare reliquias sanctas? Respondeo licitum esse, si piè, religiosè, & decenter deferantur, quia hæc delatio cedit in Sanctorum cultum, & à viris piis, & religiosis fit, & nullibi inuenitur prohibitum. Nam text. qui allegantur ab Angelo contrarium, asserente verbo reliquiæ, *num.* 4. nihil probant: allegatur enim text. *in c corpora, de consecrat. dist.* 1. Sed ibi solùm prohibetur, ne corpora Sanctorum de loco vbi sepulta sunt, in alium transferantur sine Episcopi licentia. Item allegatur Concilium Bracharense, 3. *c.* 5. vbi reprehenduntur Episcopi, qui in processionibus Martyrum reliquias illorum collo suspensas gestabant: sed vt benè aduertunt Doctores statim referendi, non reprehendebantur ibi, quia illas reliquias gestarent, sed quia illas gestarent ob inanem gloriam, & vanam hominum ostentationem, quam intendebant, faciendo se ob eam causam in seliulis super humeros Leuitarum portari. Ergo cùm nullo textu prohibeatur hæc reliquiarum priuata delatio, affirmandum est licere: sic D. Thom. 21. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 3. Nauar. *c.* 11. *num.* 35. pluribus relatis Azor. 1. *p. lib.* 9. *c.* 8. *quæst.* 6. Sanch. *lib.* 2. *c.* 40 *n.* 27. Suar. *in* 3. *p. Tom.* 1. *lib.* 2. *de Superstit. c.* 15 *num.* 16. Bonac. *disp.* 3 *de Adorat. quæst.* 1. *p.* 4. *n.* 7. Vasquez *de Adorat. lib.* 3. *disp.* 3. *c.* 8 *num.* 115. *&* 3. *p. disp.* 112. *c.* 8. *num.* 30. Valent. *Tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 6. *ad finem*, & alij apud ipsos. Dixi si piè, religiosè, & decenter deferas, quia si periculum probabile adsit, vt aliqua fœditate, & obscœnitate poluantur, aut turpi tactu violentur, illicitum erit: sic Azor. 1. *p. lib* 9. *c.* 8 *quæst.* 12. *in fine, & c.* 9. *q.* 5. *in fine.* Sed dubium est. An si gestans has reliquias peieres, furaris, forniceris, vel aliud peccatum committas, habeat tale peccatum specialem deformitatem necessariò in confessione manifestandam?

10 Affirmare videtur Philliare. *de offic. Sacerd. tom.* 1. 2. *p lib.* 3. *c.* 9. *ad finem, in vers. quarto peccat.* Quia negari non potest irreuerentiam fieri reliquiis Sanctis, seu potiùs Sanctis, quorum sunt illæ reliquiæ, cum ad illarum conspectum sic Deum offendas. Nihilominùs probabilius censeo, non committi specialem grauitatem necessariò fatendam in confessione (excepto peccato, quo reliquias conculcares, vel malè, & irreuerenter tractares) sic Azor. 1. *p. lib.* 9. *c.* 8. *q.* 6. Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 4. *num.* 7. Sanch. *lib.* 2. *c.* 40 *num.* 18. Ratio est quia periurio, furto, & fornicatione reliquiæ directè non offenduntur, neque irreuerenter tractantur, dummodò in illarum contemptum peccata non fiant; sicuti neque adorantur, nec coluntur, cùm bona opera præstas. Est enim id nimis accidentarium. Quare est aliqualem irreuerentiam committas, non peccas, & aliqualem cultum præstes, cum benè operaris, id non est considerabile.

Prima difficultas est, An liceat tibi Crucem variis reliquiis, quæ non sunt à Pontifice, aut ab Episcopo approbatæ ornatam in altari collocare, & populo adorandam proponere?

11 Negat Bonac. *disp.* 3. *de Adorat. quæst.* 1. *p.* 4. *n.* 6. Mouetur; quia non solùm Crux, sed etiam reliquiæ videntur proponi adorandæ, periculumque est, vt populus non solùm Crucem, sed reliquias ibi existentes adoret. Cæterùm probabilius censeo id esse licitum. Tum quia sic vsus obtinuit. Tum quia receptum est ad ornatum Crucis illas reliquias collocari, vel ad priuatam illarum venerationem. Tum quia cùm Crux in altari collocatur, non reliquiæ, sed Crux adoranda proponitur; quòd verò vnus, vel alius reliquias per se adoret, id est per accidens, & ad priuatum cultum pertinet, non ad publicum: & ita tenet Sanch. *lib.* 2. *c.* 43. *n.* 17.

12 Tertia difficultas est. An si cum reliquiis approbatis misceantur aliæ non approbatæ, liceat tibi eas populo adorandas proponere? Ratio difficultatis est: quia si aquæ benedictæ misceas non benedictam, & oleo consecrato misceas non consecratum, totum remanet benedictum, & consecratum, *c. quod in dubiis, de consecrat. Eccles.* & *ibi gloss.* Quia dignius trahit ad se minus dignum, præcipuè si consecratum, & benedictum in

in maiori quantitate sit. At dicendum est; nequaquam licere; quia solùm in liquoribus propter intimam eorum mixtionem illa prærogatiua conceditur, vt dixit Abbas, *c. 1. de consecrat. Eccles. in fine*, & ibi Antonin. *num.* 41. At in præsenti hoc procedere non potest; quia reliquiæ non possunt adorari, nisi verè fuerint alicuius Sancti, neque ius positiuum facere potest, vt quælibet reliquiæ propter mixtionem cum reliquiis alicuius Sancti ad ipsum Sanctum pertineant. Ergo non potest facere, vt illæ reliquiæ, tanquam reliquiæ Sancti adorentur, aliàs manifestum esset periculum errandi, & adorandi reliquias perditi hominis, cùm in illo mixto tam reliquiæ approbatæ, quàm non approbatæ existant: ita tenet Sanch. *lib. 2. c. 43. num. 12.* Bonacin. *disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 5.* Verùm hoc non tollit, quominùs adorare possis illas reliquias, qua parte veræ sint; quia sub hac conditione omne periculum vitatur. Sanch. & Bonacin. *suprà*. Aduerto tamen facta illa mixtione debere omnes illas reliquias in loco decenti separari, ibíque custodiri, quia hac ratione cauetur, tum periculo temnendi veras reliquias, tum periculo adorandi falsas: Sicuti cum dubium est, an sint aliquæ reliquiæ vetæ, non debent proponi adorandæ, sed seruandæ, & custodiendæ in loco decenti; vel potiùs reuerenter concremandæ, & in piscinam mittendæ: sic Sanch. *num. 12. & 19.* Suar. *tom. 1. in 3. p. disp. 55. sect. 2. vers. at verum.*

13 Quarta difficultas, An sit peccatum Sanctas reliquias ex capsulis, vbi reconditæ sunt, extrahere, vt populo ostendantur; Respondeo peccatum esse, & fortè graue, si reliquiæ antiquæ sunt, quia ita prohibetur ab Innocent. III. *in. c. cum eo. de Reliq & veneror. Sanctor.* & redditur ibi ratio, ne populus adorationem detrahat, putans non esse reliquias illas Sancti, cùm ita consumptæ sint, sic Sanch. *lib. 2. c. 43. num. 21.* Verùm si aliqua rationabilis, & grauis causa intercedat, & periculum detractionis vitetur, credo nullum esse peccatum. Quapropter dixit Azor. *1. p. lib. 9. c. 8. quæst. 7. in fine.* Reliquias in Ecclesia reconditas ad ægrotos sine iusta causa exportandas non esse, tacitè insinuans, cùm iusta causa adest, asportari posse.

14 Quinta difficultas, An ex vno loco ad alium liceat Sanctas reliquias transferre? Respondeo ex Concilio Moguntinensi 1. c. 51. & refertur, *in c. corpora Sanctorũ, de consecrat. dist. 1.* si sint perpetuæ sepulturæ traditæ, non posse sine consilio principis, vel Episcopi diœcesani, sanctæque Synodi licentia. Excipe nisi necessitas vrgeat belli, incendij, periculi rapinæ, &c. tunc enim sufficit authoritas præsidiis prouinciæ, vt ex *l. 1. Cod. de Relig. & sumptibus funer.* tradit Gloss. *dict. c. corpora, verbo principis.* Nomine principis intelligit Gloss. Pontificem, aliis placet intelligi Regem, vel Imperatorem, si patronus sit illarum Ecclesiarum, vbi corpora requiescunt: eáque de causa consilium principis expostulauit Concilium, licentiam tamen Episcopi, vel Synodi requisiuit. Quòd si reliquiæ non sint perpetuæ sepulturæ traditæ, sed solùm alicubi depositæ, poterunt absque alicuius authoritate ex vno loco in alium transferri, vt decentiùs, & honorificentiùs existant: sic cum Gloss. *dicto c. corpora*, Hugo, Turrecrem. Antonin. Syluest. Angelo, Tabien. & aliis docet Sanchez, *lib. 2. c. 43. num. 25.* Addo non videri improbabile, quod tradit Azor, *1. p. lib. 9. c. 8. quæst. 9.* Supradictum textum locum habere in eo tantum, qui furtim reliquias effert, & aliò deportat, non autem in eo, qui facultate, siue authoritate, vel consensu eius Ecclesiastici præfecti, cui reliquiarum locus facer vna cum ipsis reliquiis commissus est, id facit.

15 Sexta difficultas, An licitum sit laicis, vel saltem Clericis in minoribus ordinibus constitutis sacra reliquias tangere, vel gestare? Rationem difficultatis constituit D. Greg. *lib. 3. epist. ep. 30. ad Constantium Augustum scribens*: vbi inquit, in Romanis, vel totius Occidentis partibus omninò intolerabile esse, atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisque fortasse voluerit. Cæterùm dicendum est nullam esse culpam, si piè, & religiosè laicus reliquias, quas apud se habet, tangat, quia nullo iure id inuenitur prohibitum. Neque obstat dictum Gregor. quia loquebatur pro illo tempore, in quo non permittebatur etiam Sacerdotibus sacras reliquias è loco, vbi reconditæ erant, extrahere, amouere, vel gestare. At iam vsus obtinuit, vt ex vno loco in alium transferantur, gestentur, & extrahantur, ac proinde non erit intolerabile, & sacrilegum, imò potius erit pium eas religiosè, & deuotè tangere, & in capsulis honorificè includere, & sic inclusas gestare. Sanch. *lib. 2. c. 43. num. 26.* Azor. *1. p. lib. 9. c. 9. quæst. 5.* Maior difficultas est. An licitum sit laicis reliquias Sanctorum in processionibus gestare? videtur enim id esse illicitum: quia in *c. non liceat. el. 1. 3. dist.* dicitur, non liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nec aliis, nisi iis; qui ab Episcopo subdiaconi fuerint ordinati. vbi Gloss. *verbo portare*, inquit in processionibus, & vasa sacra esse, in qua continentur reliquiæ, consentit Palud. Antonin. Syluest. Tabin. relati à Sanchez *lib. 2. c. 43. num. 26.* At placet mihi cum eodem Sanch. nullam esse culpam, si reuerenter huiusmodi sacra vasa reliquias continentia laici portent; quia nullibi inuenitur prohibitum, & consuetudine id sæpè receptum est. Neque obstat text. *in c. non licet*: quia non de vasculis continentibus reliquias, vt placet glossæ, sed de Calice, & patena loquitur: hæc enim suat propria vasa altaris; quia in ipsis sacrificium Deo offertur, vt sentit idem Sanch. *suprà*, cum Turrecrem. *in dicto c. non licet, num. vnico* & Graffis, *2. p. decis. lib. 2. c. 14. num. 8.*

16. Septima difficultas, licitúsne sit vsus accendendi cereos ad Sanctorum sepulchra, imagines, & reliquias? Respondeo licitum, & Sanctissimum esse: tum quia ab initio Ecclesiæ, sic esse receptum constat ex August. *lib. 8. de Ciuit. c. vlt. & in lib. 6. confess. c. 2.* Gregor. *lib. 3. dialog. c. 24.* Hieronym. *in epist. ad Riparium*, & aliis Patribus: tum quia ob honestos, & religiosos fines hæc lumina accenduntur, nempe ad significandum lumen fidei; quo Sancti decesserunt, & lumen gloriæ, quo perfruuntur, & in signum lætitiæ, quam ex eorum gloria accipimus, & vt illos hoc cultu moneamus, vt diuino lumine nos perfundant. Quòd si aliquis obiiciat Concilium Elibertinum, *can. 34.* prohibens cereos per diem in cæmeterio incendi; quia Sanctorum spiritus inquietandi non sunt, & Hieronym. testantem contra Vigilantium idololatriam esse cereos in tumulis Sanctorum accendere, optimè respondet Azor. *1. p. lib. 9. c. 8. quæst. 3.* dicens Concilium, & Hieronym. prohibere cereos accendere ex gentilitia superstitione, qua iudicabatur defunctorum corpora in tenebris recondita sentire, & lumine indigere; ipsóque illustrari. Non enim inquit Concilium. Sanctorum spiritus hac gentilitiâ superstitione inquietandi non sunt, neq; homines in terris degentes hoc ritu superstitioso perturbandi. Secùs verò est, si ritu pio, & religioso cerei incendantur.

17 Octaua difficultas. An dari, vel recipi possit pecunia ob reliquias habendas, vel videndas? Et quidem si dares, vel reciperes pecuniam ob habendas, vel videndas reliquias, clarum est, te simoniam committere, quia rem spiritualem pretio æstimas. At si non pro ipsis reliquiis, sed vt impedias irreuerentiam, quæ ipsis fieri posset, si apud infideles, vel barbaros existant, pretium tribuas, nullum committis peccatum, sed potiùs religionem foues, sic Sanchez *num. 22.* cum Philiarco, *de officio Sacerdot. Tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 9. ad finem.* Vgolin. *de simonia tab. 1. c. 38. n. 5.* Et idem est, si nolenti tibi reliquias ostendere, pecuniam dones, vt eius animum inflectas absque vllo pacto, & secluso scandalo: quia tunc pecunia non est pretium, siquidem ex illa non intendis recipientem obligari.

18 Sed quid si nullo pacto inito exponeres Sanctas reliquias videndas, & tangendas, vt hac occasione eleemosynæ accrescerent? Plures Doctores censent, si ex præcipua intentione quæstus id facias, te mortaliter peccare: sic Nauarr. *c. 17. num. 169. vers. 62.* Atmill. *verbo reliquiæ, num. 1.* & Tabien ibi: Philiar. *dicto c. 9. ad finem.* Azor. *lib. 9. c. 8. quæst. 7.* Graffis *2. p. dec. lib. 2. c. 14. num. 17.* Mouentur *ex c. final. de Reliq. & veneral. Sanctor.* vbi mandatur, ne reliquiæ exponantur venales, clariùs Trident. *sess 25. c. 2.* vbi dicit in reliquiarum veneratione omnis turpis quæstus eliminetur. Ergo prohibet huiusmodi quæstum tanquam turpem. Cæterum probabilius existimo grauem culpam in tali ostensione non committi; sic docet optimè Sanchez *lib. 2. decal. c. 43. num. 22.* Ratio est; quia ostensione reliquiarum solùm intendis excitare videntes ad eleemosynas largiores concedendas, non tamen illos ad eas obligare. Ergo reliquias non venaliter ostendis; quia ad venalem ostensionem intercedere debebat mutua ostendentis, & videntium obligatio. At in supradictis textibus solùm venalis quæstus prohibetur. Ergo illa ostensio, quæ venalis non est, non est prohibita. Dices in Trident. non solùm venalem quæstum, sed quemlibet turpem prohiberi. At velle ostensione reliquiarum largiores eleemosynas recipere, est turpis quæstus. Ergo hic prohibetur. Respondeo in re non esse turpem quæstum, cùm nulla largienti eleemosynam obligatio imponatur, sed fieri turpem ex intentione. Concilium autem prohibet quæstum in se turpem, qualis erat venalis, non illum, qui solùm ex antecedenti, & extrinsecè sit turpis. Quod inde constat: quia Concilium non intendit nouam prohibitionem inducere, sed antiquam renouare. Inquit enim: omnis turpis quæstus eliminetur, id est omnis, qui in se turpis sit, & prohibitus eliminetur Antiquitus autem solùm venalis quæstus prohibitus erat ex *dicto c. fin.* Ergo à Trident. hic est solùm prohibitus. Adde solùm esse prohibitum turpem quæstum, qui grauiter turpis sit, at acquirere eleemosynas gratis oblatas media reliquiarum ostensione non est quæstus turpis, saltem grauiter. Quia non videtur grauiter offendi religio, ex eo quod ostensione reliquiarum temporale lucrum consequi intendas. Sat est, si leuiter offendatur imò si talis temporalis acquisitio non esset per ostensionem reliquiarum principaliter intenta, se secundariò, nulla ibi adesset turpitudo.

19 Nona difficultas est, an committat furtum sacrilegum, qui reliquias alterius inuito possessore furatur? Ratio difficultatis esse potest; quia non sunt pretio æstimabiles. Cæterùm dicendum est committi furtum, & sacrilegium; quia furari rem sacram contra Domini voluntatem, quæ tantæ æstimationis est, vt nullo pretio adæquari possit, non minuit furtum, sed auget? sic Sylvest. *verbo reliquiæ, quæst. 2.* Philiarchus *de offic. Sacerdot. tit. 1. 2. part. lib. 3. cap. 9. ad finem* Sanch. alios referens, *lib. 2. cap. 43. num. 23.* Azor. *1. p. lib. 9. cap. 8. quæst. 9.* Bonacin. *disput. 3. quæst.*

quæst. 1. p. 4. num. 8. Grauitas enim huius furti non est desumenda ex quantitate reliquiarum, sed ex qualitate : Contingit enim minimam quantitatem magni apud Dominum æstimari : tum propter Sancti dignitatem, tum propter raritatem : sic Sanchez, Bonacina, *suprà*.

20 Limitant primò, Sanch. Philiarch. & Bonacin. nisi furentur ab infidelibus, quia ij videntur iniustè eas possidere, vtpote qui non præbent illis sacrum honorem, sed ad summum politicum. Item apud illos semper adest periculum irreuerentiæ : Secundò, limitat Azor *dict. cap. 8. quæst. 9.* nisi accipiantur authoritate eius præfecti Ecclesiastici, cui locus sacer, & reliquiarum custodia commissa est; tum quia in *cap. corpora. de consecrat. dist. 1.* consilium principis sufficit ad hanc delationem honestandam; Nomine autem principis videtur intelligi posse Ecclesiæ præfectum, & gubernatorem. Tum quia in *cap. quisquis inuentus, §. si quis domum 17. quæst. 4.* communione priuatur, qui domum Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit. Ergo à contrario sensu, qui ex licentia illius reliquias abstulerit, nullam pœnam incurrit. Hæc limitatio verum habet, si ipsi præfecto non solùm reliquiarum custodia, sed illarum dispositio commissa sit, vt clariùs dixit Azor *quæst. 10 sequenti.* At si solùm reliquiarum custodia committatur (vt regulariter tantùm committitur) excusare eius licentia à furto non potest; quia nulla est talis licentia, imò ratione custodiæ, si furtum non impedit, de furto tenetur Sanch. *dict. cap. 43. num. 23.*

21. Sed inquires an aliqua pœna sit in iure constituta ipso facto aduersùs reliquiarum fures? Respondeo iure communi nullam esse. Sic Sanch. *lib. 2. cap. 43. num. 23.* Bonacin. *disputat. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 9.* Neque obstat *vers. in cap. qui quis inuentus 17. quæst. 4.* quo mouetur Azor *lib. 9. cap. 8. quæst. 10.* ad affirmandum impositam esse his furibus maiorem excommunicationem. Nam vt rectè expendit Suar. *disput. 22. sect. 2. num. 9.* & Sanch. *suprà, cum glossa, in supradicto text.* Sola priuatio communionis ibi habetur, quæ tamen priuatio sententiam declaratoriam criminis requirit. Item hæc priuatio non ob quodlibet furtum incurritur, sed ob furtum cum violentia Ecclesiæ, inquit enim text. Si quis domum Dei violauerit (hoc est iuxta subiectam materiam fores eius, & muros perfringeret) & aliqua sine illius licentia, cui commissa esse dignoscitur, abstulerit, sciat se communione priuatum. Ecce quomodo ad communionis priuationem iucurrendam furtum violentum acquiritur. Dixi iure communi. Nam ex *Constitutione Gregor. XIII.* incipiente. *Pontificiæ solicitudinis* : excommunicatione reseruata afficiuntur, qui sine concessione Summi Pontificis in prouinciam Mediolanensem sacras reliquias asportauerint, qui item ab vna Ecclesia ad aliam transtulerint, qui aliquam earum particulam concesserint, donauerint, qui item acceperint. Barbosa 3. *p. allegat. 50. num. 158.* Bonacin. *disputat. 3. de adorat. quæst. 1. p. 4. num. 9.* sentit esse Pontificiam excommunicationem contra eos, qui sine licentia Summi Pontificis extrahunt reliquias ex Romanis cæmeteriis, aliisque sacris locis, vt aliò transferant, non tamen adducit textum, vbi hæc excommunicatio lata sit. Vnum tamen credo certum, semel concessa alicui facultate extrahendi aliquas reliquias ex Romanis cæmeteriis, posse hunc aliis donare, eásque sic donatas, quò placuerit transferre Azor 1. *p. lib. 9. cap. 8. quæst. 10.*

22 Decima difficultas, qui cultus debeatur reliquiis, seu cereis formis, quas Agnos Dei appellamus à figura Agni ipsis impressa; Nulli Catholicorum est dubium deberi cultum, & honorem, sicuti debetur aliis rebus sacris Deum repræsentantibus. Tum quia sunt Dei imagines, tum quia ad cultum, & venerationem Dei sunt à Pontifice destinati solemnissimo precationum ritu, mirisque ceremoniis pietatem redolentibus; tum quia propter orationes, & precationes Ecclesiæ in eorum efformatione factas multa, & larga beneficia conceduntur eos habentibus, præcipuè tempestates sedantur, mitigantur incendia, fulgura, & flumina pelluntur, & à tentationibus, & suggestionibus dæmonis defendimur.

23 Propter hanc causam, & in horum agnorum cultum, *Gregor. XIII. in sua constitutione*, quę incipit, *omni certè studio, edita 8. Kalend. Iulij. 1572.* quæque habetur in *Bullario tom. 2. pag. 663.* & refertur ab Azor. 1. *p. lib. 9. cap. 9. quæst. 2.* fertur excommunicatio ipso facto aduersus eum qui Agnos Dei à Pontifice consecratos depinxerit, infecerit, minio notauerit, vel aurum, aut colorem aliquem illis imposuerit, aut quidquam aliud superinduxerit, vel depingi, aut miniari fecerit, aut illos venales proposuerit, vel tenuerit quouis prætextu, qualibetve de causa. Intendit enim Summus Pontifex ob eorum reuerentiam, & decentiam, vt sic mundi, & alibi, qualiter à Pontifice consecrati fuerint, habeantur. Circa quam excommunicationem aduerto primò agnos iam depictos, & illuminatos licitè te retinere posse; quia solùm actio pingendi prohibetur, non illorum retentio? sic Sanch. *lib. 2. decal. cap. 43. num. 28.* Bonacin. *disput. 3. de primo decalogi præcepto, quæst. 1. punct. 4. num. 12.* Secundò, aduerto re non posse absque graui peccato simoniæ, & sub pœna excommunicationis supradictos agnos vendere, aut ad vendendum retinere; pluris quàm præcisa consecratione valeat eorum materia, & expensæ factæ in illis efformandis, & asportandis; quia venderes consecrationem; neque thecam, & reliquarium in quo sint inclusi potes pluris vendere, quàm venderes, si Agnos consecratos non haberet ob eandem rationem. Vendere tamen illos, quanti eorum materia, & expensæ in illis efformandis, & asportandis æstimatur, nulla est simonia; sicut nec venditio Calicis, aut patenæ, neque hanc venditionem Pontifex in supradicta constitutione prohibuit, sed solùm simoniacam venditionem; Azor, Sanch. & Bonacin. *suprà*. Tertiò, aduerto excommunicationem incursam ob picturam agnorum, & illorum simoniacam venditionem, vel ad illos vendendos retentionem non esse Pontifici reseruatam, vt constat ex verbis supradictæ constitutionis, & tradit Barbosa 3. *p. de potest. Episcop. Alleg. 50. num. 150.* cum Sayro, *lib. 3. cap. 35. n. 23.*

24 Sed inquires, an laïcis, vel sanctis Clericis in minoribus ordinibus constitutis liceat hos sacros Agnos tangere? Respondeo clericis in minoribus ordinibus constitutis, imò prima tonsura initiatis licitum esse; tum quia illis licet sacra vasa, purificatorium, corporalia, & alia, quæ sunt consecrata tangere, Ergo & agnos. Tum quia ab hoc contactu excluduntur profani, & admittuntur sacrati, *cap. in sancta Apostolica de consecrat. distinct. 1.* Sed initiati prima tonsura sacri sunt, ex *cap. non oportet 28. dist.* & tradit Suar. 3. *tom. in 3. p. de Euchar. disputat. 81. sect. 9. §. tertio ergo.* Laïcis verò non licet hos agnos, sicut nec corporalia, & alia vasa consecrata, & à fortiori sanctum Chrisma tangere, & contrectare : quia ita videtur prohibitum, in *cap. sacratas 23. dist.* & tradunt Doctores statim referendi : at si de facto tangant debito tamen honore, & reuerentia, culpam grauem non committent : quia non videtur hæc grauis materia, sed leuis : sic Azor. 1. *p. lib. 9. cap. 9. quæst. 3.* Bonacina *disp. 3. circa primum decalogi præceptum, quæst. 1. punct. 4. circa finem.* Sanch. *lib. 2. decal. cap. 43. num. 27.* vbi addit se credere nullam culpam etiam leuem committi, tametsi à laïcis fœminis hi agni reuerenter tangantur; quia iam sic vsus obtinuit, vide quæ dicemus tit. de Sacrificio Missæ.

25. Vltima difficultas est, an liceat vasa, vestes, ligna, aliáque cultui diuino dicata in profanos vsus conuertere? Certum est, id fieri non posse manente eadem forma : esset enim grauissimum peccatum res cultui diuino dicatas profanis vsibus deseruire : ob hanc enim causam Rex Balthasar fuit grauiter punitus, quia vasa sacra in profanos vsus conuertit.

Verùm si benedictio, vel consecratio deperdatur, alicui videri potest licitum esse, rem, quæ benedicta, & consecrata fuit, profanis vsibus deseruire posse. Quis enim negabit ex Calice confracto vas aliquod profanum effingi posse, & ex veste aliqua Sacerdotali iam rupta aliquam profanam componi posse? alias esset obligatio hæc omnia perdendi : nam cum cultui diuino iam deseruire non possint, & profano non possint adaptari, restat vt omnino consumantur. Quòd videtur durum. Præterea nulla videtur rebus sacris irreuerentia fieri, ex eo quòd earum materia profanis vsibus aptetur : siquidem nunquam est verum dicere res sacras profanis vsibus aptari. Item destructa, verbi gratia, forma Calicis, iam Calix ille amisit consecrationem, & consequenter iam non est sacer, ergo est profanus. Ergo poterit vsibus profanis deseruire. Quid, enim ex præterita consecratione in illa materia remanet, ob quod prohibearis vsui communi materiam illam aptare; siquidem iam communis est; Propter hæc censeo probabile secluso scandalo nullum, vel leuissimum peccatum in hac applicatione interuenire. Nam rectus prohibentes hanc applicationem loquuntur de rebus in eadem forma manentibus, ac fuerunt applicatæ : de illis enim est verum dicere. Quæ semel consecrata sunt non debent ad laïcorum vsus reuerti, *cap. quæ semel 19 q. 3. & cap. quæsti sunt, 17. q. vlt.* & licèt in *cap. ligna, cap. altaria de consecrat dist. 1.* contrarium insinuetur : ob necessitatem excusari potest irreuerentia, quæ ibi potest præsumi.

At secundùm decentiam maximè conuenit, vt ea, quæ vsibus sacris dicata sunt, etiamsi vsui sacro reddita sint inutilia, ad profanos vsus non redeant, sed vel comburantur, vel alio modo decenti consumantur, constat ex *cap. ligna. de consecrat. distinct. 1.* vbi ligna Ecclesiæ dirutæ non debent ad alios vsus destinari, nisi ad aliam Ecclesiam, vel ad profectum monasterij, quem profectū explicat *glossa ibi*, & Azor *statim referendus*, vt deferuiant in capitulo, dormitorio, vel aliis locis religiosis, non in rebus, quæ laïcis, & religiosis communes sunt, vt rebus culinæ parandis, agrisque effodiendis. Item in *cap. altaris, de consecrat. dist. 1.* inquit Clemens Pontifex. Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quæ in sacratio fuerunt malè tractare, sed incendio vniuersa tradantur, cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, qua nullus transitum habeat, aut in pariete, aut pauimento sub tecto, aut in fossis, vel solo pauimentorum imponantur, ne introeuntium, aut transeuntium pedibus inquinentur. Hæc Clemens : ex quibus verbis bene infert Azor. 1. *p. lib. 9. cap. 9. quæst. 7. in fine.* etiam imagines sacras diuturnitate consumptas sub cæmeterij solo recondendas, vel in alio loco religioso includendas. Tabulas item imaginibus expressas igni comburendas, & cineres in baptisterium mittendos? adducque

que exemplum antiquæ legis, in qua capilli Nazaræorum finito consecrationis tempore in ignem coniiciebantur, & similiter ossa, ac cætera, quæ ex Agno Paschali superarant. Ne inquam, hæc pedibus transeuntium conculcarentur, néve ab immundis animantibus comederentur.

26 Quòd si roges, an è contra liceat vasa, vestes, & alia huiusmodi profanis vsibus dicata applicare ad sacros vsus? Breuiter respondeo licere, si ab Episcopo, vel habente ad id authoritatem benedicantur priùs, vel consecrentur: hac enim benedictione profanum pellitur, & sacratum fit: sic enim templa idolorum in aulas Dei, & Sanctorum Basilicas conuertuntur Sylvest. *verbo corporalia. quæst.* 3. Azor. 1. *p. lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 8 Bonac. *disp.* 3. *de adorat. quæst.* 1. *punct.* 4. *in fin.* Suar. *tom.* 3. *de Euchar. disp.* 81. *sect.* 8. *vers. Sed quæres.*

DISPVTATIO II.

De Sacrificio.

PRÆCIPVVS actus externus religionis est sacrificium; quia eo præcipuè diuinam excellentiam honoramus. Breuiter ergo explicanda est eius essentia.

PVNCTVM I.

Quid sit sacrificium, quotuplex, & an sit in præcepto?

1 *Expenditur definitio sacrificij.*
2 *Iure naturali sacrificium Deo debetur.*
3 *In lege naturæ, & veteri multiplex erat sacrificium, in lege noua vnicum tantùm.*
4 *Aliqui affirmant ethnicum ignorantem legem gratiæ, & offerentem vitulum in recognitionem supremi dominij verum sacrificium offerre.*
5 *Dicendum est non esse verum sacrificium.*

1. SAcrificium propriè est actio, qua res aliqua sensibilis per sui mutationem à legitimo ministro offertur Deo in recognitionem eius supremi dominij, & nostræ subiectionis: ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. Valent. *disput.* 6 *quæst.* 4 *punct.* 1. & *seqq.* Azor 1. *p. lib.* 10. *cap.* 17. *quæst.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 38. *dub.* 2. *num.* 19. & alij. Primò dicitur actio; quia omne sacrificium est oblatio, qua supremum dominium, & nostram subiectionem testamur, sed non quælibet oblatio est sacrificium, sed illa, quæ in re oblata sensibili mutationem patitur. Tum quia sacrificare est verbum Græcum idem significans, quod mactare, & perimere. Tum quia hac ratione perfectiùs suprema potestas significatur, & exactiùs testamur Deum esse Dominum vitæ, & mortis. Tum quia apud ethnicos omnia sacrificia aliquam recipiebant mutationem. Tum & præcipuè, quia in lege naturæ, & scripturæ nulla absque mutatione erant sacrificia. Nam si viuentia sacrificabantur, vt animalia, id fiebat per occisionem, in animantia, vt carnes occisorum, thus, sal, & farina munda per combustionem, aliæ vt sanguis, vinum per effusionem. Secundò, debet esse oblatio à legitimo ministro facta, id est, à Sacerdote: non enim quilibet vsurpare potest dignitatem Sacerdotalem; quia non est cuilibet commissa potestas sacrificandi. Nam cùm sacrificium sit cultus externus, & publicus, quo præcipuè Deus colitur, & honoratur, debet à ministro publico fieri, aliàs rationem sacrificij non habebit. Tempore legis naturæ ministri publici, & Sacerdotes erant omnes primogeniti, vt multis probat Pererius *tom.* 2. *in Genes. cap. vlt. Glossa, & Lypomanus. Gen.* 25. Vende mihi primogenita tua. Item quilibet paterfamilias sicut authoritatem quasi regiam habebat, habebat & Sacerdotalem: sic Lessius *lib.* 2. *c.* 28. *dub.* 2. *num.* 12. Tandem speciali instituto Dei plures compulsi sunt ad sacrificandum, & consequenter Sacerdotes fuerunt constituti, vt Abel, Noë, Abraham, Iob, Melchisedech, Isaias, Iacob, & alij. Tertio, debet fieri Deo talis oblatio; quia soli vero Deo hic cultus debetur; testamur inquam, illo Deum esse omnium Dominum, à quo omnia producuntur, pendent, & conseruantur, quod alteri quàm Deo conuenire non potest, vt bene probat ex August. *lib.* 8. *de ciuit. Dei, cap.* 27. & *lib.* 10. *c.* 14. & 19. & *lib.* 10. *contra Faustum. cap.* 21 & D. Thom. 2. 2. *q.* 93. *art.* 2. Azor 1. *p. lib* 9. *c.* 10 *quæst.* 15. & *lib.* 10. *c.* 17. *q.* 8. Valent. *disput.* 6. *quæst* 4 *punct.* 2. Quarto, debet fieri in recognitionem supremi dominij, & nostræ ad ipsum subiectionis; quia hic est præcipuus finis, ob quem sacrificia fiunt, & quia sacrificium, quod vocabatur holocaustum, in quo res oblata igne consumebatur, hunc finem specialiter testabatur, ideò holocaustum in lege veteri erat præcipuum sacrificium. Alia item sacrificia erant instituta pro expiatione peccatorum, pro gratiis agendis beneficij accepti, pro aliis de nouo impetrandis, quibus sacrificantes implicitè saltem testabantur supremum dominium, siquidem eo ipso indicabant solum Deum remittere peccata posse, & beneficia conferre.

2 Ex his infertur sacrificium iure naturæ debitum esse Deo sic D. Thom. communiter receptus. 2. 2. *q.* 85. *art.* 4. Quia debitum est Deo, vt creatura rationalis, corporalis, visibilis, testetur dependentiam, quam à suo creatore habet, & consequenter eius supremam maiestatem, & dominium. Quo autem sacrificio hoc fieri debeat non est à natura inditum, sed Deus suo speciali instinctu, vel mandato designat. In lege naturæ sacrificia instituit speciali impulsu, & instinctu, in lege veteri, & noua, peculiari mandato.

3 Sacrificium tam in lege naturæ, quàm veteri multiplex erat, vt constat Genes. 4. 14. Leuit. 1. *& seqq. & aliis plurimis locis.* At adueniente lege gratiæ, & instituto diuinissimo Eucharistiæ sacrificio, omnia illa antiqua cessarunt; quia illius vmbra erant, & figuræ, vt satis colligitur ex Paulo ad Hebr. 7. & ex Trident *sess.* 22. *cap.* 2. & docent omnes Catholici. Præter hoc diuinum Eucharistiæ sacrificium nullum aliud in lege noua inuenitur, vt satis in supradictis locis expressum est, & passim docent Patres. Continet enim hoc sacrificium virtutem infinitam, tum ad placandum Deum pro propriis peccatis, tum ad impetrandum ab eo beneficia, tum ad gratias referendas pro beneficiis acceptis, tum ad illum summè laudandum: superuacaneum ergo erat alia sacrificia instituere. Neque obstat thus offerri, & adoleri in altari in significationem supremi dominij, & excellentiæ, & nostræ ad Deum seruitutis vt affirmemus habere veram rationem sacrificij. Non enim illam habere potest, dum à Deo pro re sacrificanda non instituitur, & à Sacerdote electo, & de signato ad illud munus non offertur. At oblatio thuris in altari non pro sacrificio, sed pro sacrificij ornatu, & ad excitandam fidelium deuotionem est ab Ecclesia instituta, neque Sacerdotes Euangelici sunt constituti Sacerdotes per ordinem ad thuris oblationem, sed solùm per respectum ad Missæ sacrificium. Ergo sola oblatio Missæ est sacrificium, non alia.

4 Hinc infertur decisio illius quæstionis, an offerentes vero Deo vitulum, agnum, fruges terræ, &c. ex intentione Deo sacrificandi, opus bonum præstent, veráque Deo sacrificia offerant: Clarum est Christiano illicitum esse; quia sic offerens ea, testatur alia esse sacrificia præter Missæ sacrificium, & supradicto Missæ sacrificio omnia sacrificia non esse abolita. Item à fortiori constat de Iudæo; quia hoc sacrificio testaretur se adhuc credere veterem legem habere vigorem. sic aliis relatis probat Lessius *statim referendus*, Quare solùm est dubium de ethnico inuincibiliter ignorante legem gratiæ. An inquam hic peccet, verúmque sacrificium offerat; Probabile credit Lessius *lib.* 2. *cap.* 38. *dub.* 3. *num.* 28. non peccare, verúmque sacrificium offerre. Mouetur primò authoritate D. August. *epist.* 49 *quæst.* 3. vbi ait, qui Christianas litteras vtriusque testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorum, quòd construant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quòd hæc dæmoniis, & idolis exhibeant. Ergo dum illa exhibent vero Deo, non sunt culpandi. Secundò, quælibet respublica iure naturæ debet sacrificio Deum colere, & honorare, sed posita ignorantia veri sacrificij Eucharistiæ, nullum aliud sacrificium excogitari aptius posset, quàm animalium occisio, & frugum terræ peremptio. Ergo respublica poterat iure naturæ ducta hæc sacrificia Deo offerre, & ad illa offerenda Sacerdotes destinare. Ergo cùm in aliqua republica hoc factum est, nullum à sacrificantibus committitur peccatum, sed potius opus laudabile fit, & verum sacrificium.

5 Nihilominus dicendum est, tales oblationes, etsi sacrificia nuncupentur, vera sacrificia non esse. Quia omnia sacrificia extincta sunt institutione Eucharistici sacrificij. Neque Christus Dominus reliquit potestatem hominibus alia sacrificia instituendi, sicut neque constituendi alios Sacerdotes præter ab ipso institutos. Ergo oblatio ex illis animalibus, & frugibus terræ facta à Sacerdote ethnico veram non habet rationem sacrificij. Tum quia non est de materia legitima. Tum quia non est à legitimo ministro. Verùm etsi hoc ita sit, sententia August. verissima est, scilicet illos ethnicos in talibus sacrificiis culpam non committere formalem inquam; quia illos ignorantia veræ legis, veríque, & vnici sacrificij excusat. In re tamen culpa est, & grauissima; quia testantur hoc tempore posse Deum pluribus sacrificiis honorari, & sanctissimum Eucharistiæ sacrificium non esse sufficiens.

TRACTATVS IX.

RELIGIONIS,

QVI EST

DE OBSERVATIONE, FESTORVM, ET DISPVTATIO VNICA SVB EODEM TITVLO.

PROOEMIVM.

OBSERVATIONE festorum præcipuè coluntur Deus, & Sancti ; ea de causa post explicationem generalis cultus de illa instituitur sermo, vbi explicabimus à quo sit tale præceptum, quæ sit eius materia, & quæ causæ ab illo excusent.

PVNCTVM I.

An sit præceptum de obseruatione festorum, quale sit & quis eius finis ?

1 *Præceptum fuit lege veteri latum, & qua parte naturale erat mansit, extincto cæremoniali.*
2 *In lege gratiæ seruandus proponitur dies Dominicus in memoriam beneficij redemptionis.*
3 *Plures affirmant iure diuino seruandum esse.*
4 *Probabilius est iure tantùm humano pro festo esse constitutum.*
5 *Satisfit contrario fundamento.*
6 *Quæ sint festa pro tota Ecclesia instituta.*
7 *Expenduntur fines, ob quos hæc festa sint instituta.*

1. HOc præceptum in lege veteri latum erat de obseruatione Sabbati, Exod. 12. 16. & 20. & Leuit. 23. quod præceptum, quia partim erat morale, seu naturale ; & partim cæremonias, manet immutabile secundùm quod habet ex iure naturali. Ex illo namque obligamur cultum, & reuerentiam Deo exhibere, eique gratias referre ob beneficia accepta, & consequenter obligamur aliquod tempus habere, in quo hæc præstentur. Quoad hanc ergo partem decalogi præceptum semper perseuerat. Habet tamen aliquid cæremoniale ex diuina institutione, nempe assignationem illius diei, qui Sabbatum dicitur. Non enim à natura edocti sumus, vt potius septimo, quàm alio die cultu Deo debitum exhibeamus, vt bene dicit Azor. *t. 2. instit. moral. lib. 1. c. 2. q. 9.* & Ioseph. Fagund. *de quinque Ecclesiæ præceptis, lib. 1. cap. 1. n. 3.* Fuit ergo Sabbatum diuina lege designatum pro festo populo Iudaïco in memoriam beneficij creationis, & liberationis populi Iudaïci à dura seruitute Pharaonis, & etiam in memoriam requiei, quam Christus Dominus in sepulchro erat illo die habiturus.

2. At in lege gratiæ, quia beneficium redemptionis excellentius est creationis beneficio, Ecclesia Sabbati festiuitate exclusa, *c. peruenit, de consecr. dist. 3.* diem Dominicum seruandum esse pronunciauit, *c. pronunciandum. & c. Sabbato, de consecr. dist. 3. & c. omnes, & c. conquestus, de Feriis.* Tum quia populus Christianus præcipuè reputat habiturus requiem, quando cum Christo est in vitam æternam resurrecturus. Tum ne videremur cum Iudæis conuenire. Neque obstat text. in *cap. licet, de Feriis :* vbi Alex. III. affirmat septimum diem tam ex veteri, quàm ex nouo testamento ad humanam quietem specialiter esse deputatum. Non inquam, inde infertur Sabbatum in nouo testamento esse seruandum, vt festum : esset enim manifestus error contra *Paulum, ad Rom. 14. Galat. 4. & ad Colos. 2.* Vbi obseruatores Sabbati reprehendit. Sed solùm infertur, fuisse à Christo Domino seruatum, & ab Apostolis tempore nascentis Ecclesiæ custoditum, *Act. 13. & 28.* non tamen fuisse approbatum, vt festum modò seruandum. Vel dicendum septimum diem seruandum esse in nouo testamento, & in veteri, sumpto die septimo formaliter, non materialiter. Qua ratione in numero septenario tam primus numerus, quàm vltimus potest esse. Et in hoc sensu in veteri testamento Sabbatum erat dies septimus, & in nouo erit dies Dominicus, qui est primus, & septenarius. Dubium tamen est, an sic dies Dominicus in lege gratiæ sit iure diuino pro festo institutus, vel solùm iure Ecclesiastico?

3 Non desunt, qui affirment iure diuino esse institutum, sicuti sint antiqua lege Sabbatum : sic Syluest. *verbo Dominica, q. 1. § 7. Author supplementi ad summam Pisanam, verbo Dominica in addit.* Angel. *verbo feria. num. 3.* indicat Abbas. *in c. licet. de Feriis.* Et probari potest ; quia ex iure diuino, & naturali habetur esse concedendum aliquod tempus ad diuina beneficia recognoscenda, & Deo eiusque seruitio specialiter vacandum. Ergo conueniens erat vt hoc tempus Christus Dominus determinaret ; quia ipse abrogabat legem antiquam quoad obligationem seruandi Sabbatum : ergo debebat loco illius aliud tempus subrogare, in quo obligationi naturali colendi Deum fieret satis. Aliàs non rectè suæ Ecclesiæ videretur prouidere. Item ab Apostolis obseruatio diei Dominicæ originem trahit. Ergo signum est ipsos Apostolos à Christo Domino accepisse. Denique semper hæc obseruatio integra perseuerat, neque mutationem accipit, neque videtur posse accipere ; si autem à iure humano introducta esset, variata aliquando fuisset, à & Pontificibus dispensata, abrogata, vel tandem abrogari posset.

3 Nihilominus dicendum est iure tantùm humano diem Dominicum pro festo constitutum esse, sic tradit D. Thom. 2. 2. *q. 122. art. 4. ad 4.* & ibi Caiet. Sot. *lib. 2. de iustit. q. 4. ad 2.* Nauarr. *Sum. cap. 13. num. 1.* Azor *t. 2. lib. 1. instit. moral. cap. 2. q. 2.* *Catech. Rom. in 3. decal. præcepto, fol. 442.* Suar. *t. 1. de relig. lib. 2. de diebus festis, cap. 4. num. 8.* Fagund. *de 5. Eccles. præceptis, lib. 1. cap. 2. num. 3.* Bonac. *disput. 5 de 3. decal. præcep. in prin.* Ratio præcipua est, quia communis Thologorum schola nullum aliud præceptum diuinum à Christo Domino latum recognoscit, præter præcepta fidei, & Sacramentorum. Alia verò præcepta, quæ pro varietate temporum mutationem recipere possunt, & aliqua in parte dispensari Ecclesiæ tuæ tradenda reliquit. At obseruatio diei dominici, prout modò in Ecclesia habetur, recipere mutationem

tationem potest, & cum aliquibus dispensari. Quæ enim repugnantia excogitari potest, in eo quòd à Pontifice instituerentur, vt die Dominico solùm vsque ad meridiem esset vacatio ab operibus seruilibus; Item esset vacatio à determinatis operibus seruilibus, non ab omnibus, quæ modò sunt? Ergo obligatio, & institutio prout modò est, non à Christo, sed ab Ecclesia habetur. Aliàs esset omnino immutabile.

5 Fundamentum contrarium non vrget. Fateor de iure diuino, & naturali esse, vt detur aliquod tempus pro cultu Dei, & illius beneficiorum recordatione. At quod hoc tempus sit dies Dominicus integer ab omnibus operibus seruilibus vacuus, Missâque in eo audiatur, non ex iure diuino, sed Ecclesiastico habetur. Neque ex eo, quòd hunc diem, neque alium Christus signauerit, inferrur Ecclesiæ suæ satis non prouidisse namque; siquidem reliquit eius Vicario potestatem designandi dies, prout magis expedire iudicauerit, & insuper imperauit talem designationem.

6 Quòd si roges. Qui sint dies festiui à Pontifice pro tota Ecclesia designati in cultum Dei? Breuiter respondeo primò, esse diem Dominicum, *c. Sabbatum de consecrat. dist. 3. c quoniam. c. conquestus de Feriis*; cuius obseruationem ab ipsismet Apostolis intelligitur prouemire, vt latè probat Suarez *de relig. tom. 1. lib. 2. c. 4.* vbi hunc diem Dominicum pluribus Patribus, & Conciliorum encomiis exornat. Secundò, dies Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus in memoriam illius beneficij, quo Spiritus sanctus in Apostolos descendit, habetur *c. conquestus de Feriis, & c. pronunciãdum de consecrat. dist. 3.* Tertiò, est dies Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, & Resurrectionis, cum duobus sequentibus diebus, *c. conquestus, de Feriis*, & licèt ibi dicatur tota hebdomada Resurrectionis esse feriandum, iam consuetudine abrogatum est, solùm manet obligatio abstinendi ab actibus Iudicij, non tamen ab aliis operibus seruilibus, vt benè notauit Suar. *l. 2. c. 6. n. 2.* Quod idem esse dicendum affirmat, *n. 15. de hebdomada maiori.* Quartò, Festum Ascensionis Christi Domini, habetur *supradicto, c. de Feriis, &c. 1. de consecr. dist. 3.* Festum autem Transfigurationis Christi Domini iure communi non habetur: ex consuetudine tamen à tota Ecclesia colitur. Deinde festum Corporis Christi Domini de iure communi celebrandum est, iuxta *Clem. vnic. de Relig. & venerat. Sanctor.* De festo tamen Inuentionis sanctæ Crucis, nulla fit mentio, *c. pronuntiandum, de consecr. dist. 3. & c. conquestus de Feriis.* At habetur eius obseruatio, *c. Crucis de consecrat. dist. 3.* Qui textus licèt referatur ex Eusebio, credendum tamen est, non fuisse ab illo latum, sed à Syluestro. Nam tempore Eusebij Crux inuenta non erat, cùm fuerit inuenta post Concilium Nicenum celebratum, & conuersione Constantini, vt latè probat Baron. & deducit Suar. *c. 7.* Quintò, seruandi sunt omnes dies, in quibus festiuitates Virginis celebrantur, quales sunt. Primò, Conceptio Virginis, quæ licet à iure communi non præcipiatur obseruari, consulitur tamen à Sixto IV. *in extrau. cum præ excelsa, de Relig. & vener. Sanctor. & extrauag. Graue nimis.* Et ferè in omni Episcopatu est hic dies consuetudine seruandus. Secundò, Natiuitas Virginis, de qua *in c. pronuntiandum, de consecr. dist. 3.* & comprehenditur sub generali distributione omnium festiuitatum Virginis, quæ seruari præcipiuntur *in c. conquestus de Feriis.* Tertio loco enumerari potest eius in templo Præsentatio; non tamen est receptum, esse ex præcepto seruandam, sicut neque eius ad Elizabeth Visitationeque Doctores sub illa generali clausula festiuitatum Virginis hæc festa comprehendunt, comprehendunt tamen eius Annuntiationem, Purificationem, & Assumptionem, vt videre est in Hostiensi. Panorm. & Ioan. Andr. *in suprad. c. conquestus de Feriis*, & tradit Azor. *2. p. l. 1. à c. 17. & seqq.* de Purificatione, & Assumptione habetur expressè *in c. pronuntiandum, de consecr. dist. 3.* Festum item B. Mariæ ad niues Romæ, & alibi seruatur; non ex præcepto scripto; nullum enim inuenitur, sed ex consuetudine vim legis habentes; pleriſque tamen in locis solùm ex deuotione, & non ex obligatione seruatur.

Sextò. Seruandæ sunt festiuitates aliquorum Sanctorum, vt eorum exempla imitemur, & eorum meritis consociemur, atque orationibus adiuuemur, vt multis in locis dixit August. relatus à Suarez *lib. 2. c. 9.* & tradunt Doctores omnes, *in c. 1. de consecrat. dist. 3. & c. vlt. de Feriis.* Ex iis ergo festiuitatibus, primo loco enumeranda est festiuitas Angelorum, de qua in suprà dictis capitibus fit mentio. Secundo loco Natiuitas Sancti Ioannis. Tertiò, transitus duodecim Apostolorum præcipuè Petri, & Pauli. Quartò, Sanctorum Innocentium. Festum vero Barnabæ, Lucæ, & Matei, quos Ecclesia ritu Apostolorum celebrat, ex iure communi seruandum non est; seruatur tamen multis in locis ex consuetudine. Quintò, festum Sancti Stephani, & sancti Laurentij, ac denique omnium Sanctorum, habetur *in suprad. cap.* Et licèt ibi enumeretur festum sancti Sebastiani, & S. Martini, Syluestri, & aliorum, consuetudine tamen abrogatum est. Neque vt benè dicit Suar. *lib. 2. cap. 9. n. 20.* ex solis illis duobus, *c. 1. de consecr. dist. 3. & vlt. de Feriis*, (nisi aliunde traditio accedat) satis colligitur obligatio obseruandi festa. Nam *c. 1. de consecrat.* non est ius Pontificium, neque alicuius Concilij generalis, sed prouincialis, & *cap. fin. de Feriis*, loquitur de diebus feriatis in ordine ad iudiciorum strepitum, non in ordine ad præceptum audiendi Missam, & cessandi ab operibus seruilibus, & sic videmus plures dies ibi enumerari, qui tamen ex obligatione non seruantur vniuersaliter.

7 Fines, ob quos hæc festa sunt instituta, varij sunt: Primus, & præcipuus est, vt vacantes ab opetibus seruilibus orationi, & deuotioni insistamus: Secundus, vt Sanctorum facta recolentes ad eorum imitationem excitemur. Nam vt dicit D. Gregor. imitari non pigeat; quos celebrare delectat: Tertius, vt ad illam æternam requiem aspiremus, in qua est festum perpetuum, & continuò alleluya cantatur. Dies autem Dominicus specialiter fuit institutus in recordationem plurium beneficiorum, quæ illo die nobis à Deo collata sunt: eo enim die lucem Deus condidit, & Manna filiis Isr. el in deserto concessit, & Verbum caro factum protulit in lucem, & à Magis fuit adoratum, & à Ioanne Baptistai In ordane baptizatum, & à mortuis surrexit, ac tandem Spiritum sanctum Apostolis communicauit, ob quas causas *sexta Synodus generalis Constantinopolitana, cap. 8.* dicit, Tanta debet esse diei Dominici obseruantia' vt præter orationes, & Missarum solemnia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Alij autem dies festiui sunt instituti specialiter in memoriam alicuius beneficij à Deo accepti, quales sunt festum Natiuitatis Domini, Transfigurationis, Resurrectionis, Pentecostes. Alij sunt Virginibus, & Sanctis dicati in honorem ipsorum, & ad eorum patrocinium implorandum, & de eorum gloria lætitiam captandam

PVNCTVM II.

Quis possit præter Pontificem dies festos instituere, & qui sint ad illorum obseruationem obligati.

1 *Pontifex diem festum statuere potest.*
2 *Idem potest Episcopus in sua diœcesi, dummodò sit Sancti in Sanctorum numerum relati.*
3 *De Sancto à Pontifice beatificato bene potest Episcopus festum instituere.*
4 *Ad hanc Episcopi institutionem videtur populi consensus nullo modo requiri.*
5 *Spectato iuris rigore, si festum perpetuò instituatur, ex Clerici, & populi consensu debet fieri.*
6 *Secus verò dicendum de consuetudine, & de festiuitate temporali.*
7 *Proponitur posse principes seculares obligare populum ab operibus seruilibus abstinere.*
8 *In religiosum cultum hæc præcipere non possunt.*
9 *Non possunt dies festos, vt est vsus Ecclesiæ principes seculares instituere.*
10 *Præceptum principis laici de aliquo festo, subintelligitur de festo humano, & politico.*
11 *Transgressores huius præcepti politici non videntur mortaliter peccare seclusò scandalo, aliisque rationibus extrinsecis.*
12 *Satisfit argum. num. 7. adducti.*
13 *De consuetudine qualis debeat esse, vt festa instituere possit. Remissiuè respondetur.*
14 *Item qui teneantur festa seruare, & qualiter peregrini, forenses, infantes, amentes, &c. Remissiuè respondetur.*

1 DE Pontifice non est dubium posse pro tota Ecclesia dies festos instituere, & de facto in suprà dicto puncto instituit; quia ad ipsum pertinet diuinum cultum promouere, & fideles in viam Domini dirigere. Concilium autem generale solùm ex approbatione Pontificis, vt latiùs, tract. 3. de legibus dictum est.

2 Episcopi autem pro suis diœcesibus possunt dies festos designare, vt expressè habetur, *c. conquestus, de Feriis*; ibi cæterisque solemnitatibus, quas singuli Episcopi in suis diœcesibus cùm Clero, & populo duxerint solemniter venerandas. Hæ autem festiuitates ab Episcopo designandæ debent esse Christi Domini, Sanctissimæ Virginis, vel alicuius Sancti à Pontifice in Sanctorum numerum relati; vt expressè tradunt Gloss. *c. 1. de Relig. & venerat. Sanct. verbo festiuitatis*: & ibi Hostien. *n. 8.* Ioann. Andr. *num. 3.* & docet Sanchez *lib. 2. in decal. tom. 1. c. 43. num. 9.* Suarez *Tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus festis, c. 11. n. 4. & 5.* Azor. *Tom. 2. Instit. moral. c. 26 quæst. 4.* Fagund. de quinque Ecclesiæ præceptis, *lib. 1. c. 3. num. 3. & 5.* Bonac. *disp. 5. de tertio decal. præcep. quæst. vnica. p. 1. num. 2.* Ratio est clara; quia Alex. III. *in c. 1. de relig. & venerat. Sanctor.* prohibuit solemniter celebrari vt Sanctum, qui authoritate Romani Pontificis approbatus non sit, ob varia inconuenientia, quæ ex singularium Episcoporum approbatione prouenire poterant. Sed festorum dedicatio est quidem solemnis cultus, & publica celebritas. Ergo hæc fieri non potest in honorem illius, qui à Sede Apostolica, vt Sanctus approbatus non sit.

3 Dubium tamen est, An beatificante Pontifice aliquem

Sanctum liceat cuilibet Episcopo festum illius instituere; Ratio dubij est; quia Pontifex beatificans aliquem Sanctum solùm permittit alicui prouinciæ, vel religioni in illius memoriam, & honorem sacrificium offerri, ho. alve Canonicas recitare. Ergo non permittit festum instituere, præcipuè extra illam prouinciam, & religionem, vbi non est concessa illius Sancti celebritas; ad às nulla esset differentia huius Sancti beatificati à Sancto Canonizato. Cæterùm omnino dicendum est, posse quemlibet Episcopum in sua diœcesi de Sancto à Pontifice beatificato festum instituere: tradit expresè Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus festis, c. 11 num. 5.* Fagundez *de quinque Ecclesiæ præceptis, lib. 1. c. 13. 14 & 15.* Ratio est, quia vt diximus, *in tract. de Fide*, eo ipso, quo Pontifex in honorem alicuius Sancti diuinum sacrificium ab aliqua persona celebrari permittit, vniuersæ Ecclesiæ proponit talem Sanctum adorandum, & colendum quolibet solemni cultu: nam sacrificium est cultus publicus nomine totius Ecclesiæ factus, & omniù maximus, qui exhiberi potest. Ergo tacitè permittit, vt quolibet alio inferiori cultu celebretur; ac proinde permittit, vt in Catalogum Sanctorum referatur, & in publicis Ecclesiæ precibus innocetur, templa, & aræ in eius memoriam extruantur, horæ Canonicæ recitentur, eius imago cum diademate, & corona depingatur, & in altari adoranda collocetur, eiúsve reliquiæ deuotè asseruentur, & venerentur; ac tandem festa instituantur; quia omnes ij cultus inferiores sunt cultu per sacrificium exhibito. Neque hinc fit beatificationem à Canonizatione non distingui? Distinguuntur enim ex maiori, vel minori solemnitate, quæ est distinctio solùm accidentalis, non substantialis: per beatificationem enim aliquibus tantùm personis permittitur officium, & missa Sancti beatificati secundùm regulas Breuiarij, & Missalis, & non omnibus diebus, sed aliquibus tantùm; at per Canonizationem solet omnibus permitti & sæpè mandari. Adde plures esse Sanctos Canonizatos, de quibus non permittitur secundùm regulas Breuiarij, & Missalis, officium, & Missa celebrari, tametsi ex deuotione id fieri possit. Ergo esto non omnibus prouinciis permissum sit Sanctum beatificatum Missa, & officio diuino celebrare regulis Breuiarij, & Missalis spectatis; at ex deuotione bene poterunt, vt latiùs supradicto loco de fide dixi.

4 Vlteriùs dubitari potest, An Episcopus ad hanc obligationem designandam, Cleri, & populi consensum necessariò requirat? Videtur necessarium non esse; quia nullibi habetur Episcopum absque populi consensu non posse festa statuere. Nam in *c. 1. de consecr. dist. 3.* solùm dicitur festiuitatem illam obseruãdam esse, quam Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauerint; stat enim optimè, quòd populus simul cum Episcopo festiuitatem collaudet, eo præcisè quòd eius institutioni assistat; quamuis consensum non præbeat. Item in *c. Conquestus, de Feriis*, tàm dicitur obseruandas esse illas solemnitates, quas singuli Episcopi in suis diœcesibus cum Clero, & populo duxerint solemniter venerandas; sed ex eo quòd Episcopus Clero, & populo præsente solemnitatem celebrandam duxerit; tametsi populus, & Clerus consensum non præbeat; sufficit vt dicatur cum Clero, & populo iudicasse solemnitatem illam venerandam esse. Ergo consensus Cleri; & populi non requiritur. Adde. Clerus, & populus non habent authoritatem instituendi festa, sed solùm Episcopus. Ergo solùm eius consensus, & non Cleri, & populi necessarius est.

5 Nihilominùs tenendum est, iure communi spectato non posse Episcopum dies festos perpetuos in sua diœcesi statuere, nisi Cleri, & populi consensus accedat: non quia ipse Clerus, & populus instituant festum per suffragia quasi decisiua; sed quia ipse Episcopus, cui totum hoc officium, & iurisdictio commissa est, non habet potestatem nisi sub hac conditione, quod populus, & Clerus consentiat, sic Couart. *lib. 4. Var. c. 19. num. 9. vers. præter hos.* Azor. *2. p. lib. 1. c. 26. quæst. 2. & quæst. 4.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 11. num. 9.* Augustin. Barbosa, *3. p. de Potest. Episc. alleg. 105. num. 36.* Fagundez de quinque Ecclesiæ præceptis, *lib. 1. c. 3. num. 10. & 11.* Ratio est, quia in supradictis *c. 1 de Consecrat. dist. 3. & vlt. de Feriis*, potestas instituendi festa Episcopis limitatur, vt absque Cleri, & populi consensu vti ea non possint; siquidem pro forma statuitur festiuitatis obseruandæ, *in c. 1. de Consecrat.* vt populus cum Episcopo eam collaudet collaudatio autem fieri non posset sine consensu, & approbatione illius. Ergo ex vi supradicti, cap. hic consensus requiritur. Item constat ex *c. Conquestus de Feriis*, tum ex illis verbis, *cum Clero, & populo*: illa enim particula copulatiua, *cum* Cleri, & populi consensum denotat. Tum ex verbo *duxerint*, quod ad solum Episcopum nequaquam referri potest. Ratio autem quare Cleri, & populi consensus exposulatur, est: quia non est conueniens, vt Episcopus festorum præceptis grauet illos renuentes. Hic autem Cleri, & populi consensus sufficienter habetur, vt dicit Suarez *c. 11. n.* ex eo quod Clerus, & populus sciens Episcopum festiuitatem aliquam statuere non contradicat.

6 Dixi spectato iure communi non posse Episcopum festiuitates absque populi, & Cleri consensu statuere, vt tacitè insinuatem aliud esse dicendum de consuetudine; ex hac enim ferè in omnibus partibus habetur consensum populi non requiri, illo enim minimè vocato, & requisito Episcopus ex Cleri, hoc est Capituli consensu, & non citra illum festos dies instituat. Suarez *dicto c. 11. num. 9.* Azor. *lib. 1. c. 26. quæst. 1.* Fagundez *de quinque Ecclesiæ præceptis, lib. 1. c. 3. num. 8 & 11.* Bonac. *disp. 5. de 3. decalogi præcepto, quæst. vnica, p. 1 n. 2.* Augustin. Barbos. *3. p. de Potest. Episc. alleg. 105.* dicit posse Episcopum in Synodo statuere festiuitates aliquas obseruandas absque populi consensu, & refert Cassaneum, *in Catalog. de gloria mundi, part. 3. consider. 58.* Marc. Anton. Genuens. *in Praxi Neapolitana, c. 51.* vbi respondet ad text. *in c. vlt. de Feriis.*

Insuper dixi non posse instituere festiuitates per tuas: nam vna, vel altera vice optimè potest absque consensu Capituli, & populi; quia in hoc præcepto non multùm populus grauatur, & cùm odiosa sit illa restrictio, & limitatio potestatis Episcopalis, sufficit si de institutione festiuitatis per modum statuti intelligatur, & non de institutione festiuitatis, quæ vnica vice præcipitur; sic Fagundez *dicto lib 1. c. 3. n. 8. & 11.*

7 Nonnulla tamen est difficultas, An principes laici potestatem habeant obligandi populum dies festos celebrare? Antonin. *2. p. tit. 9. c. 7. §. 1.* Sylvest. *verbo Dominica, num. 2.* Emanuel. Saa. *in vtraque edit. verbo festum, num. 1.* Sayrus *in claui regia, lib. 7. c. 3. n. 17. §. quinta propositio*, affirmat posse principes sæculares & ad culpam, & ad pœnam obligare subditos, vt ab operibus seruilibus abstineant, tametsi non possint eos ad audiendam Missam obligare. Prior pars probari potest. Primò. Quia abstinentia ab operibus seruilibus non est quid spirituale, & sanctum formaliter, sed indifferens, vt spirituale fiat, si in Dei cultum fiant, & temporale, si in temporalem finem dirigatur. Ergo præcipi potest à potestate laica. Secundò, Ecclesia cum præcipit dies festos feriare non præcipit tibi, vt illos feries in cultum Dei; aliàs violabis præceptum, si ob vanum finem feriares. Ergo ex hac parte non præcipiunt rem aliquam spiritualem, tametsi imponendo præceptum finem spiritualem respiciant. Qui finis recte à potestate laica haberi potest. Non enim alienum est à potestate ciuili finem supernaturalem habere in legibus imponendis. Tertiò. Sæpè principes in signum lætitiæ ob partam aliquam victoriam, vel natalitium sui præcipiunt diem feriari, & sub grauibus pœnis. Quartò. Graues pœnas aduersus violantes festiuitates Ecclesiasticas promulgant. Ergo habent hanc potestatem. Quintò. Quilibet se voto, & iuramento adstringere potest ad festum seruandum. Ergo etiam lege obligari potest, quia votum est quædam specialis lex. Posterior pars, scilicet non posse præcipere Missæ auditionem clarè constat; quia est res omninò spiritualis, & extra potestatè laicalem.

8 Pro resolutione aduerte Ecclesiasticam potestatem non præcipere cessationem ab opere seruili vtcumque, sed religiosam, non quæ religiosa sit ex intentione ipsius operantis; quia hanc intentionem non præcipit Ecclesia, sed quæ religiosa sit ex ipsamet institutione, & lege: lex enim Ecclesiastica præcipiens tibi ab operibus seruilibus cessare, hanc cessationem constituit in materia religionis, & facit vt quicumque subditus cessans ab operibus seruilibus actum externum religiosum faciat, tametsi ex praua intentione cesset: praua enim operantis intentio non tollit religiosum cultum exteriorem. At potestas laica præcipere quidem potest ab operibus seruilibus cessare, cessatione inquam politica, qualis est in signum lætitiæ partæ victoriæ, vel alterius fœlicis euentus, sed non cessatione religiosa in cultum Dei ordinata: quia hæc cessatio est spiritualis, & in causis spiritualibus laici potestatem non habent *3. c. cum laicis, c. vlt. De rebus Eccles. non alien. c. decernimus de ludit, & c. benè quidem. dist. 96. & per totam.*

9 Ex qua doctrina infero. Primò, non posse potestatem laicam dies festos, de quibus in præsenti loquimur statuere, non solùm qua parte continent obligationem audiendi sacrum, de qua certum est, sed qua parte continent cessationem ab opere seruili. Quia cessatio, quæ per hos dies imperatus, est externus Dei cultus, iuxta illud; Memento, quòd diem sabbati sanctifices: præcipitur enim diem festum hac cessatione sanctificari saltem externa, & patenti sanctificatione. Sed potestas laica non progreditur vltra materiam pertinentem ad gubernationem politicam. Ergo de materia hac spirituali nihil præcipere potest: & ita relatis aliis docet Sicar. *tom. 1. de relig. lib. 2. c. 12. n. 2.* Azor. *2. p. lib. 1. instit. moral. c. 26. quæst. 5.* Fagund. de quinque Ecclesiæ præceptis, *lib. 1. c. 5. num. 2. & 3.* Bonac. *disp. 5. de tertio decalogi præcepto quæst. vnica, punct. 1. num. 3.* Aug. Barbos. *3. p. de Potest. Episc. alleg. 105. n. 38.*

10 Infero secundò, potestatem laicam præcipientem aliquos dies feriare, intelligendum est de Feria honoraria, & politica, non religiosa; ne dicamus committere peccatum ob vsurpatam iurisdictionem, & actum nullum facere.

11 Infero tertiò, transgressores huius præcepti politici non videri peccatum mortale committere seclusa scandalo, aliisque circumstantiis extrinsecis: quia non videtur hæc materia grauis, & grauiter reipublicæ gubernationi conducens, præcipuè cùm ex illius transgressione pœnam subire teneatur, si ei fuerit imposita, sic Suarez *dist. c. 12. n. 7.* Fagundez, *c. 6. n. 3. fine*, Azor. *c. 26. q. 6.*

12 Argumenta

12 Argumenta pro prima sententia adducta ex dictis soluta manent. Ad primum dico, cessationem ab opere seruili de se indifferentem esse, ideóque posse esse materiam religionis, vel materiam gubernationis politicæ, si præcipiantur fieri in cultum Dei, scilicet in gratiarum actionem Deo ob aliquod beneficium acceptum, vel ob motiuum ad illius impetrationem, est religionis materia, & consequenter extra potestatem ciuilem. At si præcipiantur fieri in recordationem alicuius fœlicis successus, & signum lætitiæ acceptæ, vel ob alios politicos fines, tunc est materia gubernationis politicæ, quæ potest à potestate laica præcipi. Ad secundum distinguendum est de fine operis, & de fine operantis, & dicendum quoad finem operis Ecclesiam tibi præcipere cessationem ob opere seruili in cultum Dei, secus verò quoad intentionem operantis: potestas inquam laica optimè potest præcipere cessationem ab opere seruili ob finem supernaturalem, qui sit finis non operis præcepti, sed imponentis præceptum. At nunquam efficere potest, vt ipsum opus præceptum finem supernaturalem respiciat, quia est finis alienus à potestate politica. Ad tertium iam dictum est, qua ratione Principes senatos dies præcipere possunt, & ad pœnas subeundas transgressores obligare. Ad quartum concedo transgressoribus legis Ecclesiasticæ posse à laica potestate pœnas imponi, quia hoc est Ecclesiasticam potestatem promouere: impositio autem pœnæ ob illud delictum, non est quid spirituale, vt ob inde à potestate laica alienum sit. Ad quintum, concedo iuramento se quemlibet ad festum seruandum obligare posse. Nego tamen lege; quia iuramento obligatur ex fidelitate, non ex iurisdictione, quam secum exerceat. At lege obligatur ex iurisdictione legislatoris. Si ergo legislator sæcularis est, non potest suam potestatem exercere circa spiritualia. Adde si ex voto ad legem esset consecutio, probaret vtique lege te posse ad actus merè internos obligare; siquidem voto, & iuramento ad illos te obligare potes. Cùm autem dicitur votum esse particularem legem, est, quia ab vna particulari persona nascitur obligatio.

13 Viterius dubitari poterat de consuetudine. Qualis futura est, vt festa statuere possit? An debeat esse mixta laicorum, & clericorum? Sed huic difficultati *tit. de legibus disput. 3. de consuetud. fecimus satis.*

14 Explicata causa statuente festa, & imponente illius obseruationis obligationem, succedebat explicare, Qui hac obligatione teneantur. An infantes, an amentes, an ebrij, an peregrini, & forenses. Sed de iis pro tenuitate nostri ingenij egimus suprad. *tit. de legib disp.* 1. Neque aliquid speciale notandum occurrit.

Punctum III.

Quale sit præceptum seruandi festa, affirmatiuum, an negatiuum? Et an in illo detur paruitas materiæ, & quæ hæc sit?

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Qua parte ab opere seruili præcipit abstinere, absolutè est negatiuum.*
3 *Proponuntur variæ sententiæ de materia requisita ad peccatum mortale in hoc præcepto.*
4 *Duabus horis labori seruili incumbere graue peccatum est.*
5 *In operibus forensibus non ex quantitate temporis insumpti, sed ex qualitate operis materia grauitas desumenda est.*

1 IN obseruatione festorum duo præcipiuntur. Primò audire missam. Secundò ab opere seruili, & liberali prohibito cessare; qua parte præcipit missam audire, constat esse affirmatiuum, quia positiuum cultum præcipit. At qua parte præcipit ab opere seruili cessare, aliqua dubitatio est. An sit dicendum præceptum affirmatiuum, vel negatiuum? Esse dicendum negatiuum constat ex eo, quòd nulla actio, sed potiùs cessatio ab actione præcipitur. Quòd autem debeat dici affirmatiuum, probari potest; quia illa cessatio non est cessatio qualiscumque, sed religiosa, & per eam cultus Deo exhibetur, sed cultus Dei positiuum quid est, & reale. Ergo præceptum positiuum debet dici, non negatiuum. Adde præcepta affirmatiua obligant seruatis circumstantiis. At negatiua præcepta semper, & pro semper obligant. Sed seruare festiuitates non semper obligat, cùm plurimæ sint causæ ab illarum obseruatione excusantes. Ergo non est præceptum negatiuum, sed affirmatiuum.

2 Dicendum tamen est hoc præceptum seruandi festa, qua parte continet ab opere seruili cessationem, esse formaliter positiuum, materialiter verò negatiuum: sic colligitur ex Suarez, *tom. 1. de relig. lib. 2. de festis cap. 1. n. 7.* Azor. *tom. 2. lib. 1. c. 1.* Fagundez, *de quinque præceptis Ecclesiæ lib. 1. cap. 3. n. 1.* Probo esse formaliter positiuum; quia præcipit diei sanctificationem, iuxta illud *Exod. 20.* Memento quòd diem Sabbathi sanctifices, sanctificatio autem positiuum quid sonat saltem moraliter: quia tamen hæc sanctificatio non actione physica positiua, sed potius cessando à tali actione facienda est, ideò materialiter & absolutè est hoc præceptum ex hac parte negatiuum.

3 Circa secundum. Qualis transgressio ex parte materiæ culpam mortalem in hoc præcepto constituat? Non agimus de præcepto audiendi missam, quia de illo dicendum est, cùm de sacrificio missæ sermonem habeamus, sed solum agimus de præcepto opera seruilia prohibente. Pro cuius explicatione præmittendum est à principio diei festi, vsque in finem tibi esse mandatum ab opere seruili abstinere. Hic tamen dies pro diuersitate regionum diuersimodè computatur: vt expressè dicitur *c. quoniam, de Feriis.* Aliquando à vesperis diei antecedentis vsque ad vesperas sequentis, iuxta *cap. 1. & 2. de Feriis, & c. 1. de consecrat. dist. 3.* Quando verò sic computatur, excusantur barbitonsores in vigilia laborantes ex decreto Innocent. IV. vt testatur Nauarr. *de Festis cap. 13. n. 8.* & approbat Eman. Saa *verbo festum in fine.* At in Hispania, Gallia, Italia à media nocte vsque ad mediam noctem hic dies enumeratur; continétque 24. horas, dubium ergo est, quanto tempore laborare debeas, vt peccatum mortale censearis committere. Aliqui doctores strictè videntur loquuti. Affirmant namque materiam esse grauem, & peccatum mortale committi, si vna hora labore seruili absque necessitate vaces; quia licèt vnius horæ labor comparatione totius diei videtur leuis materia; at secundùm se grauis est: sicuti grauis est omissio vnius horæ ex minimis in officio canonico, tametsi comparatione totius officij leuis poterat iudicari: sic Azor. *2. tom. instit. mor. lib. 1. cap. 28. quæst. 5.* Bonac. *disp. 5. de tertio decalogi præcepto, quæst. vnica, punct. 3. n. 2.* Fagund. *de quinque Ecclesiæ præceptis lib. 1. cap 14. n. 2.* Affirmat, si excedat ex hora quadrantem esse culpam lethalem. Alij doctores iuris canonici nimis latè loquuntur; putant namque tertiam partem diei esse in labore seruili consumendam, vt grauis materia censeatur. Sed hic modus dicendi improbabilis est, & ab omnibus Theologis exploditur, viamque aperit temnendi festorum obseruationem.

4 Quapropter media via incedendum censeo, & prudentis arbitrio hoc relinquendum vt dicit Suar. *tom. 1. de relig. lib. 2. de festis, cap. 31. n. 2.* Vna enim hora, non videtur ita grauis materia, præcipuè si opus assumptum nimis laboriosum non sit. Sic Suarez *suprà*, Sanch. *lib. 1. in decal. cap. 4. n. 18.* Existimarem autem, si duabus horis labori incumberes, materiam grauem esse, & peccatum mortale committi. Neque video Doctorem Theologum classicum, qui latius tempus concedat.

5 In operibus autem forensibus, & iudicialibus, quæ sunt speciali iure prohibita, materia grauis sumenda est non ex quantitate temporis insumpti, sed ex qualitate operis: nam si res vendita esset magni momenti, & venditio solemnitate aliqua celebraretur, etiamsi breui tempore fieret, esset mortale, quod à fortiori militat in quolibet actu iudicij; siquidem negari non potest habere de se grauem deformitatem, quod iudex efficiat actum irritum, & nullum. Si verò venditio minoris esset momenti, vt vendere calceos, vel alia huiusmodi, iam consuetudo obtinuit non esse graue peccatum, & sæpè nullum ob necessitatem vendentium, & ementium. Neque enim iustum erat, vt vendentes merces denegarent agricolis, & aliis die festiato concurrentibus; quia ex tali denegatione graue damnum paterentur: sic Nauar. *lib. 2. de feriis, conf. 1. fol. 101.* Man. Rodrig. *sum. cap. 121. n. 4.*

Punctum IV.

Quæ actiones exercendæ sunt ex præcepto affirmatiuo seruandi festa.

1 *Nulla alia præter Missæ auditionem.*
2 *Communio etiam in die Paschatis non obligat ex vi huius præcepti.*
3 *Oratio distincta à Missæ sacrificio non præcipitur, sed consulitur.*
4 *Audire sacram concionem pluribus placet esse in præcepto.*
5 *Probabilius est oppositum.*
6 *Fit satis argum. num. 4. adductis.*
7 *Oblationes aliquas facere ex præcepto seruandi festa nullus tenetur; poterit tamen teneri ex obligatione sustentandi Ecclesiæ ministros.*
8 *Ex obligatione festorum non tenemur actum charitatis elicere.*
9 *Item neque tenemur de peccatis pœnitere.*

1 CONclusio est certa ex vi præcepti obseruationis festorum nullam aliam actionem esse exercendam præter Missæ auditionem, quia nec diuino, nec positiuo præcepto constat aliam deberi, quod vt clariùs constet expendamus cum doctissimo Suar. *lib. 2. de festis cap. 16.* actiones, in quibus esse potest aliqua dubitatio.

2 Prima esse potest communio in die Paschatis, iuxta text. in *c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Sed hæc nō obligat pro illo die festiuo determinato; cùm possit octo diebus antecedentibus, & aliis octo subsequentibus impleri. Et præterea non obligat ex vi præcepti seruandi festa, sed ex vi præcepti

diuini communicandi, quod Ecclesia ad illud tempus determinauit : colligitur ex Suar. *suprà, n.* 2.

3 Secunda actio est oratio, quæ distincta à Missæ auditione præcipi videtur in *sexta Synodo generali, c.* 8. siquidem ibi datur licentia iter agendi: ita tamen, vt illius occasione Missæ, & orationes non prætermittantur. Ergo aliquæ sunt orationes distinctæ à Missa, quæ non debent prætermitti; siquidem vt rei distinctæ cauetur prætermisso illius. Respondeo non debere prætermitti Missam, id est sacrificium, neque orationes, quæ in Missa fiunt; quia tamen formaliter ab ipsomet sacrificio distinctæ sunt, tametsi illum committentur; ea de causa distinctæ nominantur; non quia sunt orationes aliquæ distinctæ ab iis, quas Ecclesia medio sacerdote dicit, quod non leuiter indicat, *can. omnis fidelis*, qui est decimus Apostolorum, ibi: *Qui non perseuerant in oratione, vsque dum Missa peragatur, communione priuentur.* Ergo de oratione in Missa facienda loquitur, & non de alia, cui orationi fideles satisfaciunt debita cum attentione orationibus Ecclesiæ in sacrificio factis assistendo. Aliæ autem orationes non præcipiuntur, sed consuluntur tantùm.

4 Tertia actio, de qua præcipuè dubitatur, est auditio sacræ concionis : videntur enim fideles obligari Verbum Dei audire: Primò, quia in *can.* 10. *Apostolorum relato*, dicitur omnes fideles, qui conueniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam & scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant. Sed audire scripturas, & Euangelium, est audire concionem. Ergo obligari sunt : Secundò, *in cap. Sacerdote, de consecrat. dist.* 1. quod est ex Concilio Carthaginensi 4. *c.* 24. Excommunicari mandatur qui egressus de auditorio fuerit, Sacerdote Verbum Dei in Ecclesia facieante. Ergo signum est sub graui culpa obligatum fuisse assistere; aliàs non esset excommunicatione feriendus : Tertiò, *in cap. interrog.* 1. *quæst.* 1. Æquiparatur Verbum Dei corpori Christi, dicitúrque non minùs peccare negligenter audientem Verbum Dei, quàm indignè corpus Christi tractantem. Ergo à simili non minùs peccabit omittens assistentiam Verbo Dei, quàm omittens assistentiam corpori Christi: Sed hæc omissio in die festo est graue peccatum. Ergo & illa : Quartò, non desunt Doctores, qui auditionem Verbi Dei Missæ auditioni præferant, quia auditio Verbi Dei est fidelibus maximè necessaria, *cap. inter cætera, de offic. ordinarij.* Sed Missa audiri debet ex obligatione præcepti. Ergo à fortiori Verbum Dei audiri debet: Quintò, Pastores animarum, quales sunt Episcopi, & Parochi obligati sunt concionem habere diebus festis, in qua necessaria ad salutem fidelibus proponant. Ergo fideles tenentur huic concioni assistere. Tum quia in illorum vtilitatem Parochi, & Episcopi obligantur; tum quia frustranea esset obligatio pastorum, si oues non tenerentur pabulum subministratum recipere. Tum quia Trident. *sess.* 24 *cap.* 4. *de reformat.* dicit teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest ad audiendum Verbum Dei.

5 Cæterùm dicendum est per se, & ex vi obseruationis festorum nullam esse fidelibus impositam obligationem audiendi Verbum Dei: sic ex communi sententia testatur Suar. *dicto c.* 16. *num.* 6. Graffis 1. *p. decis. lib.* 2. *cap.* 14 *num.* 8. Bonacin. *disp.* 5. *de tertio decal. præcepto, q. vnica. p.* 2. *num.* 27. Ratio est clara, quia nullibi inuenitur talis obligatio, vt solutione contrariorum constabit. Aliàs sicuti in qualibet Parochia singulis festis, & Dominicis est obligatio dicendi sacrum, vt populus obligationi audiendi satisfaciat, ita esset obligatio concionandi, vt sic populus huic obligationi faceret satis. At Parochis, neque Episcopis est obligatio singulis diebus festis concionandi. Ergo neque fidelibus audiendi. Hæc ratio conuincit non esse fidelibus obligationem impositam absolutè audiendi concionem; sicuti est obligatio audiendi sacrum. At non probat non esse obligationem audiendi concionem, cùm de facto habetur, & præcipuè in Dominicis, & solemnioribus festis, in quibus videtur Episcopis, & Parochis præceptum concionandi imponi. Trident. *sess.* 5. *c.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 4. *de reformat.* Respondeo, etsi ex supradicta ratione clarè, & manifestè non colligatur; colligitur tamen sufficienter; siquidem nemini obligatio est imponenda, quin de illa constet. Atqui ex nullo textu, nec ratione constat fideles obligatos esse diebus festis concionem audire. Ergo illis non est hæc obligatio imponenda. Neque ex obligatione imposita Parochis prædicandi Verbum Dei infertur obligatio in quocunque fideli audiendi. Parochus enim obligari potest ob populum, qui regulariter necessitatem Verbi Dei habet, si non pro singulis de populo, saltem pro vno, vel altero. At ipsi fideles speciatim hac necessitate non tenentur semper: tum quia necessaria ad salutem, & quæ scire tenentur, discere possunt ex concione habita die festo. vel aliundè. Tum quia posita illa notitia, quæ facilè obtineturiam non indigent concione. Adde neque ipsum Parochum, & Episcopum teneri omnibus Dominicis, & festis sub rigoroso præcepto concionem habere, nisi fortè id iudicauerit necessarium ad plebem erudiendam, quod rarò contingit : sic Suarez *dict. cap.* 16. *n.* 7. Bonacin. *disput.* 5. *de tertio decal. præcepto. q. vnica. p.* 2. *circa finem.* Tenebitur tamen regulariter saltem quolibet mense concionem habere, & populo necessaria prædicare. Vndè si vno integro mense continuò omittat, vel duobus, aut tribus in vno anno, peccabit mortaliter. Quia graue damnum sit populo, si tanto tempore doctrina cœlesti priuetur; neque præsumi potest illa populum saltem secundùm aliquos non indigere : sic Bonacin. *suprà.* Ex quo optimè infertur, singulos de populo solùm teneri illam doctrinam audire, quoties ad sui institutionem reputauerint sibi esse necessariam; ac proindè ex præcepto seruandi festa eam audire non tenentur.

6 Neque argumenta opposita vrgent. Ad primum dico, obligatos esse fideles audire Scripturas, & Euangelium, quod in Missa dicitur; quia Euangelium, & epistolam audire debent, vt integrè, & perfectè præcepto satisfaciant : vel si de concione intelligatur, obligati sunt audire modestè, & secluſa perturbatione, quia in fine illius textus dicitur, inquietudines Ecclesiæ commouentes conuenit communione priuari. Ad secundum dico; egredientem ex auditorio Sacerdote prædicante excommunicari; non quia concionem omittit, sed quia suo egressu auditores perturbat, & occasio est Verbum Dei temnendi. Secundò, respondeo illum textum non esse ex aliquo Concilio generali, sed prouinciali, ac proindè ex illo non posse inferri generalem in Ecclesia obligationem. Ad tertium dico, æquiparationem de auditione Verbi Dei spirituali non corporali, id est, de obedientia diuinis præceptis. Qui enim in diuinorum præceptorum obseruatione negligens est, æquiparatur ei, qui corpus Christi contemnit. Secundò, dico negligentem in audiendo Verbo Dei sibi ad salutem necessario æquiparari ei, qui corpus Christi indignè tractat. At ex his non infertur teneri fideles ad audiendum Verbum Dei ex præcepto obseruationis festorum, sed ex præcepto discendi, quæ sibi sunt ad salutem necessaria. Ad quartum dico; repellendam esse æquiparationem Verbi Dei cum Missa absolutè loquendo, siquidem Missa est singulis festis in præcepto, non tamen Verbum Dei, sed solùm quando necessitas propria id expostulauerit. Quapropter per se loquendo nunquà Missa omittenda est ob concionem, sed solùm casu quo concio reputaretur necessaria ad salutem, & alio tempore haberi non posset, quod moraliter est impossibile. Ad quintum ex probatione nostræ sententiæ satisfactum est; siquidem optimè possunt Pastores Ecclesiæ obligari ad prædicandum, non tamen fideles singulos ad audiendum; quia præstat Ecclesiam subministrare omnibus necessariis, neque vllus sit qui excusationem allegare possit. Adde neque ipsos Pastores obligari per se, si per substitutos huic muneri satisfaciant, neque obligantur singulis Dominicis, sed prout sibi expediens visum fuerit cui obligationi satisfacient, si longo tempore prædicationem omittant.

7 Quartò actio, de qua dubitatur an sit in præcepto diebus festis in obligatio. Videntur enim fideles ad obligationem aliquam sacram obligari, nisi paupertate excusentur. Tum quia in Concilio Fribur. *c.* 35. expresse dicitur, diebus Dominicis, & Sanctorum festis, vigiliis, & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus incurrendum : & in *cap. omnis Christianus, de consecrat, dist.* 1. Dicitur omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre. Sed omnino dicendum est oblationem non esse in præcepto ex vi obseruationis festorum; quia nemo tenetur consuetudine sic declarante oblationes diebus Dominicis, & festis facere. Quòd si aliquando aliquas oblationes offerre quis teneatur, non ex præcepto obseruationis festorum, sed ex oblatione sustentandi Ecclesiæ ministros, vel ex præcepto Ecclesiastico prouenit; quod nullum est speciale pro diebus festis. Textus autem in contrarium allegati non de præcepto, sed de consilio loquuntur.

8 Quintò; actio est actus charitatis, quem dicunt Scotus 3. *dist.* 27. *art. vers quantum ad* 2. Tabiena *verbo charitas num.* 20. esse in diebus festis ex obligatione exercendum; tum quia festa instituta sunt ad vacandum Deo, ipsumque colendum, & honorandum. At nulla alia re coli, & honorari apiùs potest, quàm vsu, & exercitio charitatis. Ergo. Tum quia diuino iure latum est præceptum de dilectione Dei, sed nullum est aptius tempus ad illius executionem, quàm tempus festorum. Ergo. Dicendum tamen est nequaquam ex obligatione seruandi festa nasci obligationem diligendi Deum : sic D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Caiet. ibi; Sotus *lib.* 2. *de iustit. q.* 4. *art.* 4. Nauar. *cap.* 23. *n.* 17. Bonac. *disp.* 5. *de tertio decal. præcepto. q. vnica, p.* 2. *in princ.* Quia hæc obligatio imponenda non est absque legitimo fundamento. At neque ex iure diuino, neque humano colligi potest. Non ex iure diuino; siquidem ex illo præceptum diligendi Deum non habet tempus determinatum, sed in articulo mortis, vel quoties necessarium reputatur ad rectum vitæ progressum. Ex iure autem humano nullibi constat talis obligatio. Ergo differenda non est. Neque obstant contraria. Festa enim instituta sunt ad vacandum Deo, nō quibuscumque operibus bonis ex obligatione, sed solùm auditione Missæ, & vacatione ab operibus seruilibus, Quapropter etsi nullo alio actu aptius colatur, quàm charitate; non inde infertur ex præcepto obseruationis festorum mandari. Adde præcepto obseruationis festorum præcipi cultum, & honorem Dei externum; non actum internum amoris: aliàs posset dici præcepti exercitium fidei, spei, humanitatis, patientiæ, aliarúmque virtutum; quia nullum est aptius tempus ad illarum exercitium, quàm illud quod destinatur ad Dei cultum, & honorem. Vtcrius dic ad dilectionem

Dei

Dei exercendam non esse tempus feriatum aptius, quia hæc aptitudo non desumitur ex tempore sacratiori, sed desumitur ex tempore, in quo vrgentior necessitas occurrit, quæ aliis temporibus esse potest.

9 Sextò, actio est contritio, & dolor de peccatis commissis (si fortè accedente die festiuo) conscius illius es; quia videtur satis coli non posse Deum ab homine peccatore, & Deo inuiso. Sed dicendum est cum D. Thom. Caiet. Soto, & Nauarr. Suarez, Bonac. *locis allegatis, & communi sententia*, nequaquam esse obligationem exercendi contritionem; quia nullibi habetur talis obligatio. Neque enim oritur ex virtute pœnitentiæ, cùm hæc non obliget ad sui exercitium statim post commissum peccatum, neque in die festo potiùs quàm in alio. Neque etiam oriri potest hæc obligatio ex virtute religionis; cùm hæc solùm ad colendum Deum Missæ auditione, & vacatione operum seruilium obliget in diebus festis. At Missa audiri, & ab operibus seruilibus vacare rectè potes; quin contritionem, & pœnitentiam de peccatis commissis habeas. Ergo præceptum seruandi festa ad contritionem non obligat. Affirmandum igitur est ex præcepto positiuo obseruationis festorum solùm obligationem audiendi Missam.

Punctum V.

Quæ sint opera seruilia prohibita in die festo.

1 *Quid sit opus seruile expenditur, & qua ratione à liberali distinguatur.*
2 *Scribere ob lucrum plures censent esse opus seruile prohibitum.*
3 *Probabilius est oppositum.*
4 *Idem est dicendum de transcriptione.*
5 *Satisfit argum. num. 2. adducti.*
6 *Actio pingendi si recreationis causa, vel ob disciplinam fiat plures censent, non esse opus seruile.*
7 *Verius est actionem esse seruilem.*
8 *Piscatio, aucupatio, venatio, plures censent, si ob recreationem fiat, esse liberale opus, si ob lucrum, seruile.*
9 *Quæ per se opera sunt seruilia ex consuetudine excusantur.*
10 *Explicatur cap. licèt, de Feriis.*
11 *Prolatio, tametsi plures censeant esse opus liberale, probabilius reputo seruile esse, excusari tamen ob necessitatem.*
12 *Iter agere non est prohibitum, & quid si currus deferantur.*

1 DIximus præceptum obseruationis festorum positiuum esse, & negatiuum, & quatenus positiuum est, solùm obligare ad audiendam Missam, de qua obligatione latè dicemus, *tit. de Sacram. Eucharist. vlt. disput. circa finem.* Quatenus verò negatiuum est, prohibitionem continere operum seruilium: constat ex *cap. licèt, de Feriis*: ibi & in his ab omni opere seruili cessandum. Nomine operis seruilis intelligitur, quod commoditati corporis inseruit, & à seruis regulariter fieri solet, vt terram colere, artificia facere, calceos, vestes, similia conficere, cibaria præparare. S. Thom. *1. 2. q. 122. art. 4.* dixit opus seruile esse aliquod corporale opus ex his, in quibus vnus homo alteri inseruire solet, seu vt dixit idem D. Thom. *in 3. dist. 37. art. 5. quæst. 2. ad 2.*. ad quorum exercitium seruos deputatos habemus. Distinguitur opus seruile ab opere liberali, quòd liberale opus proximè, & immediatè refertur ad instruendam mentem propriam, vel alienam, quale est legere, loqui, docere. At seruile proximè, & immediatè cedit in vtilitatem corporis. Notanter dixi opus seruile prohibitum esse, quod commoditati corporis inseruit, & à seruis regulariter fieri solet, ne comprehenderem ea opera commoditati corporis deseruientia, quæ tam à seruis, quàm à nobilibus fiunt & de quibus speciale dubium est, an hoc præcepto comprehendantur, verbi gratia, scribere piscari, venari, aucupare, præliari, iter facere; de iis ergo videndum est, an sub hac prohibitione cadant?

2 Prima actio, in qua aliqui Doctores dubitarunt est scribere præcipuè lucri, & mercedis gratia. Communis opinio Summistarum docuit esse opus seruile. Sotus, Richard. Angel. Rosella, Tabien. Syluest. quos refert, & sequitur Azor. *2. p. lib. 1. cap. 27. quæst. 4.* Probat Azor. quia scribere est quoddam genus, cuius sunt duæ species, vna operis liberalis, altera seruilis; liberale opus erit, si scribas, vt memoriam excolas, augeas, & conserues, aut vt amicum, aut alium quemlibet absentem moneas, doceas, horteris, salutes, &c. seruile erit si facias ob lucrum, & quæstum. Quæ ratio efficacius in transcriptione habet locum, quia transcriptio nihil aliud est, quàm expressio literarum, quæ in originali habentur, quod videtur esse mechanicum; aliàs imprimere librum mechanicum non esset; cum sit quoddam genus transcriptionis. Adde transcribere nihil aliud esse videtur, quàm pingere, hoc est, alienos characteres delineare. Sed pingere est opus seruile. Ergo, & transcribere: & ideò Nauarr. *c. 13. n. 14.* & Caiet. *2. 2. q. 121. art. 4.* Affirmant transcribere esse seruile quando fit ob lucrum.

3 Dicendum tamen est ob lucrum, & mercedem scribere non esse opus seruile: sic Caiet. & Nauarr. *suprà* Toler. *lib. 4. sum. cap. 24. num. 3.* Sayrus *in claui regia. lib. 7. cap. 2. num. 13.* Suarez *t. 1. de relig. lib. 2. c. 24.* Medina, *instruct. lib. 1. cap. 14. § 8.* Ludouic. Lop. *1. p. instruct. conscien. cap. 52.* Fagund. *de quinque Ecclesiæ præceptis, lib. 1. cap. 1. num. 3. & 4.* Bonac. *de tertio decal. præcepto, q. vnica, p. 2. num. 15.* Ratio est; quia scriptura est quædam permanens locutio de se & natura sua ordinata ad declarandos proprios conceptus. Ergo est actio deseruiens per se animæ, & non corpori. Ergo non est seruilis. Quod autem opus de se liberale, si ob mercedem fiat, non reddatur seruile; inde probari potest: quia intentio operantis non variat opus, sed omnino illud immutatum relinquit; quia illi est extrinseca. Ergo si scribere opus liberale est, ex intentione lucri seruile non redditur: erit tamen opus mercenarium, non gratiosum; quia esse gratiosum, vel mercenarium ex intentione pendet. At non pendet ex intentione operantis esse seruile, vel liberale. Ergo ob intentionem lucri liberale opus non redditur seruile: & ita docent generaliter loquentes Caiet. *2. 2. q. 122. art. 3. & in sum. verbo festorum violatio.* Tolet *l. 4. sum. c. 24. n. 3.* Azor. *l. 1. c. 18. q. 1.* Suarez *t. 1. de relig. lib. 2. c. 19 n. 6.* Nauar. *c. 13. n. 5.* Fagundez *lib. 1. de quinque Ecclesiæ præcept. cap. 10. n. 3. & cap. 11. num. 5.* & alij apud ipsos.

4 Dico secundò, neque transcribere etiam ob lucrum esse opos seruile: sic Med. Ludouic. Lop. Sayrus, Fagundez, Bonac. *num. præcedenti relati*, Suarez *cap. 25. n. 4.* Ratio est, quia transcribere nihil aliud est, quàm declarare, & permanenter loqui alterius conceptus. Ergo est opus liberale. Item transcribere per se ordinatur ad illustrandum intellectum, & percipiendum alienos conceptus. Ergo non corpori, sed animæ per se deseruit. Deindè transcribere nihil aliud est, quàm scribere, quod alius, vel ipse transcriptor permanenter locutus est. Ergo si scribere opus liberale est, etiam transcribere, debet esse. Qui enim scribit dictante alio exprimit illius conceptus: qui verò transcribit eius dicta, idem facit, & sola est differentia, quòd scribens exprimit conceptus alienos, quos auribus percipit; transcribens exprimit conceptus, quos percipit oculis: percipere autem oculis, vel auribus accidentarium est, nec potest opus liberale seruile reddere.

5 Neque argumentum, quo mouetur Azor videtur esse alicuius momenti, cùm iam dictum sit finem lucri, & quæstus non reddere opus seruile, quod natura sua liberale est. Ad exemplum de impressione respondeo esse longè diuersum à transcriptione, quia impressio non tam commoditati mentis, quàm commoditati corporis deseruit: cùm enim homines suos conceptus non possent in plurium notitiam diuulgare per se scripturâ; quia actus scribendi laboriosus est, inuenta est impressio, quæ hunc laborem excusat, atque adeò commoditati corporis, videtur potiùs quàm menti deseruire. Deinde esto opus impressum ad illustrandum intellectum per se ordinetur, sicut quælibet alia scriptura, actiones tamen, quæ ad impressionem concurrunt per se, & immediatè ad illustrandum intellectum non deseruiunt: nam confessionem litterarum satis apparet esse opus mechanicum, & seruile; siquidem sit per infusionem metalli liquefacti, & solùm remotè ad illustrandum intellectum concurrit, sicuti effectio papyri mechanica est, esto papyrus parata scripturæ deseruiat. Alia etiam actio est compositio litterarum, cui etiam est accidentarium, manifestatio conceptus: possent enim illæ characteres componi, quin aliquem conceptum manifestarent, præcipuè si figura in illis esset delera. Ergo talis compositio de se non est manifestatiua conceptuum, sed solùm ex accidenti. Quod à fortiori militat in illa tertia actione de impressione: accidentale enim est, quod ex tali compositione, & sigillatione exprimatur conceptus: illa enim sigillatio, & compressio communis est, & eiusdem rationis cum qualibet alia actione nullum conceptum exprimente; & accidentarium est compressioni, & sigillationi esse ibi literas taliter grauatas, & compositas, quæ conceptum explicarent: sic cum communi sententia docet Suar. *1. 1. lib. 2. c. 27. n. 8.*

6 Secunda actio huic affinis est actio pingendi, quam multi Doctores tenent non esse opus seruile, si gratia animum reficiendi, aut discendi fiat; quia tunc commoditas corporis non spectatur: ita Angel. *verbo feria. n. 31.* Sylvest. *verbo Dominica, quæst. 5. §. quinto.* Rosella, *verbo feria, num. 13.* Tabiena *n. 40.* Armilla *festum. n. 21.* quibus omnibus consentit Azor. *2. p. lib 1. c. 27. quæst. 6.* ait enim tuta conscientia facere iuuenes, qui huiusmodi artem dicendi cupidi in ea loca se abdunt diebus festis, in quibus Sanctorum hominum imagines, aut Ducum, Imperatorum, & Regum, & aliorum magnorum virorum effigies pulchrè depictæ cernuntur, quas intentis oculis, & animis intuiti pingendi imitantur; & paulò infetius addit cum Armilla opus seruile non facere eos, qui describunt, vel designant in chartis ea quæ sunt postea fabricaturi, sicuti pinellæ, quæ vt addiscant, faciunt recamaturas. Sayrus *in claui regia. lib. 7 cap. 2. num. 16.* Med. *verò, lib. 1. instruct confess cap. 14. §. 8* & Ludouic. Lop. *in suo instruct. 1. p. cap. 52.* concedunt non esse opus seruile pingere in die festo ratione lucri, & mercedis acquirendæ. Idem tenet Saa *verbo festum, num. 5. vt probabile.* Ratio est, quia actio pingendi, & est opus ab arte procedens, & ad memo-

riam conseruandam maximè ducit : media enim imagine repræsentatur nobis prototypus. Ergo est opus liberale, & non seruile ; & confirmo. Nam actio pingendi eiusdem rationis esse videtur cum actione scribendi ; siquidem in ferendis quibusdam lineis, & figuris consistit, quæ lineæ, & figuræ etiam in scriptura reperiuntur, quòd verò lineæ, & figuræ calamo, vel penicillo fiant, non videtur diuersitatem ita magnam constituere, vt opus factum penicillo sit seruile, calamo autem sit liberale.

7 Nihilominus tenenda est communior, veráque sententia, scilicet actionem pingendi de se seruilem esse, ita Caiet. 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. §. *ad* 2. Suarez *t.* 1 *de relig. lib.* 1. *c.* 26. *n.* 4. Saa *suprà* Fagundez *de quinque Ecclesiæ præceptis, lib.* 1. *c.* 11. *n.* 10. Bonacina *disp. de tertio decal. præcepto, quæst. vnica, p.* 2. *n.* 25. Ratio est ; qui hæc actio pingendi non tendit ad mentem instruendam, sed solùm ad assimilandam imaginem arte factam rei veræ, quòd autem ex tali assimilatione excitetur memoria rei repræsentatæ, hoc est per accidens, neque talis excitatio sufficit ad constituendam actionem pingendi liberalem ; aliàs effectio cuiuscumque imaginis, quæ fit per artem sculpendi, vel conflandi, esset opus liberale, in quo est diuersa ratio de scriptura. Nam scriptura procedit à mente ad exprimendos mentis conceptus, ratiocinia, & iudicia, imò est ipsamet expressio conceptuum, & locutio quædam exterior : pictura verò non est expressio conceptus, sed expressio rei repræsentatæ per conceptum, sicuti effectio domus est expressio domus conceptæ, non conceptus. Neque obstat hanc actionem sæpè à nobilibus exerceri, quia hoc est propter eius excellentiam, propria tamen est seruorum.

8 Tertia actio est piscatio, aucupatio, & venatio, quas plures Doctores existimant, esse opus liberale, si ob recreationem fiant ; esse tamen seruile, si ob lucrum & quæstum fiant : ita docuit Angel. Syluest. Rosella, Tabien. Amilla, Pisanellus relati ab Azor. 2. *p. lib.* 1. *c.* 27. *quæst.* 7. *cap. licet, de Feriis*; siquidem ex dispensatione conceditur piscatio diebus festis, & insuper propter facultatem datam mandatur, erogari aliquid in pium vsum. Azor tamen cum Med. *lib.* 1. *instruct. conf. cap.* 12. §. 8 *fol.* 95. & Ludouic. Lop. *in suo instruct.* 1. *p. cap.* 52. Saa *verbo festum, num.* 5. Nauarr. *sum. cap.* 13 *num.* 11. §. *sex* 2 Bonacina *disp.* 5. *de tertio decal. præcepto. quæst. vnica, p.* 2. *num.* 25. existimant venerari, & piscari, aucupari, & similia non esse opera per se seruilia, atque adeò esse licita : & ad *cap. licet, de Feriis*, Respondet Nau. & Azor. indultum ibi concessum piscandi illud genus piscium non esse dispensationem in præcepto ; ratione enim necessitatis videbatur dispensatum, sed erat quædam approbatio, & permissio. Neque etiam vrget hanc indultum concedi à Pontifice sub onere dandi congruam portionem Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus : nam vel illa portio erat debita ex obligatione soluendi decimas, vt dicit *glossa*, vel vt placet Ludouic. Lop. §. *non peccant*, solùm de consilio, & non de præcepto talis portio cauetur danda, idémque docuit Sylvest. *verbo Dominica, q.* 4. *n.* 6.

9 Nihilominus dicendum existimo cum Suarez *de relig, lib.* 2. *de festis cap.* 28. *à n.* 3. Fagundez, *de quinque Ecclesiæ præceptis, lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 16. venationem, & piscationem, & similia esse opus seruile per se, siquidem sunt actiones ad vsum corporis, & ipsius vtilitatem pertinentes. Quid enim est venari, vel piscari, nisi animalia colligere, occidere, & deferre. Sunt ergo hæ actiones seruiles, quæ ad vtilitatem corporis ordinantur per se, & ibi sistunt. Verùm ratione consuetudinis existimat ipse Suar. *suprà num.* 5. Fagundez, *n.* 17. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 24. licere venari ; quia scientibus, & tolerantibus pastoribus Ecclesiæ videtur hæc consuetudo introducta ; idémque existimat de piscatione in flumine moderata, & sine magno labore ministrantium in illa. At de piscatione maris non est consuetudo, nisi ob specialem, & vrgentem necessitatem ; ac proinde licita non est, iuxta, *cap. licèt, de feriis.*

10 Aduerto tamen, esto in *supradicto c. licèt, de Feriis*, solùm detur licentia ad piscandum quoddam genus piscium speciale, quod vocatur Allecia, at communiter doctores extendunt, vt videre est in Suar. *t.* 1. *de relig. c.* 32. *num.* 6. facultatem ibi concessam ad quodlibet aliud genus piscium, quod certis diebus solet apponere, cuius piscatio illo die facienda est, quin minus magna ex parte amittetur, conceditur tamen in suprad. cap. diebus dominicis, & festis dispensatio (præterquam in maioribus anni solemnitatibus) cum illo tamen onere, & obligatione, vel eleemosynam aliquam post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus faciant : quam eleemosynam dandam esse ex obligatione existimat cum aliis, Suar. *suprà*, & *lib.* 2. *de festis cap. vlt. num.* 7. & videtur conuinci, quia sub illo onere datur facultas non debita. Si tamen in maioribus solemnitatibus ex dispensationibus prælati piscandum esset, tunc si ipse prælatus dispensationem sub illo onere, & eleemosyna danda non concederet, non arcerentur piscantes illam erogare ; quia tunc non ex dispensatione *cap. licèt* : sed ex dispensatione prælati operaretur.

11 Quarta actio est prælatio, quam plures doctores affirmant non esse opus seruile, idcóque non esse peccatum saltem mortale fieri in die festo, etiam extra necessitatem, si Missa audiatur, sic Caiet. 2.2. *q.* 40. *art.* 4. Bannes *dub.* 4. *n.* 4. Valent. 2.2. *disp.* 3. *q.* 16. *p.* 5. *vers. tertio.* Saa *verbo bellum, n.* 15 Rodrig. 1. *p. sum. cap.* 126. *n.* 10. inclinat Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt sect.* 1. *p.* 12. §. 4. *fine.* Suar. *de bello disp.* 13 *sect.* 7. *num.* 24. & mouentur, quia est actio seruis, & principibus communis. Dicendum tamen existimo cum Suar. *lib.* 2. *de festis, cap.* 28. *numero* 8. Fagundez *de quinque Eccles. præcept. lib* 1. *cap.* 11. *n.* 2. Esse opus de se seruile ; quia hæc actio est merè corporalis, laboriosa, & circa effectus corporis omnino existens. Item est vsus artis mechanicæ. Ergo non est opus liberale, sed seruile. Verùm ratione necessitatis, ferè semper sunt hæ actiones licitæ, iuxta. *leg. omnes iudices. Cod. de Feriis, & leg. duces. ff. de Feriis* ; Quia si est bellum defensiuum, ordinatur ad defendendam propriam vitam, vel rempublicam. Si est aggressiuum honestatur ex necessitate comparandi victoriam, cuius opportunitas tunc occurrit. Et ex hac necessitate excusantur qui aggeribus, fossa, & vallo, arces, vrbes, oppidáve muniunt, & alia similia faciunt. Quando ab illis victoria dependet, aut sine graui damno, & iactura differri nequeunt : ita Azor. 2. *p. lib.* 1. *c* 27. *q.* 2. Vltimò addit Suar. *suprà*. Solere tempore pacis fieri in die festo aliquas exercitationes, & demonstrationes militares, quarum vsus licet, tum ratione consuetudinis, tum ratione moralis necessitatis ad publicam custodiam ciuitatis ; quia non potest commodè aliis diebus fieri. Tum denique, quia illa quæ tunc fiunt, aut nihil, aut parum de seruili opere habent, & ad memoriam potius exercendam, vel cognitionem personarum habendam, quàm ad exercendam militiam ordinantur, & si aliquod seruile miscetur, ex aliis causis honestatur. Deinde iam consuetudine receptum est iuuenes diebus Dominicis, & festiuis artem digladiatoriam discere ; quia esto discatur vsu, & exercitio operis seruilis ob necessitatem reipublicæ, cui maximè conuenit iuuenes exercitatos in prælio habere, permittitur videntibus, & consentientibus prælatis. *loco alleg tenet* Fagundez.

12 Quinta actio est iter agere, de qua existimat Caiet. 2.2. *q.* 122. *art.* 4. Sotus *l.* 2. *de iust. q.* 4. *art.* 4. §. *tertium genus.* Abulen. *Exod.* 12 *q.* 25. Esse opus seruile, consuetudine tamen excusari viatores. Ego tamen existimo non esse opus per seruile, siue pedibus, siue equo fiat, ita Nauarr. *cap.* 13. *n.* 6. *vers. diximus.* Angel. *verbo feriæ, n.* 15. & Rosella, *n.* 26. Azor. 2. *p lib.* 1. *cap.* 27 *q.* 8. Suar. 2. 1. *de relig. lib.* 2. *de festis cap.* 17. *num.* 2. Ratio est, quia iter agere est de se quædam actio naturalis consistens in quadam corporis situatione, atque exercitatione, atque adeò non est opus seruile, sed liberale. Quòd verò aliquando iter fiat cum nimia corporis defatigatione : hoc in causa non est, vt opus liberale transeat in seruile. Idem quod dictum est de actu itinerandi, dicendum est de illis agitationibus corporis, in saltationibus, choræis, & tripudiis consistunt, & à fortiori de exercitio musicæ tam voce, quàm instrumentis : omnia enim hæc ad leuamen corporis, & animi oblectamentum pertinent. Quando autem iter agitur deferendo bestiam, aut currum onustum, quibus interdum onera leuanda sunt, interdum imponenda ; si in tali leuatione, aut impositione multum temporis non consumatur, peccatum mortale non erit. At si passim onera leuanda sunt, & passim imponenda, vel multum temporis insumendum sit in talibus actionibus, cùm hæc omnia sint de se seruila, honestari debent aliquo capite extrinseco, vt licitè fiant, scilicet ex graui detrimento, quod paterentur ij agasones, seu muliones, si cogerentur die festo quiescere, quocunque iter agendo peruenirent ; vel etiam excusantur ob publicam vtilitatem, ad quam necessarium ferè semper est, vt sine mora, & grauamine hæc asportatio mercium fiat, & ita consuetudo hanc excusationem approbauit, vt docet Suarez *t.* 1. *de relig. lib.* 2. *de festis, c.* 26. *n.* 3. Azor 2 *p. lib.* 1. *c.* 27. *q.* 2. Man. Rodrig. *c.* 11. *n.* 2. *fine.* Sa *verbo festum. num.* 5.

Punctvm VI.

Quæ actiones liberales sint in die festo licitæ, atque prohibitæ.

1 *Omnis actio liberalis à iure non prohibita licita est die festo.*

2 *Licitum est doctori legere, concionari, consilia dare, & iudicem de partium iustitia informare.*

3 *Item omnis actus voluntarius iurisdictionis licitus est, & validus.*

4 *Duo genera actionum prohibentur à iure, mercatus, & fori.*

5 *Explicatur mercatus, qua ratione sit prohibitus.*

6 *Quæ pertinent ad iudicium forense, prohibentur die festiuo.*

7 *Non solùm illorum fit prohibitio, sed annullatio. Excipe, nisi dies feriatus esset in gratiam vindemiarum, & messium.*

1 REgula generalis est omnem actionem liberalem licitam esse in die festo, exceptis aliquibus à iure expressis, sic *D. Thom.* 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. Ratio est clara ; quia ex vi festi solùm

lùm est prohibitum opus seruile. Ergo liberale est concessum, nisi aliquando speciali iure exceptum sit.

2 Hinc sit licitum esse doctori, legere, concionari, consilia, & responsa dare, & iudicem de partium iustitia siue verbo, siue scripto informare; quia hæ actiones liberales sunt nullibi prohibitæ: sic Azor *tom.2. instit. moral.lib.1. cap.27.quæst.11.* Suarez *tom.1. de relig.lib.2. de festis, cap.30.num.9.* Bonacin. *disputat.5.de tertio decal. præcepto. quæst. vnica part.2. numero 7. & 8.*

3 Secundò sit omnes actus iurisdictionis voluntariæ licitos, & validos fieri diebus festis, ac proinde licitum est emancipare, adoptare, filios manumittere, seruos signare, pupillorum tutores eligere ad officia, & regimen ciuitatis, conficere testamenta, celebrare contractus, priuilegia, & dispensationes concedere, ab excommunicatione, & censuris absoluere; quia omnia hæc cùm iudicialia non sint, neque strepitum iudicialem exposulent, nullibi prohibentur: & ita tradit Sylvest. *verbo dominica, quæst.3. num.5.* Maranta. *6.part.de ordine iudiciali: titul. de alterum edit.n.39* Suarez *tom.1.de relig. cap.30.n.10.* Fagundez *de quinque Ecclesiæ præcept.lib.1.cap.13.n.14.*

4 Dixi omnem actionem liberalem esse licitam, & validam, exceptis aliquibus à iure expressis. Quæ autem hæ sint, constat *ex cap.2. & vlt.de Feriis, & leg.1.2. & 3. & vlt.Cod. eodem tit.* Voi duo genera actionum prohibentur, scilicet mercatus, & fori: sub quibus variæ tum ad contractus, tum ad iudicium comprehenduntur. De quibus sigillatim dicendum est. Ratio huius prohibitionis est, vt vitentur iurgia, dissensiones, sæcularisque distractio, quam secum afferunt hæ actiones, & quia vacationem, & quietem in die festo intentam maximè impediunt.

5 Prima est actio prohibita, est mercatus, sub quo non solùm nundinæ publicæ, quæ semel, bis vel ter in anno iussu, & concessione principis in aliquo loco fiunt, sed etiam intelliguntur nundinæ, quæ singulis hebdomadis die determinato in aliqua ciuitate, villa, aut pago celebrantur, quæ propriè nomine mercatus appellantur. Hæ ergo per se, & iure canonico illicitè fiunt die festo. At ferè in omnibus partibus consuetudine abrogata est hæc obligatio; siquidem videntibus, & non contradicentibus prælatis hi mercatus celebrantur, neque deficit iusta causa permissionis: conuenit enim maximè bono Reipublicæ diem fixum habere mercatus, vt sic ex vicinis partibus ad emendum, vel vendendum illuc possint accedere, quod fieri non posset, si adueniente festo mutaretur: sic Nauarr. *cap.13.n.8.* Tolet. *lib.4.sum.cap.24. num.4.* Suar. *tom.1.de relig.lib.2.de festis cap.29 num.5.* Fagundez *de quinque Eccles.præcept.c.12.lib.1. num.6. & 7.* Vterius sub nomine mercatus comprehenditur à doctoribus quælibet emptio, venditio, locatio, permutatio, vt benè expendit Suar. *dicto cap.29. num.1.* At magna ex parte hoc præceptum consuetudine est derogatum. Videmus namque operarios sine vllo scrupulo die festo conduci, bona defunctorum publica voce præconis vendi, necessaria cibo, & potui venialia fieri, calceos, aliásque res leues emi, ac denique passim fiunt priuatæ venditiones, vel locationes, tum in gratiam emptoris, qui alio die adesse non potest, tum in gratiam vendentis, qui alio die non posset ex defectu ementium vendere; vt benè tradit Azor. *2. tom.instit.moral.lib.cap.27. quæst.10.* Quapropter in hac parte spectanda est consuetudo, quæ solùm videtur esse, ne apertis officinis, & quasi in publico hi contractus particulares celebrentur,

6 Secunda actio prohibita iure canonico est placitum, seu iudicium forense, sub quo omnes actiones pertinentes ad iudicium comprehenduntur, vt manifestè constat ex *tribus capitibus 15.quæst.4. & ex cap.1.de Feriis.ibi.* His diebus nec placitum fiat, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta, id est iuramenta præstentur, & licèt hæc iuramenta, & sententiæ sub nomine placiti comprehensa essent, maioris claritatis gratia exprimuntur. Quod constat ex *cap.vlt. de Feriis.* Vbi solùm dictum est, iudicialem strepitum diebus festiis debere conquiescere, qui ob reuerentiam Dei noscuntur esse statuti. Sub hoc ergo placito, strepituque iudiciali tres speciales actiones comprehenduntur; nempe citatio partis, formatio processus, seu cognitio causæ, & sententia: quia his tribus actionibus iudicium constat. Hæ ergo siue in criminali causa, siue in ciuili prohibentur. Quia supradicti textus generaliter loquuntur, prohibent inquam omnem strepitum iudicialem, omnéque placitum, & verba generalia generaliter sunt intelligenda, maximè cùm in honorem Dei sit hæc prohibitio, ita Caietan. *2. 2. quæst.122.art.4.* Nauar. *cap.13. num.13.* Tolet. *lib.4. sum.cap.24. num.5.* Suar. *tom.1.de relig. lib.2. de festis, cap.29. n.8.* Fagundez *de quinque Ecclesiæ præcept. lib.1.c.12. num 9.*

7 Adde non solum supradictas actiones diebus feriatis in honorem Dei prohiberi, sed insuper annullari, & irritari, ita vt ex consensu partium validæ fieri non possint: habetur expresè, *capite vltim. de feriis.* Ibi adeo conuenit ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quàm contingit diebus huiusmodi promulgari. Fauétque *lex vt in die eodem feriis*, ibi, quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritetur, & licèt ibi non videatur facta ipso iure irritatio, non tamen contradicit factam iure canonico. Quare hæc est differentia inter mercatum, & iudicium: nam mercatus solùm prohibetur, *cap.1. de Feriis*, factus tamen tenet. At actus iudicij non solùm prohibentur fieri die feriato in honorem Dei, sed etiam facti annullantur, ita vt neque possint litigantes tali annullationi renunciare: quia est annullatio facta ob finem publicum religionis, cuí fini publico nullus homo particularis derogare potest, sic Azor. *2.tom instit.moral.lib.1. c.27. quæst.18.* Syluester *verbo dominica n.2.* Tolet. *lib.4. sum. cap. 24.num.5.* Fagundez *de quinque Eccles præcept.lib.1.cap.12.n. 11.* & colligitur aperte ex *dicto cap.conquestus de feriis, & glossa ibi, Abbate num.9.* Verùm si dies feriatus non fit in honorem Dei, sed gratia vindemiarum & messium in vtilitatem hominum, actus iudiciales ex consensu partium eo die facti & liciti, & validi sunt quia tali vacationi, & festo possunt partes renunciare, vtpote in gratiam, & vtilitatem ipsorum introducto. At si partes non consentiant integra prohibitio. & annullatio perseuerat, vt benè tradit Robert. Maranta. *6.p.de ordin.iudic. vbi de actorum edit.num.36.* & Fagundez *lib.1.de quinque eccl. præcept.cap.12.n.11.* Placet tamen quamlibet iudicij partem sigillatim explicare.

PVNCTVM VII.

Qua ratione citatio, processus, & sententia die festo prohibeantur?

1 *Citatio, quæ mandatum iudicis de citando reum, & executionem ipsius comprehendit, prohibita, & nulla est, si in die festo fiat.*

2 *Si citatio facta est in die professo, seu citaris, vt in die festo compareas, nullum est mandatum.*

3 *Si mandatum sit, vt intra decem dies compareas, & dicimus est festus, plures censent non tenere mandatum, probabilius est tenere.*

4 *Citari non potest reus existens in loco vbi est dies festus, tam ipse in loco iudicis non seruetur.*

5 *Examinatio testium qua ratione continet interpositionem iurisiurandi illicita, & nulla est die festo, quatenus verò continet depositionem ipsorum testium licita est secundum aliquos.*

6 *Probabilius est etiam depositionem testium in die festo illicitam & nullam esse.*

7 *Extendenda est doctrina ad depositionem testium in causa spirituali.*

8 *Fit satis argum. num.5. adductis.*

9 *Oblatio libelli contra partem iam citatam est licita die festo.*

10 *Sententia data inter partes illicita est, & inualida die festo.*

11 *Sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti in die festo pronuntiari possunt.*

12 *Executionem sententiæ tametsi aliqui existiment licere die festo. Probabilius est oppositum.*

13 *Appellatio in die festo non videtur posse interponi.*

14 *Tenendum tamen est interponi posse, quia est communis sententia.*

15 *Fit satis argum. num.13. adductis.*

16 *Sententia iudicis arbitri illicita est die festo, secus arbitratoris.*

17 *Limitanda supradicta sunt, nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat.*

1 PRima ergo pars iudicij est citatio, quæ comprehendit & mandatum iudicis de citando reum, & executionem ipsius mandari, quæ nomine citationis appellatur. Quælibet harum partium, si die feriato fiat, illicita est, & nulla, vt probat *text. in cap.conquestus, de Feriis.* vbi omnis iudicialis strepitus præcipitur conquiescere, sed quælibet ex his partibus pertinet ad iudicialem strepitum. Item ibi annullatur processus habitus, sed processus necessariò constat ex mandato iudicis de citando, & executione talis mandati. Ergo omnia hæc in die festo facta annullantur. Fauet etiam *lex vlt.Cod. de Feriis* ibi; taceat apparitio præconis, horrida vox fileat, quasi diceret, nec iudex vocet reum, nec vocatus annuat. Quocirca vt processus formari possit, actáque sint valida, debet præceptum de citando reum, & ipsa intimatio præcepti die professo fieri: sic Maranta *6.p. de ordin.iudiciar.tit recte concipitur citatio, n.119.* Suarez. *to.1. de relig.lib.2.de festis, cap.30 n.4.* etsi Azor. *tom 2 instit.mor. l. lib.1.c.27.quæst.17.* Fagundez *lib.1.de quinque Eccles præcept. cap.13.num.11.* & alij apud ipsos. Et ratio est; nam præceptum iudicis de citando reum est actus iurisdictionis contentiosæ ex causæ cognitione procedens; non enim iudex hoc mandatum dare potest, quin prius examinet, an iustè, an malitiosè actor procedat, sed ex supradictis textib. constat omnem strepitum

iudicialem

iudicialem his diebus debere cessare. Ergo debet cessare hoc citationis mandatum, quod est iudicij initium. Quod si mandatum iudicis in die profesto factum sit, & executio illius in die festo fiat, talis executio nulla erit; quia illius executio est propria citatio, & licèt fiat per ministrum, sit tamen nomine iudicis, & secum imbibit iudicis mandatum, & iurisdictionis exercitium, & ad strepitum iudicialem omnino pertinet. Aduertit tamen, & bene Suar. & Fagundez *suprà*, facta hac intimatione in die festo, mandati expediti in die profesto, non spitare mandatum iudicis, sed posse alio die profesto intimari, ac si primò intimatum non esset; quia ex illa nulla applicatione mandati nullibi annullatur mandatum legitimè datum.

2 Potest tamen iudex mandatum expedire in die profesto, & in eo parti intimari, at esse mandatum, vt in die festo compareat. Et tunc certum est tale mandatum illicitum, nullum, & iniustum esse, vtpote iuri aduersum, cum enim ex iure habeatur omnem strepitum iudicialem quiescere debere, apparitionémque tacere, illicitè, nulliter, & iniustè mandatur talis apparitio. Item iudex in die festo non potest reum examinare, neque processum facere, quomodo ergo præcipere potest, vt tali die compareat? ad quid ergo comparere debet: & ita notauit Abbas *cap. vlt. de Feriis num.* 21. Part. *in leg. ex quacunque, ff. si quis in ius vocatus non ierit, circa finem.* Maranta 6. *part. de ordin. iudiciar. Rub. rectè concipitur citatio, num.* 120. Fagundez *lib.* 1. *de quinque Ecclesiæ præcept. cap.* 13. *num.* 2. Azor *tom.*2. *instit. moral lib.* 1. *cap.*27. *q.*16. Suar. *tom.*1. *de relig. lib.* 2. *de festis, cap.*30. *num.*3.

3 Sed quid si iudex dicat, vt intra decem dies compareas, & dies decimus signatus est festus, tenetne mandatum. Non desunt qui negent, quos refert Maranta *loco nuper allegato.* Et mouentur; quia tunc iudex virtualiter obligat, vt die festo compareas; siquidem non teneris ante decimum diem comparere; dies autem decimus est festiuus. Ergo obligans, vt intra decem dies compareas, obligat te die festo comparere. Quod autem apparitionem in diem sequentem debeas differre, verba præcepti non indicant, imò potiùs tali dilationi aduersantur. Nihilominus affirmandum est tale præceptum valere; quia est de apparitione tempore licito, præcipit tibi iudex, ne apparitionem vltra decem dies proroges, cùm autem id facere possis, quin diebus festis compareas, comparando nempe tempore habili, efficitur sanè mandatum iustum esse, & ita tenet Maranta *suprà.* Suar. *de relig. lib.* 2. *de festis. cap.* 30. *num.*3. Fagund. *lib.* 1. *de quinque Eccles. præcept. cap.* 13. *num.* 3. & 7. Sed dubium est; an teneatis præuenire apparitionem ante decimum diem festiuum, an possis in diem sequentem ad decimum festiuum differre? Suar. & Fagundez, existimant te posse differre, neque esse obligatum antea apparere. Mouentur; quia sic videtur esse vsus, & stylus iudicum. Cæterùm de consuetudine mihi non constat, in rigore tamen iuris, si verba pensentur, credo te obligatum esse diem festum præuenire; siquidem mandatum non arctatur pro aliquo determinato die ex illis decem, solùm enim obligat, ne vltra differatur. Hoc tamen fieri potest, si appareas aliquo ex illis diebus habilibus. Ergo teneris apparere: sic Bartol. *in cap. cum dilecti de dolo,& contumac.* Bonacina *disp.*5. *de tertio decal. præcepto quæst. vnica, p.*2. *num.*17. Vlterius inquires, si iudex dicat, vt appareas decimo die, qui est festus, valetne mandatum? Credendum est nolle apparitionem ad illum diem determinare, sed velle ne vltrà illum differatur, & tunc valet mandatum, & citatio. At si ad illum diem determinaretur, clarum est nullum esse mandatum. In casu autem dubij præsumenda est prima intentio; quia fauorabilior, & quia semper præsumptio facienda est pro valore actus.

4 Tandem dubitabis, an reus citari possit existens in loco, vbi dies festus celebratur, tametsi loco iudicis non celebretur? Respondeo non posse, quia intimatio mandati à iudice lati negari non potest fieri in loco, vbi est dies festiuus. Ergo fit illicitè, & nulliter. Item hæc intimatio non est metienda secundùm regulas loci iudicij; quia ibi non fit, sed secundùm regulas loci, vbi pars citata residet. Quod secus dicendum est de mandato, & sententia, quæ quia à iudice fiunt, locum iudicis spectant, & secundùm illius regulam metiendæ sunt. At citatio rei, & intimatio ei facta de inditis mandato semper metienda est ex loci conditionibus, vbi res existit, quia ibi formaliter fit: sic Bonacin. *disput.*5. *de tertio decal. præcepto,q.vnica part.* 2. *num.* 20.

5 Secundus actus iudicij, qui prohibetur, est examinatio testium, sub qua examinatione duæ actiones includuntur. Prima est interpositio iurisiurandi, de qua interpositione nemini dubium esse potest nec licitam esse, neque validam die festo, cùm ad strepitum iudicialem pertineat, & sit vnum ex expressè prohibitis in *cap.* 1. *de Feriis*, ibi, nec Sacramenta præstentur. Secunda actio est depositio testium, de qua depositione existimat Azor *tom.*2. *inst. tu. moral. lib.*1. *cap.*27. *quæst.*14. *cum glossa. Speculat.* Ioan. Andr. & aliis, & Maranta *de ordin. iudic.6.p.tit. actorum edutio, num.* 40. non prohiberi in die festo, si iusurandum in die profesto susceptum sit. Panorm. verò *in suprad cap.* tametsi existimet depositionem illicitè fieri die festo; quia distrahit à diuinis, at si fiat validam esse. Fundantur primò, quia talis depositio retrotrahitur ad diem non festatum, in qua delatum est iuramentum, est enim depositio iuramento accessoria. Secundò; quia non est actus iudicialis, vt à iuramento distinguitur, & ita fieri solet per merum executorem, neque persona iudicis necessum est ibi intercedat.

6 Verùm mihi contrarium est probabilius, scilicet depositionem, testium esse illicitam, & nullam, si in die festo fiat, ita relato Anton. *in suprad. cap.* 1. *de Feriis*, docet Suarez, *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de festis, cap.* 30. *num.* 16. Fagundez *de quinque Eccles. præcept. lib.*1. *cap.*13. *num.*16. Bonacin. *disput.*5. *de tertio decal. præcepto, q.vnica, p.*2. *num.*21. Ratio est; quia per hanc depositionem firmatur processus, & bis continuatur, at *in suprad. cap. conqueſtus, de Feriis*, mandatur litem omnino quiescere, & processum habitum non tenere. Ergo talis depositio omnino est illicita, & nulla. Item non examinantur testes, quin renouent iuramentum factum, & sub illius obligatione. Deinde vel testes cogi possunt die festo ad respondendum, vel non? si cogi non possunt; ideò est; quia eorum depositio actus est iudicialis qui in die festo est prohibitus; si cogi possunt; eorum depositio non erit actus iudicialis. At negari non potest depositionem testium actum esse iudicialem, cùm à iudice fiat, & omnino necessaria sit ad causæ decisionem. Ergo. Quapropter tabellio scribens die festo dicta testium, & fidem illorum faciens grauiter peccat; tum quia aduersatur directæ prohibitioni factæ in *cap.* 1. *& cap. vlt. de Feriis.* Tum quia facit actum nullum. Negati enim non potest scripturam illam ad substantiam processus pertinere, qui in die festo factus irritatur, & annullatur. Adde, omnis actus iudicialis, qui illicitus est, etiam est nullus, & è contra; quia lex Canonica illos prohibens simul etiam irritos facit, vt constat ex *cap. vlt. de Feriis*, vbi postquam dixerat omnem strepitum iudicialem debere quiescere, subdit, nec processus habitus teneat, nec sententia: & ita notauit Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.*2. *de festis, cap.*30. *num.*6. Fagund. *lib.*1. *de quinque Eccles. præcept. cap.*13. *num.*7.

7 Amplia supradictam examinationem testium nullam, & illicitam esse non solùm in causa temporali, sed etiam in spirituali; quia text. supradicti generaliter loquuntur Suar. *dicto, cap.*30 *num.*8. Reginald. *lib.*14 *praxis, num.*47. Bonac. *de tertio decal. præcepto, q.vnica p.*2. *num.*21.

8 Neque argumenta pro sententia Panorm. obstant, Ad primum dico illam retrotractionem factam esse sine aliquo fundamento in iure; ac proinde non admittendam, præcipuè cùm pietati, & religioni plurimum deroget. Ad secundum nego non esse actum iudicialem depositionem testium iuratam, tametsi non fiat iuramentum, cùm actualiter deponunt, sufficit si fecerint, & ex illo veritatem dicere obligentur; aliàs depositio nullius vtilitatis esset. Ad replicam concedo per merum executorem fieri posse hanc depositionem. At quia nomine iudicis, & ex authoritate ab illo accepta recepit depositionem; ea de causa talis depositio actus est iudicialis; quia in iurisdictione iudicis fundatur. Aliàs neque etiam iuramentum, neque citatio dici posset actus iudicialis, cum per merũ executorẽ fieri possint.

9 Sed quid dicendum de oblatione libelli contra partem iam citatam? Breuiter respondeo, in diebus feriatis ob gratiam vindemiarum, & messium, hominúmque vtilitatem licitè; & validè fieri, vt probat *lex Miles, §. sexagintæ, ff. de Adult.* & tradit Maranta *6.p. de ordin. iudic. tit. de libelli oblatione, num.*29. At in diebus feriatis ob honorem Dei aliqui affirmant fieri non posse, nisi ex necessitate aliqua excusetur. Cæterùm probabilius credo licitè, & validè fieri. Quia non reputo oblationem libelli esse actum iudicialem, neque ad formationem processus concurrere, quousque parti contrariæ authoritate iudicis intimetur. Non enim oblatio libelli à iudice promanat, sed à litigante, neque est iurisdictionis vsus, sed supponit iurisdictionem in illo, cui offertur. Aliàs quælibet denuntiatio in die festo actus iudicialis reputari posset, & prohibitus; quod non est dicendum, & ita aliis relatis docet Fagundez *de quinque Eccles. præcept. lib.*1. *cap.*13 *num.*21.

10 Tertius actus iudicij est sententia, de qua certum est illicitè, & inualidè ferri, ex text. *in cap. vltim. de Feriis*, ibi, Nec processus habitus teneat, nec sententia. Quod non solùm intelligendum est de sententia in causa criminali, sed etiam in ciuili; & in causa temporali, sed etiam in spirituali; quia supradictus textus generaliter loquitur, & fauet *lex vltim. Cod. de Feriis*, qui specialiter loquitur de sententia ad mortem, vel ad pœnam; quia vt ibi notat glossa, de illa maximè intelligenda est prohibitio, & irritatio, non quia ad alias sententias non extendatur, sic omnes Doctores. Aduertendum tamen est, quod sententia, quæ in supradicto cap. prohibetur, & annullatur, est sententia data inter partes, quæque requirit causæ cognitionem, & iudicialem strepitum: nam sententia hanc cognitionem non præsupponens, neque prohibetur, neque irritatur; quod sufficienter colligitur *ex dicto, cap. vlt.* vbi mandatur omnem strepitum iudicialem quiescere, & processus habitus irritatur, & sententia, quæ ex vi illius processus lata sit: sic Azor *tom.*2. *instit. moral, lib.*1. *cap.*27. *quæst.*22. Suarez, *t.*1. *de relig lib.*2. *de festis.cap.*30. *num.*9. Bonacina *disputat.*5. *de tertio decal. præcepto, quæstiua vnica, p.*9. *num.*12.

11 Sed

11 Sed dubium est. Primò, de sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti lata in die festo, an illicita, & inualida sit? Affirmat Anton. Buttio, *in cap. vltim. de Feriis*, motus ex *leg. vltim. Cod. de Feriis*, vbi mandatur, vt omnis vox iudicis his diebus sileat; sed non silet, cùm sententiam ferit supradictarum censurarum, sed potiùs loquitur. Ergo id facere non potest. Tenendum tamen est contrarium licitè, & validè in festo has ferri sententias: sic Caietan. 2.2. *quæst.* 222. *art.* 4. Maranta 6. *part. de ordine iudiciar. tit. Actorum editio. n.* 47. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de festis. cap.* 30. *n.* 9. Fagund. *lib.* 1. *de quinque Eccles. præcept. cap.* 13. *num.* 22. Bonacin. *de tertio decal. præcepto. disput.* 5. *quæst. vnica, p.* 2. *num.* 12. quia non sunt sententiæ, quæ causæ cognitionem requirant; sed sunt præcepta, seu leges has pœnas imponentes. Qui enim excommunicat, suspendit, & interdicit, non indicat delicta, sed delinquentem à delicto remouere intendit. Adde non esse has censuras pœnas punitiuas, sed medicinales, & in bonum animæ ordinatas. Ergo non prohibentur. Neque text. *in leg. vltim.* nobis contrarius est; siquidem ibi mandatur, vt omnis vox iudicis sileat, quæ strepitum inquam iudicialem expostulet, & quæ propriè sit vox iudicis iudicantis, non superioris medentis.

12 Secundò dubitatur, an executio sententiæ, siue criminalis, siue ciuilis licitè, & validè fiat in die festo? Affirmat Panormit. *cap. vltim. de Feriis, & cap. vltim. de Iudiciis, num.* 22. Mouetur; quia executio sententiæ non videtur iudicialis; siquidem data sententia iam iudex functus est officio suo, & quæ postea sequuntur non tam ad iudicem, quàm ad eius ministros pertinent. Nihilominus probabilius existimo non solùm illicitam esse, sed inualidam quantum fieri possit executionem sententiæ factam in die festo, sic docuit Felin. *in dicto, cap. vltim. de iudic. num.* 13. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de festis, cap.* 30. *num.* 11. Fagundez *lib.* 1. *de quinque Eccles. præcept. cap.* 13. *n.* 23. Bonacina *de tertio decal. præcepto disput.* 5. *p.* 1. *num.* 22. Ratio est; quia executio sententiæ est terminus, & complementum strepitus iudicialis. Ergo prohibito, & annullato strepitu iudiciali hæc executio annullatur, & prohibetur, præcipuè cùm maiorem perturbationem soleat ingerere, quàm ipsa sententia ingerit. Et facit *lex vltim. Cod. de Feriis*, ibi; vt à cunctis executionibus excusetur, nulla quemque vrgeat admonitio, taceat apparitio præconis, horrida vox sileat. Ex qua optimè colligitur in *cap. vltim. de Feriis*, idem esse prohibitum, vt bene expendunt supradicti Doctores. Dixi executionem sententiæ esse nullam, *quantum fieri potest*; quia cùm constitat in facto, sæpè transit, nec reuocabile est, at si factum reuocari potest, reuocandum est.

13 Tertiò, dubitatur de appellatione, an licita, & valida sit die festo? Suar. *tom* 1 *de relig. lib* 2. *de festis, cap* 30. *num* 13 & Reginald. *lib.* 19. *praxis num.* 45. *vers. quinta quæstio*, tametsi dubitent, an licitè fieri possit, non audent consulere. Ratio est primò; quia appellatio iudicialis est pars processus, sed processus habitus die festo non tenet, ergo neque appellatio. Secundò, pertinet ad strepitum iudicij, cùm suspendat iurisdictionem in iudice à quo, & firmet in iudice ad quem. Tertiò, prosequi appellationem in die festo illicitum est, ex *leg.* 1. *Cod. de Feriis*. Ergo à fortiori illam statuere. Quartò, cùm proponitur iudici appellatio, ipse cognoscere debet, an iusta, & legitima sit, vt hac ratione à cognitione causæ abstineat, sed totum hoc pertinet formaliter ad strepitum iudicialem. Ergo. Quintò, nullo iure habetur appellationem iudicialem licitam, & validam esse. Ergo absque fundamento affirmabitur. Sextò, quia nulla excogitari potest necessitas interponendi die festo appellationem, cùm ad appellandum decem dies concedantur, in quibus moraliter loquendo plures professi sunt.

14 Fateor si rationi inhærendum esset, mihi probabilius videri appellationem in die festo interponi non posse. At quia communis sententia contrarium docet, id affirmandum est: sic *glossa, in capite vltim. de Feriis*, & ibi Panorm. *numero* 12. Felin. *col.* 5. Caietanus, 2. 2. *quæstione* 12. *articulo* 4. §. *sed ad hoc.* Fagund. *libro* 1. *de quinque Eccles. præcept. capite*, 13. *numero* 24. Bonacina *disputatione* 5. *de tertio decal. præcepto, quæst. vnica part.* 2. *numero* 13. Ratio est primò; quia appellatio non est actus iudicialis, quia non est exercitium iurisdictionis, cùm nullo modo à iudice proueniat, sed à parte. Secundò, esto actus sit iudicialis, est actus propriam personam defendens, sed defensio propria iure naturæ conceditur quolibet die. Ergo, & appellatio. Tertiò; quia in *leg.* 1. *Cod. de Feriis*, conceditur tam in feriis repentinis, quàm in solemnibus appellatio; quæ lex, sicut & aliæ, quæ de hac ratione loquuntur, à iure Canonico est approbata. Idem quod dictum est de appellatione, censerem dicendum de recusatione iudicis.

15 Ad primum contrarium dico appellationem esse partem processus; nego tamen ex annullatione, & prohibitione processus omnem illius partem prohiberi, & annullari, sed solùm partem, quæ authoritatem iudicis imbibit. Ad secundum, nego appellationem pertinere ad strepitum iudicialem, tum quia sine strepitu fit, tum quia est defensio propria. Ad tertium concedo prosecutionem appellationis fieri non posse; quia hæc sine strepitu iudiciali fieri non potest, secus verò appellationem: item appellatio magis necessaria est, quàm prosecutio illius. Ad quartum dici posset cognitionem iudicis, an appellatio legitimè interponatur non licere, bene tamen ipsammet appellationem. Secundò, dici potest hanc cognitionem, sicut & appellationem honestari ob defensionem à iure naturæ concessam, quam ius Canonicum tollere non intendit. Ad quintum, concedo expressè nullo iure scripto haberi appellationem esse licitam die festo: habetur tamen ex consuetudine, & communi Doctorum sententia. Ad sextum fatè esse moralem necessitatem appellandi die festo, vel quia ille qui appellare debet, absens est, vel pauper, vel alia via impeditur, vt die festo appellet, & ob huiusmodi contingentiam meritò ius appellationem die festo concedit.

16 Quartò, dubitatur de sententia arbitri; an licitè, & validè in die festo dari possit? Dicendum est neque licitam, neque validam esse, quia arbiter pronuntiat sententiam seruato iuris ordine, & præmissa causæ cognitione, eáque de causa reputatur ordinarius iudex: sic Panormit. *cap. vltim. de Feriis. num.* 12 Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de festis, cap* 30. *num.* 15. Fagund. *lib.* 1. *de quinque Eccles. præcept. cap.* 13. *num.* 26 At partes optimè possunt in huiusmodi iudicem arbitrum die festo consentire: quia huiusmodi consensus non est iudicialis actus, sed quidam contractus, quo se mutuò obligant stare sententiæ latæ à iudice electo sub pœnæ stipulatione, sic *relati Doctores*. Quando autem aliquis non in arbitrum, sed in arbitratorem, hoc est, in amicabilem compositorem eligitur, certum est posse die festo officium suum exercere; quia tunc non iudicat, sed componit, talis autem compositio, & pacis fœdus opus est charitatis, & nequaquam prohibitum die festo: sic Fagund. *suprà*.

17 Supradicta de iudicio limitanda sunt, nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat. Nam si aliqua ex iis conditionibus adsit, & citatio, & processus, & sententia in die festo facta licita sunt, & valida, vt expressè habetur, *cap. vltim. de Feriis*. Nomine necessitas (vt bene explicat Hostiens. & Panormit. *in cap. vltim de Feriis*. Suarez, *tom.* 1. *de relig lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 19. Azor. 2. *tom. instit. moral. lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 12. Fagund. *lib.* 1. *de quinque Eccles. præcept. cap.* 12 *num.* 12. Bonacin. *disputat.* 5. *de tertio decal. præcepto, q. vnica, p.* 2. *num.* 9.) intelligitur, quando periculum adest temporalis damni priuati, vel publici, *leg.* 1. §. *sed excipiuntur. ff. de Feriis*, ibi: Si res tempore peritura sit, hoc est, si dilatio actionum est peritura, & consonat, *cap. significauerunt de iudic. & lex* 2. *ff. de Feriis*, dicitur posse iudicium formari die feriato ratione rei seruandæ, id est, vt *Glossa* exponit, quando est debitor suspectus, ne dilapidet bona. Idémque est, quando timetur fugiturus, aut debitum deterioraturus notabiliter. Quod à fortiori procedit in nocumento, & damno spirituali; est enim hoc præferendum omni alio temporali commodo, vt bene aduertit Suar. *suprà*, & addit hanc necessitatem habere locum non solùm in causis ciuilibus, sed etiam in criminalibus: sic enim latro suspectus de fuga potest in die festo incarcerari, & in eum procedi, quantum necesse fuerit, iuxta *glossam*, Bart. *& alios in leg. vlt. Cod. de Feriis*, & tradit Maranta 6. *part. de ordin. iudic. tit. Actorum editione*. 38. Suar. & Fagund. *vt suprà*. Item si actor delictum commissum sit cum publico scandalo in die festo, potest statim iudicari, & puniri. Suar. *suprà*. Fagund. *cap.* 13. *num.* 28. Qua ratione solent hæretici in diebus festis publicè iudicari, & supplicio affici, vt maior concursus fiat, & omnibus sit in exemplum, terrorem, & instructionem. Nomine pietatis ferè idem intelligitur à supradictis Doctoribus. Affirmant namque, quoties est aliqua specialis indigentia in litigante, qualis cernitur in constituendis tutoribus, & curatoribus, & alimentis assignandis, iuxta *l. g.* 2. *ff. de Feriis*; & generaliter quoties ligitantes sunt valdè pauperes, & ex dilatione grauantur expensis vltra vires, possunt in die festo expediri. Ex quo fit iudices morales excusari pauperum negotia decidentes diebus festiuis; quia alio tempore non possunt à suo continuo labore sine graui incommodo desidere, Caiet. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4 Nauarr. *cap.* 13. *num.* 13. Azor *lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 11. & 12. Reginald. *lib.* 19. *num.* 44. Fagundez *lib.* 1. *de quinque Ecclesiæ præcept cap.* 12. *num.* 12. Bonacina *disputat.* 5. *de tertio decalogi præcepto, q. vn. p.* 2. *num.* 9. Idem est, si testes, & personæ requisitæ ad decisionem litis alio tempore commodè haberi non possunt. Tolet. *lib* 4. *cap.* 24. *num.* 5. Fagundez *dict. cap.* 12. *num.* 12. Azor, Bonacina & Reginald. *suprà*. Supradictam doctrinam extendunt Maranta 6. *part. de ordin. iudic. tit. Actorum editio. numero* 48. & Fagundez *dict. cap.* 12. *numero* 12. ad causas illorum, qui sunt in vinculis detrusi; quia eorum accelerata solatio ad pietatem pertinet, & colligitur ex *leg. dies, ff. de Feriis, & leg. custodiat, ff. de public. iudic.*

PVNCTVM

PVNCTVM VIII.

An quodcunque iuramentum in die festo prohibitum sit?

1 *Proponitur prima sententia affirmans.*
2 *Explicatur secunda sententia negans.*
3 *Media via eligitur, & affirmatur iuramentum iudiciale, & illud quo contractus firmantur prohibere.*
4 *Quoties iudicium, vel contractus celebrari potest die festo, & iuramentum præstari potest.*

1 AFfirmat Panormit. *cap.1. de Feriis, num.8.* & clariùs, *cap. vlt.num 18.eod.tit.* Mouetur, quia in *dicto, cap.1.* æquè prohibetur iuramentum, ac prohibetur mercatus, & iudicium, sed ex prohibitione absoluta mercatus non solùm mercatus publicus, & solemnis, sed etiam particularis prohibetur, & ex absoluta prohibitione iudicij non solum iudicium in causa criminali, sed etiam in ciuili interdicitur. Ergo ex absoluta prohibitione iuramenti, non solùm iuramentum iudiciale, sed etiam extraiudiciale debet esse prohibitum. Secundò, in *suprad.cap.1.* excipitur iuramentum pro pace, hoc est iuramentum factum ad componendam aliquam litem, & remouenda iurgia, concordiámque inter aliquos firmandam: sed hoc iuramentum, vt de se constat, extraiudiciale est. Ergo prohibitio antecedenter facta de iuramento extraiudiciali erat. Aliàs frustraneam hanc exceptionem iuramenti pro pace faceret. Tertiò, si solùm iuramentum iudiciale in die festo prohibitum esset, sufficienter Pontifex illud expressérat sub nomine placiti; siquidem est vnus ex actibus iudicij ad cognitionem causæ, decisionem litis, & sententiam pronuntiandam requisitus sed non obstante illa expressione post factam placiti prohibitionem, prohibet iuramenta. Ergo signum est prohibuisse ibi iuramenta extraiudicialia, aliàs superfluè adderet illam iuramentorum prohibitionem, cùm iuramenta iudicialia sub nomine placiti essent prohibita.

2 In contrarium procedit Caiet. *2.2.quæst.122. art.4. §. secundum* affirmat namque prohibitionem factam in *suprad.cap.1.* de iuramentis intelligi debere de solis iuramentis iudicialibus. Et probat; tum quia interpretatio facienda est iuxta subiectam materiam, quæ erat de iudiciis. Tum quia absurdum est affirmare quodlibet iuramentum licitum, & honestum, esse peccatum; eò quòd in die festo emittatur, & quodlibet iuramentum illicitum duplex peccatum esse. Aliud contra religionem iuramenti, aliud contra festi obseruationem. Tum denique, quia superiores rationes Panormit. non vigent. Non prima, dici enim potest æquè generalem esse prohibitionem iuramenti, ac est prohibitio placiti, ac proinde comprehendere iuramentum tam in causa criminali, quàm in ciuili. Negatur tamen extendi ad iuramentum extraiudiciale; quia non videtur text. hanc extensionem expostulare. Ad secundam concedi potest non fuisse necessariam illam exceptionem iuramenti pro pace, sed exempli gratia appositam esse, vt sub illa exceptione intelligeretur quodlibet iuramentum pium esse comprehensum. Ad tertiam dicitur sub prohibitione placiti iuramentum iudiciale prohibitum esse, sed maioris claritatis gratia expressum fuisse; sicuti sub nomine placiti sententia ad mortem, & ad pœnam comprehensa erat; nihilominus tamen expressa fuit; quia vt ait *Glossa* ibi, illa sententia maximè prohibetur: sic dicendum est de iuramento.

3 Inter has extremas sententias media via mihi tenenda videtur, cum Suarez, *lib.2. de festis, cap.30. num.17.* Fagund. *de quinque Eccles. præcept. lib.1. cap.13. num.29.* Affirmo namque non solùm iuramenta iudicialia, sed etiam extraiudicialia prohiberi, non tamen omnia, sed ea quibus firmantur contractus, & conuentiones sub nomine mercatus prohibiti. Facta enim prohibitione illorum contractuum meritò prohibetur iuramentum quod illis accedit. Quod autem prohibitio iuramenti non solùm de iuramento iudiciali, sed de iuramento firmante contractus prohibitos intelligendum sit, probatur; quia text. æquè prohibet mercatum, & iudicium, & statim subdit iuramenti prohibitionem. Ergo debet intelligi de iuramento respiciente iudicium, & respiciente mercatum; quia nulla apparet ratio, ob quam vni potiùs, quàm alteri applicetur. Ex quo fit si die festo contractum aliquem prohibitum illo die facias, & iuramentum exprimere, quia duplex peccatum commisisti: sic Fagund. *num.30.*

4 Aduerte tamen quotiescunque iudicium, vel contractus, die festo celebrari potest, & iuramentum licitè præstari. Tum quia est eadem ratio; tum quia concesso principi, & accessoria conceduntur: sic Suarez & Fagundez *suprà.*

PVNCTVM IX.

Vtrum quodlibet peccatum mortale sit specialiter prohibitum in die festo, ita vt illud committens necessariò teneatur in confessione explicare circunstantiam diei festi?

1 *Affirmant plures,*
2 *Tenenda tamen est contraria sententia.*
3 *An aliqua culpa contra religionem saltem committatur? Placet aliquibus committi. Probabilius est oppositum.*
4 *Satisfit argum. num.1. adductis.*
5 *Non peccas aduersus præceptum seruandi festum, si in ludis, & comessationibus diem consumas.*
6 *Ex præcepto seruandi festum non obligaris contritionem, amorem Dei, aliáque opera charitatis exercere, tametsi in peccato existas.*

1 GRaues Doctores affirmant, præcipuè Ioann. Med. *eod. de Orat.quæst.10.& 19.* & Cordub. aliis relatis, *in quæst.lib.3. quæst.6.* vbi plures refert. Suar. Fagund. Guttier. & alij pro nostra sententia referendi, & videtur esse aperta sententia D. Thom. *2.2.quæst.122.art.4.ad 3.* vbi dicit opera seruilia, & peccata contrariari obseruantiæ Sabbati, quatenus impediunt applicationem hominis ad diuina, & quia magis impeditur homo à rebus diuinis per peccatum, quàm per opus seruile, magis peccatum huic præcepto contrariatur. Deinde probari potest ex *1. considerct, de pœnit.dist.5.* vbi circumstantiam temporis explicandam in confessione dicit, esse, si commissum peccatum fuit tempore orationi constituto, aut in festiuitate Sanctorum & in tempore ieiunij: clariùs in *cap. 1. de Feriis*, vbi dicitur omnes dies Dominicos à Vespera in Vesperam cum omni veneratione decernimus obseruari, & ab omni illicito opere abstinere. Neque deest ratio pro hac sententia, quia festum institutum est ad colendum Deum, & honorandum, at peccato maximè inhonoratur. Ergo peccatum contrarium est huic præcepto. Et confirmo quia negari non potest specialem repugnantiam cum ratione habere, vt tempus destinatum ad laudandum Deum in peccatis insumas, sed quod cùm ratione pugnat, peccatum est. Ergo est speciale peccatum commissum in die festo. Item de loco ad tempus; & de tempore ad locum valdum est argumentum, *leg. fin. ff si certum petatur*, & ibi Doctores, *leg. fin. de Triticea.* sed peccatum commissum in loco sacro est sacrilegium. Ergo etiam commissum in tempore sacro sacrilegium erit. Deinde peccatum videtur opus seruile, & consequenter sub prohibitione abstinendi ab operibus seruilibus contineri; peccator enim efficitur seruus dæmonis, quia ei quis seruit, cui obedit, vt dicitur. *ad Rom.6. & 2. Petri 2.* Ergo peccatum constituens seruum, opus est seruile.

2 Nihilominus tenenda est contraria sententia his temporibus communior, scilicet peccare in die festo non esse specialiter prohibitum hoc præcepto, neque necessariò manifestandum: sic Nauarr. *in dicto cap. consideret, de pœnit. dist.5. in princ. n.22.* Couarr. *c. Alma mater, 1.p.§ 5.n.3. & lib 4.var.cap.19. in fin.* Guttier. *lib.1.canon.quæst.cap.31.n.9.* Suar. *t.1. de relig.lib 2. de festis, cap.18.n.3.* Azor. *2.p.instit.moral.lib 1.cap.28.quæst.10.* Bonac. *de tertio decal. præcepto, disp.5. q.vnica.p.1. in princ.* & alij plures apud præcitatos Doctores.

Ratio huius conclusionis est, quia materia huius præcepti, seu quod in hoc præcepto mandatur, est sola cessatio ab opere seruili, sed peccatum de se non est opus seruile: quia de se non est opus mechanicum, & manuale; aliàs, & peccatum intentum dici posset opus seruile. Quòd autem peccator per peccatum seruus dæmonis efficiatur, illa est seruitus metaphorica, & impropriè, siquidem propriam libertatem, & dominium propriarum actionum non tollit; non igitur est sufficiens ad constituendum opus seruile. Item malitia aduenies actionibus liberalium artium, quales sunt legere, docere, scribere, non mutat earum naturam. Si igitur ex sua natura non sunt opus seruile, neque ex malitia illis aduenient esse poterunt. Deinde opera seruilia, aut liberalia in die festo prohibita in aliis diebus profestis licent. At peccatum numquam licet. Ergo peccatum de se non est hoc præcepto specialiter prohibitum. Denique cultus, qui hoc præcepto specialiter prohibitum. Denique cultus, qui hoc præcepto mandatur, est sola Missæ auditio, & ab opere seruili cessatio; sed per quodlibet peccatum non impeditur Missæ auditio, neque ab opere seruili cessatio. Ergo quodlibet peccatum non est contrarium cultui diuino mandato. Ergo non pugnat cum hoc præcepto. Fateor tamen contrarium esse fini huius præcepti, qui est Deo vacare, & totum illum diem in ipsius honorem transigere, cui fini quælibet actio peccaminosa opponitur. At cùm finis præcepti non cadat sub præceptum, vt est recepta omnium sententia; efficitur sanè peccatum non cadere sub hoc præceptò obseruandi festa; quia non cadit sub auditione Missæ, nec sub cessatione ab opere seruili.

3 An autem culpam venialem contra religionem committat peccans in die festo? Affirmare videtur Caiet. *in sum. verbo dies festus*, Armilla 161. *num.23.* Suar. *t.1. de relig lib.2. de festis, cap.18.*

cap.18. n.26. Quia dies festus sanctificatus est, & consecratus ab Ecclesia in diuinum cultum. Ergo quodam modo pollutur, & violatur actione peccaminosa, sicut aliis peccatis commissis in templo, templum Dei violatur. At credo nullum contra religionem peccatum committi, tametsi intra eandem speciem grauiùs. Priorem partem probo; quia non potest esse opus contra religionem, peccatum, nisi ex ipsamet religione prohibeatur. At ex religione seruandi festa non prohibetur peccatum, quatenus peccatum est, sed solùm opus seruile. Ergo peccatum quatenus tale, non est contra religionem festi. Adde, si contra religionem peccaret, qui die festo furtum committeret, posset tanta esse grauitas furti; vt meritò peccatum mortale contra religionem fieret; quæ enim ratio esse potest quominus crescere non possit vsque ad mortale talis oppositio? Quod autem intra eandem speciem grauiùs pecceat, qui peccat in die festo, quàm qui peccat in profesto clarum est, nam hæc grauitas ex multis capitibus consurgit, tum ex qualitate personæ, tum ex cognitione beneficiorum, tum ex circumstantia loci, tum temporis, &c.

4 Argumenta *n.1.* adducta non vrgent. D. Thom. namque explicari potest de contrarietate ad finem præcepti, cui peccatum si graue sit, magis opponitur; quàm opus seruile, non tamen admittenda est doctrina de contrarietate formali ad ipsum præceptum ob rationes dictas. Ad *cap considereț*, respondeo loqui de consilio, non de præcepto: sic explicat Gutierr. *dict.cap.31.num.* Suar. *cap.18. num.17.* Nauarr. *in dicto. cap. considereț, num.32.* & alij passim. Adde circumstantiam temporis sæpè efficere posse circumstantiam necessariò confitendam, vel ratione scandali, vel ratione contemptus, vel si opus ipsum, quo peccatur, seruile sit. Ad textum, *in cap. 1. de Feriis*, dico tibi non esse sermonem de opere illicito vtcunque; sed in tali materia, quæ obseruationem festi violet. Ad rationem concedo festum institutum esse ad Deum colendum, non quibuscunque mediis ex præcepto, sed solùm duobus, scilicet auditione Missæ, & cessatione ab opere. Peccatum ergo etsi fini honorandi Deum opponatur, quia tamen mediis præceptis non opponitur, ideò non est contrarium formaliter huic præcepto. Ad confirmationem nego specialem repugnantiam oppositam religioni habere cum ratione peccatum commissum in die festo, potiùs quàm in die profesto, concedo tamen habere specialem, seu maiorem repugnantiam oppositam illi virtuti aduersùs quam peccatum est. Ad secundam confirmationem concedo de loco ad tempus validum esse argumentum in iis, quæ in vtroque prohibentur: at sicut non omnia peccata facta in die festo sunt prohibita, sed peccata quæ sunt opera seruilia, sic neque omnia peccata in loco sacro prohibentur, sed quæ immunitati illius loci obstant. Ad tertiam confirmationem iam dictum est peccatum impropriè dici opus seruile? hoc autem præcepto opus seruile proprium, quale est corporale, manuale, mechanicum prohibetur, non tamen opus seruile spirituale, improprium, & metaphoricum, quale est peccatum.

5 Ex hac doctrina infertur, primò te non peccare aduersus hoc præceptum, tametsi totum diem festiuum in ludis, comessationibus, & ebrietatibus consumas, modò rem sacram audias, & ab opere seruili abstineas; quia aliæ prauæ actiones non sunt magis in die festo, quàm in profesto prohibitæ. Neque obstat D. Augustt. *lib. decem chordis, cap.3.* vbi sic ait: Melius faceret Iudæus in Sabbato in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro seditiosus existeret, & melius fœminæ eorum in die Sabbati lanam facerent, quàm quòd tota die næomeniis impudici saltarent. Ergo maius peccatum est ludis, comessationibus, aliisque pravis actionibus vacare, quàm operi seruili inhærere. Non, inquam obstat. Fateor namque minus malum esse seruilia opera facere, quàm actiones relatas ab Augustt. exercere, sed nego esse minus malum aduersus religionem debitam diei festo, quia aliarum actionum cessatio ex religione non debetur; non enim diei festo debetur abstinentia illarum actionum, sed aliundè prouenit obligatio, At abstinentia ab opere seruili diei festo, eiusque sanctificationi debetur; eáque de causa aduersus obseruationem festorum maius malum est operi seruili inhærere, quàm aliis pravis actionibus incumbere, tametsi secundùm se minus malum sit. Nauarr. *cap.6. num.10.* Azor. *2. p. lib.1. cap.38. quæst.10.* Suar. *lib.2. de festis. c.18.n.2. & seqq.* Bonac. *disp.5. de tertio decal. præcepto, q.vnica, p.2. n.4.* Fagund. *lib.1. de quinque Eccl. præceptis, cap.vlt. n.30.* & alij apud ipsos.

6 Infertur secundò te obligatum non esse ex præcepto seruandi festa, contritionem, amorem Dei super omnia, aliáque pietatis opera exercere; tametsi in peccato existas. Quia vt dictum est *punct.4.* ex nullo iure habetur te diebus festis obligatum esse alio cultu honorare Deum, quàm auditione Missæ, & cessatione ab operibus seruilibus; sed hæc sufficienter fieri possunt, tametsi in peccato existas, neque contritionem habeas, aliáve opera pietatis exerceas. Ergo ad illa exercenda non teneris: sic Doctores *num. præcedenti relati.*

Punctum X.

Quæ causæ excusent ab huius præcepti obseruatione.

1 *Expenduntur opera, quæ ob religionem excusantur, tametsi aliàs seruilia essent.*
2 *Ex causa pietatis qui excusentur.*
3 *Expenduntur qui sint excusati ex causa necessitatis publicæ, vel priuatæ, propriæ, vel alienæ.*
4 *Supradictæ causæ religionis, pietatis, & necessitatis debent esse moraliter certæ, vt excusent.*
5 *Qui excusentur ex dispensatione, & qui possint dispensare.*

1 VAriæ sunt causæ excusantes *ad 4. capita*, eas reducere possumus, religionem scilicet, pietatem, necessitatem, & dispensationem. Et causa religionis excusantur opera diuino cultui seruientia; hæc autem sunt in triplici differentia, quædam per se diuino cultui inseruiunt, alia præparant ad illum, alia remotè, & per accidens conducunt. Quæ per se diuino cultui inseruiunt, licita sunt; quia tunc dici non possunt propriè seruilia, cùm per illa non hominibus, sed Deo seruiatur. Vnde licitum est deferre crucem, organa, & cymbala pulsare, aliisque musicis instrumentis vti: sic omnes Doctores. Quæ verò præparant diuinum cultum non debent fieri die festo, si ante præueniri possunt; quia sunt actiones de se communes hominum seruitio. At si ex industria in die festo fiant, non videntur culpam venialem excedere secluso contemptu, aliisque circunstantiis extrinsecis. Quia huiusmodi actiones ex coniunctione diuini cultus amittunt maxima ex parte rationem seruitutis; eáque de causa earum labor solùm culpam venialem constituit: sic Caiet. *in sum. verbo festorum violatio*, & 2. 2. *quæst.* 122. *art.4.* Suar. *t.2. de relig. lib.2. de festis, cap 21. num.11.* Azor. *2.p. instit. moral. lib.1. cap.28. q.5.* Fagundez *lib.1. de quinque Eccles. præcpt. cap.14. num.4.* Bonac. *disput.5 de tertio decal. præcept. quæst. vnica, p.3. num 6.* & alij. Ex qua doctrina ferè omnes relati Doctores inferunt solùm culpam venialem esse absque rationabili causa die festo panes azimos coquere, templum verrere, parietes illius tapetibus ornare, tabulatum facere in templo à solemnitate peritum, publicas vias mundare, si futura est processio, & alia eiusmodi, quia hæc ob coniunctionem diuini cultus leuis materia reputantur. Dixi. si absque rationabili causa fiant die festo, cùm possint die profesto præueniri: nam si aliqua causa rationabilis intercedit, qualis est si die profesto non commodè reperiantur, qui hæc opera præstent, vel paramenta non fuerunt commodo tempore submnistrata, vel Sacrista oblitus est præuenire, tunc cesset omnis culpa: sic Bonac. Azor, Fagundez, Suar. locis citatis. Alia verò opera diuino cultui remotè, & per accidens conducentia nequaquam licent die festo; quia hæc indifferentia sunt, vt cultui diuino, & hominum corporali seruitio inseruiantiae proinde solùm ex relatione operantis, & non ex se diuinum cultum spectant, eáque de causa per se seruilia sunt & illicita sic Suar. *dict.cap.21. n.2.* Nauarr. *cap.13. num.4.* Fagundez, *lib 1. de quinque Eccles. præcp. cap.14. num.6.* Bonac. *disput.5 de tertio decal. præcept. quæst. vnic. p.3. num 6.* Regina d. *praxi, lib 19. num.48.* & alij apud ipsos. Quapropter non licet colere agros Ecclesiæ, portare lapides ad illius ædificium, illam construere; nisi forte Ecclesia ita indigeat his subsidiis, vt absque illis grauem iacturam patiatur, vel Episcopus ob pietatem licentiam laborandi concedat: sic Azor. *2.p instit. moral. cap.28. qæ. 5. tertio*, Fagund. Bonac. Suar & alij *supra*.

2 Ex causa pietatis excusantur sepelientes mortuos, curantes infirmos, & quæcumque alia opera de se pia exercentes. Quia hæc est pia necessitas quocunque tempore permissa. At nequaquam excusantur, qui vt faueant loco publico, vel pio laborant; non enim licet congerere ligna, & lapides pro loco publico, & pio ædificando, vias publicas pro viatoribus sternere, quia hæc omnia per se sunt seruilia, & solùm ex intentione operantis sunt pia, & religiosa, quæ intentio non sufficit ad honestandam actionem. Alias liceret cuilibet laborare die festo, vt ex lucro acquisito eleemosynam pauperibus erogaret, quod non est dicendum; quia opera præcepta postponenda non sunt supererogatoriis: sic Eman. Rodrig. *sum. cap.121. num 1 & 2.* Bonac. *dict.p.3.n.7.* & consentiunt Nauarr. Reginald, Caiet & alij, *num. præcedenti relati.* Tametsi Eman, Saa, *verbo festum, n.6. in edit. complet.* contrarium videtur sentire. Inquit enim, excusantur laborantes pro loco pio, & publico. Sed est intelligendum, si tali labore grauiter indiget locus pius, aut publicus, aut dispensatio Prælati accedit, quæ facilè est concedenda.

3 Ex causa necessitatis tam priuatæ, quam publicæ, tam propriæ, quàm alienæ plures excusantur. Quia Ecclesia non intendit cum tanto detrimento legum suarum obseruationem: sic Doctores omnes in seqq. referendi.

Ex hoc ergo capite excusantur. Primò parantes ea, quæ ad cibum, & potum deseruiunt, tametsi superflua sint & potiùs ad

ad delectationem, quàm ad substentationem deseruiant: ita D.Thom. *communiter receptus*, 2. 2. *quæst.* 122. *artic.* 4. *ad* 4. consuetudine namque hoc iam est introductum; sicuti extensum est ad actionem colligendi fructus eodem die, vt saniores, & integriores sint, & ad actionem occidendi, & excoriandi animalia, præcipuè si ratio aliqua necessitatis, vel vtilitatis intercedit, qualis est cibaria non esse ita suauia, si alio die disponantur: sic Suar. *t.* 1. *de relig. lib.* 2. *de festis, cap.* 21. *n.* 4. Bonac. *disput.* 5. *de tertio decal. præcepto, quæst. vnica, part.* 3. *num.* 9. Secundò, excusantur coquentes panem, si plures festiuitates concurrant; quia regulariter in extremis vrget necessitas coquendi. Tum quia panis coctus non est sufficiens, tum quia non est satis aptus; Azor 2. *p. lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 2. Tertiò, excusantur curam habentes molendini aqua, vel vento agitati; quia paruum, vel nullum laborem habent. At si fiat alio instrumento, vulgo ataona, quia grauem laborem continet, nequaquã licét, nisi aliqua necessitas grauis vrgeat: sic Eman. Rodrig. *sum. cap.* 121. *num.* 4. Bonac. *disput.* 5. *de tertio decal. præcept. quæst. vnica, p.* 3. *num* 9. Quartò, excusantur Chirurgi, Medici, Pharmacopolæ medicinas die festo parantes saluti infirmorum pro illo die necessarias; aliàs autem nequaquam licet; quia illarum nulla est necessitas: sic relato Soto, & Sayro, tradit Bonac. *num.* 10. Suar. *cap.* 21. *num.* 7. Azor. *cap.* 27. *quæst.* 2. Quintò, excusantur agricolæ, qui ingruente pluuia laborant, vt segetes tueantur, vel qui ob venti commoditatem pergant triticum in area, aut fructus colligunt, aliter periculum timentes; quare regulariter tempore messis, vel vindemiarum datur sufficiens causa laborandi, saltem cum dispensatione; quia regulariter est periculum aduersi temporis, & grauis damni, Suar. Bonac. Azor, *suprà*. Fagund. *lib.* 1. *de quinque Eccles. præcept. cap.* 14. *n.* 11. Sextò excusantur, qui ni laborent die festo non possunt se, suámque familiam sufficienter sustentare, sed non debent laborem prorogare vltra id quod sibi necessarium est; insuperque debent audire Missam, & vitare scandalum, quare non publicè, sed secretò labori incumbant, Azor. 2. *part. lib.* 1. *cap.* 18. *q.* 4. Suar. *lib.* 2. *de festis, cap.* 32 *num.* 2. Tolet. *lib.* 4. *sum. cap.* 25. *n.* 3. Fagund. *de quinque Eccles. præcept. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 7. Bonacin. *disput.* 5. *de tertio decal. præcept. quæst. vnica, p.* 3. *num.* 17. Septimò, excusantur regulariter filij, serui, aliæque personæ subiectæ, quæ à Domino compelluntur laborare; quia si ei non obediant, graue damnum patientur; quia vel domo expellentur, nec facilè inuenient, cui inseruiant, vel Dominum in festum habebunt, vel solutio debiti salarij differretur, aut non obtinebitur, & alia huiusmodi quæ grauia reputantur: sic Nauart. *cap.* 13. *num* 7. Azor. *cap.* 28. *quæst.* 5. Fagund. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 9. & 12. Bonac. *part.* 3. *num.* 16. Suar. *cap.* 32. *num.* 4. At est aduertendum, ne in contemptum festi compellantur laborare; quia tunc mors potiùs subeunda esset, quàm iniquis mandatis obedire: sic *practicati Doctores*. Octauò, excusantur coquentes lateres, regulas, vitrum, aliásque similes actiones præstantes, quæ sine graui iactura omitti non possunt, & in diem profestum differri: sic Suar. *c.* 32. *num.* 3. & 4. Nauart. *c.* 13. *n.* 7. Fagund. *lib.* 1. *de quinque Eccles. præcept. c.* 14. *n.* 15. Bonac. *de tertio decal. præcepto, disput.* 5. *q. vnica, p.* 3. *n.* 13. Nonò, excusantur ob necessitatem publicam die festo laborantes; si enim propria necessitas laborem honestat, à fortiori publica honestare debet, quæ particulari præferenda est, sic excusantur reficientes pontes, fontes, vias publicas, quæ sine graui iactura boni communis differri non possunt. Item remigantes die festo, iter facientes onustis mulis, quando sine graui incommodo, vel proprio, vel alieno cessare non possunt. Suar. *cap.* 32. *num.* 4. & 5. Fagund. *cap.* 14. *num.* 23. Bonac. *p.* 3. *num.* 12. Azor. 2. *t. lib.* 1. *cap.* 28 *q.* 4. & 5. Extendunt tamen Suar. Azor. & Fagund. supradictam ad laborantes in occasione alicuius lætitiæ publicæ, parantes vestes, struentes tabulata, portantes arma, fabricantes instrumenta lætitiæ, quando alio tempore profesto præueniri non possunt, quia hæc signa communia lætitiæ sunt reipublicæ necessaria. Decimò, excusantur piscantes quoddam genus piscium, quod vno tempore determinato apparet, & statim discedit, cuiusmodi sunt, Tumni, aleciæ, sardæ, &c. quia huiusmodi capturæ amissio reputatur graue damnum, & ita hæc piscatio à iure conceditur, in *cap. licet de Feriis*, excepris maioribus festiuitatibus, Natalis Domini, Epiphaniæ Paschæ, Ascensionis, & Pentecostes; sic Nauart. *dict. cap.* 13. *num.* 9. Fagund. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 13. Bonacin *disput.* 5. *de tertio decal. præcepto, quæst. vn. p.* 3. *num.* 15. Azor. 2. *t. instit. moral. lib.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 11. & alij. Extendunt tamen supradictam doctrinam aliqui ad quemlibet laborem necessarium, ne lucrum aliquod graue amittatur, quia illa amissio reputatur damnum, ac proinde iam vrget necessitas: sic indicare videtur Bonac. *loco allegato*. At omnino talis extensio repellenda est; aliàs nulla esset obligatio seruandi festos, siquidem cuilibet videri posset, non parum lucri amittere non laborando, aut enim tale lucrum est necessarium ad alicuius sustentationem determinatè, vel non? Si non est necessarium non est causa sufficienter laborem honestans, quia obseruans festa, & lucrum non acquirens non grauatur; secus verò si cogeretur ea, quæ iam habet amittere, aut grauem necessitatem ob amissionem lucri pati: sic Suar. *tit.* 1. *de relig. lib.* 2. *de festis, cap.* 33. *num.* 9. Neque obstat supradictum, *cap. licet, de Feriis*, vbi ob lucrum acquirendum datur facultas piscandi; quia indè optimè colligitur sine tali facultate non fore licitum. Deinde illa piscatio non cedit in vtilitatem priuatam tantùm, sed potiùs communem; ac proinde ob reipublicæ necessitatem, & bonum illius talis facultas conceditur, quæ ad alios casus dissimiles extendi non debet. Vndecimò, excusatur laborans ob vitandum aliquod peccatum, qui enim timeret probabiliter otium sibi fore occasionem peccandi, aliquantulum laborare posset: sic Eman. Saa, *in vtraque edit. num.* 6. quia tunc adest necessitas spiritualis, quæ efficacius excusat, quàm corporalis. At rarò existimo seruile opus medium esse necessarium ad vitandum periculum peccandi; siquidem lectione, oratione, scriptura, aliáque recreatione honesta vitari potest æquè, ac opere seruili peccati periculum.

4 Aduerto tamen supradictas causas religionis, pietatis, & necessitatis excusantes laborem in die festo debere esse moraliter certas, & indubitatas. Nam cùm præceptum seruandi festa certum sit, certa debet esse causa illius obligationem tollens: sic Nauart. *cap.* 13. *num.* 16. Reginald. *prax. lib.* 19 *num.* 30. Suar. *cap.* 32. *num.* 3. & 4. Bonac. *p.* 3. *num.* 14. Fagud. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 26.

5 Ex vltimo capite dispensationis excusantur ij, quibuscum Prælatus dispensat. Pro cuius explicatione notandum est festa esse in duplici differentia. Alia sunt ex iure communi, alia ex constitutione Synodali. In festis Synodalibus, si Episcopus, vel eius Vicarius absque legitima causa dispensationem concedat, valet dispensatio; secus verò in festis iure communi obseruandis, vt latè diximus, *tit. de legib. disput. vlt. de dispensat.* Causa autem sufficiens, vt Prælatus in iis dispenset, arbitrio prudentis relinquitur; si enim dispensatio generaliter est concedenda, causa communis adesse debet, at si aliquibus personis tantùm, causa specialis sufficit, hæc autem ad pietatem, vel ad necessitatem reducenda est. Potest enim Episcopus, vt promoueatur aliquod opus pium, facultatem concedere tali; vel tali die laborandi, tibi autem specialiter concedere potest, vt aliquam iacturam euites, quæ licèt grauis non sit, & quæ se sola absque dispensatione excusaret, at præbet sufficientem occasionem dispensandi. Sub nomine Episcopi comprehendo quemcunque habentem iurisdictionem quasi Episcopalem, Abbates exemptos, Capitulum sede vacante, Superiores religiosorum comparatione suorum subditorum, *Glossa, in cap. quemquam, de vsuris, in 6. verbo loci ordinario*, Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 2. *cap.* 28 *q.* 5. Fagund. *lib.* 1 *cap.* 14. *num.* 28. De parocho autem dicendum est ex receptа consuetudine hac potestate dispensandi gaudere, quoties Episcopus adiri nequit, ne fideles remedio destituantur: sic aliis relatis docent Azor. *cap.* 28. *q.* 6. Suar. *cap.* 33. *num.* 2. Fagund. *num.* 27. Bonac. *p.* 3. *in fin.*

TRACTA-

TRACTATVS X.

RELIGIONIS,

ET

DISPVTATIO VNICA,

De Decimis, Primitiis,& Oblationibus,

PROOEMIVM.

CONSTANS esse debet solutionem decimarum, primitiarum, & oblationum, tum actum religionis esse, tum actum iustitiæ. Est actus religionis, quatenus fit Ecclesiæ ministris in recognitionem diuini dominij, & supremæ excellentiæ. Solutione namque decimatum, & oblationum recognoscimus omnes illos fructus à Deo accepisse, Deúmque esse illorum authorem. Est actus iustitiæ, quatenus fit in sustentationem ministrorum Ecclesiæ debitam. Ministri enim Ecclesiæ nobis spiritualia ministrant, & pro nobis laborant. Debemus ergo illis temporalia suppeditare. Nam qui altari seruit, de altari viuere debet. Hic tractatus vnica disputatione absoluitur, in qua explicabimus, qua ratione decimæ, primitiæ, & oblationes debeantur, & cui, & à quibus, & ex quibus rebus, & sub qua pœna.

PVNCTVM I.

Quid sit decima, quotuplex, & quo iure soluenda.

1 *Definitur decima.*
2 *Tripliplex est decima,iuxta triplicem differentiam fructuum.*
3 *Iure diuino decimam esse debitam plures affirmant.*
4 *Probabilius est hanc quotam solo iure Ecclesiastico deberi, tametsi iure diuino, & naturali debeatur ministris congrua sustentatio.*
5 *Quibus mota fuerit Ecclesia ad imponendum hanc quotam.*

1 ENumeratis fructibus decima pars ministris Ecclesiæ applicatur, & hæc vocatur decima; quia est decima pars fructuum:sic Azor.1.*p.instit.moral.lib.7.c.34. quæst.*1. Lessius *de iustit.lib.2.c.39.dub.*1.Fagund.*de quinque Eccles. præcept. tract.vlt.lib.*1.*cap.*1.Suar. *tom.*1. *de relig.tract.*2. *lib.*1.*cap.*9. *& seqq.*Bonác.*dispur.vlt.de præcept.Eccles quæst.*5.*p.*1.& alij referendi.

2 Cùm autem fructus sint in triplici differentia, alij sunt prædiales, quia à prædio proficiscuntur; alij personales, quia à persona ipsa, & propria industria ortum habent. Alij verò, qui partim à persona,partim à rebus ipsis habentur:ideò communiter triplex decima à Doctoribus constituitur. Prima vocatur prædialis ex fructibus agrorum, arborum, piscinarum, molendinorum, locationum ædium, &c. Secunda personalis, quia debetur ex fructibus prouenientibus ab industria personæ,vt ex negotiationis lucro,ex mercatura, venatione,piscatione,ludo,bello,&c. Tertia mixta, quia ex fructibus acquisitis, partim industria, partim ex prædio prouenit, vt sunt fructus animalium,lana,lac,caseus,butirum,&c. Hi enim fructus, tum ex pascuis,tum ex animalibus interuenientе hominum industria in eorum sustentatione pascuntur,ea de causa mixti vocantur: ita communiter Doctores. Hostiens. *in princ. huius materiæ,* Nauarr.*cons.*1.*de Decimis,*Lessius *lib.*2.*cap.*39.*dub.*3. *num.*12. Suar. *verò tract.*2.*lib.*1.*cap.*9 *cum aliis, n.*4. sub decima prædiali mixtam comprehendi posse arbitratur;quia licèt maiorem industriam, & custodiam requirant animaliæ, quàm agri, & vineæ,vt ex ipsis fructus percipiantur. Hoc non obest, quominus inter prædiales possint computari: licèt enim maior industria requiratur in percipiendis fructibus segetum,quàm arborum: sub eadem tamen diuisione vtraque decima comprehenditur: ita similiter dici poterat de fructibus animalium, & agrorum.Sed quidquid sit de hac quæstione nominis; certum est de omnibus rebus, tam quæ proueniunt ex prædiis,ex agris, & hortis,quàm quæ prouenіunt ex animalibus,& ex industria, decimas deberi,nisi aliud consuetudine præscriptum sit,vt constat ex *cap.non est,cap.ad Apostolicæ,& cap.ex transmissa.cap. pastoralis, de Decimis,* & ibi Doctores. Quæ omnia latiùs in seqq. explicabimus.

3 Difficultas est inter Doctores Thelogos, & Canonistas, quo in iure decima debeatur. An iure diuino, vel tantùm Ecclesiastico? Et quidem certum est tempore legis scriptæ iure diuino deberi decimas prædiales, & mixtas, hoc est ex fructibus terræ, & animalium,vti constat,ex *cap.* 22.*&* 23.*Exodi*:& præcipuè ex *cap.*27. *Leuitici.* Personales autem debitæ non erant, quia nullum verbum apparet in his capitibus, ex quo possit clarè colligi debitas esse,ita Soto *lib.*9.*de iustit.quæst.*4. *art.*2. Couarr.*lib.*2.*var.cap.*17.*num.*5.*& seqq.* Suar.cum aliis, *lib.*1.*cap.*9.*num.*6. Tempore verò præsenti legis gratiæ affirmant Innocent. *in cap.vlt.de Præciis,* & in Rub.*de Decimis,* Glossa, *in cap.*1.*de Decimis, in* 6.*&* 16.*quæst.*7. Andreas *Hisp. de Decimis.*§.2. Rebuff. *in tract.de Decimis,quæst.*1. *n.*9. *&* 10. Hostiens. *in sum. tit. de Decimis,* & alij, quos recenset Couar. *lib.*1. *cap.*17. præceptum soluendi decimas præcipuè prædiales esse de iure diuino à Christo Domino tradito: personales verò decimas multi ex iis tenent solùm iure Ecclesiastico. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex variis decretis Pontificum, titulo de Decimis: vbi affirmare videtur Pontifex decimas debitas esse iure diuino, præcipuè *cap. tua nobis,* vbi ait Pontifex, Decimæ quas Deus in signum vniuersalis dominij sibi reddi præcipit: & *cap. Parochianos*: ibi, cùm decimæ non ab homine, sed à Deo sint institutæ, tanquam debitum exigi possunt, similia habentur, *cap. decimas, vlt.*16.*q.*1.*& cap.maiores,cap.quinque, quæst.*7.

4 Nihilominus contraria sententia tanquam verè omnino tenenda est;scilicet ex iure diuino, naturali, aut positiuo non deberi ministris Ecclesiæ decimas, sed solùm iure Ecclesiastico; deberi tamen ex iure diuino, & naturali sustentationem.

Hanc sententiam defendunt communiter Theologi. Sotus *l 9. de iust q.4.art.1.* Nauar. *cap.21.n.28.* Couar. *lib.1.var.c.17. à prine.* Valent. *2.2. disp.6 q.5.p.1.* Gutierr. *lib 2. canon.qq c.21. n.8.* Lessius *lib.2.c.30.dub.1.n.6* Suar. cum aliis, *tract.2.lib.1. c.10.n.3.* Bonac. *de quinto Eccles. præcepto. disput. vltim. quæst. vnica p.1.n.3.* Fagund. *tract. de 5. Eccles. præcepto, lib.1.cap.1. n.3.* Conclusio habet duas partes. Prima, solo iure Ecclesiastico deberi decimas. Secunda, sustentationem ministri Ecclesiæ deberi iure naturali. Et hæc secunda pars non indiget probatione. Est enim manifestum fideles teneri alere ministros Ecclesiæ; siquidem eis inseruiunt: dignus est enim operarius mercede sua. Prima verò pars, scilicet ex iure naturali, nec positiuo, non deberi decimas, sed solùm Ecclesiastico, sic probatur; quia recta ratio solùm dictat sustentationem debitam esse ministris, qui nobis in rebus spiritualibus inseruiunt: quòd autem hæc sustentatio sit per applicationem decimæ partis fructuum, potiùs quàm octauæ, vel duodecimæ, nulla ratione potest affirmari esse de iure naturæ. Item in lege naturæ nulla fuit obligatio soluendi decimas, vt tradunt D. Thom. *2.2.q.87. a.1.ad 2.* Nam licèt Abrahamus obtulerit Melchisedech decimas, *14. Gen.* non constat ex obligatione fecisse, sed in gratiarum actionem pro victoria obtenta: similiter etiam Iacob *Genes. 28.* Deo promisit cunctorum, quæ ipsi dederit Deus, decimas oblaturus, cùm ergo ex voto se intendat obligare, non videtur obligatus esse ex præcepto diuino. Efficitur ergo iure diuino naturali non deberi. Et qua ratione infertur à fortiori non deberi decimas personales iure diuino naturali. Nam tempore legis naturæ nunquam solutæ fuerunt, neque ratio dictat ex iis fructibus decimam partem deberi. Quod autem neque iure diuino positiuo debeantur, sic probo. Quia nullibi à Christo domino reperimus hoc præceptum latum de soluenda decima parte fructuum. Nam Paulus, & Euangelistæ solùm affirmant ministros Ecclesiæ ex altari viuere debere, & qui nobis spiritualia ministrant, iure carnalia deberi, non tamen vnquam assignarunt deberi illam decimam partem, lex verò antiqua de decimis, & generaliter omnia præcepta tam ceremonialia, quàm iudicialia illius legis data populo illi Israëlitico, cùm fuerint ad tempus, quousque veniret semen, id est Christus, vt ait, *Paul. ad Galat 3.* veniente Christo cessarunt. Ergo ex illis sumi non potest argumentum in lege gratiæ tale præceptum esse: præcipuè cùm vt ait D. Thom. *1.2. quæst. 108 art.1. & 2.* & communiter Doctores, nullum est præceptum diuinum, iudiciale, vel ceremoniale, à Christo Domino traditum, nisi illorum, quæ pertinent ad fidem, Sacramenta, & sacrificia. Adde sæpè Ecclesiam eximere aliquos ab obligatione soluendi decimas personales, & prædiales, quæ consuetudine introduci posse hanc exemptionem, vt habetur, *cap. in aliquibus, 32. §. fin. de Decimis.* Non ergo debentur iure diuino: aliàs nulla consuetudo præualeret, neque Pontifex ita facilè dispensaret. Efficitur ergo solùm iure Ecclesiastico decimas deberi. Deberi autem iure Ecclesiastico constat, ex decretis adductis in prima sententia, & ex aliis quæ videri possunt, *tit. de Decimis, & in decreto. 16.q.1.* Quapropter Concil. Trid. *sess 25.cap.12.* mandat excommunicari eos, qui decimas subtrahunt, aut impediunt, neque ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absolui, quod intelligit Nauarr. *cap.22.n.32.* & Lessius *dub.1, num.3.* de iis, qui ante mortem, vel ante tempus, quo tenentur Eucharistiam sumere, restituere possunt: ij enim nisi priùs restituant decimas debitas, absolui non possunt.

5 Motiua autem, quæ Ecclesia habuit ad imponendam hanc quotam fuit primò ad imitationem legis scriptæ, in qua erat diuinum præceptum de soluenda decima; eáque de causa dicuntur decimæ iure diuino deberi; quia debentur ex constitutione Ecclesiæ lata ad imitationem iuris diuini antiqui: & quia debentur vt res sacræ, & sacris ministris deputatæ dicuntur iuris diuini, sicut res aliæ religiosæ, quæ à communi vsu separantur, iuris diuini sunt; per quæ soluuntur fundamenta primæ sententiæ. Secundò, mouetur Ecclesia ad imponendam hanc quotam, ne fideles minus gratos se ostenderent, quàm iusti legis naturæ, & scriptæ, qui decimas ex fructibus, quos possidebant, obtulerunt; imò potiùs gratiores; quia maiora beneficia accipiunt à ministris Ecclesiæ: quæ fuit causa assignandi personales; licèt in lege naturæ, & scriptæ non deberentur, & præcipuè quia multæ familiæ, & ciuitates, ac respublicæ nullum agrum habent, ex quo decimas soluere possint: in lege verò veteri nulla erat familia; quæ agrum non haberet, ex quo decimam solueret. Conueniens ergo fuit hanc quotam assignare, vt sic ad sustentationem ministrorum omnes concurrerent: alias rationes addunt Lessius *cap.39 dub.2.* & Suar. *cap 11.*

***

PVNCTVM II.

Vtrum ex præcepto soluendi decimas habeant ministri Ecclesiæ dominium in decimam partem fructuum, antequam separetur à cumulo.

1 *Prima sententia negat habere dominium.*
2 *Secunda sententia affirmat dominium directum habere.*
3 *Ante traditionem, non habet Ecclesia ius plenum, & perfectum in illa decima parte.*
4 *Ecclesia habet ius vtile in illa decima parte fructuum.*
5 *Parochianus habet dominium proprium, & directum omnium fructuum.*
6 *Si à parochiano furentur fructus, adhuc probabilius est Ecclesiam decimam debere reddere raptore non restituente.*
7 *Emens fructus indecimatos bona fide tenetur, cum ei constat Ecclesiæ partem decimam reddere, & poterit aduersus venditorem de pretio agere.*
8 *Ecclesia potest compellere vendentem fructus indecimatos ad solutionem decimæ, tametsi emens subeat obligationem decimandi.*
9 *Impediens à venatione, piscatione, aut segetes comburens de. cimam non debet.*
10 *Non soluens decimam, cùm teneatur, peccat contra religionem, & iustitiam.*

1 IN hac re est prima sententia affirmans Ecclesiam non habere dominium in decimam partem fructuum, antequam à cumulo separetur, illíque aliquo modo tradatur: ita Glossa, *cap. moderamine, verbo, sibi vendicent. 16.q.1.* Federic. Senens. *constit.74.* Rebuff. *tract. de Decimis, quæst.3. num.16. & 17. & quæst.9.n.4.* Bonac. *disput. vlt. de quinto Eccles. præcepto, quæst.5.p.1. in fine.* Alexand. Moneta *tract. de Decimis, cap.8. n.35.* Ratio est primò, quia tempore legis antiquæ, fideles non amittebant dominium decimarum, quousque traderent, sed absolutè sub eius erant potestate, suæque dicebantur, vt constat *Exod.22* dicitur enim: decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere, & si in aliquo loco dicitur decimas esse Dei, esséque Ecclesiæ, id certè potest intelligi, quia speciali titulo eas ad suum cultum referuauit, sicut etiam dicuntur primitiæ, & oblationes, ac primogenita esse Dei, cùm tamen illorum non habeant ministri Ecclesiæ verum dominium. Secundò, Rex non habet dominium tributorum, quæ sibi debentur, quousque aliquo modo ei tradantur, sed decimæ vocantur tributa, & cum tributis comparantur *c. decimæ. 19. quæst. 1. & cap. tua nobis, de Decimis.* Ergo. Tertiò, quia si dominium haberet, posset parochus propria authoritate decimas recuperare, quod non est dicendum. Antecedens probatur de eo, qui iniustè à alterius vsurpat, posset dominus eam quomodocunque defendere.

2 Secunda sententia per oppositum extremum affirmat ex hoc præcepto soluendi decimas habere Ecclesiam dominium directum ante separationem in illam partem fructuum, quæ debetur, teneríque debitorem decimam soluere, tanquam possessorem rei alienæ, ita Panormit. *c. tua nobis, de Decimis, n.11. & cap. commissum eod. tit. n.6.* adducítque plures pro sua sententia, pro qua ex parte videtur esse Leonard. Lessius, *lib.1.cap. 39. dub.3. num.35.* & Suar. *lib.1.cap.36. num.8. & seq.* Fagund. *de quinto Ecclesiæ præcepto, lib.1.cap.6. num.3. fine.* Præcipuum fundamentum est, quia *in c tua nobis, & aliis capitib,* decimæ vocantur esse Ecclesiæ. Sed hoc argumentum non est efficax, cùm etiam primitiæ, & alia multa dicantur esse Dei, & Ecclesiæ; quia ad cultum Dei ordinantur, & Ecclesiæ sunt debita, Secundò, ex *cap. decima 26. q.1.* vbi decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, alienas inuasit, vbi *Glossa verbo alienas, & verbo inuasit,* inserit. Ergo ante separationem sunt Ecclesiæ. Efficatius autem probatur ab effectibus: eo quòd Ecclesia habeat potestatem recuperandi, & accipiendi decimam partem fructuum, vbicunque repererit non esse decimatos, etiamsi dominus prædij illos omnes vendidisset, *cap. pastoralis, de Decimis.* Quæ actio intelligi non potest absque dominio fructuum.

3 Vt ergo veritas hæc intelligatur, & ne in quæstione de nomine hæreamus, aliquibus conclusionibus totam difficultatem aperiamus. Dico igitur, primò Ecclesia non habet ius plenum directum, & perfectum decimæ, antequam ei aliquo modo tradatur. Conclusio ex ipsis terminis est manifesta, cui omnes Doctores vtriusque sententiæ assentiuntur. Et ratio est. Quia ad plenum dominium requirebatur, vt decima pars non esset permixta, sed separata iam à cumulo fructuum, qui dominio erant reseruati: nam quousque fiat hæc separatio, Ecclesia non habet ius plenum vtendi aliqua parte illius, cùm non sit maior ratio de vna, quam de alia: Hac enim ratione cùm duo homines sint domini alicuius hæreditatis, nullus ex illis habet perfectum dominium, & plenum, quia non potest hæreditate

vti

vti absque alio ; ita in præsenti efficacius procedit, cùm non in totam collectionem, sed in decimam partem, & non determinatam, sed confusam ius habeat Ecclesia.

4 Dico Secundò, Ecclesia habet ius in illa decima parte fructuum eodem modo ac vsufructuarius, cui legato relicta est pars decima fructuum alicuius hæreditatis, sic Suar. *t. 1. de relig. tract. 2. lib. 1. cap. 36. num. 8.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 39. dub. 3. num. 15.* consentit Fagundez *dict. cap. 6. num. 4.* Hoc autem dominium vocatur vtile, & ius in re, & non tantùm ad rem ; siquidem non potest in præiudicium vsufructuarij dominus fundi fructus alienare, ipséque vsufructuarius recuperare potest vbicunque venerit ; sed Ecclesia potest recuperare fructus sibi debitos, etiamsi non sint in potestate parochiani, sed in potestate alterius, qui bona fide eos possidet ; vel per donationem, vel per emptionem ; quia vt habetur in *cap. tua nobis, & cap. pastoralis, de Decimis*, fructus alienari non possunt, nisi cùm onere decimarum. Idem habetur in *cap. cum non sit, eodem tit.* Et rationem reddit Pontifex, quoniam res cum onere suo transit. Ergo signum est Ecclesiam verum illorum dominium habere ; sicut habet vsufructuarius vsusfructus sibi legati. Vnde decimæ non debenter eodem modo, ac alia tributa, in quorum recuperationem solùm datur actio personalis aduersus debitorem, neque tributa alienata transeunt cum onere, & obligatione soluendi ea principi. Secus verò est in præsenti, vt constat ex supradictis capitibus allatis, & ex exemplis subiciendis, & ex communi sententia.

5 Ex his infertur parochianum habere dominium proprium directum omnium fructuum, & ratione huius domini posse rei vindicatione eos comparare à quolibet possidente iniustè, Ecclesiam verò solùm habere ius vtile circa decimam partem; eámque posse rei vindicatione comparere ; quæ duo dominia, & actiones, & distinctæ sunt, & bene compati possunt, vt constat *ex §. si quis in aliena verbo vtilis actio. instit. de Rerum diuis.* Iniquus verò possessor debet parochiano Domino omnium fructuum fructus restituere in integrum : quia sunt eius præcipuè, & principaliter, neque potest decimam detrahere, & Ecclesiæ restituere, nisi cùm constaret dominum negligentem esse. Nam si parochus non potest propria authoritate fructus vendicare, multo minùs poterit alius ex bonis alterius rapere, ita Suar. *suprà, n. 11.*

6 Iniquo autem raptore non restituente fructus, an teneatur parochianus restituere, dissoluenda est quæstio iuxta ea quæ diximus in materia de restit. si enim fuit in mora soluendi fructus ; eò quòd tempore determinato non soluerit, ratione iniustæ acceptionis tenetur restituere. Et est omnium. Si verò non fuit in mora excusat eum Fagund. *num 9.* ab obligatione restituendi, & affirmat Ecclesiæ decimam perire. Mihi tamen probabilius est teneri restituere ; quia illa decima non erat Ecclesiæ propriè, & perfectè. quousque separata esset à cumulo, & Ecclesiæ aliquo modo tradita, atque adeò, Ecclesiæ non periit, sed domino, & consequenter tenetur parochianus non ratione rei acceptæ quam habet, neque ratione iniustæ acceptionis, sed ratione debiti contracti ex collectione fructuum reddere Ecclesiæ illam decimam, quæ non est propriè restitutio ; quia non prouenit ex iniusta acceptione, neque ex re accepta, sed ex debito, vt contingit in mutuo, & in debito vectigalium ; in quibus non deperditur obligatio reddendi mutuum, vel vectigalia ex eo quòd merces mihi mutuatæ, vel pretium, ex quo vectigal debebatur soluere amittatur.

7 Secundò, infertur ementem fructus indecimatos bona fide, cùm primùm ei constet esse indecimatos, teneri reddere Ecclesiæ ; posse tamen agere aduersus venditorem de pretio dato. Ita D. Thom. 2. 2. q. 87. *art 2. ad 4.* Sylvest. *verbo decima, num. 12.* & Suar. *suprà, cap. 36. num. 13.* Lessius *cap. 39. dub. 3. num. 13.* Fagund. *de quinto Ecclesiæ præcepto, cap. 6. num. 5.* Ratio est, quia fructus indecimati cum illo onere transeunt, & non sunt possidentis quoad dominium vtile, sed Ecclesiæ, vt colligitur ex *cap personales, de Decimis* ibi, fructus autem ipsos alienari non credimus, nisi cum onere decimarum. Emptor autem aduersus venditorem agere potest de pretio dato ; tum ob fraudem ; tum quia debet emptor illum seruare indemnem.

8 Tertiò, infertur Ecclesiam ius habere aduersus debitorem ratione debiti decimandi, quod ex collectione fructuum contraxit, & ratione damni illati, taliter, quod etiamsi vendidisset fructus explicans non esse decimatos, & emptor sub se onus illud sumeret, etiam tunc posset Ecclesia aduersus venditorem agere, & ad soluendam decimam compellere ; quia sine eius consensu fructus alienauit, & alteri obligationem soluendi imposuit. Ita Suar & Lessius *suprà*. Aduersus item emptorem posset agere, cum ob iniquam acceptionem, tum ob rem acceptam, quæ Ecclesiæ est in decima parte, & tradit aliis relatis Bonac. *disp. vlt. de præcept. Ecclesiæ. quæst. 5. p. 3. num. 10.* Quòd maximè debent notare filij, famuli, & alij, qui fructus indecimatos furantur : tenentur namque & domino, & Ecclesiæ restituere, Lessius, & Fagund. *suprà*.

9 Quartò ; infertur impedientem à venatione, piscatione, aut segetes aliorum iniustè comburentem, aut damnificantem non teneri Ecclesiæ restituere decimam partem illarum : tametsi contrarium censeat Fagund. *dict. cap. 6. num 8. fine.* Quia Ecclesiæ solùm debentur decimæ de fructibus collectis, & perceptis, non de colligendis : ita expressè Mol. *tract. 2. de iustit. disput. 4. §* addit Couar. & Lessius *lib. 2. cap. 39. dub. 3. num. 15. cap. cum homines, de Decimis.* Vnde qui negligens est in metendis segetibus, vel fructibus ex arboribus colligendis ; aut nolit eos colligere, & cuius incuria agni recenter nati, antequam soleant Ecclesiæ decimari moriuntur, non tenetur Ecclesiæ aliquid tribuere, & restituere ; quia non tenetur ratione rei acceptæ, quæ nulla est, nec ratione iniustæ acceptionis ; cùm non commiserit iniustitiam in tali iniuria aduersus Ecclesiam ; siquidem Ecclesiæ non debebat decimam, quousque colligeret fructus ; aut animalia progrederentur in dies, nec ratione debiti contracti ; quia nunquam debitum contraxit, ita expressè Franc. Suarez *lib. 1. cap. 36. num. 21.* Potest tamen Ecclesia parochianum compellere, vt fructus debito tempore colligat, agrúmque administret per se, vel colonos, vt possit cum integritate decimas persoluere, quòd si ipse noluerit, potest de facto ipsa Ecclesia colonum constituere, ita ex Panormit. Suar. *suprà*.

10 Quintò, infertur nimis probabile esse duplex peccatum committere, qui decimam non soluit, vel vnum peccatum duplici circunstantia, alterum contra iustitiam, quia de iustitia debetur, siquidem habet ius Ecclesia ad decimam exigendam ; alterum contra religionem ; quatenus in recognitionem supremi dominij, & excellentiæ imperat Ecclesia fidelibus decimarum solutionem, vt habetur, *cap. tua nobis, & cap. cùm non sit in homine, de Decimis* : ita colligitur ex Lessio *cap. 39. dub. 1. num. 8.* quatenus affirmat solutionem decimarum actum esse religionis, & iustitiæ. Ergo è contra non solutio contra virtutem religionis, & iustitiæ erit.

PVNCTVM III.

Vtrum Summus Pontifex, vel alius Prælatus, possit dispensare, vel abrogare hanc legem de soluenda decima, vel sibi applicare ?

1 *Nullus à Pontifice abrogare legem decimarum potest.*
2 *Pontifex optimè potest quemlibet à soluenda decima eximere.*
3 *Si absque causa faciat, esto illicitè fiat, factum tenet.*
4 *Semper præsumi debet causam adesse, & in applicatione factâ Ecclesiasticis personis certum est.*
5 *Decimas vni Ecclesiæ applicatas potest Pontifex alteri applicare.*

1 CErtum est in decimis, quæ iurè Pontificio sunt constitutæ non posse inferiores Prælatos dispensare aliquémque à soluendis decimis eximere, aut alteri ab eo cui de iure communi debentur applicare ; quia id cederet in præiudicium tertij, scilicet parochi, & Ecclesiæ. At iure communi ius decimarum stabilitum est. Ergo in eo Prælati inferiores dispensare non possunt, sic Suar. & Rebuff. *statim referendi.* Fagund. 2. *de quinto Eccles. præcepto, lib. 2. cap. 4. num. 6. fine.* & tradit glossa, *cap. Eccles. 16. quæst. 1.* In Concilio verò Trident. reperitur sæpè posse Episcopos tanquam legatos Sedis Apostolicæ decimas vni, vel alteri loco applicare, vnire beneficia, vel vnita dissoluere pro numerositate populi, & nouos clericos assignare, quibus decimæ dentur pro qualitate sui ministerij, quod constat, ex *cap. 5. 6. 7. & 8. sess. de reformat. & sess. 21. cap. 5. & 3. 5. & 7.* Sed hæc non est dispensatio, neque relaxatio iuris communis, sed debita administratio decimarum ; siquidem hac ratione non grauantur magis populi, quàm de iure communi deberent, neque aliis quàm ministris officio altaris deseruientibus decimæ applicantur. Et præterea, quia hæc omnia faciunt, vt legati Sedis Apostolicæ : ita enim sæpè loquitur Concilium, vt optimè notauit cùm Rebuff. *quæst. 5. de Decimis, num. 32.* Suar. *lib 1 cap. 15. in fine.*

2 Pontifex ergo optimè potest absoluta sua potestate quemlibet à soluenda decima eximere, imò totas decimas sibi applicare, & ministris Ecclesiæ debitam tantummodò subsistentationem tribuere. Ratio est ; quia in hac parte iuri diuino non derogat, cum solùm ex illo sustentatio ministrorum debita sit, solúmque ius Ecclesiasticum, seu constitutionem à se latam abrogat. Hanc autem abrogare optimè potest, cùm tota eius vis à sua voluntate pendeat : qua voluntate cessante vis legis euanescit : & in hac conclusione conueniunt omnes Doctores Theologi, qui affirmant iure tantùm Ecclesiastico decimas soluendas esse, & expressè tenet Ioan Azor. *lib. 7. cap. 37. q. 6. §. hu positis*, Lessius *lib 2 c. 39 dub 5.* Fatetur autem Suar. *& optimè lib. 1 cap. 14. num. 10.* credibile esse Spiritum sanctum non permissurum hac absoluta potestate vti, vt decimas ex toto abroget ; quia cederet in magnum status Ecclesiastici præiudicium, sicut neque ceremonias Ecclesiasticas, & ritus communes Ecclesiæ. Neque obstat iure diuino offerendam esse à fidelibus decimam in recognitionem diuinæ excellentiæ. & supremi dominij, quia iure diuino non est quod decima offeratur, sed pars aliqua etiã minima. Vnde qualibet oblatione huic iuri fiet satis. Adde oblatione sa-

erificij missæ videtur esse satisfactum hoc ius, cum ibi illud tantum sacrificium offeratur in recognitionem diuinæ excellentiæ, & supremi dominij.

3 Difficultas est, an remissio, & dispensatio facta alicui de decimis non soluendis absque causa valida sit, & licita? Esse quidem validam ferè nulli potest esse dubium ratione suprædictæ; quia tota obligatio soluendi hanc quotam prouenit à lege, & voluntate Pontificis, qua cessante cessat obligatio, licitè tamen fieri non potest secundùm probabiliorem sententiam, quam latè probat Sanch. *lib.8. de matr. disp. 18. num 3.* & nos diximus, *tract. de legib. disp. vlt. de dispensation.* Ratio est, quia sine causa à lege communi, & à regula omnibus præscripta aliquem eximere est abuti potestate. Non tamen censendum est, esse peccatum mortale, nisi graue scandalum, aut damnum notabile aliis proueniret, quale esset, si nimis grauarentur in decimis. Vnde si ob exemptionem alicuius non grauantur alij, neque graue scandalum sequitur, non erit peccatum graue. Et confirmo; sicut potest Pontifex partem decimarum alicuius Ecclesiæ, alteri iure Ecclesiastico, siue laico applicare; potiori ratione poterit eum à tributo decimæ liberare.

4 Duo tamen aduerto, 1. nunquam esse præsumendum principem absque causa legitima moueri in dispensatione legis, præcipue, quando motu proprio ad dispensandum mouetur. Nam si ad instantiam partis dispenset, non præsumitur, etiam foro externo, nisi probetur; benè tamen & semper in interiori, vt tradit Suar. *t. 5. de censur. disp. 41. sect. 3. fine,* & multis relatis Sanch. *lib.8. disp. 17. n. 14. & 15 & nos loco allegato* diximus. 2. Aduerto exemptionem decimæ factam personæ Ecclesiasticæ, seu religiosis semper fieri cum causa, quia illa exemptio est quasi applicatio debita sustentationis; eo quòd sint ministri Ecclesiæ ad communem vtilitatem ordinati.

5 Pontifex autem potest fructus, & decimas vni Ecclesiæ applicatas alteri applicare, prout sibi magis visum fuerit; quia semper fuerunt applicati dependenter à voluntate Pontificis. Ex quo fit Ecclesias parochiales allegare non posse iniuriam sibi factam fuisse exemptione à decimis, qua sanctissima religio societatis gaudebat priuilegijs à *Paulo III. Pio IV. & Greg. XIII.* concessis. Tum quia erant concessa motu proprio, & ex certa scientia, & de plenitudine potestatis. Tum quia religio societatis de Ecclesia benè merita ob continuum, & infatigabilem laborem, quem præstat in proximorum salutem, ministratione Sacramentorum, concionibus, consiliis, libris, aliisque functionibus gratis, & absque vllo stipendio exercitis.

Punctum IV.

Vtrum consuetudo liberare possit aliquem à debito decimarum.

1 *Quomodo consuetudo introduci possit, & quæ sint eius conditiones.*
2 *Quid dicendum de tempore requisito.*
3 *A debito decimarum eximi potest Respublica, & personæ particulares ex vi consuetudinis, dummodo ministris Ecclesiæ debita sustentatio tribuatur.*
4 *Proponitur triplex obiectio.*
5 *Fit illis satis.*
6 *Quod tempus requiratur ad hanc consuetudinem, seu præscriptionem inducendam.*
7 *Nunquam potest consuetudo ita vigere, quin Pontifex possit illam abrogare.*

1 CONsuetudo ergo, quæ à lege liberare potest, vel nouam introducere, est vsus communis, seu à communitate factus, & prolongatus eo tempore, quo iura, & leges ad stabiliendam consuetudinem requirunt. Vti constat ex *cap. fin. de consuetud. & ibi Doctores communiter*, præcipuè Panormit. *n.* 11. Ex quo fit consuetudinem debere à communitate prouenire; cum enim habeat vim legis, seu vim abrogandi legem, vel ab illa liberandi, nullomodo potest introduci particulari persona; aliàs quilibet haberet potestatem dispensandi in lege Superioris, & denuò aliam introducendi. Conditiones requisitæ ad consuetudinem, & præscriptionem variæ sunt, vt constat ex iis, quæ latè diximus, *tract. de legib. disput. 3.* has tamen breuiter accipe ex *cap. fin. de consuetud.* vbi ad legem abrogandam, vel constituendam affirmatur sufficere consuetudinem, quæ rationi consona esse videatur, etiamsi ignorante principe introducta sit. Illa verò dicitur rationi consona, quæ iuri diuino, vel naturali non aduersatur, teste Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de consil. in priori edit. cons. 7. n. 3. in posteriori cons 3. n. 3.* vel ea dicitur consuetudo legitima, de qua fieri poterat lex, vel dari priuilegium non obstante priori lege, vt tradit Sotus *lib. 1. de iustit q. 7. art. 2. §. quod vero longum.* Et ratio est; quia consuetudo legis vim habet, atque adeò etiam honestatem habere debet, quam habet lex, atque hunc dicendi modum approbat. Sanch. *cum aliis Doctoribus lib. 7. de impedim. matrim. disput. 4. n. 14. in med.* Et si dubium fuerit, sitne legitima, & rationabilis consuetudo, vel non? præsumere debent posteri; qui eam non introduxerunt esse honestam, vt ex aliis affirmat Sanch. *supra.* Neque obstat *cap. fin. de consuetud.* ibi nisi fuerit rationabilis & *cap. 1. de eo qui mittit. in possess.* ibi si laudabilem esse constiterit, loquuntur enim textus de introducentibus consuetudinem, non de sequentibus consuetudinem introductam: primis enim debet constare, vt excusentur à peccato rationabilem esse: præsumitur enim irrationabilis in dubio, præcipuè si à lege sit reprobata. Scientia verò principis non requiritur ad stabiliendam consuetudinem, vt ex *dicto cap. fin. de consuetud.* infertur: ibi enim Pontifex tradit consuetudinem stabilitam habere rationem legis, neque petit scientiam particularem in principe. Ergo ex tacito suo consensu vires habet: nam aliundè præcipuè contra legem Pontificis non potest vires habere: censetur enim princeps quotiescunque fuerit consuetudo stabilita aduersus suas leges, etiam eo ignorante leges reuocare, & abrogare, ne lites sint, néve scandalum generetur. Quòd si in aliqua lege stabilitatur, ne consuetudo contra illam vllis vnquam temporibus sit valitura, id debet intelligi rebus omninò immutatis, quibus cum visa est consuetudo irrationabilis. Verùm si denuò aliæ circunstantiæ oriantur, ex quibus consuetudo rationabilis iudicari possit, vim habebit legem abrogandi, & nouam statuendi; nouáve causa superueniat, aut antiqua non sit satis cognita, vt probat expressè textus *in l. si homin. 30 ff mandati.* Vbi dicitur procuratorem generalem specialiter à Domino prouisum reuocare non posse, nisi iustam causam habuerit, veluti si postea comperiret eum falsas rationes confecisse, & ita cum communi sententia tradit Couarr. *lib. 3. var. cap. 13. n. 4.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 6. dub. 14. n. 48.* Sanch. *multis relatis lib. 7. de matr. disp. 4. n. 14. ferè in princ.* Ratióque est manifesta, quia ideò reprobauit lex futuram consuetudinem, quia existimauit futuram esse iniquam: at noua causa superueniens, vel præterita non visa potens est iniquitatem tollere, & de facto principem mouere ad nouam legem statuendam, vt in impedimentis de matrimonio, & in contractibus humanis pro varietate temporum sunt sancitæ, ergo. Adde nullam legem stabiliri, quin existimet princeps, quando illam constituit consuetudinem illi contrariam eo tempore vrgentem non esse rationabilem, & nihilominus si de facto consuetudo postea stabiliatur, in omni sententia legem principis abrogauit. Ergo etiamsi in lege derogetur consuetudini futuræ, poterit nihilominus præualere.

2 De tempore requisito ad legitimam consuetudinem stabiliendam aduersus legem sententia est communis doctorum decem annos requiri, vt lex ciuilis abrogetur; quia ad introducendam consuetudinem ius ciuile longum tempus requirit. Cod. *quæ sit longa consuetudo.* Decem autem anni videntur esse longum tempus, *leg. 1. 2. & 3. Cod. de præscript long. temp.* Vt verò lex Ecclesiastica abrogetur 40. communiter requirunt Doctores; quia non præscribitur aduersus Ecclesiam, nisi tempore 40. annorum, & consuetudo est quædam præscriptio: ita Panormit. *cap. vltim. de consuetud. num. 11.* Mol. *tract. 2. de iust. disput. 77.* Nauar. *lib. 1. consil. tit. de consuetud.*

Verùm in hac re subdistinguendum censeo cum Lessio. *lib. 2. cap. 6. dub. 14.* Aut consuetudo viget sciente principe, & non contradicente, aut illam ignorante? Si viget sciente principe, non requirit longum tempus, sufficiet enim si bis, aut ter contra legem actum fuerit, ipséque princeps non resistat, cum facilè possit. Quia binus actus ad inducendam consuetudinem sufficit, vt testatur Rochus *tract. de consuetud. §. glossa finalis in 7 requisito,* Azor. *t. 1. instit. lib. 5. cap. 19. q. 15.* colligiturque ex *leg. nemo. 3. cod. de Episcop. audientia fine,* & ex alia parte huic consuetudini princeps non se opponit. Ergo illam approbare censetur; atque adeò ex consensu tacito principis legem abrogat. Quòd si ignorante principe consuetudo stabiliatur, tunc probabile est censendum decem annos sufficere non solùm ad legem ciuilem, sed etiam canonicam abolendam, ita Lessius *lib. 2. de iustit. dub. 4. circa finem cap. 6.* Suar. *tract. 2. de relig. lib. 1. cap. 22. num. 6. circa finem.* Ratio est, quia ad consuetudinem derogantem legem canonicam nullum tempus in iure canonico est signatum. Censendum ergo est probabiliter ex iure ciuili esse sumendum. Et confirmo: decem anni sufficientes iudicantur, vt princeps secularis tacitè consentire censeatur in consuetudine aduersus legem lata. Cur ergo non censebitur Pontifex toto eo tempore consentire, præcipuè cùm ad ipsum pertineat specialiùs de subditis curare, & modum eorum procedendi prospicere? Neque obstat consuetudinem actibus legi contrarijs inductam esse; ac proinde mala fide. Id enim necessariò requiritur in omni consuetudine derogante legem, quæ moribus vtentium sit excepta, nam quousque consuetudo introducta sit, non possunt introducentes nisi ex ignorantia excusari, quòd aduersus illam procedant. Verùm si aduersus legem efficiant, principe denuò non contradicente, sufficient illi actus mali, & prohibiti consuetudinem introducere, vt cum Caiet. *1. 2. q. 97. art. 3. affirmat.* Sanch. *supra. l. 7. disp. 4. n. 14. post medium*, addátque neminem in hac parte contradicere.

3 Ex his omnibus infertur ad propositam quæstionem responsio, posse communitatem aliquam, & ratione illius particulares personas eximia debito soluendi decimas vi consuetudinis, dummodo ministris Ecclesiæ sufficiens sustentatio tribuatur.

Ratio

Ratio est: quia solùm ex lege diuina debetur clericis sustentantio, decimarum verò solutio ex iure tantùm Ecclesiastico ortum habet. Ergo consuetudine abrogari potest non solùm quoad decimas personales, sed etiam reales; quia omnia sunt de iure positiuo, aduersus quem consuetudo vim habet: ita expressè Couarru. *l.1.c.17.n.8.* Lessius *l.2.c 39.dub.5.n.29.* Gutierr. *l.2. can q.20.n.64.* Suar. *l.1.c.12.n.7.& seq.* Fagund. *de quinto Eccl. precep.l.3.cap in princ. & alij apud ipsos.* Sicut enim priuilegio principis plures communitates exemptæ sunt à decimis soluendis. Cur ergo consuetudine eximi non poterunt.

4 Sed obiicies 1. Quia talis consuetudo non est rationabilis, cum velint sibi ministros Ecclesiæ gratis seruire, & absque vllo stipendio. Et confirmo lex constituens decimam censetur à Romano Pontifice, & à tota Ecclesia rationabilis. Ergo consuetudo contraria non erit rationi conformis, ac tandem hæc consuetudo cedit in grauamen aliorum, qui fortè ea de causa amplius soluent, quàm soluturi essent, si de facto omnes contribuerent, nullúsque eximeretur, cederétque in diminutionem diuini cultus, subsidij pauperum, ac decentiæ, & ornatus sacerdotum, & ministrorum Ecclesiæ, quæ sunt rationes ob quas decimæ soluuntur. Obiicies 2. Nulla consuetudine potest communitas laïcorum ius acquirere, vt sibi decimæ soluantur; quia est incapax; vt habetur expressè *c. causam. qua de præscript.* Ergo neque potest liberari à debito soluendi; quia hac ratione ius quasi acquirit spirituale in decimis; virtualitérque idem est non soluere decimas, ac decimas exigere, æqualísque gratia sit alicui, quando decem debita remittuntur, ac quando gratis dantur. Obiicies 3. Nulla consuetudo liberare potest à tributo Regi soluendo, *leg. compe-rimus.Cod.de præsc.30,annor* At qui solutio decimarum est quoddam tributũ Pontifici saltem debito, *c.tuà nobis de Decimis.* Ergo.

5 Ad 1. obiectionem respondeo eodem argumento probare nunquam posse Pontificem licitè eximere communitatem aliquam à debito decimarum; eo quòd non appareat esse rationabile ministros, vt gratis communitati inseruiant, & ratione illius alij grauentur & sacerdotes conuenientem ornatum non ferant. Quocirca respondeo ex alijs capitibus hanc consuetudinem honestari, quando reliquus populus non inde magis grauatur, & ministri Ecclesiæ sufficientem ornatum habent, licèt non tantæ æstimationis, hoc enim aliquando conuenientius est, vt paupertatem experiantur, & populi, ac ciuitates minùs grauentur decimarum solutione; præsertim cum multi sint prædiis, & animalibus carentes. Neque obinde cogunt ministros gratis inseruire, cum eis ab aliis prouideatur de sustentatione sufficiente. Ministri enim non possent ex rigore exigere nisi sustentationem. Si ergo hæc ab aliis detur, sua nihil interest, vt ad contributionem aliqui non concurrant.

Ad 2. respondeo aliud esse acquirere ius, vt sibi decimæ soluantur, aliud eximi ab oblatione soluendi. In priori datur iurisdictio, cuius incapax est laicus; in 2 nulla datur iurisdictio, sed est quædam libertas temporalis, cùm onus soluendi temporale sit.

Ad 3. probaret ad summum non posse esse consuetudinem aduersus decimas Pontifici soluendas, secus de tributo, quod non in sustentationem Pontificis; sed parochi, & aliorum assignatur. Adde neque etiam habere locum in decimis soluendis Pontificis; quia Pontifex noluit vires auferre consuetudini respectu decimarum, sicut princeps abstulit respectu sui tributi. Vel respondeo cum Felino, & Abbate *in cap. ad audientiam de Præscriptionib.* tributa immediatè dari in recognitionem regiæ dignitatis; ac proinde non præscribi aduersus illa, & secundario in Regis sustentationem. Secùs verò contingit in decimis, quæ primario in sustentationem ministrorum, tit. in recognitionem diuinæ excellentiæ constitutæ sunt.

6 Posito ergo consuetudine præscribere posse communitatem aduersus decimarum solutionem, & à fortiori quemlibet particularem ex illa communitate, inquiret aliquis quod tempus necessariò requisitum sit, quæve conditiones ad illam consuetudinem stabiliendam; Video communiter doctores affirmare consuetudinem debere esse immemorialem sine titulo 40 annorum; quia cum ius semper in iis consuetudinibus resistat, semper præsumitur mala fides, quousque non probetur, vel ostendatur titulus, aut sit consuetudo immemorialis. Verùm vt probabiliori sententia omnino est tenenda tempus 40. annorum sine titulo sufficere ad inducendam consuetudinem derogantem legi? Ita expressè Couarru. *lib.1, var.cap.17. num 8.§.10. cum* Felerio, Anton. *& aliis.* Lessius *lib.2. de iustit.cap. 39. dub.5, numero 16.* Aliud enim est loqui de præscriptione, aliud de consuetudine: illam enim, vt dicemus, titulum requirit; præcipuè cum ius resistit, secus verò in consuetudine, quæ ex se valet legem abrogare. Neque requiritur bona fides ad consuetudinem: mala enim fide introduci potest, & sæpè ita introducitur consuetudo aduersus legem; imò satis probabile videtur, vt iam dixi decem annis introduci posse consuetudinem decimarum legem abrogantem.

6 Vlcimò placet aduertere in hac materia nunquam posse consuetudinem ita vigere, quin Pontifex possit illam abrogare, & denuò legem statuere: Pontificis enim potestas cum sit de iure diuino nequit vlla consuetudine abrogari, aut diminui; & in hoc sensu loquitur *lex 2.Cod. qua sit longa consuetudo.* ibi consuetudinis, vsúsque longæui; non vilis authoritas; verùm non vsque adeò sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem: non enim rationem debet vincere; quia non debet esse contra rationem Neque etiam debet vincere legem superuenientem, siquidem lege tolli potest. Cùm enim consuetudo totam vim abrogandi legem principis ex tacito consensu illius habeat, illo contradicente, & repugnante nullam vim habebit, atque adeò illa non obstante, princeps poterit nouas leges statuere, aut præteritas renouare, ita Lessius *lib. 2. cap 39 dub.5. n.25.* Suar. *lib.1.c.12.n.11.* vbi alios plures refert, & est communis.

Punctum V.

Vtrum præscriptio, compositio, vel remissio aliquem eximere possit à debito decimarum.

1 *Quid sit præscriptio, & quæ conditiones illius.*
2 *Præscriptione eximi potest quis à debito decimarum. Requiritur tempus 40. annorum cum titulo, sine titulo tempus immemoriale.*
3 *Circa circunstantias decimarum multùm valet circonsuetudo, & præscriptio.*
4 *Transactio, compositio, commutatio vim habet liberandi ab hac obligatione.*
5 *Proponitur obiectio, & fit illi satis.*

1 Præscriptio, quæ communiter à iurisconsultis vocatur vsucapio, est acquisitio dominij per continuationem temporis lege definiti: ita Modestin. *Iurisconsultus. leg.3. ff. de vsucapion*, quæ non solùm circa mobilia, sed etiam immobilia versatur, vt constat ex *leg. unica. Cod de vsucap* transformanda. *& instit. de vsucapionib.in princ.* Conditiones autem ad præscriptionem, seu vsucapionem requisitæ quatuor enumerantur, vt constat ex his quæ adducit Sylvest. *verb. præscriptio.num. 1. & laríssimè* Mol. *per varias disputationes à disp.62.1. de iustit. & nos diximus supradict. tit. de legib. disp 3. de consuetud.* Breuiter tamen eas accipe. Prima, est possessio. Secunda, titulus probabilis præsumptus. Tertia, bona fides, quæ duret toto tempore, quo continuatur possessio. Quarta vt hæc omnia durent toto tempore, quod ad præscriptionem requisitum est, titulo igitur requisita est possessio; quia sine possessione non quidem naturali, sed ciuili nunquam præscribitur. Vnde qui incapaces sunt ipso iure possessione ciuili nunquam possunt præscribere, vt sunt religiosi professi, qui nomine suo nihil possunt possidere, conductores, fructuarij, commodatarij, pignoratitij, &c. quia Dominus semper retinet dominium directum, & possessionem ciuilem, vnde ipsi nunquam possident. Possessio autem debet fieri nomine proprio, *c.clerici.11. & cap si Episcopus 12.16.q.4.* Primò, requiritur titulus probabilis verus: nam absque titulo nullo datur præscriptio, & cum titulo vero statim præscribitur. Sufficit ergo ad præscribendum titulus præsumptus, quia cum hoc titulo finito tempore præscriptioni signato res incipit esse tua, etiamsi comperiatur postea titulum inualidum fuisse, nisi sit inualidus ex ignorantia iuris clari, & manifesti; tunc enim non præsumitur bona fides, vt latius Mol. *t.1 tract.2. disp.64.* Tertiò, debet possidens bona fide possidere, & toto tempore necessario ad præscribendum continuare; aliàs non proderit præscriptio. Ita Mol. *Mol.disp 63.* Quartò requiritur tempus decurrere, quod ex legibus signatum est ad præscriptionem, quòd pro varietate rerum, quæ præscribi possunt diuersum tempus signatur. Has conditiones latiùs examinate, & casus circa illas occurrentes, ad materiam de iustitia pertinet. Interim videatur Mol. *loco alleg.* & à nobis dicta *supra, tract.* Primò ex his constat differentiam præscriptionis à consuetudine: consuetudo namque non potest esse à particulari persona, sed necessariò introducenda est à communitate, vt diximus. Præscriptio verò à particulari persona introduci potest. Deinde ad consuetudinem neque requiritur titulus, neque bona fides; benè tamen ad præscriptionem. Denique diuersum tempus requisitum est ad præscriptionem, quàm ad consuetudinem. Alias differentias assignat Sylvest. *consuetud. q.22. ex* Abbate, Baldo, *& aliis. cap. de consuetud. &* Azor. *t.1. instit. lib.5. cap.18. q.16.* His positis.

2 Dicendum est cum communi sententia præscriptione eximi posse aliquem à debito decimarum, si supradictæ conditiones seruentur, quæque exprimuntur in *cap.1. de præscript in 6.* Tempus ergo in hac materia ad præscribendum necessarium, sunt 40. anni cum titulo, & sine titulo requiritur tempus hominum memoriam excedens. Habetur *cap. auditis de præscriptionibus cap.3. de consuetud in 6.* ita Couarru. *l.1. var cap.17.num 8. &* 10. Leonard. Lessius *lib.2 cap.39. dub 5.num.26.* Mol. *disp.71.* Gutierr. *lib.2.canon.qq.cap.21.n.65* Suar *lib.1.c.13 n.1.* Ratio, quare tempus immemoriale requiratur, quando titulus non ostenditur, est, quia ius semper resistit tali præscriptioni: *cap.1. de præscriptionib.in 6.* Et consequenter semper præsumitur mala fides, nisi transactum sit tempus immemoriale; nam tunc

non est credendum antecessores iustum aliquod priuilegium secutos non fuisse, vel pacto aliquo hanc obligationem non redemisse.

5 Ex dictis in hoc, & præcedenti puncto infertur consuetudinem, & præscriptionem vim habere circa decimarum circunstantias. V. G. vt soluantur ex iis rebus, & non ex illis, hac mensura, hoc tempore, huic Ecclesiæ, & non illi, vt deferantur in Ecclesiam, vel solùm quando petuntur in area; si enim præscriptio, & consuetudo legem decimarum abrogare potest manente sustentatione ministris necessaria; à fortiori poterit has circunstantias mutare: ita Suar. *cap.* 12. *num.* 15.

4 Quòd si de transactione, compositione, commutatione, aut alio simili pacto loquamur dicendum est, virtutem habere liberandi à debito decimarum, & à fortiori ad transferendam ex vna Ecclesia in aliam obligationem, mutandásque circunstantias solutionis, vt hoc tempore, hoc loco, in hac quantitate, & ex iis bonis solutio fiat. Debent tamen hæ transactiones sufficienti authoritate fundari. Hæc autem authoritas debet esse Pontificis, non inter clericos, & laïcos compositio facienda est, de futuris decimis perpetuum, vel ad longum tempus. Quia est quædam alienatio bonorum immobilium, & iuris spiritualis pro re temporali: at si inter vnam, & aliam Ecclesiam compositio facienda est authoritas Episcopi sufficit, vt alias relatis docet Panormit. *in cap. cum hoc de Decimis.* Rebuf. *tract. de Decimis p.* 13. *num.* 16. *& seq.* Fagund. *de quinto præcepto Ecclesiæ lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 2. & probat text. *in cap. ex multiplici de Decimis.* Ibi soluatis, vel amicabiliter rem componatis, verùm si compositio non superius destinandi, sed super fructus, quos rector Ecclesiæ percipere debet, fit, tunc absque consensu Superioris fieri validè, & licitè potest pro vita Parochi transigentis; quia tunc non alienat bona Ecclesiæ, sed propria, & deciditur, *cap. veniens, de transactionib.* & tradit Panormit. *ibi.* Fagund. *num.* 18. Ex quo à fortiori constat compositionem de Decimis iam debitis pro aliis fructibus fieri posse à quolibet particulari; sicut etiam eas potest remittere ex rationabili causa: sic Bonac. *disp. vlt. de quinto præcepto. Eccles. q. vn. p.* 5. *num.* 3.

5 Sed obiicies. Ergo iam sola authoritas Episcopi potest aliquem à decimarum solutione liberare ex consensu partium; siquidem possunt laïci cum clericis conuenire ex consensu Episcopi, vt non solùm decimas ex aliquibus prædiis, aut ex lucro personali, vel non in tanta mensura, scilicet decima, sed quòd vigesima pars soluatur, aut trigesima. Hoc autem videtur derogare iuς Ecclesiæ, & potestatem habere aduersus legem Pontificis; siquidem authoritate Episcopi ius commune relaxatur, quòd est, vt integræ decimæ soluantur. Respondeo eximi aliquem ab omni debito decimarum non potest fieri authoritate Episcopi, etiam consentiente clerico, taliter quòd hæc pactio sit perpetua, & transeat ad successores; benè tamen poterit diminuere partem decimarum, hoc est, vt non soluat ex iis rebus, in hac mensura, & in hoc loco; quia ob vtilitatem Ecclesiæ concessa est in hac parte potestas Episcopis ad firmanda huiusmodi pacta: quia hæc ad circunstantias decimarum pertinere videntur, & licèt videatur ius commune relaxari: quod est integrè decimas soluere, hoc ius commune videtur Episcopus potestatè habere relaxandi, si partes inter se consentiant, ita expresè glossa cum Hostiensi, *in cap. statuimus 2. de transactionib. verbo personam Ecclesiasticam, & ita videtur affirmare.* Suar. *suprà. n.* 15.

PVNCTVM VI.

Ex quibus rebus, & qualiter iure communi decima personalis sit soluenda.

1 *Quid Pontifex in hac re statuerit.*
2 *An ex bonis aduentitiis, legato, donatione, hereditate debeatur decima? Proponitur ratio dubij.*
3 *Ex iis bonis decimæ personales non debentur.*
4 *Miles de militia, artifex de artificio, aduocatus de acquisitis consilio debet soluere decimam.*
5 *De iniustè acquisitis cum obligatione restituendi non debetur decima, secus de illis quæ iustè retines, etiam si malè acquisieris, dummodo hoc publicè non constet.*
6 *Quo tempore hæ decimæ personales soluendæ sint.*
7 *In soluenda decima personali deducendæ sunt expensæ factæ in lucri acquisitione.*
8 *Quæ computandæ sunt nomine expensarum, & an sustentatio propria personæ, & familiæ comprehendatur.*
9 *Hæ decimæ, vbi quis habet domicilium, & recipit Sacramenta, soluendæ sunt.*
10 *Hæc procedunt ex iure communi. At consuetudine omnibus ferè partibus hæ decimæ sunt abrogatæ.*

1 HVic dubitationi respondet Pontifex in *cap. ex transmissa de Decimis:* Vbi ait: Fidelis homo ex omnibus, quæ licitè potest acquirere decimas erogare tenetur, & in *cap. non est eodem tit.* de negotiatione, de ipsa etiam militia, & venatione, & de omnibus bonis decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ, idem habetur *c. cum homines eod. tit. c. decim.* 26. *q.* 1.

2 Circa hanc dispositionem aliqua dubia occurrunt. Primùm: an ex bonis aduentitiis, legato, donatione, hereditate teneatur legatarius, donatarius, & hæres decimam soluere? Et ratio dubij est, quia sunt bona acquisita licitè. Debetur ergo decima, iuxta *cap. ex transmissa de Decimis.* Ibi de omnibus, quæ licitè homo potest acquirere, decimas erogare tenetur, & ita affirmat glossa *in cap. pastoralis, de Decimis.* Sylvest. *verbo decima à num.* 10. Azor. *t.* 1. *lib.* 7. *cap.* 35. *q* 8. quadam limitatione appositâ, nempe vt debeatur de rebus mobilibus, & quæ ad hæredem extraneum transierunt, secus de immobilibus, vel quæ ad filium deueniunt; quia filius cum patre eandem personam constituunt, consentit Fagund. *de Decimis lib.* 1. *c.* 2. *n.* 9.

3 Nihilominus pro certo tenendum est decimas personales non deberi iure communi ex bonis, quæ nobis, legato, donatione, hæreditate, aut alia simili actione eueniunt. Ita Innocent. *in cap. non est, de Decimis,* refértque esse opinionem antiquorum. Panormit. *inclinat. in cap. pastoralis de Decimis.* Azor, *cap.* 25. *q* 8 *&* 21. Bonacin. *disp. vlt. de quinto Eccles. præcepto. q.* 5. *p.* 3. *num.* 2. Valent. *t.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 5. *p.* 3. Suar. *lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 6. *cum aliis.* Ratio est, quia hæc omnia bona non sunt fructus personæ; siquidem non actione, industria, & labore personæ proueniunt, neque ipsa persona propriè talia bona acquirit, sed personæ acquiruntur, cum non ab eius actione, sed ab actione donantis potiùs prouenient; non igitur sunt fructus personales; aliàs de rebus etiam immobilibus testamento, vel donatione relictis deberetur decima personalis, quæ à nullo ferè authore admittitur; siquidem etiam acquiruntur immobilia, sicut mobilia, neque textus distinguit inter bona immobilia, & mobilia, sed dicit absolutè de bonis omnib. quæ homo licitè potest acquirere. Item deberetur decima de acquisitis titulo eleemosinæ, quod nemo concedit. Quapropter intelligi debent text. vtiuetsaliter loquentes, & præcipientes de omnibus bonis decimam solui, hoc est de omnibus bonis, quæ homo acquirit propria inquam actione, & labore. Quæ verò ei donantur, vel in testamento relinquuntur, non tam acquirit, quàm ei acquiruntur.

4 Secundò, Dubitari potest; qua ratione teneatur miles de militia, negotiator de negotio, artifex de artificio reddere decimas, & similiter aduocatus de suo officio; qui comparantur militibus, & militare dicuntur, in *leg. aduocati. Cod. de aduocat. diuersor. iudiciorum. in priori tit.* siquidem hæc omnia iusta sunt stipendia laborum, & sicut qui domum vendit pretio iusto, non tenetur ex pretio decimam soluere; quia non magis acquirit, quàm donat, similiter qui iusto stipendio labores proprios vendit, & locat, ex lucro acquisito non videtur pretium debere? Respondeo etsi iusta sint stipendia; quia tamen sunt fructus nostræ personæ: ea de causa debentur decimæ: sicut cum domus locatur, ex locatione debetur; quia est fructus, ita similiter labores nostri sunt fructus, & ita debentur decimæ in eam partem, quæ fuerint æstimatæ, & constat ex *cap. decimæ. 16. q.* 1. *& cap. ex transmissa, de Decimis,* & tradit Rebuff. *tract. de decimis q* 8. Suar. *t.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 31. *n* 3 *& seq. & cap.* 32. *n.* 1. *& seq.* Fagund *de quinto eccles. præcepto. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 10. Aduerto tamen deberi decimam ex fructibus tuo labore acquisitis, si fructus sint res mobiles, secus si immobiles. Quapropter Rex obtinens ciuitatem aliquam bello iusto, non tenetur ex rebus immobilibus decimam soluere; quia ita interpretatur consuetudo, fortè quia lucrum illud rei immobilis pariturum est plures fructus, ex quibus decimæ solui debent. At tenetur ipse, & quilibet miles ex lucro iustæ prædæ decimam erogare; quia est lucrum ex militia, & fructus illius, ex qua decennium debetur, iuxta *cap. decima 16. q.* 1. & notauit Fagund. *de decimis lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 12. De pretio verò dato pro re vendita decimas non debes, nisi fortè lucrum aliquod tibi ex venditione accrescat, quia pretium neque est fructus personæ, neque rei, sed est res vendita æquivalenter.

5 Tertiò, Dubitatur de rebus iniustè acquisitis? Et sub distinctione respondeo: si sint iniustæ, taliter quòd obligationem habeas restituendi, certum est, decimam non deberi; quia tibi non sunt acquisita, & constat ex *cap. ex transmissa. de Decimis,* ibi de licitè (id est iustè) acquisitis, & tradit *glossa ibi.* D. *Thom.* 2 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 2. Silvest. *verbo decima. n.* 12. Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 39 *dub.* 3. *n.* 13. Fagund. *de quinto Eccles. præcepto. lib.* 1. *c* 2. *n.* 14. Suar *t.* 1. *de relig tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 7. Si verò retines iustè, licèt illicitè acquisieris, vt quia accepisti ob fornicationem, vel homicidium, malámve sententiam; tunc si peccatum sit publicum, decimam non deberi, quia Ecclesia non vult illam accipere, ne aliquo modo videatur tam malè acquisita approbare. Si verò peccatum ex quo lucrum prouenit, non fuit scandalosum, debes decimas; quia cessat præsumptio approbationis, ita Silvest. *verbo decima. q.* 6. *cum* Hostiensi. Azor. *supra. cap.* 35. *q.* 13. cum D. Th. 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 1. Suar. *lib.* 1. *cap.* 31. *n.* 7. 8. 9. *&* 10. Bonac. *de decimis. p* 3. *n.* 2. Fagund. *à n.* 17. Valen. *disp. 6. q.* 5. *p.* 3. *in fine.*

6 Quarto dubitatur; quando hæ decimæ personales debeantur? Respondeo primò non deberi decimas personales, nisi ad finem anni, & in aliquibus terris ad finem vitæ. Vnde fit, si quis lucrum ex negotiatione, militia, ludóve acquirat, & intra annum amittat, non debere soluere decimam, neque ratione

tatione rei acceptæ quam non habet, neque ratione iniustæ acceptionis; quia non erat debita quousque annus finiretur, vel vita terminaretur, ita Saa. *verbo decima, num.*1. & Azor. *lib.*7. *cap.*35.*q.*9. *in fine*, sed præcipuè *q.*16. *cum Abbate. in c.peruenit.n.*3. *de Decimis, & glossa in c. reuertimini, in verbo annus.* 16.*q.*1. censent ad exitum anni esse soluendum. Rebuff. *q.*12. *num.*4. *& seqq.* Suarez *lib.*1. *cap.*37. *num.*3. qui computationem anni affirmat debere esse secundùm communem cursum, vel deberi assignari communi conuentione.

7 Quintò dubitatur; an deducendæ sint expensæ, quæ in acquisitione lucri fiunt? Affirmatiue respondeo ex *c. pastoralis. de Decimis*, vbi Pontifex in negociatione concedit, vt possint expensæ deduci prius quam decimæ soluantur ex lucro. Et licet *in cap.non est*, præcipiat Pontifex integrè decimas soluere, antequam deducantur vllæ de bonis prædictis expensiæ, & bona, quæ retulit non solùm fructus prædiales, sed personales comprehendant; si quidem ait decimas esse soluendas de vino, agro, fructibus, negociatione, militia, venatione, &c. tamen quia *caput pastoralis*, posterius est: & ibi conceditur expensas deduci ex fructibus lucri? affirmare debemus *cap. non est*, solùm de prædialibus decimis loqui, cum affirmat, ne expensæ deducantur, vt sic contra manifestam subsequentem decisionem non procedat; & ita tenet *glos. cap.non est.c. pastoralis de Decimis.* & ibi Innocent. Panormit. *& alij.* Suar. *de relig. lib* 1. *de diuino cultu.c.*33. *num.*2. Fagund. *de quinto Eccles. præcepto, lib.*1.*c.*2. *num.*18. Ratio verò, quare in negociatione deducantur expensæ, non in fructibus, & redditibus est. 1. quia in negociatione operatur manus hominis, sed in aliis præcipuè operatur manus Domini. Secundò ne bis eadem res decimaretur, decimaretur inquam; quia est lucrum personale, & decimaretur quia pecunia decimata acquiritur. 3. Quia non reputatur lucrum, nisi id quod remanet deductis expensis. At in fructibus terræ, omnia quæ ex terra nascuntur, fructus nuncupantur, & semen quod terræ est mandatum, nomen fructus obtinet; cùm in aliam formam, transmutatum è terra oriatur.

8 Quæ verò computari debent nomine expensarum, Respondeo omnia illa esse computanda, quæ ad vendendum, negociandum, vel lucrandum expenduntur aliàs non expendenda. sic Suar. *cap.*33. *num.*6. Fagund. *lib.*1. *de Decimis, c.*2. *n.*10. An verò sustentatio personæ, & seruorum, quæ absque illa negociatione non fieret, computanda sit; Probabilitate non caret computandam esse; cum quia sunt expensæ factæ absolutè in negociatione, & lucro acquirendo; siquidem absque sustentatione propria & familiæ non potest vllum lucrum acquiri, & hunc modum dicendi approbate videtur Rebuff. *tract. de decimis, q.*11. *num.*4. *& 6.* & Suar. *cap.*33. *num.*6. licèt contrarium affirmet, hunc tamen non refutat, vt improbabilem: veretur tamen dare hanc licentiam: siquidem hæc sententia posita pauci essent, qui decimas personales soluere tenerentur, nisi negociatores, & mercatores copiosi; cum in vestitu, & victu omnia ferè lucra acquisita necessarium sit insumere, tamen hoc non est magni momenti; imò videtur potius rationi consentaneum; vt solùm ex lucro, quod illis accrescit, deducta conueniente sustentatione sua, debeantur decimæ, nam illud propriè est, quod lucrum vocatur, reliqua verò in acquirendo illo lucro consumuntur.

9 Sextò dubitatur de loco, vbi hæ decimæ debitæ sint? Est affirmandum iure communi Ecclesiæ parochiali, vbi quis habet domicilium, & Sacramenta suscipit, debet hanc decimam. *cap.ad Apostolicæ. de Decimis, & cap.*2. *de Sepulturis, in* 6. *& c.vlt de parochis, & aliis quæ referuntur.*16. *q.*1. *& Doctores communiter.* Quod si quis habeat duo domicilia, & in vna parochia resideat in hyeme, in alia verò æstate diuidat decimam. Si verò plura domicilia, vnum sit principale, aliud quasi accessorium, soluet decimam illi parochiæ, in qua habet principale domicilium. Quapropter semper attendi debet domicilium principale, etiamsi parochianus toto ferè anno extra parochiam laboret, & de facto suscipiat Sacramenta; quia illud est per accidens. Quòd si nullibi habet domicilium, ibi debet soluere, vbi maiori parte habitat, & quasi domicilium ponit, ita communiter Doctores. Nau. *art.vn.*2. *de decimis num.*3 Azor *lib.*7. *cap.* 35.*q.*14. Suar. *cum aliis lib.*1. *cap.*21. *n.*1. *& 2.*

10 Aduertendum tamen est hæc omnia procedere de iure communi, quod ferè in omni regione abrogatum est consuetudine, seu præscriptione contraria. Quare nullibi ferè decimæ personales sunt in vsu, vt ex doctoribus citatis constat, præcipuè ex Panormit. *in c.cum homines, de Decimis num.*5. *in fine, & passim docet* Suar. tradit Valen. *disp.*6. *q.*5. *p.*3. *fine.* & Saa *verbo decima, n.*1. Quapropter consulenda est consuetudo.

PVNCTVM VII.

Ex quibus rebus, & qualiter decimæ prædiales soluendæ sint.

1 *Decimæ prædiales, & mixtæ ex omnibus fructibus mobilium; & immobilium debentur, variisque exemplis explicatur.*

2 *Proponitur quædam obiectio, & soluitur.*

3 *Si ager ematur ex fructibus non decimatis non debetur, nisi vna decima.*

4 *Obstat Panormit. sed illi fit satis.*

1 SVb prædialibus decimis mixta comprehendimus; quia naturam prædialium imitantur. Hæ omnes debentur ex omnibus fructibus, & prouentibus rerum mobilium, & immobilium. Habetur *cap.tua nobis, cap.non est, cap.ex trans mixta, cap.nuncios, & aliis de Decimis.* Idem constat ex variis capitibus in decreto.16. *q.*1. *&* 7. & tradit D. Thom. ab omnibus receptus. 2.2. *q.*87. *art.*2. Ratio est clara; quia omnium fructuum Deus est autor, & productor: debet ergo vt talis recognosci Decimarum oblatione, omnium illorum; quia non est maior ratio de iis, quàm de illis. Sed vt hæc omnia clariùs explicentur, accipe exempla, in quibus aliqua esse potest difficultas. 1. non solùm ex tritico, sed ex palea Decima debetur. Ita Abbas *in cap.peruenit de Decimis num* 3. Fagundez *de quinto Ecclesiæ præcepto, lib.*1. *cap* 4. *num.*2. Suar. *cap.*34 *num.*2. Azor, *lib.*7. *cap.*35.*q.*9. Ratio est, tum quia ex grano debetur decima, *cap.non est de Decimis*, sed palea spectato rigore iuris granum est. Ergo ex illa debetur decima, tum quia palea inter fructus computatur, vt colligitur ex *leg.adeò* §. *cum quis, ff. de acquir. rerum Domin.* Vnde etiam si triticum demetur post trituram manet obligatio soluendi paleam, nisi aliud consuetudine introductum sit. Item ex omnibus fructibus arborum, & ex oleribus minutis, & leguminibus, *cap.ex multis lici*: ibi de blado, & vniuersis leguminibus. Excipiuntur tamen minuta olera, quæ ex hortis colliguntur non ad lucrum, sed ad quandam commoditatem, & voluptatem suæ familiæ: ex iis enim non videtur danda decima: ita D. Thom. 2.2. *q.*87. *art.*2. *ad* 3. Soto *lib.*9. *de iustit. q.*4. *art.*2. *ad* 3. *& indicat* Suar. *cap.*34. *n.*7. *circa finem.* Item ex molendinorum prouentibus etiam ad ventum debetur decima. *c.peruenit. cap.pastoralis, cap. ex transmissa.* Quia absolutè est rei fructus, & tradit Suar. *lib.*1. *de Decimis cap.*34. *n.*3. Fagundez *de quinto Ecclesiæ præcepto, lib.*1. *cap.*4. *num.*5. Similiter ex locatione domus, furni, piscinæ, aut prati, aut alterius cuiusuis rei decima debetur, *c. commissum. cap. pastoralis de Decimis.* Vnde à fortiori ex ipsa herba, si in fasciculos colligatur, & vendatur, vel si arbores nemorum scindantur: ex omnibus iis decima debetur: quia sunt fructus terræ, & lucrum, quod nobis accrescit, ita omnes Doctores. Si verò pratum non locetur. neque herba colligatur, sed tua animalia ibi pascant, non debes ex herba decimam; quia non videtur esse debita, quousque sit collecta, vel locationis ratione pretium datum. Ita Azor. *suprà.* Ex animalibus verò debentur decimæ, vt de se constat, & de fructibus ab eisdem prouenientibus, vt caseum, lac, butyrum, &c. & in apibus de melle, & cera habetur. *cap. quicunque, cap.omnes,* 16. *q.*7. *& c.nuncios de Decimis.* De ipsis verò examinibus, quæ denuò prodeunt non videtur decima deberi; habentur enim quasi animalia syluestria, & industriæ personæ tribui debent, quod colligantur, ita Azor. *suprà, & cap* 34. *n* 4. Ex genitura verò animalium syluestrium ait Suar. non solui decimam, nisi quando capiuntur, & interficiuntur. Plura alia exempla adducunt supradicti Doctores. Sed ex iis faciè est iudicium ferri: Aduertenda tamen est in omnibus iis consuetudo, quæ si immemoralis sit, sufficiet ad excusandum decimam, vel anni 40. cum titulo vt ex dictis constat.

2 Solum obiicit Suar. aduersus hanc doctrinam videri duplicem decimam ex iisdem fructibus deberi; nam si quis locet stagnum ad piscandum, vel nemus circumdandum ad colligendas feras, tenetur ex lucro soluere decimam, quæ est quasi quædam decima omnium piscium, vel omnium animalium, quæ in illo loco sunt inclusa: ipse verò venator ex animalibus collectis tenetur etiam decimam soluere. Ergo iam ex eadem re duplex decima soluitur, quod est contra vsum Ecclesiæ, vt sumi potest, ex *cap.pastoralis*, & colligit Abbas *ex cap.non est de Decimis.*

Respondet tamen & optimè ipse Suar. duplicem decimam ibi solui, aliam inquam prædialem, aliam verò personalem, sed non ex eadem re. Soluit prædialem venditor, vel locator ex locatione piscinæ, vel nemoris; personalem venator, seu piscator. Et ita hîc debet computare pretium datum pro locatione, & omnes expensas factas in colligendis feris, & illis computatis de residuo decimam tenetur erogare, & consequenter non ex eadem re soluuntur decimæ, sed ex diuersis; siquidem iam pretium deducitur.

3 Dubitare tamen aliquis posset; an si ex pecunia, vel fructibus non decimatis ager ematur, fructus agri debeantur Ecclesiæ non solùm quoad decimam partem titulo decimationis, sed etiam quoad aliam decimam, eo quod fuit emptus pecunia, vel fructibus non decimatis?

Respondeo probabilius esse non solùm in foro conscientiæ, sed etiam exteriori decimam illam non deberi. sicut enim qui lucratur vsuraria pecunia, aut agrum emit, non debet fructus soluenti vsuras; quia bona empta alicuius pecunia non sunt eius, cuius est pecunia, vt doctè tradit Couarr. *lib.*3. *var. cap.*3. *n.*6. Similiter neque ager emptus pecunia, aut fructibus non de-

cimatis erit Ecclesiæ, sed solius emptoris, atque adeò neque ex fructibus agri tenebitur restituere ratione huius emptionis, cuius sententiæ est Suar. *lib.1. cap.38. à num.12. & num.13.* Probat ratione priuilegij facti Ecclesiæ non deberi; quia nullum inuenitur, vt expressè affirmauit Ioan. Andr. *in addit. ad Specular. tit de empt. & vendit. §3.*

4 In contrarium tamen est Panorm. cum Innocent. *& aliis in cap pastoralis. de Decimis, num.6.* & mouetur, quia in *cap. pastoralis*, dicitur de rebus acquisitis pecunia decimata non deberi decimam, nisi de lucro. Ergo à contrario de rebus acquisitis pecunia indecimata debebitur decima vltra lucrum? Respondeo negando consequentiam. Nam argumentum à contrario sensu efficax non est semper, & præcipuè cum Pontifex ibi parum curet acquisita res sit pecunia decimata, vel indecimata: de hoc enim non agit Pontifex, sed solùm dicit in illo cap. decimam deberi ex quocunque lucro personali deductis priùs expensis in illo factis, siue lucrum acquisitum sit pecunia decimata, siue indecimata, de hoc enim non curat; de fructibus verò acquisitis affirmat deberi decimam antequam expensæ deducantur.

PVNCTVM VIII.

Quomodo, & quo loco, hæ decimæ prædiales soluendæ sint.

1 *Debetur decima ex omnibus fructibus, antequam pensio, vel expensæ deducantur.*

2 *Soluere decimam ex fructibus notabiliter deterioribus peccatum est graue.*

3 *Ex fructibus agri culti propriis expensis, vel per colonos decima debetur semel.*

4 *Soluenda est decima fructibus perceptis, neque opus est petatur.*

5 *Fructus indecimati non sunt sine consensu clericorum in horrea mittendi.*

6 *Soluenda est decima prædialis Ecclesiæ Parochiali, in qua situm est prædium.*

7 *Idem est dicendum de Decimis mixtis, quæ ex fructibus animalium proueniunt.*

8 *Quid si in vna parochia animalia pascant, & in alia accubant. Probabilius est inter vtramque decimam esse diuidendam.*

9 *Probabile est aliquam partem huius decimæ deberi parochiæ, in qua Dominus Sacramenta recepit.*

10 *Supradicta intelligenda sunt de iure communi, consuetudo tamen inspicienda est, & quod tempus ad hanc consuetudinem introducendam requiratur, vt vna Ecclesia aduersus aliam præscribat.*

11 *Proponitur quædam obiectio de decimis mixtis & fit illi satis.*

12 *Decimæ ex noualibus quo in loco soluendæ sunt, cum distinctione respondetur.*

1 REspondeo decimam soluendam esse ex omnibus fructibus supradictis integris, antequam pensio aliqua, vel tributum deducatur, vel expensæ aliæ computentur. Est conclusio definita, *cap. cùm non sit, de Decimis, c. p. tua nobis, c. non est, cap. cum homines, cap. pastoralis eodem, tit.* Ratio est; quia decimæ soluuntur in recognitionem diuini Dominij, quod & ante omnia iura est, & ad omnes fructus se extendit. Conueniens ergo fuit, vt ex omnibus fructibus nullis detractis pensionibus, expensis, vel tributis soluantur, neque obstat, *Lex tit. Cod. de Fructibus, & leg. fundus ff. familiæ erciscundæ, leg. fructus, ff. soluto matrim.* Vbi affirmatur illos tantùm censeri fructus, qui remanserint deductis expensis: cùm autem ex fructibus tantùm debeatur decima; effici videtur non deberi ex omnibus fructibus, nisi priùs deducantur expensæ, scilicet seminis æstimatio, & pretium pro colendo agro, & colligendis fructibus, vel reparanda domo, quæ lixari debet: solùm enim quæ remanent sunt fructus. Non inquam obstant supradictæ leges; quia non loquuntur de fructibus prout oriuntur ex terra, seu naturaliter, in hac enim acceptione certum est omnia quæ oriuntur ex terra dici fructus terræ: & in hac acceptione canones supradicti accipiunt fructus, cum mandant ex illis decimas esse soluendas; siquidem exprimunt neque deducendas esse expensas, neque tributa soluenda: sed loquitur tantùm de fructibus, quatenus sunt lucrum vsusfructuarij: & in hac acceptione verum est deducendas esse expensas; quia solùm remanet deductis expensis. Habet rationem lucri, ex quo inferunt Doctores, cum alicui legatur vsusfructus alicuius fundi debere Dominum fundi computare sumptus, quos in colligendis fructibus fecit, iuxta *leg. fund. ff. de vsufructu legato:* Quia solùm intelligitur legari commoditates, seu lucrum, quod ex illo fundo debet prouenire, non omnes fructus prouenientes ex ipso fundo; aliàs obligaretur Dominus fundi, cui est fundus legatus gratis alteri inseruire. Secus verò dicendum est, quando legatur fundus, & vsusfructus alicui cum obligatione soluendi alteri pensionem, seu illorum fructuum partem; tunc enim expensæ deduci non debent; quia in tali legato commoditas tantùm illius, cui soluenda est pars fructuum videtur spectari, colligitur ex *cap. tua nobis, de Decimis* & in hac doctrina conueniunt omnes Doctores. Innocent. *in cap. pastoralis*, & Panormit. *ibi n.9.* quos sequitur Franciscus Suar. *lib.1. c.35. n.4. 5. & 6* Lessius *lib.2. de Decimis, c.29. dub.3. num.16.* Fagund. *de quinto Ecclesiæ præcepto lib.1. cap.4. num.6.* Bonac. *disp. vlt. de quinto Ecclesiæ præcepto, q.5. p.3 in fine.*

2 Ex supradicta conclusione infertur primò, grauiter peccare qui decimam debitam Ecclesiæ soluerit ex fructibus notabiliter deterioribus; cùm enim decima pars debita sit ex omnibus, & tam meliora, quàm deteriora manu Dei contingant, de omnibus æquè decima debetur. Quocirca neque tenetur meliora eligere, neque potest deteriora dare. Sed bona fide mediocria inquam tribuere; aliàs si hoc fiat in parte notabili peccatum graue iniustitiæ, & sacrilegij committet, & decimarum fraudulentus vocabitur, pœnæque impositæ fraudatoribus decimarum illum comprehendent: ita Lessius *lib.2. c.29. dub.3. num.16.* Sylvest. *verbo decima num.15. §.3.* Fagund. *de quinto Eccles præcepto, lib 1. cap.4. num.7.* Bonac. *disp. vlt. de quinto Ecclesiæ præcepto, q.5. p.3. n.16.*

Secundò infertur quomodocunque ager colatur siue per propriam personam, siue per mercenarios deberi decimam ex integris fructibus; illa autem soluta, neque Dominus, neque colonus, neque mercenarius ex re sibi contingenti tenetur decimam soluere: aliàs ex eadem re bis decima esset soluenda. Vnde si Dominus agri conduxit omnes fructus pretio sibi dato, intelligendum est conductionem fuisse factam de omnibus fructibus exclusa decima, quia hic Ecclesiæ debetur, & sic in conductionem intrare non potest, neque ratione illius potest colonus pretium offerre. Quòd si colonus colat agrum pro aliqua parte fructuum sibi data in pretium laboris, de tali fructu, tanquam de lucro personali debet decimam. Hæc autem non videtur esse in vsu: Dominus autem semper tenetur de integris fructibus decimam soluere, neque pretium, neque pensionem, neque aliquod aliud tributum potest antea extrahere. Neque seminis æstimationem, etiamsi postea vix colligatur quòd seminatum fuit; quia omnia, quæ ex semine prouenuntur fructus terræ sunt, & de manu Dei prouenient. Sic Sotus *lib.9. de iustit. q.4. art.2.* Suar. *lib.1. cap.35. n.7. & 14.* Lessius *suprà, & communiter Doctores.*

4 Quando verò soluenda sit hæc decima prædialis definit Pontifex, in *cap. cum hominis, de Decimis*, ibi *mandamus, vt statim fructibus collectis decimam persoluant.* Vnde sufficit esse perceptos, quamuis non sint perfectè collecti. *leg. si eius, ff. de rei vindicat.* vbi dicitur perceptionem fructus accipere debemus: non enim perfectè collecti: sed etiam cœpti ita percipi, vt terra continere fructus desierit, veluti si oliuæ, vel vuæ fectæ fuerint, & nondum ab aliquo vinum, vel oleum factum sit; statim ipse fructum accepisse existimandus sit; sic ibi, consuetudo tamen consulenda est. Solùm aduerto in fœtibus animalium non esse decimam soluendam, quousque fœtus sine matre viuere possit; quia vsque tunc nullius est vtilitatis, ita Lessius *suprà*, & Suar. *cap.37.* lac, caseum, & butyrum; quia tractu temporis colligi debet in fine illius est soluenda decima, vt notat *idem* Suar. Lana verò, cum oues tondentur, similiter etiam consuli debet consuetudo, an necesse sit peti decimas (hoc est parochum monere parochianos) vt soluantur. Dico ergo iure communi multò probabiliùs esse debere solui, antequam petantur tum quia statim solui debent, vt in *dicto cap. cum homines.* Tum etiam quia sunt debitæ eo ipso, quod sint fructus collecti, ita Abbas, & Aucharran. *in cap. peruenit.* Couarr. *lib.1. var. cap. 17. n.8. & n.12.* Bonac. *disp. vlt. de præceptis Ecclesiæ q.vnic. p.4. n.2.* Suar. *cum aliis lib.1. cap.37.* Azor. *lib.7. cap.35. q.17.* (etsi contrarium teneat Cardin. *in c peruenio, de decimis*, & Archidiac. *in cap.1. decimis, in 6.* & Paris. *cons. 15. in 1. volum.* requirentes monitionem, sed intelligendi sunt, vt parochianus excommunicatione feriatur, non tamen vt à culpa excusetur, vt bene doctores pro nostra sententia allegati explicant.

5 Tandem inquires an decima deferenda sit ad Ecclesiam, seu in horrea clericorum, an satisfacies, si reddas in agro, vel in vinea, vel in tua domo? In qua re 1. aduerto fructus indecimatos tritici, vini, palearum, & similium non esse mittendos in horrea propria, & aliis miscendos sine consensu clericorum, vel illorum, quibus decimæ debentur; quia hoc non potest sibe iniuria Ecclesiæ fieri, quod si monitus clericus noluerit decimam accipere, tunc poteris recondere, vel in area relinquere, neque teneris expectare, vt aduertit Gutierr. *cap.21. n.43.* & Suar. *suprà. num.7.* cum Couarr. Hostiensi, & Rebuffo, Bonac. *dicto. p.4.* Referre verò ad propriam domum clericorum iure communi non debetur: quia nullibi hoc est sancitum: ita Gloss. *cap. cum homines, verbo fructibus.* Adrian. *quod lib.5. art 1. q.2.* Suar. cum aliis *suprà, n.6.* Bonac. *p.4. in fine.* Spectanda tamen est consuetudo, vt bene dicit Sylvest. *verbo decima, q.9.* & Azor. *suprà. q.15. fine.* Bonac. *dicto. p.4. & doctores communiter* quæ consuetudo sufficit, si decem annis viguerit, ei enim ad stabiliandam legem de re, quæ iure non est prohibita sufficient, vti affirmat multis relatis Lessius *libro secundo cap.6. dub.14. num.46.*

*num.*46. & notat in præsenti Suar. *cap.*37. *num.*8. Bonacin. *suprà.*

6 Tandem de loco, in quo soluendæ sint hæ decimæ, dicendum est iure communi soluendam esse decimam prædialem Ecclesiæ parochiali, in cuius iurisdictione situm est prædium, etiamsi parochianus alibi habitet, recipiátque Sacramenta: definitur expressè. *cap. vlt. de restit. spoliat. in* 6. ibi præsumuntur iniustè occupare decimas, qui eas exigunt ex prædiis in aliena parochia constitutis, cùm manifestum sit (nisi aliud ostendatur) eas de iure communi ad eandem Ecclesiam pertinere. Idem habetur in *cap. cum contingat. cap. ad Apostolica, cap. cum sint homines, cap. cum in tuto. de Decimis, c. vlt. de Parochiis:* & in hac conclusione Doctores omnes conueniunt: conuenientia tamen huius constitutionis ea fuit, vt iura Ecclesiæ, & decimæ firmæ permanerent, neque ex mutatione personarum variarentur.

7 Naturam harum decimarum sequuntur mixtæ, quæ ex fructibus animalium proueniunt. Quocirca vbi pascunt, vbi accubant, & dormiunt, debentur decimæ, tametsi Dominus alibi commoretur, sic *glossa. in cap.* 1. *de Decimis.* 15 *q.* 1. *verbo pascit.* Rebuff. *tract. de decimis q.* 6. *num.* 25. Suar. *t.* 1. *de relig. lib.* 1. *de diuino cultu c.* 21. *n.*8. Fagund. *de quinto Eccles. præcepto. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 5. Vnde si in hyeme in vna parochia pascunt; æstate verò in alia, in alia verò accubant. Decimæ tunc diuidendæ, neque parochiæ vbi Dominus assistit; debet aliqua pars solui, si greges ibi nulla anni parte commorantur, est communior sententia, quam tenet *glossa. cap. ad Apostolica* D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *art.* 3. *ad* 2. & Soto *ibi* Rebuff. 1. *de decimis. q.* 6. *num.* 25. & *q.* 8. *n.* 11. Azor, *lib.* 7. *cap.* 35. *q.* 15. Fagund. *de quinto Eccles. præcepto lib.* 1. *c.* 5 *num.* 6. & 7. Suar. *lib.* 1. *c.* 21. *num.* 7. qui optimè aduertit non deberi decimas parochiis illis, per quas huiusmodi greges transeunt, etiamsi ibi aliquo temporis spatio commorentur: aliàs per plures, & innumeras partes esset hæc decima diuidenda: consentit Fagundez *suprà num.* 8.

8 Sed quid si in vna parochia animalia pascant, in alia verò accubant, fixamque caulam habeant, seu domicilium? Duplex est sententia. Prima affirmat parochiæ in qua pascunt, integrè deberi. Tum quia ex fructibus prædiorum fœtus prouenit, tum quia fœtus decimarum succedit decimæ, quæ colligenda erat ex herba, quam animalia pascunt: sic D. Thom. 2. 2. *q.* 87 *art.* 3. *ad* 2. Alen. 3. *p. q.* 51. *memb.* 4. *art.* 4. *in fine.* Sotus *lib.* 4. *de iust. q.* 4. *art.* 3. *ad* 2. Fagund. *de quinto Ecclesiæ præcepto. lib.* 1. *c.* 5. *n.*10. Secunda sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, etsi suprà dicta sit satis probabilis affirmat inter vtramque parochiam decimam esse diuidendam, tametsi maior pars competere debeat parochiæ, in qua pascunt animalia, quam ei, in qua accubant, & fixam habent caulam. Moueor; quia ad sustentationem animalis, & productionem fœtus non solùm pastus, sed & cubitus, requiesque necessaria est. Ergo parochia illa, quæ hunc cubitum præbet, defraudari non debet fructu inde proueniente. Sic Rebuff. *tract. de decimis. q.* 6. *n.*16. inclinat Suarez *t.* 1. *de relig. lib.* 1. *de diuino cultu. cap.* 21. *num.*10.

9 Sed inquires; an sit probabile aliquam partem huius decimæ mixtæ debeti parochiæ illi, in qua Dominus habitat, recipitque Sacramenta, tametsi armenta alibi pascant, & cubent? Respondeo probabile esse: sic Nauarr. *cons.* 1. *de decimis. n.*10. Ratio est, quia de iis decimis nulla est constitutio expressè assignans deberi Ecclesiæ in qua armenta residunt, vt benè notauit Suar. *suprà, num.* 7. Cùm ergo vocentur mixtæ, quia medium sunt inter personales, & prædiales, & personales decimæ debeantur parochiæ, vbi persona residet, prædiales, vbi prædium existit; hæ decimæ, quæ medium sunt inter vtrumque, diuidi debent inter parochiam in qua armenta residunt, & in qua persona residet saltem quoad quartam partem, quam assignat Nauarr.

10 Verùm etsi hæc omnia de iure ita sint, consuetudine tamen, præscriptione, aut priuilegio introduci potest, decimas prædiales, & mixtas non solui Ecclesiæ, in qua situm est prædium, vel greges pascuntur, sed alteri Ecclesiæ extraneæ, aut ei, in qua Dominus prædij, & gregis habitat. Ita *Doctores omnes*, & sumitur ex supradictis. Difficultas autem est, quod tempus requiratur ad hanc consuetudinem, vt scilicet vna Ecclesia præscribat in exigendis decimis contra aliam, cui de iure decima debita erat? Probabilior sententia affirmat requiri consuetudinem 40. annorum, & videtur definitum in *cap. à videntibus, de Priuilegiis*: vbi expostulatur tempus 40. annorum ad præscriptionem decimarum vnius Ecclesiæ contra aliam priuilegiatam, & *cap. ad aures de præscript. & cap.* 1. *de præscript. in* 6. quadragenariam præscriptionem cum titulo inter diuersas diœceses requirit, & immemorialem sine titulo. Et probari potest efficaci ratione: nam ad præscribendum in iis quæ sunt contra ius tempus quadragenarium cum titulo, & sine titulo immemoriali requiritur. Atqui hæc præscriptio soluendi decimas alteri parochiæ ab ea, in qua est prædium, vel greges pascuntur, est contra ius; siquidem, vt diximus, ius commune determinat, vt Ecclesiæ, in qua situm fuerit prædium decimæ soluantur, vt constat ex verbis allatis *cap. vlt. de Restit. spoliat. & cap. cum in tua, de Decimis*, ibi ad quas, (id est, Ecclesias in quibus prædia sita sunt) de iure communi spectat perceptio decimarum. Ergo ad hanc præscriptionem introducendam necessariò tempus 40. annorum cum titulo requiritur; quia hoc ius non tam vi consuetudinis, quàm vi præscriptionis videtur introduci; cum hac consuetudine Ecclesia intendat non se à decimis eximere, sed ius denuò aduersus Ecclesiam acquirere, atque ideò conditiones omnes requiruntur præscriptionis: & ita latè, & eleganter probat Ludouic. de Mol. *tract.* 2. *de iust. disp.* 72. & 75. definitionem Bonic. 8. in *cap.* 1. *de præscript. l.* 6. vbi conclusionem supradictam Bonifacij expressè affirmat. Aduertit tamen Glossa, & optimè ibi. Si vna Ecclesia aduersus aliam possidentem decimas alterius Ecclesiæ extra territorium vtriusque existentis velit impetere, sufficere Ecclesiæ possidenti, vt à præscriptione, seu possessione non remoueatur, 40. annos, neque titulum requiri, quia ibi licèt ius resistat præscribenti, non tamen facit pro petente. Eandem sententiam tenet Suar. *lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 7. Qui dicit contrariam intelligi non posse, nisi in casu quo dubium esset ad quam Ecclesiam prædium pertineret; tunc enim affirmat consuetudinem decem annorum videri sufficientem ad præscribendum, cum in iis ius non resistat: similiter etiam in decimis mixtis, cùm non sit ita expressum in iure ad quam Ecclesiam hæ decimæ pertineant decem annos sufficere, quia in iis, quæ non sunt contra ius, sed præter ius consuetudo longi temporis tantùm requiritur. At in iis decimis non est contra ius illas soluere Ecclesiæ, vbi Dominus habitat? imò videtur iuri, & rationi conforme. Ergo.

11 Solùm obiici potest. *cap. de quarta, de præscriptionib.* vbi clericus quidem aduersus Episcopum 40 annorum præscriptione se defendit de non soluenda quarta, & *cap. cum pastoralis, de iure patron.* vbi Clerici, vel Monachi Ecclesias à laicis relictas possederant sine consensu diœcesani quadragenali possessione, neque titulus fuit expostulatus; & tamen his præscriptionibus ius resistit. Ergo ad præscribendum decimas vnius Ecclesiæ contra aliam non debet titulus expostulari; sed sufficit quadragenaria præscriptio? Respondeo in illis casibus non requiri titulum; quia non præsumitur de mala fide in possidentibus: non enim ipse clericus incepit possidere aduersus Episcopum, sed successit prædecessori, & similiter Monachi non de manu laicorum acceperunt Ecclesias, sed successerunt aliis, qui illas acceperunt, & præcipuè quia consensus Episcopi facilè ibi præsumitur, cùm non sit inusitatum dare consensum. At in decimis soluendis Ecclesiæ extraneæ propria nunquam censetur consentire, neque videtur posse propria authoritate; ea de causa ad præscriptionem aduersus illam titulus necessarius est, vel consuetudo immemorialis, ita Mol. *suprà.* Sed hæc responsio mihi non satisfacit; quia *cap.* 1. *de præscript. l.* 6. absolutè dicit vbicunque ius commune est alicui contrarium non sufficere bonam fidem, sed necessariam requiri titulum. Quocirca illa iura allegata, & *cap. ad aures de Præscriptionib.* vbi quadragenalis possessio requiritur in iis quæ sunt iuri communi contraria, nullàque fit mentio, de titulo explicanda sunt per *hoc cap.* 1. *de præscription.* & iuxta illud intelligi, atque adeò dicendum secundum antiquum ius sufficere quadragenalem possessionem, non verò iuxta hoc nouum ius traditum in *cap.* 1. *de præscript. lib* 6. Tertiò, Respondeo cum Couarr. *lib* 1. *var. cap.* 17. *num.* 7. dupliciter ius commune in possessione alicuius posse esse tibi contrarium. Primò, ex eo quod res de facto alteri sit applicata. Sicut enim fundo Petro applicato omnes fructus illius præsumuntur sui esse: in quo casu non tibi ius commune vetat seruitutem habere in illo. At si tibi prohiberet seruitutem habere, titulus esset necessarius ad præscriptionem; quia tunc ius commune tibi propriè resistit; in alio autem casu non propriè, sed indirectè. In soluendis verò decimis alienæ parochiæ resistit ius commune prohibens sæpè aliis dari, & non solùm applicat fructus propriis parochiis, sed de facto prohibet ab aliis suscipi. Tunc ergo titulus est necessarius.

12 Sed quid dicendum de nouálibus, quo in loco soluenda sunt? Vt est ager, qui nunquam seminatus fuit, nec fructus produxit, & denuò producit fructus. *cap. quid per nouale. de verbor. significat.* Ea vocantur in iure nouália. Quæstio ergo est ad quam Ecclesiam decimæ illorum fructuum pertineant? Respondeo; si in nullius Ecclesiæ parochialis territorio existant, ad Episcopum decima debet pertinere: habetur *cap. queniam, de Decimis.* Si verò existant intra terminos alicuius Ecclesiæ parochialis ad illam debent pertinere. Quod si decimæ illius Ecclesiæ applicatæ sint alteri Ecclesiæ sub verbis generalibus, & indefinitis, quæ clarè non continent nouália, sed possunt explicari de decimis, & reliis, quæ vsque ad illud tempus coli consueuerant. Probabilius censeo ad Ecclesiam, in qua situm est prædium pertinere, neque priuilegium, aut consuetudinem præscriptam exigendi decimas illius Ecclesiæ posse obligare, vt decimæ horum nouálium tribuantur. Ratio est; quia consuetudo, vel priuilegium exigendi decimas ex prædiis, & fructibus alterius parochiæ est contra ius communeiæ proinde odiosum; debet ergo restringi, & non ampliari, iuxta. *cap. tua.* 1. §. *vlt. de Decimis*, vbi id videtur expressè definitum. Ait enim

Pontifex,

Pontifex, neque occasione decimationis antiquæ (licet in feudum decimæ sint concessæ) sunt decimæ novalium vsurpandæ, cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda. Idem sumitur ex *cap.1. de Decimis. in 6.* & hanc sententiam probat optimè. Couarr. *lib.1.var.cap.17.n.13.*

Neque obstat, *cap.ex parte de Decimis*, vbi insinuatur contrarium. Ait enim Pontifex cum tibi, quod maius est, sit concessum, videlicet vt de laboribus terræ parochiatum suarum cum integritate percipias, de novalibus eas exigere satis potes; quia vbi maius conceditur minus concessum esse videtur. Ergo si priuilegium, aut consuetudo obtinuit, vt decimæ alicuius parochiæ, alteri extraneæ soluerentur, novalia etiam, quæ minus sunt debent solui. Non inquam obstat; quia ibi non fuit concessum aliquid contra ius, sed potiùs decimæ, quæ iuxta commune ius debebantur parochiæ propriæ, erant ab extranea vsurpatæ, & tunc ait Pontifex concesso principali, & maiori minus concedi, vt benè Couarr. *suprà*. At quando iussio, vel consuetudo à iure communi exorbitat, vt est priuilegium soluendi decimas prædiales extraneæ parochiæ, non venit in concessione maioris minus concessum, vt latè, & eruditè probat. Thom. Sanch. *lib.8. de dispensat.disp.1.à n.4.& præcipuè, ar.n.32.*

PVNCTVM IX.

Quæ personæ possint decimas possidere, & præscribere.

1 *Duplici titulo officij, vel conductionis decimæ possideri possunt.*
2 *Laïcus non potest habere ius spirituale percipiendi decimas, neque secundùm hanc rationem illas potest præscribere.*
3 *Titulo conductionis, emptionis, aut donationis bene potest laïcus decimas possidere.*
4 *Beneficiatus ad breue tempus potest decimas sibi competentes locare, aut vendere.*
5 *Excipiuntur aliqui casus, in quibus ex autoritate Episcopi possint ad vitam decimæ laïcis conferri.*
6 *In feudum, vel in perpetuum non possunt decimæ laïcis conferri nisi autoritate summi Pontificis, semel tamen collatæ possunt autoritate Prælati illius Ecclesiæ alienari.*

1 DVpliciter quis possidere potest ius percipiendi decimas, vel ratione ministerij, & officij, Ecclesiasticique exercitij, vel titulo conductionis, emptionis, donationis, aut obsequij temporalis præstiti, vel præstandi Ecclesiæ. Qui primo modo accipit decimas, accipit eas proprio iure, & nomine, & ius accipiendi decimas pro tali ministerio (spirituale est, vt de se constat. Ius verò accipiendi decimas ortum ex aliis titulis temporale est. His positis.

2 Respondeo laïcum non posse habere ius spirituale persoluendi decimas, neque eas secundùm hanc rationem posse præscribere. Definitur vatiis textibus de decimis, præcipuè *c. quamuis, cap. prohibemus, & in decreto.16. q.7.* specialiter *cap. decimas*, vbi ait Pontifex decimas, quas in vsum pietatis concessas esse canonica authoritas demonstrat à laïcis possidere authoritate Apostolica prohibemus: & in *cap. causam quæ de præscript.* absolutè affirmatur non posse laïcos decimas præscribere. Intelligi ergo debet secundùm hanc rationem, secundùm quam ipsi laïci incapaces sunt præscriptionis, vtpotè personæ, quæ hunc titulum spiritualem habere nequaquam possunt: siquidem non possunt habere officium, & ministerium ex quo ortum habet: sic Doctores omnes.

3 Verùm posse laïcum decimas possidere titulo locationis, & emptionis, aut donationis, nulli potest esse dubium, cum videamus sæpè Ecclesiam laïcis vendere decimas, illas locare, aut pro seruitiis factis, vel faciendis donare, sed tunc non exigunt decimas quasi sibi, & ratione proptiarum personarum debitas, sed debitas priùs Ecclesiæ, & ratione alicuius temporalis ministerij sibi applicatis, & secundùm hanc rationem possunt laïci 40. annorum præscriptione cum titulo, & immemoriali sine titulo decimas possidere. Couar. *cap.17.num.5.§.sed si dubitetur.* Lessius *cap.6.dub.10. & c.39. dub.4. num.19.* & Azor. *lib.7.cap.36.quæst.11.*& Suar.cum aliis *tract.1.lib.1.cap.27.n.4.* Ratio est, quia laïci capaces sunt decimas possidendi hoc titulo, & hac ratione. Possunt ergo præscribere. Et confirmo, secundùm hanc rationem possunt priuilegio habere ius decimas exigendi; quia illius sunt capaces. Ergo & consuetudine poterunt acquirere: nam præscriptio immemorialis priuilegio comparatur, & eandem vim habet in persona capaci, *cap. super quibusdam de verbor.significat, & ibi Glossa multis allegatis.* Vt autem præscriptio legitima sit, posito quod non adsit titulus affirmat Suar. debere adesse famam, & opinionem simul cum possessione immemoriali ex aliquo titulo legitimo illas possidere. Nam cum laïcus incapax sit exigendi decimas proprio nomine, titulo, ac iure, nunquam potest præscriptionem acquirere pacifica possessione tantùm, nisi in vi alicuius tituli iusti, ratione cuius decimas exigat. Requiritur ergo fama, & opinio tituli: verùm ego existimo ex sola immemoriali possessione colligi sufficienter iusto titulo possidere, neque necessariam esse aliam probationem præter possessionem pacificam immemorialem; ex qua probata præsumitur donatione, locatione, feudo, aut alia via decimas prædecessoribus suis fuisse concessas. Quapropter licèt in vi possessionis colligendi decimas nunquam laïcus decimas præscribere possit. Et secundùm hanc rationem verum sit, laïcos decimas præscribere non posse, vt ait Pontifex. *cap. causam, de præscript.* præscribit tamen in vi facultatis, & donationis, quæ præsumitur concessa, quotiescunque à tempore immemoriali illas recipit: sic affirmat Couarr. Azor. & Lessius *suprà*, qui solùm possessionem immemorialem requirunt ad sic præscribendum, & hac ratione præscribit ius patronatus aduersus Ecclesiam, vel laïcum sine probatione tituli, & concessionis, sed probata possessione præsumitur titulus, & facultas adfuisse; licet non appareat.

4 Sed inquires. Qui possint locare, vendere, aut donare laïcis hoc ius temporale percipiendi decimas? Respondeo clericum beneficiatum propria authoritate ad breue tempus posse decimas suas locare, aut vendere. *cap.2.de locato.* Vocatur breue tempus, quod est intra decimam. ita Abbas *in cap. quamuis de Decimis*: imò in sententia *glossæ* ibi tempus breue reputatur vita hominis. Vnde quilibet propria authoritate poterit decimas locare, aut vendere ad vitam, ita refert vt probabile Azor. *lib.7.cap.36.q.14.*

5 Verùm vbi recepta est *extrauagans Pij 2. quæ incipit ambitiosè de rebus Eccles. non alienandi*, nulla conductio, aut locatio etiam authoritate Episcopi fieri poterit, quæ triennium excedat: quæ limitatio non extenditur ad decimas, quæ laïcis conferuntur in stipendium pro obsequio Ecclesiæ præstito: quia vt benè dicit Suar. *cap.25. num.10.* in hoc contractu Ecclesia non conducit decimas, sed potiùs conducit alterius operas decimis ipsius Ecclesiæ, quod nulla ratione est prohibitum, etiamsi ad vitam fiat. Similiter etiam non videtur prohibitum Episcopis dare laïcis ius ad tempus, vel ad vitam exigendi decimas ratione alicuius magni obsequij, & beneficij facti Ecclesiæ, quale esset, si suis sumptibus maximè Ecclesiæ insemisset, si eam à tyranno defenderet, talis enim donatio remuneratoria, aut feudalis nullibi inuenitur prohibita. Nam in concilio Lateranensi, de quo statim solùm alienationis perpetuæ, & feuda, aut emphyteusis perpetuæ prohibentur: & ita hanc sententiam affirmat esse communem Couarr. *lib.1.cap.17.num.5.* adducitque Card. & Bald. & Suar. *lib.1.cap.26.n.1.*

6 Difficultas autem solùm est, an possint prælati inferiores ex aliqua graui causa (hæc enim semper supponitur, vt licitè fiat) dare huiusmodi decimam in feudum perpetuum, vel laïci, qui illas habent aliis alienare ex consensu Prælati?

In qua difficultate respondeo ante concilium Lateranense celebratum ab Alexand. 3. etiam Episcopi poterant, sicut & Pontifex has decimas infeudare: ob abusum autem, & prodigalitatem Episcoporum in decimis concedendis in illo concilio facultas hæc sublata est: vt colligi potest ex *cap. quamuis, de Decimis, & ibi glossa, & doctores communiter*, qui de feudo perpetuo affirmant Pontificem loqui, & manifestè probatur *ex cap. cum Apostolica de iis, quæ sunt à prælato in fine.* Decimæ verò à laïcis possessæ ex consensu prælatorum ante illud tempus, vel post illud ex concessione Pontificis licitè possunt retineri; imò de consensu prælati illius Ecclesiæ, à qua acceperunt, alteri donare. Possunt enim laïci pro loco, aut monasterio donare, aut transmittere huiusmodi feudum, neque requiritur, vt consensus capituli, aut tractatus accedat, quia hæc non est tam alienatio, quàm reuocatio decimæ à laïco detentæ ad vsum Ecclesiasticum. ita *c. cum Apostolica de his quæ sunt à prælato, & ibi doctores*, & expressè notat Lessius. *lib.2.c.39 dub.4.n.10.* Azor. *lib.7.cap.36.quæst.13.* imò non solùm laïcum posse feudum iustè possessum pio loco donare, aut transmittere ex consensu Episcopi: nam sine illo non potest, vt constat ex *tota causa, 16.quæst.7.& cap.cum & plantare de Priuileg.* sed etiam alteri laïco concedere, fuit sententia *glossæ in cap. prohibemus de Decimis*, & Cardin. *ibi* Ioann. Andr. *in cap.de præscript. in 6.* Sylvest. *decima.quæst.10.* Couarr. *cap.17.num.5.§.præter hæc.* Suar. *cum aliis lib.1 cap.16.num.7.* Ratio est, quia in *cap. prohibemus* solùm dicitur, ne laïci decimas cum periculo animarum suarum possidentes in alios laïcos transferant. Ergo qui cum animarum suarum periculo non possident, poterunt eas transferre; siquidem de facto debebant transferre, si forte in illis linea suæ generationis non finiatur. Adde in huiusmodi translatione non alienantur feuda, sed iam alienata consentit Episcopus, vt alius retineat. Quare Episcopus non dat feudum, sed laïcus ex consensu Episcopi. Verum Suar. *loco suprà citato* non solùm affirmat posse laïcum ex consensu Episcopi feudum in alium extraneum transmittere, sed etiam feudatario, qui erat vltimus possessor, defuncto posse Episcopum alteri infeudare, mouetur ex *c.1.de Feudis.* vbi Episcopus iurans non infeudare bona Ecclesiæ, potest non obstante iuramento infeudare bona, quæ antea erant data in feudum: non enim sub iuramento infeudandi de nouo, comprehenditur feudum antea iam datum. Similiter etiam sub prohibitione facta non infeudandi in perpetuum

petuum comprehendi non debet feudum antea iam datum, etiam moriente vltimo possessore. Et ratio est efficax: nam illa bona etiam moriente vltimo possessore non censentur sub dominio vtili Episcopi, neque ad Episcopum pertinere, quousque ipse eas accepterit, & per acceptionem in suis bonis incorporentur, vt tradit Panormit. cum aliis, *in c. vt super, de rebus Eccles. non alienand.* Ergo antequam acceptet poterit in feudum dare: in hoc enim non alienat bona Ecclesiæ, sed iam alienata non vult ea acceptare; neque mensæ Episcopi approbare, grauis tamen causa debet vrgere, vt licitè hoc fiat, licèt sine illa factum teneat. Sed hæc latius examinauimus, cum de alienatione bonorum Ecclesiasticorum habetur sermo.

PVNCTVM X.

Quibus personis Ecclesiasticis iure communi debeantur decimæ.

1 *Clericis beneficiatis debentur decimæ.*
2 *Religiosis, aliisque clericis non beneficiatis non debentur decimæ iure communi; benè tamen ex priuilegio.*
3 *An teneantur parochiani sustentare beneficiatum, si decimæ, quas soluunt, alteri sint applicatæ? Proponitur dubitandi ratio.*
4 *Nulla est applicatio decimarum facta loco pio, si beneficiatus congruam non habet.*
5 *Qui beneficium per vicarios inseruit, tenetur eis debitam sustentationem tribuere.*
6 *Casu quo pensionarius beneficiato non tribuat sufficiens stipendium, non tenentur parochiani duplicatas decimas soluere.*

1 TEmpore nascentis Ecclesiæ omnia erant communia, ac proindè cœtui clericorum decimæ debitæ erant, quas Episcopus inter eos pro qualitate, & mensura laboris, ac necessitatis impertiebatur: ita colligitur aperte ex *cap. peruenit, cap. omnes basilicæ. 16. quæst. 7. & in c. 1. huius causæ, & quæst.* ait Gregor. Decimas sub manu Episcopi fore censemus, vt ille qui cæteris præest, omnibus iustè distribuat. Post factam verò diuisionem parochiarum, & signatis clericis qui ibi ministrarent, etiam Episcopo simul cum clero decimæ debentur, vt constat ex *cap. quoniam de Decimis, cap. conquerente, de officio Ordinar.* & docet Panorm. & doctores communiter, in *c. cum contingat. de Decimis num. 7.* Ratio quare Episcopis, & Clericis debeantur, est quia omnes ij ministrabant spiritualia, debebant ergo temporalia metere; successu verò temporis, & crescente cumulo decimarum pluribus Clericis sunt applicatæ, aliis titulo spirituali, & Ecclesiastico, hoc est ratione beneficij, aliis verò ex gratia, & priuilegio, vel stipendio pro obsequio. Atqui titulo spirituali decimas exigunt, etiamsi parochi non sint; quia officium spirituale exercent & aliquo modo ad cultum diuinum concurrunt, de iustitia habent ius exigendi decimas. Nam decimæ non solùm dantur Clericis; eo quod Sacramenta ministrent, sed etiam quia ex officio deputati sint ad diuinum cultum. *cap. ex parte 2. de Decimis.* Ergo Clerici, quibus beneficium Ecclesiasticum concessum est, ius habent exigendi decimas, illisque de iustitia debentur. Non enim laici tenentur solùm alere ministros, qui sibi sacramenta ministrent, sed etiam omnes eos, quos Ecclesia iudicauerit conuenientes ad diuinum cultum, & sacrificium, & orationes offerendas, quique speciali titulo, & obligatione sint ad illud officium destinati. Cùm ergo omnes clerici beneficiati ratione beneficij hanc obligationem habeant & ad hoc munus sint deputati; efficitur sanè eis decimas de iure, & de iustitia deberi, Ecclesiæ taxatione posita, & ita latè, & eruditè probat Suar. *cap. 28. n. 12. & cap. 29. n. 4.*

2 Ex quo fit religiosis iure communi decimas non deberi, neque aliis clericis, qui beneficium Ecclesiasticum non habent; quia non sunt ab Ecclesia deputati, vt proprij illius ministri; sed ex deuotione, vel voto populo Christiano inseruiunt. At ex priuilegio eis sæpè decimæ applicantur, & aliquando cum obligatione exercendi aliquod spirituale ministerium; & tunc sine dubio eis decimæ debentur ex iustitia; quia Ecclesia ius quod habet ad illa exigendas transfert in religiosos, si quidem illius iuris sunt capaces. Cùm ergo Ecclesiæ ex iustitia decimæ debeantur posita taxatione, etiam religiosis, in quos hoc ius translatum fuerit, deberi debent, vt ex Panormit. tradit Suar. *supra in fine.* Poterunt tamen huiusmodi clerici, & religiosi præscriptione acquitere ius exigendi decimas, ita Rebuff. *q. 13. num. 63.* Gutierr. *tract. de decimis, cap. 21. num. 6.* Primò si Ecclesiam parochialem, vel beneficium acquirant; cui decimæ sunt annexæ. Possunt enim acquirere, siquidem sunt capaces. *c. ad aures, de præscriptionib.* Requiritur tamen titulus coloratus; quia beneficium sine institutione canonica possideri bona fide non potest. Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 10.* Ad cuius præscriptionem triennalis possessio pacifica sufficit, modò simonia non intercesserit, ex *reg. cancellariæ. 33.* vt supradictus author cùm Rebuffo, & Nauarr. *lib. 3. consil 40. & 42. de præbendis* affirmat. Secundò possunt præscribere ius exigendi decimas consuetudine, & possessione bona fide continuata, quæ nullo modo potest esse, nisi præsumant aliquod sibi priuilegium fuisse concessum. In foro tamen externo ita adesse præsumitur, quoties decimæ exiguntur à tempore immemoriali: & tunc quidem religiosi, & Clerici non tam decimas præscribunt in vi possessionis, quàm in vi tituli præscripti. Vide quæ suprà diximus de laicis.

3 Sed est dubium; an cleticis beneficiatis debeantur decimæ à populo, si aliis sunt applicatæ, & mercenariis, si beneficiatus non det sufficiens stipendium ad sustentationem?

Pro cuius solutione suppono sæpè sæpius contingere parochianos abundantes decimas soluere, quibus optimè possent ministri sibi inseruientes sustentari. Sed quia à Romano Pontifice applicatæ sunt canonicatui, vel alteri pio loco, & sæpè laicis, ea de causa cogitur clericus eis inseruiens tenui stipendio viuere. Ex quo fit vt benè dicit Lessius. *lib. 2. cap. 39. num. 17. in fine*, cum viri idonei nolunt tam tenui stipendio onus subire, sæpè indocti, & improbi, qui alia ratione viuere nequeunt, præficiantur. Non enim quæruntur, qui maximè populo videantur profuturi, & munus optimè administraturi, sed qui minimo stipendio velint seruire. Hinc proh dolor! multis in locis tanta animarum clades. Quod ergo quæritur, est, An parochiani teneantur iis clericis sibi inseruientibus prouidere, vel ex oblationibus, aut aliis rebus, vltra decimas quas soluunt?

4 Respondeo, & dico primò applicationem decimarum factam cuilibet etiam pio loco, vel religioso per modum pensionis, aut quomodocunque esse nullam, si beneficiatus priuetur debita sustentatione, ita Suar. *lib. 1. c. 15. à n. 7.* Ratio est; quia Pontifex non est omnium decimarũ dominus, sed dispensator. Esset autem iniqua dispensatio decimarum, quæ beneficiatum debito stipendio priuaret, & vellet gratis inseruire. Quocirca non obstante tali applicatione tenetur de iustitia pensionarius beneficiatum congruenter sustentare. Quod si ille ob penuriam cogi non possit, ipsemet Pontifex tenetur decimas ab illo auferre, vel huic beneficiato pensionem, vel aliud beneficium applicare, aut ex aliis bonis eum sustentare; ipse tamen beneficiatus nullo modo tenetur beneficium relinquere, etiamsi sciens eius penuriam accepisset. Teneretur tamen inseruire etiam gratis, si sciens beneficium accepit, ita Suar. *cap. 15. n. 7.* Mihi tamen videtur contrarium dicendum non teneri inseruire, etiamsi sciens accepisset, quia Ecclesia non intendit obligare neminem ad gratis inseruiendum, neque beneficium tenere reputatur beneficium. *cap. is cui. 19. de Præbendis. in 6.* & probat Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. n. 169.*

5 Dico secundò. Beneficiatus, qui per se beneficio non inseruit, sed per vicarios, tenetur eis debitam sustentationem tribuere; quia sub hoc onere decimas recipit. Quod si beneficiatus non tribuat poterunt parochiani decimas denegare beneficiato, vt vice curato tribuatur debita sustentatio: in hoc enim partes gerunt ipsius curati, & adimplent obligationem, quam ipse debet adimplere, similiter etiamsi pensionarius decimas recipiat abundantes, & parocho insufficientes ad sustentationem relinquantur, poterunt parochiani detrahere pensionario decimas, & curato applicare; quia illa applicatio decimarum iniusta fuit, & contra debitum ordinem ea in parte, qua parochus debito stipendio defraudatur, ac proinde nulla: sic colligitur ex supradictis Doctoribus. Neque in hoc inuenio difficultatem alicuius momenti.

6 Dico tertiò, casu quo pensionarius non relinquat beneficiato sufficiens stipendium, & Papa ex aliis bonis non prouideret, neque ipsi parochiani possent ex decimis detrahere, vt beneficiato tribuant, nullo modo tenentur parochiani beneficiato alias pensiones, vel decimas tribuere, ita Couarr. *lib. 1. var. cap. 17. num. 3. circa finem.* Lessius *lib. 2. cap 39. dub. 4. n. 17.* Suar. *cap. 15. n. 10.* Ratio est, quia populus pro ministerio sibi exhibito solùm tenetur vnas decimas tribuere. Ergo satisfacit suæ obligationi, neque tenetur duplicatum stipendium dare, etsi fortè culpa pensionarij, vel Pontificis ad manus parochi non perueniat; populus enim ipse non grauat parochum, sed Pontifex qui malè decimas applicauit, vel pensionarius qui ita videns decimas exigit non relinquens parocho sufficiens stipendium, atque adeò penes illos erit obligatio, & non penes populum. Et hinc à fortiori constat populum non habere obligationem sustentandi vicarium, si decimas integrè soluit parocho; quia tunc non grauat populus vicarium, cogens eum gratis inseruire. Parochus enim est qui vicarium grauat, & cum eo pacisci tur de obsequio præstando non exhibendo ei debitum stipendium.

PVNCTVM XI.

Quæ personæ teneantur decimas soluere.

1 *Baptizati quicunque sint debent decimas soluere.*
2 *Qua pauperes fideles baptizatos ab hoc debito excuset.*

3 *Clerici,*

3 *Cleri, & religiosi soluere decimas debent.*
4 *Ex quibus bonis hi decimas soluere teneantur.*
5 *Quid dicendum de hæreditate sita in Ecclesia sancti Michaëlis donata parocho, vel Ecclesiæ sancti Petri, cui debeantur decimæ? Proponitur dubitandi ratio.*
6 *Si parocho titulo sæculari; vel spirituali donentur, debentur decimæ sicut antea.*

1 PErsonæ, quæ ad soluendas decimas obligari possunt, in duplici sunt differentia, aliæ sunt laicæ, aliæ Ecclesiasticæ. Omnes ergo cuiuscumque status, ac conditionis sint, modò sint baptizati tenentur debito decimarum, vt manifestè constat ex *cap. ex transmissa de Decimis*: ibi omnes fideles. Notanter dixi baptizati, vt insinuarem Cathecumenos, Iudæos, aut quoscunque alios non baptizatos, nisi fortè sint ex patribus Christianorum, non teneri soluere decimas; quia est præceptum Ecclesiasticum, quod in ipsos cadere non potest. Poterat autem Ecclesia eos cogere vt ministros necessarios ad prædicandum, & docendam fidem, annunciamdámque veritatem, & baptizandum alterent, quia hoc iure naturæ, & ex præcepto diuino debent præstare, cum ex præcepto diuino teneantur fidem recipere, & consequenter ex illomet præcepto sustentate ministros, qui necessarij sunt, vt illam recipiant. Ecclesia tamen nunquam hac potestate vtitur, sed gratis remittit, & à baptizatis iam exigit sustentationem, vt benè aduertit Suar. *lib. 1. cap. 16. n. 12.*

2 Difficultas autem est, an fideles ratione paupertatis ab hoc debito excusentur? Et quidem si necessitas sit extrema, nulli potest esse dubium, cum tunc omnia sint communia. Si verò solùm grauis sit; eo quod illis solutis non habeat necessaria ad congruam sustentationem personæ, & familiæ, sed debet postea mendicato illas postulare, affirmat Suar. *tract. 2. l. 1. c. 16. num. 16. & 18. cum Innocent. in cap. licet, de censibus*, durante illa necessitate non teneri soluere; etsi probabiliter timet non esse remittendam decimam; si manifestet, non teneri manifestare: si certus est de sua necessitate. Ratio est, quia præceptum de soluenda decima Ecclesiasticum est. Non ergo credendum est obligare cum tanto rigore, vt pauperes non habentes congruam sustentationem sibi, & familiæ suæ, obliget; præcipuè cùm antiquo iure pars decimarum, & fructuum Ecclesiasticorum applicata erat pauperibus, & licet modo cum aliis confusa sit; tamen clerici tenentur ex suis redditibus eos alere. Ergo possunt ipsi sibi decimam illam partem retinere, quam debebat eis parochus tribuere. Et confirmo. Debitor differre posset solutionem debiti, dum ipse, vel sua familia in graui est necessitate, vt latè diximus *in mat. 4. de restitutione, disp. vlt.* imo ibi probauimus non solum non teneri tunc debitum soluere, sed ipsum debitum extingui, si durante necessitate tenetur dies eleemosynam facere. Ergo tenetur donare. Ergo egenus suo proprio iure vtitur, dum rem ipsam consumit. Adde in graui necessitate, sicut in extrema omnia videntur communia esse. Quæ omnia supradicto loco probata sunt, & à fortiori videntur procedere in hoc debito decimarum, cùm solùm hoc debitum ex præcepto Ecclesiastico, & non iure naturæ debeatur.

3 Quoad personas Ecclesiasticas attinet. Respondeo clericos omnes, & religiosos teneri decimas soluere; habetur *cap. 2. de Decimis*, ibi clericos illos, qui à clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debere: & ita sentit Hostiens. Antonin. Abbas, Hentiq Couarr. Gutier. & alij relati à Suar. *lib. 1. cap. 17. num. 21.* De religiosis constat ex *cap. nuper, cap. ex parte, cap de extero. aliis de Decimis*. Ratio est; quia clerici, qui parochi non sunt, tenentur sacramenta recipere à parocho proprio, estque parochus obligatus est sacramenta administrare ex officio; quæ est ratio, ob quam laïci decimas soluere tenentur.

4 Bona autem ex quibus hæ decimæ solui debent, probabile est esse possessiones Ecclesiasticas: Hæc enim videntur esse titulo spirituali donata; & in numero decimarum computantur. Non ergo ex illis decimæ solui debent. Et ita est consuetudo, & secundum hunc sensum explicatur optimè *cap. 2. de Decimis*, vbi in priori parte dicit Pontifex nouum esse, vt clericis decimas exigant, hoc est insolitum, & præter ius esse clericos à clericis exigere decimas ex illis rebus, quæ titulo clericali habent, ita Suar. *supra, n. 23.* qui etiam addit non teneri soluere ex lucris acquisitis titulo spirituali, imò nec temporalis, quia non est in vsu.

Vnde fit obligationem hanc cadere in fructibus hæreditariis, quæ sibi titulo patrimonij, legati, aut donatione concessa est; quia cùm clerici, etiam vt tales sunt, recipere debent aliqua sacramenta, pastorémque debeant recognoscere, efficitur sanè de his rebus, sicut & laïci debent decimas soluere. Excipiuntur tamen parochi, & à fortiori Episcopus: nam licet parochi Episcopo tanquam proprio pastori, & Episcopus Pontifici iure Ecclesiastico obligari possent ad soluendas decimas, saltem ex redditibus temporalibus, si quidem indigent, vt sibi spiritualia ministrentur, & de facto Episcopus regit parochos, & Pontifex Episcopos, non tamen ius eis imposuit huiusmodi obligationem: eáque de causa exempti sunt, vti tenet Rebuff. *tract. de decimis, quæst. 5. num. 5.* Suar. cum aliis *lib. 1. cap. 17. num. 18. & seq.* Lessius *lib. 2. cap. 39. n. 28.* nisi fortè prædia sint in alienis Ecclesiis, quibus solitum erat decimas solui

5 Solùm relinquitur dubitatio de hæreditate donata parocho, vel Ecclesiæ, v. g. Sancti Petri. An, inquam, teneatur decimas soluere Ecclesiæ S. Michaëlis in qua hæreditas sit, & cui decimas soluere consueuit? Ratio difficultatis est: quia res cum suo onere transit, neque potest aliter alienari, aut donari; & in præsenti casu est textus expressus *in c. si quis laïcus, vel clericus. 16. quæst. 1. ibi*, si quis laïcus, vel clericus, vel vtriusque sexus persona proprietatis suæ loca, vel res alicubi dare delegauerit, decimatiuum prouentum priori Ecclesiæ legitimè assignatum inde abstrahere nullam habeat potestatem, quòd si facere tentauerit, talis traditio irrita prorsus dicitur, & ipse ad emendationem Ecclesiastica coërceretur censura. Idem habetur *in c. Ecclesia, & duobus seqq. eadem causa, & quæst.* vbi prohibetur, ne Ecclesiæ antiquiones decimis priuentur ob nouas ædificatas, & constructas. Est itur ergo parochum, Episcopum, vel Ecclesiam S. Petri teneri soluere decimam Ecclesiæ S. Michaëlis, cui solebant decimæ solui ex hæreditate sibi denuo applicata; aliàs neque res cum suo onere transibit, & via aperitur maxima, vt graue detrimentum Ecclesiæ patiantur, neque redditus habeant certos. Item *in c. Ecclesia 16. q. 1.* Dicitur, Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec villa possessione priuentur, ita vt nouis oratoriis tribuantur, confirmat id ipsum textus *in cap. quicunque eadem causa, & quæst.* Et ita hanc sententiam tuetur Abba. *cap. nuper, & c. 2. de Decimis, num. 6.* Rebuffus. *quæst. 5. num. 20.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 27. num. 85. secundo*, Gutierr. *lib. 1. qq. canon. cap. 21. n. 54.* fauet glossa *in cap. 1. de Censibus, vers. nullo onere.*

6 Dicendum verò est dupliciter hæc prædia posse relinqui parocho, vel Episcopo, aut more laïcorum, & titulo temporali; ita ipsi parocho quatenus persona quædam particularis est, relinquantur, & non ratione officij. Et secundum hanc rationem relinqui certum est debere decimam Ecclesiæ, in qua sita sunt, vt tradit Couarr. Gutierr. *supra*, & D. Thom. *quæst. 87. art. 4. ad 1.* & Suar. *cap. 17. num. 16.* Fagund. *de quinto Ecclesia præcepto, lib. 1. cap. 7. num. 8.* Et efficaciter probatur rationibus supradictis, quæ etiam probant parochum habentem aliqua prædia ratione patrimonij, aut titulo sæculari donata, ex quibus Ecclesiæ, cui præficitur, parochus soluere decimas consueuit: tenetur, inquam, postea decimas ex illis soluere, si fortè ipse decimas non recipit, aut si non recipit, integrè tenetur eam partem donare aliis, quæ illis competunt; quia res cum suo onere transit, ita supradicti Doctores.

Dices. Ergo nulla est differentia inter parochum, & alios simplices clericos; si quidem omnes tenentur de bonis titulo sæculari donatis soluere decimas, non verò de Ecclesiasticis, hoc est de bonis datis ratione beneficij. Respondeo esse magnam differentiam: nam simplex clericus semper tenetur decimam horum bonorum integrè soluere, parochos autem sæpè nullam; quia fortè suæ omnes decimæ debentur illius parochiæ, vel saltem magna illarum pars. Vnde fere nunquam integrè decimam soluit.

Deinde parochus non obligatur soluere decimas debito personali, id est, cadente super personam, quia exemptus est à decimis, sed debito reali, hoc est ratione rei possessæ, quæ secum trahit illud onus. Quòd si prædia residentia intra terminos Ecclesiæ S. Mich. titulo spirituali donata sunt parocho S. Petri, videtur etiam dicendum cum communi sententia debere decimas propter supradicta capita, quia res cum suo onere transit. 7. Maior tamen est dubitatio, quando relinquuntur non parocho, sed Ecclesiæ, & fiunt quasi patrimonium illius Ecclesiæ, an tunc debeantur decimæ Ecclesiæ, in qua sita sunt, & cui solebant decimas soluere? Video affirmatum esse à supradictis doctoribus eisdem cap. & rationibus. Nihilominus tamen Suar. *supra num. 29. & 31.* cum Caiet. Soto, & Aragon. quibus patrocinatur D. Thom. *2. 2. quæst. 87. art. 4. ad 1.* iudicat esse probabile ex prædiis donatis Ecclesiæ in sustentationem ministrorum illius, non teneri soluere decimas alteri Ecclesiæ, in qua sita sunt; quia in *cap. quæst. 16. quæst. 1.* dicitur Episcopos, & Abbates non debere decimas ex propriis prædiis, hoc est, ex prædiis relictis, non sibi, sed suis Ecclesiis, vt constat ex illis verbis. De agris, & vineis, quæ ad suum, & fratrum stipendium habent. Et ita hæc videtur esse exceptio à communi regula. Neque mihi discipliceat hæc limitatio, quamuis videam *textum, dicto cap. quæst.* non esse Pontificis, neque Concilij generalis approbati, sed credo consuetudine approbatum esse, nisi casu, quo graue detrimentum Ecclesiæ sequeretur, in qua prædia sita sunt, quia tunc per Episcopum conueniebat impedire, ne decimæ tollerentur. Sic Caietanus, Soto, Arag & Suar. *supra.*

PVNCTVM

PVNCTVM XII.

Qui eximantur à debito decimarum.

1 *Consuetudine præscriptione, aut priuilegio eximuntur aliqui.*
2 *Iure communi religiosi exempti sunt à decimis personalibus, & prædialibus, quæ propriis sumptibus excolunt, nisi prædia sint conductitia, vel ex illis antea Ecclesiis decimæ soluebantur.*
3 *Extra corpus iuris plura sunt religiosis priuilegia concessa, quilibet propria spectet.*
4 *An sub his verbis,* ne soluas decimas ex prædiis, quæ habes, *debeantur decimæ ex iis, quæ antea debebantur, an solùm noualia excusentur? Proponitur dubitandi ratio.*
5 *Affirmatur hoc priuilegium non solùm ad noualia, sed etiam ad prædia tempore priuilegij concessa extendi.*
6 *Adde extendi ad prædia, non solùm possessa tempore priuilegij, sed possidenda.*
7 *Item comprehenduntur noualia.*
8 *Sub iis verbis non* soluant decimas ex suis agris *non comprehenduntur agri conductij, neque in emphyteusim accepti.*
9 *Quid aliqui sentiant, sed dictis sit satis.*
10 *Coloni ad decimam soluendam tenentur ex vi iuris communis. Secùs ex supradicto priuilegio.*

1 COnstat ex supradictis eximi posse consuetudine, præscriptione, aut priuilegio. Priuilegio namque nullus præter Pontificem eximere potest aliquem à debito decimarum; cùm sit lex à Pontifice lata, ficuti neque potest alius præter Pontificem obligationem soluendi decimam imponere, vt constat ex *cap. nulli Episcoporum, c. ad hoc, cap. Prædicatur.* 16. *q.* 1. Requisita verò ad consuetudinem, præscriptionem, aut priuilegium iam diximus.

Quare qui consuetudinem, præscriptionem, aut priuilegium habuerunt legitimum non soluendi; ij omnes à decimarum solutione excusari possunt, quantum consuetudo, præscriptio, aut priuilegium se extenderit. Sed quia ex priuilegio concesso religiosis varia dubia occurrere solent, placet aliqua breuiter examinare.

2 Et primò certum est iure communi religiosos exemptos esse à soluendis decimis personalibus, & prædialibus, quæ propriis sumptibus excolunt. Habetur expressè, *c. ex parte. 1. de Decimis*, quod tamen limitatum est in *c. dilecti*, vt non intelligatur de prædiis conductitiis, etiamsi propriis sumptibus excolant. Et in *cap. nuper, eodem tit.* limitatum est ad prædia, quæ post Concilium Lateranense acquisierint, de quibus decimæ Ecclesiis debebantur. Imperat namque Innocent. ibi decimas solui Ecclesiis, etiamsi propriis sumptibus, & laboribus excolant. Hæc de iure communi, in quo religiosi nullam aliam exceptionem habent à decimis soluendis, vt notauit Gutierr. *l. 1. canon. quæst. cap. 21. n. 136.* cum Rebuffo, *& aliis q. 5. n. 29. & segg.* Suar. *tit. 2. de relig. lib. 1. cap. 18.*

3 Verùm extra corpus iuris varia sunt religiosorum priuilegia, quæ singulariter examinare, & longum esset, & inutile; quilibet enim propria spectet, & ex generali doctrina inferat, quæ priuilegium comprehendat; diuersis enim verbis priuilegium non soluendi decimas conceditur. Aliqui enim eximuntur his verbis, *Ne decimas soluant ex prædiis quæ habent.* Alij iis. *Ne decimas soluant ex laboribus*, seu *nutrimentis suis propriis*, seu *prædiis suis*, vt in *c. decimas 16. q. 1. glossa, & Turrecremata* intelligit extendi priuilegium ad decimas, non solùm personales, sed prædiales; sumíque potest, ex *c. exmultiplices de Decimis*, iis positis.

4 Dubium primum est; An ex supradictis verbis eximantur religiosi à decimis prædiorum quæ denuò acquirunt, de quibus ante acquisitionem Ecclesiis decimæ soluebantur, An tantùm eximantur à decimis noualium, quæ nouiter excolunt; Ratio dubitandi est; quia hoc priuilegium, quod est iuri communi contrarium strictè est interpretandum; ita vt salua verborum proprietate, quam minimum fieri possit iuri alterius noceat. *leg. Prætor ait § meritò, ff. Ne quid in loco publico, cap. ex tuarum de authorit. & vsu pallij, & c. cum capella de Priuilegiis.* Sed verba huius priuilegij optimi saluantur; etiamsi noualia tantùm comprehendant. Est ergo admittenda hæc expositio, si quidem nec multùm iuri communi derogat, neque iuri alterius acquisito nocet. Et confirmo primò: Pontifex non censetur alterius iuri derogare, nec possessionem alterius tollere, quando de illius possessione mentionem non facit. Ergo cùm in præsenti non faciat, non debemus ex vi horum verborum priuilegium extendere. Confirmo secundò ex *cap. dudum de priuilegiis*; vbi decernit Pontifex priuilegium de noualibus concessum non extendi ad decimas possessas tempore priuilegij concessi, sed solùm ad eas, quæ ex agris nunquam cultis colliguntur, ne præiudicentur possessores. Ergo similiter ne præiudicentur possessores ex vi priuilegij concessi de decimis prædiorum, quæ habent non soluendis, non debet extendi ad decimas, quæ Parochiæ debentur, sed solùm ad noualia. Et ita hanc sententiam tenet Innocent. & Cardin. *in hoc cap. penult. de Priuil.* Oldrad. *cons. 268.* Felinus *in cap. causam quæ, de rescriptis. n. 11.* & alij, quos refert Couart. *lib. 1. c. 17. n. 14.*

5 Dicendum tamen est priuilegium concessum de non soluendis decimis prædialibus, non solùm ad noualia se extendere, sed etiam ad prædia tempore priuilegij possessa. Excipe nisi alicui ex particulari, titulo scilicet præscriptione, consuetudine, aut priuilegio debeantur: si enim ex iis titulis alicui debentur, non censetur Pontifex tali iuri derogare, nisi fortè daretur priuilegium talibus verbis, quibus quodlibet ius censetur derogatum, vt modo dari solent priuilegia religiosis. Sic Suar. *tit. 2. de relig. lib. 1. cap. 19. num. 3 fine.* Couarr. *dicto cap. 17. num. 14.* Azor. *lib. 7. quæst. 6.* & est expressa sententia Abbatis *in cap. dudum de Priuileg.* Videturque expressè definitum *cap. ex parte. 1. de Decimis*, vbi prius refert Pontifex concessisse antecessores Pontifices omnibus ferè religiosis exemptionem à decimis laborum suorum, hoc est prædiorum, quæ habent, vt benè aduertit ibi *Glossa*, & postea fit concessio ad noualia. Quapropter si ex vi priuilegij concessi non soluendi decimas ex prædiis suis, noualia tantùm venirent intelligenda, diceret Pontifex se eximere à decimis noualium, & non à decimis laborum suorum, vt ipsemet Pontifex argumentatur in *cap. ad audientiam. 12. eodem tit.* Sit ergo certum hoc priuilegium concessum religiosis, comprehendere omnia prædia, quæ habent, etiamsi decimæ eorum Parochiæ deberentur tempore concessi priuilegij. Neque argumenta in contrarium obstant. Nam priuilegium hoc licet strictè interpretandum sit, tamen verba priuilegij in rigore saluari debent, & explicari secundùm suam significationem rigorosam, cùm autem secundùm significationem rigorosam in exemptione à decimis prædialibus non veniant solùm noualia intelligenda; fit sanè comprehendi debere omnia prædia, quæ tempore priuilegij concessi religiosi habeant. Et ad confirmationem respondeo; Pontificem cùm exemptionem à decimis prædialibus concedit, tacitè Parochiæ, cui iure communi debentur, derogare. Decimæ namque necessariò debebantur Ecclesiæ, in qua prædia sita sunt. Ergo concedens exemptionem illarum, consequenter censetur debitum illius tollere, neque opus est aliam expressiorem mentionem facere. Secus est dicendum quando alicui Ecclesiæ, vel particulari personæ titulo particulari deberentur; quia tunc non censetur Pontifex gratiam dare cum præiudicio alterius in particulari, nisi ibi clarè exprimat, vt benè Panorm. in *c. dudum, de priuilegiis.* Quod caput, vt benè explicant Doctores suprà relati, cùm de noualibus loquatur, in cuius rigorosa significatione veniunt solum intelligendi agri, qui nunquam fuerunt seminati, neque fructum aliquem vsque tunc habuerunt. Efficitur consequenter, non extendi priuilegium non soluendi decimas noualium ad agros, qui tempore concessi priuilegij fructus aliquos ferebant, herbæ scilicet, glandum, &c. oportebatque horum mentionem facere.

6 Secundò, dubium est, an extendatur priuilegium supradictis verbis concessum ad prædia acquirenda post concessum priuilegium, an tantum ad acquisita tempore priuilegij concessi? Cui dubitationi videtur expressè respondere Pontifex, in *cap. quia circa 22. de Priuilegiis*, vbi priuilegium indefinitè ab Episcopo concessum Monachis, de non soluendis decimis Episcopalibus, non solùm de decimis possessionum illius temporis, sed futuri intelligitur, si remissio facta fuit secundùm canonicas sanctiones, cùm ergo dubitari non possit priuilegium concessum à Pontifice esse secundùm canonicas sanctiones, & ex alia parte indefinitè procedat, ad omnes decimas extendi debet. Idemque probatur ex *c. nuper. de Decimis*, vbi Innoc. III. coarctat concessionem illius. *c. ex parte*, vt non obstante illo decimæ soluantur. Euidens ergo erat illa verba indefinita in rigore comprehendere præsentia, & futura. Quocirca si modo alicui religioni per similia verba concedatur exemptio à decimis, præsentia, & futura prædia comprehendit, ad maiorem tamen claritatem additur non obstante *cap. nuper*, & ita defendit Azor. & Suar. *suprà. n. 7.* Neque obstat rem cum suo onere transire, *cap. si quis laicus. cap. Ecclesia, cap. quicunque. 16. q. 1.* quia id debet intelligi, quando solùm persona est priuilegiata, secus quando eius bonis priuilegium est concessum, & clarius quando priuilegium tollit huiusmodi onus, & non transit res cum onere, secus è contra. Præscriptione autem, vt diximus, non se potest extendere ad prædia acquirenda; quia præscriptio requirit possessionem. Vnde solis illis prædiis potest eximere, de quibus est legitimè præscripta possessio. Atqui priuilegium cùm non requirat possessionem, ad omnia se potest extendere.

7 Ex iis à fortiori constat ex supradicto priuilegio noualia comprehendi, quidquid dicat Rebuff. *q. 14. numer. 29. & 30.* & Gutierr. *capite 21. numer. 130.* quia noualia & sunt prædia propria, vt supponimus, & propriis laboribus excoluntur. Ergo comprehenduntur sub illa indefinita non soluendi decimas ex prædiis propriis, vel ex laboribus suis; & ita sentit Suarez, *num. 5.* Azor. *suprà.*

8 Tertiò, dubitari posset de bonis, quæ religiosi habent locata, conducta, vel in emphyteusim, an ex illis decimæ debeantur? In qua quæstione si priuilegium concessum sit sub illis verbis iuris. Non soluant decimas de suis agris, vel non soluant decimas laborum suorum (hoc est agrorum) ita enim intelligi debet, vt constat ex verbis sequentibus, quos propriis manibus, & sumptibus colunt, cùm solùm agri colantur, & non labores: certum esse debet sub his verbis non comprehendi agros conductitios, aut in emphyteusim acceptos, quia ipsi non sunt propri, neque sui, quod expressè videtur definitum ab Alexand. III. *in c. dilecti*, cùm dixerit, sub illis verbis, quæ referuntur, *capite Decimas, 6. quæst.* 1. non fuisse intentionem suam, neque antecessorum suorum agros conductos, & receptos ad formam comprehendere: ita Panorm. *in cap. dilecti*, Rebuff. *quæst.* 14. *n.* 52. *& communis.*

9 Video tamen Ioan. Azor. *t.* 1. *lib.* 7. *q.* 6. § 3. affirmare, si priuilegium dicat, eximimus religiosos à decimis soluendis, ex prædiis, quæ habent, comprehendi prædia conductitia, quia hæc etiam habentur, licèt non vt propria. Suar. verò, *cap.* 19. *numero* 11. etsi ad prædia accepta in emphyteusim extendat priuilegium sub opinione probabili, quia emphyteusis distinguitur, à locato, & conducto, & *cap dilecti*, solùm de prædiis conductis mentionem fecit. Tamen probabilius existimat oppositum, & quando vrgetur: illa prædia conducta, vel in emphyteusim accepta habentur à religiosis. Respondet: habeatur secundùm quid, hoc est ad tempus, sicut domus locata, & conducta non dicitur esse mea, neque ego habere absolutè domum, sed vsum illius ad habitandum, &c. Adde: Contractus emphyteuticus à locato, & conducto ferè non distinguitur, nisi ex maiori, vel minori tempore; quæ non debent contractus naturam mutare. Et hic modus dicendi mihi probatur.

10 Quartò dubitatur, an ex huiusmodi priuilegio coloni agros religiosorum conducentes à debito decimarum liberentur? Iure communi certum est non eximi, sed teneri tam religiosos, quàm colonos soluere decimas; quia solùm eximuntur religiosi à debito decimarum, quæ propriis manibus excolunt. Vnde si conducta prædia habent, iam non propriis manibus, seu laboribus fructus percipiunt, sed alienis: & ita est definitum expressè, *licet de Decimis.* Verum si loquamur iuxta formam supradictam, quæ in priuilegiis continetur: communior sententia est religiosos eximi à decimis illorum fructuum. Ratio est; quia priuilegium reale eximit à debito decimarum illorum prædiorum, quæ per alios coluntur, vt traditur *à glossa in clem.* 2. *de Decimis, verf. excolendas.* Et ibi communiter scribentes. Cardin. *quæst.* 23. Abbas, *in cap. ex parte.* 1. *de Decimis, numer.* 5. At in supradictis verbis conceditur priuilegium reale, & non personale. Ait enim Pontifex. *Eximimus religiosos, & eorum prædia à decimis soluendis.* Ergo. Quod si in aliquo priuilegio dicatur. *Eximimus religionem illam à decimis soluendis prædiorum suorum*, neque addatur, *Etiamsi per colonos excolant*, neque dicatur: *Eximimus religionem, & eius prædia*: adhuc est probabilius priuilegium esse reale, & non personale. Ratio est; quia si tunc deberent coloni soluere decimas Ecclesiæ, ipsa religio solueret decimas de prædiis suis: coloni namque nunquam eximuntur à debito decimarum, etiam cum est priuilegium reale concessum religiosis, sed soluunt religiosis expressè, vel implicitè soluendo maiorem pensionem, quàm solueremus, si deberent Ecclesiæ & decimas soluere, aliàs si ipsi coloni exempti essent à debito decimarum, iam bona Ecclesiæ laicis absque iusta, & legitima causa concederentur, neque intentio Pontificis fuit conductoribus fauere, vt optimè traditur à Suar. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 15. Fit ergo si decimæ tunc soluantur, ipsos religiosos soluere decimas de prædiis suis, quod est contra priuilegium. Adde: prædia religionis non propriè à debito decimarum dicuntur exempta, sed religiosi sunt, qui eximuntur, non prædia. Vnde si prædia alienentur, seu vendantur à religiosis, non transeunt cum priuilegio non soluendi decimas, vt de se constat, & tradit Suar. *cap.* 20. *num.* 6.

Punctum XIII.

Qua ratione priuilegium non soluendi decimas amittatur.

1 *Amitti priuilegium potest læsione enormi, & renunciatione.*
2 *Si de Læsione dubium est, potest fieri compositio.*
3 *Renunciatione probabile est non posse amitti, præcipuè si priuilegium religioni concessum sit, & à priuata domo renuncietur.*
4 *Quapropter præscriptione amittendum sit.*

1 Dvpliciter amitti potest priuilegium, 1. est, si in tali priuilegio enormis læsio facta sit: tunc enim non potest priuilegiatus vti priuilegio; quia est contra voluntatem concedentis: non enim Pontifex intendit grauiter Ecclesiam lædere: hoc tamen intelligendum est, quando priuilegiato euidenter constat de enormi læsione. Ad soluendum tamen decimas non potest tunc Ecclesia propria authoritate cogere priuilegium, vt decimas soluat, sed indiget authoritate iudicis competentis, qualis esset ordinarius, vel quilibet alius, apud quem causæ decimarum tractari soleant. Quæ omnia probat *gloss. in c. rescripta, 25 q. 2. verf. quod non lædat.* Panorm *in c. suggestum de decimis.* Felin. *in c. cùm accessissent. de constitutionib.* & Suar. *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 1. Quod si de læsione clarè non constet, recurrendum est ad Pontificem: nullus enim alius interpretari potest rescriptum & priuilegium à Pontifice concessum, neque illud moderari. Tempore verò dubij priuilegiati non tenentur decimas soluere: quia ratione priuilegij possident.

2 Expediret tamen, ne esset occasio litis compositionem facere. Hæc tamen compositio, & conuentio vocari non debet renunciatio priuilegij, cùm non sit ex mera liberalitate facta, sed ob vitandas lites & quia intelligitur conuenientior religioni ob timorem de reuocatione priuilegij à Pontifice. Quocirca in iure consulitur. *cap. suggestum. c. dilecti, de decimis*: ita Suar. *supr. n.* 5.

3 Secundus modus amittendi priuilegium est per renunciationem tacitam, vel expressam. Expressam autem renunciationem probabile est fieri non posse: quia est in fauorem Ecclesiæ, & religionis concessum: sicut enim nullus clericus priuilegio fori renunciare potest; quia in fauorem clericalis status constitutum est: ita non videtur posse religionem huic priuilegio renunciare: & esto religio, cui datum est priuilegium, posset: priuata verò domus, aut Prælatus nullo modo poterit ob rationem supradictam.

4 Ex qua doctrina sit tacitam renunciationem nullo modo præsumi posse sufficientem ad derogationem priuilegij, nisi quæ sufficeret, vt Ecclesia aduersus religionem priuilegiatam præscriberet. Non enim alio modo potest amittere priuilegium. Quæ autem requirantur ad hanc præscriptionem iam suprà diximus. Si verò priuilegium sit concessum particulari personæ, illud renunciare poterit; quia talis renunciatio in fauorem est Ecclesiæ, & non contra. Itémque poterit breuiori tempore admitti; si quidem aduersus particulares personas breuiori tempore præscribitur, vti diximus *suprà*.

Punctum XIV.

Quæ pœnæ impositæ sint non soluentibus decimas, aut facientibus non solui, vel illas aliquo modo vsurpantibus.

1 *Debent excommunicari, qui subtrahunt, neque sunt absoluendi nisi restitutione secuta. Excipe nisi eos excuset impotentia.*
2 *Aduersus religiosos vsurpantes decimas, vel facientes non solui, variæ pœnæ latæ sunt.*
3 *Aduersus exigentes, occupantes, &c. reddituu beneficiorum, vt sibi debitos excommunicatio bullæ est lata.*

1 Respondeo, *in cap. statuimus*, 16. *q.* 1. cauetur, vt omnes integras decimas soluant iis, quibus debentur, aloquin excommunicationi subiiciuntur, quamque pœnam confirmat Trident. *sess.* 25, *cap.* 12. *de Reformat.* iis verbis: Qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur. Neque ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absoluantur. Quod qua ratione debet intelligi suprà attigimus & in mat. de restit. latiùs examinamus. Non enim negari debet absolutio ei, qui impotens est decimas soluere: promittit tamen, & iurat se soluturum, cùm possit. Sic Nauarr. *c.* 17. *n.* 59. *ad fin.* Mol. *tract* 2. *disp.* 756. Sanch. *in decal. lib.* 2. *c.* 20 *n.* 19. *sub.* 20. Henriq. *lib.* 13. *c* 28. *n.* 1. Bonac. *disput. vlt. de quinto Ecclesiæ præcepto. q.* 5. *p.* 7. Ratio est clara, quia Concilium præsumi non potest velle denegare sacramenti absolutionem ei, qui in culpa non est non restituendi. Item neque est neganda absolutio ei, cui obligatio soluendi decimam remissa est parte competente; quia illa remissio est tacita, & virtualis solutio: *sic gloss. in c. peccatum de reg. iur. in* 6. Nauarr. *cap.* 21. *n.* 32. Azor. *t.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. *q.* 9. Fagund. *lib.* 3. *de quinto Eccles. præcepto cap.* 6. *num.* 4.

2 Deinde *in clem. religiosi, de Decimis.* Fertur excommunicatio aduersus religiosos non habentes beneficium, aut administrationum ob quatuor causas. 1. Si absque iusto titulo sibi decimas, aut primitias Ecclesiis debitas acceperint, & vsurpauerint. 2. Si seruis suis prohibuerint decimas soluere ex gregibus, & rebus suis. 3. Si ipsi ex rebus emptis, & de quibus decimæ debentur Ecclesiis non soluerint. 4. Si prohibuerint, aut non permiserint seruis, & colonis soluere decimas ex terris, quas ipsi eis colendas tradunt. Notandum tamen est hæc incurri, si post monitionem, quæ vna sufficit, vt ibi *gloss.* factam à parte, cui hæc debentur; intra mensem non satisfecerint, aut ablata non reddiderint. 2. est aduertendum non comprehendi religiosos, quando decimæ non Ecclesiis, sed particularibus personis debentur, vt aduertit Tolet. & Suar. *in explic. huius clement.* & colligitur ex textu. Religiosi verò habentes beneficium, vel administrationem ipso iure suspenduntur. Deinde *in clement. cupientes de Pœnis* ipso,

ipso iure excommunicantur omnes religiosi cuiuscumque ordinis, qui in concionibus vel aliis in locis aliqua tractãt, ex quibus mouentur audientes, vt decimas debitas non soluant: ad quam incurrendam, vt dicit Angel. & Tolet. *in explicat. huius clem.* debent dicere ex illo prauo animo, & ex alia parte in præsentia illorum, qui debent decimas soluere. Additur præterea excommunicatio aduersus religiosos, qui pœnitentes scienter non obligauerint decimas soluere, & ex alia parte posteà cùm possint nõ emendauerint factum, audentque potiùs in publicum concionari nõ habere obligationem: quæ omnes actiones, vt benè dicit Tolet, requiruntur ad hanc censurã incurrendã, vt constat ex textu.

3 Rursus est communicatio lata *in bulla cœnæ, clausula* 17. aduersus exigentes, vsurpantes, occupantes, sequestrantes decimas, redditus, & prouentus, beneficiorum, & aduersus auxilium ad id præstantes, quando ea faciunt, quasi sibi deberentur. Sic Suar. Tolet. Nauar. & alij, explicantes supradictam clausulam, nos ibidem notauimus.

Et hinc nascitur dubium, an sint excommunicati magistratus, qui videntes populum in graui necessitate esse, fructus, & decimas beneficiorum sequestrant in populi sustentationem. Ratio dubij est? quia illa sequestrant tanquam debita in illa occasione. Ex alia parte durum esse videtur hos magistratus condemnare, cùm bonum commune attendant, cui ipsimet clerici tenebantur succurrere. Dicendum ergo est, eos excommunicatione ligari ob talem sequestrationem, nisi priùs contauerint necessitati subuenire authoritate iudicis Ecclesiastici. Quia dum ille negligens non est, non habent Magistratus authoritatem fructus beneficiorum vsurpandi. At Iudice Ecclesiastico negligente, ne populus pereat, poterunt illa bona, quæ clericis necessaria non sunt, quæque ipsi debeant alienare, in sequestro ponere, & fauet *leg. regia 1. tit. 25. lib. 5. noua collect.* ibi, *todas las personas de qualquier estado, condicion que sean, assi clerigos, y personas Ecclesiasticas, &c. que rubieren pan, que puedan, y deben vender, les apremien a que lo vendan segun les fuere repartido*: sic expressè Ioan. Gutierr. *lib. 1. pract. quæst. in legib. regni. quæst. 13.* consensit Matienzo, *in supradicta lege, glos. 1. & 8.*

PVNCTVM XV.

Quomodo Ecclesia recuperare possit decimas non solutas, & à quibus, & coram quo iudice.

1 *Excommunicatione potest, & debet.*

2 *Potest Ecclesia decimam partem fructuum, non solum actione personali, sed reali per rei vendicationem recuperare: imò secundùm probabilem sententiam potest agere aduersus illas personas, quibus prædia vendita sunt, seu donata.*

3 *Probabilius est à possidente agrum non posse decimam exigi.*

4 *Parochus non potest per vim decimam sibi debitam accipere, neque ob illius non solutionem negare Sacramenta.*

5 *Si causa decimalis sit facti, & non iuris, potest coram sæculari iudice agitari: secus si sit iuris.*

6 *Decimæ translatæ in laicum in feudum perpetuum, vel emphyteusim coram sæculari iudice peti possunt.*

7 *Si decimæ exigantur à laicis, eo quòd non putetur illos priuilegium exemptionis habere, possunt coram sæculari iudice se defendere. Secus verò, si de valore priuilegij ageretur.*

8 *In causa possessoria decimarum, non iudicem laicum, sed Ecclesiasticum adire debet.*

9 *Conductor laicus coram laico iudice conueniendus est, tametsi alij contrarium sentiant.*

1 REspondeo primò, posse Ecclesiam recuperare decimas excommunicatione, iuxta Trid. *sess. 25. c. 12. de reformat.* Imò non potest hac via, sed etiam debet, nisi fortè obstet scandalum publicum, & maiora mala ex tali coactione nascantur: tunc enim dissimulare poterit. Neque tunc bona Ecclesiæ immobilia alienat, sed quosdam redditus, quos ex iusta causa remittere, aut commutare potest, vt tradit Panorm. *in c. vlt. de rerum permut. & c. cùm homines, de Decimis, n. 7. & gloss. in cap. vt super, de rebus Eccles. non alienand. vers. possessiones,* & Suar. *lib. 1. c. 38. n. 3. & 4. & seq.*

2 Dico secundo, Potest Ecclesia decimam partem fructuum recuperare, non solum actione personali, sed & reali, per rei vendicationem ab iniquis detentoribus ob dominium vtile, quod diximus puncto 2. habere in decimas, etiam antequam à cumulo separentur: imò secundùm probabilem sententiam potest agere aduersus illas personas, quibus præuia vendita sunt, seu donata, aut legata, vt decimas præteritas illorum prediorum non solutas soluat, ita tenet Abbas *in c. cùm homines de Decimis. n. 6.* cum Io. Andr. & Fed. Senen. *cons. 81.* Hostiens. *in c. pastoralis, de Decimis, n. 5.* & significat gl. *in c. tua nobis, de Decimis, vers. sic & dominus, in fine.* Ratio potest esse; quia prædia videntur esse obligata per modum hypothecæ ad soluendas decimas quascunque, sicut bona mariti dicunt esse obligata pro dote vxoris, *cap. ex literis, de pign.* quam obligationem extendunt Abbas, & glos. *in illo cap.* quæ creduntur pro mala ad ministratione bonorum Ecclesiæ esse obligata, & ad tutorem, cuius bona etiam censentur obligata pro bonis pupilli.

3 Verum Suar. *lib. 1. c. 38. n. 11.* non audet affirmare prædia vendita, seu donata obligata esse per modum generalis, aut particularis hypothecæ ad solutionem decimarum quorumcunque fructuum illius domini, cuius erant prædia; mò neque ad solutionem decimarum illorum fructuum, qui nati fuerunt ex prædiis. Ratio præcipua, qua mouetur, est; quia cùm fideles sua prædia taliter non obligauerint, non potest talis obligatio induci, nisi beneficio legis. Lex autem nulla est, quæ hoc expressè affirmet, aut vnde colligatur. Nam *c. ex literis. de pign.* licèt bona Prælati comparatione Ecclesiæ, bona tutoris comparatione pupilli comprehendat; non tamen comprehendere debet bona fidelium comparatione Ecclesiæ, cùm fideles nec habeant rationem Prælati, nec tutoris, neque aliquo modo Ecclesiæ sunt specialiter obligati; quia sunt obligati gubernatoribus & ministris publicis, & mihi hoc probabilius apparet si enim solutioni decimarum fructus nascentes ex agro obligati sunt. Vndè agro illa obligatio imponenda est: consentit Fagund. *de Decimis, l. 3. cap. 6. n. 2.*

4 Dico tertiò, Parochus non potest sua authoritate decimas non solutas per vim accipere, ita Rebuff. *cum communi sententia, q. 9. n. 20.* Ratio est, quia parochianus antequam soluat decimas, est dominus suorum fructuum, non igitur priuari dominio potest authoritate parochi, vtpotè carentis iurisdictione forensi coactiua, seu punitiua in foro externo.

Dices: poterit cogere ad solutionem, negando Sacramenta; cùm enim ipse teneatur Sacramenta fidelibus administrare, neque dare illa indignis, poterit imò & debebit cogere hac coactione.

Respondeo, non posse parochum negare Sacramenta ob hanc causam, nisi delictum sit per sententiam declaratum; quia vsque ad illud tempus non censetur delictum publicum, & indubitabile; cùm possit habere rationem aliquam, qua à solutione decimarum excusetur. Negatio verò publica Sacramenti, vt dixi in mat. de Eucharistia, requirit necessariò delictum commissum esse euidens euidentia iuris, vel facti: ita expressè Suar. *lib. 1. cap. 38. num. 2.* & loquens de oblationibus debitis, notauit Couar. plures referens *lib. 1. var. c. 17. n. 3.* Fagund. *de primitiis, & oblat. lib. 4. c. 1. n. 8.*

5 Præter has vias videtur aliquibus posse Ecclesias recuperare decimas suas authoritate iudicis sæcularis, ad quem dicunt appellare posse, ipsoque cognita violentia defendere Ecclesiam & quamcumque aliam personam ad iniuria illata. Sed de hoc latè diximus tractatu de immunit. Eccles. interim legendus est Azor. *lib. 7. Instit. c. 36. q. 3. & seqq.* Suar. *lib. 4. de immun. Eccles. c. 33.* Couar. *pract. c. 35. n. 2.* Fagund. *de quinto Ecclesiæ præcepto, lib. 3. cap. 5.* Breuiterque respondeo sub distinctione: Si causa decimarum sit facti, & non iuris: eo quòd non agitur, an debeatur decima, sed an debita dacima soluta sit, vel non soluta, poterit Ecclesia, tam coram iudice Ecclesiastico, quàm coram sæculari Magistratu debitorem suum laicum, non clericum conuenire; quia illa causa est mixti fori. Sic Rebuff. *tract. de decimis, q. 12. n. 3. & q. 10. n. 39.* Suar. *2. 1. de relig. tract. 2. lib. 2. de diuino cultu, cap. 38. n. 16. fine.* Fagund. *de quinto Eccles. præcepto, l. 3. c. 5. n. 2.* Couar. *pract. quæst. cap. 35. n. 2.* At si causa sit iuris, quia videlicet tractatur de iure, quo decimæ debentur, de expensis, quibus est soluenda, de loco, de quantitate, de qualitate, & similibus: certum & solum coram Ecclesiastico iudice hoc ius Ecclesiam recuperare posse; quia solus iudex Ecclesiasticus est iudex competens, eo quòd illa sit causa spiritualis, & tradunt supradicti Doctores.

6 Aliquæ exceptiones adhibentur huic doctrinæ, de feudo, de emphyteusi, de causa possessoria, quæ in supradicto tractatu de immunitate Ecclesiasticarum personarum, & bonorum examinamus. Sed ne aliquid in præsenti desideretur, Dico, si authoritate Romani Pontificis decimæ alicui, eiúsque hæredibus & successoribus in feudum perpetuum concessæ sint, qualiter Regibus Hispaniæ sunt concessæ decimæ, vulgo tertiæ dictæ, censeo satis probabile, si causa agitanda est, coram sæculari iudice tractandam esse; quia iam illa causa ob concessionem perpetuam laicis definit esse spiritualis, & fit temporalis, & tanquam temporalis transmittitur, & alienatur in consulto ordinario, & ita aliis relatis tenet Couarr. *pract. quæst. cap. 35. num. 2. vers. 3.* Gutierr. *pract. quæst. nostri regni, lib. 1. quæst. 14. n. 4.* Secus verò dicendum censeo, quando non in perpetuum, sed pro limitato tempore, vel limitatis personis feudum esset concessum; quia tunc non videtur Ecclesia rem integrè alienasse, & quasi profanum fecisse: & sic intelligi potest Rebuff. Ferdericus Senens. Azor, quos refert, & sequitur Fagundez *de Decimis lib. 3. cap. 5. num. 5.* negantes coram sæculari iudice causam decimarum, quæ in feudum sunt concessæ, tractari posse.

7 Dubium tamen non leue est, an laici, à quibus decimæ non solitæ exiguntur, possint iudices sæculares adire vt illos

defendant, inhibeántque iudices Ecclesiasticos ? Affirmat aliis relatis Couarr. *suprà, vers. quarto,* & Gutierr. *num.* 5. & probant, quia tunc non videtur tractari causa de iure, sed de facto; si quidem solùm tractatur, an priuilegium habeant, vel non, an præscripserint, vel non præscripserint. Sed habere priuilegium, aut legitimam præscriptionem ad factum pertinet, & non ad ius. Ergo possunt iudices sæculares de tali causa cognoscere, quod pluribus pragmaticis nostri regni sancitur, vt testantur supradicti Doctores, præcipuè Couarr. *lib. 1. var. resol. cap. 17. num. 8. vers. nono.* Ioann. Garcia *de expensis, & meliorat. cap. 9. n. 95.* Et quidem si Ecclesia decimas à laicis petat, eo quòd existimet non habere priuilegium, vel præscriptionem, probabile sanè est tunc posse laicos adire tribunal sæculare ad sui defensionem ob rationem dictam; quia tunc causa tractatur, non de iure, sed de facto. Verùm si Ecclesia prætendat laicos obligare ad decimas soluendas; eo quòd iudicet præscriptionem non esse legitimam, vel priuilegium validum non esse, & laici ad sui defensionem valorem priuilegij, vel legitimam præscriptionem coguntur allegare, nequaquam poterunt sæculari iudicio se defendere, sed necessariò tenentur iudicio Ecclesiastico stare, quia est causa iuris, & non facti, & de re spirituali, vel spirituali annexa.

8 In causa autem possessoria decimarum, tametsi plures Doctores censeant, si lis agitetur contra laicum, conueniendum esse coram iudice sæculari, certissimè tenendum est causam agitandam esse coram Ecclesiastico; quia causa possessoria, etiamsi nihil proprietatis mixtum habeat, Ecclesiastica est, & non temporalis, vt colligitur *ex clem. vnica, de causa possess. & proprier. & clement. vnica, de sequestrat. possess. & fruct.* & tradit Couar. *pract. quæst. cap. 35. n. 1. vers. verum si diligenter.*

9 Sed quid dicendum de conductore decimarum, possitne tam coram iudice laico, quàm Ecclesiastico conueniri, si non soluat pretium conductionis? Affirmat Fagund. *de quinto Eccl. præcepto, lib. 3. c. 5. n. 11.* Mouetur, quia est quæstio facti, non iuris. At mihi dicendum videtur necessariò conductorem laicum conueniendum esse coram iudice laico, neque posse coram Ecclesiastico conueniri ob non solutum pretium conductionis; quia illa causa neque est Ecclesiastica de iure, neque de facto; si quidem non est super ius decimandi, neque super decimas soluendas ab iis, qui illas debent, sed est causa omnino profana, & sæcularis, scilicet implere contractum, & promissis stare de soluendo prætio, quo decimæ conductæ sunt: & ita Couar. *pract. quæst. cap. 35. n 2. vers. quinto.* Verùm si in contractu conductionis conductor se submittit iudici Ecclesiastico, tunc poterit coram illo conueniri, vt idemmet Couarr. & Fagund. Et est text. *in leg. 6. tit. 1. lib. 3. ordin.*

PVNCTVM XVI.

Quid sint primitiæ, & qua ratione sint debitæ.

1 *Primitiæ quid sint, explicatur. Et qua ratione à decimis distinguantur.*
2 *Est præceptum Ecclesiasticum soluendi primitias, sed spectari debet consuetudo.*

1 PRimitiæ prout in præsenti accipiuntur, & secundùm quod in lege antiqua latum erat præceptum de illis soluendis, iuxta *Exod. 13. & Deut. 26. & Malach. 3.* dicuntur primi fructus terræ, ita *c. 18. Num.* Vniuersa frugum initia, quæ gignit humus, & domino deportantur, &c. Primitiæ distinguuntur à decimis; eo quòd decima sit decima pars fructuum, primitiæ verò sint primi fructus. Et deinde, quia decimas soluimus in sustentationem ministrorum Dei, tanquam ipsorum merces, & stipendia pro ministeriis Ecclesiasticis, recognoscentésque Deum esse supremum Dominum, nósque illi esse subiectos. Primitiæ verò offeruntur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, recognoscentes illum vt nostrum benefactorem, & doctorem vnicum bonorum; licèt secundario cedant in vsum ministrorum.

2 Esse verò præceptum Ecclesiasticum soluendi primitias testantur Doctores, *in cap. Qui, 13. quæst. 2. & in c. 1. de Decimis, & in glossa vers. in primitiis: & in cap. 67. reuertimini, 16. quæst. 1. & in cap. decimas. 16. q. 7.* Verùm attendenda est consuetudo, non solùm quoad debitum primitiarum, sed etiam quoad quantitatem, & quibus personis soluendæ sint, & quo in loco, & à quibus: vt tradit Innocent. *& alij, in c. 1. de decimis.* Sylvest. *verbo decima, quæst. 1. circa finem.* Suar. *tract. 2. de relig. libro primo cap. 8. num. 16. contra Andream Hispanum. tract. de decimis, quæst. 8. & contra Rebuffum, tract. de decimis, quæst. 1. num. 21.* qui existimant nulla consuetudine introduci posse abrogationem præcepti soluendi primitias, eo quòd sit contra gratitudinem, & honorem debitum Deo. At sententia communis omnino est tenenda consuetudine, determinari posse quantitatem, & qualitatem primitiarum, imò & legem illas soluendi abrogari posse, quia consuetudo vim habet contra legem Ecclesiasticam, ex qua solùm primitiæ debitæ sunt; sustentatio verò ministrorum, honoratio Dei, & ostensio gratitudinis erga ipsum aliis viis fieri potest, & de facto. Quapropter in omni fere regione hoc ius primitiarum est abolitum, vt testatur Lessius *lib. 2. cap. 39. dub. 6. num. 31.* & Azor. *tit. 1. sum. lib. 7. cap. 38. quæst. 3.* qui addit, vbi huiusmodi lex extat, minimè primitiæ soluuntur, nisi à clericis petantur.

PVNCTVM XVII.

De oblationibus, & qua ratione ad illas fideles teneantur.

1 *Quid sit oblatio, & qua ratione à decimis, primitiis, & sacrificio differat.*
2 *Nullum est in iure latum præceptum de oblatione.*
3 *Nec consuetudine videtur posse introduci.*
4 *Probabilius est consuetudine introduci posse, si doctorum authoritate nitatur.*
5 *Proponitur obiectio, & sit illi satis.*
6 *Consuetudine introduci potest, vt clerici dona aliqua tribuant laicis, quibus ad deuotionem excitentur.*
7 *Nulla pœna est ipso iure imposita non soluentibus oblationes.*

1 OBlatio generatim dicitur quidquid Deo offertur, qua ratione comprehendit primitias, decimas, & sacrificium. Omnia enim hæc Deo offeruntur: & oblatio prout ab iis distinguitur, & de qua est sermo in præsenti: est donatio quædam bonorum temporalium, siue mobilium, siue immobilium, facta Deo in eius honorem, & cultum, ad reparandam fabricam Ecclesiæ, vel alias expensas in cultu Dei exhibitas, aut in sustentationem ministrorum colligi potest *ex cap. qui oblationes, & cap. clericis. 13. quæst. 3.* & tradit D. Thom. *q. 86. art. 1.* Et secundùm hanc rationem medium est oblatio inter decimas, primitias & sacrificium, conuenit enim cum sacrificio quatenus est oblatio facta Deo in eius honorem, & cultum: differt verò à sacrificio; quia sui mutationem non requirit: cùm decimis autem, & primitiis conuenit; quia tam primitiæ, quàm decimæ Deo, vel Ecclesiæ offeruntur in sustentationem ministrorum: differt verò ab ipsis; quia latiùs patet. In præsenti autem summus oblationem pro donatione facta Ecclesiæ in sustentationem ministrorum, vel ad reparandam fabricam, aut alias expensas, & de hac dubitamus, qua ratione debita sit?

2 Respondeo in iure nullum latum esse præceptum offerendi: nam licèt in *c. statuimus. 16. quæst. 1. & cap. præterhoc 32. & cap. omnis Christianus, de consecrat. dist. 1. & cap. de his, & cap. antiquos 10. q. 1. & alijs*, videatur ferri præceptum de oblationibus faciendis, intelligenda tamen sunt, quando oblationes sunt debitæ vel ratione promissionis, aut legati, vel ratione indigentiæ Ecclesiæ, aut ministrorum, vel ratione consuetudinis, seu præscriptionis, vt tradit D. Thom. *quæst. 86. art. 1.* & ibi Caiet. & Arag. Gab. *super can. Missæ, lect. 6.* & Antonin. *p. 3. tit. 12. cap. 11.* Abbas, & Ancharran. *in Rub. de Parochiis.* Angel. Sylvest. *& alij, in verbo oblatio.* Azor. *1. instit. moral. lib. 7. c. 7. q. 11. & cap. 38. q. 1.* Suar. *t. 1. de relig. tract. 2. lib. 1. cap. 5. n. 2.* Et quidem si donatio promissa fit voto, aut per simplicem promissionem acceptatam, nulli est dubium teneri promittentem adimplere promissum; similiter etiamsi testamento aut donatione legata est alicui hæreditas cum oblatione offerendi Ecclesiæ aliquam partem, nota est obligatio. Maior tamen est dubitatio, si indigeat Ecclesia ad sui reparationem, vel minister ad sui sustentationem, an tunc teneantur fideles has oblationes facere? Et quidem si primitias, vel decimas soluunt sufficientes ad parochi proprij, & Episcopi sustentationem, non tenentur parochiani oblationes alias facere; quia ipso iure naturæ non tenentur ampliores donationes facere, quàm eas, quæ sufficientes iudicantur ad debitam ministrorum sustentationem. Quòd si decimæ in beneficia simplicia, aut præstimonia diuisæ sunt, aut aliis vsibus applicatæ, cuius causa deficit congrua sustentatio Episcopo, Beneficiario, aut Vicario, non tenentur ipsi supplere, sed aliunde prouideri debet, vt diximus suprà de Decimis. Idem similiter faciendum est quando parochiani sunt ita pauperes, vt non valeant decimas, aut oblationes facere sufficientes ad parochi sustentationem. Debet, inquam, tunc Episcopus vti remediis traditis à Concilio Trident. *sess. 21. cap. 7. & 8. de reformat. & sess. 24. 3. de reformat.* & quando illa sufficientia non fuerint, Summum Pontificem consulere oportebit, vt tradit Suar. *suprà, num. 7. & seq.*

3 Si verò de consuetudine loquamur, non videtur improbabile hac via non posse induci obligationem soluendi oblationes: quia consuetudo hæc in suo principio debuit esse spontanea, & libera, & absque vlla oblatione, vt affirmat Suarez *tit. 1. de relig. tract. 2. lib. 5. cap. 5. numer. 2.* & Azor. *quæst. 11. ex Concil. Cabilonensi, sub Carolo Magno, cap. 6.* vbi sic habetur. Animarum salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumueniendi: oblatio namque spontanea esse debet, iuxta id quod ait

Sp.

Sp. §. 3. Voluntariè sacrificabo tibi. Ergo neque per continuationem huius consuetudinis induci potest obligatio, cum nunquam obligatio per consuetudinem inducatur, vbi abest animus se obligandi, vt not. Caiet. *in sum. verbo hora can.* §. 2. & Sotus *lib. 2. de iustit. quæst. 7. art. 2.* Ob quam rationem existimat idem Sotus *lib. 9. quæst. 6. art. 1.* & Angel. *verbo oblationes, num. 1 in addit. ad illum*, consuetudinem oblationis non obligare, vbi decimæ soluuntur, & tanquam probabilem eam reputat. Azor. *cap. 7. quæst. 11. & cap. 38. quæst. 12.* vbi ait probabilius esse consuetudinem in hac parte vim legis habere, si non constiterit oblationem studio pietatis & religionis in Deum liberaliter fieri. Vnde si constet fieri liberaliter, donationem existimat non posse consuetudine fideles obligari. Innocent. *in cap. Ad Apostolicam, de Simonia*, & Ant. de Butrio, idem affirmare videntur, cùm dicunt non posse Episcopum cogere fideles, vt consuetas oblationes soluant. Ergo non tenentur, sed solùm possunt compescere eos, qui volunt eas infringere, immutare, aut aliquo modo contrauenire, hoc est compescere eos, qui volunt impedire fideles ne soluant. Et licèt addat Pontifex se præcipere pias consuetudines obseruare, intelligitur tamen, eo modo, quo introductæ sunt, ita vt hæ quæ introductæ sunt liberè, liberè obseruentur, absque eo quòd cogi possint ad earum solutionem. Quæ verò ex promissione, aut alia causa obligante introductæ sunt, præcipit ita obseruari. Signum ergo est ex iure colligi non posse consuetudine liberaliter, & spontanèe continuatas obligationem soluendi oblationes.

4 Verùm longè communior sententia est, consuetudinem continuatam per tempus necessarium ad præscribendum obligare fideles ad illam seruandam, non solùm quando incœpta est liberè, & continuata ex intentione se obligandi, sed etiamsi incœpta sit, & continuata absque animo imponendi sibi obligationem ita Leonard. Lessius, *lib. 2 cap. 39. dub. num 34.* Suar. *cap. 5.* Azor. *supra.* Gutter. *canon. q. lib. 1. c. 21. num. 140 & seq* Couar. *lib. 1. var. c 17. n. 3.* Fagund. *de quinto Eccles. præcepto lib 4. cap. 1. num. 7.* Panormit. Hostiens. *& alij, in cap. Ad Apostolicam de Simonia.* Quod caput est præcipuum fundamentum huius oblationis, cùm dicat ibi Pontifex prauam exactionem fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus obseruari. Ex quo text. colliguntur Doctores, præcipuè Suar. & Leonard. Lessius, quando consuetudo continuata est per tempus sufficiens ad præscribendum, imponi à Pontifice præceptum soluendi huiusmodi oblationes, siue continuato procedat ex animo se obligandi, siue procedat ex errore, quo putabant fideles obligatos esse, siue ex alio capite. Fateor tamen huiusmodi rationem non concludere, nam si de rigorosa præscriptione loquamur, non videtur posse Ecclesiam præscribere contra fideles in harum oblationum solutione; eo quòd non habetur titulum ad præscribendum, & absque titulo vero, vel ficto non possint præscribi, vt suprà diximus. Quòd si aliquis dicat, *c. hoc ad Apostolicam*, deseruire pro titulo, gratis dicet, & absque sufficienti fundamento, cùm ex illo non satis clarè colligatur, consuetudines liberè introductas, & continuatas præcipi obseruari ex obligatione. Possumus namque explicare, vt Innocent. explicat, quòd præcipiantur obseruari eo modo quo sunt introductæ, ita vt non immutentur, nec varientur. Quapropter solùm propter authoritatem Doctorum censeo huiusmodi sententiam esse probabiliorem, iuxta quam est maximè aduertendum stabilita consuetudine soluendi decimas, primitias, aut oblationes non posse populum aliquid in contrarium constituere, cùm talis constitutio esset contra ius Ecclesiæ aquisitum; ac proinde contra libertatem Ecclesiasticam; ita Bartol. *in leg. priuilegia, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Abbas, *cap. abolenda, de Sepulturis.*

5 Sed obijcies ipsummet, *cap. Abolenda, cap. sua cap. ea quæ, cap. cùm in Ecclesia. de Simonia.* In quibus textibus cauetur, ne pro benedicendis nuptiis, administrandis sacramentis, aliisque actionibus sacris oblationes requirantur, & licèt aliqui arbitrentur legem longa consuetudine inualuisse, attendant, ait Pontifex, tanto graviora esse crimina, quanto diutius infœlicem animam tenuerunt alligatam. Vnde *glossa in cap. cum in Ecclesia*, verbo *consuetudine*, ait consuetudinem exigendi oblationes pro iis rebus reprobandam esse, neque oblationes admitti posse. nisi sponte, & ex postfacto offerantur.

Respondet *glossa in cap. Ad Apostolicam*, clericos pro talibus sacramentis oblationes petere, seu exigere à nolentibus dare: poterùt enim officio iudicis implorato facere, vt fideles cogantur seruare consuetudinem, quæ ex pietate introducta est. Quapropter, vt bene ait Suar. cum D. Thom. Caiet. & aliis, *cap. 5. num. 12.* Couarru. *lib. 1. var. cap. 17. num. 3.* Fagund. *de oblationib. lib. 4 cap. 1. num 8* non poterit parochus negare Sacramenta, aut alia officia eis, qui consuetas oblationes non soluunt: nam illa est quædam exactio, quæ in iis iuribus cauetur. Neque obstat quòd parochus, & alius quiuis Sacerdos teneatur dare Sacramenta ritè dispositis, qualis esse non videtur is, qui oblationes debitas non soluit. Nam illud principium intelligendum est, quando omnino est certum delictum & publicum, quod in præsenti ferè nunquam potest esse, cùm videatur probabile fideles non teneri ex obligatione, & sub peccato oblationes spontaneas etiam longo tempore continuatas soluere. Quod maximè habet verum, quando consuetudo offerendi non est à singulis personis, sed à maiore parte populi, aut ab eis, qui potentiores sunt: tunc enim etiam si vnus, vel alius omittat interdum oblationem, non videtur peccare grauiter, quia neque consuetudo interrumpitur, neque maiori cùm oblatione videtur introducta: ita Suar. *supra, num. 21.* Adde in supradictis capitibus prohiberi exactionem, qua oblationes exiguntur, vt pretium rerum spiritualium, & in qua proponuntur Sacramenta, quasi venalia essent; non verò illam exactionem, qua exiguntur oblationes, vt stipendium debitum parocho pro Sacramentis administratis, vel obligatione illa administrandi.

6 Deinde decimas non solùm consuetudine introduci posse obligationem in laïcis soluendi oblationes clericis, sed etiam in ipsis clericis obligationem soluendi laïcis aliqua dona, non per modum oblationis, aut tributi, sed per modum cuiusdam liberalis donationis, qua excitentur, & adiuuentur ad deuotionem, & mutuam charitatem, vt de cereis albis in festo Purificationis affirmat Suar. *lib. 1. cap. 7. num. 10.* cùm Federic. Senens. *cons. 155. &* Greg. Lop. *in leg. 15. tit. 17. part. 1. contra Sylvest. verbo decima, num. 7.* & Ioann. Gutter. *lib. 2. q. canon cap. 21. num. 156.*

7 Tandem est aduertendum nullam pœnam ipso iure impositam esse non soluentibus oblationes, quæ debitæ sunt ex consuetudine, sed solùm committitur arbitrio Episcopi, qui procurare debet, vt consuetudines obseruentur, iuxta *cap. Ad Apostolicam, de Simonia.* Negantes verò oblationes ex testamento, aut donatione debitas excommunicari debent: vt habetur *cap. si quis irascetur, 13. quæst. 2. in fine, & in c. qui oblationes 13. q. 2. el. 1.* vbi dicitur ex Concilio Carthaginen. 4. *cap. 39.* Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut difficulter reddunt tanquam egentium necatores excommunicentur. *& in cap. seq.* ait, *ex Concilio Varen. cap. 4.* Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, vt infideles ab Ecclesia sunt abiiciendi, *& in cap. clerici, vel seculares eadem causa, & quæst.* dicitur *ex Concilio Agathen. cap. 4.* qui oblationes parentũ aut donatas, aut testamento relictas, retinere perstisterint, aut id quod ipsi donauerint Ecclesiis, vel Monasteriis crediderint auferendum, sicut sancta Synodus constituit, vel vt necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur.

PVNCTVM XVIII.

Aquibus personis oblationes recipi non possunt.

1 *De rebus alienis oblationes recipi non possunt.*
2 *A non baptizatis, Iudæis, hæreticis, excommunicatis vitandis reciti non possunt.*
3 *Excipiuntur aliqui casus, in quibus non licet à peccatore oblationes recipere.*
4 *De qua oblatione hoc intelligatur.*

1 DIco primò oblationes factas de rebus alienis nulli clericorum licet eas, neque in publico, neque in secreto recipere, quia esset particeps in furto, habetur *super ea, de Raptoribus*, vbi cauetur, ne vllus clericus assistat sepulturæ, neque oblationes eorum accipiat, qui cùm Ecclesias deprædauerint, nondum satisfecerint, & in *cap. quia in omnibus: de vsuris*, prohibentur accipi oblationes eorum, qui sunt vsurarij manifesti.

2 Dico secundò, Recipi non possunt oblationes à non baptizatis, à Iudæis, ab hæreticis, ab excommunicatis excommunicatione vitanda habetur, *in can. 37. Concilij Laodicens.* ait enim, non oportet à Iudæis, vel hæreticis quæ mittuntur munera festiuè suscipere, nec cum eis festa celebrare: vbi non tam de oblationibus, quæ fiunt ac missam, quàm de oblationibus, quæ in gratitudinem, & amicitiam fieri solent inter amicos, loqui videtur. Quapropter talis oblationis, seu munetis receptio sub peccato veniali prohiberi poterit. Si verò in missa fieret, grauis culpa interueniret ob excommunicationem solemnem cum talibus personis præcessis, quæ omnino est prohibita. Idem dicendum est, si peccator esset ita publicus, vt scandalum generaret oblationem eius accipere, vt si crederetur Ecclesiam cum tali peccatore ob eius oblationem dissimulare. Qua ratione ait D. Thom. *quæst. 39. art. 3.* & Doctores communiter, nõ licere accipere oblationem à meretrice publica, ne videantur Ecclesia eius peccatõ fauere accipiens oblationes ex rebus, quæ inhonestè sunt acquisitæ. Hoc tamen intelligi debet, in peccato; nam si peccati pœniteat, poterit de bonis iustè possessis, licèt inhonestè acquisitis, oblationes facere. Dequodlibet alio peccatore publico generaliter, & per se loquendo scandalum non sequitur, neque in iure prohibetur receptio talium oblationum, exceptis aliquibus casibus in particulari, quos excipit Azor. *lib. 7. cap. 38. q. 17.* & Suar. *tract. 2. de relig. lib. 1. cap. 6. num. 9.*

3 Primus est, *cap. oblationes. 99. dist.* vbi ait, oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophilacio recipiantur; similiter dona eorum, qui pauperes opprimunt, à Sacerdotibus refutanda sunt. Secundus est de hominibus, qui criminosos ex Ecclesia vi extrahunt, iuxta *cap Miror. 17. q. 4.* Vbi Augustinus interdicit,

interdicit, ne à clericis accipiantur oblationes Bonifacij præsidis, & eius domus, quousque satisfactionem impositam exhibeat. In quibus casibus præceptum ad clericos dirigitur, ac proinde obligantur ipsi ne recipiant oblationes talium peccatorum, etiamsi condemnati, & declarati non sint per sententiam, modò tamen peccatum sit publicum, & notorium, vt rectè dicit Suar. *supra n.*14. & Azor *q.*17. Secus est quãdo primò & per se facta est prohibitio offerendi ipsis criminosis in pœnam culpæ commissæ, tũc inquã, requirit delictum esse per sententiã declaratum, quia pœna ante sententiã non est executioni mãdanda, & quousque delictum tale sit, optimè possunt clerici oblationes recipere. In quo casu loquitur, *cap. de viro*, 129. 2. vbi inter pœnitentias impositas sacrilegia hominibus, qui vasa sacra, & reliqua quæ diuino cultui dicata sunt, profanauerit, vna est, vt vno anno, etsi Ecclesiam Dei ingrediantur, & inter audientes adstent, nihilominus sint absque oblatione. Secundus casus habetur *in cap. latorem* 33. *q.*2. vbi matricidæ imponitur pœnitentia, vt septem annis ab oblatione abstineat. Tertius habetur *in cap. eos, quos de consecrat. dist.*4. vbi qui ex industria rebaptizantur, prohibentur duobus annis modis omnibus oblationes offerre: in his enim tribus casibus, vt iam dixi, requiritur sententia.

4 Dubitari tamen potest circa casus adductos in hac secunda conclusione, an intelligendi sint de oblationibus factis ad altare, & in Ecclesia, vel de quacunque alia donatione, quæ Ecclesiæ, donatione, legato, aut testamento relinquitur, aut de oblationibus necessariis, seu obligatoriis, aut spontaneis. Cui dubitationi respõdet Suar. *lib.*1. *cap.*6. *n.*10. & 12. cum Hugone & Turrecremenata intelligi tantùm de oblatione facta in Ecclesia ad altare, per se, vel per Diaconum, siue oblatio obligatoria sit, siue spontanea, quomódocunque enim fit, si fiat ad altare, recipi non debet. Verùm si extra missam fiant oblationes recipi possunt, imo & exigi, si debitæ sint in ministrorum sustentationem, iuxta *cap. quanto. de vsuris*. Secus verò si solùm sint debitæ ex consuetudine; quia consuetudo introducta non est, nisi de dandis oblationibus ad altare. Vnde si ibi Ecclesia nolit illas recipere, liber censeri debet peccator ab obligatione.



TRACTA

TRACTATVS XI.

RELIGIONIS,

QVI EST

DE REVERENTIA DEBITA LOCIS SACRIS, ET EORVM IMMVNITATE.

Et Disputatio vnica sub eodem titulo.

PROOEMIVM.

CONSTAT esse aliqua loca specialiter Deo in eius cultum dicata, ad quæ populus Christianus conuenit, tum ad Deum laudandum, tum ad beneficia ab eo postulanda, tum ad gratias agendas pro beneficiis acceptis, tum ad offerendum ei sanctissimum sacrificium. Hæc ergo loca dupliciter Deo dicari possunt. 1. authoritate Pontificis. 2. authoritate priuata. Si solùm priuata authoritate dicata sint, vt sunt priuata oratoria, & capellæ, in quibus ex licentia Episcopi missa celebratur: non vocantur absolutè loca sacra. Hæc enim dedicationem publicam, & perpetuam expostulant: iuxta *tum in leg. in tantum, ff. de rerum diuis.* ibi sacræ res sunt, quæ publicè consecratæ sunt. Si autem authoritate Episcopi dedicantur, tametsi consecrata, neque benedicta sint, loca sacra nuncupari debent. Quando autem consecrata, aut benedicta sunt, tunc propriissimè templa, & Ecclesiæ nuncupantur. De eorum ergo reuerentia, & cultu in præsenti agendum est. Et in primis supponendum est nullum cultum positiuum directè locis sacris deberi: quia ex vi consecrationis, & deputationis horum locorum, solùm habent illa loca esse specialiter deputata, vt in eis orationes fundantur, & sacrificium offeratur, si aliquando offerendum est; non tamen habent, vt de facto ibi offeratur. Sed poteris ab iis omnibus abstinere, nisi ex aliquo speciali præcepto ratione tui muneris tenearis. Ergo nullus cultus positiuus his locis sacris debetur. Nam si aliquis esset, vel esset sacrificium, vel oratio. Quocirca totus cultus debitus his locis negatiuus est, non positiuus consistens in negatione omnis actionis iniuriosæ. At quia hæ actiones variæ sunt. De illis in se sequentibus est agendum.

DISPVTATIO I.

De reuerentia debita locis sacris, & eorum immunitate.

PVNCTVM I.

Au sint contra reuerentiam debitam loco sacro omnes actiones, quibus ipse polluitur, & quæ hæ sint.

1 *Enumerantur actiones, quibus Ecclesia polluitur.*
2 *Duo requiruntur ad Ecclesiæ pollutionem. Primò, vt supradictæ actiones in Ecclesia fiant. Secundò, vt fiant publicè, & quid nomine Ecclesiæ intelligatur.*
3 *Actiones quibus Ecclesia polluitur, si occultè fiant, aliquibus placet sacrilegia non esse.*
4 *Probabilius est sacrilegia esse.*
5 *Fit satis rationi dubitandi, n. 3. adductæ.*
6 *Omnes actiones, quibus locus sacer polluitur, iure ipso naturâ videntur sacrilegia esse posita loci sacri sanctitate.*
7 *Probabiliter est nullum peccatum in Ecclesia commissum habere speciem sacrilegij secluso iure positiuo, nisi illud peccatum, quo locus sacer contemnitur, & profanatur.*
8 *Satisfit, rationibus n. 6. adductis.*

1. TRact. de sacrificio Missæ, *cap.* 5. §. 1. enumerani actiones, quibus Ecclesia polluitur. Hæ, inquam, sunt. Primò homicidium, *cap. proposuisti, de consecrat. Eccles.* Secundò inflictio vulneris grauis, & iniuriosa. *cap. vni. de consecrat. Eccles. in 6. & cap. si motum de consecrat. dist.* 1. Suar. *disp.* 81. *sect.* 4. *& lib.* 3. *de relig. t.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. Aduerte iniustam percussionem, vulnerationem, mutilationem, si contingant absque sanguinis effusione sacrilegia esse; quia sunt contra Ecclesiæ immunitatem. At Ecclesiam purificatione non indigere, nisi sanguis in magna quantitate effundatur, aut vulnus lethale sit, pluribus firmat Fagund. 2. *p. de præcept. Eccles. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 14. & 16. Secundò. Aduerte alapam, etiam si grauis sit

iniuria, quia tamen non est inflictio vulneris non polluere Ecclesiam. Suar. *dicta. sect.* 4. Item neque percussionem narium, etiam si multus sanguis effluat; quia non est grauis percussio; neque insignis injuria, & ex naribus facilis copia sanguis effluit. Eman. Sa. *verbo Ecclesia. num.* 13. Fagund. *2.p.de præcept. Eccles. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 18. Tertiò. Polluit Ecclesiam index, si reum in Ecclesia suspenderet; quia est actio nimis iniuriosa loco sacro. Nauarr. *cum alijs, cap.*25 *num.*85. *& cap.* 27. *num.* 250. Fagund. *supra. num.* 17. Quartò Polluitur Ecclesia per effusionem seminis mortaliter peccaminosam *cap. vnico. de consecrat. Eccles. in 6. cap. Ecclesias, de consecrat. dist.* 1. *cap significasti, de Adulter. cap. si motum, de consecrat. dist.* 1 Dubitant tamen Doctores, an per copulam coniugalem polluitur? Affirmant plures pollui. Quia ratione loci sacri est peccatum sacrilegij. Sic Plaudan, 4. *dist.* 18. *art.* 4. *& dist.* 31. *quæst.* 3. *art.* 2. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 20. §. 3. Caiet. *in summa, verbo matrimonium, cap. vlt.* Armilla *verbo debitum. num.* 6. Tolet. *lib.* 5. *c.* 8. *num.* 14. Graffis *decis. cap.* 48. *num.* 26. Valen. *t.* 4. *dist.* 10. *gener. quæst.* 6. *p.* 2. §. 7. Alij è contra negant pollui; quia talis copula illicita non est, siue fiat cum necessitate, siue absque illa; sic *Glossa in cap. Ecclesia, verbo semine. de consecrat. dist.* 1. Vasq. 1. 2. *disp.* 98. *num.* 6. Eman. Sà, *verbo Ecclesia, num.* 14 Basil. de Leon. *alios referens lib.* 10. *de matr. cap.* 10. *num.* 13. Mouentur, quia seminis effusio non potest Ecclesiam polluere, nisi sit sacrilega, & peccaminosa, At copula maritalis non est sacrilega, & peccaminosa, etiam si absque necessitate fiat. Ergo non polluit Ecclesiam. Minorem probo, quia non est sacrilega iure naturali, vel diuino, vt de se constat, neque etiam iure positiuo, nullibi enim talis culpa prohibetur secluso scandalo. Nam *textus*, qui adducuntur id non probant. Adducitur enim *textus in c. significasti de Adulteriis*, qui de copula clerici cum alterius vxore loquitur, *c. Ecclesias, dist.* 68. *& de consecrat. dist.* 1. *& cap. fin. de consecrat. Eccles.* solùm dicitur maculari viri, vel fœminæ pollutione, quod verbum copulam maritalem non significat, Ergo. Neque ex iure positiuo, nec naturali est sacrilega copula maritalis. Ergo non polluit Ecclesiam. Mihi tamen placet media via procedere? si enim copula necessaria sit alteri coniugum ad vitandum periculum incontinentiæ, eo quòd diu cogatur in Ecclesia habitare, non erit sacrilega, neque per illam polluetur Ecclesia. Secus si ad hunc finem necessaria non fit. Priorem partem probo; quia non est credendum velle Ecclesiam coniugem sic periclitantem suis legibus obligare: esset enim nimis dura obligatio, & periculo peccandi exposita. Secundam partem probo; quia secluso hac necessitate iure naturali videtur prohibita talis copula in illo loco; est enim illius loci graue vilipendium eo ad actum ita materialiter turpem, sine necessitate vti; ac proinde cùm Pontifex dicit seminis effusione pollui Ecclesiam, subintelligit de illicito iure naturæ, aut certè illam illicitam suo præcepto constituit: sic Sayrus. *lib.* 5. *de censuris, cap.* 16. *num.* 19. Azor. 1. *p. lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 15. *&* 3. *lib.* 31. *cap.* 31. *quæst.* 3. Suar. *t.* 1. *de relig. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 3. Ægid. *de sacram. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1 *num.* 23 1. Sanch. *disp.* 15. *num.* 7. *&* 12. *vbi plures refert.* Quintò. Violatur Ecclesia, si spectatur in ea excommunicatus denunciatus, aut clerici manifestus percursor: quia hoc post Concilium Constantiense vitare tenemur, *cap. consuluisti, de consecrat. Ecclesia.* Sextò. Si specialiter in ea infidelis, sub quo comprehendo puerum nondum baptizatum, *cap. Ecclesiam. 1. & 2. de consecrat. dist.* 1. Dicitur autem his actionibus Ecclesiam pollui, quia illis actionibus redditur Ecclesia ita maculata, vt sine noua consecratione, aut benedictione apta non sit, vt in ea diuina celebrentur.

2 Duo tamen ad hunc effectum requiruntur, Primò, vt hæ actiones fiant in Ecclesia consecrata, seu ab Episcopo benedicta, & non extra; sic multis relatis Sanch. *lib.* 9. *de matr. disp.* 15. *num.* 24. Basil. de Leon. *lib.* 10. *de matr. cap.* 10. *num.* 3. Suar. *tom.* 3. *de Euchar. disp.* 81. *sect.* 4. Nomine Ecclesiæ ad hunc effectum intelligo solum illud spatium, quod est à pauimento Ecclesiæ vsque ad rectum, & à summa ara vsque ad parietem oppositum: sic Sanch. *num.* 25. Basil. *num.* 3 Quapropter si aliquæ ex his actionibus fiant suprà Ecclesiæ rectum, vel infrà pauimentum Ecclesiæ, diuinis officiis, aut fidelium sepulturæ non deputatum, non dicitur fieri in loco Sacro. Idem est, si extra limen Ecclesiæ fiat; quia limen est terminus loci sacri, aut initium profani. Similiter si in turri; vbi cymbala pulsantur, aut in sacristia, aut in cellulis Ecclesiæ adhærentibus; quia hæc non dicuntur locus sacer ad hunc effectum; vt potè quæ cum Ecclesia vnum corpus non componunt. Idem existimat dicendum Basil. de Leon. *cap.* 10. *num.* 3. de cellulis, in quibus mulierum confessiones audiuntur, non solùm ea parte, qua confessarius adstat, sed etiam ex illa parte, qua fœminæ ingrediuntur, quia non videntur cùm Ecclesia vnum corpus constituere, sed quasi ab ea separari. Idem dicit de cellulis, seu tribuis, ex quibus principes sacrum audiunt. Sed certè si intra parietes Ecclesiæ, & concauum illius omnes hæ cellulæ insint, vt ferè semper fieri solet, communis, & vera sententia docet loca sacra esse, & delicta ibidem commissa Ecclesiam polluere. Sanch. *disp.* 15. *num.* 32. Dixi, *consecrata*, seu *benedicta*, quia sic regulariter sunt omnes Ecclesiæ. Verùm si contingat esse aliquam Ecclesiam alicuius monasterij, vel hospitalis, neque ab Episcopo consecrata, aut benedicta, sit tamen sit ab ipso ad publice diuina celebranda deputata, locus sacer est; quia hæc authoritatiua deputatio benedictioni æquiualet. Sic Azor. *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 31. *quæst.* 4. Basil. de Leon. *lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 5. Sanch. *disp.* 15. *num.* 89. Item clausttrum, cæmeterium, & quilibet alius locus diuinis officiis vel sepeliendis defunctis ab Episcopo deputatus, sub nomine loci sacri comprehenditur. Sanch. *disp.* 15. *num.* 40. *& seqq.* Basil. *num.* 6. *& communis.* Secundò. Ad polluendam Ecclesiam talitérque, quod reconciliatione indigeat, debent supradictæ actiones publicè fieri, vel per confessionem rei in iudicio, vel per euidentiam facti. Secluſa ergo tali publicatione non manet locus pollutus: colligitur ex *cap. significasti. de Adulter.* & tradit. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 251. Suar. *disp.* 81. *sect.* 4. §. *secundo dubitari solet.* Basil. *lib.* 10 *c.* 20. *in fine* Fagund. 2 *p. de præcept. lib.* 4. *c.* 4. *num.* 24. & alij apud ipsos. Ratio est manifesta; quia benedictio, & consecratio Ecclesiæ publica est, publico ergo delicto tolli debet.

3 Hinc ergo oritur grauis dubitatio. An hæ actiones, quibus Ecclesia polluitur sint sacrilegia, si occultè fiant? Ratio dubitandi est, quia in tantum videntur sacrilegia esse, in quantum ipsis Ecclesia polluitur. Sed non polluitur Ecclesia, nisi publicæ sint. Ergo cessante hac publicitate, nullum est sacrilegium, & ita docet expresè Graffis *decis. 1. p. cap.* 48. *num.* 26. Ægid. de Coninch. *de Sacram. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 230 Ab. Vasq. 1. 2. *disp.* 9. 8. *num.* 6. Basil. de Leon. *lib.* 10. *de matr. cap.* 10. *num.* 5. Tolet. *lib.* 5. *sum. cap.* 8. & alij.

4 Mihi tamen omninò dicendum videtur esse sacrilegia, tametsi occultè fiant, sic Nauarr. *sum. c.* 16. *num.* 32. *vers.* 4. Thom. Sanch. *plures referens lib.* 9. *disp.* 15. *num.* 11. Suar. *t.* 1. *de relig. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 7. Ratio est, quia manere Ecclesiam pollutam effectus est sacrilegij, & quasi pœna illius. Ergo non potest esse sacrilegium per ordinem ad illam pœnam. Et confirmo, si ob illas actiones Ecclesia interdiceretur, illæ actiones peccata, & sacrilegia non essent, qui causant interdictum; sed potius causant interdictum, quia sacrilegia sunt. Ergo prius sacrilegium præsupponitur. Deinde si sacrilegium non est, nisi quatenus de facto Ecclesia illis actionibus polluitur, efficitur sæpè pollui Ecclesiam absque sacrilegio. Ponamus namque te commisisse homicidium occultè in Ecclesia, postea verò illud confessus fuisti in iudicio. Inquiro quando illud homicidium habet rationem sacrilegij? Nam cùm commissum est, tunc non habet; quia non polluit Ecclesiam quando facta est in iudicio illius confessio? tunc non committitur, & tamen tunc polluitur Ecclesia. Ergo polluitur Ecclesia absque sacrilegio. Quapropter dicendum est illas actiones sacrilegia esse, & Ecclesiam polluere in habitu, vt tamen in actu maneat pollura, debent illæ actiones manifestari; imò secundùm probabilem sententiam debet sententia declaratoria criminis accedere.

5 Ad rationem dubitandi nego esse sacrilegia, quatenus per ipsas Ecclesias polluitur; sed quia in honorem, & reuerentiam loci sacri prohibitæ sunt. Quòd si vrgeas, nullibi inuenitur talis prohibitio. Nam textus loquentes de hac Ecclesiæ pollutione non prohibent actiones, sed effectum pollutionis declarant, & necessitatem reconciliationis indicant. *cap. si motum de consecrat. dist.* 1. *cap. proposuisti. cap. aqua, cap. si Ecclesia de consecrat. Ecclesia, & cap. vnico, eodem tit. in* 6. Respondeo indirectè talem prohibitionem supponi, sicut & iam supponitur in illis textibus Ecclesiam pollui, & statuitur reconciliandam esse; sicut enim in illis textibus non expresè ponitur hic effectus pollutionis, sed supponitur antiquitus esse impositum, ita supponitur prohibitionem illarum actionum factam esse.

6 Sed inquires. An hæ actiones, quibus Ecclesia polluitur sint sacrilegia; quia prohibitæ sunt per Ecclesiam in cultum, & reuerentiam loci sacri; vel quia ex natura rei iniuriosæ sint loco sacro, suppositis eius sanctitate?

Et quidem aliquæ sunt actiones, quibus Ecclesia polluitur. quæ secluſa lege positiua prohibente, nullum esse peccatum illas in templo fieri. Hæ sunt sepelire excommunicatum, vel paganum: possent enim titulo misericordiæ illa cadauera in loco sacro sepeliri absque vllo peccato, sicuti absque vllo peccato sepelitur interdictus, vel suspensus, vel occultus peccator, vel excommunicatus non denunciatus, Suar. *t.* 1. *de relig. libro tertio capite secundo à num.* 10. Quapropter de homicidio, vulneratione, effusionéque seminis, est difficultas. An hæ actiones sunt sacrilegia independenter ab Ecclesiæ prohibitione? Ratio difficultatis est. Quia secluſa prohibitione Ecclesiæ, attenta solùm sanctitate loci sacri indecentissimum est in templo coniugalem coitum habere sine necessitate, sicuti indecentissimum est ventrem sine necessitate exonerare. Ergo hæc indecentia ex sanctitate loci sacri prouenit. Ergo est sacrilegium. Ergo à fortiori est sacrilegium; vulneratio, homicidium, seminis humani illicita effusio. Item vasibus diuino cultui dicatis vti ad profanos vsus sacrilegium est, secluſa omni Ecclesiæ prohibitione, quod non leuiter colligitur ex illo. *Dan.* 5. vbi Balthasar punitus fuit ob hanc sacrorum vasorum profanationem. Ergo à fortiori est sacrilegium vti loco

sacro

facto ad vsus turpes, & inhonestos. Deinde Paulus 2. *Corinth.* 11. reprehendit eos, qui in templo manducabant & bibebant communi,& ordinario modo, nihil discernentes inter locum sacrum, & profanum. Ergo à fortiori reprehendendi sunt, si ibidem luxurientur, furentur,maledicunt.&c. Denique Christus Dominus vendentes columbas è templo eiecit, vtpote illius profanatores. Ergo à fortiori eiecisset, si ibi peierantes,murmurantes, luxuriantes offendisset. Ergo secluſa omni lege positiua omnes hæ actiones sacrilegia sunt, & ita tenet relatus Sylvest. *verbo confessio.* 1. *quæst.* 10. Corduba *in sum. q.* 190. Med *Cod. de confes. quæst. de circumstantijs loci sacri*, Suar. *2. 1. de relig. cap.* 7. *à num.* 6. Subdit tamen hanc malitiam sacrilegij conuenire omnibus peccatis externis commissis in loco sacro, non internis; quia interna peccata non videntur inferre iniuriam loco sacro, vtpote intensibilia. Additque non omnia peccata externa, etsi mortalia sint, mortalia esse in ratione sacrilegij, sed illa tantum quæ specialem deformitatem cum illo loco habent. Quæ autem hæc sint prudentis arbitrio reliquit; dicitque esse optimum signum ad discernendum esse graue sacrilegium, quando graue scandalum generatur. Secus è contra.

7 Nihilominus secluso iure positiuo credo probabilius nullum peccatum in Ecclesia commissum habere specialem malitiam sacrilegij, nisi solùm illud peccatum, quo locus sacer contemnitur,& profanatur. Ita Caiet. 2. 2 *q.* 99 *ad* 5. *dub.* Soto *lib.* 2. *de iust. quæst* 4. *art.* 4. Nauarr. *sum. cap.* 6. *num.* 11 *& in cap. consideret. de pœn. 1. dist.* 5. *in princ. num.* 9. *& seq* Sanch. *lib.* 9. *de matr. disp.* 5. *num.* 4. *&* 5. Basil. de Leon. *lib.* 10. *cap* 10. *num.* 9. Vasq. 1. 2. *disp.* 98. *num.* 4. *& seq* Ioann. Gutierr. *lib.* 1 *can. quæst. cap.* 31. *num.* 35. Valen. 2. 2. *disp. gener. quæst.* 15. *p.* 1. §. *præterea Incl.* Azor. *t.* 3. *lib.* 3. *cap.* 31. *quæst.* 3. & alij. Moueor primò; Quia secluso iure positiuo in tantum peccata in Ecclesia commissa possent esse sacrilegia, quatenus eius consecrationi & benedictioni opponuntur. Sed nullum peccatum ex iure naturæ secluſa lege positiua opponitur consecrationi, aut benedictioni; si quidem nullum est, quod consecrationem aut benedictionem tollat secluſa lege positiua id statuente. Ergo nullum est peccatum sacrilegij. Dices opponi fini consecrationis, tametsi consecrationem non tollat; cùm enim Ecclesia consecrata sit ad Deum laudandum, & honorandum, si ibi dem illum inhonoras, te opponis fini per consecrationem intento. Sed contra, quia inde non infertur esse speciale sacrilegium. Tum quia laudare Deum in Ecclesia non est speciale præceptum. Et dato esse speciale præceptum, non est speciale præceptum laudandi Deum toto die. Item non videtur speciale præceptum ex consecratione loci, illum non offendendi. Sicut etiam si dies festi instituti sint ad Deum laudandum. & honorandum, non est speciale præceptum contra festorum obseruationem si Deum aliquo peccato offendas. Aliàs omnia peccata die festo commissa specialem haberent malitiam sacrilegi, quia opponuntur fini intento in obseruatione festorum, quod est contra communem sententiam. Ergo peccata commissa in Ecclesia, esto sint contra finem per consecrationem intentum,sacrilegia non erunt. Ad rationem enim sacrilegij debebant esse specialiter ob reuerentiam illius loci sacri prohibita. Secundò, & præcipuè, quia si secluſa lege positiua, seminis, & sanguinis effusio sacrilegium constituunt, ob indecentiam quam in locum sacrum continere videntur, etiam tactus impudici, murmuratio, testimonium falsum, alapæ inflictio, & cætera omnia peccata sacrilegia debent esse. At in communiori; & ferè omnium sententia hoc generaliter non admittitur. Ergo non est admittendum sacrilegium in illis peccatis polluentibus Ecclesiam, secluſa lege positiua. Quod si concedas omnia illa peccata sacrilegia esse, at non esse in ratione sacrilegij mortalia; quia non videnter grauem iniuriam loci sacri continere; difficillimum est determinare quæ grauem irreuerentiam contineant, quæ non. Cùm ergo materia præcepti debet liquida esse, & clara, efficitur sanè sola illa peccata sacrilegia esse, quæ specialem contemptum loci sacri important, quæque speciali præcepto positiuo ob reuerentiam loci sacri prohibita sunt. Neque obinde fit quælibet peccata facta in loco sacro non habere aliquam maiorem grauitatem. Habent equidem; sed intra eandem speciem, vt dixit Caiet. *statim referendus*, sicuti peccata commissa die festo graviora sunt commissis die feriato, non tamen mutant speciem necessariò confirendam, sic Caiet. 1. 2. *q* 7. *&* 2. 2. *quæst* 99. *ad* 1. *dub.* Sotus *lib* 2. *quæst* 4. *art.* 4. §. *sed ait.* Victor. *in sum. quæst.* 196. Angles *in floribus. quæst.* 9. *in difficultate, An locus sacer in quolibet peccato speciem mutet* Nauarr. *in sum. cap.* 6. *num.* 11. *& in cap. consideret, de pœnitent. dist.* 5. *in princ. num.* 19. *& seqq.* Tab. Vasq. 1. 2. *disp.* 98. *à num.* 4. *& seqq.* Ioann. Gutierr. *lib* 1. *canon. quæst cap* 31. *num.* 35. Basil. *de* Leon. *lib.* 10. *de matr. cap.* 10. *num.* 9. Sanch. *lib* 9. *disp.* 15. *num.* 4. *&* 5. Valen. 2. 2. *disp.* 6. *generali, quæst.* 15. *p.* 1. *vers. præterea ad eandem speciem.* Fagundez 2. *p. de præcept. Eccles. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 10.

8 Neque obstant argumenta pro priore sententia posita. Ad primum respondet Basil. de Leon. *num* 10. actum coniugalem sine necessitate, & exonerare ventrem gratia leuandæ naturæ, non esse sacrilegium, quamuis fiat in loco sacro, præsumi tamen esse, sicuti præsumeretur hæreticus, qui in imaginem spueret, quamuis reuera possit esse sine hæresi. Sed mihi videtur affirmandum vtramque actionem sacrilegium esse; quia locum sacrum vili pendis; si quidem eum, ac si esset vile cubiculum, & bestiarum stabulum, pertractas: si enim pedibus imaginem conculcares, nemini esse potest dubium te graue sacrilegium committere; quia irreuerenter, & turpiter sancta pertractas, sic de loco sacro dicendum videtur. Neque inde fit ad alia peccata murmurationis, blasphemiæ, testimonij falsi, esse doctrinam extendendam: quia hæc non videntur locum sacrum irreuerenter pertractare. Non enim assumitur locus sacer, vt medium ad illas exercendas, sicuti assumitur in actionibus turpibus, & inhonestis. Et idem videtur dicendum de conuiuantibus in templo, & mercaturam exercentibus ex proposito, esse quidem actiones locum sacrum contemnentes, vel saltem sic præsumi: eaque de causa à templo expelliuntur.

Punctvm II.

An furtum in loco sacro sit contra reuerentiam illi debitam, & quæ pœna furantibus sit imposita.

1 *Tripliciter furtum Contingit.*
2 *Aliter ius ciuile, aliter ius canonicum de furantibus in loco sacro loquuntur, sed iuri canonico standum est.*
3 *Probabilius est sacrilegium esse, si non sacrum de sacro furripiatur, tametsi ibi depositum non sit.*
4 *Nullus sacrilegus fur excommunicationem contrahit, nisi simul Ecclesiam effringat.*
5 *Si cùm furto sacrilego mixta sit effractio Ecclesiæ, excommunicatio incurritur.*
6 *Pœna ferenda arbitrio iudicis relinquitur, quod arbitrium vsque ad pœnam mortis extendi potest.*

1 TRipliciter furtum contingere potest. Primò, si sacrum de loco sacro furetis. Secundò, si sacrum de non sacro. Tertiò, si non sacrum de sacro. In præsenti non est sermo quando sacrum de loco non sacro furaris, quia huiusmodi furtum non est contra reuerentiam debitam loco sacro. Solùm de primo, & tertio, agendum est.

2 Quia in re aliter ius ciuile, quàm canonicum procedit. Nam ius ciuile solùm admittit sacrilegij actionem, quando sacrum de loco sacro furaris *leg. Diui. Verus. ff. ad leg. Iul. peculatus* vbi inquit Imperator. Res Priuatorum si in ædem sacram depositæ furreptæ fuerint, furti actionem, non sacrilegij esse; & tradunt fere omnes Doctores, vt videre est in Iulio Claro *in pract. 4. sacrilegium, num.* 1. Decian. *tract. crim. lib.* 6. *cap* 15. *n* 6. Cardin. Tuschus *pract. verbo sacrilegium, concl.* 6. *num.* 2. Farinac. *de furtis, quæst.* 172. *num.* 5. Dixi ius ciuile non admittere sacrilegij actionem, sed furti, quia ius ciuile non determinat, an sit peccatum sacrilegij; quia ad ipsum non spectat peccatorũ species definire; solùm enim definit, an vt sacrilegus, vel vt fur tantum puniendus sit: sic notauit Suar. *t* 1. *de relig. c.* 5. *n.* 2.

Ius verò canonicum (cui in hac parte standum est) sacrilegium affirmat esse, non solùm si sacrum de loco sacro furetis, sed etiam si non sacrum de sacro. Habetur *c. p quisquis* 17. *q.* 4. ibi sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro, Menoch. *de arbitrar lib.* 2. *casu* 389 *à num* 10 Cardin Tuschus, Decian. & Farinac. *supra, & alij innumeri ab ipsis relati.*

3 Limitant autem aliqui Doctores Theologi hanc doctrinam, vt intelligatur de non sacro in loco sacro deposito, aut Ecclesiæ in custodiam tradito. Secus verò si accidentaliter ibi existit. Sic Victoria *in sum quæst.* 196. Fagund *de præcept Eccles. 2. p. lib. 4. cap 4. num. 9 circa finem* Probabile reputat Eman. Suar. *verbo sacrilegium.* Azor. 1. *p. lib.* 9. *cap* 27 *quæst.* 6. Lessius *de iustit. lib* 2. *cap.* 45 *dub.* 3. *num* 14. Et quidem quando non sacrum loco sacro custodiendum committitur res est certa. Tum ob *supradictum textum quisquis*, qui saltem in hac significatione verificari debet. Tum quia ea quæ Ecclesiæ custodienda traduntur, Ecclesiæ sunt, & aliquo modo sacræ; ipsaque Ecclesia, vel potius Deus, qui ibidem præst, in sui tutelam suscipit. Fit ergo irreuerentia Ecclesiæ, & Deo, si ab eius potestate sibi commissum eripias. Quod si non Ecclesiæ sit traditum, sed casu ibi existat, non videtur specialis irreuerentia loco sacro fieri, potius quàm in aliis peccatis. Cæterùm, probabilius censeo cùm nuper dictis, reliquisque Doctoribus, sacrilegium committi furripiendo quamcunque rem, siue in custodiam traditam Ecclesiæ, siue non. Quia textus *in c. quisquis* absolutè determinat sacrilegium esse, si non sacrum de sacro furetis, neque limitat ad non sacrum depositum, & in custodiam traditum. Ergo neque nos limitare debemus; cum hæc limitatio non augeat honorem loci sacri, sed potius diminuat. Item ipse textus expressè videtur loqui de re in Ecclesia existente, etiamsi ibi deposita non sit. Inquit enim. Si qui deposita, vel alia quælibet exinde abstrahunt velut sacrilegi canonicæ sententiæ subiaceant.

4 Pœna

4 Pœna autem furantium in loco sacro duplex esse potest, alia ipso iure lata, alia ferenda. Si de pœna ipso iure lata loquamur; aliqui existimant, quoscumque fures sacrilegos ipso iure excommunicatos esse. Adducitur *c. canon. 12. quæst. 3.* ibi Ecclesiarum Dei violatores authoritate Dei, & iudicio S. Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & consortio totius Christianitatis eliminamus. Item adducitur *c. omnes Ecclesiæ 17. q. 4.* Ibi omnes Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizatos pellimus, & damnamus. Deindè allegatur *cap. quisquis 17. quæst. 4.* vbi communione priuatur, qui Ecclesiam Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit. In his ergo videtur fures sacrilegos excommunicationi subiectos esse. Cæterùm, probabilius est nullum sacrilegum furem ipso iure excommunicatum esse, nisi simul Ecclesiam effringat. Priorem partem, scilicet furem simplicem sacrilegum excommunicatum non esse, docet Suar. *t. 5. de censur. disp. 22. sect. 2. num. 6.* Azor. *1. p. lib. 9. cap. 27. quæst. 13.* Bonac. *disp. 3. de primo decal. præcepto, quæst. 6. p. vnica, num. 13.* Probat textus *in cap. vlt. de furtis*, vbi qui furatus fuit calicem Ecclesiæ, si non est infamia publica notatus, admittitur ad ordines peracta pœnitentia, absque vlla absolutione: & *in cap. conquæstus de foro competenti*, dicitur anathemathi subiiciendos esse inuasores rerum Ecclesiæ, donec satisfecerint. Non est igitur excommunicatio ipso iure lata aduersus eos. Neque supradicti textus contrarij aliquid probant. Nam *cap. canon.* solùm modum præscribit excommunicandi, non de facto excommunicat, vt placet Hugo, & Card. ibi. Quod si de facto excommunicationem ferat, cum non sit ille textus alicuius concilij generalis, non videtur pro tota Ecclesia obligare posse, neque pro lege taliter est receptiss. *cap. verò omnes Ecclesiæ* non fert excommunicationem; sed approbat excommunicationem, si fiat, vel potius declarat quid cum excommunicatis faciendum est nempe pellendos, & excludendos esse ab Ecclesia. Denique *cap. quisquis* non infert excommunicationem, sed communionis Eucharistiæ priuationem, siquidem paulo inferius, si contumax existas, mandatur à communione fidelium priuari.

5 Verùm si cum furto sacrilego mixta sit effractio Ecclesiæ, communis sententia affirmat excommunicationem incurri, ex *cap. conquæsti de sententia excommunicat.* vbi aduersus quosdam, qui Ecclesias confregerunt, easque spoliare non dubitarunt, dicitur, *Mandamus, quatenus si est ita, memoratos sacrilegos excommunicatos nuncietis, & faciatis sic excommunicatos arctius euitari, donec passis iniuria congruè satisfaciant, & damna pro eis data resarciant, & cum literis vestris rei veritatem continentibus, Apostolico se conspectui representent.* Et licet in huiusmodi textu non videatur ferri excommunicatio, sed iam lata & incursa mandati, vt publicetur, vt constat ex illis verbis, *mandamus, quatenus si est ita, memoratos sacrilegos excommunicatos nuncietis.* Quæ verba non ad ipsos delinquentes, sed ad iudices diriguntur. Nihilominus, quia non potest quis excommunicatus nunciari, quin prius excommunicatus sit, fit sanè ex illo textu colligi, ipsos taliter delinquentes excommunicatos esse, siue illa excommunicatio ex illo textu, siue ex alio antecedenti habeatur. Probabiliùs tamen credo ex illo textu haberi, quia ille textus, non solum mandat denunciari excommunicatos sic delinquentes, sed implicitè, & virtute eos excommunicat, facit enim hunc sensum. Mandamus, quatenus si ita est, memoratos sacrilegos, quos ex nunc excommunicamus, excommunicatos nuncietis; sic Suar. *t. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. à num. 6.* Azor. *1. p. lib. 9. cap. 27. quæst. 12.* Bonac. *disp. 3. de primo decal. præcep. quæst. 6. p. vnica, num. 12.* Sayrus *lib. 3. cap. 29. num. 14.* Graffis *1. p. lib. 2. cap. 28. num. 12.* & alij ab eisdem relati. Aduerto tamen ad hanc excommunicationem incurrendam duplicem actionem requiri, quarum vna deficiente, vel in suo genere leui existente cessat excommunicatio. Requiritur ergo fractio Ecclesiæ, & illius spoliatio; quia vtraque actio in *cap. conquæsti* apponitur. Vnde si illam Ecclesiam ab aliis perforatam spolies, vel illam spolies absque violento ingressu, nullam censuram incurris: sic Doctores supra relati. Secundò, aduerto hanc excommunicationem non esse reseruatam, quousque denunciata non sit; quia post denunciationem dicitur, debere se Pontifici præsentare; sic Suar. & Bonac. *supra*, & Tolet. *cap. 35. num. 8.* Lessius *lib. 2. cap. 45. dub. 4. num. 21. & 22.*

6 Quod si de pœna ferenda sermo sit, communis sententia Doctorum est esse arbitrariam pro conditione furti, & qualitate personarum ex *leg. 4. §. mandatis autem, ff. Ad leg. Iul. Peculatus*, & *ibi* glossa, & pluribus exornat Anton. *hom. cap. 5. de furtis num. 11.* Clarus. *pract. §. sacrilegium, num. 4. in princ.* Decian. *tract. crimin. lib. 6. c. 33.* Rub. *de pœnis sacrilegij, à num. 5.* Menoch. *lib. 2. de arbitrar. casu 389. à num. 2.* Diaz. *pract. cap. 87. num. 7.* Farinac. *7. p. de furtis, quæst. 172. à num. 11.* Hoc tamen arbitrium potest iudex extendere vsque ad pœnam mortis, vt manifestè constat ex *leg. sacrilegij pœnam, ff. Ad leg. Iul. peculatiff.* ibi sacrilegij pœnam debebit proconsul pro qualitate personæ, próque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel seueriùs, vel clementiùs statuere, & scio multos ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam viuos exussisse, alios verò in furca suspendisse. Decian. Farinac. Clarus, & Menoch. *supra*. Et certè sacrilegium, vbi res sacra de loco surripitur, regulariter pœna mortis puniendum est, nisi leuitas furti, & ætas minor delinquentis obligent pœnam minuere, vt benè comprobat *Menoch. à num. 4. & Farinac. num. 25.*

PVNCTVM III.

An actiones forenses sæcularium iudiciorum obstent reuerentiæ debitæ locis sacris?

1 *Certum est obstare.*
2 *Non licet iudicibus sæcularibus extra necessitatem summariam informationem facere in Ecclesia, etiam illorum, qui ad illam confugiunt.*
3 *Processus, & sententia iudicis Ecclesiastici non prohibetur ibi fieri.*

1 COnstat obstare, esse grauem culpam locis sacris vti ad illarum exercitum ex *cap. decet, de immunit. Ecclesiar. in 6.* vbi Gregor. X. inquit. *Omnis in Ecclesiis sæcularium iudiciorum strepitus conquiescat, nulla intibi causa per laicos maximè criminalis agitetur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena.* Quæ verba textus cum eodem tenore prolata sint, ac alia plura in eodem capite vetita: quæ si fiant, non videntur grauem culpam sacrilegij continere. At cùm statim subiungat textus. *Processus iudicum sæcularium*, ac specialiter prolatas sententias in eisdem locis omni robore firmitatis carere debere, efficitur sanè culpam sacrilegij committi grauem, si ibi tales actus exerceas, & ita tenet Suar. *t. 1. de relig. lib. 3. cap. 4. à num. 12.*

2 Ex quo infertur non licere iudicibus sæcularibus summariam informationem facere in Ecclesia, ciusve cæmeterio. An illuc confugientes gaudeant immunitate, quia illuc iudiciaria informatio, tametsi non sit actus perfectus, quia non fit cum citatione partis: est tamen inchoatus, & eiusdem rationis, ac proinde sub eadem prohibitione contineri debet. Sic Nauarr. *de orat. hor. quæst. canon. cap. 5. num. 40.* Quod tamen intelligendum est secluso necessitate, illa enim posita, sicut licitè fit actus iudicialis in Ecclesia, ita etiam fit valdè.

3 Dixi prohibitum esse omnem strepitum iudiciorum sæcularium, vt tacitè insinuarem non prohiberi processus, & sententias à iudicibus Ecclesiasticis, quia hæ præsumuntur pietatem concernere. Tum quia hic est fauor factus Ecclesiæ ministris, & ita tenet glossa communiter recepta *in cap. decet, verbo sæcularium, & cap. 1. cap. cum in Ecclesiis de immunit. Ecclesiar. cap. reling. de custodia Eucharistiæ*, & tradit Nauarr. *cap. 25. de orat. & hor. canon. num. 36. & 44.* Ex his infertur quid dicendum sit de aliis actionibus, quæ esto similitudinem habeant cum placito, strepitúque iudiciali, iudiciales actus non sunt. Dicendum ergo est, non esse prohibitas ex vi huius decreti; quia non est extendenda lex vltra verborum proprietatem. Quapropter non est prohibitum exercitum voluntariæ iurisdictionis sæcularis, vt dispensatio electio, præsentatio, & similia, Suar. *t. 1. de relig. lib. 3. de reuer. debita locis sacris, cap. 4. num. 13.* cum Panormit. & Sylueſt. Idem est de collatione gradus doctoratus, & similium, etiamsi authoritate regia concedatur; quia non est actus iurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, & ad pietatem conducens, Nauarr. *cap. 5 de orat n. 37.* Suar. *num. 15.* Per accidens fieri potest illicita, si cum strepitu, & tumultu chorearum, & ludorum diuina perturbantium conferatur, Suar. & Nauarr. *supra.*

PVNCTVM IV.

An concilia, confabulationes, contractus politici, & similia prohibeantur fieri in loco sacro?

1 *Non esse horum rigorosam prohibitionem, nisi scandalum adsit, & notabilior diuina impediantur, plures Doctores censent.*
2 *Probabilius est esse præceptum Ecclesiasticum de illorum vitatione.*
3 *Explicantur prohibita in cap. decet, de immunit. Ecclesiar. in 6.*

1 TOta difficultas est in explicatione textus *in c. decet, de immunit. Eccles. in 6.* vbi omnes hæ actiones prohibentur. Dubium tamen est; an vera, & rigorosa sit prohibitio? Plures Doctores existimant non esse, atque ita illorum transgressionem mortalem non esse, nisi ex contemptu, vel cum notabili impedimento diuinorum officiorum fiat: sic Nauarr. *de orat. & hor. canon. cap. 5. num. 42.* Angel. *verbo immunitas, num. 5.* Tabiena *eodem*, & Sylueſt. *quæst. 2. num. 5.* Monentur, qui in *supradicto cap. decet*, nullum est verbum præceptiuum respectu

respectu subitorum, sed solùm quid conueniens sit ibidem fieri, declaratur. *Cessent*, inquit, *confabulationes, cessent turpia, cessent negotiationes, cessent parlamenta*, qui modus dicendi non videtur præceptum continere. Quod si statim *in §. ordinarij* subiungitur, *vt ordinarij suadenda suadeant, & interdicta compescant*, quæ videntur iam supponi ibidem aliqua interdicta, siquidem mandatur ordinariis, vt ad eorum obseruationem compescant. Respondeti potest interdicta esse, non præcepto, sed directione, sicuti in religiosibus contingit plura esse religiosis interdicta ex regula, non ex præcepto. Deinde, & efficacius, si omnia illa, quæ in supradicto cap. interdicuntur, ex lege obligante essent interdicta, sequeretur obligatum esse confiteri circunstantiam loci sacri eum, qui verba turpia, fœda, & alia similia ibi haberet. consequens autem non admittitur communiter: solùm enim ea quæ polluunt Ecclesiam in materia luxuriæ, habent circunstantiam sacrilegij necessariò confitendam, vt dictum est *p.* 2. Ergo.

2 Nihilominus probabilius censeo quæ ibi interdicuntur, esse sub præcepto interdicta. Quia textus præcipit ordinariis, vt subditos compescant authoritate illius Canonis ad illa vitanda: si autem ille Canon vim coactiuam non haberet, non possent ordinarij authoritate illius subditos per censuras compescere. Quæ ratio apud me est satis efficax, & ita tenet cum glossa *in supradicto cap.* Suar. *t. 1. de relig. lib. 3. cap. 6. num. 3.* Neque obstat contrarium fundamentum. Nam licet non sint verba præceptiua in actu signato, sunt tamen in actu exercito; siquidem verbo imperatiuo prohibentur. Ad confirmationem dicimus non omnia quæ illo cap. prohibentur sub graui peccato prohiberi; sed aliqua sub veniali, quia materia leuiter lædit sanctitatem loci sacri. Quæ autem hæc sint iam explico.

3 Primò enim prohibentur ibi seditio, conclamatio, & impetus. Inquit enim textus. *Nullus in locis eisdem, in quibus cum pace, ac quiete vota conuenit celebrare, seditionem excitet, conclamationem moueat, impetúmve committat.* Hæc ergo; si de propria seditione, & ei adiunctis intelligatur, non est dubium esse mortale; quia si seditio facta extra Ecclesiam hanc continet grauitatem, posita in Ecclesia, hanc, & sacrilegij grauitatem habebit. Tum quia supradicto textu est prohibita. Tum quia graue scandalum generat, grauitérque officia diuina perturbat, & ita docet Suar. *lib. 3. cap. 6. num. 4.* Verùm si nomine *conclamationis, & impetus* strepitus, choreas, & repræsentationes intelligas, cum Nauarr. *cap. 5. de orat. à num. 25.* Videndum, est an sint inhonestæ, scandalosæ, vel diuina officia grauiter perturbantes, quia tunc peccatum mortale erit ob has circunstantias, vt probat etiam textus *in cap. cum decor. de vita, & honestate clericorum.* Secus verò, si honestæ, & piæ sint; quia tunc non prohibentur, vt ex supradicto *cap. cum decor.* constat. & tradit glossa, & Panormit. *ibi.* Nauarr. & Suar *supra.* Secundò prohibentur vniuersitatum & societatum quarumlibet concilia, conciones, & publica parlamenta. Subintelligendum est de rebus politicis, & profanis: nam concilia de his, quæ ad pacem, & pietatem spectant, non intelliguntur ibidem prohibita; sic Ioann. Andr. & Panormit. *ibidem.* & tradit Nauarr. *dicto cap. 5. num. 32. & 37. in fine.* Suar. *cap. 4 num. 16. & cap. 6. num. 5.* Quod si concilia sint purè politica, & propter aliquam commoditatem ibi celebrentur, peccata mortalia non erunt, secluso scandalo, contemptu, violentia, & graui perturbatione diuinorum officiorum, Suar. *dicto cap. 6. numero quinto.*

Tertiò, prohibentur vana, & multò fortius fœda, & profana colloquia, & confabulationes quælibet; hæc, inquam, ob huiusmodi prohibitionem sacrilegium continent, si in se peccata mortalia sint; quia ob reuerentiam loci sacri specialiter prohibentur. Confabulationes honestæ, si extra tempus diuinorum officiorum habeantur, non credo ibidem prohiberi; aliàs dicendum esset peccare venialiter eos qui extra tempus diuinorum officiorum in Ecclesiis de rebus honestis colloquuntur, quod nimis durum esset. Quapropter Suar. *dicto c. 6. num. 6.* affirmat ibi prohiberi solùm colloquia ociosa, vel ahàs mala, addo, & quæ diuinorum celebrationem perturbent.

Quartò, prohibentur negotiationes, & præcipuè nundinarum, quibus verbis satis constat prohibitos esse quoslibet contractus emptionis, & venditionis vsum politicum respicientes. Non tamen credo semper grauem culpam ibi interuenire, sed quando adest negotiatio, hoc est expositio ad pluries contrahendum, vociferatione, contractatione, & tumultu; quia hæc turbat officia diuina, & fraudibus est exposita, & Ecclesiam Dei multùm profanat: quod satis constat ex exemplo Christi vendentes in templo grauiter reprehendentis. Ex his infertur quid dicendum sit de vendentibus candelas, & alia pietati fidelium inseruientia? Credo si in templo vendantur permanenter, & quasi apposita mensa non excusari à peccato, & tradit Nauarr. *cap. 5. de orat. num. 36.* esto contra teneat Antonin. Caiet. Sylvest. & alij relati ab eodem Nauarr *ibi*: quorum opinionem ipse approbat, si à clericis vel religiosis vendantur eo fine præcipuè, vt emptores satisfaciant suæ piæ deuotioni, quæ non videtur firma excusationis ratio; efficacior erat, si quasi per transitum ibi vendantur. At si in cæmeterio, vel ad portam templi, sine strepitu verborum, & contentione pretij, horum venditio celebretur, credo licere: tum ob consuetudinem; tum quia cessat ratio prohibitionis, quæ est diuinorum perturbatio, & loci sacri profanatio, Nauarr. *supra*, Suar. *3. t. de Euchar. disp. 81. sect. 8. vers. secundo*, Fagund. *2. p. de præcept. lib. 4. cap. 4. num. 10.* An verò horum vendirio graue sit peccatum ex perturbatione diuinorum officiorum, & ex modo vendendi detumendum est. Existimo namque quoties Ecclesia per se, & ex instituto ad venditionem eligitur, graue peccatum esse, quia indecentissimum est domum Dei fieri domum negotationis; & ex scandalo si adsit, desumendum est, vt diximus.

Quintò, prohibetur fori cuiuscunque tumultus: Sub quibus verbis aliqui existimant comprehendi quamlibet agitationem causarum iudicialium, sed immerito; quia id in sequentibus verbis prohibetur, cum dicitur: *Omnis in eis*, scilicet Ecclesiis, & cæmeteriis, *sæcularium iudiciorum strepitus conquiescat.* Quapropter illa verba explicant, & extendunt antecedentia: prohibuerat enim omnem negotiationem, præcipuè nundinarum, & subdit *ac fori cuiuscunque tumultum*, quasi diceret, cessent tumultus, qui in foro contrahendo interuenire solet. Quare omnis contractus emptionis, & venditionis illis verbis prohibetur, Nauarr. *cap 5. de orat. num. 46.*

Sed dubium est, an contractus, si ab Ecclesiasticis celebrentur, sint prohibiti. Videntur quidem esse. Tum quia prohibetur fori cuiuscunque tumultus. Ergo tam tumultus ab Ecclesiastico, quam à sæculari factus. Tum quia Ecclesiastici arctius obligantur, quàm sæculares templis exhibere reuerentiam. Hæ rationes meo iudicio conuincunt debere Ecclesiasticos in his locis cessare à contractibus profanis. At si contractus de rebus Ecclesiasticis sint, credo non obligari ab iis abstinere, nisi quatenus diuinis officiis esse possunt impedimenta. Si enim prolatio sententiæ Ecclesiasticæ in *supradicto cap.* non prohibetur, neque contactus Ecclesiastici prohiberi debent. Nauarr. *cap. 5. de orat num. 37.* Vnum tamen est omninò certum, contractus in Ecclesiis celebratos siue ab Ecclesiasticis, siue à laicis validos esse; quia in *supradicto cap. decet*, solùm processus, & sententia sæcularium iudicium irritantur, contractus verò nulla fit irritatio, tametsi prohibeantur: ita tenet glossa communiter recepta *in dicto cap. decet, verbo processus*, Panormit. *num. 6. & 7.* Sylvest. *Verbo immunitas 1. num. 3. & 4.* Nauarr. *cap. 5. de orat. num. 37.* Suar. *t. 1. lib 3. cap. 4. num. 18.* Sexto in *cap. relinqui de custodia Eucharistiæ.* Ob reuerentiam locis sacris debitam prohibetur, ne in Ecclesiis admittantur suppellectilia, tam clericorum, quàm sæcularium custodienda, nisi propter hostiles incursus, seu incendia repentina, seu alias necessitates vrgentes, ad eas oporteat habere refugium. Circa quam prohibitionem aduertit benè Suar. *cap. 6. in princ.* de sola Ecclesia rigorosè sumptè intelligi debere, non de sacristia, aut aliis locis annexis. Secundò, aduertat regulariter non esse hæc peccata mortalia, nisi excessus tantus fuerit, vt notabiliter impediatur Ecclesia, vel fœdetur, aut contemni videatur, quod satis colligitur ex principio textus, vbi inquit Innocent III. *Relinqui nolumus incorrectum, quòd quidam clerici Ecclesias sic exponant supellectilibus propriis, & etiam alienis, vt potius domus laicæ, quam Dei hasitæ videantur.*

Punctum V.

An contra reuerentiam debitam loco sacro sit illuc confugientes vi extrahere?

1 *Iure canonico, & ciuili grauissima irreuerentia fit his locis, si illuc confugientes, ne securè existant, vi aut fraude extrahas.*
2 *Iure naturali, aut diuino non est firmata hæc immunitas.*
3 *Latè hæc immunitas locis sacris concessa explicanda est.*
4 *Interpretatio facienda est iuxta ius canonicum.*
5 *Consuetudine tolli, vel diminui potest hæc immunitas.*
6 *Debet tamen esse legitimè præscripta post concilium, & constitutionem Greg.*

1 Regula est iure canonico, & ciuili stabilita, & ab omnibus recepta, grauissimam irreuerentiam fieri locis sacris, si illuc confugientes, vt securi existant, vi, aut fraude extrahas. Ex iure canonico textus est expressus in *cap. inter alia, de immunit. Ecclesiæ*: ibi, si liber, quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus. Idem probatur ex *cap. frater, cap. minor, cap. veum, cap. desiniuit, cap. id constituimus, & aliis* 17. *q.* 4. & nouissimè à Trident confirmata est *cap. 20. sess. 25.* & à Gregor. XIV. *in sua constitutione*, quæ incipit, *cum alias nonnulli prædecessores nostri; edita* 28. *Maij anno* 1591. quanquam ad verbum refert Bonac. *disp. 3. de primo decal. præcepto, q 7. in princ.* vbi tota hæc materia immunitatis latissimè expenditur, & licet Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib. 3. q. 1. num. 36.* fortiter contenderit supradictam constitutionem non habere vim nisi in illis locis, & prouinciis, in quibus aliqua priuilegia immunitatem Ecclesiasticam

siasticam derogantia concessa erant, vt videtur colligi ex principio constitutionis, nullo modo est audiendus. Tum quia est contra communem sententiam Doctorum post dictam constitutionem scribentium, qui omnes generaliter illam explicant, & in omni loco obligare affirmant. Tum quia eius sententia obstat manifestis verbis supradictæ constitutionis. Inquit enim Pontifex, *se velle, quando præsens temporum calamitas, & nimia peruersorum hominum malitia exposcet aliquid permittere circa immunitatem Ecclesiarum, vltra id quod à sacris canonibus est præscriptum*; & ita notauit Farinac. *in append. de immunit. Ecclesiast. cap. 2. num. 8.* Ex iure ciuili constat ex *toto tract. Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*, specialiter *leg. 2.* ibi sancimus nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere. Ratio huius concessionis est. Tum vt fideles maiorem respectum in locos sacros concipiant, maioríque cum reuerentia ibi assistant. Neque inde fit, vt aliqui hæretici contendunt, Ecclesiam hoc priuilegio fieri speluncam latronum. Tum quia ibi delinquentes non defendit. Tum quia sua defensione non fouet delicta, sed misericordiam delinquentibus concedit. Tum ob alias rationes, quas eruditè congerit Decian. *tract. crimin. lib. 6. n. 2. præcipuè num. 7. & Cons. 80. num. 12. & 13. lib. 3.* Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil lib. 3. q. 5. num. 9* Anast. Germ. *de sacrorum immunit. lib. 3. cap. 16. num. 15. & seqq.*

2 Dixi hanc reuerentiam & immunitatem iure canonico, & ciuili stabilitam esse, vt tacitè insinuarem iure naturali, aut diuino non esse firmatam, sic Couarr. *lib. 2. var. resolut. cap. 20. num 1.* Decian. *tract. crimin. lib. 6. cap. 25. num. 2.* Suar. *t. 1. de relig. lib. 3. cap. 8. num. 9.* Alexand. Ambrosinus *de immunit. cap. 1. num. 3.* Bonac. *disp. 3. de primo decal. præcepto quæst. 7. §. 1. n 2.* Ludouic. Peguer. *in pract. crim. cap. 26. num. 1.* Bouad. Polina. *lib. 2. cap. 14. à num. 3.* Prior pars, scilicet iure naturali hanc immunitatem non haberi, constat. Tum quia ius naturale dicit delinquentem puniendum esse, & non tamen dictat ad templum confugientem inde extrahendum non esse. Nam si hoc dictaret, in omnibus delictis æquè procederet, neque posset Ecclesia vnum delinquentem defendere, alio non defenso. Tum quia actio extrahendi delinquentes ab Ecclesia, ita vt punitioni debitæ subiiciantur ex se iusta est, cum ad iustum finem ordinetur, & necessaria, cùm absque illa punitio debita obtineri non possit. Ergo ex se non credit in contemptum loci sacri. Ergo secluso iure positiuo ex iure naturali, debita non est hæc immunitas delinquentium. Secunda pars etiam constat. Tum quia in lege gratiæ nullum habetur præceptum positiuum præter ea, quæ ad sacramentorum administrationem, & receptionem pertinent. Tum quia hæc immunitas pro varietate temporum varias recipit mutationes; quos enim delinquentes vno tempore Ecclesia defendit, alio tempore puniendos tradit. Ergo signum est iure diuino stabilitam non esse. Neque obstat templo veteris legis hanc immunitatem esse à Deo concessam. Nam (præterquam quod hoc sub lite est) priuilegium illi templo concessum ad nostra templa non extenditur; cum illo enim templo finitum fuit. Neque etiam obstat dici in Trident. *sess. 25. cap. 20.* Ecclesiæ; & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus esse constitutam: quia verbum illud Dei ordinatione non indicat legem à solo Deo manatam, sed indicat Dei instinctu, & voluntate factam esse.

3 Sed inquires primò: An hæc immunitas latè interpretanda sit: Couar. *lib. 2. cap. 20. num. 4. vers. secundum, in fine.* Decian. *tract. crimin. lib. 6 c. 25. num. 14. & c. 28. num. 6. in fine, & c. 29. n. 1.* existimant strictè interpretandam esse. Tum quia derogat iuscommune, imò & naturale quo cauetur delicta non debere manere impunita. Tum quia hac immunitate freti, audaciores redduntur improbi ad crimina committenda. Tum quia Ecclesia non sceleratis fauere intendit, sed miseris, & casu delinquentibus misericordiam concedere. Nihilominus retinenda est communis sententia affirmans hanc immunitatem delinquentibus concessam latè esse explicandam. Tum quia est causa pia, & fauorabilis Ecclesiæ. Tum quia est priuilegium per modum legis in iure communi insertum, quod latam recipit interpretationem. Tum quia nemini in particulari præiudicat: sic Alexand. Ambrosi. *de immunit. Eccles. cap. 10. num. 7. vers. ac etiam*, Marc. Anton. Henuens *pract. Archiepiscop. cap. 22. num. 2. in fine*, Marian. Italia. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 2. § vnico, num. 1.* Farinac. *in append. immunit. cap. 2. num. 21.* Decian. sibi contrarius *Cons. 10. num. 19. & 22. lib 3.*

4 Inquires secundò: An interpretatio facienda sit iuxta ius ciuile, vel canonicum, quando non reperiuntur hæc iura concordantia? Non desunt Doctores, qui affirment extra loca Ecclesiæ in terris imperij ius ciuile attendendum esse: sic Addition. ad Angel. *de maleficiis verbo quod forma publica. num. 59. lit. B* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 32. num. 5.* & alij relati à Deciano, *cons. 80. num. 3. lib. 3.* Moueri possunt quia in pluribus decretis Pontificiis, præcipuè *cap. inter alia de immunit. Ecclesiæ, & cap. id constituimus 17. quæst. 4.* leges ciuiles de immunitate Ecclesiæ loquentes approbantur. Ergo saltem approbandæ sunt pro terris imperij, & pro iudicibus sæcularibus authoritatem iudicandi ab alio, quàm à Pontifice recipientibus. Dicendum tamen est vbilibet ius canonicum seruandum esse; Tum quia hæc est materia Ecclesiastica, in qua ius ciuile nullam iurisdictionem habet, nisi ad fouendam dispositionem iuris canonici. Tum quia Ecclesiæ semper sunt exemptæ à iurisdictione Principis sæcularis, & Pontificiis legibus subiectæ. Tum quia iudex Ecclesiasticus compellere potest sæculares iudices, vt leges canonicas suum forum respicientes seruent. *cap. 2. de foro competent. in 6. & cap. decernimus de sentent. excommunicat. eodem lib. & in element. 1. de pœnit. remiss.* & ita tradit Decina. *tract. crimin. l 6. c. 25. num. 6.* Alexand. *cons 145. num. 2. & num. 20. l. 7.* Ludouic. Peguer. *pract. crim cap. 26. num. 6.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 2. num. 28. & num. 31. & de carceribus, & carceratis, quæst. 28. & 6.* Aduertit bene cum Deciano nuper relato, si dubium aliquod suboriatur super interpretatione iuris canonici, illam interpretationem sequendam esse, quæ cum iure ciuili conueniat, & meritò, quia iura iuribus conuenire decent, iuriúmque correctio quoad fieri possit vitanda. Hæc tamen declaratio, & interpretatio à iudice Ecclesiastico, non sæculari facienda est, quia materia est Ecclesiastica, Farinac. *supra.*

5 Inquires tertiò: An hæc immunitas loci sacri consuetudine tolli, vel diminui possit. Constat ex dictis de consuetudine diminui, tollique posse, si consuetudo legitimè præscripta sit, habeátque omnes qualitates requisitas *in cap. fin. de Consuetud. quæque tract. de legib.* latè explicamus. Quia à iure positiuo, & non diuino, nec naturali introducta est. Sed an de facto diminuta sit? Plures Doctores affirmant. Abbas *in cap. inter alia, de immunit. Eccles. num. 13. ante finem. vers. & ista puto verissima.* Oldradus *cons. 54. num. 2.* Couar. *lib. 2. var. cap. 20. per totum, præcipuè num. 5.* Et probant, quia pluribus locis consuetudine receptum est simplices fures immunitate Ecclesiastica non gaudere, neque securos existere, si ad Ecclesiam, vel eius cæmeterium non confugiant, etiamsi intra 30. passus existant.

6 Dicendum ergo est omnes consuetudines ante concilium Tridentinum, & constitutionem Gregorij statutas aduersus immunitatem Ecclesiasticam, sublatas omninò esse per concilium. *dicta sess. 25. cap. 20. & supradictam constitutionem* Gregor. vt ex ipso textu constat, & tradit Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiast. 1. p. cap. 13. num. 27. & 28.* Alexand. Ambrosin. *de immunit. Ecclesiæ, cap. 1. num. 11. & 12.* Marian. Italia. *in tract. de immunit. lib. 1. cap. 6 in prine. pluribus firmat*, Farinac. *in appendice de immunit. cap. 2. num. 5. & de carcer. & carceratis, quæst. 28. num. 74.* Quapropter videndum est, an post dictam constitutionem Gregor. & Trident. aliqua consuetudo legitimè stabilita sit, aliàs ius commune non derogabit. Item non est præsumenda consuetudo, cum sit quid facti, nisi legitimè probetur: neque credendum est Doctoribus de consuetudine testantibus extra locum vbi versari sunt. Farinac. *dicto cap. 2 n. 18. & pluribus relatis, quæst. 28. num. 18.*

Punctum VI.

Quibus locis sacris hæc reuerentia immunitatis debeatur.

1 *Ecclesiis authoritate Episcopi erectis debetur.*
2 *Non est necesse in eis sanctissimum Eucharistiæ sacramentum permanenter esse.*
3 *Neque item est necesse diuina celebrari.*
4 *Extenditur hæc immunitas ad Ecclesias nondum perfectè constructas.*
5 *Item extenditur ad Ecclesiam interdictam.*
6 *Item ad Ecclesiam pollutam.*
7 *Ad Ecclesiam dirutam, seu destructam extenditur, modò non sit diruta authoritate Episcopi, aut sine spe reædificationis.*
8 *Extenditur quoad totam fabricam Ecclesiæ.*
9 *Confugiens ad portas Ecclesiæ clausæ immunitate gaudet.*
10 *Extenditur ad Claustrum, porticum, ambitum, dormitorium.*
11 *Non solùm ad Ecclesiam, sed etiam ad illius confines extenditur immunitas.*
12 *Qua ratione hi confines intelligendi sunt.*
13 *Limitanda est hæc doctrina, vt procedat in Ecclesiis, quæ sunt extra muros, non intra.*
14 *Item vt procedat de eo, qui iam ad Ecclesiam confugit.*
15 *Hoc priuilegium 30. passus de iure communi intelligendum est. Secus de consuetudine.*
16 *Extenditur immunitas ad cæmeterium Ecclesiæ.*
17 *Item ad hospitale authoritate Episcopi erectum.*
18 *Item ad domus, seu conuentus religiosorum, secundùm totum illud quod septum est.*
19 *Item ad oratorium extenditur, si authoritate Episcopi erectum sit.*
20 *Domus Episcopi hac gaudet immunitate, modò non distet ab Ecclesia 40. passus.*

21 Si

21 *Si capellam habet, tametsi distet 40. passus, hac gaudet immunitate.*

22 *Si caret capella probabile est non gaudere hac immunitate, si distet 40. passus. Probabilius est oppositum spectato iuris rigore, secus consuetudine.*

23 *Domus illustrissimorum Cardinalium non videntur hac immunitate gaudere.*

24 *Tabernaculo Eucharistia, seu sacerdoti illam portanti debeaturne hæc immunitas? Aliquibus placet. Non est priuilegium iure fundatum; spectanda consuetudo.*

25 *Status principum non est hæc immunitas sacra concessa.*

1 COnstat Ecclesiis authoritate Episcopi erectis hanc reuerentiam deberi, etiamsi consecratæ non sint ex expressa decisione textus in *cap. Ecclesia, de immunit. Ecclesiarum.* ibi, Ecclesiæ, in qua diuina mysteria celebrantur, licèt adhuc non extiterint consecratæ, nullo iure priuilegium immunitatis adimitur, quia obsequiis diuinis dedicata, nullis sunt temerariis ausibus profananda Sic ferè omnes Doctores, quos in re clara referre omitto.

2 Duplicem tamen conditionem aliqui requirunt. Prima, vt in ea sanctissima Eucharistia seruetur, sic Couar. *lib. 2. var. c. 20. n. 4.* Anastas Germon. *de sacrorum immunit. lib 2. cap. 16. n. 16.* Tuschus *pract. conclus. verbo Ecclesia, conclus. 9 num. 19.* vbi relato Claro testatur sic ex consuetudine in pluribus locis seruari. Ratio esse potest; quia propter hoc sactatissimum mysterium est hæc immunitas instituta. Verùm hæc conditio necessaria non est; Tum quia in *suprad. cap. Ecclesia*, & in aliis textibus de immunitate loquentibus non expostulatur. Tum quia ratio concedendi hanc immunitatem non est continua Christi sacramentalis præsentia, sed quòd talis locus destinatus sit authoritate Episcopi ad diuina ibidem celebranda, & ita tenet Farin. *q. 28. n. 34. & in append. de immun. cap. 17. n. 254.*

3 Secunda conditionem expostulant, vt in ea diuina celebrentur, sic glossa *verbo celebrantur, & ibi* Zabarella Buttius *num. 2. & 3.* Innocent. *in cap. inter alia de immunit. Eccl. verbo ad Ecclesiam*, & ibi Hostiens. Decian. *tract. crim. lib. 6. c. 14. n. 24.* Alexand. Ambros. *de immunit. Eccl. c. 10. n. 2. vers. quod præcipuè.* Mouentur ex *dicto c. Ecclesia*, ibi enim dicitur, non adimi immunitatis priuilegium Ecclesiæ, in qua diuina mysteria celebrantur. Ergo à contrario sensu adimi debet hoc priuilegium Ecclesiæ, in qua diuina non celebrantur. Quousque hæc diuina celebrantur, non videtur Ecclesia, quæ neque consecrata, nec benedicta est, diuinis obsequiis dicata esse. Cæterùm, neque hæc conditio necessaria est, sed eo ipso, quo Ecclesia authoritate Episcopi primam lapidem ibidem ponentis constructa fuerit, gaudet hac immunitate, sic Ioann. Azor. *institut. moral. p. 2. lib. 9 à num. 2. & seqq.* Anast. Germon. *de sacrorum immunit. lib. 3. cap. 16. num. 23. & seqq. pluribus firmat.* Farinac. *q. 28. n. 34. & in append. de immunit. cap. 17. num. 258.* Bonac. *disp. 3. de primo decal. præcepto, q. 7. §. 2. n. 2.* Suar. *lib. 3. cap. 9. n. 2.* Ratio est. Tum quia hic est locus religiosus diuinis obsequiis dicatus. Quod verò in ea diuina non celebrentur, per accidens est, sufficit quod celebrari possint. Tum quia ex hac aptitudine Ecclesia nominatur, vel saltem locus religiosus dicitur. Tum quia *in c. ad hæc de Religiosis domibus.* Hospitale authoritate Episcopi ad sacrum vsum destinatum, ita est locus sacer, & religiosus, vt non possit profanis vsibus deseruire. Ergo etiam Ecclesia sic dicata. Tum denique, quia si talis Ecclesia polluta fuerit sanguinis, vel seminis effusione reconciliatione indiget, vt probat *textus in cap. si Ecclesia, de Consecrat. Ecclesia.* Ergo erat locus sacer. Ergo gaudet immunitate.

4 Hæc doctrina extenditur primò ad Ecclesiam non perfectè constructam; quia ab eo puncto, quo authoritate Episcopi cœpit construi, dicitur locus diuinis obsequiis dicatus, & immunitate gaudet, sic Abb. *in c. Ecclesiæ, de immunit. Eccles. num. 5.* Anchar. *num. 1.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 17. num. 264.* Quod limitat Marian. Itali. *de immunit. Eccles. lib. 1. c. 4 §. 3. num. 15. & seqq.* vt procedat cum continuo, & perseuerante constructur. Secus si æd ficium sistat; quia tunc (inquit) potius est locus desertus, quàm domus orationis. Inefficax ratio, cùm ob cessationem ab officio deputatio non adimatur.

5 Secundò extenditur ad Ecclesiam interdictam. Non enim ob interdictum immunitate priuatur; quia hæc immunitas concessa est ob reuerentiam loci sacri. Esse autem sacram non perdit Ecclesia, ob interdictum Item interdictum non habet tunc effectum, sic pluribus firmat Decian. *tract. crim. lib. 6. c. 25. n. 20.* Farinac. *q. 28. num. 35. & in append. de immunit. cap. 17. n. 259.* Suar. *l. 3. de reuerentia debita locis sacris, c. 9. n. 6.* Tusch. *pract. conclus. verbo Ecclesia, concl. 9. n. 9.* Ioann. Azor. *2. p. instit. mor. lib. 9. cap. 8. q. 4.* & alij.

6 Tertiò extenditur ad Ecclesiam pollutam, quia ratione pollutionis non tollitur loci sanctitas. Neque in iure habetur, quod Ecclesia polluta hoc debeat priuilegio priuari: & ita tenet expressè Suar. *suprà*, & Bonac. *disp. 3. de primo decal. precept. q. 7. §. 1. n. 3.*

7 Quartò extenditur ad Ecclesiam dirutam, & destructam; quia saltem ratione loci, in quo ædificata erat, non desinit esse sacra. *leg. a de sacra, ff. de contrahenda empt. leg. in tantum, §. sacra in fine. ff. de rerum diuis.* Quod intelligendum est, dummodo authoritate Superioris destructa non sit; aut destructa sit, cum spe reædificationis. Nam si destructa est authoritate Superioris, vel sine spe reædificationis, locus sacer desinit esse, & sit profanus, ac proinde immunitate non gaudet, sic Clarus *ex communi opinione pract. § fin. q. 30. vers. maius est dubium*, Decian. *tract. crim lib. 6. cap. 24. num. 27. & cap. 25. num. 22.* Card. Tusch. *pract. concl. verbo Ecclesia, concl. 9. n. 10.* Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit § 2. n. 4.* Marian. Itali. *de immunit. lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 13.* Ambrosin. *de immunit. c. 10. n. 3.* Sanch. *plures referens lib. 9. disp. 15. n. 37. fine.*

8 Quintò extenditur ad Ecclesiam, non solum quoad ambitum internum, sed etiam quoad totam eius fabricam, ita vt capellæ, parietes, turris hac gaudeant immunitate; quia hæc omnia in lata significatione Ecclesiæ esse dicuntur. Neque obstat sanguinis, aut seminis effusione ibidem facta Ecclesiam non contaminari; quia ad effectum pollutionis, cùm sit pœnalis, & odiosus, solùm internus ambitus Ecclesiæ spectandus est; secus pro priuilegio immunitatis, quod est fauorabile, & ita mihi probat *textus in leg. pateant. Cod de his qui ad Ecclesiam confugiunt* ibi, quidquid fuerit interiacens siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus confugas interioris templi vice tueantur. Idem constat ex *cap. frater. cap si quis contumax, c. illud constituimus, c. si quis in atrio 17. q. 4.* Et tradunt ferè omnes Doctores, vt videre est apud Suar. *tit. 1. de relig. lib. 3. cap. 9 à num. 6. & sub num. 9.* Card. Tuschum *pract. verbo Ecclesia, concl. 9. n. 3. & 17. concl. 20. per totam, & verbo immunitas, concl. 59. n. 5.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 17. num. 168.* Ambrosin. *de immunit. cap. 10. num. 6* Bonacin. *disp. 3. de primo decal. præcepto, q 7. de immunit. § 2. n. 5.*

9 Ex quo fit confugientem ad portas Ecclesiæ, etiamsi clausæ sint securum esse; quia saltem ipsi Ecclesiæ adhærent, & probant textus nuper relati, & tradit Suar. *num. 8.* Bonac. *n. 5.* Farin. *de carcer. q. 28. num. 24. & in append. cap. 17. num. 279.* Decian. *conf. 6. cap. 25. num. 17.* Nauarr. *sum. cap. 25. num. 17. ad finem.* Fit secundò, existentem suprà tectum Ecclesiæ hac gaudere immunitate. Tum quia verè in Ecclesia, etsi ab Ecclesia non circumdetur, sicuti sanctorum corpora in cœlo dicentur existere, etiamsi solùm pedibus cœli superficiem calcent. Tum quia verum est Ecclesiæ adhærere, & in Ecclesiæ situ existere. Quia Ecclesia, seu quælibet domus tum ex solo, tum ex tecto, eiusque superficie constat. *leg. eum qui in princ.* & ibi glossa, *ff. de vsucapionib.* sic tradit expressè Suar. *tract. 1. de relig. lib. 3. de reuerentia debita locis sacris, cap. 9. n. 8.* Marian. Itali. *de immunit. Ecclesiæ, lib. 1. c. 4. §. num. 24. & seqq.* Prosper Farinac. *q. 28. num. 14. & in append. de immunit. cap. 17. num. 272.* Tertiò fit confugientem ad scalas Ecclesiæ hac gaudere immunitate ob easdem rationes: quia pertinent ad Ecclesiam, & Ecclesiæ adhærent. Ergo religiosæ reputantur. Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 10. num. 5.* Angel. *de malef. verbo quod fama publica, num. 59. vers. quarto quaro.* Farinac. *append. n. 280. & q. 28. n. 14.*

10 Sextò extenditur immunitas ad atrium Ecclesiæ, claustrum, porticum, ambitum, dormitorium; quia hæc omnia vel sunt de fabrica, Ecclesiæ, vel sunt Ecclesiæ, annexa, & probat *textus in c. si qui in atrio, c. frater, cap. si quis contumax*, & alij 17. *quæst. 4. & leg. pateant. Cod. de his qui ad Ecclesiam.* & tradit Suar. *c. 9. n. 7. & 9.* Tusch. *verbo Ecclesia, concl. 9. & concl. 20.* Nau. *sum. cap. 26. n. 17.* Farinac. *de carcer q 28. num. 14. & in append. de immunit. c. 17. n. 268.*

11 Septimò extenditur immunitas, non solùm ad Ecclesiam, sed etiam ad illius confines, ex textu *in c. si quis antiquitas 17. q. 4.* ibi, qui autem confinia earum confringere tentauerint, & ex *c. definiuit eadem causa & quæst. & ex leg. præsenti, §. ex his. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*; sic aliis relatis Farin. *q. 28. n. 14. & seqq. & in append. de immunit. c. 18. n. 283.* Suar. *tract. 1. lib. 3. cap. 9. n. 8.* Quod si roges, quæ nomine confinium intelligantur? Respondeo pro Ecclesia Cathedrali, seu maiori 40. passus per circuitum eius, pro minori Ecclesia 30. habetur, *cap. sicut antiquitas 17. quæst. 4.* ibi, statuimus vt maior Ecclesia per circuitum 40. passus habeat, capella verò, vel minores Ecclesiæ 30. Idem exprimitur, *cap. definiuit eadem causa, & quæst.* ibi 30. passus vniuscuiusque Ecclesiæ in toto circuitu reuerentia defendatur. Nauarr. *cap. 25. n. 18.* Tusch. *verbo Ecclesia, concl. 9. & 19. & verbo immunitas, concl 59.* Prosper Farin. *quæst. 28. n. 14. & in append. de immunit. c. 18. n. 284.* Anast. Germ. *de sacr. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 38.* Suar. *lib. 3. cap. 9. num. 8.* Huiusmodi passus ab hostio Ecclesiæ, seu muro eius enumerari debent. Quod satis indicat verbum per *circuitum.* Ambrosin. *de immunit. Ecclesiæ cap. 10. numer 4.* Farinac. *append. cap. 18. n. 285. & num 286.* aliis relatis, probat quemlibet passum quinque pedes continere, & quemlibet pedem quindecim digitos.

12 Notandum dixi hos passus competere Ecclesiis per circuitum earum, vt tacitè excluderem circuitum, non

ipsius Ecclesiæ, sed alterius particularis, vel viæ publicæ; si enim domus alicuius priuati ibidem existeret, qua circuitus Ecclesiæ, eiusque territorium discontinuaretur, nullo modo priuilegio immunitatis ibidem existens gauderet; quia talis domus, & via publica dici non potest Ecclesiæ circuitus, cùm Ecclesiæ non sit, sic Albertus *leg.2. versf. ego credo, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, Marian Itali. *de immunit. lib.1.cap.4. §.2.per totum.& §.6.per totum.*Farinac.*in append. de immunit. cap.*18.*num.*291.& probat textus *in cap.definiuit. 17. q.4.* ibi in hoc triginta passuum numero absque domorum extraneatum receptaculo progrediendi aditum obtinebunt. Ex quo sit non solùm domus laicorum, sed etiam particularium clericorum existentes intra 30. passus Ecclesiæ hac immunitate non gaudere, sed necessariò requiri; vt domus illius Ecclesiæ sint; aliàs dici non possunt in circuitu Ecclesiæ esse, & sic intelligendum est.Decian. *cons.80. num.*28. *lib.3.* Tuschus *verbo immunitas, concl.59.num.*22. Marian.Itali. *de immunit. lib.1.cap.4. §.6. in discursu.* Alexand. Ambrosin. *de immunit. & libert.cap.*10.*n* 8. Neque obstat textus *in c. quisquis inuentus 17. q* 4. vbi dicitur committere sacrilegium qui infregerit Ecclesiam, vel 30. Ecclesiasticos passus,qui in circuitu Ecclesiæ fuerint, vel domus, quæ intra prædictos passus fuerint, vbi glossa dicit, domus clericorum:nam aliæ non debent ibi esse *cap.Nulla.*12. *q* 1. Non inquam, obstat; quia inde non conuincitur domus particularium clericorum intra illum ambitum existentes gaudere priuilegio immunitatis; sed solum conuincitur sacrilegium esse domus illas ditipere, vel auferre. Inquit enim textus. Sacrilegium committitur.*Si quis in regerit Ecclesiam,vel* 30. *Ecclesiasticos passus,qui in circuitu Ecclesiæ fuerint, vel domus,quæ intra prædictos passus fuerint, aliquid diripiendo,vel auferendo.* Nihil ergo circa immunitatem de domibus particularium definitur, Quod si obiicias e contrario Ecclesiæ.& territorium illius,etiamsi 40. passus excedat, gaudere hac immunitate,vt pluribus comprobat Tuschus *verbo Ecclesiæ, conc.9.sub n.*3 *&* 4.Decian. *tract.crimen l.6.cap.*25.*n.*7. Farin. *append.de immunit.cap* 18.*n.*287.Respondeo probabilius mihi videri limitandum esse circuitum, & ambitum ad 30. vel 40. passus,nisi sit cæmeterium;quia tunc,vt dicemus,alia est ratio limitandi.

13 Limitanda tamen est hæc doctrina,vt procedat in Ecclesiis, quæ sunt extra murorum ambitum, non in Ecclesiis intra muros populi contentis ex textu in *c. quisquis* 17. *q.*4. ibi capellæ, quæ sunt inter ambitum murorum, castellorum non ponuntur in hac 30. passuum obseruatione, & tradit glossa *in cap. antiquitus, verbo passus* 17. *q.*4. Decian, *tract. crim. lib.6.cap.*25. *num* 6. Anastas.Germ.*de immunit.Ecclesiæ.lib.*3. *c.*16.*num* 40. Farinac. *de carceribus,q* 28. *n.*12. *& in append. de immunit.c.*18 *num.*290. Tuschus *tract. conclus. verbo Ecclesiæ, concl* 9. *num* 5. *&* 6. Alexand. Ambrosin. *de immunit. c.*10 *n.*4 Bonacin.*disp.*3 *q.*7. *de immunit.*§.2.*n.*5.

14 Secundò limittenda est, vt procedat in eo, qui iam ad Ecclesiam confugit,ex illáque progreditur per 30.vel 40.passus. Secus verò de eo, quem Ecclesia non recepit. Sic probat textus *in cap definiuit.*17. *q* 4. vt constat ex verbo *progredi*, ibi. Qui Ecclesias petunt per omnia, licitum eis est in 30. passus ab Ecclesiæ ianuis progredi, & infra. Separatis ab Ecclesia domibus nullo modo abscedant. Deinde requiritur, vt huiusmodi progressus ad requisitum naturæ vsum sit, vt constat ex illis verbis. *Qualiter ad requisitum naturæ vsum debitis exeant locis, & nullo teneantur euentu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint clausiris.* De hac tamen limitatione dubitat Farinac. *append. de immunit. cap.* 18. *num.*293. Eo quod ad requisitum naturæ vsum, v.g. ad exonerandum corpus permissum est extra Ecclesiam, & Ecclesiæ immunitatem exire ibi existentem modò statim redeat, & non sit alius locus ad id opportunus intra terminos immunitatis. Ex communi sententia tradit Decian. *tract. crim. lib.6, cap.*27. *num.*6. *in fin.* Mantua. *cons.6. post num.*17. Marian. Itali. *de immunit. Eccles lib.*1. *cap.*4. §.7.*num.*12.*cap.*6. §.1 *num.*26. Ego verò existimo supradictam limitationem retinendam esse, neque illi contrariari hanc canonistarum doctrinam. Num textus permittens in Ecclesia reclusum exire inde ad necessarium naturæ vsum intra 30. passus,non tollit quominus vltra possit exire,casu quo intra 30. passus non sit locus opportunus,& finita necessitate statim redeat.

15 Tertiò limitandum est hoc priuilegium immunitatis per circuitum 30. & 40 passuum, vt procedat de iure communi, & antiquo,secus de consuetudine, quam in contrarium esse plures nou contemnendi Doctores affirmant. Suar. *lib.*3. *de reuerentia debita locis sacris,cap.*9 *num.*8.Couar *lib.*2.*var.resolut. c.*20. *n.*5 Nauarr *sum.c.*25.*n.*18.*versf. Admonemus.*Farinac. *de carcerib.quæst.*28.*n.*12.

16 Octauò extenditur immunitas ad cæmeterium Ecclesiæ ex textu expresso in *c fin. de immunit. Ecclesiar.* in illis verbis, vel earum cœmeteriis, & ibi tradunt omnes. Solùm est dubium, an hoc intelligendum sit de cæmeterio Ecclesiæ contiguo, an etiam de separato? Plures relati per Decian. *lib.6. cap.*24.*num.*28.*&* 30. existimant intelligi de contiguo. De separato autem non, nisi constet consecratum esse. Cæterùm æstimandum est de quolibet cæmeterium esse intelligendum quia eo ipso quo sepulturæ fidelium destinatum est, præsumitur benedictum esse, & authoritate Episcopali sacratum. Bertach. *in repert. verbo cæmeterium, num.*2. Nauarr. *manu.c.*25. *verbo cæmeterium.* Marian. Itali. *de immunit.Eccles. lib.*1.*c.*4. §.6. *num.*28.29. *& seq.* Anast. Germ. *de Sacrorum immunit. lib.*3, *num.*31. *& seqq.* Farinac. *in append. de immunit. cap.*17. *num.*264.

17 Nonò extenditur ad hospitale authoritate Episcopi erectum, & cum altari ad celebrandum, quia est locus sacer, & religiosus, colligitur ex *cap. ad hæc. de religiosis domibus.c. definiuit.*17. *q.*4. Omnia enim priuilegia Ecclesiis concessa iis hospitalibus conceduntur, vt probat *lex omnia, Cod. de Sacrosanct.Eccles.* ex communi sententia tradit Couar. *lib.*2. *var. resolut.cap.*20. *num.*4. Decian. *lib.*6. *cap.*25. *n.*18. Suar. *lib.*3.*cap.*9.*num* 9. Farinac. *q.*28.*num.*36. *&* 37.*& in append. immunit. numer.*265. *&* 266. Sanch. *lib* 9. *disput.*15. *num.* 39.

18 Decimò extenditur ad domos, seu conuentus religiosorum secundum totum illud, quod septum est; ac proinde comprehenduntur clausirum, dormitorium, hortus, & similia: hæc enim omnia ad effectum immunitatis loca sacra, & religiosa reputantur; quia Ecclesiæ adhærent, esto non reputentur sacra ad effectum pollutionis, & violationis: sic habetur expresse in *leg patean; Cod.de his,qui ad Ecclesiam cõfugiunt*, ibi *quidquid fuerit interiacens,siue in cellulis,siue in domibus, hortulis, balneis,atque porticibus, confugus interioris templi vice tueantur:*Colligitur ex *cap. si quis contumax, cap. frater, c.minor.*17.*q.*4.& pluribus firmat Farinac *append.de immunit. n.*268. Sanch. *lib.*9.*disp.*15.*n.*42.

19 Vndecimò extenditur ad oratorium, si authoritate Episcopi erectum fuerit. Secus si priuata authoritate: sic docet Couar. pluribus relatis, *lib.*2.*var.c.*20 *n.*4.Thom.Sanch *lib.*9. *de matr.disp.*15.*num.*39. Suar. *t.*1.*de relig. c.*9 *n.*10 Decian. *tract.crimin.lib.*6.*c.*25 *n.*19. Farinac. *in append de immunit. c.* 17. *n.*267. Probo, quæ priuata authoritate eriguntur, priuata authoritate ad vsus profanos conuerti possunt, etiamsi de licentia Episcopi in eis celebretur. Ergo non sunt loca sacra. Hæc enim semel dicata,ad vsus profanos redire non possunt *c. ad hæc,De religiosis domibus.*Item in priuata oratoria non habet Episcopus ius visitandi, exigendique procurationem *c.fin. De censibus.*Ergo non sunt loca sacra:hæc enim iurisdictioni Episcopi subduntur *c.*1.§.*deinde liceat, De censibus, in* 6. E contra verò si authoritate Episcopi erecta sint, eo ipso cultui diuino sunt perpetuò deputata, neque ad vsus profanos redire possunt, ipséque Episcopus ius habet visitandi, procurationémque exigendi. Ergo sunt loca sacra, & religiosa. Quod si inquiras, quando dubium est, an authoritate Episcopi erectum sit oratorium, quid est præsumendum? Respondeo in dubio præsumi authoritate Episcopi erectum, si ibidem diuina celebrentur omnibus indifferenter ad ea audienda admissis: sic Mascard. *de probat. concl.*860.*num.*1. *&* 2. Sanch. *lib.*9. *de matr.disp.*15.*num*39. *fine*, vbi idem dicit. si decennio ibi publicè celebretur, & consentit Menoch. *de præsumpt. lib.*3. *præsumpt.*232.*num.*51.Si tamen oratorium habet cymbalum super tectum, & publicè pulsatur, præsumendum omnino est authoritate Episcopi esse erectum, quia priuatis oratoriis hæc publica cymbali pulsatio non conceditur: *cap. patentibus, de Priuileg.* Mascard. & Sanch. *supra.* Decian. *lib.*6. *cap.*25. *num.*16. Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num.* 72. *& in append. de immunit. cap.*18. *num.*267.

20 Duodecimò extenditur immunitatis priuilegium ad domum, seu palatium Episcopi; ex expresso textu in *cap. id constituimus* 17. *q.*4. vbi ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat, sic omnes Doctores. Quod verum habet, etiamsi Episcopus absens, vel mortuus sit; modò non sit alteri locata domus, docet Marian. Itali. *de immunit. Ecclesiast lib.*1.*cap.*4.§.9. *num* 4. Farinac *in append de immunit. Ecclesiæ, cap.*17. *num.*270. Hanc verò doctrinam limitant plures, vt intelligatur de domo existente intra 40. passus per circuitum Ecclesiæ [illegible]is: sic Decian. *tract. crimin. lib.6. cap.*25. *num.*14. Bon[illegible]*disp.*3.*quæst.*7. *de immunit.*§.2. *num.* 8. Mouentur. Primò, quia domus Episcopi non debet ab Ecclesia distare,sed illi esse contigua, *cap.Episcop.de consecrat. dist.*3. *& cap. Episcopus vilem.* 41. *dist.* Si ergo distet non debet immunitate gaudere. Secundò, quia consuetudine, & vsu forensi sic est receptum,vt testatur Couar. 2.*var.cap.*20.*num.*5. Decian. *supra.* Tertiò, quia hæc immunitas conceditur ob locum sacrum, qui est Ecclesia,domus verò Episcopi vltra 40.passus existens, neque est Ecclesia, neque illius confinis. Ergo.

21 In hac re dicendum est ferè ex omnium sententia, si domus Episcopi capellam seu oratorium habeat, vt regulariter habet, gaudere immunitate, etiamsi vltra 40 passus Ecclesia existat: videtur enim iam ratione capellæ fieri, & religiosus locus esse: sic pluribus firmant Anast. Germ. *de sacrorum immunit. lib.*3. *cap.* 16. *sub. num.* 46. Farinac. *append. de immunit. cap.* 17. *num.* 273. Alexand. Ambrosin. *de immunit.*

&

& libert. Ecclesiæ, cap. 10. *num.* 7. & consentiunt Decian. & Bonacin. *suprà.*

22 At si capella caret, etsi prima sententia probabilis sit, probabilior mihi videtur in puncto iuris priuilegio immunitatis gaudere, etiamsi vltra 40. passus existat. Tum quia expressè, & sine vlla limitatione in *suprad. cap. id constituimus*, conceditur domui Episcopali hoc priuilegium. Ergo limitandum non est, cùm fauorabile sit, & pium. Tum quia si intra 40. passus deberet domus Episcopalis existere, vt hoc priuilegio gauderet, nulla ei specialis prærogatiua conceditur, quæ non concedatur cuilibet alteri domui Ecclesiæ; vel canonicorum ibidem existenti: cùm iis omnibus in satis probabili sententia hoc priuilegium concessum sit. Tum quia priuilegium non conceditur; quia ipsa domus Episcopi canonicè deputata sit diuinis officiis: nulla enim talis est, neque quia Ecclesiæ adhæret tanquam aliquid illius, vt cæmeterium, sacristia, atrium, &c. Aliàs cæteris domibus hæc esset prærogatiua concedenda; sed conceditur in reuerentiam, & decorem dignitatis Episcopalis, quæ est suprema dignitas in Ecclesia. Ob hanc ergo rationem meritò debetur illi hæc prærogatiua. Denique domui habenti capellam, seu oratorium omnes conueniunt hanc prærogatiuam debitam esse, sed ob capellam, aut oratorium priuatum: quale communiter Episcopi habent, non debetur, sicuti neque ipsi priuato oratorio. Ergo dicendum est debitam esse ob Episcopalem dignitatem: sic ex communi sententia Nauarr. *Man. cap.* 25. *nnm.* 18. Anast. Germ. *de sacrorum immunit. libro tertio cap.* 16. *num.* 45. Tuschus *pract. verbo Ecclesia, concl.* 9. *num.* 11. *& concl.* 10. *num.* 8. Suarez *t.* 1. *de relig. cap.* 9. *n.* 9. Plures alios referens Farinac. *de carcer. q.* 28. *num.* 38. *& in append. de immunit. cap.* 17. *n.* 272. Dixi in puncto iuris vetius esse, hoc priuilegium immunitatis palatio Episcopi vltra 40. passus ab Ecclesia existenti deberi, vt locum darem consuetudini, si legitimè præscripta est; quia cùm iuri aduersa non sit, breuiori tempore] introduci potest; sic Suar. *dicto cap.* 9. *num.* 9. *fine*, & ita hanc esse consuetudinem receptam testatur Couar. *dicto cap.* 20. *num.* 5. Decian. & Bonac. in priori sententia relati. Ex his constat aduersantium argumentorum solutio; licet enim domus Episcopi vltra 40. passus existat contra debitum ius, non obinde immunitate priuari debet, si à consuetudine non priuetur.

23 Decimo tertiò extendunt aliqui hoc priuilegium immunitatis ad domus illustrissimorum Cardinalium, non solùm in vrbe existentium, sed extra. Quod priuilegium cùm non sit in iure fundatum, debet ex priuilegio, vel ex consuetudine haberi, quæ consuetudo introduci potuit ob similitudinem, quam habent cum Episcopalibus domibus: si enim iis hæc prærogatiua conceditur, & Cardinalibus Ecclesiæ Principibus concedenda videtur: & ita docuit Nauarr. *sum. cap.* 25. *num.* 18. *in fine*, Decian. *tract crim lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 15. *in fine*, Clarus *pract. §. fin. quæst.* 30. *vers.* item adde Tusch. *verbo Ecclesia, concl.* 9. *n.* 12. Marian. Ital. *de immunit. Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.* 4. §. 9. *n.* 22. Cæterùm, hæc consuetudo (si fortè aliquando viguit) constitutionibus Greg. XIII. & Sixti V. sublata est, vt testatur Farin. *de carcerib. q.* 28. *n.* 48. *& in append. de immun. c* 17. *n.* 274.

24 Decimo quartò extenditur communiter à Doctoribus hoc priuilegium ad tabernaculum Eucharistiæ, si actu illam habeat, vel ad sacerdotem Eucharistiam portantem, ad quem si reus confugiat, affirmant Doctores tutum esse, non minus quàm si ad Ecclesiam confugisset. Quia cùm tota hæc immunitas Ecclesiæ ob reuerentiam Eucharistiæ sanctissimæ ibidem existentis introducta sit, sequitur ipsum Eucharistiæ potiùs deberi, ac proinde illam amplexantem immunitate gaudere, sic innumeros referens Farin. *de carcerib. q.* 28. *n.* 11. *& in append. de immunit cap.* 17. *num.* 275. Petr. Gregor. *sintag. iuris, lib.* 33. *cap.* 21. *n.* 14. Tuschus *pract. verbo Ecclesia, concl.* 10. *num* 33. Anast. Germ. *de sacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 51. At vt benè aduertit Suar. *t.* 1. *de relig. lib.* 3. *cap.* 9. *sub n.* 10. Bonac. *disp.* 3. *de primo decal. præcepto q.* 7. §. 2. *n.* 11. *cum glossa in cap. quæsitum* 13. *q.* 2. Couar. 2. *var. cap.* 20. *n.* 6. Hoc priuilegium non habetur in iure, ac proinde solùm ex consuetudine introduci potuit, & meritò; quia hæc consuetudo pietatem fouet, & deuotionem, & reuerentiam in hoc sanctissimum, & diuinissimum Sacramentum excitat. Quare consuetudo expectanda est, & iuxta illam casus decidendus.

25 Decimoquintò extenditur ab aliquibus hoc priuilegium ad statuas Principis, quæ tanquam Ecclesiæ securos reddunt delinquentes illuc confugientes ex *leg. vnica, Cod. de his qui ad statuas confugiant, & ex leg.* 1. *Cod. de his qui ad Ecclesias confugiunt, leg. capitalium* §. *ad statuas, ff de Pœnis & alibi*: & tradit Petr. Gregor. *sintag. iuris, lib.* 33. *cap.* 21. *n.* 11. *&* 12. & Hostiens. Anchar. Ioann. Andr. *c. Ecclesia, de immunit. Eccles.* & alij plures *relati* à Decian. & Farinac. *locis referendis*. Verum hæc immunitas tametsi vigeat, sacra non est, neque inter immunitates Ecclesiæ enumeranda. Tum quia non est à Pontifice introducta. Tum quia non est in reuerentiam diuini cultus, sed in honorem humani Principis. Adde consuetudine hanc immunitatem politicam sublatam esse; eo quòd plures illa abuterentur, testatur Decian. *tract. crim. lib.* 6. *c.* 2. *n.* 5. Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num.* 49. *& in append. de immunit. cap.* 17. *n.* 278.

PVNCTVM VII.

Quæ personæ gaudeant hoc immunitatis priuilegio.

1 *Omnibus Christianis baptizatis hoc priuilegium concessum est.*

2 *Interdictus ab ingressu Ecclesiæ hac immunitate gaudet, tametsi aliqui contra sentiant.*

3 *Excommunicatus ab hoc priuilegio non excluditur.*

4 *Hæreticus in aliis criminibus ab hæresi, gaudet hac immunitate secundum probabiliorem sententiam.*

5 *Infideles communiter Doctores negant hac immunitate gaudere.*

6 *Contrarium alij affirmant.*

7 *Distinctione conciliantur sententiæ.*

8 *Quando reputabitur infidelis confugiens ad Ecclesiam velle conuerti, vel conuersionem simulare.*

9 *Banniti, & condemnati in criminibus exceptis, non gaudent immunitate. Secus si ex solis iudiciis, seu in contumaciam condemnati sint.*

10 *Captus, & in carcerem reclusus si ad Ecclesiam fracto carcere confugiat, gaudet immunitate.*

11 *At fortiori gaudet, si captus à ministris ex eorum se manibus liberet.*

12 *Item si ad supplicium pergens ad Ecclesiam confugit.*

13 *Si fide data custodi redeundi ad carcerem, ad Ecclesiam confugias, gaudes immunitate, tametsi alij contra sentiant.*

14 *Clerici comparatione iudicum sæcularium gaudent immunitate.*

15 *Comparatione iudicum Ecclesiasticorum non gaudent in criminibus exceptis: in aliis verò plures Doctores censent non gaudere.*

16 *Alij è contra affirmant.*

17 *Vtraque sententia probabilis, sed negans est probabilior attenta consuetudine.*

18 *Satisfit rationibus n.* 16. *adductis.*

19 *Seruus confugiens ad Ecclesiam qua immunitate gaudeat comparatione domini.*

1 OMnibus Christianis baptizatis cuiuscunque conditionis existant (exceptis casibus in iure expressis, de quibus infrà) hoc priuilegium immunitatis concessum est, vt constat ex *cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. frater, cap. minor, c. si quis contumax* 17. *q.* 4. Quapropter siue liber sit, siue seruus, siue nobilis, siue ignobilis, siue iuuenis, siue senex hoc priuilegio gaudet, vt benè probat Gutierr. *pract. q. ciuil. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 7. Ratio est. Tum quia Deus non est acceptor personarum: Tum quia hæc qualitas seruitutis, vel libertatis, nobilitatis, vel ignobilitatis accidentaria est.

Sed circa hanc regulam dubitatur. Primò, an interdictus ab ingressu Ecclesiæ gaudeat hac immunitate? Negat Felin. *cap. à nobis, de Exception. num.* 5. Summa conf. sorum *tit. de immunit. Eccles. q.* 5. Mouentur. Tum quia non debet Ecclesia eum recipere, quem à se per interdictum excludit. Tum quia sic ingrediens videtur aduersus Ecclesiæ prohibitionem delinquere, cuius aditus illi est interdictus. Ergo frustra eius auxilium implorat, *cap. quia frustra, de vsuris*. Sed omninò dicendum est gaudere hoc priuilegio. Tum quia interdicti censura non habet hunc effectum priuandi personam interdictam hac immunitate, vt ex iis quæ diximus de interdicto constat. Tum quia interdictus non priuatur ab ingressu Ecclesiæ materiali, sed formali, scilicet ab ingressu Ecclesiæ in ordine ad audienda diuina officia. Tum quia non delinquit contra censuram interdicti, qui ob vitandam grauem pœnam ad Ecclesiam confugit, etiam tempore diuinorum officiorum, quia necessitate compulsus illuc confugit: sic pluribus firmat Farinac *in append. de immunit. c.* 2. *n.* 44 Suar. *t.* 1. *de relig. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 4. Alexand. Ambrosin. *de immunit. Ecclesiæ c* 8. *n.* 12 Bonac. *disp.* 3. *q* 7. §. 3. *n.* 8.

3 Secundò dubitatur: An excommunicatus excludatur ab hoc priuilegio? Et ratio dubitandi est. Tum quia non decet Ecclesiam fauere iis, qui Ecclesiæ rebelles sunt. Tum quia excommunicatus ab Ecclesiæ, & fidelium participatione est exclusus. Ergo est exclusus ab hoc priuilegio: & ita tenet Felin. & Sum. Confess. *locis præcedenti n. allegatis*. Sed omninò tenendum est contrarium cum Farinac *suprà, & de carcerib. q.* 28. *n.* 39. *&* 40. Suarez *num.* 4. Bonacin. *n.* 9. Ambrosin. *num.* 12. Tuschus *verbo Ecclesia, concl.* 10. *num.* 26. Iulius Clarus *lib.* 5. *§. fin. q* 30. *n.* 18. Azor. 1. *p. lib.* 9. *c* 9. *post. vers. quid de pagano*. Cou. 2. *var. cap.* 20. *n.* 11. Decian. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 26. *n.* 3. & alijs. Ratio est. Tum quia excommunicatio non habet hunc effectum priuandi excommunicatum immunitate, & ex alia parte omnibus locis sacris est hæc immunitas concessa

absque excommunicati exclusione. Ergo. Neque obstat excommunicatum indignum esse hoc beneficio : tanto enim maiorem pietatem Ecclesia ostendit, si illum tueatur, & defendat Non enim considerat ad illius defensionem, delictum, & excommunicationes commissam, sed loci sanctitatem.

4 Tertiò dubitatur de hæretico. An excluſus sit ab hoc priuilegio in aliis criminibus præter hæresim ? Nam quoad hæresis punitionem certum est excluſum esse, vt postea dicemus. Affirmat Dedican. *tract. crim. lib. 6. cap. 26. num* 4. fauet Alexand. Ambrosio. *de immunit. cap.* 8 *num.* 9. Mouentur, quia hæreticus indignus esse videtur hoc beneficio, vtpotè Ecclesiæ hostis & proditor. Deinde ratione hæresis à priuilegio immunitatis est excluſus. Ergo est excluſus quoad omnia delicta, aliàs erit excluſus, & non excluſus. Nihilominus probabilius censeo Ecclesiæ immunitate gaudere quoad alia delicta. Sic Sylueſt. *verbo immunitas* 3. *n.* 2. *verſ. & idem puto de hæretico*, Suarez *tract.* 1. *de relig. cap.* 10. *num.* 13. Bonac. *diſp.* 3. *de primo decal. præc. q.* 7. §. 3. quia reſpectu aliorum delictorum crimen hæresis se habet per accidens. Ergo non potest impedire immunitatem, quam delinquens obtinet, ne ob alia delicta ab Ecclesia extrahatur. Adde legem priuantem hæreticum immunitate, formaliter intelligendam esse, vt scilicet priuet hæreticum, quatenus hæreticus est, non quatenus est homicida, aut alio crimine infectus, aliàs qui delinqueret in Ecclesia priuatus esset immunitate, non solùm quoad illud delictum, sed quoad alia quælibet, quod est contra communem. Et hinc reſponſum est fundamento contrario. Fateor hæreticum indignum esse hoc beneficio, sed Ecclesia ob ostensionem suæ pietatis ab eo illum non excludit. Neque inde fit esse hæreticum excluſum, & non excluſum absolutè, sed solùm esse excluſum quoad hæresim, & admiſſum quoad alia delicta. Vnum tamen est omnino certum, si Ecclesiæ sunt reconciliati gaudere immunitate ; quia tunc non sunt hæretici, etsi fuerint.

5 Quartò dubitatur de Iudæo, Sarraceno, & quolibet alio infideli, an Ecclesiæ immunitate potiatur. Negant communiter Doctores, vt videre est apud Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num.* 68. *& in append. de immunit. cap.* 5. *n.* 71. *&* 79. Decian. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 26 *num.* 2. Couar. 2. *var. cap.* 20. *num.* 11. Ioann. Gutierr. *lib.* 3. *pract quæſt. ciuil. q.* 7. *n.* 51. & alios, & mouentur ex *leg.* 1. God. de his *qui ad Eccleſiam confugiunt*. Vbi ij confugientes ad Ecclesiam à priuilegio immunitatis excluduntur, etiamsi baptismum petant, quia simulant se Christianæ legi velle coniungi, vt ibidem dicitur, & licet in *cap. inter alia de immunit. Eccleſiar.* omnibus generaliter concedatur hoc priuilegium, siue liberis siue seruis, videtur intelligendum de liberis, & seruis fidelibus : Tum quia fit deciſio iuxta statuta canonum, & traditiones legum ciuilium, & cùm in legibus ciuilibus infideles excludantur, iure canonico videntur excluſi. Tum quia de his qui foris sunt, non curat Ecclesia, neque potest illos iudicare. At si priuilegium immunitatis illis concederet, iudicare posset. Ergo non comprehenduntur.

6 Verùm alij non contemnendi Doctores contrarium affirmant cum gloſſa, & Innocent. *in cap. inter alia de immunit. Eccleſ. verbo extrahendus* : sic Sylueſt. *in ſumm. verbo immunit.* 3. *n.* 2. *verſ. ſecundum de pagano*, Tabien. *eodem n* 7. Armil. *n.* 9. Hieron. Tabal *commun. contra commun. q.* 269. Marian. Itali. *de immunit. Eccleſia, lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. *per totum*. Et mouentur ; quia in *c. inter alia, c. minor. cap. frater, cap. ſi quis inuentus, c. ſi quis contumax* omnibus indistinctè conceditur hoc priuilegium ; quia non propter personas, sed personis propter locum conceditur. At infideles capaces sunt huius conceſsionis. Ergo siue velint conuerti, siue renuant, hoc priuilegio gaudent.

7 In hac contrarietate media via credo esse procedendum ; gaudere, inquam, immunitate infidelem ad Ecclesiam confugientem, si velit fidelis esse, secus si simulet se velle conuerti : sic Nauart. *cap.* 25. *num.* 10. Baiard. ad Clarum *q.* 30. *num.* 2 ; Suarez *de relig. t.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. *&* 11. Bonac. *diſp.* 3. *de primo decal. præcepto, quæſt.* 7. *de immunit.* §. 3. *n.* 5. Azor. *inſtit. moral.* 2. *p. lib.* 9. *cap* 9. *q.* 9. Tuſchus *verbo Eccleſia, concl.* 10. *n.* 28. Farinac. *in append. de immunit. cap.* 5. *n.* 83. Ioann. Gutierr. *pract. quæſt. ciuil. lib.* 3. *quæſt.* 7. *num* 51. Vtraque pars probatur argumentis primæ & secundæ sententiæ. Et præterea, quia dignum est, vt Ecclesia faueat ei, qui ei inseruire cupit, secus ei qui renuit. Item quia leges ciuiles seruandæ sunt, quoties canonicis non contradicunt : at nulla lex canonica expresè de infidelibus disponit, gaudeant, vel non gaudeant immunitate. Ergo seruandæ sunt in hac parte leges ciuiles. Item negari non potest dubium esse, an infideles in legibus canonicis comprehensi fuerint, cùm expresè de illis non fuerit facta mentio. Sed quoties dubium insurgit lege canonica, petenda interpretatio est ex lege ciuili, vt est apud omnes receptum. Ergo in hoc dubio decidenda est hæc quæstio ex lege ciuili : At in *leg. prima, Cod. de his qui ad Eccleſ. confugiunt*, excluditur ab immunitate qui se simulat conuerti. Ergo tacitè admittitur, qui verè conuerti vult.

8 Difficultas autem est ; quando reputabitur confugiens se velle conuerti, vel potius simulare conuersionem ? In qua re placet mihi sententia doctissimi Franc. Suar. quem sequitur Bonac. & Farinac. *locis relatis* : si enim ante patratum delictum, & conceptum iudicis timorem signa dederit conuersionis, tunc quidem confugiens ad Ecclesiam, & baptismum petens, non debet præsumi simulatè petere, sed ex animo, quia debet præsumi ex eadem voluntate, qua primò baptismum desiderebat hanc oriri petitionem, non ex animo vitandi pœnam, & se securum reddendi in Ecclesia. Quod si post patratum delictum, conceptumque iudicis timorem baptismum petat, simulatè petere præsumendum est, vt clarè videtur decidi in dicta *leg. prima, Cod. de his, qui ad Eccleſias confugiunt*, & tradunt plures relati à Farinac. *dicto cap.* 5. *num.* 82. Verùm, an hæc præsumptio sit iuris, & de iure, aduersus quam nulla admittitur probatio ; non leuis est inter Doctores controuersia ; Negat Suar. Bonac. & Farinac. *num.* 84. esse præsumptionem iuris, & de iure, sed solùm esse præsumptionem iuris, aduersus quam admittitur probatio. Credo tamen cum Panorm. *in d. cap. inter alia*, probabilius præsumptionem esse iuris, & de iure : quia illa dicitur præsumptio iuris, & de iure, quando ius certum quid statuit ob præsumptionem quam habet, vt multis allegatis probat Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *quæſt.* 3. *à num.* 16. *&* Tom. Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſput.* 37. *num.* 7. *&* 8. At in præsenti ius ciuile statuit paganum confugientem ad Ecclesiam, & baptismum petentem, non esse ab Ecclesia defendendum ob præsumptionem quam habet simulationis. Ergo est præsumptio iuris, & de iure, de tali simulatione ; ac proinde non admittitur probatio directa contra illam : bene tamen admitti potest probatio indirecta, qua fundamentum simulationis excluditur, vt aliis allegatis probat Thom. Sanch. *num.* 33. Erit autem probatio indirecta in præsenti, si probes aliis rationibus præter delictum commissum motum esse ad petendum baptismum. Interim verò quod hæc indirecta probatio sit, poterit Ecclesia ad se confugientem defendere, factaque probatione, si iudicet Ecclesia petitionem ex vero animo conuersionis ortam esse, concedet immunitatem, sicut & baptismum concedere tenetur : secus vero si id probatum non fuerit ; Farin. Bonac. Suar. *locis allegatis*.

9 Quintò dubitatur, An banniti, & condemnati, si ad Ecclesiam confugiant, gaudeant immunitate ? Et quidem si plenis probationibus condemnati sint ob delictum exceptum, nemini potest esse dubium, non gaudere immunitate ; quia si ante condemnationem ea non gaudent, post condemnationem melioris conditionis esse non debent, vt benè aduertit Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num.* 47. At si ex solis iudicis, & non ex probationibus concludentibus condemnati sunt ; quia tunc condemnati sunt ob contumaciam, & potius ob illam, quàm ob delictum, dubium est an immunitate gaudeant ? Et idem est de condemnatis ob delicta non excepta ab hoc priuilegio. Decian. 2. *part. tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 27. *n.* 8. distinguit, si casu ad Ecclesiam confugit animo se defendendi ab aliqua molestia gaudere, secus si ex proposito, & ex voluntate vitandi pœnam ibi vellet habitare. Sed non placet distinctio, quia iure fundata non est. Credo ergo priuilegio immunitatis gaudere, quomodocunque ad Ecclesiam confugiat : quia ipse non intendit inobedientiam fouere, sed condemnationem vitare ; & ita tradit Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num.* 47. *& in append. de immunit. c.* 2. *à n.* 42.

10 Sextò dubitatur de captis, & in carcerem reclusis, an si fracto carcere ad Ecclesiam confugiant, prosit illis immunitas ? Negat Petr. Gregor. *ſintag. iuris, lib.* 33. *cap.* 22. *num.* 2. *verſ. Non effractores carcerum*. Ratio esse potest, quia potestati iudicum, & illorum iudicio sunt incarcerati subiecti. Ergo contra iustitiam à tali iudicio se eximunt. Ergo ne dicamus Ecclesiam iustitiis fauere, neganda est iis delinquentibus immunitas. Cæterùm, omninò tenenda est sententia contraria cum Nauart. *ſum. c.* 25. *num.* 19. Decian. *tract. crimin.* 2. *p. lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 28. Franc. Suar. *lib.* 3. *de reuerentia debita locis ſacris, cap.* 11. *num.* 18. *&* 19. Couar. 2. *var. cap.* 20. *num.* 13. Farinac. *q.* 28. *num.* 41. Tuschus. *pract. concl. verbo Eccleſia, concl.* 10. *n.* 30. Alexand. Ambrosin. *de immunit. & libert. Eccleſ. cap.* 10. *num.* 11. Bonac. *quæſt.* 7. *de immunit.* §. 2. *num.* 10. & aliis apud ipsos. Ratio est clara, quia priuilegium immunitatis omnibus confugientibus ad Ecclesiam conceditur præter casus exceptos, sed si pulsis vinculis ad Ecclesias confugium, fractisque carceribus, non est delictum exceptum. Ergo. Secus verò dicendum est de eo, quem birrotarij per locum sacrum duxissent ad carcerem : huic enim non prodest loci immunitas ; quia non ipse ad locum confugit, sed per illum victus dicitur ; sic pluribus firmat Ioann. Gutierr. *lib.* 3. *pract. quæſt. ciuil. q.* 6. *per totam*, Franc. Suarez 1. *p. de relig. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 18. Tuschus *verbo Eccleſia, concl.* 11. *n.* 28. Alexand. Ambrosin. *de immunit. & libert. Eccleſiaſt. cap.* 10. *n.* 10. Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num.* 69. *& in append. de immunit. c.* 15. *n.* 201. Dacian. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 28. *n.* 30. Bonacin. *diſp.* 3. *q.* 7. *de immunit.* §. 2. *num.* 10. Neque obstat fundamentum contrarium. Iudices enim solùm obtinent potestatem iudicandi reum, dum ipse reus in sua iurisdictione existit, secus si extra illam exeat ; sicuti exit confugiens ad Ecclesiam. Neque in hac fuga committit graue delictum :

quia

quia vtitur suo. Et dato quod illum committat, non est crimen exceptum ab immunitate.

11 Hinc à fortiori infertur, si captus à ministris iustitiæ ex eorum manibus in locum sacrum te recipias immunitate gaudere; quia positus in libertate ad Ecclesiam confugisse Ioan. Gutierr. *dicto lib.3. q.6. num.4. & 5.* Decian. *lib.6. cap.28. num.32.* Tuschus *verbo Ecclesia, concl.10. num.21. & 30.* Farinac. *in append. cap.15. num.196.* Anast. Germ. *de sacrorum immunit. lib.3. cap.16 n.56.* Quod credo extendendum esse, etiam si per vim tecum ferres ministros iustitiæ; semper enim verum est te ad Ecclesiam confugere; ac proinde illius debes immunitate gaudere. Marina. Italia. *de immunit. Ecclesiæ, lib.1. cap.6 §.2. num.20. & aqq.* Farinac. *in append. de immunit. cap.15. num.196.*

12 Secundò infero gaudere immunitate condemnatum ad mortem, si cum ad supplicium ducitur è manibus ministrorum se eximens ad Ecclesiam confugit ob eandem rationem, & tradit multis relatis Gutier. *pract. quæst. ciuil. lib.3. q.4. num.10.* Decian. *lib.6. caq.28. num.29.* Farinac. *in append. de immunit. cap.15. num.197.* Tuschus *verbo Ecclesia, concl.10. num.22.* & alij.

13 Sed quid dicendum, si fide data custodi, & iuramento præstito redeundi ad Ecclesiam confugias? Communis sententia tenet te gaudere immunitate, si carceratio in iusta fuit. At si fuit iusta, plures Doctores tenent tibi immunitatem non prodesse, Decian. *tract. crimin. lib.6. cap.28. n.21.* Azor. *2.p. instit. moral. lib.9. cap.9. vers. quid dicendum,* & alij relati à Farinac. *in append. de immunit. cap.15. num.199.* Cæterum, existimo cum eodem Farinac. *num.200.* Fagund. *2. p. præcept. Ecclesiæ, lib.4. cap.4. num.68.* omninò gaudere immunitate: quia periurium non tollit immunitatem: & ex alia parte non eras incarceratus pro crimine excepto. Ergo. Adde facillimo negotio impetrari posse relaxationem iuramenti, & sic cessabit periurium.

Subdit tamen Francisc. Suar. alios referens *lib.3. cap.11. n.20. fine,* & Fagund. *suprà,* si nolis ad carcerem redire, posse prælatum dare facultatem, vt ab Ecclesia exraharis habita cautione de immunitate corporalis pœnæ, secus si illius pœnæ subesset aliquod morale periculum. At hoc dictum nullo modo approbo, sicuti neque appobat Farinac *suprà*, & Bonacin. *quæst.7. de immunit. § 2. num.10.* Quia hæc traditio priuilegium immunitatis tibi concessum destrueret. Neque inde fit Ecclesiam fauere delicto, sed fauere delinquenti ob delictum commissum. Quod si vrgeat aliquis te in Ecclesia delinquere, violans fidem datam, & iuramentum præstitum de redeundo. Ergo ratione huius delicti non gaudes immunitate. Facilis est responsio. Concedo namque te non gaudere immunitate quoad punitionem illius periurij, & infidelitatis. At gaudes immunitate quoad punitionem illius delicti, pro quo antea carceratus eras. Adde te à periurio excusari posse, si relaxationem iuramenti obtineas.

14 Septimò dubitatur de clericis? An gaudeant hac immunitate? Nemini est dubium gandere comparatione iudicum sæcularium. Tum quia non debebant esse deterioris conditionis, quàm layci. Tum quia ratione dignitatis ab eorum iudicio exempti sunt. Quod si de clericis in minoribus constitutis, neque habentibus beneficium, neque alicui Ecclesiæ specialiter addictis loquamur, quique iurisdictioni iudicum sæcularium subduntur, eodem modo, ac de laïcis dicendum est, immunitate gaudere: & notauit Suar. *lib.3. cap.10. num.7.* Nauar. *cap.35 num.2.* Bonac. *de immunit. q.7. §.3. n.6.*

Quapropter difficultas est; An clerici beneficiati, vel in maioribus ordinibus constituti, quique à laycæ potestatis iurisdictione excluduntur, & Ecclesiasticæ sunt adducti gaudeant immunitate Ecclesiæ comparatione suorum iudicum, sicut gaudent laïci comparatione suorum?

15 Et quidem non gaudere in criminibus exceptis mihi certissimum est; quia nullibi inuenitur hoc speciale priuilegium: & tradit Suarez *lib.3. cap.10. num.7.* Farinac *de carcer. q.28. n.8. & append. de immunit. Ecclesiæ, n.35.* aduersus Bernard. Diaz. *pract. cap.123. aliàs 115. in fine.* De aliis verò criminibus variant Doctores, Abbas *in cap. inter alia, de immunit. Ecclesiæ, num.13.* Sylvest. *verbo immunitas, n.7.* Armilla *n.10* Rosella *n.9.* Decian. *tract. crim. lib.5. cap.28. num.14.* Nau. *cap.25. num.22.* Suarez *lib.3. cap.10. n.5. & seqq.* Marc. Anton. Genuens. *pract. Archiep. cap.22. in fine, num.11.* Bonac. *disp.3. de primo decal. præcepto, q.7. de immunit.1. §.3. num.7.* & alij apud ipsos negant, Mouentur. Primò, quia immunitas Ecclesiæ non debet derogare Ecclesiæ potestati. Ergo non debet impedire potestatem Ecclesiasticam puniendi sibi subiectos. Secundò, immunitas personalis debita clericis non impedit eorum punitionem à iudice Ecclesiastico. Ergo neque immunitas concessa loco, quæ maior est, hanc impedire potest. Tertiò, loci immunitatem tenetur defendere prælatus Ecclesiasticus illius loci: si autem clericus sibi subditus gaudet illius loci immunitate, rogo quis tunc clericum defendet à prælato volente illum extrahere? Item quis cognoscet, an debita sit illi immunitas? Nam remittere cognitionem ei, qui prætendit immunitatem, & aduersus quem est immunitas, absurdum videtur. Ne ergo in hac inconuenientia incidamus, dicendum est clericum comparatione iudicis Ecclesiastici immunitate non gaudere. Quartò, sequeretur ex tali priuilegio tarò posse clericorum delicta puniri, cum in monasteriis, & Ecclesiis regulariter assistant. Quinò, quia constitutione Gregor. XIV. facta est expressa mentio laïcorum, & non clericorum: ibi ad vnum tantum formam reducimus, & moderamur, vt laïcis ad Ecclesias, locáque sacra, & religiosa confugientibus. Ergo clarè insinuatum est clericos comparatione suorum iudicum non habere hanc immunitatem, quodque ampliùs constat ex eo quod ibi reuocat omnia priuilegia laïcis concessa extrahendi delinquentes à loco sacro, nulla mentione facta clericorum. Denique pro hac parte est ratio satis congruens; quia immunitas Ecclesiæ læditur, quando contra eius voluntatem delinquens ibi existens extrahitur. Sed hoc locum non habet, cùm iudex Ecclesiasticus extrahit clericum, quia tunc ex voluntate Ecclesiæ extrahitur. Ergo.

16 Verùm alij plures Doctores affirmant clericos gaudere supradicta immunitate; sic dicentes esse communem sententiam defendit Farinac. *de carcerib. q.28 num.7. & in append. de immunit. cap.2. n.34.* Couar. *2. var. cap.20. num.16.* Bernard. Diaz *pract. cap.115, alias 123.* Clarius *in pract. §.fin. q.30.* Decian. *tract. crim lib.6. cap.26. num.1.* Tuschus *tract. conf. verbo Ecclesia, concl.9. num.17. & concluf 11. num.27.* Alexand. Ambrosin. *cap.12. de immunit. n.3.* Mariana Ital. *tract. de immunit. lib.1. cap.3. §.1.* Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. q.3. num.1.* vbi affirmat hanc veriorem esse sententiam in puncto iuris, *num.tamen 3.* dicit contrarium esse consuetudine receptum. Mouentur ij Doctores. Primò, quia iura loquentia de immunitate, generaliter, & absque vlla limitatione loquuntur, vt constat ex *cap. inter alia, cap. id constituimus, cap. definiuit. cap. si quis conumax, cap. si quis inuentus, & aliis 17 q.4.* Ergo non debes ad solos laïcos priuilegium limitare. *leg. de pretio, ff. de Publicana,* aliàs clerici deterioris essent conditionis, quàm laïci; si quidem priuilegium laïcis concessum clericis denegatur. Secundò, hoc priuilegium non personis, sed locis conceditur, vel vt melius dicam personis propter locum conceditur; sed locus communis est tam clericis, quàm laïcis, & magis proprius clericorum, quàm laïcorum. Ergo eius priuilegium clericis potius competere debet, vt latius comprobat Roman. ex doctrina Bart. & Baldi. *cons.234.* Neque obstat dicere æque gaudere clericos priuilegio immunitatis, ac laïcos, comparatione quidem iudicum sæcularium, non Ecclesiasticorum. Hoc enim non est gaudere priuilegio immunitatis, sicuti non dicitur laïcus gaudere priuilegio immunitatis ex eo quod existens in loco sacro non possit ab Ecclesiastico iudice puniri. Requiritur ergo, vt à suo proprio iudice puniri non possit. At si clericus à suo iudice puniri potest, neque illum Ecclesia securum reddit, nullum priuilegium ex loci immunitate habet. Tertiò, potius clericis, quàm laïcis competere debet ne possint inuiti ex Ecclesia extrahi à suis iudicibus: quia Ecclesia domus est clericorum. In domo autem propria non decet quem capere, & vinculis alligare *leg. plerique, ff. de in ius vocando. leg. Nemo, ff. de Reg. iuris.* Quartò, arguo ex concilio Irdelen. relato in *cap. nullus 17. q.4.* ibi nullus clericorum seruum, aut discipulum suum ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec dignè pœniteat à loco, cui honorem non dedit, segregetur. Ergo si dominus seruum, & magister discipulum non potest ab Ecclesia extrahere, & ob correctionem punire, neque iudici Ecclesiastico licebit clericum extrahere.

17 Ego verò dicendum existimo spectato iuris rigore vtramque sententiam esse probabilem. At attenta consuetudine credo primam sententiam probabiliorem esse, quia vt benè dicit Gutierr. *in loco suprà allegato:* passim iudices Ecclesiastici delinquentes clericos ex Ecclesia extrahunt, & vinculis ligant sine vllo scrupulo, neque vllus est, qui immunitatem proclamet, & ratione illius se defendere procuret; cùm enim ab eodem principio, & potestas Ecclesiastica iudicandi, & immunitas orum habuerit, non erat conueniens, vt vna aduersus aliam pugnaret. Quapropter absque violatione reuerentiæ debitæ loco sacro sententia Ecclesiastica delinquentis pronunciari potest in Ecclesia *cap. præceptum 2. q.2.* & tradit glossa *cap. nullus clericorum 17 q.4.* Ergo signum est comparatione Ecclesiastici iudicis non procedere immunitatem.

18 Neque obstant rationes, quibus probamus gaudere hac immunitate. Ad primum dicimus satis in supradictis textibus insinuari sermonem esse de laïcis, & non de clericis delinquentibus. Tum quia rectoribus Ecclesiæ datur potestas defendendi delinquentem *cap. inter alia.* Ergo non debent ipsi prætendere punitionem. Tum quia Gregor. XIV. satis explicuit. Ad secundum admitto hoc priuilegium locis esse concessum, sed aduersus iurisdictionem sæcularem, quæ Ecclesiæ extranea est, & sic clericus delictum committens, & ad Ecclesiam confugiens duplici titulo à iurisdictione sæculari exemptus est. Primò, ratione personæ. Secundò, ratione loci. Ad tertium, dico

non liceret in propria domo capere ab alio quàm à superiore illius domus, cum autem Episcopus superior sit Ecclesiæ, poterit clericum ibidem capere. Ad quartum. Respondeo ibi prohiberi immoderatam castigationem serui, & discipuli, secus moderatam, quam tamen in Ecclesia fieri posse probat Glossa *ibi*.

19 Octauò dubitatur, an seruus per respectum ad dominum gaudeat immunitate? Diximus in principio huius puncti comparatione iudicis immunitate gaudere; quia comparatione illius per accidens est qualitas seruitutis. At respectu domini dicit Innocent. III. in *cap. inter alia, §. si verò seruus, de immunit. Ecclesiar.* vt postquam de immunitate sua dominus eius clericis iuramentum præstiterit, ad seruitium domini sui reddere compellitur, etiam inuitus, alioquin à domino poterit occupari. Idem habetur *leg. præsenti, §. fin. Cod. de his qui ad Ecclesiam confug.* Quæ decisio procedit, cùm delictum serui paruum, aut nullum fuit; tunc enim iuramento præstito videtur sufficiens securitas seruo dari, & periculum immoderatæ castigationis tolli. At si delictum graue sit regulariter iuramentum non sufficiet, sed securitatem aliam debet dare dominus; aliàs non obligabitur prælatus Eccl'esiasticus seruum tradere: sic tradit glossa in *dicta leg præsenti, vers. aut propter dilectum, & in authent. de mandatis principum, in §. publicorum, vers. vel propter maleficium*, & pluribus firmat Farinac. *in append. de immunit. cap. 4. num 76.* Franc. Suar. *lib. 3. cap. 10. num. 2.* Guttierr. *pract. quæst. ciuil. quæst. 1. num. 1. & 18.* Azor. *2. p. lib. 9 cap. 9. quæst. 9. in fine*, Anastas. Germ. *de sacrorum immunit. lib. 3 cap. 16. num. 55.* & alij. Quòd si dominus hanc securitatem noluerit, vel non potuerit concedere, credo compellendum esse dominum seruum vendere, neque debere illi tradi, ex *§ fin. instit. quibus alienare licet, vel non*, & glossa *in dicta leg. præsenti, & in authent. de mandatis*, & tradit Abbas *cap. inter alia, num 23.* Anton. de Butrio *num. 17.* Decian. *lib 6. cap. 26. num. 9.* & alij relati à Farinac. *in append. de immunit. cap. 4. num. 69.*

PVNCTVM VIII.

An supradictis debita sit immunitas in causa ciuili?

1 *Proponitur ratio dubitandi; an debitor confugiens ad Ecclesiam gaudeat immunitate.*
2 *Tenendum est gaudere debitores immunitate.*
3 *Satisfit rationi dubitandi.*
4 *Aliquibus placet hoc limitandum esse ne procedat in suspecto de fuga. Sed non approbatur limitatio.*
5 *Alij limitant in debitore tributorum. Sed non placet.*
6 *Alij limitant in debitoribus fallitis, sed probabilius est non debere admitti talem limitationem.*

1 COntingere potest quem debitorem esse, nec esse soluendo, timet carceri emancipandum esse, si non soluat, confugit ad Ecclesiam, existitne securus?

Ratio dubitandi est; quia immunitas Ecclesiæ à iure Ecclesiastico, non ciuili promanat. At ius Ecclesiasticum solùm delinquentibus immunitatem concedit, non debitoribus, vt patet ex *c. inter alia ex eius principio*, ibi quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit, ex *cap. id constituimus*, ibi non liceat reos ab Ecclesiis extrahere. Rei autem proprij sunt delinquentes, non debitores, & ex *cap. si quis contumax, cap. si quis inuentus, cap frater, & aliis*, in quibus omnibus mentio fit de delinquentibus, non de debitoribus, & clarius ex *constitutione Gregoriana*, ibi laïcum delinquentem, & infrà quodque delinquentes laïci, & ex toto eius contextu. Ergo debitoribus ex iure Ecclesiastico immunitas non debetur. Ergo ad summum debetur illis ex iure ciuili. Ergo vbi ius ciuile non obligat, non habebit effectum. Deinde hæc immunitas solùm esse potest, vt debitor pœnam corporis non sustineat; at ne laboret, & creditori seruiens satisfaciat, non videtur rationabilis; tum quia præiudicat iuris textui, & fauet nocenti. Quod non leuitet confirmatur exemplo serui fugientis ad Ecclesiam ob sæuitiam domini, qui securitate accepta domino redditur, ne dominus priuetur iure sibi quæsito, quod habet, vt seruus ei laboret. Sed creditor habet ius, vt sibi debitor soluat debitum, vel saltem laboret, quoad possit, ad solutionem. Ergo iniustè impeditur, ne hanc obligationem impleat.

2 Nihilominus tenenda est tam in consulendo, quàm in iudicando communis sententia; gaudere scilicet debitorem immunitate: si Abbas *in cap. inter alia de immunit. num. 22. & seq.* Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 28. num. 34.* Ioann. Guttier. *pract. quæst. ciuil. lib. 3 quæst. 1. per totam*, Farinac. *de carcerib. q. 28. num. 31 & in append. de immunit. cap 3. n. 57.* Alexand. Ambrosin. *de immunit. & libert. Ecclesiast. cap. 13. numer. 1.* Azor. *2. p. lib 9. cap. 9. quæst. 9.* Anastas. Germ. *de sacror. immunit. lib. 2. cap. 16. numer. 8. & seqq.* Franc. Suar. *lib. 3. cap. 11. num. 3.* Bonacin. *disp. 3. quæst. 7. de immunit. §. 4. num. 1.* Ratio est; quia hæc immunitas iure ciuili est concessa ex *leg. præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & leg. vlt. eodem tit.* & ibi Doctores. Sed Ecclesia approbat leges, & constitutiones ciuiles, quæ Ecclesiarum immunitati à se statutæ non præiudicant, sed potius fauent, & augent, approbatque contrarium *cap. inter alia*, & Trident. *sess. 25. cap. 20.* Ergo huiusmodi leges ciuiles canonizatæ sunt. Ergo non solùm à iure ciuili, sed canonico hæc immunitas debitoribus est concessa.

3 Et ex his soluitur ratio dubitandi. Fateor, inquam, expressè solùm mentionem fieri delinquentium, & non debitorum; quia concessa immunitate delinquentibus, debitoribus concessa manebat; eo quod absurdum erat nocentibus fauere innocentibus exclusis. Adde sub nomine reorum etsi propriè delinquentes intelligantur, debitores etiam possunt intelligi, quia rei sunt in iudicio, & cùm hoc sit priuilegium fauorabile, debet secundùm omnem latitudinem suæ significationis accipi. Ad confirmationem respondeo immunitatem esse, non solùm vt confugientem defendat à pœna corporali, sed ne ibi existens extrahatur, vinculis alligetur, aut aliquo modo vexetur, poterit tamen citari, & si se non defenderit, mitteret creditor in eius bonorum possessionem. Nunquam tamen tradendus est creditori in seruum; quia hoc non debetur creditori, nisi post sententiam, & quasi in pœnam. Secus de seruo fugitiuo, cuius possessio, & dominium est apud dominum. Quamuis sciam contrarium placuisse Oldrad. *cons.* 54. & Panormit. *cap. inter alia, num 22.* Boërio *decis. 2. 15. n. 7.* Alberic. *1. p. statutorum. quæst. 39. & in Rub. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* & aliis.

4 Aliqui limitant hanc doctrinam. Primò in suspecto de fuga, quem esse tradendum iudici, vt securus reddatur creditor, affirmant: sic plures relati à Couar. *2. var. cap. 20. num. 4.* & ab Anastas. Germ. *de sacror. immunit. lib. 3 cap. 16 num. 99. & sequent.* Mouentur. Primò, quia si suspecti de fuga possunt in die festo capi, & incarcerari: imò ab incompetenti iudice ob periculum fugæ, vt ex Bald. Bart. Socino, Iasone, & aliis probat Couar. *2. var. cap 20. num. 14.* Ergo possunt in loco sacro argum. sumpto de temp. ad locum *leg. vnum, ff. si certum petatur, leg. ratio, §. si per venditorem, ff. de actionib empti.* Secundò, debitor suspectus de fuga, est suspectus de graui peccato; quidem fugit debiti solutionem, & creditorem sine causa fraudat. Sed Ecclesia iustum est, vt hoc peccatum impediat, cùm facilè possit. Ergo tenetur iudici hunc debitorem tradere, vel alia via securum creditorem reddere de fuga debitoris. Verùm hæc limitatio mihi non probatur. Tum quia communiter à Doctoribus reiicitur. Tum quia delictum debitoris committendum non potest impedire immunitatem loco sacro concessam. Tum quia alia via fuga impediri potest absque eo quod ab Ecclesia extrahatur: potest enim à iudice custodia apponi. Tum denique quia priuilegium immunitatis non excludit suspectum de fuga. Neque argumentum de tempore ad locum est firmum, siquidem malefactor puniri potest in die festo, non autem in loco sacro; & ita hanc limitationem reiiciunt Couarr. & Anast. Germo. *supra*, Bonacin. *quæst. 7. de immunit. §. in princ.* Suar. *cap. 11. num. 3.* Farin. *in append. de immunit. cap. 3. n. 60* Alex. Ambros. *de immunit. & libert. Ecclesiast. c. 13. num. 3.* & alij.

5 Secundò limitant alij in debitore tributorum, quem dicunt ab Ecclesia extrahi posse: sic Petr. Greg. *sintag. iuris, lib. 33. c. 22. n. 2.* Ancharran. *c. inter alia n. 6. & 7.* Anton. de Butrio *n. 13.* Oldard. *cons. 54, n. 2.* subdit tamen attendendam esse consuetudinem. Mouentur ex *Authent. de mandatis principum, § publicorum iuncta glossa ibi*; vbi id expressè habetur. Et firmari potest ratio in hunc modum. Debitori conceditur immunitas ab Ecclesia, quatenus Ecclesia approbat leges ciuiles immunitatem concedentes. At non est lex ciuilis, quæ his debitoribus immunitatem concedat; sed potius est lex, quæ illis immunitatem denegat. Ergo nulla est immunitas his debitoribus ab Ecclesia concessa. Fateor rationem esse efficacem, sed non est à communi sententia recedendum, neque immunitati Ecclesiasticæ derogandum, quæ non fundatur solùm ex eo quod approbet constitutiones ciuiles loquentes de debitoribus, sed etiam ex eo quod omnibus delinquentibus, & reis hanc immunitatem concedat, aliquibus casibus exceptis: qua generali concessione, ex communi Doctorum sententia, debitores quicunque sint, & qui rei in iuditio nominantur, veniunt intelligendi; sis pluribus firmat Couarr. *2. var. cap. 20. num 14. vers. sed profecto*, Farinac. *de carcerib. quæst. 28. n. 31. & in append. de immunit. cap 3. num. 51.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit. §. 4. n. 2.* Franc. Suar. *lib. 3. cap. 11. num. 3.* Alexand. Ambrosin. *de immunit. cap. 13. n. 2.* Anast. Germ. *de sacror. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 110.* Azor. *2. p. lib. 9. cap. 9. vers. item dubia quæstionis est*, & alij apud ipsos. Hinc colligo à fortiori gaudere immunitate obligatum ad ratiocinia ex causa alicuius administrationis; sic Nauarr. *cap. 25. numer. 19. in fine*, Farinac. *in append num. 63.* Decian. *lib. 6. cap. 28. num* [illegible] obstat textus *in cap. vxor. 17. quæst. 4.* vbi quidam [illegible] nomine Felix obligatus ad ratiocinia, consurgit ad Ecclesiam, & Helas Papa mandat, præstito iuramento impunitatis, illum extrahere.

Non

Non inquam obstat; quia textus loquitur in seruo, non in homine libero, vt benè aduertit Decian. & Farinac. *suprà*. Seruos autem iam diximus domino esse reddendos præstito iuramento impunitatis.

6 Tertiò limitant alij in negotiatoribus fallitis qui dum quæstuariam negotiationem exercent, opiparè & lautè viuent, & tandem decocti versuram faciunt, & ad Ecclesiam confugientes creditores plures miserrimè fallunt. Hos inquam non gaudere immunitate Ecclesiæ, sed ab illa extrahi posse defendunt grauissimi Doctores, vt videre est apud Couar. quos ipse sequitur 2. *var. cap.* 20. *num.* 14. *vers. Nec Iasonis*, Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 34. *Rebuff.* 2. 1. *ad regias constit. Gallia, & de mercatorib. art. vlt. glossa. vlt. num.* 7. & 8. Suar. *de Pax in sua pract. s.* 1. *p.* 5 *cap.* 3. *q.* 3. *num.* 156. Anast. Germ. *de sacror. immun. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 113. Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num.* 33. Ioann. Guttier. *pract. quæst. ciuil. lib.* 3. *q.* 1. *num.* 4. & 15. *vers. in cæteris debitoribus fallitis*, vt procedat, quando fugiunt ad Ecclesiam cùm suis bonis vel illa absconderent, secus si solùm fugerent, vt personam saluent. Mouentur; tum quia hi sunt hostes reipublicæ, & quasi publici latrones; eaque de causa capitali pœna plectuntur: tum quia sic statutum est catholicis regibus. Ferdinando, & Elisabeth. & à Supremo Cæsaris Prætorio confirmatum anno 1530. vt testatur Couarruu. *suprà* Cæterùm probabilius censeo admittendam non esse hanc limitationem: & stante constitutione Gregoriana omnino certum: sic Nauarr. *supra, c.* 25. *num.* 19. *in fine*, Marian. Itali. *de immunit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. Ambrosin. *tract. de immunit. cap.* 13. *in fine, num.* 4. Farinac. *in append. de immunit. cap.* 3. *num.* 64. Bonacin. *quæst.* 7. *de immunit.* §. 4. *in princ.* Suar. *cap.* 11. *num.* 3. Ratio est; quia nec ratione debiti, nec ratione delicti priuantur ij. immunitate. Non ratione debiti, aliàs omnes debitores essent ab immunitatis priuilegio excluſi. Non ratione delicti, quia hi non sunt depopulatores agrorum, & latrones publici, qui soli sunt ab immunitate excluſi, & licet publicis latronibus æquiparentur, non debent in priuatione immunitatis æquiparari; quia pœnæ non sunt extendendæ ad delicta similia. Adde hoc esse omnino verum, quando solùm fugerent ad Ecclesiam, vt personam saluarent; quia tunc latrocinium non committitur, licet antea peccassent. Dixi stante constitutione Gregoriana hoc esse certum, quia in illa constitutione reuocantur omnia priuilegia, & indulta data principibus extrahendi delinquentes ab Ecclesia, & nominatim fraudulentos decoctores. Et licet Marian. Itali. *suprà* referat quasdam literas scriptas à Cardinali de Florent. Nuncio Neapolis de mandato Clementis VIII. vbi mandatur Superioribus regularium illius regni, ne fallitos in suis conuentibus receptarent, &c. Non tamen per hoc derogatur constitutioni Gregorianæ. Tum quia illæ literæ non sunt datæ, & publicatæ in forma legis. Tum quia in illis solùm cauetur, ne tales mercatores falliti in illis monasteriis accipiantur, & expellantur: non tamen quod iudicibus sæcularibus deligentur, vt benè aduertit Farinac. *in append. de immun. c.* 3. *n.* 64.

PVNCTVM IX.

In quibus causis criminalibus debita sit immunitas.

1 *In omnibus exceptis casibus à iure expressis.*
2 *Publicus latro non gaudet immunitate, & quis sit.*
3 *Simplex fur immunitate gaudet.*
4 *Nocturnus agrorum depopulator ab immunitate excluditur.*
5 *Diurnus agrorum depopulator an gaudeat immunitate? sub opinione est.*
6 *Viarum grassator ab immunitate excluditur.*
7 *Committens homicidium, vel mutilationem membrorum in Ecclesia immunitate priuatur.*
8 *Priùsne quodlibet delictum in Ecclesia illius immunitate? Plures censent.*
9 *Probabilius est oppositum.*
10 *Vulnerans in Ecclesia non priuatur illius immunitate.*
11 *Occidens, aut mutilans in Ecclesia, si non sit sub spe immunitatis, gaudet illius immunitate ex plurium sententia.*
12 *Probabilius est illa priuari, quomodocunque in Ecclesia occidat, aut mutilet.*
13 *Peccans in Ecclesia semper præsumitur sub spe immunitatis peccare.*
14 *Si existens in Ecclesia occidas existentem extrà, negant aliqui te esse immunitate priuatum.*
15 *Contrarium tenendum est.*
16 *Si existens extra Ecclesiam existentem intrà occidas, priuaris immunitate, tametsi aliqui contra sentiant.*
17 *Mandantem occidere in Ecclesia priuari immunitate censent plures. Probabilius est oppositum.*
18 *Si dolo ex Ecclesia extractum occideris, non priuaris immunitate, tametsi alij contra sentiant.*
19 *Explicatio quæ mutilatio sufficiat, & necessaria sit ad priuationem huius priuilegij.*
20 *Si propè Ecclesiam mutiles, vel occidas, plures censent te non gaudere immunitate.*
21 *Probabilius est oppositum.*
22 *Satisfit rationibus oppositis.*
23 *Ex mutilatione, vel occisione in Ecclesia facta non priuaris immunitate quoad alia delicta, tametsi plures sentiant contrarium.*
24 *Delicta commissa in Ecclesia à laico, si secularia sint, ab Ecclesiastico, & à laico iudice puniri possunt ad præuentionē.*
25 *Proditorius homicida ab immunitate excluditur.*
26 *Quis sit homicidia proditorius.*
27 *Affirmant plures te esse proditorium homicidam, si inimicum dormientem occidas.*
28 *Probabilius est oppositum.*
29 *Si proximum ex industria occideris, & non per insidias, probabilius est te non esse priuatum immunitate, plures contra sentiunt.*
30 *Si vulneres animo occidendi plures censent te esse priuatum immunitate. Probabilius est oppositum.*
31 *Occidens infidelem, esto aliqui sentiant immunitate priuatum non esse. Probabilius est oppositum.*
32 *Assassinus ab immunitate excluditur, & quis sit.*
33 *Qui pretio, vel pecunia conductus occidit: immunitate priuatur.*
34 *Neque opus est pretium accipere, sufficit, si ei fuerit promissum. Et qualis debeat hæc promissio esse.*
35 *Occidens infidelem non committit crimen assassinij ex probabiliori sententia.*
36 *Si occidas pretio conductus inimicum tuum, non es assassinus. Secus si solùm sit occisus inimicus mandantis.*
37 *Si accipias pecuniam ad vulnerandum, & non ad occidendum, non es assassinus in probabiliori sententia.*
38 *Si accepisti pecuniam ad occidendum, & non occidisti, gaudes immunitate.*
39 *Mandans occidere sub promissione pecuniæ, tametsi mors non sequatur, priuatur immunitate.*
40 *Receptatores, defensores, &c. assassinij immunitate priuantur.*
41 *Hæresis rei ab immunitate excluduntur, & qui hi sint.*
42 *Reus læsæ maiestatis in personam principis ab immunitate excluditur.*
43 *Quis nomine principis intelligatur.*

1 REspondeo in omnibus quantumcunque grauibus debitam esse, exceptis casibus à iure expressis: sic expressè decidit Ian. III. *cap. inter alia, de imm. Ecclesiar.* ibi *quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus*, & paulo inferiùs exceptionem facit his verbis. *Hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentata, vel publicas strator obsidet* insidiis aggressionis ab Ecclesia extrahi potest. Aliam exceptionem ponit Greg. IX. *cap. vlt. de immunit. Ecclesiar* vt non gaudeant immunitate committentes homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesiis, & in *c.* 1. *de homicidio* secundùm intellectum plurium Doctorum homicida per industriam, & industriam, & insidias ab immunitate excluditur: has omnes exceptiones in vnum congessit Greg. XIV. in sua constitutione aliquibus additis. Inquit enim. *Ad vnam tantum formam reducimus, & moderamur, vt laicis ad Ecclesias, locaque sacra confugientibus si fuerint publici latrones, viarúmque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas strator obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia, mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditione proximum suum occiderint, aut assassinij, vel hæresi, aut læsæ maiestatis rei in personam ipsiusmet principis immunitas Ecclesiastica non suffragetur.*

Vt autem hæc clariùs innotescant, sigillatim casus expressè exceptos enodemus, vt inde colligatur, an aliqui alij implicitè ibi contineantur.

2 Primò ab immunitate excipitur publicus latro ex *dicto cap. inter alia & constitut. Gregor.* Ille autem dicitur latro, qui violenter aggreditur, & deprædatur; publicus qui palam, & publicè furetur, aut per insidias in via publica, aut per violentiam in domibus priuatorum, quodlibet enim ex iis publicum constituit latrocinium, vt bene expendit Decian. *lib.* 6. *tract. crim. c.* 28. *num.* 2. Alex. Ambrosin. *de immunit. Eccles. c.* 2. *num.* 3. & 4. Requiritur tamen, quod non semel, sed bis, vel ter fuerit hoc delictum commissum; quia latronis nomen frequentiam dicit, sic Decian. aliis relatis *num.* 2. *vers. atque ideo*, Ambrosin. *supra & cap.* 3. *num.* 5. *&c.* Farinac. *in append. de immunit cap.* 10. *num.* 154. & *num.* 164. Idemque affirmant de grassatore viarum quod non sufficit, vt immunitate priuetur semel grassatum fuisse.

Aduerto tamen si vno furto publico, vel ex aliquibus secretis quis diffamatus sit, & publicè latro reputetur, immunitate Ecclesiæ priuatur; quia vere est latro publicus. Sic Decian. *dicto cap. 28. num. 2. vers. neque tamen putarim & vers. sed posset dubitari*, Alexand. Ambrosin. *de immunit. & libert. c. 2. num. 3. ante finem, & num. 5.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 10. num. 150.* Aduerto secundò debere constare esse publicum latronem, vt immunitate Ecclesiæ quis priuetur, neque sufficit præsumptio, aut dubitatio; quia non præsumptè publicus latro, sed verè publicus latro excluditur. Vt autem hoc constet debet prius parte citata fieri informatio, & sententia declarari; aliàs delinquens retinet ius immunitatis. Sic Decian. *dicto n. 2. vers. At insurgit, & vers. & quoad constituendum*, Farinac. *n. 155. & 156.*

5 Ex his manifestè infertur simplicem furem immunitate gaudere. Tum quia non est publicus latro. Tum quia exceptio vnius firmat regulam in casibus non exceptis. Solùm est dubium, an ex consuetudine ab immunitate excludatur? Affirmat Couarr. *2. var. cap. 20. num. 16. ad finem* Clarus *in pract. lib. 5. § fin. quæst. 30. vers. quarto an fures*, Farinac. *de carcerib. quæst. 28. n. 51.* Suar. *lib. 3. c. 11. post num 4.* dicitque hanc consuetudinem non esse contra immunitatem Ecclesiæ; quia ex Ecclesiæ consensu interdicta est, vt hi delinquentes arceantur, Cæterùm, si constitutioni Gregorianæ standum est, quæ ad vnam tantùm formam hanc immunitatem reducit, sublata qualibet alia, & sub clausula irritante omninò dicendum est hanc consuetudinem (si defacto fuisset introducta) sublatam esse, & cum post illam constitutionem adhuc introduci non potuit; quia nondum transiit tempus legitimum ad illius introductionem; efficitur sanè ex consuetudine non esse hos simplices fures ab immunitate exclusos, & ita reuocans sententiam propriam, defendit Farinac. *in append. de imm. c. 6. n. 94.* Marian. Itali. *de imm. lib. 1. §. 1. n. 2.* Caldin. Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 10. n. 23.* Bonacin. *diff. 3. de prime decal. prac. q. 7. de imm. §. 4. n. 5.*

4 Secundò excipitur à priuilegio immunitatis nocturnus depopulator agrorum ex *cap. inter alia de immunit. Eccles.* & ibi omnes Doctores, & multis exornat. Alexand. Ambrosin. *de immunit. Eccles. c. 4. num. 5.* Farinac. *de carcerib. quæst 28. n. 50. & in append. de immunit. cap. 11. n. 158.* qui duplicem assignant rationem huius exclusionis. Prima; quia agrorum depopulatores plutibus per insidias exitium excogitant *cap. est iniusta 23. quæst. 4.* Secunda; quia tempublicam, eiusque quietem, & pacem grauiter perturbant *leg. 2. Cod. quando liceat vnicuique sine iudice ius sibi dicere.* Dicitur *agrorum nocturnus depopulator*, quia nocte agrorum segetes, seu vineatum fructus destruit ibi se abscondendo, aut alia via eos deuastando *leg. 1. Cod. quando liceat sine iudice ius sibi dicere:* sic Hostiens. Innocent. Ioann. Andr. *in supradicto cap. inter alia*, Decian. *lib. 6. cap. 25. num. 3.* Farinac. *locis allegatis*, Ambrosin. *n. 1.* Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 11. num. 10.* & alij ad huiusmodi immunitatis priuationem non requiritur delictum publicè fieri, sed quomodocumque factum sit si de illo constet, à priuilegio immunitatis excluditur: sic Ambrosin. *dicto c. 4. num. 3.* Farinac. *de immunit. n. 160.*

5 Hinc infertur diurnum agrorum depopulatorem sub hac exceptione non comprehendi; quia verbum *nocturni* positum in *dicto cap. inter alia* tacitè excludit diurnum, & cùm sit materia pœnalis non est extendenda. Solùm est dubium; an comprehendatur sub constitutione Gregoriana: ibi enim sine vlla limitatione dictum est à priuilegio immunitatis exclusos esse agrorum depopulatores. Ergo tam diurni, quàm nocturni comprehensi sunt: & ita affirmat Alexand. Ambrosin. *de immunit. cap. 4. n. 5.* Farinac. *de immunit. cap 11. n. 61.* Bonac. *disput. 3. quæst. 7. de immunit. § 4. num. 6.* Contrarium autem non videtur improbabile; quia constitutio Gregoriana ad firmandum ius commune, & reuocanda priuilegia illi contraria expedita fuit. Ergo cùm solùm dixit *depopulatores agrorum* intelligenda est iuxta ius commune, quod solùm nocturnos excludit. Item si Pontifex intendebat depopulatores tam nocturnos, quàm diurnos comprehendere, debebat exprimere? quia ius commune non debet censeri correctum, nisi claris verbis constet. Præterea hæc exclusio derogat immunitati, & constitutio odiosa, & pœnalis, ergo non latè, sed strictè interpretanda est. Ergo de solo nocturno, & non diurno debet intelligi. Verùm etsi diurnus agrorum depopulator non videatur sub his verbis comprehendi, comprehenditur tamen sub exceptione publici latronis, si publicè agros deuastauerit, secus si clandestinè.

6 Tertiò excipitur viarum grassator; tum ex *cap. inter alia* illis verbis. *Qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis.* Tum ex constitutione Greg. XI. vbi expressius loquens, inquit, *viarumque grassatores qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*; clare denotat verba *cap. inter alia* ad grassatores viarum referri, vt benè notauit Farinac. *in append. de immunit. cap. 12. n. 162.* Dicitur viarum grassator, qui cum impetu graditur, vt viatores spoliet, vulneret, vel occidat. An autem hoc debeat esse in viis publicis, & itineribus frequentatis, an sufficiat alibi hæc committere dubiæ quæstionis est? Nam Innocent. in *cap. inter alia, col. 2. verbo qui de immunit. Eccles.* & Hostiens. *n. 4. in verbo in punitas*, Ioann. Andreas *n. 6. verbo insidiis*, affirmant sufficere, si per insidias aggreditur, & si non fuerit in loco publico. Et ad textum in *cap. inter alia* responderi potest gratia exempli dictum esse. *Itinera frequentata, & publicas stratas obsident*, quia hi viarum grassatores frequentius ibidem aggrediantur. Cæterùm retinenda est communis sententia solùm comprehendi grassatores in viis publicis, & itineribus frequentatis, quia textus expressè de illis loquitur. Tum quia nomen via publicum iter donat. Tum quia illa verba ad declarationem delicti fuerunt apposita: & ita relatis aliis docet Ambrosin. *de immunit. & libert. Ecclesia, c. 3. n. 5.* Farinac. *in append. de imm. c. 12. n. 165.*

7 Quartò excipitur committens homicidium, vel mutilationem membrorum in Ecclesia *c. fin. de immunit. Eccles.* & ex bulla Gregorij in illis verbis. *Quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cæmeteriis committere non verentur*; & tenent omnes Doctores. Ratio huius decisionis, vt constat ex *dicto cap. inter alia* est. Tum quia delinquens in Ecclesia indignus est illius immunitate. Tum quia legis auxilium frustrà inuocat, qui legem contemnit *cap. quia frustra, de vsuris, & leg. auxilium, §. in delictis, de minorib.* Tum quia puniri debet quis in eo, in quo deliquit. Cùm ergo deliquerit in Ecclesia, puniri debet priuatione immunitatis.

8 Ex hac igitur ratione decidendi insurgit difficultas; an quodlibet delictum in Ecclesia priuet illius immunitate? Plures Doctores affirmant in *cap. inter alia*, Nauarr. *c. 25. num. 20.* Couarr. *2. var. cap 30. num. 15.* Ioann. Gutierr. *pract. quæst. cinil. lib. 3. q. 1. num. 19.* Bobadilla. *polit. lib 2. c. 4. num. 24.* Suar. *lib. 3. de reuerentia debita locis sacris, c. 11. n. 6.* Farinac. *q. 27. num. 53.* Et mouentur; quia ratio decidendi æqua est in omnibus delictis. Semper enim verum est indignum esse delinquentem in Ecclesia, vt Ecclesia illi faueat. Adde, spe immunitatis ibi delinquere censetur: indignus ergo est, vt ei concedatur. Item in Ecclesia delinquens, iustum est vt ab Ecclesia aliquo modo puniatur. Denique non videtur credibile Pontificem voluisse vulnerantibus in Ecclesia denegare immunitatem, illámve concedere committentibus adulteria, stupra, sodomias, &c. Ergo dicendum est expressisse Pontificem homicidium, & vulnerationem ratione frequentioris vsus, & alia omnia comprehendere sub ratione decidendi.

9 Nihilominus credo post constitutionem Gregor. probabilius esse committentes alia delicta in Ecclesia non obiice priuari immunitate, si tamen delicta non fuerint excepta, Sic Boërius *decis. 109. num. 3. ad medium*, Farinac. *in append. de immunit. cap. 16. num. 208.* Bonac. *disput. 3. quæst. 7. de immunit. §. 5. num. 12.* Ratio est, quia hæc priuatio immunitatis est pœna, sed pœna extendenda non est vltra verba legis. Ergo non est extendenda priuatio immunitatis ad alia crimina in Ecclesia commissa præter homicidium, & vulnerationem; cum de solis illis textus loquantur. Neque obstat rationem decidendi æquè in aliis casibus procedere. Hoc enim solùm probat iustissime in aliis idem constitui posse; non tamen probat defacto esse constitutum. Neque credendum est homicidium, & vulnerationem exempli causa tantùm apposita esse, sed verè appositа esse, vt materiam integrè prohibitam. Alia autem crimina non excluserit; quia ita frequentiora non sunt. Adde si crimina illa commissa in Ecclesia sacrilegium contineant, vt regulariter omnia crimina ibi commissa hanc qualitatem habent, poterit delinquens à iudice Ecclesiastico puniri; vel si aliter placet, poterit Ecclesiæ rector impetrare à Pontifice, vt non obstante immunitate delinquentes remittat iudici sæculari puniendos, quod Pontifex libentissimè concedit, vt benè aduertit Farinac. *supra*. Manet ergo firmum, solùm homicidium, & mutilationem in Ecclesia priuare illius immunitate, & taliter priuant illius immunitate; vt non solùm in Ecclesia materiali in qua delictum commisit, recipi non possit, sed neque in aliis, quia immunitas, à qua delinquens est priuatus eadem est in omnibus, & offendens vnam Ecclesiam, omnes offendit; quia vna est vniuersalis Ecclesia in toto orbe, iuxta illud. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*: Sic Couarr. *2. var. cap. 20. num. 15. vers. 13. delictum committens.* Varus *tract. lib. 5. §. fin. quæst. 32. sed quid*, Decian. *lib 6. cap. 28. n. 8. & 10.* Azor. *2. p. lib. 9. c. 9. vers. quid si quis*, Alex. Ambros. *de immunit. c 5. n. 3.* Farinac. *de Carceribus quæst. 28. num. 59 & in append. de immunit. c. 16. num. 219.* Anastas. Germon. *de sacra immunit. lib. 3. c. 16. n. 80.* Bonacin. *diff. 3. q. 7. de immunit. § 4 n. 7.*

10 Hinc infertur vulnerantem in Ecclesia, si ex tali vulnere mors non sequatur, non esse priuatum immunitate; quia vulnerare non est mutilare, aut occidere, & solùm mutilanti, aut occidenti hæc priuatio est imposita. Sic Boërius *dicta decis. 109. n. 3.* Farina. *in append. de immunit. c. 16. n. 227.* Infertur Secundò quid dicendum sit de eo, qui ad Ecclesiam armatus confugit? Plures enim Doctores eum immunitate priuant ex *leg. si seruus, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* Quæ lex etiam si loquatur in seruo, intelligenda venit de homine libero, vt notauit Petrus à Placha *in extr. delict. lib. 1. c. [illegible] n. 28.* In vtroque enim eadem est ratio: nam delatio armorum tam clericis, quàm laicis est prohibita; ergo illa ad Ecclesiam defeuens Ecclesiam offendit. Ergo indignus est eius immunitate; & ita tener

tenet Couarr. 2. *var. cap.* 20. *num.* 18. *vers.* 36. his proximè accedit Dec. an. *lib.* 6. *c.* 26. *n.* 10. *& lib.* 8. *c.* 3. *n.* 30 *&* 51. At ex dictis clarè constat sic armatum priuatum non esse immunitate. Nam esto Ecclesiam offenderit, non ob quamlibet offensionem in Ecclesia factam priuatur immunitate, sed solùm propter occisionem, vel mutilationem. Adde non quamlibet armorum delationem esse graue crimen dignum hac priuatione, sed illam tantùm. cui capitalis pœna esset annexa, vt benè aduertit Farinac. *tit. de carcer. q.* 28. *n.* 66. Quare ob solam illam delationem priuandus quis esset immunitate, casu quo propter aliquam priuaretur. At ob nullam priuatur, maximè, stante Gregoriana constitutione, quæ solùm excipit ab immunitate homicidas, & mutilatores in Ecclesia; vnde tacitè aliis delinquentibus priuilegium concedit: & ita tradit Farinac. *in append. de immunit. cap.* 16. *n.* 247. Alex. Ambros. *de immunit. c.* 5. *n.* 5.

Arma autem in Ecclesia auferenda sunt ab eis, non quidem per iudicem sæcularem, cùm in Ecclesia iurisdictionem exercere non possit, sed per iudicem Ecclesiasticum, quem offendit, Farinac. *num.* 248.

11 Sed inquires primò, an debeat hic homicida, vel mutilans delinque in Ecclesia sub spe immunitatis, vt censeatur immunitate priuari? Videtur requiri, quia textus indicto *cap. inter alia* hos tantùm delinquentes sub spe immunitatis voluit punire, vt constat ex princ. textus. *Nonnulli impunitatem suorum excessum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, &c.* Et infra, *qui nisi per Ecclesiam ad quam confugiunt, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri.* Sed pœnæ extendendæ non sunt ad alios comprehensos sub lege. Ergo non est extendenda hæc priuatio immunitatis ad alios, qui absque spe immunitatis delinquunt. Quòd si roges quando intelligetur quis delinquere sub spe immunitatis? Respondent Doctores, quando præmeditè; seu ex proposito delictum commissum est, & non ex subita rixa, & occasione, sic post alios antiquiores pluribus hanc sententiam firmant Ioan. Guttier. *pract. quæst. ciuil. lib.* 3. *quæst.* 1. *à num* 3. *& seqq.* Cardin. Tuschus *pract. concl. verbo Ecclesia, concl.* 11. *num.* 13. *&* 14. Ioann. Azor, *instit. moral.* 2. *p. lib* 9. *cap.* 9. *sub. quæst.* 9. Marian. Itali. *de immunit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 1. *& seqq.* Azebedo *lib.* 1. *tit.* 2. *leg.* 3. *n.* 24. *& seqq.* Farin. *in append. de immunit. c.* 16. *n.* 138.

12 Cæterùm probabilius credo quomodocumque in Ecclesia occidas, vel mutiles, siue sub spe immunitatis, siue absque illa priuari immunitate: sic post alios defendit Couarr. 2. *var. cap.* 20. *num.* 15. *vers.* 22. *deducitur*, Clarus, *pract.* §. *fin. q* 30. *vbi item quæro.* Decian. *lib.* 6. *cap.* 28. Nauarr. *cap.* 25. *n.* 20. Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num.* 54. Farinac. Suar. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. *fine*, Anastas. Germon. *de sacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 79. *vers. imo*, & Bonacina, *disputat.* 3. *q.* 7. *de immunit.* §. 4. *num.* 6. Ratio est, quia esto Pontifex coërcere voluerit audaciam illorum, qui ante illam constitutionem sub spe immunitatis in Ecclesia occidebant, & mutilabant; inde non infertur priuationem immunitatis illos solùm comprehendere; si quidem generaliter pronunciat homicidas, & mutilatores immunitate priuari. Potuit ergo ex particulari causa ad vniuersalem prohibitionem faciendam moueri. Quod autem sic factum sit, inde constat; quia postquam Pontifex retulerat aliquos sub spe immunitas in Ecclesia delinquere. Subdit: *cùm autem in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium inuocat, qui commisit in legem. Mandamus quatenus publicè nuncietis tales non debere gaudere immunitatis priuilegio, qui faciunt se indignos.* Ecce quomodo decisio absoluta est, & fundata præcipuè in ratione quadam communi, & generali, vt quis puniatur in eo, in quo deliquit. Adde concedamus Pontificem motum esse ad denegandum homicidis, & mutilatoribus priuilegium immunitatis; quia sub spe illius delinquebant. At negari non potest etiam motum esse; quia in Ecclesiam delinquit, & frustra auxilium illius implorat, cùm illam offenderit. Sed quando duplex est causa mouens ad aliquam dispositionem cessante vna, & alia perseuerante, non cessat dispositio, vt benè Couarr. & Farinac. inferunt; ergo. Item si solùm delinquentes sub spe immunitatis immunitate priuantur, redditur dispositio inutilis, & impossibilis: nam posita hac dispositione nullus sub spe immunitatis peccare potest, quia impossibile est talem spem habere, cùm videat eo ipso carere immunitate. E contra vero si aliquis aliquibus peccantibus concessa sit immunitas, & necessarium est quod taliter peccantes sperent concipiant immunitatis. Ergo gaudebunt, & non gaudebunt immunitate. Redditur ergo dispositio inutilis, & impossibilis. Tandem si constitutioni Gregorianæ inhærendum sit, clare constat non expostulari ad hanc priuationem, vt quis sub spe immunitatis peccet; si quidem eodem modo ac publicos latrones, viarumque grassatores, &c. excludit eos, *qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earúmve cæmeteriis committere non verentur.*

13 Aduerto tamen Doctores etiam oppositæ sententiæ conuenire peccantem in Ecclesia semper præsumi peccasse sub spe illius immunitatis; atque ita esse ab Ecclesia excludendum; dum ipse non probat casu & forte, non ex proposito peccasse, quia habet contra se legem, & ex communi omnium sententia probat Ioann. Guttier. *pract. quæst. ciuil. lib.* 3. *q.* 1. *num.* 8. Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 9. *cap.* 9. *sub quæst.* 9. Farinac. *in append. de immunit. cap.* 16. *n.* 241. Azebedo *leg.* 3. *n.* 25. *lib.* 1. *tit.* 25. Bobadilla *polit. lib.* 2. *c.* 14. *à n.* 24.

14 Inquire; secundò, an si ex stens in Ecclesia inde sagitta, scoplo, aliòue instrumento occidas existentem extra Ecclesiam priueris illius immunitate? Negat Bonacina *disputat.* 3. *q.* 7. *de immunit.* §. 4. *num.* 8. & consentit. Fagund. 2. *p. de præcept. Ecclesiæ, lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 17. Affirmans non esse hanc circunstantiam notabiliter agrauantem homicidij peccatum. Mouentur; quia verè in Ecclesia non occidit, sed solùm inchoat occisionem, at pœnæ impositæ sunt ob actum perfectum; & non ob inchoatum. Aliàs priuandus esses immunitate, si in Ecclesia suborta rixa euaginares gladium, & aduersarium insecutum extra Ecclesiam interimeres, quod non est dicendum.

15 Cæterùm tenenda est communis sententia affirmans te esse immunitate priuatum. Quia verè, & propriè diceris in Ecclesia occidere, cùm in ea apponas causam necessariam occisionis: si enim in ipsa Ecclesia aliquem vulnerares, & vulneratus extra Ecclesiam mortuus esset, homicidium in Ecclesia diceretis commississe, vt ipsemet Bonacin. ibidem fatetur. Et hoc nulla alia ratione nisi quia in Ecclesia apposuisti causam necessariam mortis: sed cùm ex Ecclesia immittis sagittam, qua existentem extra Ecclesiam occideres, est in Ecclesiam apposita causa necessaria mortis. Ergo censeris homicidium in Ecclesia commisisse. Secus est si euaginato gladio aduersarium insecutus extra Ecclesiam percuteres, & occideres; quia non est in Ecclesia apposita causa necessaria mortis: & ita post Abbatem *in cap. fin. n.* 11. & alios antiquiores docet Nauarr. *cap.* 25. *n.* 21. Decian. *lib.* 6. *cap.* 24. *n.* 7. *& cap.* 28. *n.* 6. Ioann. Guttier. *pract. q. ciuil. lib.* 2. *quæst.* 1. *n.* 19. Ambrosin. *de immunit. & libert. cap.* 5. *n.* 7. Couarruu. 2. *var. cap.* 10. *n.* 15. Suar. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 6. Azor. 2. *p. lib.* 9 *cap.* 9. *quæst.* 14. *vers. tertio*, Marian. Itali *lib.* 2. *cap.* 5. §. 3. Villagut. *de extens. legum, cap. fin. n.* 61. *& seqq.* Farinac. *de carc. rib. q.* 28. *n.* 61 *& in append. de immunit cap.* 16. *n.* 223. *& cons.* 214. *in princ.* Bobad. *lib.* 2. *polit. c.* 14. *n* 26.

16 Sed quid dicendum, si existens extra Ecclesiam existentem in Ecclesia occidas, priuandusne ex immunitate? Negat Villagutt. *de extens. legum, cap. fin. n.* 50. *& seqq.* & Ratio esse potest, quia ibi dicitur propriè delictum homicidij commissum, vbi apposita est causa necessaria mortis, ne nuper diximus: sed hoc factum est extra Ecclesiam. Ergo extra Ecclesiam dicendum est te occidisse. Ergo non priuaris immunitate. At tenenda est contraria sententia cum Nauarr. *cap.* 25. *num* 71. *vers. Nono item*, Couarruu. 2. *var. c.* 20 *num.* 15 *vers.* 27. Franc. Suarez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 7. *&* 8. Farinac. *de carcerib. q.* 28. *num* 61. *& in append. de immunit. cap.* 16. *num.* 224. Ambros. *de immunit. cap.* 5. *num.* 8. Marian. Itali, *de immunit. lib.* 1. *cap.* 5 §. 3. *num.* 47. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 7. §. 4. *num.* 7. *fine*, Bobadilla *supra.* Ratio est, quia in delictis potius executio, & perfectio illorum attenditur, quàm initium: si igitur ex initio dato in Ecclesia probatum est te verè esse homicidam loci sacri, à fortiori idem est dicendum ex fine & perfectione delicti. Confirmo. Homicidium formaliter consistit in priuatione vitæ, sed hominem in Ecclesia existentem vita priuas, tametsi tu extra Ecclesiam existas. Ergo verè, & propriè, in Ecclesia homicidium committis. Secus dicendum est, si existentem extra Ecclesiam vulnerasses, & vulneratus ad Ecclesiam accessisset ibi moriturus; quia tunc causa non ex mortis in Ecclesia, esto causa fueris mortis illius.

17 Inquires tertiò, an mandans aliquem in Ecclesia occidi, siue mandatum datum sit in Ecclesia, siue extra, priueris illius immunitate? affirmant plures, vt videre est apud Nauarr. *cap.* 24. *num.* 21. Ioannem Guttier. *lib.* 3. *quæst. ciuil. quæst* 2 *per totam.* Suar. *lib c.* 11. *n.* 7. *& n.* 26. Azor. *instit. moral.* 2 *p lib* 9. *c.* 9 *q.* 14. Marian. Itali. *lib.* 1. *c.* 5. §. 3. *à n.* 48. Decian *lib* 6. *c.* 28 *n.* 7. Farinac. *in append de immunit. c.* 16. *n.* 229. *&* 230. Ratio esse potest, quia verè committis crimen homicidij, & sacrilegij. Secus verò dicunt Decian. & Farinac. si ex stens in Ecclesia mandates occidi aliquem extra Ecclesiam: quia ex bulla Gregorij hic casus non est exceptus.

Cæterùm, credo probabilius in nullo ex iis casibus te esse priuatum immunitate; quia nullus immunitate priuandus est, nisi in casibus à iure expressis, vt habetur in constitutione Gregor. & ex iure ipso constat, quia non sunt pœnæ extendendæ, præcipuè quæ libertati humanæ, & Ecclesiæ immunitati obstant. At non est in iure expressum, priuatum esse immunitate mandantem occidere, sed occidentem, & mutilantem: sub occidente autem mandans non intelligitur, nisi in lata, & extensa significatione, quæ in pœnalibus facienda non est. Neque obstat *reg.* 72. *de Reg. iuris*, quod facis per alium, per te ipsum facere censeris; quia hoc intelligendum est non propriè, sed impropriè, & iuris interpretatione, quæ in pœnis non habet locum, nisi ab ipso iure facta sit extensio. Sic Bonacina *disput.* 3. *q.* 7. *de immunit.* §. 4. *num.* 9. Neque obstat contrarium fundamentum: committis namque quoad Deum crimen homicidij, non tamen defacto, & realiter occidis, physicè autem occidenti hæc priuatio imposita est, non occidenti moraliter.

18 Inquires quartò, an si vi dolo, & fraude aliquem ex Ecclesia extraxeris, & extractum occidas, immunitate priue-

ris; Affirmat Azor 2.p.*instit. mor.lib.*9. *cap.*9. *q.*14. *vers.item*, Farinac. *cap.in append. de immunit. cap.*16. *num* 232. Ratio esse potest; quia in Ecclesia dedisti causam occisionis; At tenendum est contrarium quia non dedisti causam occisionis necessariam, cùm liberè postea occideris, ideóque priuandus non es immunitate.

19 Inquires quintò, quæ mutilatio sufficiat ad hanc pœnam incurrendam? Constat ex dictis, *tract. de irregularit.* requiri abscissionem membri; nec sufficere vulnerare debilitando; quia aliud est debilitare, aliud mutilare. Item debet esse membrum, cuius officio corpus mouetur, & iuuatur, vt sunt oculi, pedes, manus, nares, lingua, mandibula, mamillæ, &c. Digiti autem, & dentes partes sunt membri, non membrum: sic præter ibi relatos docet Marian. Itali. *de immunit. lib.*1. *cap.*5 § 3. *num.*8. *& seqq.* Bonac. *disp.*3. *quæst.*7. *de immunit.* §.4. *num.*8. *fine*, Farinac. *in appendice de immunitate, c.* 16. *n.*249.

20 Inquires sextò, an si propè Ecclesiam mutiles, vel occidas priueris illius immunitate? videris priuatus; quia sub spe immunitatis præsumeris committere delictum. Ergo indignus es tali priuilegio *cap. quando, de consecrat. dist* 4. *cap. illud de Clerico excom. ministrante*. Aliàs Ecclesia Dei fiet spelunca latronum, eiusque immunitas occasionem præbebit perditis hominibus litius viuendi contra textum in *cap. est iniusta* 24. *q.*4. & ita defendit Nauarr. *cap.*25. *num.*22. Bobad. *polit lib.*2. *cap.*14. *num.* 26. Couarr. 2. *var. cap.*20. *num.*15. *vers.*26. Gigas *de crimine læsa maiestatis*, Rub. *qualiter, & à quibus, & c.q.*10. *num.*7. *&* 9. & alij plures relati à Farinac. *tract. de carcerib. q.*28. *num.*56. *& in append. de immunit. cap.*16. *num.*210. Aliis tamen Doctoribus placet hoc esse intelligendum in homicidio, & mutilatione facta ex proposito propè Ecclesiam. Secus si ex subitanea rixa, & casu factum fuerit, quia in primo præsumitur delictum factum sub spe immunitatis, ac proinde immunitate indignum, secus in secundo: sic pluribus firmat Decian. *tract. crim. lib.*6. *cap.*28. *num.*5. Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib.*3. *q.*1. *num.*15. Card. n. Tusch. *verbo Ecclesia, conc.*11. *num* 4. *in fine*, Farinac. *supra*, & testatur in vna Panormit. sic fuisse receptum à Clem. VIII. in dubio autem, an sub spe immunitatis deliqueris, cùm prope Ecclesiam delictum committis; censet & bene Farinac. aliis relatis in *append. num.* 214. sub spe immunitatis præsumi deliquisse, atque adeò tibi incumbit onus probandi contrarium, aliàs ab immunitate expellendis.

21 Cæterùm credo probabilius te immunitate gaudere, quomodocunque extra Ecclesiam eiusque cæmeterium delinquas, Suar. *lib.*3. *cap.*11. *num.*9. Bonac. *disp.*3. *q.*7. *de immunit.* §. 4. *num.*13. Ratio est, quia solùm ab immunitate exceptum est homicidium, & mutilatio in Ecclesia, quod constat tum ex *cap. vlt. de immunit. Eccles.* Tum ex constitutione Gregor. In his autem exceptionibus vtpote odiosis, & libertati humanæ, communitatíque Ecclesiæ derogantibus, non est facienda extensio. Ergo. Item quòd certo loco promissum est, in alio censetur prohibitum, & è contra quod in vno loco censetur prohibitum, in alio censetur permissum, *leg. cum lex, ff. de legibus. leg. cum prætor. ff. de iudiciis cum vulgar.* Sed solùm homicidium in Ecclesia prohibitum est sub priiuatione immunitatis. Ergo homicidio extra Ecclesiam tamesi propè illam immunitas est concessa. Hæc dicta sunt spectato iuris rigore, & præcipuè post constitutionem Gregorianam. Fateor tamen consuetudinem introduci posse, vt nemini occidenti, aut mutilanti prope Ecclesiam suffragetur immunitas, sed vsque adhuc non credo esse consuetudinem introductam, si standum est bullæ Greg. ipsa enim omnes consuetudines in contrarium reuocat, siquidem ad vnam formam omnia reducit sublata potestate aliter interpretandi, aut extendendi, & irritum facit quidquid secus tentatum fuerit. At post Gregor. non videtur cucurrisse tempus necessarium ad præscribendum contra legem Ecclesiasticam, Ergo.

22 Ad rationes contrarias respondeo indignum esse immunitate sic peccantem, si eius delictum, & persona spectetur. At immunitas non ipsi propter ipsum, sed ipsi propter locum sacrum conceditur, qui est omni priuilegio dignissimus. Neque inde fit fieri locum sacrum, spelunca, & asylum latronum. Tum quia ibi non furantur neque occidunt. Tum quia ibi existentes corrigi, & frænari à iudice Ecclesiastico possunt. Tum denique quia non est Ecclesiæ imputandus abusus illuc confugientium, cum ipsa solùm prætendat fauere miseris, eos à pœna liberando, non autem fouere eorum malitiam, & iniquitatem.

23 Inquires septimò? An ex homicidio, vel mutilatione facta in Ecclesia priueris immunitate quoad alia delicta ante, vel post commissa? Communis sententia docet te esse priuatum, si pro delicto commisso in Ecclesia punitus non es, secus si iam es punitus: quia dum non es punitus, non est Ecclesiæ satisfactum, ac proinde Ecclesia te à se ipsa expellit: sic docet Farinac. alios referens, *tit. de carcerib quæst.*28. *num.*60. *& in append. de immunit cap.*16. *num* 222. Cardin. Tuschus *verbo Ecclesia, num.* 11. Decian. *tract. crim. lib.*6. *cap.*28. *num.*9. Boërius *decis.*210. *n.*10. & alij.

At mihi probabilius est delictum in Ecclesia factum solùm priuare immunitate sibi aliàs debita, non autem priuare immunitate debita aliis delictis; quia nullibi constat hanc efficaciam habere, & pœnæ extendendæ non sunt, & ita tradit Couarr. alios referens 2. *var. cap.*20. *num.*15. *vers.*24. fauet Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib.*3. *q.*1. *n.*18.

24 Tandem inquires. Quis iudex possit delictum in Ecclesia factum punire? Respondeo, si delictum Ecclesiasticum est, vel à clerico commissum, solùm iudicem Ecclesiasticum illud punire posse, quia est extra iurisdictionem sæcularis iudicis. At si delictum sæculare sit, & à laico commissum, tunc iudex sæcularis, & Ecclesiasticus ad præuentionem procedere possunt; quia illud delictum sortitur vtrumque forum, & sæculare ratione personæ, & delicti; & Ecclesiasticum, eo quod in loco sacro commissum fuerit, & immunitatem illius loci violauerit. At si delinquens aufugerit, neque citatus comparuerit, vterque iudex pariter procedere potest, quia tunc non datur præuentio, cùm hæc possessionem delinquentis requirat, & sic iudex sæcularis procedere potest ad condemnandum reum in pœnis debitis delicto, & iudex Ecclesiasticus ad eas quas de iure apponere potest: sic post alios tradunt Salzedo *pract. crim. c.*87. *n.* 1. *in addit litt.* A. Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib.*3. *q.*1. *numero* 13. *&* 14. Tuschus *verbo Ecclesia, conclus.*5. *numero* 10. 14. *& seq & verbo immunitas, conclus.*59. *numero* 6. *vsque* 18. Francisc. Leo *thesauri Ecclesiast.* 1. *p. cap.* 14. Marcus Itali. *de immunit. lib.*1. *cap.*5 §.3. *n.*52. *&* 53. quos refert, & sequitur, Farinac. *in append. de immunit c.vlt. n.*364. *& cons.* 214. *num.*3.

25 Quintò excipitur ab immunitate qui proditorè proximum suum occiderit: sic videtur decisum in *cap.* 1. *de homic.* ibi: *si quis per insidiatriam occiderit proximum suum, & insidias ab altari auellit eum, vt moriatur*, & expressè traditur à Greg. XIV. in sua bulla ibi *aut qui proditorie proximum suum occiderit.* Dixi videri decisum in *cap.*1. quia non me latet plures, grauissimósque Doctores secutos Panormitanum affirmare supradictum textum non de immunitate Ecclesiæ loqui, sed de pœna irregularitatis, seu depositionis clerici, quia sub titulo de homicidio est constitutus, & non sub titulo de immunitate. At tenendum est cum communi sententia supradictum textum de quolibet ad Ecclesiam confugiente intelligendum esse, & de illius immunitate: desumptum enim est ex *Exod.* 21. quo loci occidenti absque insidiis concedebatur locus refugij, occidenti per insidias denegabatur. Ergo in eodem sensu vsurpatum est à Greg. IX. sic pluribus comprobat Couarruu. *lib.*2. *var. cap* 10. *sub. numero 6. vers. octauo*, Farinac. *tit. de carcerib. quæst.*28. *numero* 23. *& in append. de immunit. cap.* 9. *numero* 134. Francisc. Suar. *lib.* 3. *de reuerentia debita locis sacris, cap.* 11. *numero* 10. *& seqq.* Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib* 3. *q.*7. *n.*92. Tuschus *verbo Ecclesia, concl.*11. *n.* 5. & alij.

26 Ille autem dicitur proximum suum proditorie occidere, qui occidit incautum nihil tale præcauentem, vulgò *atraycion, aleuosamente, y sin que tal pensasse*, ex textu *in leg propter insidias, Cod. qui accusare non possunt, leg. sin cod. de delatorib. lib.*10. *leg.*4 *ff ad leg. Iul. maiest. c. clericus* 46. *dist. c. si cupis* 16. *q.*1. & pluribus comprobat Anton. Gom. 3. *var. cap.*3. *de homicidio, n.*5. Suar. *n.*12. Farinac *locis relatis, & q* 18. *n.*76. Hinc infertur, si veneno aliquem occidas, proditorie occidisse censeris: sic Suar. *num.*12. Farinac. *q.*18. *n.*74. *& quæst.*28. *num.*24. *fine, & in append de immunit. cap.*9. *num.*142. Decian. *lib.*6. *cap.*28. *n.*19. Anastas. Germon. *de sacror. immunit. lib.*3. *cap.*16. *n.*63. Infero secundò, si occidas inimicum promissione facta de illo non offerendo, proditor es; quia per promissionem fuit illi sublata omnis occasio se præcauendi. Sic pluribus firmat Farin. *lib.*2. *consil. cons.*268. *n.*75.

27 Dubium tamen est, an si inimicum dormientem, vel alio modo incautum per insidias occidas, priueris immunitate? affirmant plures quos sequitur Couarr. 2. *var. cap.* 20. *num.*7. *vers tandem hist.* Petr. à Placa *epit. delict. lib.*1. *cap.*21. *num.*2. Menoch. *de arbitr. casu* 461. *num* 27. Marian. Itali *tract. de immunit. Ecclesiæ, lib.*1. *cap.*5. §.4. *n.*1. *& seqq.* Villagutt. *de extensione legis, cap. fin. n* 53. *vers. quartus modus*, Azebedo *lib.*1. *tit.* 2. *num.*11. *in constitutione Hispaniæ*, Bobadilla *polit. lib.*2 *c.*14. *num.*34. *&* 35. & alij relati à Farinac. *locis referendis.* Mouentur, quia in *suprad. c.*1. ille dicitur proditorie occidere qui per insidiatriam, & insidias occidit, sed non obstante inimicitia occidisti per insidiatriam, & insidias, ergo proditorie. Ergo ab altari euellendus es.

28 Nihilominus probabilius censeo stante inimicitia, quantumcunque per insidias occidas inimicum, non priuaris immunitate. Quia non quæcunque insidiæ priuant immunitate, sed insidiæ, quæ proditionem constituunt. Si quidem Gregor. in sua constitutione solùm dixit excludendos esse ab immunitate, qui proditorie occiderint. At stante inimicitia insidiæ non constituunt proditionem, si quidem semper inimicus habet fundamentum se præcauendi, atque adeò sibi imputare debet, si incautè occidatur: sic etiam proditionem definit. Bart. *in leg. respiciendum, §. delinquunt ff. de pœnis, num.*1. *& seqq.* quam doctrinam pluribus comprobat Anton. Gom. *var. resolut. §. de homicidio, cas.*3. *num.* 3. Ambrosin. *cap.*6. *num.*3. *& seqq.* Vincent. de Franchis *dec.* 363. Suar. *lib.*3. *cap.*11. *n.*12.

Ioann.

Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib.1. quæst.2. & 3. num.18.* Farinac. *cons.76. num. 7. & 15. & in append. de imm. cap. 9. n.143.* vbi testatur hanc doctrinam admissam esse à Clem. VIII. in vna Panormitana immunitatis Ecclesiæ, ob quam rationem recedit à priori sententia, quam defenderat, *quæst.18. num.76.*

29 Secundò dubitatur, an si per industriam, & non per insidias proximum occidas, priueris immunitate. Plures Doctores affirmant te priuatum esse, quos refert Couarr. *2.var.cap.20. num.7.vers. in his profecto casibus*, & sequitur Clarus *pract.q.30. vers. iunctus est*, Decian. *lib.6.cap.28.num 15. per totum*, Farinac. *tit. de carcerib. quæst.28. num.23.* Ratio esse potest, quia in *dicto cap.1.* dicitur euellendum esse ab altari, & immunitate priuandum, qui per industriam occiderit, & per insidias. Sed ex his verbis clarè colligitur occidentem per industriam, etiamsi non occidat per insidias priuari immunitate. Tum quia copulatiua in qualibet illius parte vera esse debet. Tum quia aliàs superfluè apponeretur verbum illud per industriam; si quidem sufficiebat dicere per insidias, eò quòd occidens per insidias per industriam occidit. Nihilominus probabilius credo te non esse immunitate priuandum, quantumcunque animo deliberato proximum occideris, nisi proditoriè occidas: sic post alios antiquiores tradit Boërius *decis.109. num.39.* vbi testatur hanc esse communem opinionem, Couarr, *loco allegato*, Anton. Gom. *de delictu.cap.10. num.2.* Farinac. plures referens *cons.76.n.17.* Suar. *lib.3. cap.11. num.13.* Et quidem stante constitutione Gregor. res est clara; quia solùm ibi excipitur proditorium homicidium, qui autem ex industria, & animo pensato occidit; si non occidat per insidias, non est proditor. Ergo. At spectato iure communi res est difficilior, sed placet cum supradictis Doctoribus sentire, etsi in practica sæpe contrarium fiat, immerito tamen. Tum quia in pœnis non est facienda extensio, neque immunitas Ecclesiastica minuenda. Tum quia constitutio Gregorij, quæ casus controuersos decidere intendebat, apposuit verbum *proditoriè*, vt sic insinuaret in illis verbis per *industriam*, & per *insidias* idem esse significatum. Vnus enim terminus alterius est declaratio. Neque ibi est propositio copulatiua, sed simplex: facit enim hunc sensum, qui per industriam insidiosam occiderit proximum ab altari euellatur, quod manifestè constat: nam locus ille *Exod. 21.* ex quo textus desumptus est, concedit locum refugij ei, qui proximum insidiatus non fuerit. Neque inde fit superfluere verbum illud *per industriam*. Tum quia apponitur ad maiorem subsequentis declarationem. Tum quia idem inferri posset esse superfluum verbum *per insidias*, si omne homicidium per industriam ab immunitate esset exclusum, quia inde excluſum erat homicidium per insidias, quod esse non potest, nisi per industriam.

30 Tertiò dubitatur, an si per industriam vulneres proximum animo occidendi immunitate priueris, tametsi mors non sequatur? Affirmant Nauarr. *cap.25. num.22.* Couarr. *2.var. cap.20. num.7.* Boërius *decis 109.* Petrus à Placha *epit. delict. cap.21. sub.versrursus*, Farinac. *de carcerib. quæst.28. num.45.* Ioann. Guttier. *pract. quæst.ciuil.lib 3. quæst.7 num.55. & seqq.* & testatur hanc esse opinionem communiter receptam Azebedo *lib.1.tit.2.leg.3.num.9.vers.sed an erit idem*, Bobad. *lib.2.polit. cap.14. num.34.* Ratio esse potest; quia licet textus solùm dixerit *Si quis per industriam, & per insidias occiderit proximum suum ab altarieſſe euellendum.* At huiusmodi textus relationem facit ad locum Exodi: vbi in eius principio dicitur. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*, &c. Et deinde subdit, quasi hoc distinguens. *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, habebit locum, ad quem fugere possit, si autem per industriam, &c. ab altari est euellendus.* Quasi diceret Pontifex. Si quis in percussione hominis insidiis vsus non fuerit, locum habet refugij. At qui percusserit insidiosè volens occidere, vel occiderit, ab altari est euellendus. Cæterùm, tenenda est contraria sententia negans hunc esse immunitate priuatum: sic pluribus comprobat Decian. *cons.80. per totum, lib.3. & tract.crim. lib.6.cap.28. num.17.* Baiad ad Clarum *quæst.30. num.17.* Anastas. Germon. *de sacror. immunit. lib.4. cap.16. num.60.* Francisc. Suarez *lib.3. cap.11. num.14.* Marian. Itali, *de immunit. Eccles. lib.1.cap.5. §.4. num.22.* Farinac. *in append. de immunit cap.9. num.145. & 146. fine*, Villagutt. *de extens. legis cap. fin. num.54. & seqq.* Bonac. *disp.3. quæst.7. de immunit. §.4. num.16.* Ratio est, quia lex illa ceremonialis Exodi vim non habet, nisi quatenus ab Ecclesia recepta sit. At in *dicto cap.1. de Homicidio* solùm statuitur excludendum esse ab altari, hoc est immunitate priuandum, qui per industriam insidiosam proximum suum occiderit. Ergo non est dicendum vulnerantem insidiosè hac immunitate priuari, cum ex nullo textu iuris canonici hoc constet, & fortè hac de causa nobuit ius canonicum totam legem Exodi in textu inserere, sed solùm vltimam illius partem. Adde vigore constitutionis Greg. hoc esse manifestum, cum solùm ibi excipiatur, qui proximum proditoriè occiderit.

31 Quartò dubitatur, an proditoriè occidens insidelem priuetur immunitate? Negat Ambrosin. *de immunit.cap.7. num.12.* Bonac. *disp.3. de primo decal. præcepto, quæst.7. de immunit. §.4. num.16.* Mouentur, quia infidelis non est propriè noster proximus cùm nobiscum non communicet in fide, in sacramentis, & in Ecclesia, &c. Sed priuatio immunitatis imposita est occidendi proditoriè suum proximum. Ergo non est imposita occidenti infidelem. Cæterùm probabilius credo hunc occisorem ab immunitate esse priuatum; quia negari non potest infideles sub nomine nostri proximi propriissime comprehendi; aliàs præceptum illud de diligendo proximum sicut nos ipsos non extenderetur ad infideles, neque ex charitate illos diligere teneremur, quod est absurdum. Neque obstat nobiscum non communicare in fide, & sacramentis, &c. alias hæreticus, & peccator posset à proximitate excludi, quia nobiscum in fide, & charitate non conueniunt. Non ergo requiritur hæc communicatio ad proximi rationem constituendam, sed ex eo solùm quòd eandem nobiscum naturam participent, proximi nostri facti sunt; & ita tenet Marian. Itali. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap.5. § 4 num.20. & 21.* Farinac. *de immunit cap.8. num.120.*

32 Sextò excipitur ab immunitate assasinij reus, sic expressè bulla Gregorij. Assasinus dupliciter accipitur. Primò, & præcipuè pro quibusdam infidelibus, & gentilicis, & patrio nomine sic vocaris, qui ex mandato sui principis infideles homines occidebant: sic multis comprobat Couarr. *2.var.cap.20. num.10.* Per translationem autem communiter accipitur pro iis, qui pecunia, aliòue pretio conducti aliquem incautum occidunt, vt ex his, quæ tradit Couarr. *supra* Mascard. *concl.138.* Decian. *lib.6. cap.28. num.18.* constat. Hoc posito certum est assasinij reum ab immunitate esse excluſum ex constitutione Gregor. Dubium tamen est, an spectato iure communi excluſus sit. Et ratio difficultatis est, quia textus *in cap. pro humani, in homicidio in 6.* qui de hoc crimine loquitur, solùm cõmittenti imponit excommunicationem ipso facto, depositionem, & diffidationem, non tamen immunitatis priuationem. Ergo nisi huiusmodi assasinij reus occidat proximum proditoriè, immunitate non priuatur, & tunc non ob assasinium, sed occisionem proditoriam ex textu *in cap. 1. de Homicidio.* Adde *cap. pro humani* loquitur de iis, qui per quosdam infideles patrio nomine assasinos vocatos christianos interficiebant, vt optimè aliis relatis probat Couarr *supra.* Ergo qui non per huiusmodi infideles, sed per fideles fidelem interficeret, assasinij pœnas in *supradicto cap.* contentas non incurrit. Ergo nec priuandus immunitate. Cæterùm, etsi spectato iuris rigore censeat probabilius secluſa constitutione Gregorij assasinij reum immunitate priuatum non esse, nisi proditoriè occiderit. At ex consuetudine recepta, & à Doctoribus probata censeo priuatum esse: sic pluribus comprobat Farinac. *tit. de carcerib quæst. 18. num.16. & in append. de immunit. cap.8. num. 118. & tit. de homicid quæst.123. n.69.* Suar. *lib.3 cap.11. num.13.* Bonac. *disp.3 quæst 7.de immunit. §.4 num.18.* Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib.3. q.7. num.50 & seqq.*

33 Ex quo fit quemliber, siue infidelem, siue fidelem, qui pretio, vel pecunia conductus christianum incautum occiderit, excluſum esse ab immunitate; quia verè assasinij crimen committit in vulgari, & communi significatione, Farinac. *de carcerib.quæst.28.num.26. & in append.de immunit.cap 8.num.19. & seqq. & de Homicid.quæst 123.num.19* Bonac *supra.* Et licet textus *in cap. 1. de Homicidio, in 6.* non loquatur de mandatariis, sed de mandantibus, iam ad mandatarios ex communi acceptione pœnæ assasinij extenduntur; quia propriè assasinij dicuntur, Farinac. *tit.de assasinij crim. quæst 123. num.10.* Deinde esto textus loquatur, qui per infideles quosdam barbaros christianos occidebant, ex recepta tamen interpretatione extenditur ad eos, qui mediis fidelibus pecunia conductis Christianum occidunt, Farinac. *de Homic. quæst. 28.num.22.* Clarus §. *assasinum, num.1.* Decian. *tract. crim lib.6 cap.28. num. 18.* Ioann. Gutierr. *pract quæst. ciuil. lib. 3. quæst.7. num.1. & seqq.* Alex. Ambrosin. *de immunit. cap 7. num. 1. seqq.* Marian. Itali. *de immunit Eccles lib.2.cap.5. §.5. num.149.* Anastas. Gremonius *de sacrorum immunit. lib.5. cap.16. n.67.*

34 Dixi assasinum esse, qui pretio conductus proximum occiderit, ad cuius veritatem non requiritur quòd de facto pretium acceperit, sufficit si ei promissum sit, & promissionem acceptauerit, quia hæc promissio acceptata receptioni pecuniæ æqualet: & ita tenet Mascard. *de probat. lib.1. concl. 138.* Farinac. *de homicid. quæst 123. num 36. & 37.* Nomine pecuniæ intelligo quamlibet rem pretio æstimabilem, vt pluribus comprobat Gutierr. *pract.quæst.ciuil.lib.3. quæst.7 num.20.* Farinac. *de immunit.cap.8 num.125.* An autem res, seu pecunia promissa debeat esse in graui quantitate, & quæ animum mouere possit ad tale crimen patrandum, affirmat Farinac. *quæst. 123. num. 43. cum* Vulpell. *cons. 143. num. 9* Alexand. Ambrosin. *de immunit. cap.7. sub num.9* Vnde negat assasinij crimen committi ex donatione vnius paris caligarum. Et ratio esse potest; quia talis datio causa esse non potest talis criminis, cùm ex se apta non sit animum mouere. Item dici non potest pretium tam diræ aggressionis. Cæterùm, credo assasinium committi, quia si ex contracto illius paruæ rei occidisti, grauius peccasti, quia vitam alterius ita vilipendes, paruitas enim pretij non minuit, sed auget malitiam, vt contingit in simonia.

Sed quid si promisisset sicario dare aliquam in vxorem? Negat

Negat tunc committi crimen assasinij Bosius *tit. de mandatis ad homicidium, num.* 35. *vers. non vero etiam promissione vxoris ducenda*, quem videtur sequi Farinac. *quæst.* 123. *num.* 44. Mouentur, quia executio illius promissionis non est in voluntate promittentis. Ergo reputatur, ac si nihil promisisset. At existimo verè crimen assasinij committi; quia negari non potest talem promissionem esse pretio æstimabilem, siquidem ex illa promittens manet obligatus quoad fieri possit procurare, vt vxor promissa velit, & ex alia parte sicutus motus illa promissione crimen patrauit, Decian. *tract. crim. lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 16. *in fine.* Deinde requiritur, vt promissio fuerit certa, & specifica, nec sufficit generalis, & incerta, & quæ aliàs nullam inducit obligationem, quia hac stante gratis fit actio, vt si dicas mandatario te nunquam defuturum in ipsius necessitatibus, Bald. *cons.* 383. *incipiente*, Bectonus de Leuo *n.* 1. *vers. item fuit promissum*. Bosius *tit. de mandat. ad homicid. num.* 35. *hab. cons.* 170 *num.* 18. *& seqq. lib.* 1. Vulpellus *cons.* 143. *n.* 5. Baiard. ad Clarum *in* §. *assasinum. n.* 7. Farinac. *quæst.* 113. *num.* 145. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 7. *de immunit.* §. 4. *num.* 18. quamuis contra teneant plures ibidem à Farinac. relati. Item debet esse promissio acceptata, aliàs nullam inducit obligationem, Bald. *supra* Decian. *tract. crim. lib.* 9 *cap.* 30. *num.* 17. Farinac. *num.* 147. Adde debere esse promissionem, seu dationem pecuniæ pro ipsa occisione, non autem pro expensis itineris ad occidendum, aut occisorem à morte liberandum; quia ad crimen assasinij expostulatur, vt non gratis, sed pretio occisio fiat, sic Gab. *cons.* 170. *num.* 21. *&* 23. Bosius *tit. de mandatis ad homicid. n.* 34. Alexand. Ambrosin. *de immunit. cap.* 7. *sub num.* 9. Farinac. *de homicid. quæst.* 123. *num.* 158. *& de immunit. cap.* 8. *n.* 127. Bonac. *supra*. Verùm si nulla interueniente promissione aliquem occidas, vel occidere facias, motus spe acquirendi litem, vel complacendi tuo amico, nullo modo crimen assasinij committis, nec immunitate ob id priuaris, Paris. *cons.* 166. *à num.* 2. *lib.* 4. Baiard. ad Clarum §. *assasinum, n* 11. Farinac *quæst.* 123. *num.* 158. *& seqq. de immunit. cap.* 8. *num.* 138. Ambrosin. *de immunit. cap.* 7. *sub num.* 9. Bonac. §. 4. *num.* 17.

35 Aliquæ tamen restant enodandæ difficultates. Prima, an occidens pretio conductus infidelem assasinij crimen committat, & immunitate priuetur? Affirmant plures cum Decian. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 18. Marian. Itali. *de libert. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 20. *&* 21. Farinac. *de immunit. cap.* 8. *num.* 120. Mouentur, quia esse fidelem, vel infidelem per accidens videtur ad crimen assasinij, aliàs neque etiam occidens per fidelem illud committeret. Item infidelis etiam est verus proximus. Cæterùm, probabilius credo spectato iuris rigore assasinij crimen non committi occidendo infidelem: quia iuxta textus *in cap.* 1. *de homicidio in* 6. expresè dicit quempiam christianum. Ergo tacitè infidelem excludit. Item illa constitutio expedita fuit aduersus christianæ religionis hostes, &c. vt constat ex eius proœmio, quod occidentibus infideles conuenire non potest. Neque obstat infidelem verè esse proximum, quia non pro cuiuslibet proximi occisione hæc assasinij pœna incurritur, sed pro occisione christiani proximi? Secus verò est in occisione proditoriè facta, quia in *cap.* 1. *de homicid.* non fuit limitatum ad proximum christianum, sicut in hoc crimine assasinij limitatum est: & ita tenet post alios antiquiores Couarr. *var. resolut. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 10. *vers. quinto*, Clarus *in pract.* §. *assasinium, vers. benè verum est. Etque* 85. *vers. vbi agitur*, Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib.* 3. *quæst.* 7. *num.* 8. Alexand. Ambrosin. *tract. de immunit. cap.* 7. *n* 12. & pluribus firmat Farinac. *q.* 123. *num.* 33. Mascard. *de probat. lib.* 1. *concl.* 137. *n.* 13.

In dubio autem, an occisius, paganus, vel christianus reputandus sit. Variant Doctores, & plures affirmant paganum esse reputandum, dum contrarium probatum non fuerit saltem ex communi opinione: sic Alexand. Ambrosin. *de immunit., & libert. Ecclesiast. cap.* 7. *num.* 12. *&* 13. & consentit Farinac. *de immunit cap.* 8. *num.* 121. & alij apud ipsos. At credo probabilius, si in territorio christianorum reperiatur, vbi infideles non permittuntur liberè habitare præsumendum esse christianum: quia præsumptio debet desumi ex communiter contingentibus, *leg. certi*, §. *queniam ff. si certum petatur*. Sic Clarus, Ioann. Gutierr. *supra*, & Bonac. §. 4. *num.* 19.

36 Secundò, dubitatur, an occidens pretio conductus inimicum, committat crimen assasinij? Respondeo si occisus non solùm est inimicus mandantis, sed etiam occidentis, non committitur ab occisore assasinij crimen; quia dici non potest incautum occidere, cùm semper habeat inimicus occasionem se ab illo præcauendi. Secus verò, si solùm mandantis est inimicus, tunc crimen assasinij committitur, quia incautus occiditur: sic Alexand. Ambrosin. *de immunit. cap.* 7. *num.* 10. Couarr. 2. *var. cap.* 20. *num.* 9. *circa finem*, Bonac. *disp.* 3. *q.* 7. *de immunit.* §. 4. *n.* 18. Farinac. *quæst.* 123. *num.* 157. *& de immunit. cap.* 8. *n.* 132. Adde neque etiam dici assasinum, nec immunitate priuari eum qui conductus pecunia occidit inimicum mandantis præsente ipsomet mandante: sic Hieron. Gabr. *cons.* 170. *num.* 1. *& seqq. lib.* 1. Farinac. *quæst.* 113. *num.* 35. *&* 99. *&* 148. *& de immunit. Eccles. cap.* 8. *num.* 133. & alij apud ipsos. Ratio esse potest; quia tunc occisor auxilium videtur præstare mandanti, ipseque mandans videtur ibi esse præcipuus occisor; cùm autem ab eo se debebat occisus præcauere, non censetur illa occisio proditoriè facta; ac proinde nec digna immunitatis priuatione.

37 Tertiò dubitatur, an assasinij crimen committat, & immunitate priuetur, si accepit pecuniam ad vulnerandum, & non ad occidendum? Probabiliorem existimo partem negatiuam. Tum quia textus in *cap.* 1. *de homicidio in* 6. de interficientibus christianos loquitur, non de vulnerantibus. Tum quia assasinus videtur dictus ab eo, qui ex officio, seu contracta animam à corpore abscindit: & ita defendit Decian. *tract. crim. lib.* 9. *cap.* 30. *num.* 41. Vulpell. *cons.* 143. *num.* 1. Baiard. ad Clarum §. *assasinium, num.* 2. Farinac. *de homicid. quæst.* 123. *num.* 239 *& de immunit. cap.* 8. *num.* 134. Alex. Ambrosin. *de libert. c.* 7. *num.* 11. Ioann. *pract. quæst. ciuil. lib.* 3. *q.* 7. *n* 59.

38 Sed quid si accepit pecuniam ad occidendum, & non occidit, sed solùm vulnerauit? Negat Ioann. Gutierr. *lib.* 3. *pract. quæst.* 97. *num.* 59. gaudere immunitate, quia verè crimen assasinij committit, ad cuius malitiam solùm videtur requiri, vt acceperit pecuniam ad occidendum, & per ipsum non steterit, quin occidat. Cæterùm, mihi probabilius est gaudere immunitate; quia immunitas neganda non est nisi propriè committentibus crimen assasinij. Sed qui accepta pecunia alium vulnerauit, si tamen non occidit, non committit verè, & propriè crimen assasinij. Ergo. Minorem probo, quia textus *in cap.* 1. *de homicid. in* 6. vbi hoc crimen declaratur, solùm de mandante dicitur puniendum esse iisdem pœnis, siue mors sequatur, siue non, nihil tamen de mandatario dicitur. Ergo mandatarius qui mortem non intulit; relinquitur in hac parte dispositioni iuris communis, quæ est neminem ob vulnerationem tantum priuare immunitate, & ita tenet innumeros referens Farinac. *de homicid. quæst.* 123. *num.* 77. *& de immunit. cap* 8. *n.* 123. *fine*, Mascard. *de probat. concl.* 138. *n.* 2. *&* 5. Hieron. Zeuall. *comm. contra com. q* 540. *n.* 5. *& seqq.*

39 Quartò dubitatur, an mandans aliquem occidere sub promissione pecuniæ morte non secuta incurrat crimen assasinij, & immunitate priuetur? Probabilius credo incurrere, & immunitate priuari. Quia in *c.* 1. *de homicid. in* 6. ad pœnas illius capitis incurrendas sufficit mandatum effectu non secuto. *Ibi statuimus, vt quicunque princeps prælatus, seu quauis alia Ecclesiastica, seu secularis persona quempiam christianorum per proditos assasinos interfici fecerit, vel etiam mandauerit, quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur, aut eos receptauerit, vel defenderit, seu occultauerit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententiam ipso facto*, &c. Sed hæ pœnæ non incurruntur, nisi ob crimen assasinij. Ergo sic mandans reus est assasinij. Ergo immunitate priuatus: & ita tenet Decian. *lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 18. *ad finem*, Farinac. *de immunit. c.* 8. *num.* 128. & faciunt quæ congerit *quæst.* 123. *num.* 26. Adde etsi postea mandatum reuocauerit ante effectum secutum, non euitabit pœnas supradictas; quia iam etimen commisit, cui ipso facto sunt annexæ: licèt aliàs pœnas ab statuto impositas possit euitare: sic pluribus comprobat Farinac. *q.* 123. *num.* 79. *&* 82.

40 Quintò, dubitatur de receptante, defendente, & occultante assasinum. Dicendum ergo est hos immunitate priuari, si verè causa sint mortis illatæ; quia ex *supradicto textu pro humani de homicidia in* 6. afficiuntur pœnis impositis assasinis. Ergo signum est reos esse assasinij: & ita tenet Farinac *quæst.* 123. *à n.* 29. Debent tamen cognoscere sic auxiliantes assasinos esse, quibus auxilium præstant, & illis quatenus tales auxilium præstare debent, aliàs pœnas euitabunt, Farinac. *n* 34.

41 Sextò, excipiuntur ab immunitate hæresis rei: sic expressè habetur in bulla Gregor. & tradunt omnes, & meritò; quia est grauissimum crimen, & Ecclesiam Dei funditus euertit. Solùm est dubium; an non solùm hæretici, hoc est qui pertinaciter aliquid credunt contra fidem, sed etiam qui his auxilium præbent, immunitate priuentur? Ratio dubitandi est, quia hi non sunt hæretici; esto sint de hæresi suspecti. At solùm hæreticis negatur immunitas. Ergo. Dices negari hæresis reis, qui non solùm esse videntur hæretici, sed etiam qui eis auxilium præstant, &c. Sed contrà, quia reus hæresis est, qui hæresim committit, at auxiliatores hæreticorum hæresim non committunt. Ergo. Nihilominus dicendum est hos auxiliatores, & quoscunque alios, qui suspicionem hæresis incurrunt immunitate priuari, non per se, sed ratione hæresis, cuius suspicionem incurrunt. Cùm enim hæresis sit crimen exceptum, & hoc in animo consistat, & examinatione indigeat, quoties delinquens illius suspicionem incurrit, extrahi potest ab Ecclesia, vt examini subiiciatur, & sic est in praxi receptum, & tenet in præsenti Farinac. *de immunit. Ecclesiæ, cap.* 13. *num.* 175. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 7. *de immunit.* §. 4. *n.* 21.

42 Tandem in supradicta bulla Gregoriana excluditur à priuilegio immunitatis reus læsæ maiestatis in personam ipsiusmet principis. At spectato iure communi satis dubium est, an hi excludendi sint: nam esto hoc crimen grauius sit homicidio proditorio, non tamen licet priuationem immunitatis extendere ad alia crimina præter excepta, quia obstat textus *in cap.*

cap. inter alia de immunit. Eccles. concedens immunitatem quibusuis delinquentibus quantumcunque grauia crimina perpetrauerint, nisi in illis casibus excepris. Quapropter iure communi secluſa Gregoriana constitutione censerem gaudere vtique immunitate læsæ maiestatis reum, vt tradit Bosius, *tit. de capturа. num.* 3. Ioann. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib. 4. quæst 4. num.* 3. *iuncto num.* 9. Villagutt. *de extens. legum. cap. fin. num.* 5. *ante finem.* At stante constitutione Gregoriana res est absque controuersia, cùm ab immunitate excludantur læsæ maiestatis rei in personam ipsiusmet principis. Ex quibus verbis clarè colligitur reos læsæ maiestatis in statum principis, aut in eius consanguineos, vel consiliarios non priuari immunitate: sic Farinac. *de immunit. c.* 14. *n.* 190 *&* 192.

43 Nomine *principis* intelligitur qui supremam habet iurisdictionem, neminique est subiectus, qualis est Pontifex, Imperator; Galliæ, & Hispaniæ Rex, & in probabiliori sententia Dux Florentiæ, Austriæ, Sabaudiæ, Saxoniæ, & similium: sic Marian. Itali. *lib. 1. de immunit. Eccles. cap. 6. §. 7. num.* 18. Ambrosin. *de immunit. cap 9. num.* 5. Farinac. *in append. de immunit. cap.* 14 *num.* 188. & faciunt quæ tradit *q.* 112. *n.* 176.

Item debet intelligi princeps respectu offendentis, ita vt vel ratione originis, vel domicilij offendens subditus illi sit, aliàs crimen læsæ maiestatis non committet, vt constat ex textu *in clem. pastoral. §. denique & §. seq. de sententia, & re iud.* & tradit ibi glossa Immola, Cardin. Zabarella, & alij, Diaz *pract. c.* 119. *n.* 1. *in princ.* Anton. Gom. *de delictis, c.* 2. *n.* 10. Clarus *in pract. §. læsa maiestatis, num* 7. Farinac. multos referens *quæst.* 112. *n.* 240. *& in præsenti, append. de immunit. cap.* 14. *num.* 191. cum Alex. Ambrosin. *de immunit. & libert. cap* 9. *n.* 6. Marian. Itali. *eodem, tract. lib.* 1. *cap.* 5. §. 7. *n.* 48. *& seqq.*

PVNCTVM X.

An sint alij casus excepti ab immunitate præter supradictos.

1 *Non sunt alij à supradictis.*
2 *Non videtur consuetudine alios esse introductos.*
3 *Ex identitate, vel maioritate rationis pluribus placet alios casus esse excipiendos.*
4 *Probabilius est oppositum.*
5 *Raptores virginum & adulteri priuantur ex plurium sententia immunitate. Sed non probatur.*
6 *Sodomita non est spectato iuris rigore immunitate priuatus.*
7 *Sacrilegus, nisi homicida, aut mutilans sit in Ecclesia non priuatur immunitate.*
8 *Periurus, & falsus testis immunitate gaudet.*
9 *Incendiarius immunitate gaudet, tametsi plures Doctores contra sentiant.*
10 *Iudices, aliique ministri extrahentes violenter, & iniustè delinquentem ad Ecclesiam confugientem, immunitate gaudent.*
11 *Fabricator falsæ monetæ immunitate gaudet.*
12 *Delinquentibus in criminibus exceptis prodest immunitas quoad non excepta.*

1 REgula generalis est nullos alios esse. Tum quia *in cap. inter alia de immunit. Eccles.* concedit immunitas quibusuis delinquentibus, quantumuis grauia crimina commiserint, & so. um aliqui casus in præcedenti puncto enumerati excipiuntur. Ergo omnes alij ex vi illius textus manent comprehensi. Tum etiam quia in bulla Gregor. quæ expedita fuit eò forte, vt omnia ad vnam formam redigerentur, expresè apponuntur casus in supradicto puncto excepti, & nullus alius. Ergo nullus alius manet ab immunitate Ecclesiarum exclusus ex regula. Quòd exceptio firmat contrarium in casibus non exceptis *leg. nam quod liquidè, §. fin. in* 1. *responso, ff. de penu legata, cap. domus* 32. *quæst.* 7. Deinde quia excipiens Pontifex supradictos casus apponit dictionem taxatiuam *tantum*, quæ de sui natura impedit extensionem in non exceptis ex *leg. si cum exceptione, §. quòd si homo, ff. quòd metus causa, leg. properandum, §.* 1. *Cod. de iudiciis, §.* 1. *in fine. instit. de stipul. seruor.* Præterea talis exceptio fit per modum formæ, vt constat ex illis verbis, *ad vnam tantum formam reducimus.* Ergo illis nihil addi, aut diminui potest. iuxta doctrinam Roland. *cons.* 10. *num.* 3. *& cons.* 72 *num.* 60. *&* 68. *lib* 3. *Paris. cons.* 19 *n.* 188. *lib.* 2.

2 Sed dubium est, an ratione consuetudinis alij casus excipiantur? Videntur excipi. Tum quia consuetudo legitimè præscripta vim habet derogandi Ecclesiasticam legem. Tum quia bulla Gregorij, non videtur consuetudines tollere, sed solùm priuilegia, & indulta principibus concessa. Et casu quo consuetudines tolleret, adhuc possent denuò introduci, præcipuè videntibus, & tacentibus prælatis; & ita esse introductam consuetudinem extrahendi plures delinquentes à locis sacris per iudices sæculares firmat Clarus *in pract. §. fin. quæst.* 30. *vers. sciat autem*, Suar. *lib.* 3. *cap.* 11. Oldradus *cons.* 54. *num.* 2. Petr. Gregor. *syntag. iuris, lib.* 33. *cap.* 22. *num.* 3. *in discursu*, & alij relati à Farinac. *de carcerib. quæst.* 28. *num.* 73. *& de immunit. cap.* 2. *num.* 16. & à Bossio *tit. de captura, num.* 3. & ab Ambros. *de immunit. cap.* 14.

Sed tenendum est ex ratione consuetudinis nullum esse casum præter supradictum exceptum, quia omnes consuetudines derogantes immunitati Ecclesiæ sublatæ sunt à Conc. *sess.* 25. *cap.* 20. quatenus ibi renouatur obseruantia immunitatis secundùm canones, & summorum Pontificum constitutiones. Post concilium autem, ante bullam Greg non fuit tempus sufficiens ad introducendam consuetudinem aduersùs Ecclesiasticam legem, quæ requirit ad minus tempus quadragenarium. Ex bulla verò Gregorij omnes consuetudines sublatæ sunt: nam esto expresè reuocatæ non fuerint, per æquipollentia verba reuocantur. Tum quia ibi adest clausula *sublata*, &c. quia tollitur omnis facultas aliter iudicandi, aut interpretandi, iuxta *cap. si eo tempore de elect. in* 6. & optimè tradit Franc. Leo *in thesauro fori Ecclesiast. 1. part. cap.* 13. *numero* 27. *&* 28. Tum quia adest ibi decretum irritans, contra quod allegari non potest contrarius vsus, vt relato Cassad. Puteo, & aliis docet Farinac. *in oppositione de immunit. cap. 2. numero* 15. Tum quia hæc constitutio expedita fuit vt ad vnam formam omnes casus immunitatis reducerentur, de cuius natura est, vt ad vnguem seruetur. Tum quia consuetudo derogans immunitatem corruptela à Pontifice nominatur. Tum denique quia expresè derogat quamlibet facultatem, quomodocumque emanauerit à sede Apostolica contrarium iudicandi, sub qua tam statutum, quàm lex, & consuetudo videntur comprehendi; & ita tenet, laréque probat Ambrosin. *de immunit. cap.* 14. Marian Itali *de immunit. lib. 1. cap. 6. in princ.* Bonac. *disput 3. de primo decal. præcepto, quæst.* 7. *de immunit. §. 6. n.* 4. Neque obstat Pontificem motum esse ad illam constitutionem expediendam ob priuilegia, & indulta, quæ princeps secularis prætendebat habere, quæque immunitati derogabant. Nam esto ex illo capite motus fuerit, simul etiam voluit consuetudinibus contrariis derogare, & normam generalem vbique seruandam in materia immunitatis constituere, vt constat ex dictis, & ex illis verbis. *Sublata qualibet differentia ad vnam formam tantùm reducimus.* &c. Adde alleganti consuetudinem immunitati contrariam credendum non est, nisi probet *ex leg. in bello, §. facta, ff. de capt. & postlim. reuers.* & tradit Menoch. *cons* 37. *num.* 92. Surdus *l.* 3. *cons* 354. *num.* 2. Farinac. *in append. de immunit. cap.* 2. *num.* 18. Bonac. *disp.* 3. *q.* 7. *§. 6. num.* 4.

3 Secundò dubitatur, an ex identitate, vel maioritate rationis alij casus excipiantur? Negari enim non potest plures esse casus grauiores, & atrociores iis, qui ab Innocent. III. Greg IX. & XIV. excipiuntur, quales sunt, raptus, adulterium, sodomia, incendium, furtum, sacrilegium, & similia. Quæ si ex identitate, vel maioritate rationis non excipiuntur ab immunitate, occasio datur perditis hominibus liberiùs viuendi, grauiaque crimina patrandi freti spe securitatis ab Ecclesiastica immunitate concessæ. Ne ergo immunitas Ecclesiæ, quæ in honorem Dei fuit introducta, cedat in eius iniuriam, dicendum videtur in supradictis casibus non prodesse, & fauet Decian. *tract. crim. lib. 6. cap.* 28. *num.* 20. *vers. & licet certi tantùm casus*, vbi probat ex identitate rationis constitutionem etiam pœnalem extendi posse ad alios similes casus, quod maiorem vim habet, quoties in dispositione legis ratio scripta est. Nam tunc non dicitur lex pœnalis extendi, sed comprehendi, & intelligi sub expresso *leg. nominis & rei, ff. de verbor. significat.* Neque illa extensio est extensio, sed intellectio legis, & illius declaratio, vt tradit Bald. *in leg. quamuis circa princ Cod. de fidei commis.* Oldrad. *cons.* 185. *in fine*, Calderin. *cons.* 1. *tit. vt lite pendente, & cons* 1. *tit. de Regularib.*

4 Dicendum tamen est, ex identitate, vel maioritate rationis nullum casum excipiendum esse. Primò, quia facienda non est extensio ex identitate rationis, quando talis extensio præiudicat causæ fauorabili; qualis est Ecclesiastica immunitas. Secundò, quia si vltra casus exceptos liceret alios ob identitatem, vel maioritatem rationis excipere, Regula assignata in *cap. inter alia*, & tradita à Greg. in sua bulla destrueretur; quia nihil firmum, & stabile esset constitutum. Tertiò, quia pœnæ locum non habent nisi in casibus expressis, vt multis probat Villagut. *in tract. de extens. legum, Rub. de extens. legis pœnalis respectu mere pœnæ per totam*; Et ita in præsenti casu non dari extensionem ex identitate, vel maioritate rationis tradit Suar. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 15. *&* 17. Franc. Leo *in thesauro fori Ecclesiast. cap* 13. *Rub. de immunit. Eccles. post num.* 27. Farinac. *in append. de immunit. cap. vlt. num.* 353. Ioann Gutierr. *pract. quæst. lib* 2. *c.* 4. *num.* 12. *&* 17. Anastas. Germon. *de sacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 56. Alexand. Ambros. *de immunit. & libert. Eccles. cap.* 1 *num.* 13. *& seqq*

5 Ex his infertur primò, quid dicendum sit de raptoribus virginum, & adulteris ad Ecclesiam confugientibus? Aliqui enim existimant immunitate esse priuatos, tum ex auth. de mandatis principium, §. *neque autem, collat.* 3. Tum ob consuetudinem, quæ est optima legum interpres, quæ iis criminibus atrocibus denegat securitatem. Tum quia raptus est quædam rapina

grauior quolibet alio latrocinio; ac proinde comprehendi potest in casu latrocinij excepto: & ita probabile reputat Suar. *lib. 3. cap. 11. num. 17.* & tradit Boëtius *decis. 190. ante finem*, Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 28. num. 20. in fine*, Anton. de Butrio *cap. inter alia, num. 18. de immunit. Eccles.* Angel. *de maleficiis, in verbo quod fama publica, num. 59. in princ.* & ibi addentes *litt. B. post medium.*

At omninò tenendum est contrarium hos raptores, & adulteros immunitate gaudere. Tum quia non sunt casus expressè excepti in supradictis bullis. Tum quia in *cap. de raptoribus. 36. q. 1.* his conceditur immunitas, & ita post alios antiquiores defendit Suar. *supra*, Azor. *2. p. instit. moral. lib. 9. cap. 9. vers. quid verè de raptoribus*, Tuschus *verbo Ecclesia concl. 11. num. 35. & 36.* Farinac. *de carcerib. q. 28. num. 17. & seqq.* Et licet ibi dicat seruandam esse consuetudinem, vbi viguerit. At in *append. de immunit. cap. 6. n. 88.* mutat sententiam nullo modo consuetudini esse standum. Idem tradit Ioan. Gutierr. *pract. quæst. ciuil. lib. 3. quæst. 5. per totam.* Anastas. Germ. *de sacror. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 57.* Mari. Itali. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 3. §. 2. num. 8.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. §. 4. num 4.* Neque obstant in contrarium dicta; quia solùm probant ex iure ciuili raptores, & adulteros ab immunitate esse exclusos. Ius autem canonicum illos textus corrigit, & in materia immunitatis Ecclesiasticæ Pontificiæ constitutioni standum est, vt multis relatis comprobat Farinac. *in append. de immunit. cap. 2. num. 27. & seqq.* Consuetudini autem iam sæpè diximus derogatum esse.

6 Secundò infertur quid dicendum sit de Sodomita? Clarum est esse grauissimum crimen, ita vt constitutionibus regijs pœnam mortis habeat annexam, & ex constitutione Pij V. curiæ sæculari clerici delinquentes traduntur, ob quas rationes Marian. Itali. *tract. de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 3.* affirmat sic delinquentem priuatum esse immunitate. Cæterùm, contrarium verius esse credo; quia nullibi hoc crimen excipitur, & in materia pœnali immunitatem derogante non licet extensionem facere: & ita tradit Farinac. *in append. de immunitate cap. 6. num. 98.* vbi aduertit si Pontifex consulatur, daturum facultatem absque dubio, vt curiæ sæculari remittatur hic sodomita, maximè si de pluribus actibus infamatus fuerit: hoc enim requirit constitutio Pij V. vt tradit Nauarr. *c. 27. num. 249. vers. tertio dico.*

7 Tertiò infertur quid dicendum de sacrilego? Tametsi plures Doctores, quos refert, & sequitur Ioann. Gutierr. *pract. quæst. lib. 3. q. 1. num. 33.* Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 12. num. 19.* Pett. Greg *sintag. iuris, cap. 22. num. 1.* sentiant immunitate priuari. Tum quia grauissimum crimen est. Tum quia est specialiter contra reuerentiam debitam Deo; ac proinde contrarium immunitati. Nihilominus affirmandum est ab immunitate non excludi; quia in *cap. inter alia, & constitutione Gregoriana* solùm excipitur sacrilegium ob homicidium, & vulnerationem in Ecclesia factam. Ergo alia sacrilegia excepta non sunt. Ergo comprehenduntur sub priuilegio concessa in *cap. inter alia*: & ita tenet Nauarr. *cap. 25. n. 19.* Alexand. Ambrosin. *de immun. t. cap. 5. n. 6.* Marian. Itali. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 3. n. 75. & seqq.* Farinac. *in Append. cap. 6. n. 99.* Hinc fit blasphemum, & superstitiosum immunitate gaudere, nisi de suspicione hæresis examinandus sit; quia non sunt crimina excepta, Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit. §. 4. num. 3.* quamuis contrarium teneat Farinac. *de carceribus, q. 28. num. 67.* Sed loquitur ante constitutionem Gregorianam, eo motus argumento; quia qui delinquit aduersùs Ecclesiam sponsam, non gaudet immunitate, à fortiori qui aduersùs sponsum, & caput Ecclesiæ delinquit. Sed non placet ratio, aliàs omnia peccata ab immunitate essent excluſa; quia omnia sunt contra Deum. Item non est verum quemlibet delinquentem contra Ecclesiam eius immunitate priuari, sed solum homicidam, & mutilatorem. Adde ob similitudinem, vel maioritatem rationis has pœnas extendendas non esse.

8 Quartò infertur quid dicendum de periuro, & falso teste? Et quidem immunitate gaudere constat ex ratione sæpè repetita, quòd non est crimen exceptum, & consequenter comprehendi debet sub regula generali: & ita tradit Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 28. n. 121.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 9. num. 140.* Neque obstat periurum, & falsum testem homicidæ æquiparari *cap. fin. 22. quæst. 1.* Nam vt rectè dicunt Decian. & Farinac. *supra* æquiparatur homicidæ voluntario, non proditorio, qui solùm est ab immunitate exceptus. Adde æquiparari quoad pœnitentiam imponendam, ita vt possit pro ipso eadem pœnitentia imponi, non tamen æquiparatur quoad omnes effectus, alias periurus esset irregularis, si est homicida. Item ad priuationem immunitatis non sufficit æquiparatio, sed identitas; quia in pœnis non datur extensio de casu ad casum, & de persona ad personam. Deinde æquiparatur eodem modo in *supra dicto cap.* fornicationi, & adulterio, & tamen hæc non priuat, vt diximus immunitate. Ergo neque periurium. Sed quid si periurio causa fuisti, vt aliquis morti esset damnatus, alias non damnandus? Marian. Itali. *de immunit. Ecclesiæ, lib. 1. cap. 5. §. 4. & cap. 5. num. 145. & seqq.* affirmat te esse priuatum, quia homicida proditorius censeris. Dubius est Farinac. *in append. num. 141.* & consulendum esse sanctissimum, dicit. At dicendum est te priuatum non esse, quia esto mortaliter occideris non tamen physicè, sed physicè tantùm occidenti negatur immunitas; quia hic est qui propriè occidit. Ergo mortaliter occidenti concessa est. Et faciunt quæ diximus de mandante.

9 Quintò infertur ad casum, quid dicendum de incendiarijs: affirmant graues Doctores immunitate priuatos esse. Tum quia æquiparantur agrorum depopulatoribus, vt constat ex *cap. pessimam. 23. quæst. 8.* Tum quia in *dicto cap.* illis negatur immunitas. Quatenus datur facultas Regibus, & Principibus eos puniendi consultis Episcopis, & Archiepiscopis. Quod tamen consilium necessarium non esset. Si ipsi incendiarij ad Ecclesiam non confugissent. Supponitur ergo in textu eos ad Ecclesiam confugisse, & hoc non obstante non negatur facultas Regibus, & Principibus eos puniendi, consultis tamen Episcopis. Cæterum, verius existimo supradictos immunitate gaudere, Farinac. *in append. de immunit. cap. 6. num. 105.* Ratio est, quia in *cap. inter alia.* & aliis iuribus, & in bulla Gregorij non excipiuntur. Sed omnibus delinquentibus conceditur immunitas, nisi in casibus exceptis. Ergo iis est concessa. Neque obstat hoc crimen simile esse depopulationi agrorum: quia cùm non sit idem, sed diuersum, exceptio vnius, non est exceptio alterius; imò potius firmat regulam in casibus non exceptis. Adde ex suprad. textu non colligi hos incendiarios ad Ecclesiam confugisse: consilium enim Episcoporum non petitur, quia ad Ecclesiam confugerint, sed vt cordatè, & prudenter Reges, & Principes procedant in assignanda pœna iis delinquentibus, cùm secundùm ius antiquum variæ sint constitutæ: sic Glossa *ibi.*

10 Sextò infertur quid dicendum sit de iudicibus, aliisque ministris violenter extrahentibus confugientem ad locum sacrum, an ob huiusmodi delictum immunitate priuentur? Affirmant Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 25. numero 7. post med. & cap. 26. num. 9.* Pett. Gregor. *sintag. iuris, lib. 33. cap. 21. sub num. 3. & cap. 22. num. 2.* Marian. Itali. *de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 15.* Anastas. Germon. *de sacror. immunit. lib 3. cap. 16. num. 104. & seqq.* Mouentur tum ex consilio Eutropij consulis, qui legem tulerat aduersùs immunitatem Ecclesiasticam, & postea ipse ad Ecclesiam confugiens clausas portas inuenit, & in porticu occisus fuit. Tum quia non debet prodesse immunitas ei, qui noluit alteri prodesse, neque conqueri potest, si mensura qua alios mensus fuit, ei remetiatur. At existimo ob hoc delictum immunitate delinquentes gaudere ratione sæpe repetita; quia non est ex criminibus expressè exceptis: & ita tenet Farinac. *in append. de immunit. cap. 6. num. 106.* Neque obstat dignum esse, vt immunitate priuetur; quia hoc solùm probat posse legem statui, qua priuetur, non tamen probat de facto statutam esse. Adde decentiam & congruentiam esse, ne gauderet immunitate extrahens ex Ecclesia delinquentem; in illo, in quam, delicto, in quo extractus deliquerat, vt euenit in casu. Secus verò in delicto extractionis, aut alterius diuersi.

11 Septimò infertur fabricantes falsam monetam immunitate Ecclesiæ gaudere; quia non est crimen exceptum in bulla Gregoriana, neque alibi. Neque obstat committere iniustitiam aduersùs rempublicam, & Regem, esseque crimen læsæ maiestatis, & non leue, graue, publicumque furtum. Non, inquam, obstat; quia absolutè non est publicum latrocinium, cùm non fiat cum violentia, & publicitate. Neque item est crimen læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis, sed in eius statum: ac proinde non est ex criminibus exceptis: & ita tradit Ioannes Gutierr. *pract. quæstion. ciuil. lib. 3. quæst. 4. per totam*, Farinac. *in append. de immunit. cap. 6. num. 91.*

12 Octauò infertur, an delinquentibus in criminibus exceptis prosit illis immunitas quoad alia crimina non excepta, verbi gratia, an homicidæ proditorie prosit immunitas quoad crimen adulterij, stupri, simplicis furti, &c. ita vt extrahi non possit ad horum punitionem? Et quæstio procedit, quando iudex non intendit punire homicidium, nam si illud punire intendat, & ob illius causam reum è loco sacro extrahat, clarum est tunc reliqua crimina posse punire; quia tunc non censetur delinquentem extrahere à loco sacro ob alia crimina, sed iam iustè extractum punit. At si solùm non excepta crimina punire intendit, etsi alicui videatur posse delinquentem extrahi, quia absolutè immunitate priuatus est; At probabilius existimo nequaquam posse; quia pœnales constitutiones immunitatem derogantes accipiendæ sunt in rigorosa, & formali significatione. Ergo constitutio excludens delinquentes ab immunitate in aliquibus casibus accipienda est in formali, & propria eius significatione. Ergo solùm comprehendit delinquentes, quatenus tales sunt, hoc est, quatenus talia crimina commiserunt. Ergo quoad alia crimina manent securi, sic Decian. *lib. 6. cap. 26. num. 6.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. num. 67. fine*, Bonac. *disput. 3. quæst. 7. immunit. §. 4. fine, num. 23.*

PVNCTVM

PVNCTVM XI.

Quos effectus habeat immunitas.

1 *Non potest inuitus extrahi.*
2 *Extractus per violentiam restituendus est.*
3 *Blanditiis, & dolosis verbis extractus capi potest.*
4 *Ex licentia Ecclesiæ potest extrahi delinquens, quam licentiam prælatus dare potest accepto iuramento de pœnarum securitate secundùm aliquos.*
5 *Non licet extra casus exceptos reum iudici sæculari consignare.*
6 *In Ecclesia non potest delinquens gaudens immunitate vinculis alligari, etiam dum causa examinatur, & dubium est, an gaudeat immunitate.*
7 *Confugienti ad Ecclesiam non possunt vitæ necessaria impediri.*
8 *Bona delinquentis, quæ ad Ecclesiam tulerit, non possunt auferri.*
9 *Non potest dum in Ecclesia existit ad mortem, vel ad pœnam damnari, benè tamen in aliqua pœna pecuniaria.*
10 *Hanc pœnam, si ab Ecclesia non exit, solus iudex Ecclesiasticus imponere potest.*
11 *Quid consuetudine in hac parte introductum sit de modo procedendi aduersus delinquentem confugientem ad Ecclesiam.*
12 *Extractus ab Ecclesia in casibus non exceptis debet ante omnia Ecclesiæ restitui.*
13 *Non est necessarium eidem materiali Ecclesiæ restitui, sufficit si æquè tuta.*
14 *Nulla est extractio delinquentis extra casus exceptos.*
15 *Iudici extrahenti delinquentem extra casus exceptos resisti potest, & qua ratione fieri possit hæc resistentia.*

1 PLures enumerantur à Doctoribus. Primus, & præcipuus est sæpè repetitus, vt non possis inde inuitus extrahi, & contra voluntatem Ecclesiæ; textus expressus *in leg. 2. Cod. de his qui ad Eccles. confugiunt:* ibi sanctimus nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes adducere, & ex iure canonico *cap. inter alia, de immunit. cap. Viror. cap. Frater; cap. reum, cap diffiniuit. & alijs 17. quæst 4.* Dixi ne possis inuitus extrahi: si enim ipse liberè exeas, sic egressum poterit iudex sæcularis te capere; quia immunitas personis conceditur ratione loci. Vnde à loco exeunti immunitas non conceditur, Francisc. Suar. *lib. 3. cap. 12. num. 5.* Decian. *lib. 6. cap. 26. n. 11.* Farinac. *in append. de immunit. cap. : 9. n. 306.* Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit.* §. 5. Notanter dixi, si liberè exeas, nam si necessitate coactus ad exonerandum corpus exeas, statim reuersurus, capi non poteris; quia tunc non censeris egressus à loco sacro, Bonac. *dicto* §. *5. num. 1. in 2. effectu*, Fagund. *de præcept. Eccles. lib. 4. c. 4. num. 56.*

2 Idem est si per vim ab aliquo extractus fueris, tunc non poteris capi à iudice, sed Ecclesiæ es restituendus: sic Valen. *t. 3. disput. 6. gener. quæst. 15. p. 1. in resp. ad 2.* Praxis Neapolit. *cap. 17. num. 6.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit.* §. 2. *vers. sed mihi dicendum.* Ratio est, quia illa extractio est violenta, sed omnis extractio violenta est nulla, & reo præiudicare non potest. Aliàs facilè possent iudices confugientes ad Ecclesiam capere, & punire, si per vim ab aliis extractos licitè capere, & punire possent. Ergo. Dices, Iudex, qui non fuit particeps huius violentæ extractionis, dici non potest extrahere delinquentem à loco sacro, sed ex profano. Ergo non violat immunitatem: Ita tenet Suar. *lib. 3. cap. 13. num. 19. fine*, esto dicat, sic primò extrahentem obligatum esse extracto damna omnia quoad possit reparare. Sed respondeo iudicem violare immunitatem; quia primam extractionem continuat, delinquens enim etsi extra locum sacrum existat corporaliter, moraliter tamen reputandus est, ac si in loco sacro adesset. Tum quia extractio nulla fuit; tum quia immunitatis priuilegium non amisit; si quidem Ecclesiæ est restituendus. At idem est si metu iniustè illato, quòd à iudice sæculari capiendus sis, fugias ex Ecclesia, adhuc non potes capi; quia tunc non tam diceris egredi, quàm extrahi per violentiam, sic pluribus comprobat Farinac. *in append. de immunit. cap. 2. n. 55.*

3 Sed quid si blanditijs, & dolosis verbis inductus exiisti è loco sacro? Aliqui existimant te esse loco sacro restituendum, nec capi posse; quia hæc violentiæ æquiparantur. Sed dicendum est capi posse, & puniri; quia dici non potes violenter ab Ecclesia extractus, & sola violenta extractio in supradictis iuribus prohibetur: sic Decian. *lib. 6. cap. 26 num. 11.* Suar. *lib. 3. cap. 18. num. 2.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 19. num. 302.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit.* §. 2. *vers. sexto*, Fagund. *dicto lib. 4. cap. 4. num. 56.* Quod si iudex punitionis immunitatem tibi promiserit, & sub hac promissione exieris, credo te immunem esse à punitione, ac si in Ecclesia existeres, maximè si delictum non erat exceptum. Sic Nauarr. *cap. 25. num. 22. in fine*, Ioann. Azor. *2. part. instit. mor. lib. 9. cap. 9. quæst. 11.* Azebedo *lib. 1. tit. 2. leg. 3. num. 13. & seqq.* Farinac. *pluribus comprobans quæst. 81. num. 282. & in append. de immunit. cap. 19. num. 301.* Ratio est, quia priuilegio immunitatis cessisti, pro securitate à iudice promissa. Ergo iudex tenetur hanc securitatem seruare; aliàs cessio immunitatis nulla est.

4 Dixi insuper ne possis è loco sacro extrahi contra voluntatem Ecclesiæ, vt tacitè insinuatum posse ex Ecclesiæ licentia inde extrahi, quòd in casibus exceptis dubium non est, quia tunc delinquens nullum habet ius ad immunitatem, neque Ecclesiæ prælatus illum tueri potest. At in casibus non exceptis est dubium, possitne prælatus hanc licentiam concedere, & ex illius concessione iudex secularis delinquentem capere, & punire; Suar. *lib. 3. cap. 13. num. 3.* dicit hanc licentiam concedi posse accepto prius iuramento à iudice de omni pœnarum securitate, probatque *ex cap. id constituimus 17. quæst. 4.* ibi reos abstrahere non liceat, sed neque altari consignare, nisi ad euangelia datis sacramentis de morte, debilitate, & omni pœnarum genere sunt securi. Ergo data hac securitate poterit prælatus, si expedire iudicauerit, reum consignare etiam inuitum: subdit tamen Suar. ipsum iudicem teneri promissum seruare; aliàs à prælato Ecclesiastico per censuras compellendus est.

5 Cæterùm, etsi spectato iure communi hoc verum sit: at attenta constitutione Gregoriana credo probabilius prælatis Ecclesiæ non licere reum inuitum iudici sæculari consignare extra casus exceptos. Quia in supradicta bulla solùm in illis casibus conceditur hæc facultas. Ergo tacitè in aliis negatur; præcipuè cùm ibi dicatur esse irritum, & inane quod contra actum fuerit. Quocirca ne immunitas violetur, in casibus non exceptis concurrere debet consensus delinquentis, deinde consensus Ecclesiæ. Neque sufficit consensus delinquentis, si desit consensus Ecclesiæ; quia hoc priuilegium non delinquentibus ob ipsos, sed ob reuerentiam loci sacri est concessum. Quapropter renunciari à nullo potest, sicuti neque renunciari potest priuilegium fori clericis concessum; quia non ipsis ob ipsos, sed ob dignitatem clericalem conceditur, Farinac. *in append. de immunit. cap. 19. num. 304.*

6 Secundus effectus immunitatis est, ne delinquens in Ecclesia vinculis alligetur? quia hoc esset ex loco sacro carcerem facere: sic Decian. *tract. crim. 2. p. lib. 6. cap. 27. num. 6.* Suar. *lib. 3. cap. 12. num. 2.* Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 10. num. 12. & 16.* Marian. Itali. *de immunit. lib. 1. cap. 6.* §. *2. num. 51.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. num 9. & in append. de immunit. cap. 19. num 297.* Bonac. *disp. 3 quæst. 7. de immunit.* §. *5. vers. secundus effectus.* Solum est dubium, an possit ligari, vel alia via custodiri interim dum examinatur ab ordinario causa, an gaudere debeat immunitate? Affirmat Clarus *pract.* §. *fin. quæst. 30. vers. Quæro modo*, Farinac. *de carcer. b. quæst. 28. num. 10.* Ratio esse videtur; quia dum examinatur causa, dubium est cuius iurisdictionis delinquens futurus sit. Ergo vt se iudex sæcularis indemnem seruet, poterit delinquentem, ne aufugiat, ligare & in custodiam ponere: Et fauere videtur bulla Greg. dum inquit, *quedque delinquentes laici prædicti, postquam, vt præfertur ab Ecclesijs locisve extracti, & capti fuerint ad carceres curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem detineri debent, neque inde extrahi*, &c. Cæterùm, omninò tenendum est nullo modo licere iudici sæculari confugientem ad Ecclesiam in illa ligare, aut aliquo modo vexare. Quia videtur expressè contra textum in *cap. definiuit 17. quæst. 4.* vbi cauetur, ne ipsis aliqua vis, aut nocibilitas, damnúmve inferatur, quin possint per triginta passus ab Ecclesia exire. Ergo supponitur ligari ibidem non posse: & ita tenet Suar. *lib. 3. cap. 2. num. 2.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit.* § *5. in secundo effectu*, Fagund. *2. p. de præceptis Ecclesiæ, lib. 4. cap. 4. num. 55.* Neque obstat, dum causa examinatur posse iudicem sæcularem suæ iurisdictionis terminos seruare indemnes; quia non est modus seruandi se indemnem mittere falcem in messem alienam. Nam dum delinquens est in Ecclesia, est extra territorium, & iurisdictionem iudicis sæcularis. Ergo iudex sæcularis ibidem ligare reum non potest. Verba autem Gregorianæ bullæ huic doctrinæ non obstant; quia non loquuntur de alligatione facta in Ecclesia, sed in carcere Ecclesiasticæ iurisdictionis, & hoc in criminibus exceptis, casu quo requisitus iudex Ecclesiasticus noluerit delinquentem sub tuto habere, dum causam examinat. Verùm tamen est posse extra locum sacrum custodiam apponi à iudice sæculari, vt si fortè delinquens terminos sacros egrediatur, capi possit; quia hoc non est locum sactum obsidere, neque delinquentem ibidem vexare, sed profanum locum obseruare, & in illo custodiam apponere, Suar. lib. 3. *cap. 12. num. 4.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit.* §. 5. Farinac. *in append. de immunit. cap. 19. num. 69. fine.* Marian. Itali. *de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 6.* §. *2. num 52.* & alij.

7 Tertius effectus est, ne confugienti ad Ecclesiam impediantur alimenta, vestitus, & reliqua vitæ necessaria; quia hoc esset per indirectum à loco sacro extrahere delinquentem: habetur expressè *l. presenti. C. de his qui ad Eccles. confugiunt*, ibi *vt ei aliquid vel victualium rerum, vel vestis denegetur aut*

requies, & cap. definiuit 17. quæst. 4. mandatur, ne iis quodcunque nocibilitatis, vel damni inferatur : & tradit Couarr. 2. *var. cap. 20. num. 17. vers. 31.* Anton. Gom. *t. 3. cap. 10. tit. quando reus gaudet immunitate, num. 1.* Farinac. *quæst. 28. de carcer. num. 9.* Suar. *lib. 3. cap. 12. num. 2.* Bonac. *disp. 3. q. 7. §. 5.* Ex quo fit si ad Ecclesiam confugiens non habet, vnde ali possit vel de proprio, vel de consanguineis aut amicis, debere Ecclesiam illi alimenta subministrare : sic decidit in *l. præsenti*, §. *sanè, Cod. de his qui ad Eccl. confugiunt*, ibi *& ipsi per incommodum Ecclesiæ, egentium, & pauperum alantur expensis.* Et ratio esse potest ; quia protectioni Ecclesiæ commissus est, debet ergo Ecclesia suum diligentem non ita derelinquere, vt coactus inedia sæculari iudici se tradat. Sic post alios antiquiores Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 29. num. 3.* Azor. *2 p. lib. 9. cap. 9 quæst. 13.* Boërius. *decis. 303. num. 3.* Farinac. *supra, & in append. de immunit. cap. 19. num. 299.*

8 Quartus effectus immunitatis est, ne bona delinquentis, quæ secum ad Ecclesiam tulerit, auferantur : habetur in *dicto cap. definiuit 17 q. 4.* ibi *aut quodcunque nocibilitatis, & damni, seu spolij residentibus in loco sacro inferre*, Suar. *lib. 3. c. 12. num. 3.* Farinac. *in append. de immunit cap. 19. num. 100.* Bonac. *disp. 3. q. 7 de immunit. §. 5. vers. tertius effectus.* Notanter dixi bona delinquentis, nam si aliorum sint, aut aliis obligata, poterit iudex eum spoliare ; quia hoc non est nocumentum delinquenti inferre, sed impedire, ne aliis ipse inferat, sicuti possint ab illo arma prohibita tolli, si cum ipsis ad Ecclesiam confugeret ; quia tollitur occasio peccandi : sic relato Couarr. docet Suar. *lil. 3. c. 12. n. 3.*

9 Quintus effectus est, ne reus dum in Ecclesia existit damnetur ad mortem, vel ad pœnam, sed potius de morte, debilitate, & omni pœnarum genere est securus *cap. inter alia de immunit Eccles. & cap. id constituimus 17. q. 4.* Sic omnes Doctores. Quod si obijcias hunc confugientem ad Ecclesiam non esse liberè dimittendam, sed super hoc quod inique fecit legitimè puniendum. *cap. inter alia.* Respondent communiter Doctores puniendum, inquam, esse, non corporali pœna ; ac proinde non posse ad triremes, ad exilium, ad effusionem sanguinis damnari : sic pluribus comprobat Farinac. *de immunit. cap. 21. num. 335.* Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 10. num. 5. & 8 & 14. & 66.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. §. 5. vers. quartus.* Quod si reus pecuniam non habet, vt sententiæ condemnatoriæ satisfacere posset, probabile est tunc aliqua pœna corporali non multum corporis afflictiua puniri posse ; quia tunc non per se, sed quasi per accidens in corpore punitur, tradit Suar. *num. 6.* & Farinac. *num. 334. & 336. & seqq.*

10 Sed difficultas est quis laïco confugienti ad Ecclesiam hanc pœnam possit imponere ; an inquam iudex ordinarius illius loci sacri, an iudex sæcularis, cui laïcus extra Ecclesiam subditus est ; Qua in re dicendum existimo, si nolit reus ab Ecclesia exire, & iudici sæculari consignari ; eo quod timeat promissionem securitatis non seruaturum, ad iudicem Ecclesiasticum spectat hanc pœnam pecuniariam imponere, & delinquentem sic punire ; quia iam ratione loci puniendus ab Ecclesia traditur : sic aliis relatis firmat Farinac. *in append. de immunit. cap. 21. num. 338 & 339.* At si iudici sæculari consignetur reus. Nam alia via ei in casibus non exceptis consignari non potest, vt dicemus ; eò quòd ipse è sacro loco velit exire, tunc clarum est à iudice sæculari hanc pœnam imponi posse. Abbas *cap. inter alia, num. 8. & 9.* Rosella. Angel. Tabiena relati à Farinac. *supra.* Hac tamen pœna imposita, & delictum sic indicatum, iterum iudicari non potest ; aliàs priuilegium immunitatis parum aut nihil prodesset & ita post Glossam *in cap. Reum, verbo ad mortem 17. q. 4.* Hostiens. *in cap. inter alia de immunit. num. 1.* Ioann. Andr. *num. 8.* Ancharran. *num. 2.* Anton. de Butrio *num. 15.* Zabarel *num. 4.* & alios defendit Decian. *crim. lib. 6. cap. 29. num. 6 fine*, Farinac. *in append. de immunit. cap. 21. num. 340.*

11 Verum consuetudine videtur receptum, cum reus ad Ecclesiam confugit in casibus non exceptis, iudex sæcularis eum inquirit, & citare facit, & si non comparet, ranquam in absentem profert sententiam, quam tamen ob immunitatem mandare exequutioni non potest : sic ex Claro *lib. 5. pract. §. fin. quæst. 3. vers. sed certè apud nos. & vers. successiuè*, affirmat Farinac. *1. q. 28. de carceríb. n. 77. in fine.*

12 Sextus effectus immunitatis est, vt extractus ab Ecclesia extra casus excepros debeat ante omnia Ecclesiæ restitui, ex textu *in cap. Miror 17. quæst. 4. ibi : Ecclesiæ igitur illæsum renoca, quem vt irreligiosissimus rapuisti*, & ibi glossa, Abbas Ancharran. Bellamera, & omnes. Et hoc adeo verum est, vt non possit iudex sic extractum interim ob alia delicta, & causas detinere ; quia semper versatur in obligatione reparandi iniuriam Ecclesiæ factam ; ac proinde cum primum possit, eam reparare debet, Marian. Itali. *tract. de immunit. Ecclesiæ, lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 41. & seqq.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 2. num. 49.* Neque ab hac restitutione facienda excusatur, esto iuramentum præstet, & securitatem tribuat, non esse corporaliter reum puniturum ; priùs enim satisfacere debet Ecclesiæ, quæ spoliata fuit. Sic Suar. *lib. 3. cap. 13. num 6. fine.* Archidiac. Turrecrem. Bellarm. Angel. Syluest. & alij quos refert, & sequitur Farinac. *loco citato, num. 50.* Neque excusatur ex eo quod petierit terminum ad probandum reum deliquisse in casibus exceptis : imo etiam si id per confessionem partis probauerit : quia hæc non est sufficiens probatio ; cum non solum confitenti, sed Ecclesiæ obsit. Item semper procedit regula, *quod spoliatus ante omnia est restituendus* : & cum Ecclesia spoliata sit iure detinendi delinquentem, prius ipsa restitui debet in sua possessione, & postea cognoscere, an legitimè possideat : sic alios referens Farinac. *num. 5.* Deinde cognitio, an sit crimen exceptum, vel non, & an legitimè fuerit probatum, &c. ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, & non sæcularem, vt dicemus.

13 Dixi Ecclesiæ debere restitui, vt tacitè insinuarem non esse opus restituere reum eidem materiali Ecclesiæ, sufficit si illi, vel alteri modo æque tuta sit, & in illa æquè commodè securus habitare reus possit. Quia hoc priuilegium vnicum est omnibus Ecclesiis, & iniuria vni facta, omnibus fit ; ac proinde satisfactione vni præstita, omnibus præstatur. Ex alia parte reo, vt suppono, nullum inde aduenit detrimentum. Ergo sufficienter hac restitutione satisfit, Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit. §. 5. circa finem.* Adde cum eodem Bonac. ibi & Farinac. *cap. 2. num. 48. de immunit.* Satisfacere iudicem, si reum Episcopo, vel eius Vicario restituat. Quia perinde est, ac si Ecclesiæ facta esset restitutio ; quia Episcopus Ecclesiam repræsentat *cap. scire debes 7 quæst 1.*

14 Septimus effectus immunitatis est, vt si de facto reus extra casus exceptos à iudice sæculari extrahatur, nulla sit talis extractio, sic expressè definitur à Greg. in sua bulla, & tradit Suar. *lib. 3. cap. 13. à n. 12. & seqq.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 2. num. 56.* Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit. §. 5 num. 2.* Ratio est manifesta ; quia Ecclesia est locus exemptus à iurisdictione iudicis sæcularis quoad actum extrahendi delinquentem ad illam confugientem extra casus exceptos, vt de se patet. Ergo cum iudex sæcularis reum inde extrahit, actum iurisdictionis non exercet, sed potiùs tyrannidum. Ergo talis extractio nulla est. Ex quo fit omnia inde subsequentia nulla esse ; ac proinde nec posse incarcerare reum, nec interrogare, nec torquere, neque aliud quid iudiciale facere ; quia cum ad hæc omnia requiratur, vt prius iurisdictionem in reum obtineat, & hanc captura sacrilega, & iniusta non acquisiuit ; efficitur sanè omnia ibidem fundata nulla esse. Sic Suar. Farinac. & Bonac. *supra.* Fit secundò obligatum esse iudicem restituere reo omnia damna, quæ ex tali extractione illi obueniunt ; quia illa extractio non solum Ecclesiæ, sed etiam delinquenti iniuriosa est : delinquens namque ius habet ne in loco sacro capiatur, & si opus fuerit per vim resistere comprehendenti potest. Ergo peccat contra iustitiam commutatiuam illum extrahens. Ergo ad restitutionem damnorum tenetur, Suar. *d. cap. 13. num. 15.* Bonac. *quæst. 7. de immunit. §. 6. num. 1 & 2.* Farinac. *de cancer. quæst. 18. num. 5. & in append. de immunit. cap. 20. num. 221.* Val. n. 2. 2. *disp. 6. & disp. 15. p. 1. q. 2. vers. nihilominus*, Ambrosin. *de immunit. cap. 15. num. 7.* Neque obstat D. Thom. 2. 2. *q. 99. art. 2. ad 3.* dixisse, cum iudex extrahit delinquentem à loco sacro solum illud peccatum habere malitiam sacrilegij, quia potest explicari habere malitiam sacrilegij per se, & primariò, consequutiuè tamen habet malitiam iniustitiæ. Adde D. Thom. ibi solum voluisse definire esse aliqua peccata sacrilegij separata ab omni alia malitia. Et licet exemplum posuerit in iudice extrahente delinquentem è loco sacro, illi inhærendum non est, cum solum transeunter dixerit, & exemplorum non requiritur veritas. Neque obstat nullum esse iudicem, qui hanc restitutionem faciat : esto plures sint qui indebitè delinquentes extrahunt. Quia possunt excusari tum ex authoritate Doctorum affirmantium non committi iniustitiam aduersus reum in hac violenta extractione, sed solùm sacrilegium ; quam opinionem probabilem reputat Bonac. & Suar. *supra.* Tùm quia bona fide extractionem fecerunt putantes probabili ratione Doctorum sibi licere. Tum quia sæpè paruum, aut nullum damnum est sequùtum, quod reparatione indigeat.

15 Octauus effectus immunitatis, est vt indici extrahenti delinquentem à loco sacro vltra casus permissos resisti possit, tum à delinquente, tum ab Ecclesia ; quia vtrique facit iniuriam, & vim vi repellere licet ; facitque *l. prohibitum. C. de iure fisci, lib. 10.* vbi officiali iniustè exequenti licitè de facto resistitur, & ita tradit Suar. aliis relatis *lib. 3. cap. 13. num. 4.* Marian. Itali. *tract. de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 45. in fine, vers. sed redeo*, Farinac. *in append. de immunit. cap. 2. num. 46.* Bonac. *disp. 3. de primo decal. præcepto, q. 7. de immunit. §. 5. in princ.* Quomodo autem hæc resistentia fieri debeat, optimè explicant supradicti Doctores. Ex parte enim delinquentis resisti potest armis, & qualibet alia vi ; quia cuilibet in defensionem proprij iuris licitum est arma sumere, & illa non est aggressio, sed defensio. Ecclesia autem resistere primò potest armis spiritualibus, excommunicatione, aliisque censuris. Secundò claudendo ostia, & quælibet alia media apponendo ad impediendum vim absque bello actiuo. Resistere autem per bellum regulariter non licet. Tum quia Ecclesiasticis non est licitum arma sumere. Tum & præcipuè quia inde maiora mala, & scandala oriuntur. Vide Azebedo *lib. 1. tit. 2. leg. 3. num. 30.* Bo-

bad

bad. *in sua polit. lib. 2. cap. 15. num. 3. p. 1.* Fagund. *2. p. de precept. Eccles. lib. 4. c. 4. n. 59.*

PVNCTVM XII.

Quam pœnam, & culpam incurrant indebitè extrahentes delinquentem à loco sacro.

1 *Culpam mortalem committunt, & multiplicem pœnam incurrunt ex iure ciuili, & canonico.*
2 *Pecunia mulctantur.*
3 *Excommunicationem contrahunt ipso facto ex probabiliori sententia.*
4 *Qui hanc pœnam incurrant.*
5 *Quod si attentata fuerit extractio, & effectus non sit sequutus probabilius est incurri has pœnas.*
6 *Ab hac excommunicatione plures censent solum Pontificem absoluere posse.*
7 *Probabilius est ordinarium posse, & cui ipse commiserit.*

1 CLarum est culpam mortalem, & grauissimum sacrilegium committere. Neque in hoc aliqua est dubitatio. Pœna autem his sacrilegis imposita multiplex est, tum ex iure ciuili, tum ex canonico. Ex iure namque ciuili pœna capitali; & vltimo supplicio puniuntur: constat ex *l. præsenti, C. de his qui ad Eccles. confug.* ibi *capitali, & vltimi supplicij animaduersione plectendus.* Ratio est; quia reputatur hoc crimen læsæ maiestatis. Tum quia diuinam maiestatem offendit, iqui eius domum profanat, & violat. Tum iurisdictionem Pontificis vsurpat, ex cuius tantum facultate, delinquentes extrahi possunt ex Ecclesia: si post alios Clarus. *in pract. quæst. 68. vers. extrahens aliquem,* Menoch *de arbitr. lib. 2. casu 360. num. 68.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. num. 2. & in append. de immunit. cap. 20. num. 390.* Suar. *de relig. lib. 3. cap. 13. num. 7.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 9. c. 9. q. 11.* Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 8. n. 2. & 4.* Anastas. Germon. *de sacrorum immunit. lib. 2. cap. 16. num. 6.* Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit. §. 6. num. 5.* & alij. Verum hæc pœna non videtur vsu recepta, vt tradit Suar. *cap. 13 num. 6.* Decian. *lib. 6. cap. 18. num. 4* Bonac. *d. quæst. 7. §. 6. num. 5.* & ratio esse potest; quia tam in puniendo, quàm in iudicando hoc crimen, non iuri ciuili, sed canonico standum est, vt multis relatis docet Couarr. *2. var. cap. 20 sub num. 3.* Decian. *supra n. 16. vers. nota in concernentibus, &c. 25. num. 7.* Farinac. *de carcer. quæst. 28. num. 6.*

2 De iure autem canonico pecuniaria pœna puniri possunt, aliquando tringinta librarum examinati argenti, aliquando nongentorum solidorum, tradit Host. *in sum. de immunit. num. 14.* Poterit tamen iudex pro suo arbitrio pensata delicti qualitate, & conditione delinquentis hanc pœnam minuere ex textu, *in cap. si quis contumax 17. q. 4. verbo componas,* & tradit Hostiens. *ibi*, Ambrosin. *cap. 15. num. 7.* Ioan. Gutier. *pract. quæst. ciuil. lib. 3. quæst. 4. post num. 11.* Farinac. *de carcerib. q. 28 sub num. 5. & in append. de immunit. cap. 20. num. 320.* Et licet aliqui Doctores dixerint hanc pœnam antiquatam esse, quos refert, & sequitur Decian. *lib. 6. cap. 28. el 2. num. 4.* merito eos reprobat Tuschus *verbo Ecclesia concl. 8. num. 11.* Farinac. *de carcerib. q. 28. sub num. 3. & in append. de immunit. cap. 20. num. 319.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit. §. 6. num. 5.* Tum quia per concilium Trident. *sess. 25. cap. 20* & per bullam Gregorij omnes pœnæ in antiquis canonibus latæ aduersus immunitatis violatores renouantur. Tum quia hæc pœna efficacius Ecclesiæ iniuriæ satisfit, si in eius cultum pecunia applicetur, vt iure applicanda est: & tradit Decian. *c. 28. n. 4.* Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 8.* Ambrosin. *cap. 15. n. 1. & 2.*

3 Præter hanc pœnam pecuniariam, & pœnitentiam publicam imponendam excommunicationis sententia feriuntur: *cap. sicut antiquitus, cap. frater, cap. diffiniuit, & aliis 17. q. 4.* In quibus tamen textibus non est excommunicatio ipso facto, sed ferenda, ac proinde spectato iure communi plures non infimæ notæ Doctores censent nullam censuram huic crimini esse annexam: sic Franc. Suar. *lib. 3. de reuerentia debita locis sacris, c. 13. num. 7.* Marian. Socin. Turrecremata, Gofred. & alij relati à Farinac. *in append. de immunit. cap. 20. num. 312.* Solum est difficultas, an ex constitutione Gregorij hanc excommunicationem sic extrahentes incurrant: Ratio difficultatis est, quia insuprædicta constitutione dicitur quod si quis quouis prætextu quidquam prætet, aut contra huius nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros canones, conciliorumque generalium, & nostrorum prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ. Ex quibus verbis solùm constat hos violatores incurrere excommunicationem, si per sacros canones, & concilia lata esset; quia intendit Pontifex antiquas pœnas renouare. At cum nullibi lata sit excommunicatio ipso facto, non videtur incurri ex suppradicta bulla. Nihilominus verius credo ipso facto hos violatores excommunicationem contrahere. Nam verba illa constitutionis ipso facto aliquid operari debent, ne dicamus superflue esse apposita. At si excõmunicationem ipso facto non inferunt, nihil operabuntur, quia excommunicatio ferenda *in cap. sicut antiquitus 17. q. 4. & aliis textibus* habebatur. Item Pontifex dicit hos violatores immunitatis ipso facto incurrere censuras aduersus violatores immunitatis à sacris canonibus promulgatas, sed est promulgata censura excommunicationis aduersus eos. Ergo illã ipso facto incurrunt. Præterea, quia ita declaratum fuit à Clem. VIII. & à Paulo V. & à sacra congregatione, vt testantur Doctores statim referendi: sic tenent Bonac. *disp. 3. q. 7 de communit. § 6. n. 5.* Marcus Itali. *de immunit. Eccles. lib. 1. c. 6. §. 2. n. 29. & seq.* Farinac. *in append. de immunit c. 20. n. 313. & seqq.*

4 Hanc excommunicationem, & supradictas pœnas incurrunt. Primò Iudex mandans delinquentem extrahi, aut extractum non restituens; quia contra tenorem Gregorianæ constitutionis procedit, & est præcipua causa violentiæ: sic Marc. Anton. Genuens. *prax. Archiepis. c. 26. num. 7.* Marcus Itali. *de immunit. lib. 1. c. 6. §. 2. n. 38. & 39* Farinac. *in append. de immunit. cap. 20. num 324.* Secundò incurrunt birruarij exequutores, & quælibet aliæ personæ priuatæ delinquentem extrahentes, vel aliquo modo iuuantes ob prædictam rationẽ sic relati Doctores.

5 Dubium tamen non lene est; an has pœnas incurrant effectu non subsequuto, sed solùm attentato, hoc est non delinquente extracto, sed solùm attentato extrahi; Et ratio difficultatis est, quia esto in bulla Gregor. dicatur has pœnas incurrere, qui contra eius tenorem attentare præsumpserint, cum effectu debent intelligi. Tum quia est constitutio pœnalis derogans immunitatem. Tum quia satis explicari non potest, in quo consistat hæc attentatio. At probabilius censeo attentantem pœnas incurrere, modo attentatio ad actum proximum extractionis reducta fuerit, verbi gratia, si dedisti mandatum, & mandatarius acceptauit, si Ecclesiam clausam tentasti aperire, vel delinquentem inde extrahere, & si ob resistentiam non potuisti; tunc ex huiusmodi conatu pœnas incutris; quia cum effectu contra tenorem diuæ constitutionis attentare præsumpsisti: & ita inpræsenti casu docet, Menoch. *de arbitr. casu 350. num. 68.* & in toto illo casu plures enumerat, in quibus conatus effectu non subsequuto punitur, Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 27 n. 5.* Farinac. *de carcerib. q. 28. n. 4. & in append. de immunit. t. 20. num. 321.*

6 Sed inquires. Quis possit ab hac excommunicatione absoluere? Solum Pontificem posse firmat Farinac. *append. de immunit. cap. 20. num. 315.* Mouetur ex extrauag. Pauli II. *de Pœnitent. & remiss. cap 3. inter extrauag. communes.* Vbi inter casus sedi Apostolicæ reseruatos apponit offensam Ecclesiasticæ libertati factam, Item ex decreto. Clem. VIII. prohibentis quibuscunque confessariis absolutionem plurium casuum sedi Apostolicæ reseruatorum, & præcipuè in casibus contentis in bulla cœnæ domini, clarè vel dubiè, & violationis immunitatis Ecclesiasticæ, in terminis constitutionis Greg. XIV. Quod decretum innouatum fuit à Paulo V. illiusque meminit Stephanus Quaranta *in summ. bullarum in glossa casus reseruati*, & Marcus Itali. *de immunit. Eccles. lib. 3. cap. 6. §. 2. num. 31.* Item ex bulla Greg. violantes immunitatem incurrunt censuras promulgatas aduersus libertatis Ecclesiasticæ violatores. Sed in bulla cœnæ est lata censura excommunicationis reseruata. Ergo illam incurrunt. Denique ita declaratum est à sacræ congregationis concilij interpretibus anno 1617. mense Decemb. vt testatur. Farinac. *supra.*

7 Cæterum probabilius censeo, posse ordinarium, & quemlibet confessariũm ex illius facultate ab hac excommunicatione absoluere casu quo incursa fuerit: sic Marc. Anton. Genuens. *in sua pract. c. 22. n. 3. & seqq.* Bonac. *disp. 3. de primo decalogi præcepto, q. 7. de immunit. §. 6. num. 8.* Ratio est, quia nullibi inuenitur reseruata Pontifici, vt soluendo rationes contrarias apparebit: Ergo ordinario conceditur ex textu *in cap. nuper de sentent. excommunicat.* Nam in *extrauag.* Pauli II. solum reseruatur generaliter violatio libertatis Ecclesiasticæ, sub qua in rigore immunitas non comprehenditur, quia libertas refertur ad personas, immunitas ad loca, & ideo censuræ latæ contra violatores libertatis Ecclesiasticæ, non comprehendunt violatores immunitatis: sic Couarr. *2. var. cap. 20. num. 1.* Villagutt. *de extens. legum. cap. fin. sub. num. 3.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 1. num. 4.* Marius Itali. *de immunit. Eccles. l. 1. c. 6. §. 2. n. 6. & seqq. vsque ad 19.* In decreto autẽ Clem. VIII. nulla est huius censuræ, vel potius criminis reseruatio, sed solùm ibi interdicitur quibusuis confessariis, vt virtute priuilegiorum à sede Apostolica concessorum absoluant ab illis casibus, & ab aliis reseruatis ab ordinario. Vnde in illo decreto non intendit Pontifex ordinariis facultatem minuere, sed potiùs augere, & promouere, cùm solùm tollat priuilegia absoluendi à criminibus à se concessa; alias nec poterit ordinarius absoluere ab excommunicatione ob percussionem Clerici. Item neque in casibus dubiis bullæ cœnæ. Circa quæ omnia in supradicto decreto non vult Pontifex sua priuilegia antea concessa prodesse, quod non est dicendum. Minus verum est, quod de bulla cœnæ domini dicitur: in illa namque non fertur censura aduersùs violatorem immunitatis, sed liber-

tatis, & non cuiuscunque, sed specialis, & licet in bulla Gregor. dicatur violatores immunitatis ibi præscriptæ incurrere ipso facto censuras latas contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores; illis nominibus, libertatis, iuris, & immunitatis idem exprimitur, & claritatis gratia apponuntur. Adde, esto in bulla Gregorij afficiantur censuris violantes immunitatem, quæ latæ sunt in bulla cœnæ aduersùs violantes libertatem Ecclesiasticam; non inde fit habere tales censuras qualitatem reseruationis; quæ in bulla cœnæ habetur. Ratio est, quia in bulla Gregoriana solùm renouantur expressè censuræ, at expressè non renouatur earum reseruatio. Ergo absolutè non manent reseruati, quia reseruatio nunquam censetur, nisi expressè facta sit, ex *cap. nuper de sentent. excommunicat.* & relatum in referente non includitur expressè, sed tacitè *cap. penult. de iureiurando.*

PVNCTVM XIII.

An confugientes ad Ecclesiam tradendi sint iudici sæculari puniendi; & qua ratione id fieri debeat.

1 *Iudici sæculari tradendi sunt in casibus exceptis.*
2 *In casibus tamen non exceptis nequaquam tradendi sunt, etiam recepto prius iuramento de securitate.*
3 *Modus, quo tradendus est reus in casibus exceptis expenditur.*
4 *Qua ratione debeat iudex laïcus in iis casibus exceptis reum ab Ecclesia extrahere.*
5 *Licet ex consuetudine possit iudex delinquentem extrahere inconsulto Episcopo, non tamen potest spectato iuris rigore.*
6 *In casu dubio exceptionis nequaquam potest.*
7 *Cognitio, an casus exceptus sit ad prælatum Ecclesiæ pertinet.*
8 *Debet concludenter probari esse casum exceptum, vt possit Prælatus permittere delinquentem extrahi.*
9 *Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui iudicis laici, at si processus formatus sit antequam reus ad Ecclesiam confugerit, poterit examinare illos testes, & eorum dictis stare.*
10 *In hac cognitione Ecclesia citanda est, Reum plures negant esse citandum.*
11 *Probabilius est oppositum.*
12 *Satisfit rationibus oppositis.*
13 *Reus sponte comparens, & petens audiri pro immunitate sibi competente audiendus est.*
14 *Qualiter Episc. procedere debeat in hac cognitione.*

1. NOn est dubium laicos confugientes ad Ecclesiam in casibus exceptis iudici sæculari esse tradendos; quia cum illis immunitas non prosit, nulla est causa, qua detineri possint, & expressè à Greg. XIV. cauetur, vbi Prælatis, & superioribus Ecclesiarum districtè præcipitur sic delinquentes curiæ sæculari tradere quando à curia sæculari fuerint requisiti: Bonac. *disput. 3. de primo decal. præcepto. quæst. 7. de immunit. §. 7. numero primo.*

2. Difficultas tamen est, an in casibus non exceptis possit, & debeat Prælatus eos iudici sæculari consignare recepto prius ab eo iuramento de securitate pœnæ corporalis. Affirmat Suar. *lib. 3. cap. 13. post. n. 3.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 9. c. 9. quæst. 10.* Siluest. *in summ. verbo immunitas 3. num. 4.* Alexand. *const. 145. num. 3. vers. etiamsi sit delictum graue, lib. 7.* Villagutt. *de extens. legum. cap. fin. à num. 8. vsque ad 14.* Et videtur probari ex *cap. definiuit. 17. q. 4.* & ibi Glossa Archidiacon. Turrecrem. At omnino tenendum est nequaquam posse tradi curiæ sæculari repugnante delinquente; quamtumuis securitatem præstet de eius impunitate. Ratio est, quia in illis casibus gaudet delinquens immunitate, sed immunitas in eo consistit, vt non possit inuitus ab Ecclesia extrahi, & iudicari. Ergo. Et hoc indubitanter procedit in terminis Gregorianæ constitutionis, in qua solùm in casibus exceptis extractio permittitur, & in casibus non exceptis omnino negatur; sic ex Abbate *in cap. inter alia de immunit. Eccles.* docet Farinac. *in append. de immunit. cap. vlt. n. 344.*

3. Modus autem quo tradendus est delinquens in casibus exceptis curiæ sæculari compertus est: si enim secluſa constitutione Gregoriana loquamur, recipiendum est iuramentum à iudice sæculari de non puniendo illum corporaliter, iuxta textum *in cap. reum, cap. id constituimus 17. quæst. 4.* & tradit post alios antiquiores Decian. *tract. crim. lib. 6. cap. 29. sub. n. 6. & cons. 80. n. 9. lib. 3.* Ambrosin. *de immunit. cap. 11. n. 5.* Verùm attenta constitutione Gregorij, & etiam consuetudine iam recepta, neque hoc iuramentum exigitur, neque ipsi iudices illud præstare tenentur, sed liberè ipsis reus traditur pro qualitate delicti puniendus ac si ad Ecclesiam non confugisset, & meritò: quia fuga ad Ecclesiam in casibus exceptis nihil reo prodesse potest: sic Decian. & Ambrosin. *supra*, Boërius *decis. 109. n. 8.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. num. 77. & in append. de immunit. cap. vlt. num. 343.* Baiard. ad Clarum *q. 30. n. 25.* Bonac. *disp. 3. de primo decal. præcepto, q. 7. de immunit. §. 7. in fine, n. 5.* Hæc autem traditio de mandato Episcopi debet fieri, aut eius officiali, per aliquam Ecclesiasticam personam ab eo deputatam, *omni appellatione remota*, cognito priùs per Episcopum, seu ab eo deputatum, an delinquentes tradendi verè crimina excepta commiserint. Neque curia sæcularis, eiusque iudices, aut officiales extrahere poterunt ab Ecclesiis, aut monasteriis laïcum aliquem in prædictis casibus exceptis delinquentem, sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis: ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiam si alij ordinarij sint, aut nullius diœcesis, aut conseruatores ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertinet, reuocatúrque quælibet facultas, quæ curiæ sæculari olim fuerint attributa extrahendi hos delinquentes propria authoritate; occurrente autem casu, in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluitur cognitio, an delictum sit exceptum, vel non, & non ad alios. Quod si Episcopus, eiusve officiales & requisiti culpabiliter recusauerint delinquentem tradere, aut capturæ, vel carcerationi interuenire; tum laïci reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes minori quo id fieri possit cum scandalo, & tumultu extrahere poterunt, & sic extractos ad carceres curiæ Ecclesiasticæ, & non sæcularis deferunt, ibique eos reponunt, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem detineri debent, vt in supradicta bulla Gregor. hæc omnia expressè continentur.

4. Ex quibus verbis liquet. Primò non posse iudices laïcos sic confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis extrahere absque licentia Episcopi: vel eius officialis. Quod si Episcopus requisitus culpabiliter noluerit annuere, poterunt iudices sæculares delinquentem extrahere, & in carcere Ecclesiastico reponere, quousque per Episcopum, aut eius superiorem cognoscatur delinquentem gaudere non debere immunitate. Nunquam tamen possunt sic delinquentem ad proprios carceres referre ibique condemnare: sic Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit. §. 7. n 3.* Farinac. *in append. de immunit. cap. vlt. num. 359.* Marc. Ital. *lib. 1. cap. 6. num. 8. & seq.* Ambrosin. *de immunit. cap. 11. num. 1. & cap. 14. per totum.* Quod certissimum est stante constitutione Gregoriana, quam diximus veriùs esse vbique locorum obligare. At secluſa constitutione crederem posse iudices seculares in casibus clarè exceptis delinquentem ab Ecclesia extrahere inconsulto Episcopo, saltem ex recepta consuetudine: Quia Ecclesia in tantum te tueri potest, quatenus illius immunitate gaudes. Ergo si ab immunitate es exclusus, exclusus es à refugio illius. Poterunt ergo iudices sæculares illum extrahere; sic relato Abbate, Ancharr. Bart. & aliis docet Boërius *dec. 109. n. 1. & 2.* Decian. *tract. crim. lib. 6. c. 29. n. 4.* Couar. *2. var. cap. 20. n. 18. vers. 34.* infertur Clarus *pract. §. fin. quæst. 30. vers. quæro nunquid*, Farinac. *de carcerib. quæst. 28. n. 75.* Azeb. *in constitut. Hispan. lib. 1. tit. 2. leg. 3. num. 29.* Suar. *lib. 3. cap. 13. num. 1.* Neque obstat Ecclesiam videri locum exemptum à iurisdictione laïcali, vt multis comprobat Tuschus *verbo Ecclesia, concl. 5. num. 10.* ac proinde non posse ibi capturam reorum exercere, qui est iurisdictionis actus. Non inquam, obstat, quia Ecclesia non est locus exemptus à iurisdictione laïcali, nisi in casibus, qui eius immunitatem concernunt; secus in casibus non exceptis; vt colligitur ex *cap. 1. vers. etiam ipsa Ecclesia, de immunit. Eccles. in 6.* vbi dicuntur Ecclesiæ esse in territorio Principis sæcularis, quod saltem est intelligendum circa casus eius immunitatem non spectantes.

5. Dixi posse ex recepta consuetudine. Nam spectato iuris rigore probabilius censeo, semper esse consulendum Episcopum, & ex eius licentia, & non aliter reus est extrahendus *cap. frater 17. quæst. 4.* vbi prohibetur potestatibus sæcularibus inuitum ab Ecclesia extrahere, captata sacerdotis absentia. Ergo signum est sacerdotis præsentiam, & consensum requiri, & *in cap. definiuit. 27. q. 4.* datur facultas reddendi Ecclesiæ extractum sine consensu sacerdotis: Item *in cap. id constituimus, & cap. reum*, non permittitur in casibus exceptis delinquentem curiæ sæculari tradere, nisi recepto prius iuramento de impunitate corporali, vt multis relatis docet Decian. *lib. 6. cap. 29. sub num. 6.* Ergo si curia sæcularis tenetur hoc iuramentum præstare pius quàm sibi reus tradatur, signum euidens est non posse inconsulto Episcopo, in cuius manibus iurare debet, delinquentem extrahere. De iure autem ciuili est textus *in Authent. si quis, C. ad l. Iul. maiest.* & Clarus in *authent. de mandatis Principum, §. 5. Sed neque collat. 3. & in l. patent in fine, C. de his qui ad Eccles. confug.* & tradit post alios antiquiores Anton. Gom. *var. resolut. lib. 3. c. 10. Rub. quando reus gaudeat immunitate Ecclesiæ, num. 2. ad finem*, Bosius *de captura, num. 24.* Anastas. Germon. *de sacror. immunit. lib. 3. c. 16. num. 1.* Tuschus *pract. concl. verbo Ecclesia, concl. 11. num. 47. & seqq.* Farinac. *in append. de immunit. c. vlt. n. 356.*

6. Dixi insuper posse iudices laïcos exclusa constitutione Gregoriana, ex recepta consuetudine delinquentem in casibus clarè ex receptis, & quorum delictorum cognitio ad ipsos

ipsos spectat à loco sacro extrahere; vt sic indicarem, quoties dubium est an casus sit exceptus, vel non; nequaquam posse iudices laicos delinquentem sic tutatum à loco sacro vi inde expellere; quia dum non constat ab immunitate esse exclusum, immunitate gaudet: conceditur enim immunitas omnibus delinquentibus extra casus exceptos. Ergo dum probatum non fuent commisisse casum exceptum immunitate priuari non poterit: sic aliis relatis Decian. *tract. crim. lib. 6. c. 29. n.* 2. Farinac. *in append. de immunit. c. vlt. n.* 370.

7 Hinc oritur quæstio ad quem iudicem pertineat cognitio an casus exceptus sit ab immunitate, vel non: Et quidem stante constitutione Gregoriana, nulla est quæstio; cum ex illa clarè constet ad solum Episcopum, vel ab eo deputatum hanc cognitionem pertinere, ibi: nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum an delinquentes verè crimina excepta commiserint? At spectato iuris rigore non defuerunt alij Doctores, qui censuerint ad iudices laicos spectare. Ita Vlpell. *conc.* 130. *num.* 6. & alij relati ab Anastas. Germon. statim referendo. Et ratio esse potest, quia nemo in propria causa videtur esse iudex competens, sed causa immunitatis est causa propria Episcopi: Ergo. Item extrahere delinquentem in casibus exceptis non est causa Ecclesiastica, sed sæcularis; cùm per sæcularem potestatem fiat. Ergo eius cognitio ad sæcularem pertinet. Tenendum tamen est tanquam omnino certum nullo modo ad iudices laicos hanc cognitionem pertinere, sed ad Ecclesiæ Prælatos: sic post alios antiquiores testantur Anastas. Germon. *de immunit. sacror. lib. 3. cap. 16. num.* 21. Farinac. *tit. de carcerib. q.* 28 *num.* 76. *& in append. de immunit. cap. vlt. num.* 366. *&* 367. Azebedo *lib.* 1. *nouæ compilat. tit.* 2. *leg.* 3. *num.* 20. Marius Itali. *de immunit. lib.* 1. *c.* 5. §. 14. *num.* 7. *& c.* 6. §. 1. *num.* 4. *& seqq.* Ioann. Gutier. *pract. q. lib.* 3. *q.* 1. *num.* 5. Bonac. *disput.* 3. *q.* 7. *de immunit.* §. 7. *numero* 2. *vers.* 3. & probat manifestè textus *in c. metuentes. c. ad Episc.* 17. *q.* 4. & ex iure ciuili in *l. patent.* § *hoc verò. & in C. præsenti, C. de his qui ad Eccles. confug.* Ratio est clara; quia immunitas Ecclesiarum causa est Ecclesiastica, sed causæ Ecclesiasticæ cognitio non spectat ad iudices laicos. Ergo neque fundamentum contrarium vrget. Nam esto extractio in casibus exceptis ad iudicem laicum pertineat; at cognitio, an sit casus exceptus ab immunitate, ad ipsum non pertinet. Neque obinde dicitur Prælatum in propria causa ius dicere, sed in causa communi: & Ecclesiæ, quod nullum est inconueniens.

8 Posito autem ad Episcopum hanc pertinere cognitionem, est dubium qualiter debeat cognoscere delictum esse exceptum, vt possit sæculari curiæ delinquentem remittere? Videtur enim sufficere, si ex præsumptionibus, & coniecturis rem probabilem efficientibus cognoscat; quia in bulla Gregor. conceditur Episcopo remissio delinquentium, qui suo iudicio videbuntur aliquod ex delictis exceptis commisisse; sed quoties iudicio alicuius res committitur, non tenetur informationem iuridicam facere, sed potest provt sibi placuerit se informare, & quomodocunque de veritate constet iudicium ferre, vt tradit Menoch. *de arbitr. q.* 13. *n.* 2. *& q.* 19. *n.* 10. Nihilominus tenendum est concludentem probationem requiri: sic Ambrosin *de immun. c.* 11. *n.* 4 Bonacina *disp.* 3. *de primo decal. præcepto. q.* 7. *de immunit.* §. 7. *circa finem.* Farinac. *lib.* 1. *concil. conc.* 76. *n.* 3. *& conc.* 168. *n.* 8. *& in append. de immunit. c. vlt. n.* 8. *& seqq.* Marius Itali. *c.* 6. §. 1. *n.* 86. *& seqq.* Ratio est, quia Ecclesia habet ius tutandi omnes delinquentes ad se confugientes; nisi in casibus exceptis ipsique delinquentes ius habent, ne vltra illos casus extrahantur. *c. inter alia, cap. fin. de immunit. Ecclesiast. c. sicut antiquitus* 17 *q.* 4. Ergo dum prælato Ecclesiæ non constat esse casum exceptum, iniustè Ecclesiam, & delinquentem iure suo priuat. At per præsumptiones, & probabiles coniecturas non sufficienter constat. Tum quia hæ præsumptiones non vincunt præsumptionem ortam ex possessione immunitatis, & iure fundato *l. fin.* & ibi Doctores *ff. quòd metus causa.* Abbas *c. quia verisimile in* 2. *not. ab. de præsumpt.* Tum quia ad tollendum ab aliquo ius quæsitum, & hoc irreparabiliter, non sufficit coniectura, sed requiritur plena probatio, Bald. *in l. iudices, n.* 2. *C. de iudiciis*, Speculator *tit. de officio omnium iud.* §. *fin. n.* 18. Ergo. Item in bulla Greg. expostulatur, vt Episcopus antequam delinquentem tradat, cognoscat an verè delictum exceptum commissum sit; Sed quod per coniecturas cognoscitur, non verè, sed probabiliter tantùm cognoscitur, neque illud est propriè, & absolutè verum, sed sub dubio verum, vt multis relatis docet Farinac. *conc.* 168. *n.* 10. *& conc.* 76. *n.* 6. specialiter ex doctrina Innocent. *ex cap. cùm causam col.* 2. *vers. illud autem de iuramento calumnia.* vbi dixit ea vera esse, quæ oculis inscipiuntur, vel indubitanter nouimus, non ea quæ præsumptiuè credere possumus, quoties lex probationem requirit, de concludenti, & perfecta intelligi debet. *l. iudices, C. de iudicibus*, Decius *in Rub.* 10. *de probationibus. n.* 133. Mascard. *de probat. quæst.* 4. *n.* 12. Nam cùm sufficit coniecturalis, à lege ipsa cauetur, vt in *l. non omnes*, §. *à barbaris.* Ibi argumentis tantum cognoscendum est, *ff. de re militari &c. pro humani de homicid. in* 6. ibi & postquam probabilibus constiterit argumentis. Ergo cùm ad excludendum ab immunitate delinquentem requiratur probatio delicti, si quidem requiritur vera illius cognitio, efficitur concludentem probationem requiri. Denique probatio conditionis, & formæ ad actum requisitæ debet esse plena, & concludens *l. lucius*, & ibi Bart. *ff. de condition. demonstrat.* & pluribus firmat Farinac. *d. conc.* 76. *&* 168. sed esse delictum exceptum, est conditio necessariò requisita, vt delinquens immunitate priuetur, vt de se constat, & tradit Gregor *dicta constitutione*, ibi, *nisi cognito prius per Episcopum, aut eius deputatum, vt ipsi vera crimina superius expressa commiserint.* Ergo. Neque obstat fundamentum contrarium: Concedo enim remitti iudicio Episcopi, quæ sit probatio derelicti sufficiens; non tamen remittitur derogare veræ, plenæ, & perfectæ delicti probationi.

9 Secundò dubitatur, an iudex Ecclesiasticus in hac cognitione stare debeat processui facto à iudice laïco? Dicendum est cum Farinac. *supradicto conc.* 76. *n.* 1. *&* 2. *& conc.* 168. *à n.* 26. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 7. § 7. *num.* 3. obligatum non esse iudicem Ecclesiasticum stare processui facto à iudice laïco: quia acta instructoria vnius iudicij in alio non probant, nisi inter easdem personas, & in eisdem causis, & ad eundem effectum fiant. *cap. inter dilectos.* §. *in omnibus. ff. De fide instrument.* Glossa *in cap.* 2. *de ordine cognit.* & multis relatis probat Farinac. *dicto conc.* 168. *à num.* 26. At Ecclesiasticum iudicium de immunitate diuersas personas, & diuersam causam respicit ab eis, quæ in foro sæculari respiciuntur. Nam forum sæculare respicit reum vt sæculari iurisdictioni subiectum, & vt taliter puniendum pro delicto: forum verò Ecclesiasticum respicit Ecclesiæ immunitatem, quam defendere procurat, quæ sunt causæ, & personæ omnino diuersæ. Ergo probationes in vno iudicio factæ in alio non probant. Item in bulla Gregor. conceditur Episcopo facultas cognoscendi, an delictum exceptum sit, sed cui delegatur cognitio alicuius causæ, delegatur etiam potestas sumendi probationes deseruientes tali cognitioni. *leg. vbi, Cod. de falsis*, & ibi Glossa. Ergo poterit suas probationes facere. Ergo non tenetur acquiescere probationibus laïci. Deinde probationes, quæ sine citatione partis fiunt, vim habere non possunt *cap.* 2. *de Testibus* sed sæcularis iudex cùm probationes facit de delicto delinquentis non citat Ecclesiam, vtpote illi non subiectam. Ergo contra immunitatem Ecclesiæ illæ probationes valere non possunt. Adde sæpe fieri sine citatione rei. Verùm etsi hoc ita sit, aduertendum tamen est ab Episcopo, an processus formatus à iudice sæculari sit formatus antequam reus ad Ecclesiam confugerit, & consequenter antequam de immunitate tractaretur; vel postquam reus ad Ecclesiam confugit, & causa immunitatis tractatur? si formatus est processus antecedenter, esto obligatus non sit Episcopus illi stare ob rationes dictas: At debet quàm breuissimè poterit, testes illos apud se examinare, & reum iudici sæculari remittere; quia nulla apparet suspicio falsi in supradicto processu. At si postquam reus ad Ecclesiam confugit, processus fuerit formatus, tunc suspicionem non leuem habet falsitatis; eò quòd in defensionem proprij iuris, & diminutionem Ecclesiasticæ iurisdictionis formatus fuerit. Farinac. *in append. de immunit. c. vlt. n.* 375.

Aduersùs supradictam resolutionem restabat satisfacere quibusdam textibus, qui videntur contrarium probare sed illos optimè explicat Farinac. *conc.* 168. *à n.* 31. *vide illum.*

10. Tertiò dubitatur, an in hac cognitione debeat Episcopus reum, & Ecclesiam citare? Et quidem Ecclesiam citandam esse, seu nomine eius promotorem fiscalem, cui iura Ecclesiæ competit defendere, videtur indubitatum, quia directè de eius præiudicio agitur. *leg. de vnoquoque, ff. de re iudicata, leg. Nam ita diuus, ff. de adoption. & c.* 2. *de Testibus*: sic Farinac. *conc.* 168. *n.* 42. *& in append. de immunit. c. vlt. in fine.* An verò reus citandus sit? Negat Remig. Gon. *tract. de immunit. Eccles. in* 2. *quæst. n.* 3. *vers. & attenta opinione, & n.* 11. Mouentur primò, quia hoc priuilegium immunitatis non reis, sed locis sacris est concessum, vt alios referens probat Couarr. 2. *var. c.* 20. *n.* 11. Decian. *tract. crim. lib.* 6. *c.* 29. *n.* 1. *in fine.* Et casu quo reis concedatur non principaliter, sed in consequentiam conceditur; sed quoties alicui priuilegium in consequentiam conceditur, & non per se, citari non debet; sufficit enim si principale citetur. Ergo reus citandus non est. Secundò, quia non videtur citatio necessaria quoties probatio fit ad iudicis instructionem. Bart. Bald. & Innocent. relati, à Farinac. statim allegando. Sed hæc probatio an delictum sit exceptum, fit ad instructionem iudicis; siquidem ipsi constare debet verè crimen exceptum commissum esse, vt possit delinquentem remittere, vt constat ex illis verbis bullæ, *cognito prius per Episcopum, an verè supradicta crimina commiserint.* Neque à bulla vnquam requisitum est vt parti constet. Ergo citatio partis necessaria non est. Tertiò, in crimine Assassinij ad excommunicationem, depositionem, & diffidationem ferendam non videtur necessaria citatio partis, vt tradit. Hostiens. *in cap. vnico de Homicid. in* 6. *n.* 37. *verbo consiteritur*, & ibi Ioann. Andr. & Geminian. Ergo neque in hac causa expostulanda est, cùm de minori præiudicio delinquentis agatur. Quartò, quia ita videtur praxi esse receptum informationes secretas fieri absque partis citatione.

11 Sed his non obstantibus tenendum est citationem delinquentis necessariam esse: sic optimè firmat Farinac. *conc.* 158. *à*

num. 48. ea præcipuè ratione, quia priuilegium immunitatis, esto locis sactis fuerit concessum, delinquentibus tamen directè, & per se competit; ipsi enim sunt, qui non possunt inuitè extrahi, & extrahentibus resistunt, & extracti agunt, vt ad Ecclesiam reuertantur; sed quoties de præiudicio alicuius directè agitur, citatio ad illum condemnandum requiritur. Ergo sine citatione delinquentis non potest Episcopus illum curiæ sæculari remittere.

12 Et per hæc soluuntur argumenta contraria. Ad primum transeat immunitatis priuilegium locis sactis esse primò concessum. At nego delinquentibus immediatè, & per se non competere; imò si verum fateat delinquentibus est concessum intuitu tamen sacri loci. Non enim locus sacer, qui res inanimata est, capax est beneficij, sed hominibus ratione vtentibus beneficium, & priuilegium immunitatis conceditur in honorem, & reuerentiam loci sacri. Ad secundum concedo non esse necessariam vllam citationem, cùm iudex probationem facit ad sui instructionem in causis tertio non præiudicantibus; secùs in his, quæ grauiter præiudicant, vt in præsenti. Neque vrget quòd soli iudici dicatur debere constare de veritate; quia id dicitur; quia probatio iudici fit, non parti, etsi pars citetur *cap. statutum, §. cùm verò de rescriptis, in 6.* At constando iudici, ex consequenti parti constat. Ad tertium nego in crimine assassinij non requiri partis citationem. Nam licèt ad condemnationem probabilia argumenta sufficiant, hæc non plenè probari debent. & in forma iudicij, & consequenter cum partis citatione. Secùndo, Respondeo, esto in crimine assassinij citatio non requiratur, in nostro casu non infertur necessarium non esse; quia ideo in crimine assassinij non requiritur; quia probabilia argumenta sufficiunt ad ferendam sententiam, quæ tamen in casu immunitatis non sufficiunt, cùm verè, plenè, & perfectè de delicto excepto constare debeat. Ad quartum nego praxi esse receptum; imò si alicubi esset receptum, abrogari deberet, vtpote iuri naturali contrarium.

13 Aduertit tamen, & benè Farinac. *num.* 61. & 62. pluribus relatis, si delinquens sponte compareat non citatus, petátque audiri pro sui iuris defensione, omnino audiendum esse. Et in hoc casu quousque audiatur se potest opponere sententiæ ordinarij declarantis immunitatem illi non competere; quia agitur de graui eius præiudicio, & ex iure naturali competit se posse defendere, & iudici defensiones admittere.

14 Quartò dubitatur, qualiter procedere debeat Episcopus. Et primò non videtur necessarium libellum exhibere, & litem contestari. Tum quia non agitur ad pœnam delicti, sed ad illius qualitatis cognitionem. Tum quia ex officio agitur, & nullo accusatore intercueniente. Tum quia arbitrio Episcopi decisio huius causæ commissa est. Tum quia summariè; & extra ordinem iuris tractari hæc causa potest. Sed in his omnibus non requiritur libellus, & litis contestatio, vt tradit Menoch. *de arbitrat. quæst.* 18. Farinac. *cons.* 168. *num.* 63. Ergo. Secundò, debet delinquenti, & Ecclesiæ dilationes concedere, quæ sibi necessariæ visæ fuerint, vt iura sua defendant; quia hoc non tollitur, etsi eius iudicio, & arbitrio probatio delicti commissa sit: est enim de iure naturali, alias non plenè erit probatum delictum: sic Farinac. *num.* 64. cùm Speculat. *in tit. de officio ord. iudic. §. fin. n.* 18. Tertiò, facto processu debet publicari, ne tollatur delinquenti, & Ecclesiæ defensio, & potestas allegandi in sui iuris fauorem, si quid habeant: sic aliis relatis Farinacius *supra.*



TRACTA

TRACTATVS XII.

RELIGIONIS,

QVI EST

DE REVERENTIA DEBITA ECCLESIASTICIS PERSONIS, ET EORVM BONIS, ET Immunitate Ecclesiastica.

Et Disputatio vnica sub eodem titulo.

PROOEMIVM.

MANIFESTVM est Ecclesiasticis personis, vtpotè in cultum Dei specialiter destinatis, specialem aliquam reuerentiam deberi. Primò enim debetur eis immunitas, indemnitas, & securitas à qualibet iniuriosa percussione, quæ indemnitas dicitur priuilegium canonicatus; quia à canone *si quis suadente* 17. *quæst.* 4. conceditur. Proteguntur enim ibi Clerici excommunicatione lata aduersus illorum percussores. Secundò, debetur Clericis exemptio à iudicio, iurisdictionéque laicæ potestatis, tam quoad suas personas, quàm quoad sua bona; & hæc vocatur Ecclesiastica libertas, seu immunitas. De prima immunitate, & indemnitate latè diximus *tract. de excommunic. in disp. de excommunicat. reseruatis in decreto.* Secundam immunitatem in præsenti assumimus explicandam.

PVNCTVM I.

Quo iure clerici à potestate laicorum exempti sint.

1 *De fide est Clericos exemptos esse.*
2 *In causis spiritualibus certum est esse exemptos.*
3 *In temporalibus plures affirmant ex iure diuino prouenire hanc exemptionem.*
4 *Alij contra censent in iure diuino fundamentum habere. At ex iure positiuo prouenire hanc exemptionem, quod est probabilius.*
5 *Satisfit oppositis fundamentis.*
6 *At nulla humana potestate hæc exemptio à Pontifice concessa tolli potest.*
7 *Imò neque ipse Pontifex eam integrè tollere potest.*
8 *Probabilius est ipsum Pontificem immediatè à Christo exemptum esse.*

1 FIde tenendum est Clericos à potestate laicali exemptos esse: sic enim habetur *c. at si Clerici, c. Clerici, c. cùm non ab homine, c. qualiter de iudic. cap. si diligenti, cap. significasti de foro compet. Authent. statuimus, de Episcop. & Clericis,* & tradunt omnes catholici, & merito: quia hæc exemptione eorum dignitas commendatur, & maior illis reuerentia exhibetur. Sed quo iure illis hæc exemptio competat, an diuino, an canonico, an ciuili; non est ita certum.

2 Et quidem si loquamur de exemptione in causis spiritualibus, fidem, inquam, sacramentum, sacrificium, & diuinum cultum, animarumque salutem respicientibus, omnino tenendum est, iure diuino Clericos exemptos esse à iurisdictione laicorum; quia harum causarum spiritualium iudicium illis solis competere potest, quibus Christus concesserit, cùm ab illo eorum constitutio emanauerit. At soli Petro eiusque successoribus promissum fuit illis verbis *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* & confestim ei dictum est. *Pasce oues meas.* Ergo solus Petrus, eiusque successores, & quibus ipse commiserit, hoc iudicium habent. Ergo Reges, aliique Principes humani illo carent. Ergo ab eorum iurisdictione in his causis Clerici exempti sunt. Adde non solùm in iudicio harum causarum clericos à iurisdictione laicorum exemptos esse, sed etiam laicos, quia laici subdi non possunt sæculari iurisdictioni, nisi causa agitanda ad iurisdictionem sæcularem pertineat: cùm ergo causa spiritualis extra iurisdictionem sæcularem sit; efficitur sanè nequaquam in illo foro iudicari laicos posse de illa; sic latius probans docet Suar. *defens. fidei, lib. 4. de immun. Ecclesiast. c. 2. per totum.* Cou. *pract. q. c. 31. n. 2. vers. prima conclus.* Farin. *lib. 1. praxis, tit. 1. q. 8. n. 2.* Molina Theologus *tom. 1 disp. 31. concl. 2.*

3 At si de exemptione in causis temporalibus, solutione, inquam, tributorum, punitione criminum, obligatione legum ciuilium sermo sit, variant Doctores: Alij affirmant ex iure diuino hanc exemptionem procedere: sic Abbas *in c. Ecclesia sancta Maria de constitutionibus, num. 6.* Felin. *ibi num. 6.* plures referens, Rebuff. *in concordat. tit. vlt.* Asauarr. *in cap. nouit. de iudiciis, notab. quoad exemptionem in criminalibus,* Clar. *pract. lib. 5. §. fin. quæst. 35.* Zenedo *collect. 37.* Bellar. *lib. 1. de clericis, cap. 28. propos. 5. & c. 29.* & latiùs *in disp. specialis tom. 2. in fine, & alibi,* & alij plures relati à Couarr. & Farinac. *locis allegandis,* cum glossa *in cap. 6. si Imperator, 96. dist. & cap. quanquam de censibus in 6.* Probant primò, exemptionem in criminalibus ex illo Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos,* quasi diceret. Vos qui Reges estis, & potestatem habetis iudicandi, eos qui oleo sancto

sancto vncti sunt,& mihi specialiter dicati,nolite tangere,& punire, & Zach.2.*Qui tangit eos, tangit pupillam oculi mei.* Secundò,exemptionem à tributis probant ex illo *Matth.*17. vbi cùm à Christo exigeretur census, Petrum interrogauit *à quibus reges exigunt tributa,à filiis suis,an ab alienis*? Et cum Petrus respondisset *ab alienis*, intulit Christus. *Ergo liberi sunt filij*, quasi diceret, ego, qui filius sum Dei, liber sum à tributo: *sed ne illos scandalizemus da pro me, & te.* Ex qua solutione videtur inferri Petrum, eiusque successores quasi in filios admissos esse, & à tributorum solutione exemptos. Sed quoties aliquis exemptus est à tributis, omnis eius familia exempta est. Ergo omnes Clerici exempti sunt ex exemptione facta à Petro. Tertiò,ex variis textibus,in quibus videtur iure diuino hæc exemptio tribui, in *cap.continua* 11.*quæst.*1.*&* *cap.futurum* 12. *quæst.*1. vbi Constantinus Imperator respondet quorundam Clericorum querimoniis. *Vos à nemine iudicari potestis,sed iudicio Dei reseruamini.* Secundò, in *cap.quamquam de censibus in* 6. vbi dicitur, Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum iure humano, quin imò & diuino à sæcularium personarum exactionibus sunt immunes, & in Concil. Lateranensi sub Leone X. *sess* 9.*in bulla reformationis curiæ* dicitur,*cum à iure tam diuino, quàm humano laïcis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit*,&c. in Trid. *sess* 25.*c.*20. *de reform.* ibi *Ecclesiæ,& personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione,& canonicis sanctionibus constitutam.* Quid ergo clarius dici potest? Quartò, probatur hanc exemptionem, supposita institutione clericatus, esse de iure naturali diuino. Nam facta hac institutione Clerici patres sunt, & magistri sæcularium, illisque superiores,vt tradit Gregor. VII. *in cap.quis dubitat.*96.*dist.* Sed filius patrem,& discipulus magistrum sibi subiugare, & suæ potestati velle subiicere miserabilis insaniæ est, vt ibidem dicitur. Ergo. Item negari non potest Clericos ex vi sui status superiores esse laïcis omnibus, *cap. sunt* 96. *dist.* Sed superior non potest ab inferiori iudicari, *cap. cum inferior. solitæ de maiorit. & obedient.* Ergo Clerici nulla ratione possunt à laïcis iudicari. Quintò, probatur ab inconuenienti: si enim à Christo domino hæc exemptio non habetur, non videtur qua ratione Pontifex potuerit tot homines, tam quoad se, quàm quoad eorum bona à potestate sæculari eximere; sicut enim non potest Pontifex Reges ipsos à regno deponere, & iurisdictione eis à republica data priuare; sic nec videtur posse tot subditos ab eius imperio eximere: quia hæc exemptio est natiuæ iurisdictionis debitæ priuatio.

4 Cæterum, alij Doctores probabilius censent hanc exemptionem Clericorum in causis temporalibus in iure diuino fundamentum habere; à iure tamen positiuo, & Pontificio immediatè prouenire: sic Innocent. *in cap.de maiorit.& obed.* Alciat *in cap.cùm non ab homine. col.*2.*de iudiciis*, Couarr.*pract. quæst.c.*31.*num.*2.*fine, vers. secunda conclusio*, Farinac.*pract. lib.*1.*tit.*1.*quæst.*8 *n.*2.*vers.limita primo*, Med. *Cod. de restit. quæst.*15. Mol.Theologus *de iustit.tom.*1 *disp.*31. *concl.*3. Victor. Sotus, Ledesma, Salon. Bannes, Henriq. & alij relati à Suar. *lib.*4.*de immunit.Ecclesiast. cap.*8,*num.*2. Fundamentum est, quia ex iure diuino naturali hæc exemptio non est, neque item ex iure diuino positiuo. Ergo restat, vt solùm sit ex iure Pontificio. Antecedens quoad primam partem probo. Nam character clericalis ex se, & ratione sui non eximit Clericum à iurisdictione sæculari. Tum quia hic character solùm habet deputare hominem diuino cultui, sed hæc deputatio stare optimè potest cum subiectione temporali Principi in iis, quæ diuinum cultum non impediunt: primò, quia illo charactere stante sæpè Clericus subiectus fuit sæculari iudici, vt constat ex principio Ecclesiæ,ex Paulo ad *Rom.*13.iuxta Chrysostomi explicationem, *& act.*25. & ex tot titulis *C.de Sacrosanctis Ecclesiis, de Episc. & Clericis.* Quapropter Iustinianus *constit.*83. primus concessit priuilegium fori, Clericis, in ciuilibus tantum, Episcopo non impedito, & in criminalibus eos subditos potestati sæculari reliquit. Secundò, quia modò Clericus subiicitur iurisdictioni laïcali, vt patet in initiatis minoribus ordinibus, neque beneficium habentibus, iuxta Concil. Trident. *sess.*23. *c.*6.*de reformat.* qui priuilegio fori non gaudent. Tertiò, in causa ciuili reconuentionis, & in causa feudi, & aliis infrà subiiciendis iurisdictioni sæculari subditur. Et denique cum delictum graue committit, ob quod sæculari curiæ interficiendus traditur, à iudice sæculari iudicatur, & punitur, & non ex potestate Ecclesiast. hæc enim non ad punitionem corporalem extenditur, tametsi illam permittere possit. Ergo euidens est ex iure diuino naturali hanc exemptionem prouenire non posse. Alias semper eadem esset, & fuisset, & æqualis in omnibus Clericis absque vlla variatione & mutatione. Quod autem neque ex iure diuino positiuo hæc exemptio, prout in Ecclesia fit, proueniat, inde efficaciter probatur, quia nullus est locus in Scriptura, ex quo colligi possit. Nam ea, quæ ex veteri testamento referuntur pro contraria sententia, in tantum vim habere possunt, quatenus iure naturali fundantur. Nam omnia alia præcepta positiua antiqua aduentu Christi, & promulgatione legis gratiæ cessarunt. Præterea quod ibidem loquitur propheta de iniuria, & violentia facta iis, qui Deo sunt familiares: non de iudicio. Locus autem, qui ex nouo testamento refertur, hanc exemptionem minimè probat, quia ex illa responsione Petri solùm voluit Christus inferre ipsum, vtpotè filium naturalem æterni Regis, & domini vniuersorum liberum esse à tributo. Petrum verò ex priuilegio propter eius specialem prærogatiuam, & dignitatem. Alias si vellet, ad omnes exempto Petro eximi omnes Clericos. Quia non est verum exempto patrono ab aliquo tributo, eximi necessariò omnes illius familiares, præcipuè æquali exemptione. Item eadè ratione omnes Christiani baptizati eximi possent à iurisdictione laïcorum: quia etiam sunt specialiter de familia Pontificis, qui omnium Christianorum caput est. Denique illa exemptio fuit exemptio à tributis. Ergo exemptio fori in criminalibus,& ciuilibus ex tali loco non infertur. Cùm verò in aliquibus Pontificis decretis dicitur hanc exemptionem esse ex diuina ordinatione,& iure diuino, iis verbis nihil aliud extenditur,vt explicat Couar. *vers.tertia probatio*,nisi ad similitudinem veteris factam esse, aut ex veteri lege originem trahere, ex particulari præcepto Pontificis dato concessam esse.

5 Et ex his manet solutum secundum & tertium argumentum contrarium. Ad quartum dico non repugnare quemlibet secundum vnam rationem esse inferiorem, & superiorem secundùm aliam, vt patet in eo qui filium haberet Regem: filio enim esset subditus ratione regiæ dignitatis, & filio esset superior ratione patriæ potestatis: sic Clericus ratione dignitatis clericalis est omnibus Regibus superior, & illis potest esse subiectus quoad politicum regimen. Ad quintum, negandum est non posse à Pontifice hanc Clericorum exemptionem concedi; concedit enim illam ex potestate accepta à Christo gubernandi eius Ecclesiam: ad rectam enim illius gubernationem, & dignitatis clericalis honorem, & splendorem conuenientissimum, & fortè necessarium est, vt Clerici laïca potestate exempti sint. Debebat ergo Pontifex illos eximere ex ratione sui muneris, quod rectè sine tali exemptione exerceri non potest. Item credendum est Christum Dominum non solùm contulisse Petro hanc potestatem eximendi Clericos à iurisdictione sæculari, prout Ecclesiæ conueniens visum fuerit, sed etiam specialiter præcepisse ipsi talem exemptionem, quod satis indicant illa verba Concilij Trident. *sess.*25. *cap.*20. dicentis, *immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus esse constitutam*; constituta enim est, non solùm ex canonicis sanctionibus potestate diuina factis, sed etiam Dei ordinatione. Ergo Deus ordinauit hanc immunitatem concedi; modum autem huius concessionis, tum quoad personas,tum quoad materias, ipsi Pontificidisponendum reliquit, sicuti ex Christi præcepto saltem incluso in potestate concessa Pontifici gubernandi Ecclesiam habetur, quod Pontifex Episcopis, & pastoribus iurisdictionem spiritualem concedat,quia absque illa rectè Ecclesia gubernari non posset; at quantitatem huius iurisdictionis Pontificis voluntati remisit, prout sibi visum fuerit conuenire,sic de exemptione dicimus. Et in hoc sensu verum est hanc exemptionem iure diuino fundatam esse, ab ipsóque iure diuino prouenire: prouenit enim à iure diuino quod concedatur, modus autem concessionis Pontificis remittitur.

6 Ex quo infertur manifestè à nulla humana potestate hanc exemptionem à Pontifice concessam tolli posse; quia nulla humana potestas est superior potestate supernaturali concessa Pontifici à Christo Domino, sed ex vi huius potestatis, & ex speciali Christi ordinatione hæc exemptio conceditur. Ergo à nulla potestate humana tolli, mutative potest: sic Couarr, *pract.quæst.cap.*31.*num.*3.*vers.quarta conclusio.* Farinac.*de inquisit.lib.*1.*quæst.*8 *num.*4.

7 Secundò infertur, neque etiam ipsum Pontificem eam integrè tollere posse, hoc est quoad omnes Clericos, & quoad causas, licet illam possit pro varietate temporum, & occasionum restringere, & ampliare. Tum quia non potest Pontifex tollere, quod rectæ gubernationi Ecclesiæ necessarium est; quia non est ei data potestas in destructionem, sed in ædificationem. Tum quia Clericorum exemptio Dei ordinatione fundata est, esto modus exemptionis Pontifici fuerit commissus, Couarr. *cap.*31.*num.*4.*&* 6 Farin.*lib.*1.*tit.de inquisit. quæst.*8. *n.*4.latè Suar.*lib.*4.*de immunit.toto cap.*30.*præsertim n.*18.

8 Sed inquires, an ipse Pontifex à Christo Domino exemptus fuerit à iurisdictione temporalium Principum? Et quidem esse exemptum, sicut alij Clerici exempti sunt, nemini esse potest dubium: si enim ex potestate accepta à Christi gubernandi Ecclesiam potest, & debet Pontifex eximere Clericos à temporali iurisdictione; quia hæc exemptio rectæ Ecclesiæ gubernationi necessaria est, à fortiori rectæ ipsius gubernationi necessarium est, vt ipsemet Pontifex exemptus sit, tum ob maiorem eius dignitatem, tum ob superiorem potestatem, quam in Principes, & Dominos temporales habet. Ergo potest, & debet ab eorum iurisdictione se eximere. An verò

ipse

ipse à Christo Domino immediatè sit exemptus, non est ita certum. Probabilius credo sic exemptum esse, tum ex illo *Matth.* 17. vbi Petrum à solutione tributorum exemptum esse iudicauit: præcepit enim solui tributum pro se & Petro, non quia debitum esset, sed ne alij scandalizarentur. Ex qua exemptione infertur exemptio à fori iurisdictione, vtpotè Pontificem minus decenti. Tum ob supremam potestatem, quam habet in Principes, & Dominos temporales, illos imperandi, & gubernandi, quatenus suæ Ecclesiæ vtilem fuerint necessarium. Quæ potestas excludit omnino vt possit capi, & puniri à Principe sæculari sibi subiecto, vtpotè quid indecens, & indecorum tali supremæ potestati. Et præterea quia ex tali potestate potest ipse Pontifex Principem sæcularem impedire ne ipsum capiat, & puniat. & quidquid in contrarium fecerit irritare, & an nullare. Ergo impossibilis est potestas Principis in Pontificem, cum non possit efficaciter contra voluntatem Pontificis executioni mandari. Ex quo fit non posse Pontificem alterius iurisdictioni se submittere quoad vim coactiuam; quia semper ab ipso Pontifice omnis iurisdictio pendet, & reuocari potest, & eius efficacia impediri: quæ omnia latius pro sequitur Suar. *in defens. fidei. lib* 4. *de immunit. Ecclesiast. cap.* 4. 5. 6. & 7. Mol. Theologus *disp.* 31. *concl.* 4.

PVNCTVM II.

Qui nomine clerici priuilegio fori gaudentes intelligantur?

1 *Quilibet prima tonsura initiatus gaudet hoc priuilegio spectato iure communi.*

2 *Quid in hac parte disposuit* Trident.

3 *Habens beneficium, præstimonium, capellaniam collatiuam, imo, & coadiutorium ex assignatione Pontificis hoc gaudet priuilegio.*

4 *Pensionarium plures censent non gaudere. Probabilius est oppositum.*

5 *Titulus beneficij sufficit, tametsi illius possessionem non habeas, in probabiliori sententia.*

6 *Immoribus constitutus debet habitum, & tonsuram deferre, & alicui Ecclesiæ inseruire ex Episcopi assignatione, vt fori priuilegio gaudeat.*

7 *Vtrumque portare debet, & habitum, & tonsuram, & hoc frequenter.*

8 *Qua ratione debeat Ecclesiæ inseruire,*

9 *Coniugatus in minoribus constitutus plures conditiones habere decet, vt priuilegio gaudeat, & expenduntur hic prædictæ conditiones.*

10 *Religiosi tam viri, quam fœminæ hoc priuilegio gaudent. Et qui intelligantur.*

1 SPectato iure communi quilibet prima tonsura initiatus intelligitur *ex c.* 2. *de foro competenti*, ibi *aut Clericum vllum c. vnico, cum* ibi *notatis de Clericis coniugatis in* 6. *cap. Clerici, e. cum non ab homine de iudicijs*: & tradit Couar. *pract. q. c.* 31. *n.* 5. *in fine*, Ignat. Lopez *pract. c.* 62. *n.* 9. Farin. *lib.* 1. *tit. de inquisit. q.* 8. *n.* 5. Suar. *lib.* 4. *de immunit. cap.* 27. *n.* 3. Augustin. Barbosa *de potest. Epis. c.* 2. *p. allegat.* 12. *n.* 1. & alij apud ipsos. Ratio est: quia Clericus ille dicitur, qui in sortem Dei vocatus est, *c. clericos, cap. perlectos* 21. *dist. c. cum secundum de Prebendis*. At cum quis prima tonsura initiatur, in sortem Dei, eiusque ministerium, & seruitium vocatur, & deputatur. Ergo.

2 Verùm attento Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* nullus clericus in minoribus constitutus fori priuilegio gaudet, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores suscipiendos, versetur. Ratio autem quare Trident. has speciales conditiones requisiuit in Clerico minorum ordinum ea est, quia Clericus minoris ordinis non tenetur in clericatu perseuerare *cap. Ioannes de Clericis coniugatis*, sed potest illum deserere, quod aliter contingit de Clerico in sacris, qui sine apostasia statum deserere non potest, & ad portandum clericalem habitum cogi potest, iuxta text. *in cap. tua de Apostatis iuncta glossa*. Ergo conueniens erat in minoribus Clericis qualitates expostulare denotantes perseuerantiam in statu clericali.

3 Dixi, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat. Nomine autem beneficij ad huiusmodi effectum intelligo quodlibet ius perpetuum percipiendi fructus, tametsi fructus ob penuriam temporum, vel alia de causa non percipiuntur: sic Garcia *de benefic. 1. p. cap.* 6. *num.* 37. & 2 *p. cap.* 2. *num* 9. Augustin. Barbosa alios referens 2. *p. de potest Episcopi, alleg.* 12. *n.* 7. Hinc fit habentem præstimonium in titulum, sicuti sunt omnia Hispana, priuilegio fori gaudere; quia beneficium proprissimè habet, vt tradit alios referens Salzedo *pract. cap.* 61. *num.* 11. Garcia 1. *p. cap.* 2. *num.* 117. Aloysius Riccius *pract. resolut.* 327. *vers. sufficit tertio*, Gonzalez *ad reg. cancellaria, glossa* 15. §. 2. *n.* 11. Augustin. Barbosa *alleg.* 12. *num.* 11. & alij. Secundò, sit habentem capellaniam collatiuam à Pontifice, vel Episcopo eodem priuilegio frui; quia verè est beneficium: sic aliis relatis Salzedo *num.* 12. Barbosa *num.* 10. cum Glossa *in clem. fin. in glossa* 1. *de Decimis, & in extrau. execrabilis verbo quæ aliàs de Prebendis inter communes*. Fit Tertiò, coadiutorem canonicatus à Pontifice assignatum hoc priuilegio gaudere; quia ita coadiutoria, cùm habeat annexum obsequium spirituale, perpetuum beneficium nominatur, saltem ad hunc effectum: sic Garcia 2. *p. cap.* 5. *n.* 98. Barbosa 2 *p. potest. Epis. alleg.* 12. *n.* 1.

4 Sed dubium est, an pensio sub nomine beneficij ad hunc effectum comprehendatur? Negant Flamin. *de resignat. lib.* 1. *quæst.* 11. *num* 70. & *lib.* 2. *quæst.* 15. *num.* 15. Azebedo *leg.* 1. *num.* 5. *vers. sed an pensio, tit.* 4. *lib.* 1. *nouæ compilat.* Carolus de Graffis *de effectibus cleric. effectu* 1. *num.* 1199. *cum seqq.* Nicol. Garcia *de benefic.* 1 *p. cap.* 4. *num* 70. Gonzalez *reg.* 8. *cancellar. glossa* 5. §. 5. *num.* 6 Aloysius Riccius *in decis. curiæ Archiepisc. Neapolit.* 2. *p. dec.* 71. *n.* 11. & *decis.* 92. *num.* 10 *ad finem* Zenedo *pract. & canon. quæst. lib.* 1. *quæst.* 4 *num.* 32. *cum seq.* Mouentur, quia pensio non est propriè beneficium; eo quòd non sit ius perpetuum percipiendi fructus ob spirituale obsequium; si quidem pensionario moriente spirat; & confirmari potest ex *cap. quamuis, & primò, de Prebendis in* 6. vbi mandatus prouideri de beneficijs, non potest ex vi huius decreti de pensionibus prouideri. Ergo pensio sub beneficio non comprehenditur. Item in *cap. ad audientiam, vel secundo, de rescriptis*, pensio à beneficio distinguitur vbi *annuas pensiones, seu beneficia*. Idem colligitur manifestè ex Trident. *sess* 21. *de reformat. cap.* 2. vbi nullus permittitur sacris initiari ad titulum patrimonij, vel pensionis, nisi necessitas, aut commoditas Ecclesiæ arbitrio Episcopi aliud suadeat; secùs verò ad titulum beneficij. Adde pensionarium non esse obligatum horas canonicas recitare, sed tantùm officium paruum Virginis. Ergo non est beneficium: Et ita referunt decisum Garcia, Gonzales, Zenedo, & alij his verbis, *cui reseruata fuit pensio vt Clericus, si non incedit in habitu, & tonsura non gaudet priuilegio fori* Cæterum probabilius credo pensionem sub nomine beneficij in fauorabilibus Ecclesiæ comprehendi. Tum quia pensio data in titulum dici potest ius perpetuum percipiendi fructus; siquidem non finitur durante vita, quæ autem pro tota vita conceduntur perpetua sunt: sic docet Salzedo *pract. cap* 62. *num.* 10. Eman. Rodriq. *tom.* 1. *summ. cap.* 155. *num.* 11. Lazarte de Alcauala *cap.* 17. *num.* 24. Crescent. *decis.* 14. *de sentent. & re iudicata*, Augustin. Barbosa 2. *p. de potest. Epis. alleg.* 12. *num.* 8. & *in remiss. concilij, sess.* 23. *cap.* 6. vbi refert sic decisum fuisse à sacra congregatione 18. *decemb.* 1595. Neque obstant in contrarium adducta, quia illa verissima sunt, & probant pensionem sub beneficio non comprehendi in odiosis, & quæ Ecclesiæ, vel particulari infesta sunt. Et ad responsionem sacræ congregationis dicit Suar *lib.* 4. *de immunit. Ecclesiast. cap.* 27. *num.* 11. se non credere esse fideliter transcriptam.

5 Secundò, dubitatur an debeas beneficij possessionem habere, an solus titulus sufficiat? Negant titulum sufficere Clarus *in* §. *fin. quæst.* 36. *num.* 21. *vers. hæc autem in fine, & vers. regulariter autem*, vbi Baiard *n.* 14. Mascard. *de probat. concl.* 302. *num.* 16. & 17. Menoch. *cons.* 340. *num.* 6. *cum seq.* Sigismund. Scaccia *de iudic. causf. ciuil. lib.* 1. *c.* 11 *n.* 82. Farin. *lib.* 1. *praxis, q.* 8. *n.* 45. & 70. Carolus de Graffis *de effectibus cleric. effectu* 1. *num.* 1187. Aloysius Riccius *prax. fori Ecclesiast. resolut.* 327. *num.* 1. *in* 2. *edit.* Tuschus *pract. concl. litt. B. concl.* 78. *num.* 8. Ratio esse potest, quia absque possessione non datur firmum ius in beneficium, cum multis modis impediri possit: alias si solus titulus sufficeret ad hoc priuilegium, pluribus ratione vnius beneficij priuilegium competeret, instituto nempè, & possidenti. At probabilius credo titulum sufficere, dum de eius nullitate non constat, sed potius validus reputatur: sic sacra congregatio censuit 16. *Iulij* 1587. prout testatur Barbosa *in remission. concilij. sess.* 23. *cap.* 6 *de reformat.* his verbis, *Clericum prima tonsura præsentatum ad capellam sacerdotalem, qui super talem præsentationem obtinuit à Papa nouam prouisionem, etiam in vi motus proprij, posse in suis causis ciuilibus gaudere priuilegio fori, quamuis possessionem beneficij non habeat propter aliorum processum, contra quem litem mouit.* Ratio ea est, quia collatio beneficij, verum ius in beneficium confert, & cui facta est, beneficiatus dicitur, maximè in iis, quæ priuilegium statui clericali fauorabile respiciunt: & ita tradit Melleo *in suo repertorio, verbo obtinere dicitur quis beneficium*, Flamin. *de resignat. lib.* 7. *q.* 1. *n.* 47. Couarr. *lib.* 3. *variar. c.* 16. *in princ.* Gigas *de pensionib. q* 94. *n.* 12. Zenedo *pract. & canon. quæst. lib.* 1. *q.* 4. *n.* 22. Rebuff. *prax.* 3. *p. tit. de Simonia in resignat. à n.* 25.

6 Tertiò, dubitabis, an Clericus beneficiatus, in minoribus constitutus, debeat portare habitum, & tonsuram, vt fori priuilegio gaudeat? Negandum videtur: quia vnum è duobus requisitum est à Trident. *d. sess.* 23. *cap.* 6. ex illa dictione *aut*, quæ disiungit, & ita tenet expresè Gonzalez *reg.* 8. *cancell. glossa* 5. §. 5. *n.* 5. Garcia *de benef.* 2 *p. cap.* 2. *num.* 4 & 5. Augustin Barbos. *in supradicto decreto concilij & 2. p. de potest. Epis. allegat.* 12, *n.* 6. vbi plures refert Farinac. *q.* 8. *n.* 70.

Verum

Verum si Clericus in minoribus constitutus beneficium Ecclesiasticum non habeat, tenetur habitum, & tonsuram deferre, vt fori priuilegio gaudeat, & insuper de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruire, aut de eius licentia in clericorum seminario, vel schola, aliquave in vniuersitate versari, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos.

7 Circa quæ aduerte vtrumque portare debere, & habitum, & tonsuram, neque sufficit vnum alio omisso; quia per dictionem copulatiuam & fuit à concilio requisitum ex reg. *l. hac verba* 124. *ff. de verbor. significat*: & tradit alios referens August. Barbosa 2. *p. de potest. Episc. alleg.* 12. *num.* 14. Modus autem portandi vestem, & tonsuram clericalem debet esse frequens, & continuus; alias priuilegio carebis absque vlla monitione: sic Marc. Anton. *var. resol.* 48. *n.* 7. Riccius *in praxi fori Ecclesiastici, resolut.* 530. 2. *edit. num.* 4. Barbosa *alleg.* 12. *num.* 19. Suar. *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 12. At si ex aliquo casu contingenti laicus vestes induas, non ob id priuilegio fori priuatus manes; quia sufficit te solitum esse clericales vestes portare, ab vsu enim frequenti denominatio desumenda est: sic Farinac. *lib.* 1. *praxis, tit. de quæst.* 8. *à num.* 66. *& seqq.* August. Barbosa 2. *p. de potest. Episc. alleg.* 12. *n.* 20. Marcus Anton. *d. resolut.* 48. *n.* 7. & Suar. *suprà*, Sanch. *disp* 46. *n.* 8 *lib.* 7.

8 Secundò, aduertere debere de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruire; inseruire, inquam frequenter; quia non sufficit bis, vel ter inseruire: quia verba illa *perseuerans seruitium* inducit sic Zenedo *pract. & canon quæst. lib.* 1. *quæst.* 4. *num.* 25. Carolus de Graffis *de effectib. cleric. effectu* 1. *num.* 1183. Aug. Barbosa *in remission. concilij, sess.* 23. *cap.* 6. *circa finem, & 2. p. de potest. Episc. alleg.* 12. *n.* 14 Item debet illud seruitium esse de præsenti, alias non dicetur seruire, sed seruisse: sic Graffis *num.* 1177. & Barbosa *suprà*. Item debet esse in spiritualibus, hoc est in exercitio sui ordinis: sic relati Doctores. Deinde debet esse frequenter, seu pro maiori parte temporis. Vnde interpolatio aliquorum dierum, si iterum reuertat, non tollit priuilegium, Barbosa *de alleg.* 12. *num.* 13. An verò debeat esse eidem Ecclesiæ ab Episcopo assignatæ, affirmat Graffis *n.* 1170. & videtur ibi consentire Barbosa *suprà*. Quia alteri Ecclesiæ inseruiat, non verificatur inseruire de mandato Episcopi, sed ex voluntate propria. Cæterum, credo sufficere, si ab Episcopo assignatus seruitio alicuius Ecclesiæ, cuicunque inseruiat; quia iam Ecclesiæ inseruit de mandato Episcopi, tametsi non sit cui inseruire debeat: & ita sacram congregationem respondisse testatur Barbosa *in remission. concilij, vers. vtrum Clericus.* Hoc tamen mandatum Episcopi sufficit ore tenus datum. Tum quia ita habet praxis. Tum quia non expostulatur qualitas scripturæ; sic Aloysius Ricciusin *praxi fori Ecclesiast. resolut.* 525. *in* 2. *edit. & in* 1. *decis.* 601. Barbosa *alleg.* 12. *num.* 23. Requiritur tamen esse expressum, neque sufficit implicitum in ordinum susceptione: alias frustra concilium expressisset: sic Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *quæst.* 76. *n.* 41. Zenedo *pract. lib.* 1. *quæst.* 4. *n.* 24. *&* 26. Barbos. *d. alleg.* 12. *n.* 13. *& in remission. concilij, sess.* 23. *c.* 6. *fine.* Eadem ratione explicanda sunt illa verba *de licentia Episcopi in aliqua schola, vel vniuersitate*, &c.

9 Quod si clericus in minoribus constitutus coniugatus sit, mandat Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. seruari decretum Bonifac. VIII. *in c.* 1. *de clericis coniugat. lib.* 6. vbi hos dezernit gaudere priuilegio fori in criminalibus, dummodo habitum clericalem, & tonsuram deferant, & alicuius Ecclesiæ ministerio sint ab Episcopo deputati, & insuper cum virgine contraxerint: qualibet enim ex his conditionibus deficiente priuilegio suptadicto carent: sic Couarr. *pract. quæst. cap.* 31. *à num.* 6. *&* 7. Carolus de Graffis *de effectib. cleric. effectu* 1. *num.* 84. Farin. *lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 8. *à n.* 6. *& seqq. &* 64. August. Barbosa 2. *p. de potest. Episc. alleg.* 12. *num.* 25, 26. *&* 27. Prima conditio ex consuetudine est explicanda. Ille ergo dicetur clericalem vestem portare, qui visa veste iudicatur clericus, secus si laicus existimetur: sic alios referens Couarr. *n.* 7. Farinac. *num.* 69. Clarus *q.* 36. *vers. dixit. clericum*, Thom. Sanch. *lib.* 7. *disputat.* 46. *num.* 6. Suar. *lib.* 4. *de immunit. Ecclesiast. c.* 18. *num.* 4. vbi aduertit non sufficere, vt deferat habitum clericalem tempore quo in Ecclesia inseruit, sed necessarium esse, vt in communi ita incedat. De secunda conditione, nempè de deputatione ad seruitium Ecclesiasticum iam diximus. De tertia, scilicet matrimonium cum virgine, latè Sanch. *lib.* 7. *disput.* 46. Couarr. *d. cap.* 31. Farinac. *prax. quæst.* 8. *à num.* 8. Sufficit, si tempore contracti matrimonij virgo fuerit, aut taliter fuerit reputata; esto postea adulterium commitat; quia non attenditur euentus futurus, sed præsens præcipuè in fauorabilibus, & absolutè cum virgine dicitur contraxisse: sic alios referens Farinac. *suprà*, & Sanch. *num.* 3. & August. Barbosa *num.* 26. Suarez *cap.* 28. *num.* 7. Adde si à solo contrahente virgo fuerit ante matrimonium cognita, cum virgine reputatur contraxisse; quia copula antecedens matrimonium inter ipsos contrahentes, matrimonio ipso videtur purgata: sic ex communi sententia testatur Anton. Gom. *var. resol. tom.* 3. *cap.* 10. *à n.* 4. Clarus *in pract. §. fin. quæst.* 36. *vers. quæro an clericus, & vers. sed an ille*. Farinac. *quæst.* 8. *num.* 8. Suar. *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 6. Deinde si matrimonium cum duabus virginibus fuit contractum, & cum vna sola consummatum, quia altera vel mortua fuit, vel ad religionem transiuit ante consummationem, non priuatis priuilegio fori; quia non censeris bigamus; sed potius censeris contrahere cum vnica, & virgine; alius enim contractus, quia consummatus non fuit, non reputatur: sic cum Glossa *in cap. vnico de Cleric. coniugatis in 6.* tradit Suarez *c.* 28. *n.* 6.

10 Præter supradictos alij, tametsi ordinibus initiati non sint, clerici reputantur, & fori priuilegio gaudent. Hi sunt religiosi, siue mares, siue fœminæ, etiam conuersi, vulgo dicti laici: sic enim vocantur, non quia religiosi non sint (sunt etenim veporè qui professionem trium votorum emittunt in religione approbata) sed quia ministeriis temporalibus deputantur absque vllo ordine insigniti: sic Decian. *tract. crim. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 28. Carol. de Graffis *de effectu clericali, effectu* 1. *num.* 97. Nicol. Garcia *de benefic.* 1. *p. cap.* 4. *num.* 11. August. Barbosa 2. *p. alleg.* 12. *num.* 38. & Farinac. *q.* 8 *num.* 46. *ampliat.* 26. & probat textus in *c. fin. de Religiosis domibus, cap.* 3. *de foro competenti, c. si quis suadente* 17. *q.* 3. Secundò, nouitij in religione approbata sub nomine Clerici, & religiosi in fauorabilibus comprehenduntur; quia licet verè religiosi non sint, cum professionem non emiserint, sunt tamen in via ad religionem, & hoc sufficit, vt fori priuilegio gaudeant: sic multis exornat Farinac. *quæst.* 8. *num.* 46. *vers. ampliat.* 16. Azor. 1. *p. instit. moral. lib.* 12. *cap.* 2. *q.* 2. Guttierr. *de gabellis. q.* 95 *num.* 22. Barbosa *alleg.* 12. *n.* 37. & alij apud ipsos. Tertiò sub nomine clerici, seu religiosi ad hunc effectum intelliguntur familiares religionis, vulgo *oblati*, qui se, & sua in religionis seruitium transtulerunt, Tuschus *litt. O. concl.* 16. Peregrin. *var. lib.* 6. *num.* 71. Barbosa *num.* 39. Quartò comprehenduntur rectores Xenodochiorum: cum enim Xenodochium Episcopi authoritate erectum locus sacer sit, & à laicali iurisdictione exemptus, etiam illius rector exemptus esse debet, Barbosa *n.* 40. cum Carolo de Graffis *de effectu clericali, effectu* 1. *num.* 117. Quintò veniunt sub hoc priuilegio fratres tertij ordinis D. Francisci in communitate viuentes; quia hi religiosi sunt, vel saltem religiosam vitam imitantur, Graffis *in decis. aureis, lib.* 2. *cap.* 49. *n.* 27. Mol. *de iustit. tom.* 4. *tract.* 3. *disput.* 50. *num.* 4. Suar. *tom. de censur. disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 10. Barbosa *alleg.* 12. *n.* 41. At si hi non in communi, sed priuatim in propriis domibus habitent, esto plures Doctores, quos refert & sequitur Tuschus *litt. E. concl.* 470. Eman. Rodr. *tom.* 2 *quæst. regul. q.* 65. *art.* 4. censeant fori priuilegio gaudere, quia verè, & propriè religiosi sunt; probabilius reputo illo priuilegio carere, & tanquam laicos iudicari, punirique posse. Tum quia religiosi non sunt, cum non emittant tria vota substantialia secundum regulam à sede Apostolica approbatam, neque religiosam vitam degant, sed omnino sæcularem, facitque Clement. III. *de excommunicat.* quatenus dicit tempore interdicti non posse hos à fratribus minoribus admitti ad diuina officia. Quod non fieret, si verè religiosi essent, sic aliis relatis docet Malcard. *de probat. concl.* 957. *num.* 6. Graffis *de effectibus cleric. effectu* 1. *à num.* 92. Mol. Theolog. *tract.* 3. *disputat.* 30. *à num.* 4. *vers. de his*, Barbosa *alleg.* 12. *num.* 41. Sextò comprehenduntur sub nomine clerici milites ordinis S. Ioannis, S. Iacobi, D. Benedicti, August. Lazari, Stephani, &c. quia satis controuersum est, an verè, & propriè religiosi sint. Quapropter ex consuetudine iam recepta hi non iudicantur ab aliis iudicibus, quàm à superioribus cuiusque ordinis: sic Graffis *d. effectu* 1. *num.* 109 Nauarr. *cons.* 12. *&* 13. *de regularib* Barbosa *n.* 45. Septimò extenduntur aliqui hoc priuilegium ad Eremitas, sed hoc intelligi debet, si in communitate viuant religionis approbatæ; secus si extra religionem sub nullius obedientia, quia verè laici sunt, nulloque priuilegio fruuntur: sic Graffis *d. effectu* 1. *numer.* 102. Man. Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 60. *art.* 2. Barbosa *num.* 42. Mol. *tom.* 3. *tract.* 3. *disput.* 50. *num.* 4 *fine*, Sanch. *in decal. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 10. Octauò poterat extendi hoc priuilegium ad pœnitentes. Sed iam non sunt in vsu illæ solemnes pœnitentiæ præter eas quas sancta inquisitio delinquentibus imponit, de quibus iam diximus, qua ratione inquisitoribus sint subiecti. Reliqui vero pœnitentes priuilegio fori non gaudent: sic Graffis *num.* 127. Barbosa *num.* 44. Zenedo *ad decret. collect.* 34. Couarr. *c.* 34. *num.* 4. Nonò priuilegium hoc fori extendi dicitur, non solùm ad clericos, sed etiam ad eorum famulos. At hoc intelligendum est non de quibuscunque famulis, aut de quocunque Clerico, sed solum de famulis Episcoporum, qui propriè famuli, & serui sint non mercede conducti, vt latè, & eruditè tradit Decian. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 47. *&* 57. Farinac. *prax. quæst.* 8. *num.* 46 & facit textus in *cap. fin. de officio Archidiac.* Item non debet intelligi spectato iure communi. Quia nullus est textus vt benè expendit Suarez *lib.* 4. *de immunit. Ecclesiast. cap.* 29. *à num.* 10. hanc exemptionem probans: & præcipuè stante Trident. est manifestum; quia Trident. omnes in minoribus constitutos excludit à priuilegio fori, nisi habeant beneficium, &c. Quocirca solum ex consuetudine intelligendum est; quæ consuetudo rationabilis est, vtpotè quæ iurisdictionem, & authoritatem Episcopalem fouet. Cum autem in *c. Ecclesiarum seruos* 12. *q.* 2. Serui Episcoporum, & Clericorum ab oneribus eximuntur, id est, quia inter bona domini computantur.

Decimò alij extendunt hoc priuilegium fori ad vxorem Cle-

rici.

rici coniugati: sic post alios antiquiores Tiraq. *post leges connubiales, glossa 2.n.54.* Auiles *in capitib. prætorum proœmio, glossa 1.n.18.* Anton. Cucus *l.3.instit.maiorat.iit.9.n.20.* & alij relati à Sanch. *lib.7.de matr.disp.47.n.2.* Probatur primò. Quia priuilegium domino concessum omnibus qui sunt de familia conceditur *c.fin.de officio Archidiac.* At vxor est de viri familia *l.mulieres,C.de dignitatib.lib.12. & l fin. ff.ad municipalem.* Secundò vxor sortiri debet forum viri, ex *l. cum quadam puella.ff.de iurisdict.omn.iud.* Tertiò, exemptio à tributis data Clericis eorum vxoribus communicatur ex *l.2. Cod.de Episcopis & Clericis.* Tandem in quauis dispositione stricta quæ conceduntur viro, vxori censentur concessa, iuxta doctrinam *glossæ in c.admonere, verbo partem 33. q.2.* Verum hoc argumenta solùm conuincunt priuilegium concessum domino omnibus ex eius familia competere, quando ratio concedendi priuilegium aliis præter primum priuilegiatum potest conuenire. At cum hoc priuilegium in reuerentiam clericalis ordinis concessum sit, nemini præter ordinatos potest hæc reuerentia conuenire: eáque de causa hoc priuilegium personale est, non reale, neque aliis ab ordinatis competit. Solum de exemptione à tributis est specialis dispositio, vt vxoribus clerici competat. Sed hoc est spectato iure antiquo, non ex nouo, Bonifac. VIII. *de clericis coniugatis in 6.* & Trid. *sess.23.c.6. de reformat.* vbi clericis coniugatis solum fori priuilegio gaudere conceditur in criminalibus, vt dicemus. Affirmandum ergo est hoc priuilegium fori Clericis concessum, nequaquam ad eorum vxores extendi: sic aliis relatis Sanch. *lib.7.de matr.disp.47.n.3.*

Ex quo fit, si Clericus ad sacros ordines ascendat, vxore in sæculo manente, nullo modo vxorem priuilegio clericali gaudere, quia dissolutum est thorum, & mutua cohabitatio, quæ poterat esse occasio fruendi priuilegiis viri: sic Sanch. *num.7.* cum Alexand.de Neuo *cap.2.de foro competenti, num.22.* Secundò, fit à fortiori viduam vxorem nullo modo priuilegio viri gaudere, tamersi diceremus viuente viro priuilegia viri ei communicari: quia solum communicantur ei in consequentiam viri priuilegia. Ergo cessante priuilegiato principali, cessare debet accessorium: & sic tradit cum glossa loquente de filiis *l.2.C.de Episcopo & Clericis* & ibi Baldo *num.5.* & Alexand.de Neuo *suprà.* Sanch. *disp.47.n.4.*

PVNCTVM III.

Explicantur aliqua dubia circa superiorem doctrinam.

1 *Clericus in minoribus constitutus si habitum dimittat, potest illum reassumere, vt priuilegio gaudeat, tametsi plures contrarium sentiant.*

2 *Si tempore quo habitum dimisit delictum commisit, & postea habitum reassumat, negant plures gaudere. Probabilius est oppositum.*

3 *Si tempore, quo habitus est dimissus, capiatur à iudice, non gaudet priuilegio.*

4 *Quando censeatur fraus commissa in assumptione habitus clericalis.*

5 *Clericos negotiatores probabile est priuilegio fori priuari, oppositum probabilius.*

6 *Quid dicendum de clericis arma gestantibus.*

1 PRimò dubitatur, an Clericus in minoribus constitutus, siue solutus, siue coniugatus, si dimittat habitum clericalem, possit iterum illum reassumere, vt fori priuilegio gaudeat? Negant Afflictif. *lib.1.constitut.Rub.3.num.22.* Auendan. *de exequendis mandat. Regum, lib.1. cap.22. num.15.* & consentiunt communiter Doctores Paduæ, vt testatur Ioann. Andr. *cap. Ioannes de clericis coniugatis, quæst.4. num.19.* & ibi Anchartan. *num.10. quæst.4.* Ratio esse potest: quia illa dimissio habitus est quædam priuilegij renuntiatio, sed quoties quis priuilegio renuntiauit, si renuntiatio illa acceptatur à superiore, priuilegium amittit, ad illudque redire non potest. Ergo facta hac renunciatione iam non est locus pœnitentiæ; quia illa renunciatio à superiore acceptatur; si quidem statim Clericum priuat priuilegio clericali, & in hoc sensu est vera regula illa. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest,* & facit *c.vt qui duas, de electione in 6. cap.vnico de Postulat. prælatorum in 6.* redeundi ad aliam Ecclesiam postquam vnam elegerit sibi licentia penitus interdicta.

Cæterum, tenendum omnino est priuilegio gaudere reassumpto habitu, sic post alios antiquiores, quos referunt, docent Couarr. *pract. quæst. cap.31. num.8. vers.5.* Petr. Barbos. *l.filia 35. num.33. ff.soluto matrim.* Iulius Clarus *lib.5. pract. §fin.quæst.36.num.15.* Thom.Sanch. *lib.7. de matr disp.46. num.29.* Suar. *lib.4. de immunit.cap.27. n.18.* Ratio est: quia ex duplici capite prouenire potest, quòd Clericus dimittens habitum clericalem, illo reassumpto non gaudeat priuilegio fori. Primò, quia illud renunciauit per dimissionem habitus, illa renunciatio acceptata fuit. Secundò, quia in perpetuum ob illam habitus dimissionem illo priuilegio priuatur, sed ex nullo horum capitum infertur hæc inhabilitas perpetua. Non ex renunciatione; quia priuilegium clericali statui competens nemini licet renunciare *cap.si diligenti de foro competenti,* & fuit decisum à sacra congregatione 11. Iunij, 1587. prout referunt Suar. *sup.3.* & Aug.Barbos. *in remissionibus Concilij, sess.23.cap.6 de reformat.* his verbis. *Quidam Clericus charactere insignitus beneficium Ecclesiasticum obtinuit, cui postea animo vxorem ducendi vna cum clericatu renuntiauit. Deinde non sequuto matrimonio clericalem habitum reassumpsit, & aliud beneficium exigui reditus adeptus est dubitatur, an gaudeat priuilegio fori? Congregatio censuit gaudere, quia priuilegio clericali renũciari non potest.* Ergo ex renuntiatione nequaquam potest inhabilis reddi ad priuilegium antea habitum. Ex secundo, autem capite nullo modo inhabilis redditur. Tum quia illa non est priuatio pœnalis, quæ supponat delictum, cum iicitum fuerit huic Clerico habitum dimittere, sed solum est priuatio legalis ob non seruatam conditionem. Cùm ergo illa conditio perpetua non sit, sed semel assumpta, dimitti potest, & iterum reassumi, efficitur priuationem priuilegij cum illa cohærere, quod non leuiter indicat Clem.I. *de vita, & honest.clericorum,* iuxta glossam ibi *verbo quamdiu,* ibi *Priuilegium clericale quamdiu præmissis institerint, eo ipso amittant:* Est ergo amissio priuilegij non absoluta, sed quasi conditionalis, dum conditiones ad illud habendum non seruantur: faciuntque textus in *c.clericus, & 2. de vita, & honest.clericorum;* vbi Clericus qui vxorem duxit dimissa tonsura præcipitur, vt iterum tondeatur, si velit, inquam, priuilegio gaudere, vt explicat Abbas *ibi n.4.*

Neque obstant contraria adducta; quia hic Clericus dimittens habitum non perdit priuilegium, quia illud renunciauerit, sed quia non seruauit conditionem ad priuilegium requisitam, lex autem constituit amissionem huius priuilegij perpetuam, sed solùm pro tempore non seruatæ conditionis; quia neque in Concilio Trident. *sess.23. cap.6.* neque *in cap.vnico de clericis coniugat.in 6.* sunt aliqua verba taliter indicantia; imò potius indicant contrarium. Si quidem dicunt Clericum in minoribus constitutum, gaudere nolumus priuilegio clericali, nisi habitum, &c. quasi diceret, quicunque in minoribus constitutus, qui habitum, & tonsuram deferat, &c. gaudere volumus priuilegio clericali. At qui semel habitum, & tonsuram dimisit, potest postea illud deferre. Ergo potest priuilegio gaudere. Adde, illa limitatio *nisi habitum,* &c. est restrictiua iuris communis, Ergo solùm intelligi debet restringere ius commune quamdiu est, & non alio tempore.

Hinc optimè infert Sanch. aliis relatis *lib.7. disp.46.num.30.* Clericum ducentem vnam vxorem, eámque viginem, consequi, ea mortua, omnia priuilegia clericalia, quæ solutis Clericis conceduntur, si eas conditiones præstet, quas alij Clerici soluti ad gaudendum priuilegio seruare tenentur. Quia non fuit illis priuilegiis ob matrimonium in perpetuum priuatus, sed solùm fuerant ei suspensa durante matrimonio.

2 Secundò. & difficilius dubitatur, an Clerici minorum ordinum habitum clericalem longo tempore non deferentes ob cuius causam censentur priuilegio esse priuati, si tunc aliquod delictum committant, & illo commisso habitum reassumant, priuilegio gaudeant in illo delicto? Et ratio difficultatis est, quia tunc illa delicta commissa sunt ab homine laico. Ergo videntur de iurisdictione laicali esse. Ergo ob nouam habitus reassumptionem iurisdictioni Ecclesiasticæ non possunt conuenire. Item quia ad gaudendum fori priuilegio semper tempus delicti videtur spectandum, argum. *l.1.ff.de pœnis,* vt multis relatis docere videtur Thom. Sanch. *lib.7.de matr. disp.46.n.10 iuncto n.4.* Cæterum, veriissimum est priuilegio gaudere; sic tradunt à ios referentes Suar. *tom.de defens fidei, lib.4.de immunit.Ecclesiast c.15.n.16. & c.27.n.18.* Couarr. *cap.31.n.7.* August.Barbos. *alleg.12.n.28.* Farinac. *q.8.n.66.* Carol.de Graffis *de effectibus cleric.effectu 1. n.84.* & decisum refert à sacra congregatione Barbosa *in remission. Concilij, decreto 6. sect.23. de reformat.* his verbis. *Censuit Congregatio Clericum coniugatum, qui post dimissum habitum, & tonsuram clericalem pro delicto aliquo in curia laicali est citatus, & ob contumaciam condemnatus fuerit: Si deinde reassumpto habitu, & tonsura (modo non in fraudem) Ecclesiæ inseruiat iuxta hoc decretum non posse, à iudice laico propter hoc delictum in carcerem conijci, aut personaliter adstringi,* facit *cap.si iudex laicus de sentent.excomm. in 6.* Ratio ea est; quia clericis minoribus priuilegium conceditur, dummodo beneficium Ecclesiasticum habeant, aut habitum, & tonsuram deferant, &c. Ergo quamdiu illud habent, priuilegio gaudent iuxta *textum in Clem.1. de vita, & honest. cleric.* glossa *verbo quamdiu.* Neque enim dictum priuilegium limitant iuta ad delicta commissa tempore clericatus, non ergo limitandum est. Et confirmo ex *l.hos accusare, ff.de accusator.* vbi dicitur accusandum non esse legatum prouinciæ de crimine commisso ante legationem. Ergo nec Clericus coram tribunali sæculari de crimine ante clericatum commisso. Ad rationem dubitandi respondeo delicta commissa tempore quo habitum clericalem dimisisti iurisdictionis esse sæcularis; at reassumpto habitu Ecclesiasticæ esse, sicut & est persona.

3 Sed quid dicendum, si illo tempore, quo habitum dimiserunt, à iudice sæculari capiantur, aut citentur, & post captionem, aut citationem habitum re assumant? Respondeo priuilegio carere debere: quia illa habitus reassumptio viderur facta in fraudem iurisdictionis sæcularis: ac proindè non debet prodesse: sic tenet Farinac. *d.q.*8. *num.*66. *&* 110. Barbos. 2. *p. alleg.*12. *num.*29. *& in remiss. Concilij, decreto* 6. *sess.*23. *de reformat. circa finem.* Quia generaliter quotiescunque assumptio clericatus, beneficij, habitus, & tonsuræ fit in fraudem iurisdictionis sæcularis cessat clericale priuilegium, quia fraus, & dolus nemini debet Patrocinari. Alias immunitas Ecclesiastica fomentum esset delictorum: sic Gutier. *pract. quæst. lib.*1. *quæst.* 5. Menoch. *de præsumpt. lib.*6. *quæst.*76. *num.*35. Iulius Clarus *lib.*5. *§. fin quæst.*36. *num.*43. Farinac. *q.*8. *n.*66. *&* 104. Barbos. *in remission. Concilij circa finem, decreto* 6. *sess.*23. Zenedo *ad decr. collect.*23. *n.*1. & alij.

4 Sed inquires in quo hæc fraus consistat, & quando præsumatur? Respondeo primò cum Suar. *lib.*4. *de immunit. c.*15. *num.*17. consistere in eo quòd clericalem habitum, vel ordinem assumas, vt medium tantum ad vitandam iurisdictionem sæcularem, non ex animo perseuerandi in illa. Quod potest contingere in assumptione minorum ordinum post delictum, vel in assumptione habitus clericalis dimissi: præsumitur enim te velle illis ordinibus, & habitu clericali vti non in perpetuum, sed ad tempus, & quatenus necessarium medium fuerit ad vitandam laicalem iurisdictionem, quæ intentio mala est, & fraudulenta, ac proinde digna priuatione clericalis priuilegij Verum si ex intentione declinandi sæculare forum ordinem sactum accipias, quia ab illo recedere non potes, non debet præsumi in illa acceptione fraudem interuenire, quia fraus, & dolus non est, si iure proprio vtaris, & assumas medium ab Ecclesia ordinatum ad vitandam sæcularem iurisdictionem, tametsi ex intentione vitandi illam fuerit assumptum: sicuti fraus non est si post delictum commissum ad Ecclesiam confugias. Esset autem fraus si assumeretur ordo non animo perseuerandi in illo, sed relinquendi, cum timor non est iurisdictionis sæcularis, quod in assumptione ordinis sacri præsumi non potest.

Respondeo secundò fraudem præsumi quoties immediatè post delictum commissum status clericalis assumitur. Tum quia præsumitur assumptus tantum ad vitandam iurisdictionem sæcularem. Tum quia ipsummet delictum præsumitur commissum esse spe se protegendi priuilegio clericali assumendo, ac proinde in fraudem. Ergo talis assumptio status clericalis non prodest delinquenti ad vitandam iurisdictionem sæcularem. Secundò præsumitur fraus, si post diffamationem delicti status clericalis assumatur: quia tunc timore iudicij sæcularis creditur assumptus, & non ex animo in illo perseuerandi: sic multis relatis Farinac. *lib.*1. *prax. tit. de inquisit. q.*8. *num.*66. *&* 110. Excipe nisi fuerit assumptio ordinis sacri; quia tunc non præsumitur fraus ob rationem superius dictam.

Quod si inquiras, an hic status clericalis in fraudem assumptus relinquat Clericum in delictis antea commissis ita subditum iurisdictioni sæculari, ac si statim clericalem non assumpsisset? Respondeo relinquere æquè subditum quoad iudicium delicti; & punitionem pecuniarum, seu in bonis delinquentis; non tamen quoad iudicium personæ, seu punitionem illius. Quia assumpto statu clericali persona sacrata est & Deo destinata. Ergo exempta à punitione corporali sæcularis iudicis, quia indecens est talis punitio, puniri tamen potest in pecuniis, quæ, punitio indicat sæcularem iudicem esse iudicem causæ, non personæ; sic pluribus relatis firmat Farinac. *lib.*1. *tit. de inquisit. q.*8. *n.*107.

5 Secundò, dubitatur an clerici immiscentes se negociationi, & mercaturæ, priuilegium clericale retineant? Ratio dubitandi est; quia clericis negotiatio est prohibita *cap. fin. de vita, & honest. cleric.* Item cedit in opprobrium status clericalis. Ergo non debet frui priuilegio illius status, quem offendit *cap. quia frustra de vsuris*: sic Ioann. Andr. Archidiacon, Bosius, Iulius Clarus, & alij quos refert Sanch. *tom.*2. *de matr. lib.*7. *disp.*46. *n.*25. Barbosa 2. *part. de potest. epise. alleg.*12. *n.*30. & est probabilis opinio.

Verius tamen est, Clericos coniugatos priuilegio fori gaudere, tametsi se immisceant negotiationi; quia ab eorum statu aliena non est decens quædam, & moderata negotiatio, ac proinde si in hac parte excessum non committant, neque per sententiam priuilegio fori priuari possunt, & probat textus in *cap. Ioannes in fine de clericis coniugat.* & tradunt plures referentes Sanch. *lib.*7. *de matr. disp.*46. *num.*26. Barbosa 2. *p. alleg.*12. *num.*30. Suar. *lib.*4. *de immunit. Ecclesiast. cap.*28. *num.*9. Couarr. *cap.*3 1. *num.*8. Ad rationem dubitandi respondeo Clericis non coniugatis negotiationem interdictam esse de quibus non loquitur textus in *cap. fin. de vita, & honest. clericor.* solumque ibi dicitur Clericos negotiatieni vacantes, vtpotè rei illicitæ, debere soluere tributa; quia horum solutioni bona negotiantium sunt subiecta.

Adde alios Clericos non coniugatos priuilegio fori non priuari ob negotiationem, nisi per sententiam priuentur; quia nullibi stat negotiationem ipso iure hanc priuationem inferre, Suar. *lib.*4. *cap.*8. *n.*10.

6 Tertiò dubitatur, an Clerici minores, portantes arma priuentur clericali priuilegio? Ratio dubij est; quia armorum delatio quibusuis clericis est prohibita *c. clerici de vita & honest. clericor.* efficitque ne clericus appareat ille qui Clericus est, ob quam rationem Clarus *lib.*5. *praxis, §. fin. q.*36 *n.*12. Sanch. *lib.*7. *de matr. disput.*46. *n.*26. *in fine*, & incinat Suar. *lib.*4. *de immunit. Ecclesiast. cap.*28 *num.*5. sentiunt Clericum arma portantem priuilegio clericali non gaudere. Distinguendum tamen est, si ob armorum delationem potius sæcularem habitum, quàm clericalem deferre videaris, amittis priuilegium; quia non ponis conditionem ad illud requisitam, scilicet portare habitum clericalem. At si delatio armorum non tollit, quin Clericus appareas, ob illorum delationem priuilegium non amittis; quia nullibi est cautum priuilegium clericale amitti ob armorum delationem. Neque aliud intendit Azor. 1. *p. lib.*3. *cap. vlt. quæst. fin.* dum dicit armorum delationem non repugnare huic priuilegio, si alias clericalis habitus retineatur.

PVNCTVM IV.

Quis sit iudex, cùm dubium est, an debeas gaudere fori priuilegio?

1 *Duplex est dubium iuris, & facti.*
2 *Nemo clericus præsumitur, nisi probetur, & qualiter probandum est.*
3 *Sufficiat ne vnus testis? Cum distinctione respondetur.*
4 *Forma, & publica quasi possessione clericatus probatur.*
5 *Si talis clericus in habitu clericali capiatur, remittendus est iudici Ecclesiastico: secùs si in habitu sæculari.*
6 *Dum causa clericatus cognoscitur, non potest iudex laicus in causa procedere.*
7 *Iudex Ecclesiasticus cognoscit de clericatu, vt decidat an gaudeat priuilegio, quamuis non desint Doctores, qui sentiant, cum est controuersia de facto posse iudicem sæcularem cognoscere.*
8 *In huius cognitionis informatione citari debet iudex sæcularis.*

1 DVplex dubium esse potest. Aliud iuris, aliud facti: Dubium iuris est, quando non est constans in iure an nomine Clerici gaudentis priuilegio intelligaris. Dubium facti est, quando dubitatur, an tu habeas qualitates requisitas, verbi gratia ordines, beneficium, habitum, & tonsuram, &c.

2 Supponendum est neminem Clericum præsumi, nisi probetur, quia est qualitas facti? colligitur ex *cap. si iudex laicus de sentent. excommunic. in* 6. *& cap. legem* 2. *q.*1. Ignat. Lopez *pract. cap.*62. *num.*20. *ad medium*, Farinac. innumeros referens *lib.*1. *praxi, q.*8. *num.*38. Sed qua ratione hoc probandum sit, variant Doctores. Primò, certum est probari sufficienter per litteras clericatus, hoc est per illas litetas, quæ vocantur tituli ordinum, quásque solet Episcopus ordinatis conferre in testimonium ordinis recepti. Sic Couarr. *pract. quæst. cap.*33. *num.*3. Mascard. *concl.*302. *& seqq.* Ignat. Lopez *cap.*62. *n.*16. *& seqq.* Decian. *tract. crim. lib.*4. *cap.*9. *num.*26. *&* 112. *&* 113. Farinac. aliis relatis *quæst.*8. *n.*40. Secundò, probatur per litteras commendatitias facientes mentionem de clericatu, & illum testantes, secùs si solùm referant esse Clericum. Quia hæ litteræ sunt quasi tituli ordinum, & ex certa scientia ordinis datæ sunt: sic Mascard. Salzedo, Decian. & Farinac. *supra.* Debent tamen esse hæ litteræ authenticæ, signatæ inquam signo ordinarij consueto, Mascard. *concl.* 305. *num.*2. Farinac. *dicto n.*40. Tertiò, probatur per testes, maximè si fuerint tituli deperditi, *cap.*1. *&* 3. *C. de clericis peregrinis, l. testium. C. de testibus, l. si solemnibus, C. de fide instrumentorum*: & tradit glossa communiter recepta in *c. si iudex laicus de sent. excommunic. in* 6. *verbo defecerit*, Mascard. *de probat. concl.*307. *à n.*1. *& seq.* Salzedo *c.*62. *n.*16. Decian. *tract. crim.* 1. *p. lib.*4. *cap.*9. *num.*114. Farinac. *q.*8. *n.*41. Couarr. *cap.*33. *n.*3. & alij apud ipsos.

3 Sed dubium est, an vnius testimonium sufficiat? Breuiter respondeo sufficere, si de nullius præiudicio agatur, vt puta cùm petitur licentia ad prædicandum, faciendum sacrum, & similia. Hæc enim, quia solùm petenti nocere possunt, extraiudicialiter expediuntur; ac proinde vnius testimonium sufficit, & colligitur argumento à simili ex textu in *cap. cum itaque, & in c. paruulis de consecrat. dist.*4. & tradunt pluribus relatis Mascard. *de probationib. concl.*303. *num.*4. *& seqq.* Farinac. *q.*8. *n.*42. *&* 63. *n.*26. At si de præiudicio tertij agatur, & consequenter in iudicio, credo nequaquam sufficere dictum vnius testis; colligitur ex *c. tua. de clericis peregrini.* vbi dicitur clericatum probari per Scripturam, vel per testes. Nota quod non dixit per testem, vt tacitè insinuaret plures esse requisitos. Et ratio videtur efficax: quia quilibet habet ius, ne sibi damnum inferatur absque manifesta ratione. Ergo si ex tuo clericatu alteri damnum sequitur, admittendum non est, nisi id manifestè constet: vnicus autem testis solùm rem probabilem,

non

non manifestam facit. Ergo. Et ita tradit Mascard. & Farinac. *suprà*. Ex quo fit si agatur lis super beneficio, & Petrus ob aliquod ius sibi competens prætendat collationem tibi factam nullam esse, vtpotè non Clerico; tu non probabis sufficienter clericatum vnico teste; quia agitur de magno alterius præiudicio, scilicet de repellendo Petro à iure prætenso in beneficium: sic Mascard. & Farinac. *suprà*. Limitant autem Doctores hanc sententiam, vt procedat cùm agitur de petitorio. Secùs si de possessorio; quia possessorium leuis est præiudicij eáque de causa censet Ignat. Lopez *cap.62. num.16.* ex sola confessione partis probari clericatum ad huiusmodi effectum. At hoc credo intelligendum esse de iudicio possessorio, momentaneo, & præparatorio alterius iudicij. Secùs si de possessionis iudicio definitiuo. Quia decidere in fauorem vnius possessionem altero excluso graue præiudicium est: sic Farinac. *quæst.63. num.32. & 33.* Fit deinde vnico teste non probari sufficienter clericatum ad effectum vt iudex sæcularis abstineat à delinquentis cognitione; quia non leue est præiudicium impedire vsum iurisdictionis fundatæ: sic Couarr. *cap.33. numero tertio*, Salzedo *pract. cap.62. num.17.* Farinac. *quæst.8. num.43.* & probat textus *in cap. tua fraternitati de Cleric. peregrinis*, & decidit lex nostra *tit.4. in fine, lib.1. ordinam.* vbi dicitur. *En las cartas, o censuras que dieren los Iuezes Ecclesiasticos para inhibitir a los seglares de las causas de los de primera corona, y ordenes, ande ir authentica da mente los titulos, licentia, y informacion.* Ecce qualiter plenam probationem requirit. Verum si cum dicto vnius testis fama concurreret, crederem sufficienter clericatum probari. Tum quia licet præiudicium afferat hæc probatio iurisdictioni sæculari, fauet tamen Ecclesiasticæ immunitati, & ita vtpotè fauorabilis non debet ita exactam, ac plenissimam probationem requirere.

4 Quarò, solet probari fama, & publica quasi possessione per longum tempus: si enim in minoribus constitutus habitum, & tonsuram communiter deferas, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruias, vel de eius licentia in schola, aut vniuersitate verseris, Clericus es reputatus. Item si beneficium Ecclesiasticum possideas, & de eius possessione fama sit, non est dubium te habere intentionem fundatam; ac proinde qui te ab hac possessione deturbare intendit, & iuri clericatus præiudicare, probare debet plenè te Clericum non esse; quia dum hoc plenè non probat, iustũ non est te à possessione deiicere. Et videtur satis probatum *in c. si iudex laicus, De sentent. excommunic. in 6.* & in *c. inter quatuor*, & ibi glossa *de Clericis peregrin.* Ex quo infertur decisio illius quæstionis, an iudex laicus teneatur remittere delinquentem iudici Ecclesiastico, qui allegat se esse Clericum ex publica fama, & quasi possessione?

5 Breuiter distinguendum censeo, si captus fuit delinquens in habitu, & tonsura clericali, vel fama erat publica esse Clericum, ob cuius famam videtur esse in quasi possessione clericatus, remittendus est iudici Ecclesiastico custodiendus, etiam ante cognitionem causæ iurisdictionalis ex textu *in cap. si iudex laicus de sentent. excommunicat. in 6.* Et ratio est, quia iudex sæcularis non habet intentionem suam fundatam; quam tamen habet delinquens, & Ecclesia. Neque obstat ex solo habitu, & tonsura neminem Clericum probari non probato titulo; quia hæc quædam est leuis coniectura: coniecturis autem clericatus non videtur probari. Non inquam obstat: quia coniecturis efficacibus probatur clericatus ad effectum, vt talis reputetur, dum ab aduersario contrarium non conuincitur: gestatio enim habitus clericalis, & tonsuræ longo tempore præstat quasi possessionem, & transfert in aduersarium onus probationis: sic colligitur ex *cap. si iudex laicus De sentent. excommunicat. in 6. cap. inter quatuor de Clericis peregrinis.* Augustt. Barbos. *alleg.12. num.34. fine*, Mascard. *concl.302. & seqq.* Farinac. *q.8. n.33. & 34.* & alij apud ipsos. Esto contra videatur tenere Couarr. *cap.33. n.5. vers. fortassis*, Salzado *pract. cap.62. num.19.* ex recepta consuetudine Hispaniæ, vbi non remittitur delinquens Ecclesiastico iudici, quousque sententia definitiua de clericatu pronuncietur. Quod si iudex laicus capiat delinquentem absque habitu, seu tonsura, credo obligatum non esse remittere iudici Ecclesiastico delinquentem, quousque manifestè probatum fuerit Clericum esse, & communiter habitum, & tonsuram deferre, & Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruire, &c. Ratio est; quia iudex sæcularis capiendo reum sæculariter incedentem illius quasi possessionem acquisiuit. Non igitur deturbandus ab hac possessione est ex sola fama clericatus: sic Ignat. Lopez de Salzedo *pract. cap.62. num.16. & 18.* consentit Farinac. *q.8. num.33. & 44. circa finem*, & testatur sæpius à Rota decisum esse, & clarè videtur decidi à lege nostra *tr.7. tit.4. l.1. ordinam* ibi *que los prendan y tengan presos en la carcel seglar, hastaque la dicha causa del clericato se determine* & in fine, inquit. *Y no se guardando la dicha orden su magestad pues esta fundada su intencion, y la de su iurisdicion real, vo constando legitimamente de lo suso dicho procedat*, &c.

6 Interim tamen dum causa clericatus cognoscitur, non potest iudex sæcularis in causa principali procedere ex expresso textu in *cap. si iudex laicus* ibi *contra eum tamen interim quùm processus iudicis penitus conquiescat*, & meritò; quia exponitur periculo vsurpandi iurisdictionem sibi non debitam, Salzedo *pract. cap.62. num.21.* Farinac. *q.8. num.35.* Scaccia *de iudiciis, lib.1. cap.11. n.90.*

7 Sed inquires, quisnam iudex debeat cognoscere, an delinquens clericatus priuilegio gaudeat? Et quidem si controuersia est de iure, nemini dubium esse potest ad iudicem Ecclesiasticum illius decisionem pertinere; quia ad ipsum pertinet causas spirituales decidere *c. quanto, c. decernimus de iudiciis. cap. lator, cap. causam quæ. Qui filij sint legitimi, c. tuam de ordine cognit.* At controuersias iuris canonici decidere quid spirituale est. Ergo. Verum si controuersia est de facto; an scilicet hic clericatum habeat vel non, an habeat beneficium, an deferat vestes clericales, &c. Non desunt qui existiment penes iudicem sæcularem esse talem cognitionem; quia illa non videtur cognitio rei spiritualis, sed temporalis, & contingentis: sic Guido Papa *decis.138. & cons.110. n.2.* Ioann. Gullus *quæst.38.* quos refert Couarr. & Farinac. *locis statim referendis*, Clarus *q.36. vers. dixi clericum* & alij quos refert, sed non sequitur Mascard. *concl.961. n.4* consentit ex parte Scaccia *lib.1. de iudiciis, cap.11. n.89.* Farinac. *quæst.8. n.34. fine*, quatenus affirmant iudicem sæcularem cognoscere posse de clericatu delinquentis non ad effectum declarandi illum gaudere, vel non gaudere priuilegio fori, sed ad effectum remittendi illum iudici Ecclesiastico, si facta summaria informatione cognouerit Clericum esse. Cæterum tenendum est hanc totam cognitionem iudici Ecclesiastico conuenire, & non sæculari ex textu *in c. si iudex laicus de sentent. excommunicat. in 6. & cap.1. de cleric. coniugat. in 6.* Et quia licet sit controuersia de facto, est tamen de quodam facto spirituali, scilicet ordinis ipsique pertinens. Item à iure canonico statuitur Clericum in minoribus priuilegio fori gaudere, si beneficium habeat, vel habitum, & tonsuram deferat. Ergo ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, & non ad sæcularem decidere, quis beneficium dicatur habere, quisve tonsuram, & habitum deferat: & ita tradit Couarr. *cap.33. n.1.* Salzedo *cap.62. n.14.* Anastas. Germon. *de sacr. immunit. lib.3. cap.15. à n.55.* Stephan. Gratian. *disceptat. forens. cap.190. à n.13.* Augustt. Barbos. *alleg.12. n.33.* Hanc igitur cognitionem, seu informationem vt faciat iudex Ecclesiasticus citare debet iudicem sæcularem, eius fiscalem, vtpotè quorum interest. *cap. si iudex laicus de sentent. excommunicat. in 6.* & tradit aliis relatis Farinac. *q.8. n.37.* Barbosa *alleg.12. n.34.*

PVNCTVM V.

In quibus causis gaudeant suprædicti clerici, & religiosæ personæ priuilegio fori.

1 *Ex dispositione* Trident. *clerici soluti, tam in ciuilibus, quam in criminalibus gaudent priuilegio fori, coniugati verò gaudent tantum priuilegio canonis, & fori.*
2 *Hoc priuilegium tam in ciuilibus, quàm in criminalibus procedere affirmant plures.*
3 *Contrarium verius est, solùm pro criminalibus prodesse.*
4 *Satisfit oppositis rationibus.*
5 *Pro exequutione sententiæ in causis ciuilibus potest iudex sæcularis Clericum coniugatum capere, & in carcerem detrudere.*

1 SPectato iure nouo Trident. omnes Clerici soluti, qui conditiones à concilio præscriptas seruant, gaudent priuilegio fori, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus. Est conclusio ab omnibus recepta *in cap.2. de foro compet. & cap. cum non ab homine de iudic. per textum ibi.* Item gaudent exemptione à tributis, vt constat ex toto tit. *de immunit. Eccles.* sicut enim à iurisdictione laïcali personæ exemptæ sunt, ita etiam & eorum bona. An autem clericis minoribus hoc priuilegium in Hispania derogatum sit, infra examinandum est: Clerici verò coniugati conditiones à Trident. dispositas seruantes gaudent tantum priuilegio canonis, & fori, in cæteris autem reputantur laïci, constat ex *cap. vnico de cleric. coniugat. in 6.* & pluribus relatis firmat Couarr. *pract. q. c.31 num 9.* Lambertin. *de iure patronat. lib.2. p.1. q.7. art.3. n.4.* Flamin Patis. *de resignat. benefic. lib.4. q.2. n.100.* Ex quo fit subiectum esse gabellis ex actionibus, indictionibus, aliisque muneribus publicis; quia hæc non pertinent ad priuilegium canonis, & fori: sic cum glossa *in d. cap. vnico* tradit Couarr. *suprà*, Azor. *lib.13. instit. mor. cap. vlt. q. fin.* Sanch *lib.7. disp.46. n.16.*

2 Dubium tamen est, an priuilegio fori non solùm in criminalibus, sed etiam in ciuilibus gaudeat? Non desunt qui censeant ad omnia se extendere: sic renent Angel. Francus Lapus relati à Sanch. & Farinac. *locis referendis.* Mouentur primò, quia in *d. cap. vnico de Cler. coniugat. in 6.* dicitur nec posse criminaliter, nec ciuiliter iudicari. Ergo à iudicio ciuilis causæ exemptus est. Secundò, quia ibi dicitur eximi pro commissis excessibus, & delictis. Sed qui non soluit tempore præfixo, excessum, & delictum committit, Ergo non potest conueniri coram iudice sæculari, vt soluat; quia iam conueniretur pro

commisso delicto. Tertiò, quia hæc constitutio expedita fuit in declarationem *cap.2.de foro compet.* Sed in hoc cap. Clericis coniugatis concedebatur exemptio, non solùm in causis criminalibus, sed etiam ciuilibus, vt cum Ioanne Andrea ibi testatur communis sententia. Ergo etiam in hac constitutione concedi debet iuxta doctrinam satis receptam quod lex declarans recipit omnes interpretationes legis declaratæ ex textu cum glossa *element. statutum, verbo consuetudine de electione.*

3 Cæterum, contraria sententia, vtpotè communis, probabilior est, & omnino sequenda, quam pluribus defendunt Couarr *pract.quæst.cap.31.num.6.& 7.* Fatinac. *tit.de inquisit. q.8.n.7.* Gutierr. *1.p.de iuram.cap.17.n.11.& 12.* Azor. *lib.13. instit.moral.cap.vlt. q.fin.* Augustt. Barbos. *2. de potest Episc. alleg.12.num.25.* Sanch. *lib 7.de matrim.disp.46.n.22.* Ratio desumitur ex *d.cap.vnico de clericis coniugat. in 6.* Nam in illo cap. conceditur his Clericis aliquod priuilegium fori, & aliud negatur; conceditur namque vt pro commissis ab eis excessibus, & delictis non possint ad iudicium sæculare trahi. Neque ab ipsis sæcularibus iudicibus personaliter aut etiam pecunialiter vllatenus codemnari. Negatur autem in cæteris hoc priuilegium fori, vt constat ex finalibus verbis textus ibi *in cæteris autem eos gaudere nolumus priuilegio*, &c. Ergo necessariò fatendum est negatum esse priuilegium in causis merè ciuilibus. Congruentia huius dispositionis est maxima. Nam hac via & honor clericalis ordinis inspicitur, præcauendo ne Clerici puniantur à laïca potestate, & ex alia parte iurisdictio temporalium principum non multum minuitur. Secùs autem esset, si tam in criminalibus, quàm in ciuilibus causis essent exempti, quia ob hanc exemptionem plures minoribus ordinibus initiari matrimonium ducerent.

4 Neque obstat fundamentum contrariæ sententiæ: quia in *d.cap.vnico* non conceditur his clericis vllum priuilegium in causis ciuilibus. Nam aduerbium illud *ciuiliter* solùm indicat non posse Clericum coniugatum pro excessibus, & delictis commissis à iudice sæculari actione ciuiliter intentata iudicati. Constat autem in causa criminali dupliciter posse procedi & criminaliter, & ciuiliter; criminaliter, si ad instantiam accusatoris procedas; ciuiliter, si nullus hoc onus subire velit. Quod ergo in *supradicto cap.* dicitur, est vt Clericus coniugatus non possit ad iudicum sæculare trahi, neque in illo personaliter, hoc est corporaliter, neque pecunialiter, hoc est in pecuniis, condemnari pro excessibus, & delictis commissis, siue criminaliter, siue ciuiliter actio fuerit intentata. Ad secundum, concedo peccatum esse, & delictum, non stare promissis, non soluere debita tempore præfixo, &c. Sed non inde infertur, cum petis solui debitum, promissa implere, te procedere in causa criminali actione etiam ciuiliter intentata; quia non curas de peccato commisso, nec de illo intentas actionem, sed solùm intentas actionem de solutione tibi facienda, quæ non est delictum. Ad tertium, admitto constitutionem declarantem recipere omnes interpretationes constitutionis declaratæ, qua parte i lius declaratio est, secùs qua parte est illius restrictio. Primò, restrinxit ad coniugatos cum vnica, & virgine contrahentes. Secundò, ad deferentes habitum, & tonsuram. Tertiò, ad seruientes ex deputatione Episcopi alicui Ecclesiæ. Quartò, in causis criminalibus. Ergo ex *d.cap.2.* nullum fit argumentum ad textum in *cap.vnico de Cleric. coniugat. in 6.*

5 Sed inquires, an pro exequutione sententiæ in causis ciuilibus possit iudex sæcularis Clericum coniugatum capere, & in carcerem detrudere, & pœnis impositis compellere, vt sententiæ datæ obediat? Ratio dubitandi est; quia tunc personaliter, & corporaliter, seu pecunialiter clericus iudicatur contra dictum textum *de Clericis coniugat.in 6.c.vnico.* Ob quam fortè rationem grauissimi Doctores docent nequaquam id esse licitum, sed incidere in excommunicationem *can. si quis suadente*: sic Farinac. *q.8.n.7.* Zaballos *pract quæst.593.num.vnic.* & alij plures relati à Sanch. *disput.46. num.23.* Couarr. *pract. cap.31.num.7.in princ.* Gutierr. *de iuram.1. p. c.17. num.12.* Montalu. *l.25.post princ.tit.9. part.1.* Cæterum, dicendum est cum Couarr. Sanch. Gutierr. & Montaluo *locis allegatis* posse iudicem sæcularem, cum id iustum sibi visum fuerit, & necessarium, capere, & in carcerem detrudere Clericum coniugatum, vt sententiam datam vel dandam exequutioni mandet, quia hæc non est vsurpatio iurisdictionis in debitæ, sed est vsus iurisdictionis sibi concessæ: cum enim iudici sæculari datum fuerit causam ciuilem decidere Clerici coniugati, necessariò concedendus illi erat vsus medij soliti ad illius exequutionem: alias frustranea esset potestas decidendi causas ciuiles, si ad exequutionem decisionis non posset compellere condemnatos. Non tamen existimo per modum punitionis delicti inobedientiæ commissi posse clericum, nec corporaliter, nec pecunialiter damnari; quia hoc negatur in *supradicto cap.vnico.* Aliud enim est coronari ad exequutionem sententiæ, aliud punire illius remissionem. Hoc secundum nego, primum concedo.

Punctum VI.

Explicatur exemptio in causis criminalibus.

1 *Clerici in minoribus constituti, & coniugati seruantes præscripta à Trident. gaudent priuilegio exemptionis in causis criminalibus.*
2 *Pro nullo crimine quantumuis graui possunt supradicti à iudice sæculari iudicari.*
3 *Assassinij crimine videtur excceptum.*
4 *Ob nullum crimen (assassinio excepto) tradendus est Clericus curiæ sæculari, nisi fuerit incorrigibilis spectato iure.*
5 *Quæ excipiantur à supradicta regula.*
6 *Ex consuetudine ob plura crimina nulla corrigibilitate expectata traditur curiæ sæculari.*
7 *Clericum incorrigibilem potest iudex laïcus iudicare, & punire.*
8 *Quæ requirantur, vt Clericus sit incorrigibilis.*
9 *An per reconuentionem possit Clericus à iudice laïco iudicari, & puniri? Sub distinctione respondetur.*
10 *Clericus etiamsi socius criminis cum laïco sit, non potest à iudice laïco puniri.*
11 *Hic laïcus non punitur ab Ecclesiastico ex probabiliori sententia.*
12 *Satisfit rationi contrariæ.*
13 *Sæcularis iudex negligentiam Ecclesiastici supplere non potest.*
14 *Quibus in casibus ex accidenti possit iudex laïcus clericum incarcerare.*

1 Dictum est omnes Clericos, etiam in minoribus constitutos, & coniugatos seruantes præscripta à Trident. gaudere priuilegio exemptionis, iurisdictionis sæcularis in causis criminalibus; quia id est expressè decisum de omnibus Clericis generaliter *c.clerici, c.qualiter, & quando de iudiciis cap.2. cs diligenti de foro competenti*, & specialiter de Clericis coniugatis *c.vnico in 6.* Videndum ergo est, an sint aliquæ causæ criminales, & quæ sint ab hac generali concessione exceptæ.

2 Primæ enim dubitari potest de aliquibus criminibus grauissimis, & fortè degradatione dignis, scilicet de crimine læsæ maiestatis, de peculatu, de falsa moneta, de homicidio, de conspiratione in Episcopum, & aliis similibus, ac tandem de incorrigibilitate.

Et quidem asserendum est Clericum in sacris, & in minoribus beneficiatum, vel habitum clericalem & tonsuram deferentem, conditionesque a Trident. constitutas seruantem, nequaquam posse pro aliquo ex supradictis criminibus à iudice laïco iudicari, & puniri, nisi prius à iudice Ecclesiastico fuerit illi remissus: sic testantur ex omnium sententia Couarr. *pract. quæst. cap.32.num.2.* Sigismund. Scaccia *de iud. lib.1.cap.11. num.18.* Farinac. *lib.1 tit.de inquisit.q.8.num.74.* Suar. *lib.4. de immunit.cap.11. à num.9.* Et constat manifestè ex pluribus textibus, præcipuè ex *cap.cum non ab homine de iudic.* ibi *siue in furto, siue in periurio, siue in homicidio siue in alio crimine*, & Idem habetur in *cap.clerici, cap. at si Clerici eodem tit.* Neque vllus est textus, qui hanc iurisdictionem iudici sæculari concedat, Ergo affirmanda non est. Quod si in aliqua regione, & prouincia consuetudine introductum sit Clericos in minoribus à iudicibus sæcularibus iudicari, & puniri pro aliquo dictorum criminum, videndum, & examinandum est, an legitimè fuerit introducta, quod mihi dubium est, cùm iuri canonico contraria sit, & à Trident. omnis consuetudo immunitati Ecclesiasticæ contraria fuerit abrogata.

3 Solùm ab hac regula crimen assassinij videtur excceptum; eo quòd assassinus à toto populo est diffidatus, & quasi iam morti traditus, *cap.1. de Homicidio in 6.* & tradit pluribus relatis Clarus §. *assassinium, vers. sed quæro, & q.36.vers. item quæro.* Decian *1.p.lib.6.cap.28.num.18.* Farinac. *de inquisit. quæst.8. num.82.* & Scaccia *de iudic.lib.1.cap.11.num.55.* & alij apud ipsos. Aduerto tamen prius debere constare de crimine, aliàs priuilegium clericale non amittitur, neque iudici sæculari traditur, vt firmat Farinac. *suprà.* Crederem autem modum constandi de crimine nullum alium esse sufficientem præter declarationem authenticam, & iudicialem illius ab Ecclesiastico iudice factam (quidquid in contrarium dixerit Clarus *dicta quæst.36. sub vers. sed quæro*) quia pœnæ annexæ delictis non incurruntur, seu vt melius dicam, non mandantur exequutioni, quousque delicta declarentur. Ergo pœna diffidationis, & priuilegij clericali priuationis assassino facta exequutioni mandari non debet, quousque assassinium declaretur. Ergo declarandum est à iudice Ecclesiastico, quia ante illum declarationem alius non habet iurisdictionem. Item qualitas iurisdictionem tribuens ante omnia discuti, & probari debet; præcipuè si à parte aduersa negata sit, vt tradit Bart. *in l. multum, ff. de condit. & demonstrat. & in l. si finita, §. Iulianus, ff. de damno infecto*, & cõstat ex *l.2.§. sed si dubitat. ff. de indicio, C. si quis*

quis aliena, C. eodem tit. l. 1. §. ait prator, ff ne quid in flumine publico, & alij. Sed crimen assasinij est, quod iudici sæculari iurisdictionem in Clericum tribuit, vt illum punire possit. Ergo prius est tale crimen probandum. Ergo tales probationes, cum citata parte, & de persona fori priuilegio tunc gaudente faciendæ sint, necessariò à iudice Ecclesiastico fieri debent. Ergo solus ille est qui hoc declarare potest, quæ declaratio est quædam traditio, & remissio Clerici sæculari potestati: Farinacius *d. q. 8. num. 86.*

Neque ad hanc traditionem expectari debet incorrigibilitas, sed eo ipso quo Clericus declaratus fuerit assasinus, iurisdictionis est sæcularis, constat ex *cap. 1. de homicidio in 6.* & tradit Bossus, Clarus quos refert, & sequitur Farinacius *numero 84.*

Sed inquires, an ob aliud quodcunque crimen excepto assasinio, Clericus curiæ sæculari possit tradi, absque eo quod fuerit incorrigibilis.

Breuiter respondeo spectato iure communi ob nullum crimen, quantumcunque grauissimum, Clericus tradendus est sæculari curiæ, nisi fuerit incorrigibilis, Diaz. *in pract. can. cap. 90. vers. contraria tamen opinio*, Bossius *tit. de foro compet. num. 136. & 142.* Couarr. *resolut. lib. 2. cap. 20. sub num. 7.* Placha *de delict. lib. 1 cap. 22. num. 43.* Scaccia *de iudice, lib. 1. cap. 11. n. 60* & fauet Farinac. *q. 8. num. 81.* Probo primò ex *cap. cùm non ab homine de iudiciis*: vbi generaliter dicitur pro quibuscumque criminibus non posse ad iudicium sæculare trahi clericos, sed à iudice Ecclesiastico deponendos esse; & si incorrigibiles fuerint, sæculari curiæ tradendos. Ergo ad hanc traditionem incorrigibilitas prærequitur. Secundò ex *cap. clerici de excessibus prælatorum*, vbi ob crimen Sodomiæ, quod grauissimum est, post depositionem Clericus detruditur in monasterium, non autem curiæ sæculari traditur. Tertiò in *cap. Felicis de pœnis in 6.* occisor Cardinalis non traditur morti, sed cogitur ita viuere, vt mors illi vita sit. Tandem ex *c. tua de pœnis*, vbi interrogatus Pontifex qualitet Clerici in latrociniis, vel aliis insignibus scelebus deprehensi, puniri debeant. Respondet, quod à suis ordinibus degradati detrudi debent in arctis monasteriis ad pœnitentiam peragendam. Non igitur sæculari curiæ tradunturi quia incorrigibilitas præsupponitur.

5 Quinque crimina ab hac regula excipi solent. Primò crimen assasinij, de quo iam dixi. Secundò hæresis ob quam Clericus curiæ sæculari traditur *c. ad abolendam de Hæreticis, cap. super eo, cap. accusatus de Hæreticis in 6.* Verum, vt constat ex eisdem textibus, non pro quacunque hæresi hæc pœna imponitur, sed pro hæresi repetita post sententiam, & consequenter post monitionem vim habentem; quia tunc iam præsumitur incorrigibilis: sic Bossius *tit. de foro compet. num. 137.* Sigismund. Scaccia *de iudiciis, lib. 1 cap. 11. à num. 60.* Farinac. *q. 8. num. 76.* Tertiò, excipitur crimen falsi in literis Apostolicis ex *cap. falsariorum De crimine falsi*, sed vt notant Scaccia, & Farinac. *suprà* hoc receptum non est, sed incorrigibilitas expectatur. Quartò, excipitur conspiratio in Episcopum. *cap. si quis sacerdotum 11. q. 1.* Sed vt benè notat glossa *in dicto cap. cum non ab homine de iudiciis* præsupponi debet prius incorrigibilitas; sic ex communi sententia testatur Scaccia & Farinacius *suprà*. Quintò excipi solet bis, vel ter repetitio eiusdem delicti: si enim delictum repetitum enorme sit, à iudice sæculari venit Clericus puniendus *cap. perpendemus, de sentent. excommunicat.* quia tunc dicitur se enormitatibus immiscere, *cap. contingit. 2. de sentent. excommunicat. cap. ex parte de Priuilegiis, c. 1. de Apostatis*, qui textus in numero plurali loquuntur: ac proinde indicant binam repetitionem necessariam esse iuxta reg. *pluralis loquutio, de reg. iuris in 6.* & tradit Couarr. *pract. q. c. 32. num. 2. vers. 3.* Farinac. *q. 8. num. 54. & seqq.* At neque hanc repetitionem sufficere, vt curiæ sæculari tradi possit Clericus, nisi ter prius monitus fuerit, firmarunt plures grauissimique Doctores relati à Farinac. *suprà*. Et videtur probari ex *cap audientia, cap. contingit de sentent. excommunic. in 6. & cap. si iudex eodem tit in 6.* Quod intelligendum est, dummodo Clericus retineat habitum, & tonsuram; tunc enim clericale priuilegium non amittitur ex expresso textu in *cap. 1. de apostatis, cap. ex parte 2. de priuilegiis. c. contingit de sentent excommunic.* At si relicto habitu, & tonsura enormibus se immisceat; eo ipso priuilegium clericale amittit, & curiæ sæculari puniendus restituatur, vt ex Doctoribus *suprà* relatis satis constat. Requiritur tamen, vt per sententiam iudici Ecclesiastici notum sit Clericum enormibus se immiscere, & sine habitu, & tonsura incedere, aut cum habitu, & tonsura incedentem monitum ter esse, ne enormia committat; alias iudex sæcularis iudicare, & punire illum non potest. Quia qualitas tribuens iurisdictionem prius probanda est *l. 2. §. sed si dubitetur, & l. si quis aliena, ff de iudiciis*: & tradit Abbas *c. si clericus laicum de foro competenti*. Quæ probatio non à iudice sæculari (qui nullam ante probationem iurisdictionem habet) sed ab Ecclesiastico, cui Clericus subiicitur, facienda est. Præterea quia absque degradatione (excepto vno, vel altero casu) nullus Clericus à iudice sæculari punitur, sed degradatio fieri non potest, nisi præcedat criminis sufficiens probatio, & declaratoria sententia illius. Ergo antequam iudex sæcularis iudicet, & puniat Clericum enormia committentem, debet à iudice Ecclesiastico sic esse declaratum. Vide Farinac. *q. 8. num. 57. & seqq.* Sigismund. Scaccia *de iudiciis, lib. 1. cap. 1. n. 80. & seqq.* Quod si roges quæ sint crimina enormia? Respondeo prudentis arbitrio esse relinquendum, spectatis circunstantiis delicti, & personarum, *cap. cùm illarum. cap. peruenit de sentent. excommunicat.* & ibi glossa. Reputatem autem quodlibet homicidium, furtum, adulterium, raptum, & generaliter quodlibet crimen infamiam irrogans, esse crimen enorme ad hunc effectum: sic aliis relatis Farinac. *q. 8. n. 59. & q. 18. sub n. 88. & seqq.*

6 Dixi, spectato iure communi ob nullum crimen Clericum tradendum esse sæculari iudici puniendum, nisi incorrigibilis fuerit; vt tacitè indicarem ex recepta consuetudine sæpè tradi nulla corrigibilitate expectata, si delictum nimis atrox sit, & scandalosum, à viris piis, & prudentibus iudicatur reipublicæ conuenire tale committentem è gremio Ecclesiasticarum personarum pelli, & vltimo supplicio affici, vt de facto sæpè ita iudicatum est. Ergo alienum esset à ratione hanc pœnam exquotioni non mandari. Neque enim priuilegium Ecclesiasticæ immunitatis in fauorem, & honorem status clericalis introductum, in illius indecorem conuertendum est: sic Couarr. *lib. 2. var. cap. 20. sub num. 7.* Placha *epit. delict. cap. 21. n. 13. vers. nec me latet.* Clarus *in pract. quæst. 36. vers. pariter & in fine*, Farinac. *quæst. 8. num. 55. & 81. fine.* In dubio autem semper in fauorem Clerici, & immunitatis Ecclesiasticæ iudicandum est, neque remittendus delinquens, quousque incorrigibilis fuerit; quia ius commune quoad fieri potest seruandum est: sic Clarus & Farinac. *suprà*.

7 Verùm stante incorrigibilitate potest iudex sæcularis Clericum sic incorrigibilem iudicare, & punire ex *text. in cap. cum non ab homine de iudiciis*: sic post alios antiquiores tradit Couarr. *quæst. pract. cap. 32. num. 2. vers. 2.* Carus *pract. q. 36. vers. successiuè, & q. 37. vers. dixi etiam*, Farinac. *tit. de inquisit. q. 8. n. 47.* vbi cum Claro, & aliis aduertit puniendum esse tunc Clericum pœnis à iure ciuili impositis. Et ratio est manifesta; quia punitur vt laicus, non vt Clericus, & facit *cap. ad falsariorum de crimine falsi.*

8 Quid autem requiratur, vt Clericus dicatur incorrigibilis? Respondeo spectato iure communi dici incorrigibilem, si ter moueatur. Primò sub depositione. Secundò sub excommunicatione. Tertiò sub anathemate. Habetur expressè *cap. cum non ab homine de iudiciis.* At ex consuetudine, si ter monitus sit sub excommunicatione, & adhuc contumax perseuerat, incorrigibilis est iudicandus. Quia satis eius duritiam ostendit, cùm præceptis ter repetitis non obediat. Dubium tamen est, an perseuerante hac contumacia possit iudex sæcularis iudicare Clericum, vtpotè suæ iurisdictionis, absque declaratione huius incorrigibilitatis. Affirmat Clarus *pract. §. fin. quæst. 36. vers. sed quæritur*, Bossius *in tit. de for compet. num. 132.* Alexand. de Neuo *cons. 59. sub numer. 20. & 30.* Farinacius *q. 8. num. 51.* Scaccia *lib. 1. de iudic. cap. 11. numer. 55.* quia Ecclesia ipsa illum ob pertinaciam à se abdicat. Ergo superfluit alia declaratio. Mihi tamen probabilius apparet necessariam esse declarationem iudicis Ecclesiastici de tali incorrigibilitate. Tum quia hæc incorrigibilitas est, quæ priuat Clericum priuilegio clericali, & sæculari iudici subdit, sed nullus afficitur pœna, etiam ipso iure lata, quousque delictum declaretur, vt latè in tract. de legib. diximus. Tum etiam quia hæc incorrigibilitas est quæ tribuit iurisdictionem, sed qualitas tribuens iurisdictionem probanda prius est. Ergo, &c. Secundò, dubitatur; an sufficiat declaratio quem esse incorrigibilem, an insuper desideretur depositio actualis, seu degradatio illius, antequam iudici sæculari puniendus subdatur? Communis sententia docet declarationem incorrigibilitatis nullo alio superaddito sufficere, maximè si seruata fuerit forma *dicto cap cum non ab homine, de iudiciis*; quia ibi nulla fit mentio degradationis. At credo hoc solùm procedere in clericis minoribus, secùs in iis, qui sunt in sacris: hi enim semper degradantur, antequam iudici sæculari tradantur puniendi: sic Farinacius *quæst. 8. numero 58. & 108. & 109.* duplicem casum excipit. Primò, si expediat reipublicæ ob atrocitatem delicti sine degradatione Clericum punire. Secundò si deesset iudex degradans, & ob moram impunitatis, & libertatis maxima esset suspicio. Sed hæc ratò, vel nunquam contingere possunt. Tertiò, dubitatur, qualiter Clericus monendus sit, vt incorrigibilis iudicari possit? Respondeo debere personaliter ter monitum esse, neque sufficit semel generaliter moneri, argum. textus *in Clem. 1. de vita, & honest. cleric.* & tradit ibi glossa, Cardin. Imola, & omnes, prout testatur Farinacius *d. quæst. 8. numer 61.* Couarr. *pract. qq. cap. 31. num. 1.* Item debet esse interpolata cum aliquo dierum spatio; excipit Farinac. cum Claro & aliis, nisi talis monitio in synodo fuerit facta; quia tunc videtur vim habere constitutionis, ad cuius vigorem vnica sufficit monitio *cap. 2. de constitut in 6. & c. 1. de locato.*

Posito nullam iurisdictionem directam in criminalibus iudicem sæcularem in Clericum sic incedentem habere, quousque per Ecclesiam priuilegio clericali denudetur. Restant

examinandæ aliquot difficultates de iurisdictione quasi indirecta.

9 Prima, an per reconuentionem possis coram iudice laïco iudicari, & puniri: verbi graria, accusasti calumnioſè laïcum de delicto, poterit ne laïcus coram eodem iudice te de calumnia reconuenire? Respondeo ad effectum vitandi calumniam, repellendi calumniatorem, & defendendi innocentem, optimè poterit iudex laïcus admittere reconuentionem, & de falsitate cognoscere. Alias quomodo valebit veritatem inuestigare? Sic ex omnium sententia tradit Couarr. *pract. quæst. cap.* 18. *in fine, vers. illud verò*, Clarus *pract. quæst.* 38. *vers. sed id quæro*, Fatin. alios referens, *q.* 8. *num.* 26. *fine*. Verum ad puniendum Clericum etiam pecunialiter, nullo modo poterit iudex sæcularis admittere reconuentionem calumniæ: sic Suar. *lib.* 4. *de immunitat. Eccles. cap.* 15. *num.* 11. Couarr. Clarus, & Farinc. *supra*. Gutierr. *lib.* 1. *pract. quæst.* 24 *per totum, & alij apud ipsos*: facitque *textus cap. qualiter, & quando, de iudiciis*: vbi Pontifex cognitionem causarum Clerici à iudice laïco faciendam omnino prohibet. Notandum namque est verbum *omnino*, quod denotat prohibitionem cuiuscunque cognitionis, siue principaliter, siue incidenter, siue per viam exceptionis. Neque obstat *textus in l. nullum, C. de testibus*, vbi priuilegiatus deponens falsum coram iudice, qui alias non valet illum punire, potest ratione falsitatis. Non inquam obstat quia loquitur de testibus laïcis priuilegiatis, quibus priuilegium in hoc casu aufertur. Secùs dicendum de Clerico; cui à iure canonico non est in hoc casu priuilegium sublatum.

10 Secunda difficultas est, an Clericus qui socius fuit criminis cum laïco, possit, coram sæculari iudice puniri? Et ratio difficultatis est; quia accessorium sequitur naturam principalis ex *reg. accessorum, de Reg. iuris in* 6. Sed laïcus (vt supponò) fuit principalis agens, & Clericus illius adiutor. Ergo coram iudice, coram quo conuenitur laïcus, & Clericus videtur conueniendus. Cæterum dicendum omnino est nequaquam posse Clericum à iudice sæculari puniri. Tum quia textus eximentes Clericum à iurisdictione laïcali non limitant ad delicta commissa principaliter. Alias quoties Clericus, cum laïco ad furtum, vel homicidium concurreret, puniendus esset à iudice sæculari, quia regulariter præsumendum est Clericum nequaquam fuisse causam illius criminis principalem, quod absurdum est: Ad rationem difficultatis respondeo accessorium sequi naturam principalis in eadem persona, secùs in diuersa ratione enim huius diuersitatis crimen Clerici accessorium crimini laïci principale est in suo genere.

11 Maior tamen dubitatio est, an huiusmodi laïcus Ecclesiastico tribunali subdatur? Plures grauissimique Doctores censent necessariò subdi, ita post alios antiquiores testatur de communi Bosius *tit. de foro compet. num.* 116. *in fine, & 146. & seqq.* Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 37. 1. *num.* 13. *fine*, Sigismund. Scaccia *de iudicis lib.* 1 *cap.* 11. *num.* 24. Decian. *tract. crim. tom.* 1. *lib* 4. *cap* 9. *num.* 44. extenduntque quæstionem non solùm ad causas criminales, sed etiam ciuiles: vt si simul cum Clerico laïcus hæres sit. & super hæreditate lis moueatur ab alio tertio, causa agitari debet coram iudice Ecclesiastico, & non coram sæculari. Ratio est; quia illa est vnica, & indiuidua causa nempè vnicum delictum: verbi gratia vnum homicidium, furtum, tametsi à pluribus commissum. Item vnica hæreditas, vnum legatum. Ergo vnicus debet esse iudex illius, ex text. *in l. nulli, C. de iudicis*. Alias in eadem causa plures ferrentur sententiæ, quod est absurdum. At posito vnum debere esse iudicem, fatendum necessario est debere esse Ecclesiasticam, & non sæcularem. Tum quia sæcularis esse non potest iudex Clerici ob eius priuilegium. Tum quia priuilegiatus, & magis dignus trahit ad se non priuilegiatum, & minus dignum, *c. quando de iudiciis cap. per tuas de arbitr.* vbi ratione societatis potest laïcus simul cum Clerico esse arbiter in causa spirituali, & *l. si communem, ff. Quemadmodum seruitutes amittantur*, vbi ratione societatis potest quis viam, & vsum retinere, quem alius per se non poterat.

Cæterum probabilius, & in practica, regulariter seruatum est, laïcum simul cum Clerico delinquentem iudici sæculari subdi, & ab eo puniri: ita probari videtur in *l. si quis vxori, ff. de furtis in princ.* vbi socius criminis non gaudet priuilegio socij. Titius enim, & vxor simul surripuerant res mariti. Titius tenetur actione furti, sed vxor solum tenetur actione rerum amotarum. Ratio est quia licet delictum in esse physico (vt sic dicam) vnicum sit, & indiuiduum: at in esse morali multiplex est, & diuiduum, iuxta multiplicitatem personarum. Quot enim sunt personæ, tot sunt peccata commissa. Ergo ratione huius diuiduitatis quilibet delinquens suo subditus iudici. Ergo ab illo cognosci, & puniri debet. Nam vnius cognitio, & punitio, alterius cognitionem, & punitionem non impedit. Et confirmo, si pluribus fratribus, quorum vnus Clericus est, relicta esset hæreditas, sine dubio solus Clericus exemptus esset à tributis, & oneribus; reliqui verò fratres laïci tametsi cum Clerico commune patrimonium habeant, nequaquam liberi erunt à tributorum solutione pro parte sibi competente, vt cum Speculat. & Decio tradit Couarr. *pract. quæst. cap.* 34. *num.* 2. *in fine*. Ergo etiam similiter dicendum est, delictum laïci non debere esse exemptum à iurisdictione laïcali; eo quod commune sit cum Clerici delicto, & ita multis rationibus probat Aymon. Sauill. *cons.* 232. *lib.* 2. & plures referens Couarr. *d. cap.* 34. *num.* 1. *circa finem*, Clarus *pract. quæst.* 36. *vers. euenit. plerunque* Anton. Gom. *epit. delict. cap.* 10. *num.* 6. Farinac. *lib.* 1. *tit.* 1. *de inquisit quæst.* 8. *numer.* 151. admitti tamen posse, laïcum etiam à iudice Ecclesiastico puniri, si in captura iudicem sæcularem præueniat. Sed non credo. Vide Gutierr. *lib.* 1. *pract. quæst.* 6. optimè hunc casum decidentem.

12 Neque obstat ratio contraria. Concedo esse vnum delictum physicum, & indiuiduum, nempè vnicum furtum, vnicum homicidium, quia hæc vnitas sumitur ex vnitate patientis damnum. Nego tamen esse vnum morale, sed multiplex pro multiplicitate delinquentium; eaque de causa optimè possunt plures sententiæ ferri, quin aduersentur dispositioni *l. nulli*, quia feruntur in causa moraliter diuidua, & distincta. Ad textum *in cap. per tuas* concedo laïcum simul cum Clerico posse esse arbitrum in causa spirituali, quamuis solus esse non possit; quia non prohibetur esse arbiter ob incapacitatem, alias nec cum Clerico esse posset ex *l. Pedius, ff. de arbitr.* sed prohibetur ob quandam decentiam, & honestatem, vt benè dixit Abbas *cap. cum dilectus de Arbitris*. Quæ decentia, & honestas supplebitur, si cum Clerico suscipiatur arbitrium. Ex hoc tamen solum probatur posse laïcum à iudice Ecclesiastico puniri; quia punitio laïci non prohibetur Ecclesiastico iudici ob incapacitatem, sed ob decentiam. At non infertur laïcum iudicem priuandum esse iudicio, & iurisdictione in laïcum delinquentem. Ad *l. si communem* respondeo intelligendam esse in causa, quæ nullam, vel saltem commodam patitur diuisionem.

13 Tertia difficultas est, an Ecclesiastico iudice negligente in punitione alicuius Clerici delinquentis recurrere possit ad iudicem sæcularem? Ratio difficultatis sumitur ex *cap. licet ex suscepto de Foro compet.* vbi negligentibus iudicibus sæcularibus recurritur ad Episcopum, vel Pontificem. Ergo è contra negligente iudice Ecclesiastico ad sæcularem erit recursus.

Cæterum, pro certo habendum est, nequaquam posse sæcularem iudicem Ecclesiastici negligentiam supplere in Clerici punitione. Quia iurisdictio Ecclesiastica non subiicitur sæculari, sed potius sæcularis subiicitur Ecclesiasticæ. Ergo sæcularis iurisdictio non potest Ecclesiasticæ negligentiam supplere: & ita testatur esse omnium sententiam ex *d. cap. licet ex suscepto*, Farinac. *quæst.* 8. *num.* 46. *fine*, vbi affirmat negligente ordinario Ecclesiastico recurrendum esse ad alium Ecclesiasticum illius superiorem, & omnibus negligentibus ad Papam *cap. qualiter in fine de iudiciis, c. placuit* 11. *quæst.* 1. At Pontifice negligente non potest ad Principem recurri, nisi forte hoc necessarium fuerit in defensionem suorum subditorum, & non aliter, & ita explicandus est textus *in c. filiis* 16 *quæst.* 7. vbi Prælatis negligentibus imploratur auxilium Regis, non quidem vt iudicis sed vt protectoris, & defensoris.

14 Quarta difficultas est, an Clericus capi, & incarcerari aliquando possit à iudice laïco; Clarum est per se, & propria authoritate non posse; quia captio, & carceratio actus est iurisdictionis, quam in Clericum nullus exercere potest: sic glossa communiter recepta *in cap. cum non ab homine de iudiciis, & cap. si vero de sentent. excommunicat. & cap. si canonici de officio ordinarij in* 6. per supradictum textum, Bosius *tit. de captura. n.* 35. *& de foro compet. num.* 150. Farinac. *q* 8. *n.* 115. Dixi per se, & ex propria authoritate. Nam ex authoritate Ecclesiæ expressa, aut præsumpta aliqui sunt casus, in quibus id licitum est. Primò, si de mandato superioris Ecclesiastici capias; quia tunc illa captio non sæcularis, sed Ecclesiastica dicenda est, si quidem fit nomine, & authoritate Ecclesiastici Prælati: & colligitur ex *cap. vt famæ, § fin. de sentent. excommunicat.* & aliis relatis docent Bernard. Diaz. *pract. cap.* 114. *in fine, vers. Non etiam*, Bosius *tit. de captura, num.* 37. *& tit. de foro competenti num.* 150. Sigismund. Scaccia *de indic. lib.* 1. *cap.* 11. *sub num.* 41. Farinac. *tit.* 1. *de inquisit. quæst.* 8. *n.* 121. Secundò, si clericum capias post delictum commissum. ad effectum præsentandi illum Prælato Ecclesiastico; quia tunc rationabiliter præsumitur gratam esse, & fore Prælato Ecclesiastico talem capturam, quod quidem intelligendum est primò, si delictum notorium sit. Secundò, si de fuga fuerit Clericus suspectus. Tertiò, si Prælatus Ecclesiasticus consuli non possit; secluso enim his conditionibus illicita erit Clerici captura à laïco facta; quia nomine proprio censebitur fieri, & absque fundamento firmo; ricque Prælatus Ecclesiasticus cum Clero potest illi consentire: ita pluribus aliis relatis docent Menoch. *de arbitr. l* 2. *cap.* 180. *n.* 22 *& 23.* Farinac. *q.* 8. *num.* 116. *&* 117. & aduerrit *num.* 118. non posse iudicem laïcum detinere in suis carceribus Clericum sic captum vltra viginti horas. Ego verò existimo neque eo tempore detinere posse, si breuiori posset illum Ecclesiasticus Prælato remittere; quia aliàs neque Prælatus Ecclesiasticus præsumitur consentire, neque sæcularis iudex causam habebit Clericum detinendi: ita docet Felin. *in c. cum non ab homine de iudiciis, n.* 4. *in fine*, Viuius *comm. opin. verbo iudex laïcus*

Tertiò.

Tertiò, potest laicus Clericum capere pro solutione debiti ciuilis, vt illum suo iudici remittat, si conditiones relatæ in casu præcedenti adsint. Primò, si sit suspectus de fuga. Secundò, vt ab Ecclesiastico iudice non potuerit impetrari de illo capiendo mandatum. Tertiò, vt quamprimum fieri possit, Ecclesiastico Prælato remittatur. His ergo conditionibus existentibus non solùm iudex laicus, sed etiam creditor poterit Clericum debitorem capere, & detinere; quia hæc captura, & detentio non tam est actus iurisdictionis in Clericum, quam defensionis propriæ: & ita tenet alios referens, Couarr. 2. *var. cap.* 1. *num.* 9. *vers. cæterum, & vers. verum, si clericus.* Bosius *tit. de captura, num.* 27. Farinac. aliis relatis *q.* 8. *num.* 119. *& tit. de carcerib. quæst.* 27. *num.* 71. Gutiert. *pract. quæst. lib.* 1. *quæst.* 82. *num.* 2. Aduerto tamen, si iudici laico, vel creditori constaret Clericum fugientem, vel de fuga suspectum nulla bona habere, quibus satisfaceret, vel nulla alia, nisi quæ secum portat, & hæc ab illo possunt eripi, quin persona Clerici capiatur, nullo modo poterit Clericus capi, & detineri. Quia Clericus ob debitum ciuile, neque etiam à iudice Ecclesiastico capi, & incarcerari potest, iuxta textum *in cap. Odoardus de solutionib. & c.* 2. *desponsib. & tradunt* aliis relatis Couarr. 2. *var. cap.* 1. *num.* 9. Menoch. *casu* 183. *num.* 29. *& lib.* 1. *q.* 88. *num.* 8. Farinac. *de carcer. q.* 27. *sub num.* 65. *& seqq.* & facit *l. ait prætor, §. si debitorem, ff. quæ in fraudem creditor.* At qui ratò cognosci potest à creditore, vel iudice sæculari Clericum suspectum de fuga, vel iam fugientem bona non occultare; ea de causa honestatur eius captura, vt iudex Ecclesiasticus eum compellat satisfactionem debitam exhibere, vel eius impotentiam declaret.

Quartò capi potest Clericus à iudice laico, vel alio priuato, seruatis supradictis conditionibus, si alia via impediri non potest delictum, in sertiam, inquam, personam committendum. Quia cuilibet datum est innocentem defendere, & iniuriam propulsare: sic Doctores statim referendi. An autem pro impediendo delicto non vergente in damnum tertij, v. g. pro impedienda fornicatione possit Clericus capi à iudice laico, vt proprio iudici remittatur corrigendus? Videtur affirmate Alciat. post Abbatem *in cap. cum non ab homine de iudiciis, num.* 23. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 83. Iulius Clarus *lib.* 5. *§ fin quæst.* 28 *n.* 6. fauet Suarez *lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 15. Menoch. *casu* 180. *num.* 21. Farinac. *tit. de inquisit. quæst.* 8. *num.* 120. si quidem generaliter dicunt, vt obuietur delicto futuro posse Clericum capi; quia tunc non capitur titulo iurisdictionis, sed titulo defensionis honoris diuini, & boni communis reipublicæ, cuius interest, vt eius ciues à delictis committendis abstineant. At in his delictis cautè procedendum est; imò crederem regulariter nullam talem capturam licitam esse. Quia aliis à propriis Prælatis non est data potestas violenter corrigendi delinquentem.

Quintò capi potest Clericus à iudice laico, imò à priuato, si in flagranti delicto fuerit inuentus; quia tunc à iure censetur cuilibet data talis potestas, ex *l. raptores. C. de Episcop. & Cleric.* & tradunt, alios referentes, Villalobos *in com. opin. verbo Clericus, num.* 76. *&* 77. Bernard. Diaz *pract. crim. cap.* 114. *prope finem*, Farinac. *tit. de inquisit. quæst.* 8. *num.* 122. Clarus *pract. quæst.* 28. *vers. si vero loquimur*, Sigismund. Scaccia *lib. de iudic. cap.* 11. *num* 9. Suarez & Nauarr. *suprà*. Debent tamen adesse supradictæ conditiones, scilicet præsumi fugam, nisi tunc capiatur. Secunda, vt non potuerit à proprio Prælato impetrari mandatum. Tertia, vt statim iudici proprio remittatur.

Sextò, denique capi potest Clericus quoties occidi, aut verberari impunè à quolibet possit; quia captura minus damnum infert: sic Decius post Ioann. Andr. & Abbatem *in cap. cum non ab homine de iudic. n.* 9. Bosius *tit. de captura, num.* 6. Farinac. *tit. de inquisit. quæst.* 8. *num.* 123. Tunc enim Clericus videtur priuilegio clericali denudatus, & sæculari foro remissus.

PVNCTVM VII.

Qualis sit exemptio Clerici à iurisdictione laicali in causis ciuilibus.

1 *In quo consistat hæc exemptio.*
2 *Limitant aliqui exemptionem Clerici, si causa agatur non personali actione contra Clericum, sed reali contra eius bona. Sed non admittitur limitatio.*
3 *Causa feudalis contra dominum feudi agitari debet. Secùs si de reparatione, & satisfactione feudi.*
4 *Exceptio firmatur ab aliquibus in causa possessoria. Sed non admittitur.*
5 *Admittitur exceptio in bonis regalibus.*
6 *Clericus coram Iudice laico conueniri potest, si citetur ad comparendum, si sua interest.*
7 *Item si conueniatur nomine alterius laici, & lis contestata sit.*
8 *In causa negligentiæ Iudicis Ecclesiastici conueniri non potest sæcularis.*

1 REgula generalis est, omnes Clericos solutos, in sacris constitutos, & in minoribus, seruantes qualitates à Trident. præscriptas, exemptos esse à iurisdictione laicali in causis ciuilibus, vt constat ex *c. nullus Clericus, c. nullus Episcopus, cap. placuit, & alijs.* 11. *quæst.* 1. *cap. si diligenti cap. significas*, 10. *de foro compet. cap. si iudex laicus de sentent. excommunicat. in 6. cap. sæculares. de foro compet.* Hæc tamen exemptio in eo consistit, vt nullus Clericus ad iudicium sæculare trahi possit, non autem vt ipse possit laicum ad iudicium Ecclesiasticum trahere, vt manifestè probat text. *in cap. experientia, cap. si quisquam* 11. *q.* 1. Quia principium est ab omnibus receptum, actorem debere sequi forum rei, *cap. Neminem, 3. quæst. 6. l. vlt. C. vbi in rem actio.* Quod satis consentaneum est, ne prouocatus duplex malum cogatur sustinere. Primò prouocationem; secundò, extraneum iudicium. Fateor tamen posse Pontificem eximere Clericos à iurisdictione sæculari, non solùm quando personam rei gerunt, sed etiam quando gerunt personam actoris, si id rectæ gubernationi Ecclesiæ visum fuerit conueniens, quia cùm iurisdictio sæcularis subiecta sit Ecclesiasticæ, potest Pontifex sæcularem iurisdictionem limitare, & Ecclesiasticam extendere, quatenus conueniens fuerit fini, ad quem omnia ordinantur, qui est animarum salus, & sacratum rerum reuerentia, & diuini obsequij cultus; & hoc satis confirmant priuilegia sæpè concessa aliquibus personis conueniendi suos debitores laicos coram Ecclesiastico iudice: sic ex glossa *in cap. si clericus, verbo de Consuetudine, cap. ex transmissa in princ. de foro compet.* & ibi Panormit. tradit Suar. *lib.* 4. *de immunit. Ecclesiast. cap.* 14. *à num.* 7. Generaliter autem non decet hoc Ecclesiæ priuilegium concedi, ne videatur Ecclesia litibus occasionem dare, & Clericorum auaritiam fouere, & iurisdictionem sæcularem affectare, & Ecclesiastica iudicia litibus occupare, & laicos offendere, & infestos habere. Sufficit ergo, si Clericos eximat, à laicis prouocatos; quia tunc non pugnat in laicum, sed Clericum defendit; ac proinde cessant hæc omnia inconuenientia. Quod si alicui hoc priuilegium, tam in agendo, quàm in respondendo concedit, id est, quia Ecclesiæ benemeritus specialiter est, & ob eam causam hac prærogatiua decoratur.

2 Ab hac generali regula solent Doctores aliquas causas excipere. Prima, si causa agatur, non personali actione contra Clericum, sed reali contra eius bona; quod contingit, cùm lis fundatur, non in aliqua actione personali, & obligatione ipsius Clerici, sed in re ipsa, super qua litigatur. Tunc enim videtur posse Clericum ad tribunal sæculare trahi. Quia non tam Clericus, quàm eius bona trahuntur: in supradictis autem iuribus solùm persona Clerici est exempta, non tamen eius bona. Ergo si contra eius bona laicus procedat, poterit Clericum conuenire coram iudice sæculari: sic plures, quos refert Tiraq. *de retrac. lignag. §.* 32. *gl.* 1. *n.* 81. & Farin. *tit. de inquisit q.* 8. *n.* 21.

Cæterùm, hæc exceptio admittenda non est. Tum quia non solùm persona Clerici, sed etiam eius bona exempta sunt à iurisdictione sæculari. *cap. quanquam de censibus, in 6. c similiter* 16. *q.* 1. Tum quia ex exemptione personæ in causis ciuilibus infertur suorum bonorum exemptio: non enim circa bona moueri lis potest, quin bonorum dominus citetur, & comparere cogatur. Sed Clericus trahi non potest ad sæculare iudicium ex textibus supradictis. Ergo. Et ita tenet Tiraquel & Farin. *suprà*, Couarr. *pract. q. c.* 31 *n.* 5. *ver.* 2. Sagismund. Scaccia *lib.* 1. *de iudiciis, c.* 11. *n.* 30. Villalob. *in com. opin. ver. clericus, n.* 70. Minsing. *obseruat.* 22. *cent.* 1. Suar. *lib.* 4. *de immunit. Eccles. c.* 14. *n.* 11. Aduertit tamen Farin. Couar. & Scaccia *suprà*, contrarium sentientes non loqui de iure, sed de consuetudine locali, quæ extendenda non est ad alias regiones.

3 Secunda exceptio est in causa feudali, in hac enim causa, siue de proprietate feudi, siue de eius possessione agatur, si Clericus conueniatur, conueniri debet coram domino feudi, etiamsi laicus sit: sic pluribus firmat Clarus *§ feudum, q.* 90. *vers. sed quid si vassalli.* Menoch. *de retin. possess. rem.* 3. *n.* 396. *& seq. & n* 409. Farin. *tit de inquisit. q.* 8. *n.* 22. Sigism. Scacc. *de iudiciis, lib.* 1. *c.* 11. *n.* 97. & alij plures. Ratio ea est, quia ita à iure dispositum est in fauorem feudorum, vt constat ex *cap. verum, cap. ex transmissa de foro comp.* & sub ea conditione à iure approbata concedun ur feuda à principio. Verùm, etsi hoc ita sit, si tamen causa non de proprietate, aut possessione feudi, sed de reparatione, & satisfactione domino feudi facienda agitetur, tunc Clericus feudatarius coram proprio iudice Ecclesiastico conueniendus est, non coram sæculari, nec coram domino feudi: sic Villalob. *in comm opinion. verbo clericus, n.* 74. Farin. *d. q.* 8. *n.* 22.

4 Tertia exceptio firmatur ab aliquibus de causa possessoria; quia hæc videtur esse omnino temporalis, ac proinde sæculari iurisdictioni omnino subiecta: sic glos. *in c. vnico de iuram. calumnia*, Vincent. Ioan. Andr *in c. vlt. de iudiciis.* & alij plures relati à Couar *pract. quæst. c* 35. *n* 1 & videtur probari ex *dict. c. vlt. de iudiciis. c. petimus* 11. *q.* 1. *c causam quæ, vel* 2. *qui filij sint legit.* vbi iudex sæcularis, etiam inter Clericos de causa possessoria, quæ nullam proprietatis cognitionem habet admixtam, cognoscit: & fauet consuetudo forensis Galliæ, in qua causa possessoria beneficiorum apud iudices sæculares decidituir, etiam inter Ecclesiasticos.

Cæterùm (quidquid sit de iudicio possessorio rei spiritualis inter laicos, aut inter Clericum actorem, & laicum reum) nullo

modo admittenda est exceptio, si Clericus reus sit, & conueniatur. Quia Clericus conueniri non potest, nisi à iudice, qui ei sit superior. Cùm ergo sæcularis iudex nullam in Clericum iurisdictionem habeat, fieri non potest, vt possit illum citare, & ad suum tribunal trahere, &c. & probat manifestè textus *in cap. qualiter de iudiciis. c. placuit, c. inolita vt. quæst. 1. authen. statuimus, C. de Episcop. & cler.* & tradit, vt omnino certum, Couar. *pract. quæst. c. 35. n. 1. circa fin.* Menoch. *de recup. possess. rem. 15. n. 223 & 234. & de retin possess. rem. 3. n. 324. & seqq.* Roland. *cons. 23. vol. 2.* Farin. *tit. de inquisit. q. 8. n. 23. vers. sublimita secundo.* Azor. *1. p. lib. 5. c. 14. q. 1.* Neque obstant adducta in contrarium, quia illa glossa *in c. litteras*, communiter reprobatur: textus *in cap. vlt. de iudiciis*, non de dignitate Ecclesiastica, sed sæculari, eiúsque iurisdictione tractat, & non inter Clericos, vt benè glossa *ibi*, & Doctores communiter. Item dicendum est de textu in *cap. causam quæ*: agit enim de causa possessoria ad hæreditatem temporalem pertinente, non ad matrimonium, neque aliud quid spirituale, neque inter clericos. Textus verò in *cap. petimus*, auxilium iudicis sæcularis implorat in fauorem Ecclesiastici, non contra illum. Ergo nullum est fundamentum ad affirmandum Clericum adduci posse vt reum ad iudicium sæculare. Neque consuetudo Galliæ admittenda est, vtpote iuri Pontificio contraria, nisi aliquo speciali priuilegio à Sede Apostolica concesso muniatur.

5 Quarta exceptio est de bonis regalibus, quæ semper censentur data sub ea conditione, vt coram sæculari iudice decidatur illorum controuersia, tametsi à Clericis possideantur. Et idem est quotiescunque Ecclesiæ, vel Clericis possessio aliqua relinquitur sub eadem conditione, vt in foro sæculari illius controuersiæ definiantur: Si ergo Ecclesia, vel Clericus legatum admittit, conueniri possunt coram sæculari iudice: quia tunc non sunt rei coacti, sed voluntarij, & tradit aliis relatis Suar. *lib 4. de immunit. Eccles. cap. 14. n. 13.* Gutierr. *lib. 1. pract. q. 0. n. 1.* & fauet text. *in cap. verum de foro compet.* vbi Ioann. Andr. & Hostiens.

6 Quintus casus, in quo potest Clericus coram sæculari iudice conueniri, est, si citetur ad comparendum coram illo, non absolutè, sed si sua putauerit interesse; qua citatione facta, si ipse comparet, neque declinatoriam opponit, obligatus est iudicio sæculari, & illius sententiæ stare; quia tunc non reus necessarius, sed actor voluntarius dicitur, vt ex Baldo, & aliis *in l. testamenta, C. de testam.* tradit Farinac. *quæst. 8. sub num. 87.* Dixi si comparet. Nam si non comparet, iudicari non potest: clarè enim innuit non comparendo sua non interesse: sic Farinac. *num. 90.* Menoch. *de recuper. possess. rem. 15. num. 228.* Dixi item, neque comparendo declinatoriam opponit: quia declinatoria opposita, iam non est laicus competens iudex, si quidem sua non putat Clericus interesse coram illo comparere, & iudicari. Menoch. *num 232.* Farinac. *num. 91. & 92.* aduertunt citationem faciendam esse absque alio adiecto compellente, & constringente Clericum iudicio stare. Nam si Clericus citetur, vt coram laico iudice comparear, si sua putauerit interesse, quin minùs iudicabitur tanquam contumax, nulla est talis citatio, & omnia inde procedentia; quia per adiectum destruitur prior conditio, si sua putauerit interesse, & fit violenta citatio.

7 Sextus casus, in quo aliqui censent coram iudice sæculari Clericum conueniri posse, est, si conueniatur nomine alterius laici, verbi gratia, si hæres sit alicuius laici, & ratione hæreditatis acceptæ conueniatur, videtur conueniri posse coram sæculari iudice; quia conuenitur, quatenus personam defuncti repræsentat. At hic casus solùm admittendus est, quando lis contestata fuerit cùm persona defuncta apud iudicem laicum, tunc enim firmata est iurisdictio iudicis laici in talem causam, & Clericus defuncto succedens nomine illius agit: Verùm si lis cum defuncto contestata non sit, nequaquam potest coram sæculari iudice decidi, quia Clericus, tam quoad personam, quàm quoad eius bona exemptus est à sæculari iurisdictione. Ergo non debet, neque potest illi se submittere: sic relato Abbate *in cap. quia de iudiciis*, Bartol. *in l. hæres absens, ff. de iudiciis*, tradit Farinac. *quæst. 8. num. 46. ampliat. 17.* Sigismund. Scaccia *libro primo de iudiciis, cap. 11. num. 23.*

8 Tandem alij censent conueniendum esse Clericum coram sæculari iudice, si conuentus coram Ecclesiastico Ecclesiasticus negligens fuerit in causæ decisione. Quia tunc non tam agendo, quàm defendendo laicum iudex sæcularis procedit; & fauet *cap. si quis cum clerico 11. quæst. 1.* & decidit Iustinian. *in Authent. de Sanctissimis Episcopis, collat. 9.* aliàs *nouel. 123. cap. 21. §. si quis autem pecuniaria, & nouel. 83. seu Authent. vt Clerici apud proprios Episcopos.* Cæterum repellenda omnino est hæc exceptio. Non enim datum est inferioris potestati superioris negligentiam supplere. Tum quia supplere hanc negligentiam nequaquam potest sæcularis iudex, quin prius examinauerit negligentiam Prælati Ecclesiastici, sed ad huius negligentiæ cognitionem nulla iurisdictio residet in sæculari iudice. Tum quia in *cap. qualiter de iudiciis*, omnino prohibetur ad sæcularem iudicem recurri, etiam Ecclesiastico negligente: sic glossa, & Panormitan. *ibi*, & tradunt Doctores *cap. licet ex suscepto de foro competendi*, Farinac. *quæst. 7. num. 46. fine, ampliat. 23.* Suarez *lib. 4. de immunit Ecclesiast. cap. 14. num. 20.* Azor. optimè *t. 5. instit. moral. lib. 5. cap. 14. quæst. secunda.* Neque obstant superiores leges, quæ vt immunitati Ecclesiasticæ contrariæ, nequaquam receptæ sunt, neque vim habent; materia enim immuniratis Ecclesiastica est, ideoque non potest de ea princeps sæcularis pro libito disponere.

PVNCTVM VIII.

Quæ sit Clericorum exemptio à legibus ciuilibus.

1 *Qua ratione legibus ciuilibus Clerici teneantur.*
2 *Tenentur seruare leges, & statuta Ecclesiastico statui non repugnantia.*
3 *Statutum ne externis immobilia vendantur, ne cum exteris contrahatur, domus hac firmitate ædificentur, Clericos ligat.*
4 *Statutum præscribens modum & pompam in funere Clericos obligat.*
5 *Statutum, ne vocentur religiosi, nisi vocatis omnibus Clericis, non est validum, tametsi à Clericis fiat.*
6 *Statutum factum, vt Clericis tali parochiæ detur talis eleemosyna, reuocari non potest in aliquorum opinione. Probabilius est oppositum.*
7 *Statutum, ne vendatur Clericis, quod aliis ciuibus venditur, neve Clerici aliis priuilegiis sæcularibus concessis potiantur, inualidum est.*
8 *Leges nostri regni priuantes Clericos beneficiis à Rege concessis, si iurisdictionem sæcularem declinauerint, intelliguntur de declinatione malitiosa.*
9 *Leges prohibentes, ne exteris beneficia Ecclesiastica dentur firmæ sunt ex authoritate Pontificis.*
10 *Examinatio litterarum Apostolicarum à regiis consiliariis illicita est, nisi fundetur in priuilegio, quod credendum est adesse.*

1 DE hac exemptione satis diximus *tract de legib. disput. 1. punct. vlt.* ibi enim probauimus Clericos astari non posse legibus ciuilibus sibi directè impositis; quia sunt extra iurisdictionem legislatoris ciuilis: obligari tamen legibus communitati impositis, si statui Ecclesiastico non repugnant; quia tunc non obligantur vt Clerici, sed quatenus sunt ciues, & partes vnius reipublicæ, quibus vniformitas necessaria est, à qua obligatione nunquam Ecclesia voluit Clericos eximere. Hæc tamen obligatio est quoad vim directiuam, non coactiuam; Non enim Clerici inobedientes cogi possunt à sæculari iudice, vt ab inobedientia absteneant. Quia hæc coactio, quæ per impositionem pœnæ facienda est, non pertinet ad vniformitatem reipublicæ seruandam, cùm pro diuersitate delinquentium, & circumstantiis delictorum possint, & debeant pœnæ variari. Cogendi ergo sunt ab Ecclesiastico iudice; quia ad ipsum pertinet Clericos sibi subditos compellere, vt legi naturali, diuinæ, & ciuili communi obediant. Modus autem coactionis, si à iure canonico signatus non est, poterit esse, qui sibi conuenientior, & vtilior visus fuerit. Quia non tenetur pœnis, & suppliciis à lege ciuili impositis vti; quia leg lator ciuilis solùm illis pœnis instruit iudices sibi subiectos, non Ecclesiasticos, qui extra illius iurisdictionem sunt; Vide Suar. *lib. 4 de immunit. cap. 16. per totum.*

2 Difficultas autem est, quæ sint leges, aut statuta ciuilia statui Ecclesiastico non repugnantia, vt ijs Clerici obligari existant? Generaliter solùm dicere possum eas leges, quæ rectæ gubernationi reipublicæ conueniunt, statui Ecclesiastico non repugnare. Hæ sunt, quæ pretia mercibus imponunt, quæ arma deferre vetant, quæ solemnitates contractibus signant, &c. Cùm enim Clerici partes sint reipublicæ, iustum est, vt ea, quæ toti reipublicæ conuenientissima sunt, obseruent. Specialiter autem declarare leges, quæ statui clericali repugnantes sint, ferè est impossibile. Subiiciam aliquas, vt inde reliquæ possint colligi.

3 Primò dubitari potest de statuto clericorum præcipiente ne bona immobilia externis vendantur, alioquin contractus irriti sint. Ne item mulier filios habens possit contrahere cum externis, nisi in hac, vel illa quantitate. Item ne possit testamento relinquere cum iactura legitimæ portionis, & de aliis similibus. Negat Azor *tit. 1. lib. 5. institut. moral. cap. 12. quæst. 5.* Clericos ligari, neque alia ratione probat, nisi quia leges ciuiles non possunt Clericos, & Ecclesiam obligare, nisi quatenus materiam constituunt ex iure naturali obligantem, vt contingit in legibus constituentibus pretia mercium. At supradictæ leges non sic reddunt materiam ex iure naturali obligantem. Non enim ius naturale dictat bona ciuium huius ciuitatis externis vendi non posse. Ergo. Cæterùm, mihi placet huiusmodi statuta obligare Clericos. Tum quia sunt communia Clericis, & laicis. Tum quia non derogant immunitati Ecclesiasticæ, cùm ipsis

ipsis quatenus partes sunt communitatis, conueniat ea bona retinere. Tum quia ita in praxi est receptum: & ita tradit expresè alios referens Felin. *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de constitutionib. num.* 88. *&* 90. & docet Suar. *loco allegato, lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 13. Idem puto dicendum de iis legibus, & statutis præscribentibus modum in domibus construendis, parandis liminibus, fenestris aperiendis, viis mundandis, & similibus. Ad rectam enim reipublicæ gubernationem pertinet, vt Clerici cum laicis vniformes sint: Vnde cùm aliquo iure canonico non inueniantur ab iis expresè exempti; efficitur sanè iis obligari.

4 Secundò dubitari potest de statuto laicorum præscribente modum, & pompam in funere; ne scilicet fiant conuiuia, ne immoderati sumptus ceræ, pompæ, & similium, an obliget clericos? Negat obligare Tabiena *verbo excommunicatio, casu* 20. Azor. 2. *p. instit. lib.* 9. *cap.* 11. *in* 6. *priuilegio clericorum.* Et monentur, tum ex *cap. vltim. de rebus Ecclesiæ non alienand.* vbi annullantur statuta laicorum disponentia de mortuariis. Tum quia cedunt hæc statuta in damnum Ecclesiæ, & Clericorum, quibus minùs acquiritur. Cæterùm mihi probabilius apparet, valida esse hæc statuta, & Clericos obligare: sic docet expresè Felin. *supra*, Nauarr. *cap.* 27. *num.* 120. Suar. *t. de defens. fidei lib.* 4. *de immunit. cap.* 13. Caietanus *verbo excommunicatio, cap.* 31. Tiraquel. *de legib. connubialib. glossa* 8. *quæst.* 17. *num.* 169. *& seqq. & de vtraque retract.* 1. *p.* §. 1. *glossa* 13. *num.* 5. Ratio est; quia hæc statuta bonum commune respiciunt, & æquè Clericis, ac laicis competunt, & vtilia sunt. Vtile enim est Clerico defuncto, & eius hæredibus, ne in eius corpore sepeliendo sumptus vani fiant. Et licèt ob inde Clerici sepelientes, & Ecclesia minùs habeat, hoc est per accidens, & alia via compensari potest. Quando autem in *cap. vltim.* dicitur laicos non posse de funeralibus statuere, id intelligendum est de his, quæ suapte natura ad Ecclesiam dirigunt, vel salutem animæ mortui, & diuinum cultum respiciunt, vt ex Felin. & Caietan. docet Nauarr. *supra.*

5 Sed quid dicendum, si statutum esset, ne vocarentur religiosi, nisi prius vocatis omnibus Clericis parochiæ? Mihi videtur nullum esse tale statutum. Tum quia pietati aduersatur. Tum quia limitem ponit liberæ morientium electioni. Tum quia derogat ius, quod religiosi habent, vt defunctorum exequiis possint assistere. Quæ rationes probant, eriamsi à Clericis factum sit statutum, vigorem non habere: sic Azor. 2. *part. instit. mor. lib.* 9. *c.* 11. *in* 6. *priuilegio clericorum.*

6 Tertiò dubitatur de statuto derogante aliud statutum, v. g. factum est statutum à laicis, vt Clericis talis parochiæ quotannis detur hæc, vel illæc eleemosynæ, potuit ne hoc statutum reuocari, Azor 1. *p. instit. moral. lib.* 6 *cap.* 13. *q.* 5. censet probabilius reuocari non posse: probat, quia priuilegium alicui concessum, & ab eo acceptatum transit in ius. Sed iura Ecclesiæ staturis laicorum derogari non possunt: Ergo hoc priuilegium, quod iuris rationem habet, minimè poterit derogari. At mihi contrarium dicendum videtur; quia tota obligatio laicorum ad illam eleemosynam faciendam est ex ipsorum statuto; non ex iure aliquo Clericis acquisito, aliàs non esset eleemosyna, sed debiti solutio, quæ fieret illius quantitatis; sed ipsi abrogare possunt statutum à se factum: Ergo. Secùs verò esset, si obligatio non ex statuto, sed ex donatione facta Clericis nasceretur.

7 Quartò dubitatur de lege prohibente, ne Clerici potiantur priuilegiis concessis aliis ciuibus: Et quidem si priuilegia communia sunt, & sæcularibus competunt, quatenus ciues, & partes sunt reipublicæ, nequaquam possunt hæ leges obseruari; quia præsumuntur factæ in odium Ecclesiasticæ immunitatis: cum enim Clerici ratione clericatus non desinant esse ciues, & partes reipublicæ, & omnibus sæcularibus digniores sint; iniustè priuilegiis aliis concessis priuarentur: fauetque *cap. vlt. de immunit Eccles. in* 6. & pluribus exornat Suar. *lib.* 4. *de immun. Eccles. cap* 22. *num.* 16. *& seqq. & c.* 33. *à n.* 5. Ex quo fit contra Ecclesiasticam libertatem esse statutum prohibens laïcis, ne vendant Clericis, aut ab illis emant, quæ ab aliis sæcularibus emunt, aut vendunt, neve eorum triticum molant, aut coquant, &c. Hoc enim statuto indirectè libertas Ecclesiastica læditur, & Clerici grauantur magis quàm sæculares: eáque de causa in *cap. vltim. de immunit. Eccles. in* 6. sub excommunicatione, hæc, & similia statuta prohibentur, & sic facientes libertatem Ecclesiasticam præsumuntur violare.

8 Quintò dubitatur de statutis priuantibus Clericos beneficiis à Rege concessis, si iurisdictionem sæcularem declinauerint: stat enim *l.* 3. *tit.* 4. *lib.* 1. *noua collect.* qua cauetur, vt clerici primæ tonsuræ, qui coram sæculari iudice citati eius iurisdictionem declinauerint, publicis officiis sæcularibus censeantur indigni; *l.* 4. *eodem tit. & lib.* dicitur de huiusmodi clericis, qui à Rege terras, & vineas habent, & eius regalem iurisdictionem declinant, eo ipso priuati sint iis possessionibus: Dubium ergo est, an hæ leges validæ sint, & qua ratione debeant intelligi. Validas esse videtur indubitatum; siquidem credendum non est Principes ita Catholicos, & religionis patronos, aliquid contra religionem, & libertatem Ecclesiasticam decreturos. Econtrà autem videntur hæ leges derogare immunitati Ecclesiasticæ, si quidem Clericos pœnis afficiunt, quod fieri non potest à sæculari iudice. Non enim iudex sæcularis vim coërcitiuam in Clericos habet.

Dicendum ergo est supradictas leges intelligi de eo, qui iudicium sæculare malitiosè declinat, vt benè probat Gutierrez *pract. q. lib.* 1 *q.* 9. *&* 10. Et est ratio manifesta: nam si iudex sæcularis nullum titulum habet ad cognitionem, quomodo potest Clericus illi consentire? peccaret grauiter, & omnia facta nulla essent; efficitur ergo debere esse malitiosam declinatoriam, id est in causa, in qua poterat etiam iudex laïcus cognoscere. Huic enim intendit Rex officia sæcularia denegare & meritò: si enim ipse non vt sæcularis, sed vt Ecclesiasticus iudicari intendit, & hoc ex malitia, vt quid officia sæcularia retinere vult? cùm textus *in cap. Sacerdotibus ne clerici, vel monachi*, officia sæcularia Clericis interdicat; & tradit Couarruu. *pract. quæst. cap.* 33. *num.* 6. Hæc tamen negatio officiorum, & possessionum priuatio non est propriè reclamationis pœna: quia esto delictum committat Clericus in dissimulata delinatione, iudex sæcularis ob tale delictum nequit illum punire: Est ergo negatio hæc officiorum, possessionum priuatio ex voluntate Regis donantis: cum enim liberum sit Regi donare, liberum etiam est eas conditiones donationi imponere, quibus non seruatis cesset donatio. Vna autem ex conditionibus est, ne possidens illa officia malitiosè iurisdictionem sæcularem declinet: Ergo facta declinatione cessat donatum.

Vt tamen hæc priuatio locum habeat, affirmat Gutierrez *supra*, sufficere solum factum declinandi, quia fuerit super declinatoria pronuntiatum, & habuerit effectum, & probat ex *leg. regia* 3. *tit.* 4. *lib.* 1. *ordinam.* vbi dicit, *aunque no obtengan sentencia, ni llegue el negocio à ello.* Et licet *l.* 4. *eodem tit.* non ita clarè denotetur; at satis insinuatur illis verbis. *Que por esse mismo echo aya perdido, y sea priuado.* Cæterum supradicta conueniunt non esse necessarium, quòd declinatoria habeat effectum, hoc est, quòd de facto obtineat, quod per declinatoriam intendit; quamuis contrarium sentiat Cou. *d. c.* 33. *n.* 6. At omnino existimo debere à iudice declarari talem Clericum malitiosè declinasse quousque de tali declinatione iudicè constet, priuati non debet Clericus portionibus obtentis, neque ad officia inhabilis fieri: hoc enim in omnibus pœnis, etiam ipso iure latis, locum habet.

9 Sextò dubitatur, an validæ sint leges, quibus cauetur, ne beneficia Ecclesiastica huius regni Castellæ exteris dentur, neve ex illis beneficiis pensiones soluantur, neve literæ Apostolicæ iuri patronatus laicorum derogantes admittantur, quousque Sum. Pontif. de re plene instructus disponat, quæ reipublicæ Christianæ tam in temporalibus, quàm in spiritualibus vtilius fore iudicauerit. Has igitur leges validas esse multis comprobat Gouarru. *quæst. pract. cap* 35 *&* 36. & supponunt fere omnes Doctores expositores legum, & pragmaticarum Hispaniæ, Galliæ, Flandriæ, in quibus regionibus etiam est idem vsus. Contrarium acriter defendit Azor 1 *p. lib.* 5. *cap* 14 *quæst.* 5.

Dicendum tamen est, spectata sola sæculari potestate regia, has leges constitui non posse. Quia nemini à Summo Pontifice, vel ab illo authoritatem habenti datum est de rebus spiritualibus disponere. At materia beneficiorum spiritualis est: Ergo. Item ius præsentandi ad beneficia nullus laïcus habere potest; nisi ei fuerit à Pontifice concessum. Ergo multo minus habere poterit ius excludendi à Pontifice præsentatos, nisi à Pontifice hæc exclusio concedatur. Quocirca, cùm per has leges in materia beneficiorum Rex Galliæ, & Hispaniæ disponant, efficitur sanè eorum dispositio ex authoritate accepta à Romano Pontifice dimanare: credendum enim est Pontificem concessisse his Regibus in remunerationem obsequiorum Sedis Apostolicæ, & totius religionis Christianæ hoc priuilegium, ne aliis ab oriundis ex hoc regno beneficia Ecclesiastica, aut pensiones concedantur. In huius ergo priuilegij conseruationem leges condiderunt, quibus grauissimis pœnis afficiunt eos, qui hoc priuilegium violare tentauerint.

10 Solùm est difficultas; qua ratione possint Regis consiliarij literas Apostolicas examinare, earumve exequutionem impedire, quousque compertum illis sit nullum ius regium, aut laicorum illis derogari. Et quidem si ex priuilegio, & concessione Summi Pontificis fiat, cessat controuersia. Atqui de hoc priuilegio non satis constat, ideo alia via Doctores defendunt. Fatentur namque nullum ius, aut authoritatem Principes sæculares habere ex se ad recognoscendas & examinandas Apostolic. literas, sintne dubiæ, an certæ; falsæ, an veræ; subreptitiæ, an legitimæ. Quia est materia omnino spiritualis, & Ecclesiastica: ac proinde à iudicibus sæcularibus tractari non potest. At cum cuilibet datum est se defendere, & illæsum seruare, & Rex patronique laïci ius habeant ex priuilegio à Sum. Pontifice concesso, ne nemini externo beneficium, aut pensio Ecclesiastica concedatur, illisque compertum sit hoc ius sæpe subrepti iis literis derogari, iure ipso naturali videtur illis concessum posse hoc damnum & iniuriam præcauere. Neque contra voluntatem Pontificis videntur procedere, sed potius se illi conformare. Non enim credendum est Pontificem velle subreptitias literas effectum habere. Et quidem si certo constaret de subreptione, clarum erat nullam esse obligationem obediendi, nullumque peccatum committi in impedienda illarum exequutione: Sed

quia

quia antequam per regios consiliarios examinetur, id non constat, tametsi sæpè contingat subreptitias reperiri; ea de causa dubium non leue est, an ob defensionem proprij iuris regij consiliarij hanc examinationem possint præstare. Non enim videtur esse locus dispensationi, nisi prius constet de iniuria. Item vel illa iniuria est notoria ex se, vel solùm ex declaratione regij tribunalis. Ex se notoria esse non potest: nam quousque literæ examinentur, non potest constare de earum subreptione, & falsitate. Ex declaratione regij tribunalis constare non potest, tum quia nemini datum est ius sibi dicere in causa propria. Tum quia illa declaratio est ab incompetenti iudice nempe sæculari in materia Ecclesiastica. Tum & præcipuè quia ad præmittendam hanc declarationem debebat iam de iniuria constare, cùm in hac declaratione iurisdictio Ecclesiastica vsurpetur. Quapropter mihi dicendum videtur Reges Hispaniarum, Galliæ, & Flandriæ ex priuilegio à Sede Apostolica has literas Apostolicas examinare, neque alia via credo id fieri posse: sic Azor. *1. p. lib. 5. cap. 14. quæst. 4.* Et licet non appareat hoc priuilegium scriptum, præsumendum tamen est fuisse concessum, & immemoriale esse.

Eadem ratione, & eodem titulo honestandam esse consuetudinem huius regni Galliæ, & Flandriæ, & aliarum prouinciarum, in quibus per leges cauetur nullum Nuncium vti posse sua iurisdictione, quousque literas suæ legationis exhibeat regio tribunali, vt ei constet de potestate, & iurisdictione, quam habet: cùm enim totum hoc Ecclesiasticum sit, nequit iure iurisdictioni sæculari submitti: debet ergo priuilegium adesse: & ita est præsumendum.

PVNCTVM IX.

Qualis sit exemptio Clericorum à gabellis, & tributis realibus.

1 *Dupliciter tributum imponi potest rebus ex regia authoritate, vel ex earum dominio, vt scilicet tributum, quod dominus suis rebus imponit.*

2 *Bona Ecclesiæ, & Clericorum libera sunt à tributis regalibus.*

3 *Tributa imposita pro reparatione pontium, murorum, & similium, plures Doctores censent obligatos esse Clericos soluere.*

4 *Alij plures negant.*

5 *Secluso consensu Pontificis, vel Episcopi non obligantur.*

6 *Pontifex, vel Episcopus tenetur suum consensum præstare, si viderit tributum communi vtilitati expedire.*

7 *Si Pontifex consuli potest, non valet consensus Episcopi ad hoc tributum Clericis inducendum.*

8 *Quis nomine Clerici intelligatur, qui cum Episcopo præstare consensum debet.*

9 *Quando censeantur laicorum facultates non suppetere, vt teneatur Pontifex, vel Episcopus, & Clerus his conditionibus consentire.*

10 *Impositio gabellæ, & fissa in venditione communi, carnis, olei, &c. illicita est, secluso Pontificia authoritate, nisi simul Clericis refectio fiat.*

11 *A quibus tributis personalibus, seu muneribus, & obsequiis Clerici sint exempti.*

12 *Hæc exemptio à tributis non competit Clericis caniugatis.*

13 *Spectato iure communi competit Clericis in sacris, & in minoribus, seruantibus conditiones Concilij.*

14 *Spectato iure regio Castellæ debent habere beneficium Ecclesiasticum.*

15 *Clerici negotiatores non sunt immunes à tributis ex rebus per negotiationem acquisitis.*

16 *Quando dicatur Clericus negotiari latè expenditur.*

17 *Omnes religiosi, & nouitij religionis approbatæ exempti sunt à tributis.*

18 *Equites militares ex ordinibus sancti Benedicti, &c. exempti sunt à tributis.*

1 PRæmittendum est dupliciter rebus tributum imponi posse, vel ex regia authoritate, & iurisdictione, vel ex earum dominio: si enim verus dominus tributum aliquod imponat rebus suis, velitque, vt in quemcumque possessorem transeant, illud onus secum portent, clarum est illud tributum deberi, tametsi ad Ecclesiam Clericosque deueniant: vt colligitur *ex cap. si tributum. cap. magnum. 11. q. 1. & cap. tributum 23. quæst. 8.* Ratio est manifesta, quia cum liberum domino fuerit possessionem suam Ecclesiæ non donare, potuit optimè diminutè donare, quod fecit reseruando pensionem alteri: & in hoc sensu verissimum est rem cum suo onere transire, ex *l. alienatio empt. l. si Diuina, Cod. de exactorib. tributorum lib 10. cap. cum non sit, cap. pastoralis de Decimis: cap ex litteris de pignorib.* Ex quo fit, si testamento relinquatur fundus Ecclesiæ ea conditione, vt ex illo collectas, aut contributiones aliquas soluat, &c. debet Ecclesia soluere, quia vnicuique datum est de sua re prout placuerit disponere, sic Azor. *1. p. lib. instit. moral. cap. 13. quæst. 1.* Suar. *lib. 4. de immunit. Ecclesiast. cap. 20. à num. 5.* Verum si ex iurisdictione regia onus, & tributum possessionibus imponatur, si hæ possessiones ad Ecclesiam, vel Clericos transeunt, cessat pensio, & tributum, quod satis videtur constare ex *c. 1. de immunit. Eccl. in 6.* ibi *non licere quibuscumque iurisdictionem temporalem exercentibus exactiones quascumque Ecclesijs imponere, vel exigere.* &c. Ratio est clara: quia tributum impositum ex iurisdictione regia, subditis regis tantum imponi potest. At Ecclesia, & Clerici extra illius iurisdictionem sunt, ex *textu in cap. qualiter, & quando de iudicijs, & cap. 2. & alijs de foro competenti*: Ergo. Item res Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum sunt specialiter sub dominio Dei, & ad eius cultum ordinantur. Non igitur decet eas tributorum impositione prophanari.

2 Ex his fit bona non solum Ecclesiæ, sed Clericorum libera esse à tributis regalibus, vt clarè constat ex *cap. non minus de immunit. Eccles.* ibi *de bonis Ecclesiarum, & Clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis*, & *cap. Aduersus eod. tit.* ibi *qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viros talia, seu collectas*, &c. & *cap. quamquam de censibus*, dicitur, *ne ab Eccl. sijs, & personis Ecclesiasticis talia exigantur*: & paulo inferiùs: *Ecclesiastica persona, ac res ipsarum iure diuino, & humano à secularium personarum exactionibus sint immunes*: & *clement. vlt. de censibus* præcipitur, ne à personis Ecclesiasticis, aut pro suis rebus propriis tributa exigantur. Idem *cap. clerici de immun. Eccles. in 6.* & aliis pluribus: Et nouissimè à Trident. *sess. 25. cap. 20. de reformat.* Hæc non solum vera sunt in bonis Clericorum titulo spirituali acquisitis, qualia sunt Decimarum fructus, & beneficij, & quæ ob sacramentorum administrationem in stipendium recipiunt, sed etiam si titulo hæreditario, & donatione acceperint; eo enim ipso quod ad ipsos peruenit hæreditas, immunis est à tributis regalibus: Et ratio est, quia tributum ab hæreditate exigi non potest, sed à persona, cuius est hæreditas. At persona Clerici exempta est à iurisdictione sæculari. Ergo obligati non potest ad tributi solutionem. Quia solutio tributi signum est subiectionis. His pro certo positis, aliqua difficiliora restant enodanda.

3 Primo dubitatur, an Clerici teneantur soluere tributa imposita pro reparatione pontium, murorum, viarum, & similium ad communem omnium vtilitatem spectantium.

Prima sententia affirmat obligatos esse: sic plures iuris ciuilis interpretes, quos refert Gutierr. Greg. Lopez, Azor. *loco statim referendis.* Mouentur ex *leg. ad institutiones. Cod. de sacrosanct. Ecclesijs.* Vbi pro instructione pontium, & itinerum Ecclesiæ soluere tributum coguntur. Idem traditur in *leg. iubemus eodem titul. leg. cum ad fœlicissimam. Cod. de quibus muner. & præstationib. lib. 10. leg. ad portus. Cod. de operibus publicis. leg. diuina domus. C. de exactorib. tributorum. lib. 10. & alijs passim*: & fauet *lex regia 11. & 12. tit. 3. lib. 5. noua recopilat. & C. 54. titul. 6. part. 1. l. 20. tit. 22. part. 3.* Et ratio pro hac parte est efficax: quia hæc distributio non tam est tributum Regi exhibendum in signum suæ potestatis, & superioritatis, quam quædam solutio beneficij à republica accepti: cum enim tam Clericus, quàm laïcus æquanimiter fruantur viis, pontibus, fontibus, & similibus, & respublica hæc omnia disponat æquanimiter in laïcorum, & Clericorum vtilitatem, neque ipsi Clerici hanc dispositionem impedire possint, vtpote toti reipublicæ necessariam; efficitur sanè & laïcos, & Clericos obligatos, esse sumptus soluere: id enim iustitia distributiua petit, vt qui sentit commodum, sentiat & onus *leg. secundùm naturam. ff. de Reg. iuris, leg. qui sentit. de Reg. iuris, in 6.* Quæ enim ratio esse potest, quare Clerici ab hac contributione eximantur, si beneficio fruuntur? aut cur laïci debent in solidum soluere quæ necessaria sibi, & Clericis sunt?

4 Secunda sententia negat obligatos Clericos esse: sic Azor. *1. p. lib. 5. cap. 13. q. 8.* Greg. Lop. *d. l. 54. & 6. part. 1.* Gutierr. *lib. 1. quæst. 4. pract. quæst. num. 6.* Zenedo *ad decret. collect. 153. numero 4.* August. Barbosa *de potest. Episc. 2. part. alleg 13. num. 6.* Mol. Theolog. *de iustit. titul. 4. disputat. 672.* & alij apud ipsos. Fundantur *in cap. non minus, cap. aduersus de immunit. Eccles.* vbi Clericis prohibetur tributum imponi pro iis communibus necessitatibus absque consensu Pontificis, vel si ipse adiri non possit, absque consensu Episcopi & Cleri. Ratio est, quia Clerici obligari non possunt ad hæc soluenda lege sæculari, cum ab illa fiat exempti ex supradictis capitibus iuris canonici, neque etiam obligantur ex aliquo pacto inter ipsos Clericos, & laïcos inito: nullum enim tale pactum reperitur, neque item obligantur ex beneficio accepto. Quia esto beneficium commune sit Clericis, & laicis, sumptus non debent esse communes: dignitas enim clericalis petit, vt aliquo priuilegio speciali fruantur; sicut enim priuilegium militiæ, & regiminis eximere solet militem, & magistratum ab iis contributionibus communibus: tametsi de beneficio communi æquanimiter participet: sic dignitas clericatus eximere potest Clericum ab his oneribus. Adde Clericos hoc beneficium à laïcis acceptum aliis beneficiis compensare: ipsi enim Clerici specialiter concurrunt ad subuentiones pauperum, reparationem templorum, & illorum ornatum,

ornatum, & cultum: quæ omnia in vtilitatem cedunt laicorum. Ergo hoc sumptu sufficienter compensant sumptus laicorum.

5 Dicendum ergo est, secluso consensu Pontificis, vel Episcopi, & cleri, cum Pontifex ad ri non potest, nequaquam Clericos obligatos esse has contributiones soluere. Fundamentum præcipuum sumitur ex *d. cap. Non minus:* vbi expressè prohibentur *Consules ciuitatum, & rectores, nec non & alij, qui potestatem habere videntur, sub excommunicatione à Clericis has contributiones exigere nisi Episcopus, & clerus tantam necessitatem, & vtilitatem aspexerint, vt absque illa exactione ad reparandas communes vtilitates, vel necessitates, vbi laicorum non supperunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Idem traditur *in cap. aduersus eodem titul.* & subditur. *Propter imprudentiam tamen quorumdam Romanus Pontifex prius consulatur, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere.* Ex quibus textibus manifestè constat priùs Pontificis consensum habendum esse, aut saltem consensum Episcopi, & cleri, vt clerici ad dictas contributiones teneantur.

6 Pontifex autem, vel Episcopus suum consensum præstare tenetur, si inciderit opus faciendum communi vtilitati expediré, & laicorum facultates non suppetere; quia eius iudicio hoc committitur, vt constat ex illis verbis, *existiment conferenda.* Quoties autem negocium existimationi alicuius committitur, non relinquitur eiùs liberæ voluntari, sed arctatur ad existimationem iustam, & per rationem regulatam. *leg. fidei commissam, §. si fidei commissum. vers. quanquam. ff. de legatis.* 3. & tradit Greg. Lop. *d. l. 54. tit. 6. part. 1.* Gutierr. *pract. quæst. lib. 1. cap. 3. n. 8.* Suar. *lib. 4. de immunitat. Ecclesiast. cap. 26. num. 5.* Quòd si Pontifex acquiescere nolucrit, nullo modo cogi possunt Clerici à laicis has contributiones soluere. Quia præsumendum est, Pontificem indicasse vel opus faciendum non esse ita reipublicæ necessarium, vel facultates laicorum sufficientes esse, quin Clerici grauentur, vel alia via à Clericis illos sumptus compensari.

7 Sed inquires, an Pontifice inconsulto Episcopi, & cleri consensus sufficiat? Affirmat Suar. *lib. 4. de immunit. cap. 26. num.* 17. Quia iure ordinario consensus Episcopi, & cleri sufficiunt; & in *illo cap. aduersus*, non irritatur consensus Episcopi, & cleri, tametsi iniquè datos sit. Ergo. Cæterum existimo probabilius, si Pontifex consuli potest, nequaquam absque illius consensu obligari posse Clericos ad illas exactiones soluendas. Quia ad hanc obligationem inducendam requisitus est consensus Pontificis propter imprudentiam quorumdam. Ergo cessante hoc consensu, cessat conditio ad obligationem, & consequenter obligatio. Non igitur necessarium est decretum irritans. Dixi, si Pontifex consuli potest: nam si id fieri non potest, quia casus vrget, clarum est Episcopi, & cleri consensum sufficere, vt docet Gutierr. Lopez, Suar & alij *supra.* Tum quia ibi adest præsumpta Pontificis voluntas. Tum quia hac via concordantur, *cap. non minus, & cap. aduersus:* si quidem in *cap. non minus*, nihil dictum fuit de consensu Pontificis, sed solùm fuit statutum ex consensu Episcopi, & cleri deberi hæc tributa. At in *cap. aduersus*, hic consensus fuit expostulatus. Debet ergo intelligi, quando commodè potest peti, quòd si peti non potest, sufficere consensum Episcopi, & cleri. Contingit tamen sæpè ad imponendum tributum non posse consensum Pontificis postulari; quia vrget necessitas; at ad illius continuationem posse oprimè Pontificem consuli, & tunc consulendus est, vt benè notauit Suar. *c. 26. in fine.*

8 Secundo inquires; quid nomine cleri intelligatur, qui cum Episcopo præstare consensum debeat? Non desunt qui existiment debere esse clerum totius diœcesis, quia illis omnibus tributum est imponendum. Ergo omnes illi saltem pro maiori parte approbare tributum debent. At hoc, vt bene dicit Suar. *lib. 4. de immunit. cap. 26. num. 16.* fere est impossibile, ideoque probabile esse Episcopi, & capituli consensum sufficere, quia capitulum nomine cleri sæpè intelligitur, & quia tegulariter à toto clero capitulo ecclesiarum cathedralium commissa est potestas decidendi negocia, quæ ad totum clerum pertinent. Sed quid si Clerus renuat, eritne sufficiens Episcopi consensus? Alicui videbitur sufficere: quia Clerus potius videtur ad consilium, quam ad decisionem expostulari. At mihi probabilius apparet æquè Episcopi, & Cleri consensum requiri, neque vnum sine altero sufficere, quia vtriusque iudicium æquanimiter expostulatur: *cap. Non minus*: ibi: *nisi Episcopus, & clerus tantam necessitatem, vel vtilitatem aspexerint* &c. & *cap. aduersus*, ibi. *Verum si quando Episcopus simul cum clericis tantam necessitatem, vel vtilitatem perspexerint*, &c.

9 Tertiò inquires, quando censeantur laicorum facultates non suppetere, vt teneatur Pontifex, vel Episcopus, & Clerus his contributionibus pro Clericis consentire? Respondeo probabile esse tunc censeri laicorum facultates non suppetere, quoties non suppetunt facultates communes ciuitatis: quod satis indicat *l. 11. tit. 3. lib. 1 nouæ compilat.* ibi *en estas cosas tales, a falleçimiento de proprios de conceso deben contribuer, y ayudar los dichos clerigos.* Si enim de singulorum ciuium facultatibus hoc intelligendum esset, raro vel nunquam Clerici obligati essent ad has contributiones. Tum quia rarò facultates ciuium ita exhaustæ sunt, vt ad hæc opera necessaria non suppetant. Tum quia fere erit impossibile Prælatis Ecclesiasticis inuestigare, an facultates singulorum laicorum sufficiant. Dicendum ergo est facultates communes esse attendendas.

10 Secundo dubitatur, an sit contra libertatem Ecclesiasticam impositio gabellæ, & fissæ in venditione communi carnis, olei, vini, & similium? Et ratio dubitandi est, quia Clericis directè non imponitur; si quidem ipsi non arctantur ea soluere: possunt enim alibi carnes, vinum, oleum emere, & consequenter cessare ab huius gabellæ solutione. Ergo hæc impositio licita est: & ita tenet Richard. *quodlib. 2. quæst. 30.* Astens. *in summ. lib. 3. titul. 30. artic. 4.* Rosella *verbo Gabagium. num. 17.* Angel. *verbo immunit. 1. quæst. 6. vers. quarto posito quod.* Nihilominus dicendum censeo hanc gabellæ impositionem illicitam esse, nisi simul statuatur modus, quo Ecclesiastici refectio fiat. Moueor quia secluso hac refectione coguntur Ecclesiastici moraliter illam gabellam soluere, sicut & coguntur laici. Nullus enim simpliciter cogitur emere. At quia moraliter loquendo sine emptione illarum rerum viuere non potest, ideo absolutè dicitur cogi illas emere, & consequenter gabellam soluere. Est ergo illicitum: & ita tenet Azor. *2. part. instit. moral. lib. 8. c. 10. priuileg. 5. clericorum.*

11 Tertio dubitatur, an à tributis, seu muneribus, obsequiisque personalibus Clericus exemptus sit? Hæc sunt in triplici differentia, quædam sordida, vt mundandæ cloacæ, stabuli purgandi, arenæ fodiendæ. Alia honorabilia, vt regere ciuitatem. Alia indifferentia, vt officium procuratoris, & testamentarij. Ad munera sordida neque possunt Clerici obligari, neque ipsi debent ea accipere; quia eorum dignitati, & honorifico statui contraria sunt, & multum dedecent; & traditur expressè à Constantino, *l. 10. Cod. de Episcop. & Clericis.* ibi *repellatur ab his exactio munerum solidarum; imo non solum Clerici; sed eorum mancipia, & domestici ab his mineribus eximuntur. cap. generaliter. cap. iuxta sanctionem. cap. placet. 16. quæst. 1. & leg. 2. Cod. de Episcop. & Cleric.* Ab aliis vero muneribus honorificis, seu indifferentibus eximuntur, si velint traditur expresse *leg. 1. 2. 9. & 10. & 11. C. de Episcop. & Cleric. & cap. generaliter. 16. quæst. 1. & toto tit. de immunit Eccles. & tit. Ne clerici, vel monachi*, & per locum ab speciali colligitur ex *cap. permittit de immunit Eccles.* vbi necessitate vrgente defendendæ ciuitatis non excusatur Clericus à murorum vigiliis. Ergo de aliis muneribus non ita vrgentibus manet excusatus. Adde, neque ad murorum vigilias cogi potest ab alio, quàm à proprio Episcopo, seu superiore. Vide Suar. *lib. 4. de immunit. c. 22. à num. 7.* Azor. *2 part. instit. moral. lib 8. c. 10. vers. tertium priuilegium.*

12 Quarta dubitatio grauis in hac materia est an hæc exemptio à tributis competat omnibus Clericis? Dicendum est primo, Clericos coniugatos, & iuxta concilium Trident. priuilegio fori, & canonis gaudentes nequaquam exemptos esse à gabellis, & tributis: sed in hac parte vt laicos reputandos esse; quia solùm illis conceditur priuilegium fori in criminalibus, vt constat ex *cap. vnico de clericis coniugat. in 6.* & tradit ibi glossa ab omnibus recepta, Couarruu. *pract. quæst. cap. 31. num. 9.* & Azor. *1. part. lib. 13. cap. vltim. quæst. fin.* Thom. Sanch. *lib. 7. disput. 46. num. 16.* Matienzo *leg. 11. glossa 1. num. 4. tit 4. lib. 5. recopil.* & habetur expressè *leg. 2. tit. 4. lib. 1. nouæ recop.*

13 Dico secundo spectato iure communi, Clericos in sactis constitutos, & in minoribus seruantes conditiones à concilio requisitas, vt priuilegio fori gaudeant, immunes esse à tributis; quia omnibus Clericis generaliter hæc immunitas est concessa in *cap. quanquam. de Censib. in. 6. cap. non. minus. cap aduersus de Immunit. Eccles.* & tradunt pluribus aliis relatis Couarruu. *pract. quæst. cap. 31. num. 9.* Matienzo *d. leg. 11. glossa 1. num. 4.* Mol. *tract 3. disp. 671. num. 5.* Aug. Barbosa *de potest. Episcop. 2. part alleg. 13. num. 1.*

14 Dico tertio spectato iure Regio Castellæ, & Lusitaniæ, Clerici in minoribus constituti carentes beneficio Ecclesiastico, tametsi requisita à concilio præstent, exempti non sunt à tributis, aliisque oneribus: habetur *leg. 2. tit. 4. lib. 1. compilat.* ibi. *Los clerigos de corona, y menores ordenes, que conforme al decreto del sacro concilio, y a la ley antes desta pueden gozar del priuilegio del fuero, se haya, y se estienda tan solamente quanto al priuilegio del fuero en las causas criminales: Pero en todo lo demas asi en el pechar, como en el pagar alcauala y en todas las otras cosas no sean exemptos, ni gozen de priuilegio, y paguen, y contribuyan como los legos, y en esto, y en todo lo demas sean auidos por tales. Salvo los no casados, que actualmente tuuieren beneficio Ecclesiastico.* Idem statutum est in Lusitaniæ regno, *lib. 2. tit. 11 in prine.* & tradunt Gutierr. *lib. 1. pract quæst. 8. & de gabellis. quæst 91.* Felin. *de censibus. lib. 2. cap fin. num. 13.* Barbosa. *2. part. de potest. Episc. alleg. 13. num. 2.* Mol. *tractat. 2. de iustit. disp. 671. in fine.* Hæ tamen leges tacitam, vel expressam dispensationem à Pontifice supponunt; alias inualidæ essent, cum expressè contradicant exemptioni Clericis concessæ, in *supra d. cap quamuis de Censibus. in 6. cap. Non minus. cap aduersus de immunit. Eccles. & alias*; vt benè docet Suar. *lib. 4. de immunit. cap. 27. n. 16.* Molina, & Barbosa, *supra.* Et hanc dispensationem expressam esse pro Lusitaniæ regno probat Barbosa *2 part. de potest. Episc. alleg 13. num. 5.* & pro Castellæ regno tacitam esse defendit Mol. *supra.*

15 Dico

15 Dico quarto, Clerici negotiatores non sunt immunes à tributis ex rebus per negotiationem acquisitis ex expresso text. in *cap. quanquam, de Censibus, in 6.* & tradunt omnes. Neque ad contrahendum hoc debitum requiritur trina monitio, de qua fit mentio in *cap. vltim. de vita, & honest. clericor.* Hæc enim monitio expostulatur, vt clericus priuilegio clericali exemptionis à tributis priuetur. Quocirca facta hac trina monitione; si à negotiatione non desistat, priuatus manet exemptione à tributis, & tanquam laicus hac in parte habendus est: sic Gregor. Lop. *leg. 49. tit. 6. part. 1.* Mol. Theolog. *tractat. 2. disp. 342. vers. sunt. vero nonnulla.*

16 Solùm est dubium, quando verè dicatur Clericus negociari? Et quidem si rem emat, vt eam immutatam vendat, non est dubium esse negotiationem, & ex illa tributum deberi. At sæpè res empta, mutata venditur, & tunc est difficultas; quando censenda sit negotiatio, & tributum ex illa debeatur? Et omissis aliis dicendi modis respondeo, illam esse negotiationem Clericis prohibitam, & quæ debitum tributi habet annexum, in qua lucrum intenditur ex emptione prius facta, secùs si lucrum non ex emptione formaliter, sed aliunde proueniat. Exemplis explico. Primo, negociator non es, si vendas vinum, triticum, oleum ex reditibus tui beneficij, aut ex tuis possessionibus patrimonialibus collecta: quia illi non sunt fructus emptionis, sed tuarum possessionum. Greg. Lop. *l. 46. verbo las franquezas, tit. 6 part. 1.* Mol. *tractat. 2. de iustit. disput. 342. versic. idem dicerem.* August. Barbosa *de potest. Episc. 2. par. alleg. 13. num. 10.* Secundo non es negotiator, si ex emptis ad tui, tuorumque sustentationem aliquid supersit, illudque carius vendas, quam emisti; quia ad negotiationem requiritur, vt prior emptio facta fuerit ex animo reuendendi. Adde negotiationem Clericis esse prohibitam: at hæc venditio prohibita non est, Si quidem omnes timoratæ conscientiæ eam frequenter faciunt. Alias cogerentur Clerici, & religiosi res emptas sæpe perdere, si eas, cum sibi vtiles non sunt, non liceret alienare. Non ergo hæc alienatio speciem habet negotiationis. Riccius *praxi resolut. 317. num. 10.* August. Barbosa. *2. p. de potest. Episc. alleg. 13. num. 11.* Mol. Theol. *disp. 342. vers. secunda concl.* Tertiò negotiator non es si emas animalia, vt ea pascas in propriis prædiis, & cum pinguia facta fuerint, ea, eorumque partus vendas. Item si emas mulam, vt cum creuerit, & simul inseruierit, cariùs vendas; quia illud augmentum non est fructus prioris emptionis, sed naturæ, tuarumque possessionum. Sic Mol. *d. disput. 342. concl. 5.* Barbosa *alleg. 13. num. 11.* Carol. de Grassis *de effectib. cleric. effectu 6. num. 18.*

Econtra negotiatores, si vuas emas, & per ministros conductos vinum ex illis efficias, & postea vendas. Et idem est, si lanam emeris, vt ex illa per ministros conductos pannos efficeres, & postea venderes. Idem si emeres solam venam ferri, vt per ministros conductos ferrum efficeres, & venderes. Quia in his casibus nihil aliud vendis, nisi quod priùs emeris, & fructus est emptionis, non naturæ, aut tuæ industriæ. Nam esto res vendita sit in aliam formam mutata, illa mutatio facta est à ministris conductis, ac proinde fructus est emptionis, laboris, ministrorum. Ergo est negotiatio. Ita Mol. *d. disputat. 342. vers. secundum est* &c. Secus vero diceriem, si supradicta emeres, vt ipsi, tuique familiares vinum, lanam, ferrum, & alia huiusmodi effecta postea venderentur, quia tunc non venditur formaliter quod emptum est, sed quod propria industria est effectum, sic Mol. *concl. 5.* Secundo negotiator censeris, si domum, agrum, iumentum, aliamve rem emas ad locandum. Quia per illam locationem quasi partialiter vendis rem prius emptam: colligitur ex *cap. 1. & 3. 21. quæst. 3. & cap. 1. Ne clerici, vel monachi:* & tradit Mol. *d. disput. 342. concl. 5.* Barbosa *2. part. de potest. Episc. alleg. 13. num 13.* Tertio negotiator es, & tributum debes, si agrum conducas, vt fructus ex illo collectos vendas. Nam esto fructus inde collecti ad te pertineant; quia ex semine tuo nascuntur, & fructus sint tui seminis, & industriæ; tamen quia hæc conductio auaritiam, & negotiationem redolet; ea de causa à iure Clericis est interdicta, & ex illa tanquam ex interdicta negotiatione tributum debetur, sic Mol. *d. disputat. 342. vers. idem dicerem.* Barbosa *num. 12.* Gutierr. *de gabellis, quæst. 63. num. 68. & 72.* & constat ex *d. cap. 1. & 3. 21. quæst. 3. & cap 1. Ne clerici, vel monachi.*

Aduerto te non dici negotiatorem ex vnica tantum emptione, aut venditione, sed ad minus duas, vel tres requiri, quia hoc delictum petit frequentiam: sic Salzedo *pract. cap. 55. vers. & huius capitis.* Carolus de Grass. *de effectib. cleric. effectu 6. num. 19.* Zenedo *1. part. de potest. Episc. alleg. 13. n. 11.*

17 Dico quinto. Omnes religiosi, qui tria vota in religione approbata emiserint, esto vota illa non fuerint solemnia, sed simplicia (vt contingit in nostra Societate) & omnes ipsius religionis nouitij, exempti sunt à tributis, non soiùm personalibus, sed etiam realibus, ita vt si aliqua ex propriis bonis vendiderint, Alcauala non debent: sic optimè tradit Mol. Theolog. *de iustit. tractat. 2. disput. 671. num. 2.* Et ratio est manifesta. Tum quia nouitius pars est religionis, cuius persona, & bona vtpote Ecclesiastica sunt à tributis exempta. Tum quia nouitius inter personas Ecclesiasticas enumeratur ex *cap. religioso. §. 1. de sentent. excommunicat. in 6. & ibi glossa, & communiter doctores.* Tum quia gaudet priuilegio canonis, & fori. Ergo etiam priuilegio exemptionis à tributis, cum nullibi contrarium caueatur.

18 Dico sexto. Equites militares ex ordinibus S. Benedicti, D. Iacobi, Augustini & similium exempti sunt à tributis, & gabellis. Tum quia inter personas Ecclesiasticas reputantur, vt fori priuilegio gaudeant. Tum quia expresse habetur. *leg. 9. tit. 18. lib. 9. nouæ comp lat.* & apud Lusitanos. *lib. 2. ordin regn tom. 11. §. vlt.* & tradit Nauarr. *consil. 23. de Regularibus.* Menoch. *controuers. illustr. cap. 105. num. 45.* Bobadilla *in sua polit. lib. 2. c. 18. num. 264.* Couarr. *de gabellis quæst. 95. à n. 12.* Barbosa *2. part. de potest. Episcop. alleg. 31. num. 14 & 15.* extendit hoc priuilegium ad vxores viduas horum militum in Lusitaniæ regno.

PVNCTVM X.

Quæ culpa sit violatio supradictæ immunitatis, & quæ pœna violantibus sit imposita.

1 *Culpa est mortalis sacrilegij.*
2 *Omnia acta sunt nulla, tributa exacta debent restitui, & exigentes, & quomodolibet auxiliantes excommunicantur bulla cœnæ Domini.*

1 NOn est dubium culpam esse mortalem, tùm sacrilegij aduersus personas Ecclesiasticas, & obiectum intuitu religionis prohibitum. Tum iniustitiæ, aduersus ius debitum ipsis Ecclesiasticis personis, culpam inquam esse mortalem cuiuscunque immunitatis Ecclesiasticæ violationem, quia est res grauissima, & quæ toti ordini Ecclesiastico præiudicat, eaque de causa grauissimis pœnis violantes afficiuntur.

2 Primo omnia acta contra supradictam immunitatem irrita sunt, & nulla, vtpotè quæ procedunt ab eo, qui iurisdictione caret, tametsi nulla appellatio vel oppositio interponatur: sic omnes doctores statim referendi. Hinc fit si Clericus conueniatur coram iudice laico, etiamsi exceptionem non opponat, omnia ibi acta irrita esse. *Authent. statuimus. C. de Episcop. & cleric. cap. aduersus de immunit. Ecclesiar. cap. seculares de foro compet. in 6.* & tradit, alios referens; Couarr. *pract. cap 33. num 2.* Salzedo *pract. cap 62. num 2. & 3.* Farinac. *tit. de inquisit. quæst. 8. numero 15.* Secundo fit, si exigatur tributum à Clerico, & Clericus soluat, debere restitui, vtpote sine vlla iurisdictione exactum. Tertio in bulla cœnæ, *clausula 17.* imponentes, exigentes tributum, aut quomodolibet auxilium præstantes excommunicantur, vt late ibidem explicauimus. & tradit Mol. Theol. *tract. 2. de iust. disput. 670.*

PVNCTVM XI.

An renunciatione hoc priuilegium Clericis concessum amitti possit?

1 *Nullus Clericus neque tacite, neque expresse huic priuilegio renunciare potest.*
2 *Neque eius renunciatio valida est, etiamsi iuramento firmetur.*
3 *Neque valet, esto consentiat Episcopus.*
4 *A nulla communitate Ecclesiastica derogari potest.*
5 *Neque à Concilio, neque à Pontifice totum hoc priuilegium potest renunciari.*
6 *Si Clericus se laicum fingit, non obinde confessio eius apud iudicem secularem valet.*
7 *Iudex secularis sic clericum condemnans potest reuocare sententiam sub pretextu incompetentiæ.*
8 *Clericus citatus coram iudice laico, & omittens opponere declinatoriam, debet puniri.*

1 REgula certa est nullum Clericum neque tacitè, neque expresse posse priuilegio fori renunciare *cap. si diligenti de foro compet. cap. cum non ab homine; cap. at si clerici de iudicii. cap. cum contingat de sentent. excommunicat. & alijs.* Et ratio est clara: quia hoc priuilegium concessum est Clericis ratione clericalis dignitatis. Ergo Clericus retinens clericalem dignitatem priuilegium repellere non potest. Adde, nemini datum est renunciare priuilegio, cuius recunciatio cedit in publicum damnum. At huius renunciatio cedit in publicum damnum, scilicet in præiudicium totius ordinis clericalis. Ergo: sic post alios antiquiores Couarr. *pract. c. 33. sub. n. 2.* Anton. Gom. *var. resol. tit. 3. c. 10. n. 3.* Farinac. *lib. 1. tit. de inquisit. q. 8. n. 10.* Suar. *lib. 4. de immunit. c. 31. n. 1.*

2 Amplianda est primo hæc regula, esto renunciatio iuramento firmetur: quia est sacrilegum iuramentum, vt pote de re illicita, & quæ in potestate renunciantis sita non est. Suar. *d. c. 31. n. 1.* Farinac. *supra.* Scaccia *de iudic. lib. 1. c. 11. n. 35. & 36.* & habetur expresse *c. si diligenti de foro compet.*

3 Secundò amplia etiam consentiente Episcopo. Nam ea quæ à iure communi statuta sunt, Episcopus non valet immutare, sed

sed hoc priuilegium ita est concessum cuilibet Clerico, vt simul etiam ei præcipiatur, ne contra illud agat. Ergo aduersus hoc ius nullus Episcopus procedere potest, sic glossa, *cap. significasti. de foro compet. per text. in cap. qualiter, & quando de iudiciis.* Suar. *d.c.31. n.4.* Sigismund. Scaccia *de iudic. lib.1. c.11. n.28.* Farinac. *lib.1. q.8. n.13.* Et licèt in aliquibus iuribus antiquis videatur significari posse ex consensu Episcopi huic priuilegio renunciari. *cap. clericus.1. & 2. 11. q.1.* iam in *cap si diligenti de foro compet.* declaratum est id esse illicitum, vt benè tradit glossa *in cap. qualiter de iudiciis.* Ex consensu tamen Pontificis optimè potest Clericus huic priuilegio renunciare; quia ipsi datum est, prout sibi expediens videbitur, priuilegium hoc restringere tam quoad personas, quàm quoad causas, & fauet *cap.2. de foro compet.* & tradit Suar. *d.cap.31. num.8.*

4 Tertio amplia. Hoc priuilegium à nulla communitate Ecclesiastica derogari potest; quia in totius ordinis, & status clericalis honorem est concessum: & constat ex *cap. si diligenti de foro competenti:* eædem enim rationes, quæ procedunt de quolibet Clerico, procedunt etiam de qualibet speciali ciuitate: & notauit Suar. *d. cap 31. num.10.*

5 Amplia, neque à Concilio generali, neque à Pontifice totum hoc priuilegium renunciari potest. Quia nulla excogitari potest rationabilis causa huius renunciationis, & derogationis. Dices esto id illicite fieret, si tamen fiat, factum tenere. Respondeo cum sit contra bonum regimen Ecclesiæ, nunquam est credendum Spiritum sanctum permissurum, vt Pontifex cum Ecclesia ita erret. Deinde hoc priuilegium non solum datum est à Pontifice Clericis, sed etiam ab ipsis Principibus secularibus, quam donationem Ecclesia nomine Christi acceptauit. Ergo sine consensu Christi non videtur posse hanc repudiare donationem: nunquam autem censetur Christus consentire in hac præiudiciali renunciatione. Ergo sic. Suar. *à numero 10 & seqq.*

6 Ex his infertur, si quis Clericus se fingat laicum, non ob id confessio eius apud iudicem secularem tenet, sed prorsus est nulla, tanquam facta coram iudice incompetente: *cap. etsi clericus de iudiciis.* Salzedo *cap.62. sua pract. num.4.* Decian. *tract. crim. tom.1. lib.4. cap.9. n.114.* Idem est, si permittat se condemnari, condemnario facta nulla est. Et generaliter quidquid fit contra Clericum, à iudice laico, est prorsus nullum, rametsi nulla oppositio, neque declinatoria fiat: tradit Salzedo *pract. c.62. n.2. & 3.* Decius *n.115.* Couarr. *pract. c.31. n.2.* Farin. *q.8. n.15.*

7 Secundò infero posse iudicem secularem sic condemnantem Clericum, sententiam reuocare sub prærextu incompetentiæ ex *leg. si præses C. quomodo & quando iudex, & in leg. 4. C. de accusat.* & tradit Decian. *d. lib.4. cap.9. num.115.* Farinac. *quæst.8. num.15.*

8 Tertio infero Clericum citatum coram iudice laico, & omittentem opponere exceptionem, & declinatoriam, arbitrio iudicis, pœnæ extraordinaria puniendum esse, vtpote iuris transgressorem. Sigismund. Scaccia *de iudic. lib.1. cap.11. num.46.* Farinac. *quæst.8. num 10. & 12.* Secundò debet in expensis condemnari: cum enim omnia acta sint ipso iure nulla, & expensas in eis factas excusare facilè possit, meritò condemnari debet, vt eas soluat, si de facto non excusauit: sic Couarr. *quæst. pract c.31. n.2. vers. clericus vero.* Salzedo *pract. c.62. n.6.* Farinac. *quæst.8. num.16.* Sigismund. Scaccia *cap.11. num.46.* Aduerto tamen has conditiones non à sæculari, sed ab Ecclesiastico iudice faciendas esse. Nam cum solus Ecclesiasticus iudex possit de causa principali Clerici cognoscere, solus ipse poterit de ei annexis: *cap. tuam de ordine cognit. cap. si iudex laicus de sentent. excommunicat. in 6.* & tradit aliis relatis Couarruu. *pract. quæst. cap.33. num.2. vers. clericus vero.* Farinac. *q.8 n.16 & 17.* quamuis contra teneat Ioan. Gutierr. *lib.1. pract. quæst. super leges regni. quæst.20. num.4.*

Punctum XII.

An consuetudine priuilegium immunitatis amitti, aut diminui possit.

1 *Certum est in totum amitti non posse.*
2 *Plures censent consuetudine diminui posse.*
3 *Probabilius est oppositum.*
4 *Satisfit oppositis rationibus.*
5 *An sæcularis iudex possit titulo violentiæ impediendæ causas Ecclesiasticas iudicare.*

1 CErtum est in totum amitti non posse. Quia consuetudo non habet efficaciores vires, quam habet lex, sed nulla lex etiam à Pontifice lata potest immunitatem Ecclesiasticam integrè derogare, vt nuper dictum est. Ergo neque consuetudo: & ita omnes doctores sentiunt. Quapropter solùm de diminutione huius immunitatis est difficultas, an consuetudo fieri possit?

2 Affirmant grauissimi doctores. Couarruu. *pract. quæst. cap. 31. num. 5. vers. quam ob rem. & cap. 35. n. 3.* Nauarr. *summ. cap.27. num.70.* Villalob. *in commun. opinio. verbo clericus, n.80.* Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars II.

in fine. Clarus *in pract. crim. quæst.36. vers. sed ea retenta.* Farinac. *titul. de inquisit. quæst. 8. num.3 fine.* Ioann. Garcia. *de nob. lit. glossa 9. num.44 & seqq* & alij plures. Mouentur primo. Quia consuetudine introduci potest, quod potest introduci lege, & priuilegio, sed lege, & priuilegio introduci potest, vt laici causas aliquas Ecclesiast eorum cognoscant, vt benè probat Decian. *tractat. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 66. 70. & 76.* Ergo etiam consuetudine. Secundo de facto in regno Castellæ, & Lusitaniæ, & Galliæ iudices sæculares cognoscunt de causis pluribus Ecclesiasticis. v. g de possessoria causa, de violentia facta à iudice Ecclesiastico. Tum in neganda appellatione, cum debebat illam concedere, tum in vsurpanda iurisdictione, quæ sibi non competit. At non est credendum tot iudices Apostolicæ sedis filios, & catholicos hæc omnia facturos, si libertatem Ecclesiasticam violarent, & sacris canonibus contrairent. Ergo dicendum est consuetudine illis traditam esse iurisdictionem. Item comprehendunt Clericum in graui delicto inuentum, & ab eo, qui arma portat, eripiunt, nec ea ipsi reddunt, & in officio sæculari delinquentes vitiant, & pœnis pecuniariis, & officij depositione priuant. Ergo.

3 Nihilominus dicendum est ex vi consuetudinis nequaquam posse immunitatis priuilegium diminui. Quia vt consuetudo diminuat legem, debet introduci ab iis, qui legem condere possunt; vt latè diximus *tract. de legib. disp. de consuetud.* Sed legem immunitati Ecclesiasticæ derogantem nullus alius à summo Pontifice, aut de eius consensu statuere potest, ergo neque consuetudinem introducere. Dices tacitè consentire Pontificem in hac derogatione, cum permittit, vt iudices sæculares vocent Clericos ad sua tribunalia, & ibi vocati respondeant: sic multis allegatis probat Salzedo *pract. crim. cap* 102. Sed contra, quia longè abest Pontifex ab hoc consensu, cum quotannis in bulla cœnæ *clausula* 14. *& seqq.* eos iudices excommunicationi subiiciat. Item ibi abrogat omnes consuetudines immunitati derogantes. Ergo non censetur Pontifex tacitè consentire in tali abrogatione. Ergo non potest consuetudo vim habere: & ita late defendit Azor. *tom.1. instit. moral. lib 5. cap.12. circa medium vers. sed dubitari posset.* Suar. *lib.4 de immunit. cap.31. à num.14.*

4 Neque obstant rationes contrariæ. Ad primum concedo consuetudine introduci posse, quod potest introduci lege, & priuilegio: dummodo consuetudo introducatur ab his, qui legem, & priuilegium facere possunt. At cum laici nullam legem, aut priuilegium derogans immunitati facere possint vt de se constat; nulla consuetudine ab ipsis introducta obtinere possunt Ecclesiasticarum causarum cognitionem. Ad secundum respondent aliqui non in vi consuetudinis, sed priuilegij à Pontifice concessi hanc sæculares iudices vsurpare cognitionem, & licet hoc priuilegium non appareat, credendum est fuisse concessum; quia immemorialis consuetudo signum est à priuilegio incœpisse, quia alia via honesta esse non potest: præsumere autem immemorialem consuetudinem turpem esse, & illicitam durum est: sic docet de hoc regno Bannes *2. 2. quæst. 67. art 1 dub.2. concl.6.* & de Gallia Menoch. *de retinen. possess. rem. 3. num. 354.* Rebuf. *in comm. ad constit. Gallia tom. 3. tit. de appellat. tanquam abusu, num. 14. & in concord.* Addunt deinde hanc cognitionem non tam ex priuilegio, quam ex iure ipso naturali illis iudicibus competere: cum enim ipsis datum sit subditos suos defendere, & rem publicam à violentiis præseruare; efficitur sanè posse ob violentiam repellendam hanc cognitionem vsurpare. Quod si obiicias Pontificem in bulla cœnæ excommunicare iudices, & magistratus, qui prætextu violentiæ impediendæ ad sua tribunalia Clericos aduocant, & de causis Ecclesiasticis iudicant. Respondent id esse verum, si prætextu, hoc est, simulatione violentiæ impediendæ fiat. Secùs si vero titulo violentiæ impediendæ factum sit. Ad confirmationem respondent iudices sæculares Clericum comprehendere, & arma eius eripere, non titulo iurisdictionis in clericum, sed nomine sui Prælati, & ex illius generali commissione: quia hæc commissio rectæ gubernationi videtur conuenire. Idem dicunt de visitatione, & punitione, quam Rex facit in suos ministros & consiliarios; nomine enim Pontificis creditur hæc iurisdictio exerceri: aliàs non apparet, qua ratione possint à iudicibus sæcularibus coërceri, iudicari, & puniri: cum tamen de facto sæpe pœna pecuniaria, priuatione officij, & exilio à curia Principis condemnentur: vt aliis relatis probat Suar. *lib. 4. de immunit. Ecclesiast. cap. 34. num. 26.* Fateor tamen supradictam doctrinam non leuem difficultatem habere. Nam quod dicitur de priuilegio, non est ita facilè præsumendum: cum sit priuilegium odiosum & immunitati Ecclesiasticæ derogatiuum. Et admisso fuisse aliquando concessum videtur reuocari tum Trident. *decreto sess.25 cap 3.* tum bullæ cœnæ *clausul. 19. & vlt.* vbi quælibet priuilegia quibuslibet personis concessa, etiam in vi contractus, & remunerationis reuocantur. Adde non constare, an hoc priuilegium Regibus concessum sit in vi contractus, & remunerationis, vt simpliciter derogatum non censeatur.

5 Maiorem item difficultatem habet doctrina illa de violentia impedienda. Nam ad illius veritatem necessarium est, vt clara

sit violentia, quod tamen in præsenti non contingit: non enim iudices sæculares sciunt Prælatum violentiam facere subdito litiganti negando appellationem, vel terminos probatorios, quos postulat, & alia huiusmodi, quousque processum examinant, & acta cognoscunt. Ergo prius vsurpant cognitionem causæ spiritualis, quam illis de violentia constet. Ergo non titulo defensionis procedere possunt. Item qui titulo defensionis procedit facto ipso violentiam repellit, non iudiciali strepitu, & veritatis indagatione, quia defensio non est iurisdictionis actus in subditum, sed exequutio iuris à natura concessi cuilibet homini, vt alterum defendat. At iudices sæculares causas ad se aduocando, & processus examinando, non facto sed iudiciali strepitu, & iurisdictione exercita violentiam repellunt, si aliqua inest. Ergo illis non licet hoc modo Clericum defendere. Item. Ecclesiasticis iudicibus non est concessum laïcum querelantem de suo iudice ad iudicium vocare, ibique examinare processum, & iniuriam, si fortè appareat, emendare, quia, nemini datum est alienam iurisdictionem vsurpare, & in alienis causis se immiscere. Ergo sæcularibus iudicibus hoc datum esse non potest. Minorem enim potestatem habent iudices sæculares ad corrigendos defectus iudicum Ecclesiasticorum, quam è contra; imò potiùs iudex Ecclesiasticus potestatem videtur habere corrigendi delicta suorum subditorum ex *cap. ex tenore de foro compet. cap. Nouit de iudiciis.* At iudex sæcularis in Ecclesiasticum potestatem non habet. Sit ergo certum ex titulo defensionis non posse Regem, & magistratum hanc causarum cognitionem vsurpare. Restat ergo, vt solo priuilegij titulo id fieri possit, quod an sit, & an per bullam cœnæ sit sufficienter reuocatum aliis decidendum committo.

Punctum XIII.

An Ecclesiastici iudices laïcos iudicare possint, & in quibus causis.

1 *Multiplex est causa spiritualis.*
2 *In causis omnino spiritualibus Ecclesiastici sunt iudices laïcorum.*
3 *Committentes crimen hæresis, & simoniæ Ecclesiastico iudici subduntur.*
4 *Causa matrimonialis coram Ecclesiastico iudice tantum decidenda est.*
5 *Causæ temporales, & spirituales à iudice Ecclesiastico, & sæculari decidi possunt.*
6 *Causæ temporales, & profanæ possunt à iudice Ecclesiastico tractari, si aliqua qualitate religionis afficiantur.*

1 HVcusque egimus de immunitate Ecclesiasticorum à foro sæculari, ex qua immunitate satis colligitur, quanta debent reuerentia Ecclesiasticæ personæ coli, & obseruari. Vt autem hæc reuerentia augeatur, videndum est, an possint laïcos, siue in causis ciuilibus, siue in criminalibus ad suum tribunal vocare, & quando hoc possint.

Pro cuius decisione præmittendum est alias esse causas ita spirituales, vt nequaquam in laïcos cadere possint, quales sunt ordinum collatio, beneficiorum electio, gubernatio, possessio, sacramentorum administratio, & similia. Et de his non est dubium ad Ecclesiasticum priuatiuè quoad sæcularem pertinere. Aliæ sunt causæ spirituales, quæ licet in laïcum cadant, earum cognitio non ad laïcum pertinet. Hæ sunt hæresis, simonia, excommunicatio, interdictum festorum, ieiuniorumque transgressio, & similium: quia hæ causæ ortum habent ex aliquo, quod solùm ad Ecclesiam pertinet, nempe fidei sacramentum, ieiunij, & festi præceptum. Aliæ verò causæ ita sunt spirituales, vt simul etiam temporales dici possint, & ita sunt Ecclesiasticæ, vt simul etiam sæculares nuncupentur. Hæ sunt quæ ortum habent, tum ex fundamento Ecclesiastico, tum ex fundamento ciuili, & naturali, v.g. furtum in Ecclesia, percussio Clerici, fornicatio cum consanguinea, &c. Hæc enim omnia contra legem ciuilem, & naturalem sunt, qua parte sunt contra iusticiam, vel temperantiam, & simul etiam contra legem Ecclesiasticam, qua parte sunt incestus, vel sacrilegium.

2 Dicendum ergo est in causis omnino spiritualibus, quæ ex solo spirituali, & Ecclesiastico fundamento ortum habent, Ecclesiasticos esse iudices laïcorum priuatiuè quoad sæculares, *cap. tuam de ordine cognit. cap. causam quæ. Qui filij sint legitimi, cap. decernimus. cap. quanto de iudiciis*, & tradunt omnes.

3 Ex his infertur committentes crimen hæresis, simoniæ, & quod horum suspicionem causat ab Ecclesiastico iudice esse iudicandos, quia hæc crimina solum rei Ecclesiasticæ, scilicet fidei, & religioni aduersantur: sic aliis relatis tradit Farin. *q.* 8. *pract. n.* 127. vbi concludit, contrahentem binas nuptias, si de hæresi suspectus sit (vt verè est suspectus) coram iudice Ecclesiastico & non sæculari conueniendum esse; & ita practicatur.

4 Secundò infero causas matrimoniales coram iudice Ecclesiastico tantùm decidendas esse *c. multorum 35. q. 6. c. accedentibus, de excessibus Prælat. c. tua. de procur. & alijs*, quia sunt res omnino spirituales. Vnde si lis suborta sit, an matrimonium fuerit validum, an legitimè contractum, an coniuges separandi sint ob fornicationem, adulterium, sæuitiam, lepram, &c. causa agitanda est coram iudice Ecclesiastico tantum; quia est causa spiritualis ex sola Ecclesia ortum habens; & probat text. in *cap. tua. de procurator.* Quod non solùm verum habet, quando directè de hac causa matrimoniali agitur, sed etiam quando incidenter occurrit quæstio, ex *c. tuam. de Ord. cognit. c. lator, & ibi Doctores. Qui filij sint legitimi. cap. si iudex laicus. de sent. excommunicat. in 6.* Quapropter si agitetur lis de hæreditaria successione coram iudice sæculari, & suboriatur dubium, an verum matrimonium contraxeris, vel an matrimonium ex quo natus sis, verum fuerit, quæstio illa ad iudicem Ecclesiasticum remittenda est, & ab eo integrè decidenda, ex dicto textu in *c. tuam. de Ord. cognit.* Et ratio est clara; quia tunc de re omnino spirituali tractatur: Cou. *in epit. de sponsalib. c.* 3. §. 3. *n.* 4. Farinac. *q.* 8. *num.* 144. Secùs vero est, si non incidat quæstio iuris, sed facti, v.g. an tu natus fueris ex illo matrimonio; quia hoc quid temporale est. Couar. *in epit. de sponsalib. c.* 8. §. 12. *n.* 3. Arnold. Albertin. *tract. de agnoscend. assert. cathol. & hæret. q.* 25. *n.* 51. Farin. *q.* 8. *n.* 150. limitat autem Albert. *d. q.* 25 *n.* 51. doctrinam, vt procedat, cum causa matrimonialis inter coniuges agitatur. Secus verò si inter vnum coniugem, & eius filium vel inter filium, & extraneum agitetur, cui limitationi Farinac. *n.* 150. videtur consentire; eò quod causa agitata inter alios, quam inter coniuges matrimonij non lædit. At mihi hæc limitatio non probatur. Nam esto causæ matrimoniali non præiudicet, præiudicat tamen iudicio illius, quod debet esse Ecclesiasticum, vtpote de re Ecclesiastica & omnino spirituali: & ita sentire videtur Couarru. *d. cap.* 3. §. 3. *n.* 4.

5 Dico secundo. Causæ, quæ simul temporales, & spirituales sunt, quæque mixti fori vocantur, tam à iudice Ecclesiastico, quam sæculari decidi possunt; ab illo inquam sunt decidendæ, qui in causæ cognitione præuenit: sic omnes. Ex quo fit crimen blasphemiæ, sodomiæ, incestus, adulterij, stupri, concubinatus, sacrilegij, sortilegij, à iudice Ecclesiastico, tametsi à laïco fuerit commissum, iudicari potuerit, modo præueniat; tradit Farin. sigillatim. *q.* 8. *an.* 128. Bobad. *polit. lib.* 2. *c.* 17. *fere per totum.* Quia hæc crimina & iure canonico, & naturali, & ciuili prohibentur.

6 Dico tertio. Causæ temporales, & profanæ laïcorum tunc à iudice Ecclesiastico tractari possunt, quando qualitate aliqua religionis afficiuntur, vt contingit in contractibus iuratis; ratione enim iuramenti efficiuntur Ecclesiastici fori, quæ solum erant sæcularis, *cap. licet mulieres, de iureiurando in 6. Ove. §. de foro compet. eod lib.* 6. & vtrobique glossa & Doctores. Hæc tamen obligatio iuramenti, cum sit personalis non transit ad hæredes, tametsi contractus ad hæredes transeat. Vnde hæres laïcus conueniri non potest coram Ecclesiastico, vt contractum iuratum antecessoris impleat, nisi in duplici casu. Primo cum imploratur officium iudicis Ecclesiastici, vt hæres exoneret animam defuncti exequendo illius obligationes: iuxta text. in *c. §. de Sepult.* Secundò cum iudicium cœptum est coram Ecclesiastico contra iurantem: tunc enim hæres tenetur iudicio cœpto stare, & ibi litem perficere: sic aliis relatis docet Farinac. *quæst.* 8. *n.* 141. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 17. *n.* 52.

Punctum XIV.

Qua ratione res Ecclesiasticæ immunitate locationis gaudeant.

1 *Ad longum tempus res Ecclesiæ locari non possunt.*
2 *Vltra triennium res Ecclesiæ locari non possunt; attenta Extrauag.* Ambitiosæ.
3 *Quod procedit, etiam si loces ad sex annos, adiecta clausula, vt tot sint locationes, quot sunt triennia.*
4 *Si ante triennium finitum renoues locationem, sub distinctione respondetur.*
5 *Triennium non temporis, sed fructuum computandum est.*
6 *Facta locatione vltra triennium manet firma pro triennio, & nulla, qua parte excedit, ex probabili sententia.*
7 *Probabilius est inualidam esse ex toto.*
8 *Fit satis rationibus prioris sententiæ.*
9 *Mandatum ad locandum potest extendi vltra triennium.*
10 *Prælatus potest sua constitutione triennium concessum limitare.*
11 *Hæc prohibitio locationis extenditur ad bona immobilia, & mobilia pretiosa Ecclesiarum, monasteriorum.*
12 *Fructus, & prouentus beneficiati, quorumque ipse habet dominium, pro libito alienare potest, tametsi alij contra sentiant.*
13 *Magna est differentia inter bona hæc, & bona Ecclesiastica.*

1 SCiendum est res Ecclesiæ ad longum tempus locari non posse: habetur expressè *clem.* 1. *de rebus Eccles. non alienand. & cap. nulli eodem tit.* quia hæc diuturna locatio, reputatur alienatio, quæ in rebus Ecclesiæ omnino est prohibita, eò quod

quod per ipsam vtile dominium in conductorem transfertur: ex *l.1.§. quod autem ff. de superficieb.* ibi, *& sine causa cognitari, qui non ad modicum tempus conduxit superficiem, in rem actio competit*: sic aliis relatis Couarru. *lib. 2. var. cap. 16. num. 1.* Vasquez *in opusc. de reditibus cap.2. §. 2. num. 21. & seq.* Mol. iurista *lib. 1. de primogen. cap. 21. num. 18.* alter Mol. Theolog. *tract. 2. de iustit. disp. 466. vers. de alio.* Spectato iure antiquo longum tempus reputatur in præsenti decennium; quia septennium pro modico tempore sumitur. *cap. vlt. Ne Prælati vices suas: & clem. 1. de rebus Eccles. non alien.* & tradunt Couarru. & Vasquez vterque Mol. *supra.* Ex quo fit absolutè inualidam esse locationem factam rerum Ecclesiæ ad vitam locantis, vel conducentis: quia hæc locatio ex natura sua longi temporis durationi subiicitur, ex *d. clem. 1. de rebus Ecclesiæ, &* ibi glossa, Couar. *d. cap. 16. num. 3.* Vasquez *num. 23.* Mol. *de primog. n. 29.* Addit tamen Couarr. tametsi dubitanter, hanc locationem ad vitam alicuius sustineri posse, si vero simili coniectura putetur longo tempore non esse victurum, iuxta considerationem, & computationem. *l. Hæreditatum. ff. ad l. Falcidiam.* At mihi verius apparet, nequaquam valere: tradit Mol. *supra.* Nam cum semper contingens sit vitam illam longo tempore protrahendam esse, & locatio pro vita illius extendatur, efficitur sanè extendi saltem sub dubio, & contingentia pro longo tempore, quod nullo modo licet. Et confirmo. Ponamus vitam illam decennio durare, in tali casu locatio non subsistit, vt benè notauit Vasq. *num. 23.* Alias dicendum esset validam esse locationem factam pro longo tempore, contra expressam decisionem text. in *cap. Nulli: & clem. 1. de Rebus Eccles. non alienand.* At quælibet locatio hoc periculum habet. Ergo quælibet locatio inualida est: à principio enim inualidari debet: quia à principio totum illud tempus comprehendit.

2 Secundò, sciendum est attenta *extrauag Pauli II. quæ incipit. Ambitiosæ de Rebus Eccles. non alienand.* nequaquam posse res Ecclesiæ vltra triennium locari, quia ita ibidem cauetur sub excommunicatione aliisque grauissimis pœnis. Cæterum non leuis est inter Doctores controuersia, an hæc constitutio sit vsu recepta. Plures Doctores censent vbique receptam non esse, sed ex stylo cuiusuis diœcesis id esse colligendum. Nauar. *in sum. cap. 27. num. 150.* Syluest. *verbo excomm. 7. in excomm. 47. num. 83.* Couarr. *2. var. cap. 16. num. 6. vers. 5.* Azor. *2. p. instit. mor. lib. 2. cap. 2. vers. quod attinet.* Vasquez *de reditib. c. 2. §. 2. n. 32.* & alij plures. Existimo tamen probabilius supradictam constitutionem vbique esse receptam quoad rem prohibitam, & pœnam intrinsecam annullationis ibidem impositam, tametsi quoad pœnas extrinsecas excommunicationis, & priuationis officiorum recepta non sit, sic Mol. Theolog. *tract. 2. de iustit. disp. 466. post medium.* Rebello *de obligat. iustitiæ 2. p. lib. 14. quæst. 5.* pluribus decisionibus Rotæ firmat Augustinus Barbosa *de potest. Episc. 3. p alleg. 95. num. 49.* Salzedo *pract. cap. 71. circa finem.* Zenedo *collect. 32. num. 1.* Quaranta *verbo alienatio rerum Ecclesiasticarum. num. 48.* Toletus *lib. 5. sum. cap. 91. vers. 3. de hac Paulina.* Gutier. *lib. 1. can. quæst. cap. 8. num 9.*

3 Difficultas autem est, an procedas aduersus hanc constitutionem, si res Ecclesiæ loces ad sex, vel nouem annos, clausula adiecta, vt tot sint locationes, quot sunt trienia, ita vt transacto triennio primo, pro tunc tem denuo loces. Affirmat fieri posse Bald. *cap. 1. §. si libellario. quibus modis feudus amitt. & l. voluntas. C. de Fideicommiss.* Mouetur; quia vbi dantur plures locationes triennales, neque vlla vltra triennium extenditur. Ergo nulla est prohibita. Cæterum tenenda est communis sententia, quam aduersus Baldum firmat Cynus, Albert. Cardin. Ancharran. Lapus, Bart. Alexand. & alij; quos refert, & sequitur Couarru. *lib 2. var. cap. 16. num. 4.* Aluar. Valascus *de iure emphyteut. quæst. 29. n. 15.* Mol. *de iustit. disp. 466. circa finem.* Azor. *2. p. lib. 9. cap. 2. quæst. 3.* Vasq *de reditib. c. 2. §. 2. num. 25.* Augustinus Barbosa *3. p. de potest. Episc. alleg 95. num. 17.* & probat clarè textus *Authent. de non alienand. §. quod autem. prope fin.* vbi loquens de emphyteusi, quæ ad vitam accipientis, & duas alias concedi poterat, dicitur nullum esse pactum, quo concedens obligatur sequentem successorem aliis præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere; quia hoc nihil aliud est (inquit textus) quam per reuolutionem, & machinationem perpetuari eis emphyteuses, magis autem priuationes Ecclesiasticarum agi rerum. Sed in nostro casu idem à fortiori militat, cum per illam machinationem multiplicatæ locationis res Ecclesiastica ad longum tempus locetur. Quid enim interest Ecclesiæ, vnica locatione, an pluribus res Ecclesiæ longo tempore conduci? Ecclesia namque solum intendit, ne locutio vltra triennium fiat: quòd certè fit, tametsi diuersis contractibus celebretur. Adde hanc conuentionem præsumi fieri in fraudem legis prohibentis conductionem vltra triennium & consequenter irrita est, & inanis; sicuti sunt omnia pacta in fraudem legis facta. Idem quod dictum est de locatione illa multiplici, intelligi debet de locatione facta ad triennium cum pacto, & obligatione in scriptura inclusa renouandi locationem triennio transacto; quia tunc virtualiter locas rem vltra triennium. Secùs vero dicendum censeo, si de hac locatione renouanda scripturam publicam non faceres, sed tantum promitteres priuatam locationem renouaturum. Hæc enim priuata promissio non est nec formalis, neque virtualis locatio neque ex illa dici potest te vltra triennium locare, sed solùm priuatim promittere locaturum: sic Azor. *2. part. lib 9. cap. 2. quæst. 3.*

4 Sed quid dicendum, si facta locatione pro triennio ante illud finitum, renoues locationem; Respondeo, si post secundum annum renoues, credo valere contractum; quia tunc non præsumeris ex fraude procedere, neque primum contractum continuare, sed nouum efficere, & rem denuo locare. Item quia censetur contractus finitus, cum paruum pro nihilo reputetur. At si ante cœptum secundum annum cum eadem persona contrahas, eidemque res Ecclesiæ conducas, probabile satis est contractum nullum esse, tametsi pensio varietur; quia præsumitur factus ex fraude. Et quia iam verum est dicere, rem Ecclesiæ vni esse locatam ad quinquennium contra *extrau. Ambiti. fat.* & ita tenet Mol. *disp. 466. circa finem* & consencit Aluar. Valasc. *de emphyteus. quæst. 29. num. 15.* quando non variatur pensio. Secùs (dicit) si varietur, immeritò tamen, quia variatio pensionis non tollit integrè præsumptionem fraudis, neque impedit rem vltra triennium eidem esse locatam.

5 Secunda difficultas est; an Ecclesiæ possessio, quæ biennio, vel tertio anno solet fructum reddere, possit vltra triennium locari, etiam stante constitutione Pauli II. Affirmat & benè Nau. *in com de alien. rer. Eccl. n. 21. & 22.* Couar. *2. var. c 16.* Gut. *lib. 1. can. q. 9. 8. num. 12.* Quaranta *verbo alien. rerum Eccl. n. 18.* Aug. Barbosa *3 p. de po est. Episc. alleg. 95. num. 4.* Ratio est; quia Pontifex non videtur intendisse signare triennium temporis, sed fructuum; quia trina fructuum collectio est, quæ conductorem inuitare poterat ad possessionem Ecclesiasticam locandam, vt sic sterilitas (si forte contingeret) vnius anni aliorum vbertate compensaretur. Et confirmari potest exemplo emphyteutæ, qui non cadit in commissum, si triennio non soluit pensionem annexam rei, quæ vnicos tantum fructus triennio reddit, vt ex Bald. Alex. Ias. probat Azor. & Couarr. *supra.*

6 Tertia difficultas, an facta locatione vltra triennium firma sit qua parte triennium comprehendit, & infirma, & irrita qua parte excedit? Affirmant post Bald Decian. Paulum, & alios, Mol. *de primog. lib. 1. cap. 21. num 28.* alter Mol. *de iust. tract. 2. disp. 467. col. 2.* Card. Tusch. *verb. locatio. concl. 406. in princ.* Rebello *de oblig. iustit. 2. p. lib. 14 q 6.* Quaranta *verb alien. rerum Eccl. n. 18.* Barbosa *3. par. de potest. Episc. alleg. 95. num. 15.* Gamma *decis 390. num. 3.* Mouentur; quia in hac locatione optimè potest separari tempus permissum triennij ab alio tempore prohibito. Nam esto vnica locatio materialis sit, & vnicum pretium pro toto illo tempore expostulatum, diuidi tamen pro rata cuiuslibet triennij At quoties vtile ab inutili separari potest, vtile per inutile non vitiatur ex *reg. vtile de Reg. iur. in 6. & leg. 1. §. sed si mihi. ff. de verb. obligation.* Confirmo. Donatio facta vltra quingentos aureos absque insinuatione solum in excessu vitiatur, & firma remanet quoad quingentos aureos à iure absque insinuatione alienari permissos, tametsi vnica sit donatio, & per modum vnius omnia donata fuerint; quod expresè habetur in *l. sancimus, in princ. vers. si quid autem. C. de donationib.* & tradit Mol. Theolog. *disp. 278. & disp. 467. col. 2.* Clarus §. *donatio q. 17 num. 2.* Zeuallos *com. contra com. q. 222. num. 3.* Aloysius Riccius *resolut. 102. num. 3.* Rebell. *de oblig. iustit. 2. p. lib. 18. q. 6. num. 6.* Confirmo secundò, emphyteusis concessa ad quatuor vel quinque generationes, valida est quoad tertiam permissa, inualida quoad reliquas: vt habetur *Auth de non alienan. § quod autem. collat. 2.* ibi enim data emphyteusi alicui, eiusque duabus successionibus cum pacto, vt illis deficientibus tertius successor obtenturus sit emphyteusim, & omnibus aliis præferendus, deciditur dominum emphyteusis obligatum non esse duobus hæredibus cessantibus cæteris tradere. Ergo tacitè declarauit traditionem emphyteusis primis hæredibus valere, extensionem tamen à lege improbatam, inualidam fore. Ergo vtile per inutile non vitiatur. Neque obstat, si dicas in illa lege solùm esse reprobatum pactum additum emphyteusi, emphyteusim autem nullum vitium habere; quia solùm ad tres vitas se extendit. At locatio possessionis pro pluribus annis non ad solum triennium, sed ad omnes illos se extendit. Ergo vitiata in vna parte, in totum vitiatur. Non, inquam, obstat; quia illud pactum cùm simul factum sit cum emphyteusis contractu, virtute, & in effectu extendit emphyteusim vltra tres vitas; eâque de causa annullatur. Ergo si non obstante hac extensione firma manet emphyteusis quoad tres vitas, etiam locatio possessionis Ecclesiasticæ pro pluribus annis facta, firma debet manere pro triennio.

7 Nihilominus alij plures Doctores non infimæ notæ negant locationem rerum Ecclesiasticarum vltra triennium validam esse pro triennij tempore; sed potiùs affirmant in totum vitiari, sic Bart. *in authen. Qui rem, num. 7.* & ibi Ias. *n. 21. de Sacros. Eccl.* illos sequitur Couarr. *2. var. cap. 16. n. 5.* Valascus *de iure emphyt. q. 29. n. 15.* Mantic. *de tacit. & ambig. conuent. t. 1. lib. 5. tit 5. in prin.* Cald. Pereir. *de resol. emphyt. c. 2. n. 30.* Azor. *2. p. instit moral. lib. 7. c. 10. q. 4. & lib. 9 cap. 2 q 4.* Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 162. n. 22.* Rota apud Farin. *t. 2. p. 1. decis. 30.* Bonac. *disp. 3. de contract. feud. quæst. 8. p. 4. num. 32.* Vasq.

in opusc. de reditib. c. 2. §. 2. n. 28. & 29. Et hæc sententia mihi probabilior apparet. Probant primò ex *authent. de non alienan. §. emphyteusim*: vbi prohibetur dari emphyteusim vltra tres vitas, & subditur. *Aliter dari nullo permittimus modo, neque sic habere aliquod robur sinimus: & § si verò in perpetuum*, dicitur. *Si verò in perpetuum quispiam emphyteusim accipere præsumpserit, quod non licet, aut temporalem quidem, non tamen secundum huius nostræ legis obseruationem, etiam si cadat quidem de emphyteusi, & quod datum est maneat apud venerabilem domum*: vbi notandum est verbum *cadat*, quod intelligitur à iure, quod verè obtinere poterat. Si autem nullus esset contractus etiam pro tempore à lege permisso, non diceretur ab illo cadere. Secundò probant ex *extrau. ambitiosæ* dicente: vbi de alienatione & locatione aliter facta, ac ibi præscribitur, dicitur, nullius omnino sit roboris, & momenti: dictio enim illa, omnino, prolata indistinctè omnes annos videtur comprehendere. Tertiò probant ex *clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* vbi facta alienatione vltra formam præscriptam dicitur. Neque recipienti ius aliquod acquiratur. At quoties negatiua adiungitur cum dictione *aliquid*, etiam in qualibet minima parte verificatur; vt tradit glos. *cl. 1. de Foro comp. verbo aut earum*: Panorm. & alij relati à Cou. *sup.* & Tiraq. *in l. si vnquam. verbo omnia num. 1. & 14.* Quarto probant ex doctrina Bart. *in l. 1. §. si qui ita ff. de verb. obl.* affirmantes contractus pendentes à voluntate duorum, si non valent vt fiunt, neque valere, vt fieri potuerunt: cui accedit Romani consilium 66. dicentis electionem consiliarij ad triennium, neque ad annum valere, si statutum sit, electionem vltra annum extendi non posse. Ceterum his rationibus respondere non difficulter possemus dicentes intelligendas esse non de toto tempore, sed de tempore inutili. Nàm leges generaliter loquentes non censentur improbare, quod aliis legibus est permissum, *l. sciendum 15. ff. qui satisdare cogantur. l. decurionibus cum similibus. C. de scientiariis, lib. 12.* Cùm autem locatio triennalis permissa sit à lege, & reprobata ea quæ longior est; efficitur sanè textus loquentes nullum robur; neque firmitatem habere talem locationem; intelligi debere respectu temporis à lege reprobati, nec respectu temporis à lege permissi: sic enim explicari potest *Authen. de non alin. & extrauag. Ambitiosæ, & clem 1. eod. tit.* præterquam quod *clem. 1.* loquitur non de locatione, sed de vera alienatione, quæ in totum est nulla; cum forma præscripta non seruatur. Verbum autem illud *cadat* relatum ex *auth. de non alien.* in quo magnam vim facit Couarr. vt bene aduertit noster Mol. *d. disp. 467. circa fin.* pro contraria sententia pugnat: significat enim emphyteutam debere cadere ab emphyteusi tempore vtili, & permisso legitimè possessa. Nullus enim dicitur cadere ab eo quod non habet, neque potest habere: si igitur ex vi illius contractus emphyteuta neque habuit, neque potuit emphyteusim aliquo tempore habere, nequaquam ab illo cadere dici potest. Ergo si cadit, signum est debitam illi esse emphyteusim pro aliquo tempore, scilicet tempore permisso, quo transacto ab illa emphyteusi cadit. Adde ibi per modum pœnæ emphyteusim priuari emphyteusim. Ergo ex vi iuris obtinebat emphyteusim tempore à lege permisso. Doctrina item Bart. vera est, non tamen probat efficaciter conclusionem, quia dici potest locationem illam valere de facto quoad tempus permissum, tametsi inualida sit quoad tempus reprobatum à lege, & sic actus valet quoad partem eo modo quo fit.

Quapropter omissis his probationibus ea mihi efficax apparet, quæ desumitur ex iis, quæ communiter in contractu locationis succedunt. Qui enim pro tempore diuturno possessionem conducit, minoris accipit, quam si pro breui tempore acciperet, vt experientia compertum est. At quoties contrahentes non celebrarent contractum eodem modo tempore permisso, ac celebrant, cum extra tempus permissum contrahunt, inualidus est contractus quoad totum tempus, vt ex Bart. & aliis probat Mol. *lib. 1. de primog. cap. 21. num. 28.* & noster Mol. *disp. 467. vers. deinde* Cou. *2. var. cap. 16. n. 5.* Ergo absolutè dicendum est contractum locationis rerum Ecclesiasticarum vltra triennium, neque pro triennio valere.

8 Ex hac ratione fit satis argumento prioris sententiæ. Ad 1. concedo vtile per inutile non vitiari, quando separabilia sunt, at in casu præsenti non sunt separabilia; quia non eodem pretio locares ad breue tempus, ac locas ad longum. Ad confirmationem concedo valere donationem quoad quingentos solidos absque insinuatione, & inualidam esse quoad excessum; quia donans plusquam sibi permittitur, voluntatem habet donandi quod sibi est permissum. Ad secundam confirmationē benè ibi respondetur.

9 Quarta difficultas est; an non solum locatio vltra triennium, sed & mandatum ad locandum non possit vltra triennium extendi. Affirmat Couar. *2. var. cap. 16. n. 6.* & Azor. *2. p. instit. moral. lib. 9. cap. 2. q. 5.* Mouentur; quia aliàs fieret fraus legi, si facultatem haberet ad res Ecclesiæ vltra triennium locandas.

Contrarium mihi dicendum apparet, valere, inquam, mandatum procuratori concessum, vt finita prima locatione, aliam & aliam eiusdem possessionis, prout sibi videbitur, faciat. Non enim concedis facultatem locandi rem vltra triennium, sed potiùs concedis facultatem ad plura triennia successiuè rem locandi, quod nullo iure videtur prohibitum: sicut enim tu qui rerum Ecclesiasticarum administrator es, potestatem habes locandi ipsas res Ecclesiasticas locationibus triennalibus successiuis: ita poteris alteri vices tuas committere. Durum namque apparet quolibet triennio te obligatum esse mandatum reuocare; valet ergo quoties illud non reuocas: & ita tenet noster Molin. *de iustit. tract. 2. disp. 466. in fine.*

10 Quinta difficultas est, an Prælatus possit sua constitutione triennium concessum per *extrauag. Ambitiosa*, limitare? Affirmatiuè censeo respondendum, quia in *extrauag. Ambitiosa*, locationes triennales non expressè concedantur, sed permittantur, & longiores prohibentur. Ergo constitutio prohibens, ne vltra biennium fiat, potiùs fauet supradictæ *extrauag.* quam illi aduersatur; & ita tradit aliis relatis August. Barbosa *3. p. de potest. Episcop. alleg. 95. num. 18.*

11 Sexta difficultas est, ad quæ bona Ecclesiastica extendatur prohibitio locationis vltra triennium? Non est dubium extendi ab omnia bona Ecclesiarum, monasteriorum, & piorum locorum, qui sint authoritate Episcopi erecti, tam immobilia, quàm mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt: quia de his omnibus loquitur expressè *extrauag. Ambitiosa*, & notant Doctores omnes statim referendi. Dixi authoritate Episcopi erecti; nam hospitalia, collegia, confraternitates, aliique pij loci, qui absque Episcopi authoritate erecti sunt, nullo modo gaudent hoc priuilegio, tametsi opera pia sint: sed possunt eorum bona locari vltra triennium, & alienari absque solemnitatibus à iure requisitis. Sic Mascard. *de probation. conclus. 829. num. 11.* Cardin. Tuschus *litt. H conclus. 163. à num. 9.* Augustt. Barbosa *3. p. de potest. Episc. alleg. 75. n. 32. & 33.* Gamma *decis. vlt. num. 6.* Difficultas autem procedit de fructibus, & prouentibus pertinentibus ad ipsum beneficiarium, & quorum ipse beneficiarius dominium obtinet, an inquam, hi fructus possunt à beneficiario locari in longum tempus; verbi gratia, pro tota sua vita stante *supradicta extrauag. Ambitiosa?*

12 Negat Gamma *decis. 390. num. 6. & decis. 156. n. 2.* Barbosa *3 p. de potest. Episc. alleg 95. num. 20.* acriter pro ea pugnat Gutierr. *lib. 1. canon. quæst. cap. 8. num. 14.* & videtur esse Bonac. *disput. 3. de contract. feudi q. 8. p. 4. num. 32. vers. falsum verò.* Mouentur primò, quia in *d. extrauag.* prohibetur alienatio, & locatio vltra triennium omnium bonorum Ecclesiasticorum immobilium, & pretiosorum mobilium, quæ seruando seruari possunt. At sub bonis Ecclesiasticis non solùm bona Ecclesiæ, sed propria beneficiati comprehenduntur, vt *ex tota hac disput.* constat. Secundò, in supradicta extrauag. excipiuntur tantùm fructus, & bona quæ seruando seruari non possunt. Sed hoc intelligi non potest de fructibus beneficiorum nondum collectis, hi enim dici non potest, quod seruari non possint. Ergo non comprehenduntur sub exceptione facta. Tertiò, est congruentia, quia reditus beneficiorum in sustentationem beneficiati sunt destinati; *cap. 2. de Prabendis.* Si autem beneficiatus eos vendere, locare, & alienare posset pecunia de præsenti recepta, poterat successu temporis debitis alimentis carere, & ob eam causam Ecclesiam seruitio debito priuare. Ne igitur hoc inconueniens sequatur, dicendum est nequaquam posse beneficiatum fructus, & prouentus sui beneficij ad longum tempus locare, aut alienare.

Cæterùm mihi verius apparet prouentus & commoditates ad beneficiatum pertinentes, & quorum ipse habet dominium, posse ab ipso in breue, & longum tempus alienari, & locari; neque de ipsis loqui *extrauag. Ambitiosa*, sed solùm de fructibus Ecclesiæ: sic Couarr. *2. var. cap. 16. num. 6. ad finem*, Auend. *de exequend. mandat. 1. p. cap. 4. num. 32. ad finem.* Gregor. Lopez *l. 9. verbo arrendar, tit 7. part. 1.* Card. Mantica *de tacitis, & ambiguis conuent. t. 1. lib. 5. tit. 3. num. 21.* Praxis Episcopalis *1. p. verbo alienatio, §. 3. pag. 12.* Zenedo *ad decret. collect. 76. num. 3. & collect. 102. n. 3. & ad sextum. collect. 32. num. 2.* Mol. *lib. 1. de primogen. cap. 2. num. 27.* & noster Mol. *lib. 1. de instit. tract. 2. disp. 466. post med. vers.* Molin. *vbi suprà.* Vasq. *opus de reditib. cap. 2. §. 2. n 31. & 34. & 44.* Azor. *2. p. instit moral. lib. 9. c. 2. q. 7.* idem docet spectato iure communi, tametsi addat se credere consuetudine receptum esse, ne beneficiarius vltra triennium locet sui beneficij fructus.

Ratio est; quia decisio *supraal. extrauag.* ex proœmio illius desumenda est: cùm generale sit legi ex Rubrica, sub qua collocatur accipere interpretationem: Glossa ord. *in l. 1. verbo prætorio. C. ne liceat tertiò prouocare*: vbi Bald. & scribentes, & pluribus exornat Alex. *l. 1. ff. si certum petatur, n 3.* At in proœmio manifestum est de solis bonis Ecclesiæ *extr.* loqui; inquit enim immobilia, & mobilia pretiosa Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ reguntur, & ministri alimoniam vendicant. Ecce qualiter de bonis Ecclesiarum loquatur, non de reditibus proprij beneficij, & dignitatis. Neque obstat subiungi generalem prohibitionem omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum: quia per antonomasiam solùm bona Ecclesiæ, bona Ecclesiastica nuncupantur. Tum quia illa generalis prohibitio debet intelligi iuxta constitutionis proœmium, quæ est de rebus Deo dicatis. Et ex his solvitur 1. & 2. ratio contraria. Ad 3. concedo illam congruentiam sufficere, vt statuatur lex prohibens alienationes, & locationes fructuum beneficiorum pro tempore diuturno

antici

anticipatis solutionibus : at dum hæc lex non promulgatur, potest beneficiatus eos pro libito durante vita locare.

13 Hinc constat maximam esse differentiam inter locationem fructuum, & commoditatum pertinentium ad Ecclesiam, & quorum beneficiatus solam administrationem habet, & inter locationem fructuum, & commoditatum pertinentium ad ipsum beneficiatum, & quorum ipse dominus est. Nam primos fructus non potest vltra triennium locare, secundos potest pro sua vita. Deinde locatio priorum fructuum facta pro tempore permisso firma remanet, tametsi locans decedat, aut beneficium relinquat, quia illam locationem fecit nomine Ecclesiæ, quæ non periit. At locatio fructuum proprij beneficij periit pereunte ipso locante, aut alio modo beneficium relinquente, quia nomine proprio, & de iure proprio facta est ; quod nomen & ius cessat beneficiato pereunte. Neque in conductorem aliud ius transferre poterat, quàm ipse habet. Denique successor in beneficio stare debet locationi factæ à prædecessore de bonis Ecclesiæ, si facta fuit in tempus permissum. At non tenetur stare locationi factæ de fructibus proprij beneficij. Excipe, nisi terræ essent latæ, & fructus pendentes, & de proximo colligendi. Hæc omnia aliis relatis docet optimè Couarruu. 2. *var. cap.* 15. *num.* 6. *vsque in finem.* Molin. *lib.* 1. *de primogen. cap.* 21. *num.* 27. & noster Molin. *disput.* 466. *vers.* Molin. *vbi suprà.* Augustinus Barbosa *in remiss Concilij sess* 25. *cap.* 11. *de reformat.* Bonac. *disput.* 3. *de contractu locat. & conduct. quæst.* 7. *p. vlt. fine.*

Punctum XV.

Qua ratione Ecclesiastica bona alienationis immunitate gaudeant.

CONclusio est ab omnibus recepta, Ecclesiastica bona immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, inalienabilia esse, nisi seruatis conditionibus à iure statutis, & in casibus à iure permissis, ac denique Romano Pontifice consulto, si constitutio Pauli II. incipiens, *Ambitiosæ de Rebus Eccles. non alienand.* viget. Pro huius conclusionis intelligentia examinandum est. Primò, quæ bona dicantur immobilia pretiosa, quæ seruando seruari non possunt. Secundo, quæ alienationes harum rerum prohibitæ sint, quæ permissæ. Tertiò, quæ conditiones seruandæ sint in harum alienatione.

§. I.

Quæ bona dicantur immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, ac proinde inalienabilia.

1 *Enumerantur bona immobilia.*
2 *Expenduntur mobilia pretiosa.*
3 *Grex ouium sub bonis mobilibus pretiosis videtur comprehensus.*
4 *Pecunia non comprehenditur sub bonis mobilibus conseruandis.*
5 *Excipe nisi ex voluntate testatoris ad emptionem stabilium destinata sit.*
6 *Alij limitant de pecunia in banchis camporum : sed non approbatur.*
7 *An arbores inter bona conseruanda numerentur : sub distinctione respondetur.*
8 *Reliquia insignes inter bona conseruanda numerantur.*
9 *Legatum acceptatum nequaquam alienari potest.*
10 *Plures censent non posse non acceptare.*
11 *Probabilius est non acceptare non esse alienationem.*
12 *Legatum rei immobilis relictum monasterio incapaci, alienari potest à Prælato.*
13 *Quid dicendum, cùm aliqua res pretiosa huic monasterio relinquitur.*

1 BOna immobilia sunt fundus, prædia, domus & similia, quæ fixam radicem habent, quæque vocantur corporalia bona. Item census, quibus annui reditus correspondent, ius ad ipsos, & ad quaslibet alias seruitutes, cathedra, commenda, beneficium Ecclesiasticum, ius patronatus, vsusfructus longi temporis, inter immobilia debent computari : quia hoc ius de se perpetuum est. Talis enim iudicatur actio, qualis est res, ad quam est actio, vt benè dixit Anton Gom. 2 *var cap.* 14. *num.* 14. & docet Sylvest. *verbo alienatio, quæst.* 9. Vasquez *opuscul. de reditib. cap.* 2. §. 2. *num* 44. Barbosa *alleg.* 96. expressè traditur *clem. exiui de paradiso*, §. *cumque annui reditus : & innuit glossa. verbo iura ex textu, in cap.* 2. *de rebus Eccles. non alien. in* 6. Neque obstat aliquando iura, & actiones sub bonis mobilibus, aut immobilibus non comprehendi, *leg. à Diuo Pio*, §. *in venditione, ff. de sentent. & re iudicata* : quia id procedit in testamentis, & aliis dispositionibus, in quibus verba expressè intelliguntur. Secùs verò in hac materia ex omnium Doctorum recepto consensu, vt notauit Azor. 2. *par lib* 9. *cap.* 1. *quæst.* 6. Barbosa innumeros referens. 2. *par. alleg.* 95. *num.* 46. Quod non solùm habet verum in iure perpetuo, sed etiam in iure ad decennium, & vltra ; si enim Ecclesia habeat ius percipiendi fructus aliquos per decennium ; tale ius inter bona immobilia computari debet, quia tempus decennij longum tempus, & quasi perpetuum à iure reputatur : sic Molina Theolog. *tract.* 2. *de iustit. disp.* 46. *in medio.* Idem existimarem dicendum de mancipio rusticano, quod inter bona immobilia, & quæ alienari non possunt, computandum est : *cap. nulli de Reb. Eccles. non alienand.* & tradit glossa, ibi, Molin. Theologus *tract.* 2. *de iustit. disp* 465. *vers. nomine bonorum.*

2 Mobilia vero pretiosa, quæ seruando seruari possunt, quæque inter immobilia ad hunc effectum computantur, sunt vasa aurea, & argentea, gemmæ, vestes, quæ longè ab interitu distant, & generaliter omnia illa quæ fructificant, & triennio durant : sic glossa *l.* 1. *C. si aduersus vsuras*, & tradit expressè Azor. *d lib.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 5. *&* 7. Augustt. Barbosa plures referens 3. *par. de potest. Episc. alleg.* 95. *num.* 38 *&* 39. Quod si inquiras, cuius valoris debet esse res, vt pretiosa dicatur ? Respondeo mihi videri centum aureos attingere debere. Hinc fit illas res mobiles alienabiles esse, quæ valorem centum aureorum non attingunt, quæque nec durant triennio, sed vsu consumuntur, & non fructificant, quales sunt vinum, triticum, oleum, lana, & iis similia : colligitur ex *l. qua lex*, §. *vlt. C. de administrat. tutor. cap. vestra de locato.* Nauarr. *de alienat. rerum Ecclesiast num.* 4. Marc. Anton. Genuens. *in prax. curiæ Archiepisc. Neapolit. cap.* 60. *num.* 7 Quaranta *in summ verbo alienatio rerum Ecclesiæ, num.* 28. Mol. Iesuita *disp* 465. *vers. Nomine bonorum*, Barbosa *de potest. Episc.* 3. *par. alleg.* 95. *num.* 38. *&* 39.

3 Dubium tamen est, an grex ouium, caprarum, & similia, inter bona mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt comprehendatur ? Crederem comprehendi : tum quia est magni valoris : tum quia per multiplicationem continuam fœtuum seruari potest : sic Mol. Iesuita *tract.* 2. *disp.* 456. *in fine.*

4 Secundò dubitatur, an pecunia sub rebus mobilibus pretiosis conseruandis intelligatur ? Communis sententia negat, quia pecunia vsui quotidiano deseruit, & ad illum est destinata, neque seruata vllum fructum parit : *cap eiiciens dominus* 88. *dist.* glossa in *l. cum plures. ff. de administr. tutor. & in cap. nulli de Rebus Eccles. non alien. num.* 11. Riccius *praxi fori Ecclesiast. resolut.* 56. *num.* 1. Azor. 2. *part lib.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 5. Barbosa 3. *part. de potest Episc. alleg.* 95. *num.* 49. Mol. Theolog *tract.* 1. *de iust. disp.* 465. *circa finem.*

5 Aliqui limitant primò, nisi pecunia destinata sit ad emptionem stabilium, v. g. censuum, prædiorum, domorum, &c. vel pretiosorum mobilium. Quia tunc ratione destinationis loco rei stabilis, aut mobilis pretiosæ succedit : sic Azor. *q* 5. Barbosa *n.* 41. & videtur tenere Bonac. *de disp.* 3. *de contractu locat. q* 8. *p.* 4. *n.* 2. Dicitur autem destinata, quando autoritate Prælati ad Ecclesiam, seu monasterium administrantis destinata est, sic Azor. *d. q.* 5. Ceterum hanc limitationem solum veram esse censeo, quando destinatio pecuniæ ortùm haberet ex eo quod sic à testatore ad illum effectum relicta fuit, vel facta fuit ex re aliqua immobili, vel pretiosa ipsius Ecclesiæ, quæ renouatetur vendita fuit : in iis enim verum est subrogari pecuniam loco rei immobilis. Idem iuris est de pecunia, quæ monialibus traditur in dotem, quia ex voluntate donantium censetur data monasterio, vt perseueret pro monialis sustentatione ; sic Bonac. *disp.* 3. *de contract locat. q* 8. *p.* 4. *n.* 16. Aliæ autem destinationes omnino videntur accidentariæ, neque conditionem pecuniæ mutant ? sic Vasquez *opusc. de reditib. c.* 2. §. 2. *num.* 44.

6 Secundò, limitant alij in pecunia in banchis camporum posita, quia tunc videtur negotiationi exposita, & fructum habere : sic Tiraquel. *de retract. lignag.* § 1 *glossa* 7. *numer.* 214. Baiard. *ad Ciriam*, §. *fin quæst* 38. *num* 15. Barbosa alios referens *d. alleg.* 95. *num.* 44. quod tamen intelligi debet iuxta nuper dicta. Nam pecunia collecta ex fructibus, seu reditibus rerum immobilium, vel pecunia, quæ ex voluntate testatoris ad sumptus quotidianos relicta est certe non video qua ratione debeat inter bona immobilia computari. Vnde enim est obligatio illam in banchis camporum conseruandi ? certè ibi solùm ponitur interim dum non se offert necessitas illam consumendi : & ita tenet Francisc. Leo *in thesaur. fori Eccles. decis* 160. Aloysius Riccius *eadem decis.* 70 *in* 1. *edit. & resolut.* 56 *in* 2. Tertiò, limitant, si pecunia destinata sit pro futura aliqua necessitate conseruandi patrimonij, quia tunc loco patrimonij succedit : colligitur ex *l. si lancem*, §. 1. *ff. de legat.* 3 & tradit Barbosa *allegat.* 95. *numero* 45. quod debet intelligi iuxta supradicta.

7 Tertiò dubitatur, an arbores inter bona immobilia, aut mobilia pretiosa numerentur ? Breuiter sub distinctione respondeo arbores seu mortuas, vel ita opacas, vt potius prædio damnum, quam vtilitatem afferat earum conseruatio, inter bona, quæ conseruando conseruari non possunt, debent reputari. Nam illud absolutè dicendum est conseruari non posse, cuius conseruatio Ecclesiæ damnosa est. At arbores ita prædio

necessariæ, vt illis sublatis prædium grauiter redderetur deterius, inter bona mobilia pretiosa, quæ conseruando seruari possunt, debent computari: sic Quaranta *verbo alienatio num. 37. litt.* F. Nauarr. *lib. 1. conf. 6. de Rebus Eccles. non alienand.* Rodtiq. *tit. 1. quæst. regul. quæst. 27. art. 4.* Bonac. *disp. 3. de contract. quæst. 8. p. 4. num. 18.* Ex quo optimè infert Nauarr. *d. conf. 6. & 7.* Rodriquez *eisdem verbis*, & Bonac. *supra*, non peccaturum Prælatum scindentem arbores ex nemore, easque vendentem, & in vtilitatem monasterij pretium expendentem, si ex tali scissione notabile damnum hæreditati non proueniat, vt de facto non prouenit, cum relinquit arbores sufficientes. Secùs verò si ex illarum sectione graue detrimentum hæreditati proueniret.

8 Quartò dubitatur, an reliquiæ sanctorum sub bonis mobilibus pretiosis alienationi non subiectis comprehendantur? Et ratio dubitandi est: quia hæ pretio æstimari non possunt. Nihilominus censeo has comprehendi, si insignes sint; quia esto pretio non æquentur, sunt supra omne pretium. Vocarem autem reliquias insignes, caput, pedem, manum alicuius sancti satis cogniti, & qui in magna apud omnes veneratione est. Has autem reliquias reputari inter bona mobilia pretiosa inalienabilia docet Riccius *decis. 63 num. 6.* Bonac. *disp. 3. de contract. feudi, quæst. 8. punct. 4. n. 17.*

9 Quintò dubitatur, an domus, vinea, prædium, census, aureum pretiosum monasterio, vel Ecclesiæ relictum absque expressa conditione, vt in perpetuum conseruetur, computandum sit inter bona, quæ alienationi liberæ non subiiciuntur? Respondeo, si acceptatum sit legatum, & per acceptationem factum Ecclesiæ vel monasterij bonum, nequaquam alienationi liberæ subiicitur. Cum enim generale sit omnia bona Ecclesiæ immobilia, & mobilia pretiosa alienari non posse, & hæc per acceptationem facta sint Bona Ecclesiæ, & ex alia parte sint immobilia, vel pretiosa mobilia; efficitur sanè comprehendi debere sub generali prohibitione alienandi res Ecclesiæ: illa enim expressa conditio, vt non alienentur, ad hanc legalem inalienationem necessaria non est. Quid autem operetur, si aliquando fuerit apposita, §. *seqq.* dicemus. Neque video in hac parte Doctorem contradicentem.

10 Quocirca solùm pugnant ante acceptationem, an inquam possit Ecclesia, vel monasterium legatum sibi relictum non acceptare? Et ratio dubij est, quia illa repulsa est quædam legati alienatio; si quidem ea facta transit ad hæredem. Tum quia inter bona immobilia pretiosa diximus comprehendi iura, & actiones ad immobilia, vel mobilia pretiosa. Negari autem non potest monasterium, vel Ecclesiam, cui legatum relictum est habere ius, & actiones ad ipsum ex testatoris dispositione. Ergo nequit Ecclesia hoc ius, hanc que actionem alienare. Tum quia fauore Ecclesiæ hæc legata in Ecclesiam transeunt ipso iure, etiam absque traditione, ex *l. fin. C. de sacrosanct. Eccles.* Tum quia generaliter quodlibet legatum in specie relictum transit à morte testatoris in legatarij dominium, neque oportet hæreditatis aditionem expectare *leg. 2. Titio ff. de furtis, leg. 1. §. sed vtrum, ff. si quid in fraudem patroni.* Ergo alienari non potest. Item pupillus non potest repudiare fundum sibi legatum, cum rem suam alienare nequit *l. magis puto, 5. ff. de Rebus eorum*: ibi; fundum autem legatum repudiare pupillus sine Prætoris authoritate non potest, esse autem & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat: sic docent Mol. Iesuita *tract. 2. disp. 468. num. 10. vers. dubium est*, Quaranta *in sum. bullar. verbo alienatio rerum Eccles. num. 23.* August. Barbosa *3. part. de potest. Episc. alleg. 95. num. 54.* Lambertin *de iure patronat. lib. 3. quæst. 9. art. 1. n. 31.* Menchaca *de success. proœmiu lib. 3. §. 27. n. 23.* & hæc sententia est satis probalis.

11 Nihilominus communem sententiam probabiliorem reputo, vt pluribus firmat Riccius *prax fori Ecclesiast. decis. 96. in 1 edit. & resolut. 82. in 2.* Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 4 num. 12. & lib. 7. sum cap. 6. num. 4.* Bonac. *disp. 3. de contract. feudi, quæst. 8. p. 4. num. 38.* Azor. *2. p lib 9. cap. 1. quæst. 12.* Moueor, quia hæreditas delata, & Ecclesiæ non incorporata non est ius quæsitum Ecclesiæ, sed quærendum. Ergo inter bona Ecclesiæ computandum non est. Item repudiatio non est alienatio, sed solum est non acquisitio *l. alienationis, ff. de verbor. significat.* Alias debitor repudians legatum censeretur alienare in fraudem creditorum: contra expressum textum in *l. qui autem. ff. de his qui in fraudem credit.* Dices ex his solùm probari hanc repulsam non esse alienationem legati relicti, non tamen probari non esse alienationem iuris, & actionis ad ipsum, quod ius inter immobilia, aut mobilia pretiosa diximus computandum. Sed respondetur facilè illam non esse alienationem. Tum quia ius adeundæ hæreditatis, seu legati non est absolutum, sed conditionatum pendens à voluntate nostra; ac proinde facta repudiatione conuincitur nunquam nostrum fuisse, quod optimè explicuit Iurisconsult. *in leg. 1. vers. mirum autem, ff. Si quid in fraudem patroni* dicens: Quamuis enim legatum retro nostrum sit, nisi repudietur: attamen cum repudiatur, retro nostrum non fuisse palam est.

Neque obstant oppositæ rationes. Ad primum concedo legatum transire ad hæredes facta repulsa, sed pego transire ex repulsa, transit namque ex successione, quæ impediebatur legatione facta. Ad secundum concedo iura, & actiones absolutas comprehendi sub bonis immobilibus propriis. At ius ad legatum, & hæreditatem non est absolutum, sed sub tacita conditione, si legatario placuerit, ac proinde est ius reuocabile, & imperfectum: eaque de causa non dicitur esse inter bona legatarij, *leg. pretia rerum, ff. Ad leg. falcid.* Ad tertium eodem modo respondeo transire ad Ecclesiam non absolute, sed reuocabiliter. Ad *leg. magis puto*, omissis aliis solutionibus probatur mihi responsio Sanch. *d. disp. 4. num. 12.* & Anton. Gomes *2. var. cap. 14. num. 14.* minori non solum alienationem, & dilapidationem suorum bonorum prohibitam esse, sed etiam lucri omissionem. At Prælatis non prohibetur omissio lucri, sed acquisiti lucri alienatio.

12 Sexta dubitatio est, an si aliquod legatum rei immobilis relinquatur monasterio incapaci retinendi rem immobilem, alienari possit à Prælato, & in proprios, & quotidianos vsus monasterij conuerti? Respondeo posse: quia illa bona non sunt monasterio ob eius incapacitatem incorporata, ex textu *in elem. exiui de verbor. significat.* At prohibitio alienationis est pro bonis Ecclesiæ incorporatis. Ergo. Deinde testator relinquens legatum rei immobilis monasterio incapaci, tacitè voluit legatum relinquere, vt illo vtatur eo modo, quo potest, quia præsumitur velle, vt legatum, eo modo quo fieri potest, firmum sit. Ergo præsumitur velle vt res illa alienetur, & in proprios vsus conuertatur. Sic Riccius *praxi fori Ecclesiastic. decis. 56. in 1. edit. & resolut. 53. in secunda edit.* Quaranta *in summ. bullar. verb. alienatio rerum Ecclesia. n. 41. vers. 6.* August. Barbosa *3. p. de potest. alleg. 95. n 59.*

13 Sed quid dicendum, si aliqua res pretiosa mobilis huic monasterio relinquatur, poterit ne vendi, & in sustentationem Religiosorum, aliosque vsus conuerti?

Negat Riccius *resolut. 53. num 5.* Barbosa *alleg. 95. num 59. fine*, quia sunt incorporata monasterio. At contrarium crederem probabile; eo quod tota ratio prohibitionis alienandi res mobiles pretiosas, quæ seruando seruari possunt, est, quia inter bona immobilia computantur, quorum alienatio omnino prohibita est non seruatis à iure solemnitatibus. At hæc prohibitio non procedit in legato rei immobilis relictæ monasterio incapaci retinendi: ergo à fortiori nec procedere debet in legato relicto rei pretiosæ mobilis, tametsi longo tempore conseruari possit, quia non videtur obligatus tale legatum conseruare in perpetuum.

§. II.

Quæ alienationes prohibitæ sunt, quæ permissæ: vbi expenduntur conditiones ad alienationem Ecclesiasticorum bonorum.

1 *Duplex est alienatio, pressa, & lata.*
2 *Non solum venditio, donatio, & permutatio, sed locatio ad longum tempus, feudum, & emphyteusis prohibita sit.*
3 *Iurans non alienare bona Ecclesiæ non potest in probabiliori sententia in feudum ea concedere, neque in locationem ad longum tempus.*
4 *Si iurasti bona Ecclesiæ non alienare inconsulto Pontifice: solum de illicitis, & prohibitis aliàs alienationibus intelligitur.*
5 *Quatuor enumerantur causæ honestandi alienationem.*
6 *Aliqua pro supradictis conditionibus considerabilia aduertuntur.*
7 *Consumptio, seu transmutatio vnius in aliud absque domini translatione licet.*
8 *Pro alienatione rerum mobilium, quæ seruari non possunt, & pro rebus modicis, nulla est in iure assignata solemnitas.*
9 *Tractatus in alienatione rerum immobilium, & mobilium pretiosarum requiritur.*
10 *Ité requiritur consensus expressus Collegij, & in forma Collegij.*
11 *Tertiò requiritur consensus superioris.*
12 *Quarto requiritur subscriptio Clericorum in casibus expressis.*
13 *Requiritur consensus Pontificis, vbi extrauag. Ambitiosæ, fuerit recepta.*
14 *Supradictæ conditiones an debeant seruari in legato relicto ea clausula, vt quoties Ecclesiæ visum fuerit, illud possit alienare? Affirmant plures. Probabilius oppositum.*
15 *Legatum relictum ea conditione, vt nunquam alienetur, seruatis supradictis conditionibus alienari potest.*
16 *Debet tamen superiori manifestari hæc conditio, si per modum dispensationis consensus impetretur.*

1 PRæmitto primò alienationem pressè, & latè sumi. Alienatio pressè sumpta est translatio dominij directi rei alienatæ *leg. 1. C. de fundo dotali*, & ibi glossa, & colligitur ex *leg. 1. Cod. de iure emphyteut.* latè sumpta est translatio cuiuscunque iuris,

iuris, & dominij iuxta *c. Nulli de rebus Ecclesiast. non alien. & leg. sancimus, cod. de rebus Ecclesiast. non alien.* Alienatio bonorum Ecclesiasticorum non solùm stricta, sed lata prohibetur, vt tenent Doctores omnes in discursu referendi, & constat ex *d. c. nulli, & ex toto tit. de Reb. Eccles. non alienand. & ex extrauag. Ambitiosæ, & clem. 1. eodem tit.* Permittitur autem alienatio, vt ex supradictis textibus constat, si in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cedat, & Pontifex consulatur, de quibus conditionibus statim dicam.

2 Ex his infertur non solùm prohibitam esse in rebus Ecclesiæ venditionem, donationem permutationem, sed etiam feudum, & emphyteusim, & locationem ad longum tempus; quia per hæc transfertur dominium vtile in feudatarium, & emphyteutam, & conductorem, & remouetur ab Ecclesia: sic Azor. *tom. 2. institut. moral. lib. 9. cap. 1. quæstion. 2.* Mol. Theolog. *tract. 2. de institt. disp. 464. & seqq.* Idem iuris est de pignoratitia actione, aut hypothecaria, nequaquam enim licet in rebus Ecclesiæ absque debita solemnitate, & conditionibus à iure requisitis: nam esto per hanc actionem non transferatur dominium absolutè, periculo translationis exponitur, casu quo deficiat, vnde principali obligationi satisfit: sic Couarr. 2. *var. cap. 16. num. 7.* Vasq. *de reditib. cap. 2. §. 4. num. 35.* Mol. & Azor. *supra.* Et ratio omnium est. Quia in materia fauorabili, qualis est hæc alienationis prohibitio, omnia hæc, per quæ transfertur in extraneum ius aliquod vtile, comprehenduntur, & per quæ constituitur in rebus Ecclesiasticis seruitus aliqua. Dubitant ergo Doctores, an hoc intelligendum sit de hypotheca generali, vel de speciali tantum? Pluribus relatis defendit Couarr. 2. *var. cap. 16. num. 7.* generalem hypothecam non prohiberi, sed solùm specialem. Idem tradit Molin. *tract. 2. de iustit. disput. 466. in princ.* idque videtur approbare Bonac. *disp. 3. de contract. feudi quæst. 8. par. 4. n. 31. fine.* Neque mihi displicet; quia ex generali hypotheca non tam res, quam personæ manent obligatæ; eáque de causa debitor, qui bona suo creditori generali tantum hypotheca obligauit, non impeditur ab illorum alienatione, neque sic alienata creditori submittuntur. Secùs vero procedit in speciali hypotheca. Et confirmari potest; quia seruus speciali hypothecæ obligatus manumitti non potest. Secùs verò si solùm per generalem hypothecam obligatus sit, *l. 3. c. de seruo pign. dato.*

3 Secundò infero, quid dicendum sit ad illam quæstionem, an iurans bona Ecclesiæ non alienare, peccet contra iuramentum, si ea tradit in pignus, vel hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim, aut in longi temporis locationem? Negat Couarr. 2. *var. cap. 16. num. 2.* Mouetur; quia in his quæ odiosa sunt, strictè debet fieri interpretatio. Ergo solùm de alienatione propria, qualis est ea, per quam directum dominium transfertur, intelligendum est. Cæterum, probabilius est oppositum. Quia iuramentum absolutè sumptum intelligendum est iuxta materiæ qualitatem: cum autem in hac materia alienationis bonorum Ecclesiasticorum non sola venditio, donatio, aut permutatio, sed etiam quælibet actio, per quam vtile dominium transfertur, intelligatur: fit sanè iurantem non alienare bona Ecclesiæ, & locantem ad longum tempus, & pignori, aut speciali hypothecæ subijcientem Ecclesiastica bona alienare, ac proinde periurum esse: sic Panormit. *cap. intellecto de iureiurando, num. 10.* Mol. *tractat. 2. de iustit. disp. 466. versic. ex dictis,* Vasq. *de reditib. cap. 2. §. 2. dub. 3. num. 24.*

4 Sed quid si iurasti, (vt sæpè iurare Prælati solent) non alienare vlla Ecclesiæ bona, nisi Pontifice consulto, an inquam hoc iuramentum extendatur ad quamlibet alienationem iure permissam, an solùm ad prohibitam?

Affirmat Azor. aliis relatis 2. *part. institt. moral. lib. 9. cap. 1. quæst. 9. vers. altera sententia,* extendi ad quaslibet alienationes sine reprobatas à iure, siue ab eo permissas; consentire videtur Mol. *tract. 2. disp. 468. vers. vt* Panormit. *cap. vt super his, &c.* & videtur consentire Nauarr. *com. de alienat. rerum Eccles. n. 14.* Mouentur, quia iuramentum aliquid debet operari: si autem ad solas alienationes prohibitas extenderetur, non apparet cuius vtilitatis sit. Secundò negari non potest extendi posse ad alienationes quascunque, vt sic cautius, & consultius fiant. Tertio, quia in *extrauag. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienand.* statuuntur pœnæ aduersus eos, qui inconsulto Romano Pontifice, aut contra illius constitutionis præscriptum tenorem res Ecclesiæ alienauerint. Ergo solus defectus consultationis Pontificiæ sufficit ad incurrendas pœnas, tametsi seruetur præscriptus ordo appositus in dicta constitutione: quia ad incurrendas pœnas, vel defectus consultationis, vel defectus alicuius conditionis requisitæ sufficit, si quidem sub disiunctione apponitur, & ad disiunctiuam sufficit vnam partem esse veram, ex *leg. plerumque, ff. de iure dotium, cap. in alternatiuis de Reg. iuris. in 6.*

Alij verò è contra sentiunt tale iuramentum comprehendere illicitas tantum alienationes, & contra formam iuris. Primò iurans non infeudare bona Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice, non intelligitur de feudo dato, & ad Ecclesiam deuoluto: quia hic est per se licitus, sed de noua feudi datione, quæ illicita est. Secundò iurans non alienare res Ecclesiæ, potest alienare inutiles, vt ait glossa *ex textu in cap. vt super de rebus Eccles. alienand. vel non* Calderin. *cons. 7. eodem. titul.* Federico de Senis *cons. 210.* Item potest alienare res modicas, vt tradit Panormit. *cap. vlt. de Eccles. ædificand. num. 9.* & Probat textus *in cap. terrulas, 12. quæst. 11.* Deinde iuramentum factum de non alienandis rebus Ecclesiæ, de alienatione illicita intelligitur; vt defendit Azor. *d. lib. 9. cap. 1. quæst. 17.* cum Panormit. *cap. vlt. de Eccles. ædificand. n. 3.* Qua ratione cum Præsul iurat perpetuò in Ecclesia commoraturum, non obstante illo iuramento potest abesse ex causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ Quia (inquit) iuramentum factum in materia iuris, ad iuris terminos restringi debet. Ergo iuramentum factum de non alienando, nisi consulto Romano Pontifice, intelligi debet de non alienando in illis casibus, in quibus Romanus consensus à iure postulatur. Et hic modus dicendi mihi probatur. Solum est dubium in quibus casibus Romanus consensus à iure expostulatur, iuxta *extrauag. Ambitiosæ.* Et breuiter respondeo expostulari in omnibus illis casibus, in quibus Prælati consensus, & tractus expostulabatur à iure: illis enim conditionibus voluit Paulus secundum consensum Pontificium addere. De aliis vero alienationibus, quæ nullum tractatum, nullumque consensum superioris, nullamque iuris solemnitatem postulant, consensus Pontificius non requiritur. Neque obstant in contrarium adducta. Ad primum negamus iuramentum nihil operari, cum operetur firmiorem reddere Prælatum in obseruandis à iure statutis. Ad secundum concedo extendi posse ad quaslibet alienationes: nego tamen de facto extendi. Ad tertium dico defectum consultationis Pontificiæ sufficere ad incurrendas pœnas in illis casibus, in quibus consultatio requiritur. At dicimus solùm requiri in illis casibus, in quibus requiritur tractatus, & episcopalis consensus.

5 Præmitto causam legitimam alienationis rerum Ecclesiasticarum multiplicem esse. Quatuor enumerant Doctores cum glossa *in summ. 12. quæst. 2.* sic Panormit. *cap. Nulli de Rebus Ecclesiast. non alienand. n. 15.* Sylvest. *in summ. verbo alienatio, quæst. 2.* Couar. 2. *var. cap. 17. num. 2.* Molin. *disput. 468.* Vasq. *opusc. de reditib. cap. 2. § 2. dubit. 9* Nauarr. *de alienat. rerum com. num. 3.* Azor. 2. *par institut. moral. lib. 9. cap. 1. quæst. 3.* Barbosa 3. *par. alleg. 95. n. 23.* Bonac. *disput. 3. de contract. vbi de feudo, quæst. 8. part. 4. n. 4.* Prima causa est necessitas, vt si Ecclesia grauetur ære alieno, nec sit soluendo nisi bona alienet; & constat ex *Authent. sancimus, C. de sacrosanct. Ecclesiis.* Secunda est vtilitas euidens Ecclesiæ; vt si vendatur ager, vt vtilior ematur, & calix, vt pretiosior habeatur: & habetur *cap. sine exceptione. 12. q. 2.* Tertia est incommoditas, seu inutilitas rei alienandæ: si enim res nullam vtilitatem præstat Ecclesiæ, & alienata præstare potest, negotium Ecclesiæ geritur in eius alienatione. Idem iuris est, si plures sumptus in ea colenda insumuntur, quam est vtilitas inde prouenientes: constat ex *c. terrulas 12. quæst. 2. & d. cap. sine exceptione, & clem. prima, de rebus Ecclesiæ, non alienand. leg. iubemus, Cod. de sacrosanct. Ecclesiis.* Supradictæ tres causæ ad vnam possunt reuocari, scilicet ad euidentem Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem, vt benè notauit Vasquez, & Molin. *supra.* Quarta causa est pietas, veluti cum necessaria est alienatio pro redemptione captiuorum, §. *sacra iust. de Rerum diuis.* vel pro alendis pauperibus, ne frigore, vel fame pereant, *leg. sancimus, C. de sacros. Eccl. & cap. currum habet Ecclesia. 12. q. 2.*

6 Aduerto tamen primo supradictas causas, vel aliquam illarum existere debere tempore alienationis; si quidem ex illa causa alienatio honestatur. Quod enim non est, nullam honestatem tribuere potest: sic Rebuff. *in compend. alienat. num. 73, in fine.* Praxis Neapolit. *cap. 89. num. 3.* Surdus *de aliment. tit. 8. priuileg. 58. num. 78. & tit 9. quæst. 11. num. 10* August. Barbosa 3. *part. de potest. episc alleg. 85. n. 17.* Bonac. *disp. 3. de contract. feudi, quæst. 8. par. 4. num. 5.* Aduerto secundo alienanti constare debere causam alienationis vere existere. Quia ex dubia causa alienatio facienda non est, cum non cedat in euidentem Ecclesiæ vtilitatem: & habetur expressè *cap. sine exceptione, 12. quæst. 2.* Quomodo autem hoc constare debet? Credo debere per informationem testium; quia alias rationem reddere non poterit suæ rectæ administrationis. Neque alio modo Episcopus præstat assensum, nisi præmissa priùs hac informatione, & citatis his, quorum interest, vt notauit Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis. 94. in prima edit. & resolut. 80. in 2.* Vnde cum alicui committitur à sede Apostolica, vt præstet assensum rebus alicuius Ecclesiæ alienandis, si ei legitimè constiterit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cedere alienationem, vel pauperibus alendis, aut captiuis redimendis esse grauiter necessariam, debet de iis informationem capere; alias non dicetur ei legitimè constare. Prax Neapolit. *cap. 60. num. 21.* Bonac. *supra n. 5.* & alij apud ipsos. Aduerto tertio quoties alienatio fit pro satisfaciendo ære alieno, quo Ecclesia est grauata, debitisque soluendis, cogitur emptor probare rerum venditarum pecuniam sic expensam esse: extat textus *in cap 2. §. hoc ius percipitur. 10. q. 2. lex regia 3. tit. 1. part. 5.* & relato Bald. Innocent. Imo a, & aliis tradit Couarr. *lib. 2. var. cap. 17. n. 3. versic. cæterum.* Ab hoc autem onere probationis eximitur emptor, si præmissis

tractatibus, aliisque solemnitatibus à iure requisitis pecuniam tradiderit, & res Ecclesiæ receperit; quia tunc præsumendum est in ipsius vtilitatem pecuniam versam esse: sic Couarr. *suprà*. Aduerto quarto, si necessitati pauperum, & satisfactioni æris alieni prouideri potest reditibus beneficij, tametsi applicati sint in ministrorum Ecclesiæ sustentationem, cessat tunc causa necessaria, aut vtilis alienandi bona immobilia, aut mobilia pretiosa Ecclesiæ; si quidem alia via minus damnosa sibi, & pauperibus prouideri potest. Neque obstat fructus, & prouentus applicatos esse in sustentationem ministrorum; quia videntur ipsis applicati sub eo onere, vt Ecclesiæ, & pauperibus, aliisque grauiter oppressis prouideant; cum id facere possunt absque graui incommodo: sic Praxis Neapolit. *cap.* 89. *num.* 4. Bonac. *disputat.* 3. *quæst.* 8. *part.* 4 *numer. quinto*, Riccius *verbo alienatio*, § *causa numero tertio*, & *dec.* 103. *versic. alienari*. Tabi. *verbo alienatio num.* 4. Aduerto quinto: non quamlibet necessitatem pauperum sufficientem esse ad bonorum Ecclesiæ alienationem, sed necessario debere esse extremam, vel saltem grauem valdè, præcipuè si indè diminuendus est diuinus cultus, vt optimè expendit Couarr. 2. *var. cap.* 16. *n* 8. *fine* Mol. *disp.* 468. *concl.* 2. arbitrio ergo Prælati relinquendum est.

Sed quid si in hanc necessitatem propria culpa deuenerunt; eo quod bona propria ludis, & luxuriis insumpserint, & grauati ære alieno in carcerem detrusi sint, vel alias famem patiantur? Respondet optimè Couarr. relatis hinc inde opinionibus, cui consentit Vasq. *in opusc. de reditib. cap.* 2. § 2 *dub.* 10. *num.* 37. & 38. Mol. *disput.* 468. *concluſ.* 2. si in extrema, vel grauissima necessitate sint constituti, debet Ecclesia illis alienatione suorum bonorum prouidere; quia culpa antecedens, non impedit obligationem charitatis, quæ est de subueniendo proximo indigenti, præcipuè cum præsumi potest illius culpæ pœnitere: & facit *cap. pasce.* 88. *dist.* At si non directè à culpa, tametsi ob illam constituti sint in extrema, vel grauissima necessitate, vt contingit, cum condemnati sunt ad triremes, carcerem perpetuum, vel mortem: in tali casu non solùm non tenetur Ecclesia, sed nec potest sua immobilia, aut pretiosa mobilia alienare. Quia ibi duæ necessitates concurrunt, altera proximi condemnati, altera reipublicæ scandalizatæ, & culpis condemnati læsæ, cui punitione delinquentis satisfieri debet. In hoc ergo concursu præstat reipublicæ satisfactionem permittere, potiusquam condemnato prouidere: sic Mol. Vasquez, Couarr. *suprà*.

7 Tertiò præmitto consumptionem, seu transmutationem vnius rei in aliam absque alicuius dominij directi, vel vtilis translatione non videri prohibitam illis textibus, in quibus facta est prohibitio alienandi res Ecclesiæ: quia sine translatione dominij directi, vel vtilis in alterum nulla est alienatio. Hinc fit licitum esse beneficiato ex calice vetusto, Ecclesiæque non necessariò crucem necessariam fabricare, ex oliueto antiquo, & ferè inutili vineam facere, quia non est alienatio, sed optima bonorum Ecclesiæ administratio. sic Riccius *decis.* 136. & colligitur ex Nauarr. *lib.* 3. *consil. conſ.* 6. Rodriq. *tom.* 1. *qq. regul. q.* 27. *art.* 4 His præmissis.

Vt quæstioni fiat satis, videndum est quæ solemnitas à iure expostulata sit pro alienatione rerum Ecclesiæ. Nam ex illius cognitione constabit, quæ sint alienationes permissæ, quæ prohibitæ.

8 Et quidem pro alienatione rerum mobilium, quæ seruando seruari non possunt, nullam esse signatam à iure solemnitatem constat ex textibus loquentibus de alienatione rerum Ecclesiæ, in quibus nulla de his fit prohibitio, sed potiùs concessio: *cap. Nulli de rebus Eccles. non alienand. & clem.* 1. *eodem tit. & extrauag. ambitiosæ. & authent de non alienand. & alijs*. Quapropter ille, cui est rerum Ecclesiæ integra administratio commissa, poterit hæc, si Ecclesiæ, piisque operibus vtile fuerit visum, alienare: sic glossa *d. cap. Nulli verbo immobilium*, & ibi Panormit. *num* 8. Item glossa *cap. tua de his quæ fiunt à Prælato sine consensu cap. verbo tractatu*, & ibi Panormit. *n.* 7. Vasq. *opusc. de reditib. cap.* 2. §. 2. *dub* 3 *in princip. num.* 44. Molin. *tract.* 2. *de iustit. disput.* 468. *concluſ.* 1. Augustin. Barbosa *de potest. episc.* 3. *part. alleg* 95. *num.* 37. idem quod dictum est de iis rebus, quæ seruando seruari non possunt, intelligi debet de rebus modicis, & parum Ecclesiæ vtilibus, per textum in *cap. terrulas* 12. *quæst.* 5. quia harum alienatio pro nihilo reputatur, neque ius illam considerat. Neque enim vult administratorem rerum Ecclesiasticarum ita rigide tractare: sic post alios antiquiores tradit Molin. *d. disputat.* 468. *versic. licet prædicta solemnitates*. Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici, decis.* 39. *in prima edit. & resolutione* 306. *in* 2. *edition.* Mascard. *de probat. conclus.* 277. *num.* 12. Quaranta *in summ. bullarum, verbo alienatio, num.* 41. Barbosa *de potest. Epis. cap.* 3. *part. allegat.* 95. *num.* 50. Bonac. *disput.* 3. *de contract. vbi de feudo, q.* 8. *p.* 4 *n.* 7. *vers. respondeo*. Ex quo inferunt Bonac. Mol. & alij plures posse Episcopum absque consensu capituli res Ecclesiæ modicas parumque vtiles alienare, non obstante iuramento emisso in eius consecratione de non alienandis rebus Ecclesiæ; quia iuramentum solum comprehendit alienationes illicitas, neque extenditur ad casus iure permissos. Quæ autem dicantur res exigui valoris, & parum Ecclesiæ vtiles prudentis arbitrio relinquendum est, iuxta tempus, & loci consuetudinem. Quaranta, Barbosa, Bonac. & Riccius *suprà*. Regulariter quæ valorem decem aureorum non excedit, exigua reputanda est, Praxis Neapolit. *cap.* 60. *num.* 3. Bonac. *loco citato*.

Quocirca de rebus solùm immobilibus, & mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari possunt, statuuntur à iure aliquot conditiones pro illarum alienatione, vt constat ex *cap. sine exceptione.* 12. *quæst.* 2. *cap. tua, de his quæ fiunt à Prælato sine consensu capituli: c. Nulli, & toto tit. de Rebus Eccl. non alienand. element.* 1. *extrauag. Ambitiosa eodem tit.*

9 Primò requiritur tractatus, seu communis examinatio de vtilitate, aut necessitate alienationis inter ipsos, ad quos res alienanda pertinet. Qui tractatus fit discutiendo rationes hinc inde propositas. Hæc enim diligentia facienda expressè habetur *clem.* 1. *de Rebus Eccl. non alien. & cap.* 1. & 2. *eod. tit. in* 6. *cap.* 1. & 2. *de his quæ fiunt à Prælato sine consensu capit. c. sine exceptione.* 12. *q.* 2. Solum est dubium, an sufficiat semel rem consuli, & tractari, an potiùs bis, vel ter tractari debeat? Respondeo cum communi sententia sufficere vnicum tractatum; quia in supradictis textibus solum in singulari fit mentio tractatus. Ergo sine fundamento multiplex expostularetur: sic relatis Glossa, & Doctoribus probat Couarr. 2. *var. cap.* 17. *num.* 1. Azor. 2. *part. instit moral. lib.* 9. *cap.* 1. *q.* 4. Vasq. *opusc. de Reditib. cap.* 2. § 2. *dub* 12. *n.* 41. Bonac. *disp.* 3. *de contract. feudi. q.* 8. *p.* 4. *n.* 7. Mol. *tract.* 2. *de iustit. disp.* 468. *vers. secundo dictum est*, & alij.

10 Secundo post tractatum, & discussionem factam de conuenientia requiritur consensus collegij, hoc est Canonicorum, si res alienanda sit Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, & religiosorum, si sit conuentus religiosorum, & clericorum beneficiatorum, si sit Ecclesia parochialis plures habens beneficiatos, vt benè tradit Mol. *disp.* 468. *concl.* 5. Sylues. *verbo alienatio q.* 4. Gama *decis.* 49. *n.* 2. Vasq. *n.* 42. At si beneficiatus non habeat, solus Rector de consensu Episcopi poterit alienare *cap.* 1. *de Rebus Eccles. non alienand. in* 6. & notauit Mol *disp.* 468. *concl.* 5. Hic autem consensus expressus debet esse, vt satis colligitur ex *c.* 1. *de his quæ fiunt à Prælato*: vocatur enim talis consensus collaudatio, quæ approbationem, & expressum consensum denotat: & tradit Mol. *versic.* 3. Vasq. Bonac. *suprà*. Debet tamen esse consensus à maiore parte capituli, & hic sufficit; quia tunc capitulum consentire censetur. An verò hic consensus debeat præstari à Clericis in Capitulo congregatis, vel sufficiat, si singuli seorsim consensum præstent? Sylues. *verbo alienatio. quæst.* 5. *ad finem*. Vasq. *dub.* 12. *ad finem num* 42. Bonac. *p.* 4. *n.* 7. censent sufficere singulariter esse præstitum. At credo probabilius contrarium cum Hostiens. & aliis apud Sylues. *suprà*. Quia singuli seorsim sumpti non faciunt collegium, neque capitulum, neque talis consensus singulorum est consensus collegij. At in supradicto textu requiritur collegij consensus. Dicitur namque in *cap. sine exceptione*, & cum totius cleri tractatu, atque consensu, &c. Item tractatus inter canonicos congregatos habendus est, vt de se constat. Ergo & consensus, cum eodem modo vterque expostuletur. Item textus in *cap.* 1. 2. & 3. *de his quæ fiunt à Prælato*, de consensu capituli loquuntur. Inquit enim textus in *cap. continebatur*: si conuentu sciente, & non contradicente. Item *cap. cum nos iam pridem. eodem tit.* ibi reclamante capitulo, &c. Addit tamen, & benè Panormit. *d. cap. irrita, de his quæ fiunt à Prælato, num.* 7. & Mol. *disp.* 468. *vers.* 3. si capitulum ob bellum, vel aliam causam vigentem abest, debere Prælatum loco capituli alios Clericos subrogare, quibus cum tractet, & consulat de re Ecclesiastica alienanda, & quorum consensum expostulet, illoque præstito poterit alienare.

Sed quid si capitulo non consentiente Prælatus alienet? Respondeo irritam esse alienationem ex *cap. irrita, cap. continebatur. De his quæ fiunt à Prælato, sine consensu capit* Excipe, nisi eam capitulum postmodum ratam habuerit ex *d. cap. cum nos pridem. De his quæ fiunt à Prælato*, &c. Et tunc reputanda est valida alienatio, non à tempore nuo ratam eam capitulum habuit: quia tunc adsunt requisita ad alienationem: sic ex Panormit. *cap. irrita de his quæ fiunt à Prælato, n.* 5. tradit Mol. *disp.* 468. *vers.* 3. *dictum est*. Aduerto tamen in nostra societate solum requiri tractatum cum consultoribus more solito, non tamen eorum, neque collegij, aut illius immediati superioris consensus, sed solum expostulatur, & sufficit Generalis consensus, iuxta *priuilegium Pij V. editum anno* 1566 *& Gregor.* XIII. *anno* 1575. & notauit Mol. *d. disp* 468 *concl.* 4.

11 Tertiò requiritur consensus superioris: habetur expressè text. 1. 2. & 3 *de his quæ fiunt à Prælato. cap. Nulli de rebus Eccles. non alienand. c. sine exceptione.* 12. *q.* 2. *& alijs*. Hic superior est Episcopus, seu Archiepiscopus in sua diœcesi pro alienatione rerum Ecclesiæ sibi subiectæ. At pro alienatione monasteriorum exemptorum regulariter est Prælatus, cui [illegible] subiiciuntur, vt Abbas in monasteriis monachorum, Prouincialis in ordinibus mendicantium, & in nostra societate solus Generalis

Generalis, & cui ipse commiserit: sic Azor.1.*p. instit. moral. lib.9.cap.1.q.4.* Bonac.*disp.3.de contract.q.8.p.4.num.7.* Vasq. *de restitut.cap.2.§.2.dub. 12. fine.* Mol. *tract.2.disp.468. vers. quarta conclusio.*

Nunquam tamen superior, v.g. Episcopus alienare bona Ecclesiæ inferioris potest absque illius Rectoris consensu: constat ex *cap.placuit.12.q.2.cap.si quis Episcopus.10 q.2. & cap.1.De reb.Eccles.non alienand.lib.6.* Quod ita verum habet, vt si Ecclesia inferior Rectore careat, & necessarium iudicet Prælatus bona illius alienare, debet constituere Ecclesiæ illius defensorem, qui partes Rectoris agat, & absque illius consensu nequit alienationem facere: dediditur *c.1.de rebus Eccles. non alienand. in 6.* & tradit Mol. *tract.2.disp.468.concl.5.* Bonac. *d. disp.3. q.8 p.4.n.7.circa finem.*

12 Quartò requiritur suscriptio Clericorum in casibus à iure expressis, qui tres tantum sunt, venditio, permutatio, & donatio *cap.1. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu capituli:* & tradit Azor.2.*p.lib.9.c.4.quæst.4.* Bonac. *disp.3. de contract. fendi.q.8.p.4.n.7.* Mol. *disp.468.vers.4.* Aduerto cum Armilla *verb.alienat.§.6.* Lessio *lib.2.cap.24.dub.10.* & Mol. & Bonac. *locis citatis*, subscriptionem necessariò faciendam non esse manu propria Clericorum, aut Religiosorum, sed sufficere, si fiat manu Notarij: quia id habet consuetudo. Item in pluribus locis hanc subscriptionem non requiri; ac proinde consuetudini in hac parte standum esse.

13 Quintò requiritur consensus Pontificis: vbi *extrauagans, Ambitiosa* fuerit recepta, quia sic ibi cauetur, Quapropter omnibus illis casibus, in quibus tractatus, & consensus Clericorum, & Prælati expostulatur, qui sunt quotiescumque res aliqua immobilis, aut mobilis pretiosa alienanda est, vel hypothecanda, aut impignoranda, aut in feudum, emphyteusimque tradenda, præter casus à iure expressos, debet consensus Pontificis expostulari: sic Bonac.*supra*, Barbosa *alleg.95 num.66.* & alij passim. Hic tamen Apostolicus consensus nunquam concedi solet, nisi prævia delegatione aliquorum qui sint in dignitate constituti, quibusque committitur, vt si ipsis de vtilitate alienationis constiterit, assensum nomine sedis Apostolicæ præstent, sin minus denegent: sic Barbos. *supra* cum Riccio *in praxi fori Ecclesiast. decis.94.in 1.edit. & resol.80. in 2.* Quod si quæras; an huiusmodi consensus Apostolicus ex temporis diuturnitate præsumatur: Respondeo cum communi sententia præsumi, si lapsi sint triginta, vel quadraginta anni post alienationem; quia ex diuturnitate temporis omnia præsumuntur gesta legitimè: nisi aliud manifestè constet ex instrumento alienationis, aut aliàs: sic pluribus firmat Praxis Neapolit *cap.88.* Mascard. *de probat. concl. 416. n.1.* Barbosa *3. p de potest Episcop.alleg.95.n.72.* Bonacin. *p.4.n.7.circa finem*, aduersus alios oppositum sentientes.

Ex his infertur alienationes factas, his conditionibus existentibus, permissas esse, illis verò deficientibus prohibitas.

14 Sed inquires, an supradictæ conditiones seruandæ sint in legato relicto ea clausula apposita, vt quoties Ecclesia voluerit illud alienare, & in proprios vsus conuertere, possit non seruata supradicta solemnitate? Negat Armilla *verbo alienatio num.19.* Quaranta *in sum.bullarum, verbo alienatio. num.31. & 32.* Riccius *Praxi, decis.67.* Bonac. *disput.3. de contract. q.8.p.4.num.8.* Mouentur, quia illa conditio reiicienda est tanquam turpis, & habenda pro non apposita, si quidem est iuri contraria. Item relictum Ecclesiæ incapaci retinendi sub conditione vt retineatur, non est obligata retinere, sed potest illud alienare.

Ergo similiter relictum sub conditione, vt possit alienare non seruata solemnitate, debet illud retinere, si solemnitatem in alienatione non seruat.

Cæterum mihi probabilius apparet, validam esse illam clausulam in legato; ac proinde Ecclesiam alienare illud posse non seruata solemnitate. Moueor, quia tunc Ecclesia ex potestate accepta à testatore legatum alienat: testator autem poterat suam rem absque solemnitate alienare. Ergo transferens rem Ecclesiæ, potuit cum ea potestate conferre. Secundò, testator potuit relinquere Ecclesiæ hæreditatem ea clausula apposita, vt post aliquot annos teneatur illam transferre in aliquem ex consanguineis, quem Ecclesia elegerit: sed ad hanc translationem nullus consensus Pontificius, nullúsque tractatus requisitus est, argum. *leg.1. & 3.Cod. quando decreto opus non est:* & tradit Quaranta *verbo alienatio rerum Ecclesiæ, num.45. limitat.16.* Vgolin. *de potest.Episcop.cap.14.§.7.num.5. in fine.* Barbosa *3.p.de potest. Episc. allegat.95.num.61.* Ergo neque etiam requiritur in nostro casu, cum in eo etiam sit quoddam fideicommissum, & ex voluntate testatoris alienatio non procedit.

Neque obstant contrariæ rationes. Ad primam nego reiiciendam esse illam conditionem, tanquam turpem & iuri contrariam, cum ius solùm prohibeat alienare res Ecclesiæ, quæ illius sunt absolutè; secùs illas quæ non sunt absolutè, & perpetuò Ecclesiæ, sed quamdiu Ecclesiæ placuerit illas retinere. Ad secundam respondeo esse disparem rationem. Qui enim legat Ecclesiæ incapaci retinendi ea conditione, vt retineat, manifestè constat obstare Ecclesiæ dispositioni, ac proinde turpem esse illam conditionem, & reiiciendam. At qui legat, ea conditione, vt legatum alienet, quando voluerit, non opponitur dispositioni, & iuri Ecclesiæ: hæc enim Ecclesia impedita non est alienare sine solemnitate in omnibus casibus, sed solùm in illis, in quibus res Ecclesiæ sibi absolutè relinquuntur, non in illis, in quibus pro limitato tempore conceduntur, vt fit in præsenti, si quidem conceditur legatum pro tempore, quo ipsa Ecclesia illud retinere voluerit.

15 Sed quid dicendum de legato relicto sub conditione, vt nunquam alienetur, poteris ne seruatis dictis conditionibus alienari? Negant aliqui, si Ecclesia habeat alia bona, quibus potest vtilitati, pietati, & necessitati consulere, quia tunc seruari potest talis conditio, neque est contratia iuri concedenti alienationem rerum Ecclesiasticarum in casu vtilitatis, necessitatis, vel pietatis: & facit textus in *authent. de alienat. & emphyteusi collat.9 §. sanctissimus*: vbi inquit Imperator res Ecclesiæ alienati posse pro captiuis redimendis, nisi eo pacto donatæ fuerint, ne alienari queant. Ne igitur hæc constitutio aliis iuribus concedentibus alienationem ex causa pietatis, necessitatis, vel vtilitatis contraria sit, dicendum videtur prohibere alienationem, dum sunt alia bona, quibus satisfieri necessitati, vel vtilitati, aut pietati potest, secùs cum non sint. Et hic modus dicendi est satis probabilis.

At probabilius reputo alienari posse tale legatum, tametsi Ecclesia alia bona habeat, quæ alienare possit: sic relatis Graffis, Hostiens. Innocent. Panorm. tradit Sylvest. *verbo alienatio. q. 28.* Azor.2.*part.instit.moral.cap.2.quæst 9.* Ratio est: quia habere Ecclesiam bona alia, quæ alienare possit, non impedit quo minus illius legati alienatio ex causa pietatis, vtilitatis, vel necessitatis, & seruatis solemnitatibus iuris fiat. Sed quoties fit alienatio ex causa pietatis, vtilitatis, vel necessitatis, & seruatis iuris conditionibus, à iure permittitur. Ergo non potest testator contrariam conditionem apponere; quia non potest iuri derogare. Ergo si apposita est, reiicienda est vt turpis: & hinc soluitur contrarium fundamentum. Ad textum in *authent. de alienat.* respondeo non posse legatum alienari pro captiuis redimendis, si eo pacto donatum fuit, vt non alienetur, nisi captiui extremam, vel valdè grauem patiantur necessitatem: id enim operatur conditio, vt non pro quacunque necessitate alienari legatum possit.

16 Quod si inquiras, an superiori qui præstare debet consensum in huius legati alienatione, debeat conditio manifestari. Respondeo si impertrandus est consensus per modum dispensationis, qualiter solet à Pontifice impetrari, necessariò facienda est mentio illius conditionis; quia Pontifex vel non concederet rescriptum, vel non eodem modo, si talis ei conditio manifestaretur: Sic Riccius *decis.45.* Bonac. *disp.3.de contract.q.8. part.4. num.9.* At si consensus non per modum dispensationis, sed per modum approbationis causarum ad alienationem requisitarum præstetur, non caret probabilitate mentionem illius conditionis omitti posse; quia illa conditio non immutat potestatem alienandi ex iusta causa, & seruatis à iure conditionibus, magis quam si apposita non esset, ac proinde in hac parte habetur pro non adiecta.

§. III.

An in cessione iuris, & permutatione rerum Ecclesiasticarum sint supradictæ conditiones seruandæ.

1 *Duplex est ius acquisitum, & acquirendum.*
2 *Transactio, remissio, aut concordia de rebus ab Ecclesia possessis fieri non potest absque supradictis conditionibus.*
3 *In cessione legati relicti non est necessariò seruanda supradicta solemnitas.*
4 *Caducitatem emphyteutæ potest Prælatus remittere.*
5 *Permutatio, alienatio est.*
6 *Cum alia Ecclesia an fieri possit, negant plures.*
7 *Probabilius est posse spectato iuris rigore, secùs ex consuetudine.*

1 DVplex ius considerari potest. Primum acquirendum. Secundum acquisitum. In cessione iuris acquirendi nulla est necessaria solemnitas; quia non est alienatio. Secùs in cessione iuris acquisiti: sic omnes Doctores.

2 Hinc fit transactionem, remissionem, aut concordiam aliquam de rebus ab Ecclesia possessis fieri non posse absque debita solemnitate: quia tunc ius acquisitum alienas: secùs vero si fiat de rebus, in quarum possessione Ecclesia non existit: quia tunc non alienas, quod habet Ecclesia, sed quod speras sub dubio habere remittis pro alicuius rei certæ acquisitione: sic Rebuff. *in compend.alienat.num.21.* Quaranta *sum. bellar. verbo alienatio.n.20. & 43. limit.12.* Barbosa *3. p. de potest.Episc.alleg. 95.n.63.* Bonac. *disp.3.q.8 p.4.n 20.*

3 Secundò fit in cessione legati relicti non esse necessario seruandam solemnitatem iuris, quia, vt supra diximus ex probabiliori sententia, illa cessio non est alienatio, quia non est iuris quæsiti, sed acquirendi.

4 Fit

4 Fit tertiò posse Prælatum, qui est dominus directus emphyteusis, remittere absque prædicta solemnitate caducitatem emphyteutæ, qui incidit in comm:ssum ob non solutam pensionem; quia illa rem:ssio non est cessio alicuius iuris acquisiti absolutè, sed acquirendi, si ipse voluerit: sic Iulius Clar. §. *emphyteusis q.*10. *vers sed nunquid* Riccius *dec.*135. *&* 136. Sanch. *lib.*6. *de matr. disputat.*4. *num.*13. Rebello *de obligat. iustit. lib.*13. *q* 11. *num.*7. Vgolin. *de potest. Episc. cap.*14. §.7. *num.*5. Augustt. Barbosa *de potest. Episc. alleg.*95. *n.*64. Bonac. *disp.*3. *de contract. feudi, q* 8. *part.*4. *fine.*

5 Quod si de permutatione loquamur, constat manifestè permutationem alienationem esse; quia est translatio dominij quod in vnam rem habes, & alterum loco illius acquiris; ac proindè fieri non potest sine prædicta solemnitate *cap.*1. *de his quæ fiunt à Prælato sine consens. capit.*

6 Solum est dubium, an hæc locum habeant in permutatione cum alia Ecclesia? v.g. an possis calicem pretiosum pro aliquo ornamento, & vnam hæreditatem pro hæreditate alterius Ecclesiæ permutare absque prædicta solemnitate? Negat Quaranta *in summ. bullar. verbo alienatio. num.*15. Bonacina *disp.*3. *de contract. vbi de feudo, quæst.*8. *part.*4. *num.*20. *versic. ex quo patet.* Mouentur, quia in *cap. capellas,*10. *q.*2. & clarius in *cap. sine exceptione* 12. *q.*2. *& cap.*1. *de his quæ fiunt à Prælato sine consens. & in extrauag. Ambitiosæ,* eodem modo prohibetur permutatio, ac prohibetur venditio, & donatio; sed apud omnes constat venditionem, & donationem rerum vnius Ecclesiæ celebrari non posse cum altera absque prædicta solemnitate. Ergo neque permutationem.

7 Nihilominus sectato iuris rigore censeo probabilius permutationem fieri posse absque prædicta solemnitate: sic docet Riccius *prax. rerum fori Ecclesiastici, decis.*74. *in* 1. *edit. & resol.*60 *in* 2. *dec.*38. *in* 1. *edition. & resolution.*53. *in* 2. Triuisan. *decis.*56. *part.*2. Augustt. Barbosa 3. *part. de potest. Episcop. allegat.*95 *num.*55. Probant ex eo quod in permutationibus his Ecclesiasticis omnino cessat ratio prohibitionis alienandi res Ecclesiæ, quæ est, ne res Ecclesiæ ab Ecclesia exeant, & prophanis vsibus applicentur: quod satis constat ex procemio *extrau. Ambitiosæ*: ibi *prophanis vsibus applicare, aut cum maximo illorum, aut diuini cultus detrimento exquisitis mediis vsurpare præsumunt*: quæ verba cum sint procemialia causam finalem dispositionis indicant, *leg. fin.* & ibi Panormit. *n.*3. *ff. de hæredib. instituend.* At ex his permutationibus res Ecclesiastica terminos Ecclesiæ non transgreditur, neque prophanis vsibus applicatur, sed eodem modo Ecclesiastica manet, ac antea. Ergo aduersus hanc permutationem non procedit lex prohibens: si quidem solum præsumi debet extendi ad ea, ad quæ extenditur finis in prohibitione intentus: iuxta textum in *c. cum cessante, de Appellation.* Cæterum hæc ratio mihi non probatur: nam ex ea aperte sequitur non, solùm permutationem, sed etiam venditionem, & donationem fieri posse absque dicta solemnitate, si cum aliis Ecclesiis celebretur: quia etiam in donatione, & venditione alteri Ecclesiæ facta, non egreditur res terminum Ecclesiæ, neque prophanis vsibus applicatur: & tamen nemo dicet venditionem, aut donationem etiam inter ipsas Ecclesias fieri posse absque dicta solemnitate. Ergo idem est affirmandum de permutatione. Quapropter dicendum est *extrauag. Ambitiosæ*, apposuisse in procemio non causam finalem, sed impulsiuam ad illam prohibitionem faciendam, ac proinde etsi cesset, non cessare dispositionem. Quod autem illa fuerit impulsiua, & non adæquatè finalis, inde colligitur; quia illa prohibitio non fuit denuò lata, sed antiqua renouata, & confirmata. Antiqua autem prohibitio alienandi non solum facta est, ne res Ecclesiæ prophanæ vsibus applicentur, sed ne res Ecclesiæ pereant, sed potius conseruentur, qui finis sine dubio læditur qualibet permutatione inter Ecclesias facta; quia multiplicatione permutationum passim res in interim venit. Adde esto concedamus in *extrauag. Ambitiosæ*, finem prohibitionis fuisse, ne res Ecclesiæ prophanis vsibus applicentur, dicere debemus esse finem non prohibitionis vtcumque, sed prohibitionis sub illis rigorosis pœnis. Quocirca cum in permutatione, (& idem est de venditione, & donatione) cum aliis Ecclesiis res Ecclesiastica prophanis vsibus nequaquam applicetur; efficitur non contrahi supradictas pœnas. Omissa ergo hac ratione, hæc mihi videtur efficax, quæ sumitur ex *c. ea enim,* § *sibi inuicem,*10. *quæst.*2. dicente sibi inuicem rectè permutant cum vtriusque indemnitate, eorum scilicet consensu interueniente, qui suprà referuntur: ex *capite primo de rebus Eccles. non alienand.* ibi *non licet Episcopo, vel abbati terram vnius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamuis amba in eius sint potestate, tamen si commutare voluerint terras earum, cum consensu ambarum partium faciat,* Item *ex clement. tertia in capit. ad quæstionem. De rerum permutat.* respondente huic quæstioni in hæc verba, *cum de dictis parochialibus Ecclesiis per se quæat permutatio celebrari; & in permutatione possessionum per se non sit inhibitum, si altera ratione possessionum alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad inuicem, prout visum fuerit expedire, refusa certa pecunia quantitate, poterit contractus permutationis iniri, sic tamen quod illi contractus nequaquam sibi inuicem misceantur.* Ex his ergo constat permutationem bonorum Ecclesiasticorum inter Ecclesias fieri posse consentiente Prælato.

Neque obstat aliquos text. eodem modo prohibere permutationem, ac prohibent donationem, & venditionem; quia sufficit quod in aliis textibus permittatur permutatio inter Ecclesias, non tamen venditio, & donatio: & text. quantum fieri potest, debent esse conformes, neque admittenda est illorum correctio sine claro fundamento.

Verum etsi spectato iuris rigore hoc ita sit: at ex consuetudine recepta eadem solemnitas in permutatione, ac in venditione, & donatione requiritur, idemque Apostolicus consensus & tradit Riccius *resol.*60. *in fine, & resolut.*35. *in fine.* Barbosa *alleg.*95. *n.*57. *fine.*

§. IV.

An supradictæ conditiones seruandæ sint in concessione feudi, & emphyteusis.

1 *In prima concessione seruandæ sunt dictæ conditiones.*
2 *Illis positis dari potest feudum, & emphyteusis in perpetuum, etiam hæredibus extraneis.*
3 *Pro feudo iam concesso renouando non sunt necessariæ dictæ conditiones.*
4 *Tres conditiones requiruntur, vt non reputetur noua alienatio, sed prioris renouatio,*
5 *Quando emphyteusis Ecclesiastica censenda sit transire ad hæredes extraneos, &c. Breuiter respondetur sub multiplici distinctione.*

1 SI emphyteusis & feudum, concedendum primo est, non est dubium seruandas esse dictas concessiones. Tum quia ita habetur in *c.*1. *de his quæ fiunt à Prælato sine consens. capit.* Tum quia in *extrauag. Ambitiosæ*, excipitur emphyteusis in casibus à iure permissis, ergo extra illos procedit prohibitio facta. Casus autem à iure permissus est res solita dari in emphyteusim, ad cuius veritatem fateor sufficere vnicam concessionem, vt multis probat Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.*26. *n.*3. Barbosa *alleg.*95. *n.*36. Ergo extra hunc casum seruandæ sunt conditiones supradictæ. Deinde quia concessio feudi seu emphyteusis est vera alienatio dominij vtilis, & cuiusdam Ecclesiasticæ seruitutis. Requirit ergo conditiones ad alienationem expostulatas: sic omnes Doctores.

2 Positis autem supradictis conditionibus potest feudum, & emphyteusis in perpetuum dari, etiam pro hæredibus extraneis: sic aliis antiquioribus relatis docent Couarruuias 1. *var. cap.*17. *num.*4. *&* 5. Iulius Clar. *lib.*4. *sentent.* §. *emphyteusis quæstion.*6. *numer.*4. *& quæst.*28. *num.*5. 9. *&* 10. Vasquez *de reditib. cap.*2. §.2. *dub.*16. *num.*57. Mol. *disput.* 469. *conclus.*1. & constat ex *Authent. de alien. & emphyteusi.* §. *licentiam*: vbi corrigitur *Authent. de non alienand.* §. *emphyteusim*, concedens emphyteusim solum ad vitam accipientis. Ratio est manifesta; quia ius canonicum, cui in hac parte standum est, omnem venditionem, donationem, permutationem, & emphyteusim prohibet non seruata iuris solemnitate: ea tamen omnia absque vlla exceptione concedit si solemnitas obseruetur. Ergo emphyteusis concedi potest in perpetuum. Et confirmo: quia alienatio per venditionem, aut donationem facta maior est, quam per emphyteusim perpetuam, cum in venditione transferatur dominium directum, in emphyteusi solum vtile: sed concurrente solemnitate iuris licet venditio, & donatio rerum Ecclesiasticarum. Ergo etiam licere debet emphyteusis.

3 At si feudum, & emphyteusis non denuo concedenda sunt, sed antiqua, & iam concessa renouanda, non petit talis renouatio conditiones à iure requisitas in alienatione rerum Ecclesiæ, modo illa res non sit denuo Ecclesiæ incorporata. Probo, quia illa renouatio non reputatur alienatio, sed continuatio prioris alienationis factæ: & tradit Quaranta *in sum. bullar. verbo alienatio rerum Ecclesia, num.*39 *&* 40. Menoch. *de arbitr. casu* 81. *à n.*5. *& cons.*66. *n.*31. *& cons.*79. *num.*1. *& seqq.* Mol. *disp.*469. *conclus.*6. Couarr. 2. *var. cap.*17. *num.*4. Vasquez *in opuscul. de reditib. cap.*2. §.2. *dub.*16. *num.*57. Bonac. *disp.*3. *de contract. quæst.*8. *p.*4. *num.*30. Gonzalez *reg.*8 *cancellar. glossa* 6. *n.*194. Augustt. Barbosa 3. *part. de potest. Episcop. alleg.*95. *num.*29. & alij apud ipsos.

4 Vt autem renouatio illius feudi, & emphyteusis continuatio prioris alienationis reputetur, & non noua alienatio, tres requiruntur conditiones. Prima, vt eodem modo concedatur, ac priùs fuit concessa, ita vt si priùs emphyteusis non se extendit ad hæredes extraneos, neque in renouatione extendatur: & si pro vita vnius tantum concessa fuit, non concedatur pluribus. Qualibet enim variatione in his facta non censebitur continuatio antiquæ emphyteusis, sed noua emphyteusis concessio: sic Iulius Clar. §. *feudum quæst.*13. Riccius *in praxi rerum fori Eccl. decis.*26. *in vtraque edit.* Mar. Anton. Gen. *c.*60. *n.*6. Barbos. *d. allegat.*95. *n.*32. Mol. Bonac. & alij *locis citatis.*

Secunda

Secunda conditio est, vt adsit euidens Ecclesiæ vtilitas in hac renouatione, sicut adfuit in antiqua concessione, alias illicita erit: sic Barbosa *num.*34. Riccius *decis.*5. *in vtraque edit.* Cæsar. de Graffis *decis.*4. *de locato.* Ex quo fit, si datum fuit prædium sterile in emphyteusim, vt sic ad culturam reduceretur, & finita emphyteusi iam non sterile, sed fructiferum redditum est, renouari non potest emphyteusis, nisi ex noua causa vtilitatis Ecclesiæ superueniente. Tum quia prima cessauit. Tum quia moraliter reputatur alia res ab ea, quæ data fuit primo: sic Marc. Anton. Genuens. *cap.*60. *num.*6. *vers. primus.* Praxis Episcopal. *cap.*1. *num.*32. Barbosa aliis relatis 3. *part. de potest. Episc. alleg.*95. *num.*33. Est autem sufficiens causa renouandi emphyteusim remuneratio obsequij in ea facti; quia sic excitantur alij ad similes meliorationes faciendas, & peculium Ecclesiæ augetur, quod fortè cessaret, si scirent emphyteutæ rem sterilem accipientes finito tempore signato conductionis sibi emphyteusim reddendam non esse: sic Caldas Pereira *de nomine emphyt. quæst.*23. *num.*60. *& quæst.*12. *num.*2. Barbosa *num.*26. Tertia conditio est, vt res non sit iterum Ecclesiæ incorporata; quia per incorporationem omnino extinguitur prima alienatio, & res facta est Ecclesiæ, ac si ab ea nunquam discessisset: sic Mol. *disp.*468. *concluſ.*8. *vsque in finem.* Bonac. *disp.*3. *de contract. quæst.*8. *p.*4. *num.*30. Dicitur autem Ecclesiæ incorporata, quoties ij, ad quos administratio pertinet, decernunt eam non alienare, præsumitur autem sic decretum esse, si finita emphyteusi anno integro administrator ab illius renouatione abstinuerit: sic Mol. *tr.*2. *de iust. disp.*468. *circa fin.* Ex his infertur rem semel alienatam cum solemnitate effici perpetuo alienabilem absque solemnitate: sic pluribus comprobat Gonzales *reg.*8. *cancellar. glossa* 6. *num.*194. Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiastici: decis.*26. Barbosa *alleg.*95 *n.*32. Quod intelligendum est, si adsint supradictæ tres conditiones.

3 Sed inquires, quando emphyteusis Ecclesiastica censenda sit transire ad hæredes extraneos, quando in perpetuum, quando pro tempore determinato.

Plura in hoc quæsito inuoluuntur, quæ latiorem explicationem expostulant, illis ergo pro tenuitate nostra satisfaciemus, cum de emphyteusi erit sermo, Breuiter nunc respondemus. Primo, si concessio sit facta cum expressione in perpetuum, seu ad quoslibet successores, aut hæredes, quos emphyteuta voluerit relinquere, clarum est, esse concessionem in perpetuum; quam diximus etiam in emphyteusi Ecclesiastica fieri posse: sic aliis relatis docet Mol. *tract.*2. *de iustit. disput.*469. *concl.*1. Vasquez & Couar. statim allegandi. Dubium tamen est, an talis concessio non solùm ad hæredes descendentes, sed etiam ascendentes, & extraneos transeat. Et de emphyteusi priuata omnes conueniunt extendi. De Ecclesiastica sunt variæ sententiæ: probabilius credo ad ascendentes, & extraneos extendi, ex *Authent. de alienat. & emphyteusi*, §. *licentiam*: & quia ascendentes proprissimè hæredes sunt; & quia ab Ecclesia concessa est facultas alienandi res Ecclesiæ in perpetuum seruata solemnitate: quod fieri non posset in emphyteusi, si ad extraneos, & ascendentes non transiret emphyteusis: & ita docet Couarr. 2. *var. cap.*17. *num.*5. *concl.*4. Mol. *tr.*2. *de iustit. disput.*469 *post primam concl.* Iulius Clarus *lib.*4. *senten.* §. *emphyteusis, quæst.*28. *num.*6. Secundò, respondeo, si res Ecclesiæ detur in emphyteusim pro se suisque hæredibus, tertiam generationem non transcendit, neque ad hæredes extraneos deuenit, ex text. *in Authent. de non alien.* §. *emphyteuſ.* sic pluribus relatis firmat Cou. 2. *var. cap.*17. *num.*5. Vasquez *in opusc. de reditib. cap.*2. §.2. *dub.*17. *num.*59. Nomine autem hæredum non solum viri, sed feminæ debent intelligi, ex *suprad.* §. *emphyteuſ.* & multis exornat Couarr. *cap.*18. *num.*1. & Vasquez *loco citato.* Tertiò, respondeo, si data sit emphyteusis alicui pro se, suisque filiis, inter filios æqualiter est emphyteusis diuidenda, neque potest pater vni assignare omissis aliis: quia filiis non competit emphyteusis ex voluntate patris, sed ex voluntate domini concedentis emphyteusim: quam voluntatem pater mutare non potest *c.*5 *in princ. de succeſſ. feudi* tradit aliis relatis Couar. *d. c.*18. *num.*2. Mol. *disput.*474. *vers. quando parens.* Vasq. *dubio illo* 17. *num.*60. Excipe tamen nisi aliud expresse à concedente esset determinatum: quod satis colligeretur, si diceret: concedo tibi, tuisque liberis, vt ipsis tanquam hæredibus deferatur: tunc enim voluntati patris præelectio relinquitur, sicut & melioratio: sic Vasquez *num.*6. & Couarr. *supr. num.*2. *concl.*4. Quartò, respondeo, si emphyteusis data sit alicui pro se suisque filiis, & descendentibus, ad extraneos non transit, neque ad ascendentes; competit tamen filiis, tametsi hæredes non sint, sed hæreditatem renunciauerint: quia illis relinquitur non qua ratione hæredes sunt; sed quia sunt filij, & emphyteutæ descendentes. Vasq. *num.*61. Cou. *num.*2. *concl.*5. Quintò respondeo, si alicui, eiusque filiis, & hæredibus emphyteusis relinquatur, ad filios deuenit si hæredes sint; quia dictio copulatiua, *& hæredibus*, denotat rationem relinquendi filiis emphyteusim, non esse tantum, quia filij sunt, sed quia hæredes esse præsupponuntur: sic Cou. *n.*16. Vasq. *n.*61. Ex vi tamen huius concessionis, si emphyteusis Ecclesiastica est, quæ sua natura ad extraneos non transit, non competit hæredibus extraneis. Secus verò si ex sua natura ad hæredes extraneos transmittatur, vt est emphyteusis sæcularis: quia dictio illa, *& hæredibus*, non limitat significatum filij, vt ad solos filios hæredes debeat emphyteusis deuenire, sed potiùs illius significationem auget, vt faciat hunc sensum, deueniat ad filios, quia hi iam hæredes præsupponuntur, & deueniat etiam ad eius hæredes, &c. sic docuit Cou. & Vasq. *suprà.* Sextò, respondeo, si data fuerit emphyteusis alicui, eiusque liberis, absque eo quod addatur hæredibus, & successoribus, liberis competit, tametsi patris hæreditatem repudient; quia talis emphyteusis non est hæreditaria, sed ex pacto: sic Cou. 2. *var. cap.*18. *n.*4. *vers.*7. Secùs dicendum est, vt ipsemet Couarr. ex Bart. notat, in feudo illa forma relicto; quia feudum nunquam potest ad filios repudiantes hæreditatem patris deuenire, tametsi hæreditarium non sit, ex text. in *cap.*1. *An agnati, & filij.* Septimò, respondeo, si nulla facta mentione filiorum, hæredum, aut successorum Titio emphyteusis concedatur, talis emphyteusis hæreditaria non est; ac proinde ad filios non hæredes pertinere potest. Secùs dicendum de feudo, quod nunquam ad filios non hæredes pertinet, bene tamen ad agnatos. Quod si inquiras, quando dicatur emphyteusis, aut feudum hæreditarium, quando ex pacto? Respondeo hæreditarium dici, quando expressè in constitutione feudi, vel emphyteusis mentio fit hæredum, vt si dico tibi, tuisque hæredibus, &c. Non hæreditarium est; quando nulla mentione facta hæredum relinquitur, vel quando relinquitur alicui, eiusque liberis, & descendentibus: hæc omnia latè, & optimè defendit Iulius Clar. *lib.*4. *sentent.* §. *emphyteusis, quæst.*16. Aluar. Valasc. *de iure emphyteut. quæst.*43. *&* 44. Mol. *tract.*2. *de iustit. disp.*472. *per totum.*

§. V.

Quæ conditiones in alienatione iuris patronatus, & sepulchrorum seruandæ sint.

1 *Ius patronatus inter bona immobilia computatur.*
2 *Qua ratione alienari possit.*
3 *Ius sepulchri vendi non potest.*
4 *Ius sepulchrorum, & patronatus qua ratione ad successores deueniat.*

1 COnstat ius patronatus inter bona immobilia, vel saltem immobilia pretiosa computandum esse; ac proinde si apud Ecclesiam existat, alienari non potest à Rectore, non seruatis supradictis conditionibus, illis verò seruatis alienabile est; quia nullibi specialis eius alienatio interdicitur.

2 Aduerto tamen per venditionem illius directè factam nunquam alienari posse: quia vt dicemus disput. de Simonia; pretio adæquari non potest; quia est quid spirituale. At consequenter benè vendi potest vendita hæreditate, cui tale ius annexum est, vt latius ibi; & pluribus comprobat Lambertin. *lib.*1. *de iure patronatus, 2. part. q.*3. *art.*15. *n.*4. Item alienari potest per donationem; quia in hac nulla rebus sactis irreuerentia committitur: quæ donatio si fiat Ecclesiæ, vel loco pio, non indiget Episcopi consensu, indiget tamen si fiat laico: text. in *cap. quod autem, & c. illud, de iure patron.* & tradit Lambert. *de iure patron. lib.*1. *p.*2. *q.*1. *art.*2. *&* 3. Rochus de Curte *de iure patron.* verbo *ipse velit*, *q.*7. *n.*16. Mol. *de primog. l.*1. *c.*24. *n.*13. Item potest alienari permutatione cum iure patronatus alicuius Ecclesiæ, vel loci pij, & hoc absque Episcopi licentia, ex text. *in c. Nemini* 16. *q.*7. & tradit glossa *c. cum sæculum, verbo emptorem, & clem.*2. *verbo libere. de iure patronat.* Si autem permutatio fiat cum priuato, Episcopi consensum necessariò requirit, si ius patronatus sit Ecclesiæ; si vero sit ius patronatus priuatorum, probabilius etiam est requiri Episcopi consensum: tradit Roch. Curte *suprà, q.*16. *n.*30. Lambert *q.*3. *art.*1. 2. *&* 3. Mol. *n.*14.

3 Quod si de iure sepulchrorum loquamur (quod vt ipse, suisque hæredes, successores, & quicunque ab eo signati, in loco ab Episcopo benedicto sepeliantur, & nullus alius) certum est vendi non posse; quia est quid spirituale. Excipe tamen nisi venderetur tanquam accessorium alicuius prædij habentis hoc ius; si tamen prædium ita habet ius illud sibi annexum, vt nulla alia via, ius ad sepulchrum pateat, nisi per illud prædium: tunc enim vendito prædio transfertur & ius ad sepulchrum, sicuti de iure patronatus dictum est.

4 Qua vero ratione ius patronatus, & ius sepulturæ ad successores deuenire possit, non est huius loci disputare, videatur Mol. *de primogen d. cap.*24 Couarr. 2. *var. c.*18. *à n.*8.

§. VI.

An alienatio rerum Ecclesiasticarum absque iusta causa, vel sine debita solemnitate valida sit tam in foro externo, quam conscientiæ.

1 *Absque causa legitima alienatio facta nulla est, tametsi aliqui contrarium sentiant.*

2 *Quid*

2 *Quid dicendum est, etiamsi Ecclesia existimauerit causam legitimam adesse?*

3 *Si alienatio facta est pro satisfaciendis debitis, debet creditor probare pecuniam mutuatam versam esse in Ecclesiæ vtilitatem.*

4 *Si adsuit causa legitima, tametsi conditiones alienationis non fuerint seruatæ, plures censent alienationem valere.*

5 *Probabilius est non valere, tam in foro externo, quam conscientiæ.*

6 *Res alienata Ecclesiæ absque legitima causa, vel debita solemnitate Ecclesiæ restituenda est, cum omnibus eius fructibus.*

7 *Quæ sint pœnæ alienantium absque causa, vel debita solemnitate.*

1 QVoad primum attinet, si alienatio fiat absque causa legitima, glossa *in summ. 12. quæstion 2. & cap. sine exceptione, verbo profuturum 12. quæstion. 2.* & alij quos referunt Panormitan. & Couarruuias *locis allegandis*; sentiunt validam esse alienationem, dari tamen Ecclesiæ restitutionem in integrum: iuxta textum in *cap 1. de in integrum restitut.* Mouentur; quia non indigeret Ecclesia beneficio restitutionis, si contractus nullus esset: quia beneficium restitutionis est remedium extraordinarium, quod non datur ei, cui iure remedium ordinarium competit. *leg. in causa, C. 2. ff. de Minorib.* At si alienatio ipso iure nulla est facta absque legitima causa, remedium ordinarium nullitatis competeret Ecclesiæ, & cessaret beneficium restitutionis in integrum. Ergo dicendum non est, esse nullam alienationem.

Cæterum omnino tenendum est deficiente legitima causa alienandi, alienationem nullam esse, non solùm in foro extetno, sed conscientiæ: sic docent Panormit. *cap. 1. de in integr. restitut num. 17. cap. tua, de his quæ fiunt à Prælato, num. 8. cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. n. 7.* Couar. plures referens, *lib. 2. var. cap. 17. n 4.* Molin. *de contract. tract. 2. disput. 468. vers. sexta conclusio*: Bonac. supponit *disput. 3. de contract. feudi, quæst 8. p. 4. num. 5.* Probatur manifestè ex *cap. sine exceptione. 12. quæst. 2.* in quo textu declaratur nulla alienatio, quæ in vtilitatem Ecclesiæ non cedit: & *cap. 1. de rebus Eccles. non alienand. in 6.* declaratur alienatio irrita, cui defecit legitima causa alienationis, cui consentit *extrauag. Ambitiosa, eodem tit.* Neque obstat contrarium fundamentum: ex duplici enim capite Ecclesia potest petere sibi restitui rem alienatam: Primo, si absque legitima causa alienauit; & tunc non perit restitutionem, quasi validus fuerit contractus alienationis factus, sed petit restitutionem rei, cuius dominium transferre in alium non potuit. Secundo, petere potest rei alienatæ restitutionem, quia esto fuerit alienata ex legitima causa, & debita solemnitate: at fuit in pretio enormiter læsa, & ratione enormis læsionis restitutionem in integrum petere potest, iuxta textum in *c. nostram, de rebus Eccles. non alienandis.*

2 Sed quid si Ecclesia existimauit causam legitimam adesse? Plures Doctores firmant validum esse contractum; quia saltem in foro externo causa adfuit legitima. Neque credendum est Ecclesiam velle alienationem bona fide factam irritare: sic glossa *c. ad nostram de Rebus Eccles. non alienand. verbo enormes*: Felin. *c. quæ in Ecclesiarum, de constit. col. 1.* & alij quos refert, & sequitur Cou. *2. var. cap. 17. n. 2.* Mol. *de contract. tract. 2. disp. 468. concl. 6.* Bonac. *disp. 3. de contract. feudi q. 8. p. 4. n. 6. fine.* Addunt etiam supradicti Doctores, Mol. & Cou. in contractu adesse causam legitimam, si in eo seruata fuerit forma à iure præscripta, tametsi Ecclesia admittatur ad probandam illegitimitatem causæ, si se videt deceptam. Cæterum etsi supradicta sententia valdè probabilis sit, probabilior mihi videtur negans valere talem contractum. Tum quia text. absolutè irritant alienationem sine causa factam, sed præsumptio causæ non infert causam, ergo non infert valorem in alienatione. Tum quia rarò, aut nunquam posset declarari contractus nullus, si quidem celebrantes contractum, præsumi debent sibi visum fuisse iustam habere causam contrahendi, & ita tenet Nauarr. *comm. de alienat. rerum Ecclesiæ, n. 9. vers. octauo annotato.*

3 Aduertunt tamen, & benè Cou. & Mol. *ibi, & disp. 300. per totam*, si alienatio bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum facta sit pro satisfaciendis Ecclesiæ debitis, æreque alieno soluendo obligatum esse creditorem probare pecuniam mutatam versam fuisse in Ecclesiæ vtilitatem, alioquin alienatio non tenebit. Ratio est, quia alienatio bonorum bonorum absque legitima causa non tenet, sed quando pecunia mutata versa non est in vtilitatem Ecclesiæ, Ecclesia non tenetur illam soluere, vt expressè habetur *Authent. hoc ius porrectum, C. de de sacrosanct. Ecclesiis, & c. 2. §. hoc ius porrectum. 10. q. 2. & leg. 3. tit. 1. part. 5.* Ergo non adest causa legitima alienandi, dum non probatur à creditore obligatam sibi esse Ecclesiam ad debiti solutionem.

4 Quoad secundum attinet de defectu solemnitatis requisitæ. Non desunt Doctores graues, qui sentiant validam esse alienationem, modo adfuerit legitima causa: sic Nau. *comm. de alien. rerum Eccl. n. 17.* Azor. *2. part. instit lib. 9. c. 1. q. 9 fine.* Sylu. *verbo alienat. n. 13.* Angel. *eodem n. 14* Rodriq. *c. 1. q regul. q. 27. art. 9.* Quaranta *sum bullar. verb. alienatio, n. 34. & 50.* Probatique potest, primo, quia adæquatus finis statuendi has solemnitates in alienatione est, ne Ecclesiæ fiat præiudicium. Ergo si constat nullum præiudicium fieri, cessat prohibitionis ratio, ergo cessat prohibitio. Secundo. Contrahenti cum Ecclesia absque dicta solemnitate liberum non est stare contractui, aut illum reiicere, sed necessariò stare debet contractui, dum ab Ecclesia non repellitur; vt multis comprobat Sarmiento *1. part. de reditib. c. 2. n. 18.* Prax. Neapolit. *c. 88. n. 1.* Ergo signum est contractum valere, alias licitum illi esset ab eo resilire.

5 Nihilominus probabilius censeo talem alienationem inualidam esse, tam in foro externo, quam in conscientia, sic aliis relatis Cou. *2. var. c. 17. n. 2.* Mol. Theolog. *tract. 2. de instit. disp. 468. concl. 6.* Vasq. *in opusc. de reditib. dub. 14.* Sarmiento *1. p. de reditib. c. 2.* Bonac. *disp 3. de contract. feudi, q. 8. p. 4 n. 10.* Fundamentum præcipuum sumitur ex variis textibus, in quibus alienatio bonorum Ecclesiæ absque debita solemnitate facta expressè irritatur: sic enim constat ex *c. sine exceptione. 12. q. 2. c. tua, de his quæ fiunt à Prælato, c. Nulli, de rebus Eccles non alien. & c. 1. eodem tit. in 6. & clem. 1. & extrauag. Ambitiosa, eodem.* Finis autem huius irritationis non est læsio, & fraus Ecclesiæ, quæ hoc, vel illo casu contingere posset omissa solemnitate in contrahendo, sed est læsio, & fraus, quæ communiter, & in plurimum ex illius omissione ei potest prouenire. At hic finis semper perseuerat, quantumuis vnus vel alius contractus factus fuerit in Ecclesiæ vtilitatem. Ergo contractus, in quo est omissa solemnitas, semper manet irritus. Et confirmari hoc potest, quia probata in foro externo omissione solemnitatis in contractu, declaratur contractus irritus, tametsi probetur in fauorem Ecclesiæ factum fuisse. Ergo etiam in foro conscientiæ sic debet reputari; quia forum conscientiæ externo conuenit, cum externum falsæ præsumptioni non innititur, vt sæpè dictum est.

Ex his manet soluta prima ratio contratia. Ad secundam concedo in foro externo non permitti contrahentem cum Ecclesia, vel minore absque solemnitate resilire à contractu in pœnam fraudis, quam præsumitur contrahendo intentasse. Quapropter ad has fraudes vitandas, & Ecclesiæ vtilitari prospiciendum conceditur Ecclesiæ, vt si ipsa velit stare contractui facto absque solemnitate, alius non possit resilire; si verò velit illum repellere, censetur repulsus: sic optimè tradit Sarmient, & Vasq. *supr.*

Aduerto temen hanc approbationem contractus debere Ecclesiam solemniter facere; quia tunc de nouo contrahit; si quidem prior contractus nullus fuit ipso iure: sic Vasq. *de reditib. d. c. 2. §. 2. dub. 14 fine.*

6 Ex supradictis constat rem alienatam ab Ecclesia absque legitima causa, vel debita solemnitate restituendam asse Ecclesiæ cum omnibus eius fructibus, & prouentibus deductis expensis quia contractus nullus fuit; constat ex *c. si quis, de rebus Eccles. non alienan.* & tradit Mol. *disp. 468. concl. 6.* Vasq. *d. c. 2. §. 2. dub. 15.* Bonac. *disp. 3. de contract. feudi, q. 8. p. 4 n 12.*

Ecclesia vero non tenetur pretium illi reddere. Primo, si mala fide contractus celebratus est; quia ob delictum commissum pretio priuatur emptor in Ecclesiæ vtilitatem; ex *l. iubemus, & ex Auth. qui res. C. de sacrosanct. Eccles.* sic Mol. Bonacin. *supra.* Secundò, si ex tali contractu locupletior Ecclesia facta non est, tametsi bona fide ex parte emptoris contractus fuerit celebratus; quia tunc non Ecclesia, sed his qui nomine Ecclesiæ contrahit, tenetur emptori pretium reddere, & indemnem seruare. Secus vero si Ecclesia pretium retinet, vel locupletior ex contractu facta est; quia tunc ipsa tenetur: sic Mol. Vasquez & Bonacin. *locis citatis.* Emptor autem in tali casu retinere rem Ecclesiasticam, aut eius fructus potest titulo recompensationis prætij sibi reddendi, dum pretium sibi ab Ecclesia non redditur, sic Vasq. & Bonac. *suprà.*

7 Tandem inquiri poterat, quæ pœnæ essent impositæ alienantibus, vel alienatum recipientibus extra casus à iure permissos, vel absque debita solemnitate? Respondeo nullam ipso iure pœnam impositam esse, locis illis, in quibus *extrauagans Ambitiosa*, recepta non est: illam autem in hac parte ferè nullibi esse receptam testatur Syluest. *verbo alienat. q. 15.* Sarmiento *1. part. de reditib. cap. 2. n. 20* Vasq. *eodem in opusc. cap. 2. §. 2. dub. 7. n. 32.* Bonac. *disp. 3. de contract feudi, q. 8. p. 4. n. 14.* Suar. *l. 5. de censur. disp. 23. sect 6. n. 3.* Nauarr. *sum. cap. 27 n. 149.*

Verum illis in locis, in quibus dicta extrauagans constitutio recepta est, puniuntur alienantes, Episcopi, & Abbates interdicto ab Ecclesiæ ingressu, in quo si per sex menses perduauerint suspenduntur à regimine, & administratione tam in temporalibus, quam spiritualibus Ecclesiæ, cui præsunt. Quod si alienantes inferiores Episcopis, & Abbatibus sint, priuantur beneficio, vel officio illius, cuius bona alienare præsumpserunt, insuperque excommunicationem incurrunt, qua etiam recipientes alienatum comprehenduntur. Constat ex supradicta constitutione.

TRA

TRACTATVS XIII.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

AD Religionem pertinet de beneficiis tractare. Tum quia sunt annexa spirituali officio, & ministerio. Tum quia sunt stipendia & merces in ministrorum Ecclesiæ sustentationem designata. Huiusmodi tractatus sex disputationes continebit. Prima erit de beneficiorum natura, de qualitatibus, & effectibus. Secunda de iis, qui beneficia prouidere possunt. Tertia de forma seruanda in illorum prouisione. Quarta de iis, quibus beneficia sunt conferenda. Quinta de beneficiorum vtilitatibus, & oneribus. Sexta de beneficiorum vacatione, & extinctione.

DISPVTATIO I.

De beneficiorum Ecclesiasticorum naturæ, conditionibus, & effectibus.

PVNCTVM I.

Quid sit beneficium Ecclesiasticum.

1 *Expenditur eius definitio.*
2 *Explicatur, qua ratione sit ius spirituale.*
3 *Quæ ad beneficium requirantur.*
4 *Ius competens ratione beneficij sitne perpetuum. Proponitur ratio dubitandi.*
5 *Resolvitur debere esse perpetuum, prout est ab Ecclesia beneficium institutum.*
6 *Spectato iure canonico sub nomine beneficij solum comprehenditur perpetuum.*
7 *Satisfit rationi dubitandi, num. 4. posit a.*

1 SI nominis etymologiam accipias, beneficium est gratia alicui collata in eius vtilitatem, sic Rebuff. *in tract. tit. 1. quid sit benefic. num. 2. & 3.* Azor. 2. *part. instit. moral. lib. 7. cap. 1. quæst. 1.* Sed hæc est nimis lata acceptio, & communis cuilibet mercedi sæculari à principibus sæcularibus factæ. Quapropter in præsenti non de hac lata beneficij acceptione, sed de beneficij Ecclesiastici natura agendum est. Varias definitiones beneficio Ecclesiastico Doctores assignant, vt videri potest in Ioanne de Selua *tract. de benefic. 1. par. quæstion. 1.* ea tamen mihi magis probatur, quæ affirmat beneficium Ecclesiasticum esse ius spirituale percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ: sic tradit Azor. 2. *part. instit. moral. lib. 3. cap. 1. quæstion. 2.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 1. num. 1.* Tolet. *lib. 5. summ. cap. 76.* Gonzalez *super reg. 8. cancell. glos. 5. in princ.* Nicol. Garc. *tract. de benefic. 1. part. c. 2. n. 2.* Vasquez *in opusc. c. 1. de benefic. dub. vlt. n. 6.* & alij.

2 Dicitur esse ius, quia beneficiatus ratione beneficij sibi collati potestatem habet percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis. Est tamen hoc ius spirituale, non in se formaliter, sed in radice, quia ex radice spirituali nascitur, qualis est officium, & ministerium spirituale, dicendi horas canonicas, prædicandi verbum Dei, vel ministrandi sacramenta: cui officio, & muneri ius percipiendi fructus, quod beneficium vocatur, annexum est: Quocirca, vt benè notauit Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 1. num. 1. & 2.* in beneficio tria reperiuntur. Primò est officium, & spirituale ministerium, seu obligatio ad illud, quod non est beneficium, sed illius fundamentum, & causa: estque tale ius omnino spirituale. Secundum est percipiendi redditus, & prouentus ob tale officium, & hoc ius est propriè beneficium, quod in se spirituale non est, sed spirituali annexum. Tertium est fructus, & prouentus ex bonis percepti, qui temporales sunt.

3 Ex huiusmodi definitione manifestè constat ad beneficium requiri, primo, vt authoritate Episcopi erectum sit. Tum quia nullus priuatus potestatem habet annectendi ius percipiendi fructus, officio spirituali. Tum quia nullus alius habet potestatem sacrandi fructus: iuxta text. *in cap. ad hæc de religiosis domibus.* Secundò requiritur, vt connexionem habeat cum spirituali munere, & officio; si quidem ob illud datur, *cap. fin. de Rescript. in 6.* Tertiò, vt conferendum sit clerico, non laïco: *cap. Cum adeo, de Rescript. cap. ex litteris, de Transaction. cap. in Ecclesia, de Constitutionibus*; quia iuris spiritualis laici capaces non sunt. Quartò, vt ab Ecclesiastica persona, & non à laïco conferri debeat. *cap. Messana, de electione, cap. si quis deinceps, cap. nullus laicorum: cap. per laicos 16. quæst. 7.* Quintò, vt purè, & absque pacto, & conditione aliqua extrinseca confertur: *cap. si quis obiecerit. c. 1. quæst. 3. cap. quam pio. 1. quæst. 1 1. cap. vlt. de Pactis cap. 2. de electione*: omnia enim spiritualia ab iis pactis, & conditionibus immunia esse debent, sic plurib⁹ relatis, Barbosa *3. part. de potest. Episcop. alleg. 57. n. 14.*

4 Solum est difficultas; an hoc ius spirituale percipiendi fructus, quodque beneficium constituit, debeat esse perpetuum, an sufficiat esse temporale.

Ratio difficultatis est; quia ob solam perpetuitatem distinguitur beneficium à pensione Ecclesiastica: nam Ecclesiastica pensio ius est spirituale percipiendi fructus ex alieno beneficio; at quia non est ius perpetuum, sed cum vita pensionarij finitur; ea de causa beneficium non est. Item vicarius Episcopi & parochi ius habet percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ durante vicariatu: at quia non est ius perpetuum, beneficiatus non est. Ergo de ratione beneficij est esse ius perpetuum. E contra verò beneficia regularia, & manualia, quæ ad nutum sunt amouibilia, beneficia nuncupantur. Ergo de ratione beneficij non est ius perpetuum.

5 Dicendum est de ratione beneficij ab Ecclesia de facto instituti, esse ius perpetuum percipiendi fructus: colligitur *ex c. sanctorum. 70. dist. c. penult. de clerico ægrotante, cap. si gratiosè de rescript. in 6.* & tradunt omnes Doctores variant tamen in explicando, quæ perpetuitas sufficiat ad beneficium. Sed respondeo sufficere perpetuitatem in ipso beneficio, tametsi non sit in beneficiato: si enim Prælati authoritate erectum sit, & institutum, ius aliquod spirituale perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, beneficium erit, esto illud habens non perpetuo habeat, sed pro voluntate superioris. Nam hæc dependentia à voluntate superioris, non mutat ius spirituale percipiendi fructus, cum ob officium spirituale detur. Ergo neque beneficij natura. Item ex remotione talis beneficij à beneficiato non perit beneficium, sed vacat. Ergo beneficium de se perpetuum est. Ergo hæc perpetuitas sufficit. Adde quoties alicui beneficium confertur absque temporis limitatione, in perpetuum confertur ex se, si quidem in perpetuum durare potest, cui perpetuitati non obest superioris authoritas auferendi cum maluerit vt probat text. *cum glossa in c. clericos, de cohabit. cleric. verbo perpetuum. & leg. iurisperit. ff. de excusat. tutor. & leg. sufficit. de condit. indebiti*: & tradit Nicol.

Garc. *tr. de benefic. 1. p. cap. 2. num. 79.* Perez de Lara *de capel. lib. 2. c. 1. à n. 7.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 1. n. 3.* Azor. *2. part. instit. moral. lib. 3. cap. 26. quæst. 12.* Ergo ad rationem beneficij non requiritur, vt beneficiatus perpetuo, & irreuocabiliter illud habere debeat, sufficit si ipsum beneficium de se ita perpetuum sit, vt sublatum ab vno alteri sit conferendum.

Dixi de ratione beneficij ab Ecclesia instituti esse ius perpetuum: quia existimo posse Ecclesiam instituere beneficia pro aliquo tempore determinato, & sic institutа veram habere rationem beneficij: quia saltem pro illo tempore esset ius spirituale percipiendi fructus: sic tradit Vasquez *opusc. de benefic. c. 4. dub. 3.*

6 Verum etsi hoc in rigore ita sit: at in iure canonico, & ex communiori acceptione beneficij solum venit intelligendum beneficium; quod & in se perpetuum est, & etiam in beneficiato perpetuatur, est enim quasi matrimonium celebratum inter beneficiatum, & Ecclesiam, quam sibi vt sponsam accipit, eaque de causa perpetuitatem requirit: sic aliis relatis docet Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 29. num. 106.* probatque *text. in c. Sanctorum 70. dist. dicto c. si gratiosè de rescript. in 6.* Hac enim ratione hæc beneficia ad nutum amouibilia, quæque in titulum perpetuum non conceduntur sub regula Cancellariæ de reseruatione non cadunt, vt multis probat Caldenn. *consil. 26. num. vnico, de præbendis.* Staphileus *de litter. gratia. tract. de formis expectatis in noua forma. n. 29.* Gonzal. *suprad. glossa 5. per sequentes paragraphos.* Item neque sufficiunt pro titulo ad ordines recipiendos: vt probat Garc. *tr. de benefic. 1. part. cap. 2. num. 90. & seqq.* cum tamen ex Concilio Trid. beneficium sit sufficiens titulus ad ordines. Item sæcularis impetrans beneficium à Pontifice non potest virtute huius gratiæ importare beneficium manuale: quamuis id sæculare sit, quia non est propriè beneficium. Staphil. *suprà*, quem refert, & sequitur Sanchez *in Decal. ap. 29. num. 106.*

7 Et ex iis soluitur ratio dubitandi. Concedo enim pensionem beneficium propriè non esse, qualiter de facto ab Ecclesia nomen beneficij vsurpatur, quia non est ius perpetuum percipiendi fructus, sed cum pensionario extinguitur; & ita tradit Gonzalez *ad reg. cancell. glossi. 5. §. 5.* Flamin. *de resignat. lib. 1. quæst. 10. num. 69 & lib. 2. quæst. 13. à num. 11. & lib. 11. q. 4. num. 13.* Azor. *2. part. lib. 3. cap. 5. quæst. 2. & lib. 8. cap. 5. q. 4. & 5.* Garcia *1. part. de benefic. cap. 5. num. 3.* Suar. *de relig. t. 1. tract. 3. lib. 4. cap. 26. & cap. 23 num. 1. & 2.* Idem quod dictum est de pensione, dicendum est de beneficiis manualibus ob contrariam rationem, deficere quidem à ratione beneficij communiter accepti, quia in beneficiato non perpetuantur, tametsi in se perpetua sint: sic Nauar. *cons. 9. de officio ordinar. & cons. 27. de præbendis.* Gonzales *ad reg. 8. cancellar. glossi. 5. §. 6. n. 21.* Petr. Gregor. *de benefic. c. 1. num. 13.* Ludouic. Gomez *de expectatiuis, num 94.* Staphileus *de litter gratia 9. forma expectatiuarum, num. 29.* & alij. Vicaria Episcopi, aut Parochi aliis rationibus à beneficio excluditur, & quia de se perpetua non est, & quia non confertur institutione, vt est ab omnibus receptum.

PVNCTVM II.

Quotuplex beneficium sit.

1 *Multiplex est.*
2 *Aliud sæculare, aliud regulare, & quæ hæc sunt.*
3 *Aliud duplex, aliud simplex, & quodlibet illorum explicatur.*
4 *Item est manuale, & non manuale.*
5 *Item est electiuum, & collatiuum, seu mixtum.*
6 *An sub nomine beneficij in priuilegiis, facultatibus, & dispensationibus supradicta omnia comprehendantur.*
7 *Sub nomine beneficij omnia comprehenduntur, exceptis manualibus.*
8 *In facultate conferendi omnia beneficia tam simplicia, quam duplicia veniunt.*
9 *Excipiuntur beneficia collatiua.*
10 *Quæ comprehendantur sub mandato de prouidendo, & sub dispensatione,*

1 ENumerabo præcipuas beneficij diuisiones, alias remitto videndas in Ioanne Selua *tr. de benefic. part. 1. q. 2.* Rebuff. *in praxi. tit. quotuplex sit benefic.* Azor. *2. part. lib. 3. cap. 1. quæst. 4.* Petr. Gregor. *de benefic. cap. 10.* & aliis referendis.

2 Primò beneficij diuisio est in sæculare, & regulare. Colligitur hæc diuisio ex *cap. 1. sessione. 10. de reb. Eccles. non alien. & ex cap. cum de benefic. cap. cum singula, de præbendis, in 6.* Regulare beneficium illud dicitur, quod Religiosis tantum conferendum est, quale est Abbatia, Prioratus, Canonicatus regularis, & aliquæ parochiæ. Sæculare est, quod per sæculares regitur, & administratur: sic aliis relatis docent Azor *suprà, quæst. 4. & lib. 4. cap. 26. q. 1.* Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 2.* Garcia *tractat. de benefic. 1. part. cap. 6. num. 12.* Vt autem aliquod beneficium regulare dicatur, non sufficit, quod ad Regulares eius collatio, aut præsentatio pertineat, neque quod ipsi religioni vultum sit: cum hæc omnia sæculari beneficio competere possint, sed necessariò requiritur, quod per Regulares administretur: sic aliis relatis docet Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. glossa 8. num. 38.* Sanch. *lib. 7. sum. cap. 29. num. 13.* Dupliciter beneficium regulare constituitur. Primò ex fundatione, vt si fundatur beneficij statuat esse per Regulares administrandum: cui fundationi Episcopus consentire debet. Secundò fit regulare, si tempore quadragenni pacificè, & continuo per regulares administretur: quia præscriptione obtinetur hæc qualitas, tametsi antea à sæcularibus fuerit administratum; vt expressè decidit *cap. cum de beneficio, de præbendis, in 6.* Quoties autem non constat beneficium regulare esse, semper sæculare præsumitur. Tum quia Ecclesiæ fauorabilius est; si quidem in illorum regimine, & administratione liberius procedit. Tum quia cathedram, & omnium beneficiorum radicem, nempè Pontificatum imitatur, qui beneficium sæculare est, sic multis relatis tradit Mascard. *de probation. concl. 172.* Thom. Sanch. *lib. 7. cap. 29. numer. 12.* Garcia *de benefic. 1. part. 6. num. 12. & 7. part. cap. 11. in princ.* Tusebus *concl. 54. litt. B. numer. 4.* Gonzalez *super reg. 8. Cancell. glossa 7. num. 1.* Barbosa *de potest. Epis. 3. part. alleg. 57. num. 167.* possessio autem adiudicanda est secundùm vltimum statum, in quo beneficium vacauit: nam si vacauit per obitum personæ regularis, regulare est censendum, è contra sæculare, si per obitum sæcularis: sic Sanch. *lib. 7. in decal. cap. 29. n. 18.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glossi. 7. num. 23.* Barbosa *dicta alleg. 57. num. 168.* Garcia *7. part. capite 10. num. 34.* Et ratio est, quia per statum præcedentem est beneficium in possessione constitutum. Ergo absque manifesta ratione ab illa remoueri non potest.

3 Secundò diuiditur beneficium tam sæculare, quam regulare in duplex, & simplex. Duplex beneficium est, quod est qualitate aliqua iuris affectum, nempè iurisdictione aliqua in Clerum, vel administratione rerum Ecclesiasticarum, vel locali aliqua præeminentia. Ex quo fit quadruplex esse genus beneficiorum duplicium. Primum est beneficium curam animarum habens, quod si absque vlla iurisdictione fori externi, & iudicialis sit, qualia sunt omnia parochialia beneficia, quorum beneficiatus solum habet in foro externo potestatem, & iurisdictionem suis parochianis administrandi sacramenta. Dicitur beneficium curatum, si tamen adiunctam habeat fori externi iurisdictionem, tametsi careat iurisdictione pro foro interno, & pœnitentali, vocatur tale beneficium dignitas. At si omni iurisdictione caret, habet tamen rerum Ecclesiasticarum administrationem, tale beneficium officium nuncupatur; quod si nullam iurisdictionem, neque administrationem habet: obtinet tamen in conuentu clericorum sedem eminentiorem, dicitur personatus. Quocirca beneficia duplicia sunt quatuor, digitas, officium, personatus, & simplex curatum. Reliqua autem beneficia aliquam ex iis qualitatibus non habentia, simplicia dicuntur, quales sunt omnes canonicatus Ecclesiæ cathedralis, & collegiatæ, nullam aliam qualitatem habentes, præter chori assistentiam, & altaris seruitium: in casu autem dubio beneficium non præsumitur duplex, sed simplex. quia qualitas non præsumitur nisi probetur: & tradit Cardinal. Tusc. *litt. B. concl. 63. num. 4.* Garcia *de benefic. 2. p. c. 6. num. 8.*

4 Tertio dicitur beneficium in manuale, & non manuale. Manuale dicitur, quod pro voluntate conferentis tolli potest ex aliis causis quam à iure permissis. E contra non manuale est, quod semel collatum tolli non potest, nisi ex causis à iure concessis: sic *glossa in Clem. etsi principalis, verbo electione, de rescriptis. & Clem. quia regulares, de supplenda negligent. prælat.* sic Azor. *2. p. institut. moral. lib. 3. cap. 1. q. 4. §. quarto.* In casu dubij beneficium præsumendum est perpetuum, & non temporale, quia perpetuitas qualitas est beneficij propria.

5 Quartò diuiditur beneficium in electiuum, & collatiuum, seu mixtum. Electiuum est, quod ab aliquibus eligitur à superiore conferendum. Collatiuum est, quod nulla indiget electione, sed pro voluntate superiorum confertur: mixum quod nominante, seu designante patrono superiori confert: sic aliis relatis docet Azor *suprad. q. 4. vers. sexto.* Garcia *de benef. 1. par. cap 6. num. 14.* Quando autem aliqui ita eligerent, vt eorum electio esset simul beneficij collatio, tale beneficium potius dicitur collatiuum, quam electiuum, sic relatis Cardinal. Franco, Felino, & aliis docet Garcia, *de benefic. prima parte. capite sexto, num. 23.* Nunquam tamen in dubio est præsumendum electiuum, aut mixtum. Tum quia non est qualitas beneficij propria, sed extrinseca, & accidentalis. Tum quia prouisioni liberæ Episcoporum præiudicat.

Sed inquires, an sub nomine beneficij absolutè sumpti in priuilegiis, facultatibus & dispensationibus omnia beneficia tam simplicia, quam duplicia; tam regularia, quam sæcularia; tam manualia, quam non manualia; tam collatiua, quam electiua comprehendantur?

7 Dicendum

7 Dicendum est primo, beneficium in sua propria significatione omnia supradicta beneficia, quæ propriè beneficia sunt, comprehendere, atque adeò (exceptis manualibus, quæ propriè beneficia non sunt) comprehendit tam sæcularia, quam regularia, tam simplicia, quam curata, quia non est specialis ratio, quare magis vnum, quam aliud comprehendat; & nomen absolutè prolatum supponit pro iis, quibus ratio significata per nomen propriè conuenit: cum autem omnibus supradictis ratio beneficij propriè competat; efficitur sub nomine beneficij omnia supradicta comprehendi, & ita tenet glossa *in c. si gratiosè, verbo beneficia, de rescriptis, & c. 1. verbo beneficia, de rerum permutat. in 6.* Abbas *in cap. postulasti, de rescript. n. 2.* Felin. *n. 4.* Decius *n. 12.* Selua. *1. p. de benefic. q. 3.* Garcia *alios referens, 1. p de benefic. cap. 6. n. 37.* Tuschus *litt. B. concl. 59.*

8 Dico secundò. In facultate, & priuilegio alicui concesso conferendi beneficia, omnia beneficia tam simplicia, quam duplicia comprehenduntur; quia hæc facultas est fauor, & gratia principis, neque communi derogans iuri. Ergo est latè interpretanda, Ergo comprehendit omnia beneficia, nisi ex subiecta materia aliud colligatur: sic tradunt Azor. *2. part. instit. moral. lib. 3. cap. 44. quæst. 7. &* 8. Tuschus *litt. B. concl. 59.* Gonzales *super reg. 8. Cancell. glos. 6. num. 25.* Garcia *1. part. de benefic. à num. 40.* Quod si dicas huiusmodi facultatem à Pontifice concessam cedere in præiudicium ordinarij, penes quem stat potestas beneficia conferendi. Ergo est strictè interpretanda, vt solum beneficia simplicia comprehendat, & non curata, neque dignitates. Facilè respondetur, negando fieri ordinario præiudicium; si quidem ei non tollitur ex supradicta potestate ius aliquod conferendi, sed iuuatur in illo. Ex quo iuuamine, & potestate dici non potest ordinarius pati in sua potestate præiudicium: sicuti non patiuntur parochi præiudicium, ex eo quod religiosis facultas absoluendi à peccatis concedatur, ipsosque parochos adiuuent in ministerio, quod ipsi præstare tenentur.

9 Solum ab hac regula excipi debent beneficia electiua, quæ esto sub nomine beneficij latè sumpti propriissimè comprehendantur tamen ob qualitatem illam electionis, qua affecta sunt, non comprehenduntur. Neque enim præsumi potest Pontificem velle beneficiorum qualitates mutare; mutaret autem in beneficiis electiuis, si independenter ab electione prouisionem concederet. Ergo non est credendum sub facultate generali prouidendi de beneficijs beneficia electiua comprehendi, & ita tenet Gomezius *in reg. de annali, q. 11. Paris. cons 31. part. 4. n. 21.* Gonzalez *glossa 19. super reg. 8. Cancellar.* & probat textus *clem. 1. de prabendis, in fine*, ibi nullam de electione fecerimus mentionem, & *cap. cum in illis de prabendis. in 6.*

10 Dico tertiò. In facultate alicui concessa, vt prouideatur de primo beneficio vacaturo, non comprehenditur curatum, neque dignitas, neque canonicatus Ecclesiæ cathedralis, sed solum aliud beneficium simplex: Nam esto in proprietate sermonis omnia illa beneficia comprehendantur: at iuxta stylum, & consuetudinem restringitur, quoad fieri potest, ex voluntate concedentis concessio, ne ambitionem foueat: sic, aliis relatis, docet Garcia *1. p. de benefic. cap. 6. à n. 49.*

Ex quo à fortiori constat in dispensatione ad beneficium facta illegitimo, vel aliàs irregulari strictam interpretationem faciendam esse, ita vt solum intelligatur concessum illi minimum, quod fieri possit, vt latius loquentes de dispensatione diximus, quia dispensatio est iuris communis violatio; sic Garcia *suprà.*

Punctum III.

Quæ sint conditiones, & qualitates beneficiorum regularium, & sæcularium.

PRæcipua conditio, & qualitas beneficij regularis est, vt solis regularibus: & beneficij sæcularis, vt solis sæcularibus concedatur; & aliter facta electio nulla est, vt colligitur ex *cap. cum de beneficio de prabend. in 6.* Quocirca sæcularis impetrans beneficium regulare, & irregularis impetrans sæculare beneficium, non expressa qualitate beneficij, & personæ impetrantis, nulla est talis impetratio; sic aliis relatis docent Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 7. n. 4.* Sanch. *lib. 7. in decal. c. 29. num. 83.* Neque ab hac nullitate excusatur, tametsi in concessione apponatur clausula *motu proprio*: quia hæc clausula supplet surreptionem ex causis extrinsecis, non autem eam quæ prouenit ex personæ inhabilitate, & ex intrinseca qualitate beneficij: sic, aliis relatis, docet Sanch. *suprà.*

§. I.

Quando beneficium regulare dari possit sæcularibus, & sæculare regularibus.

1 *Seculares incapaces sunt beneficij regularis.*

2 *Secularibus conferri possunt regularia beneficia, quæ administrationem non habent, si acceptando beneficium, habitum illius regionis suscipiant, seque obligent professionem emittere.*

3 *Regulare beneficium dandum non est sæcularibus, neque religiosis alterius ordinis.*

4 *Si beneficium administratur per religiosos vnius conuentus, non potest aliis concedi.*

5 *Beneficia sæcularia simplicia nequaquam possunt regulari conferri.*

6 *Ad dignitatem Episcopalem regularis promoueri potest.*

7 *Verius est sub nomine dignitatis Episcopalis non comprehendi quamlibet prælaturam habentem curam animarum.*

8 *Neque etiam existimo comprehendi præfecturam Ecclesiæ collegialis.*

9 *Religiosi mendicantes non possunt absque expressa dispensatione Pontificis ad Ecclesias cathedralibus inferiores promoueri.*

10 *Nullus regularis assumi potest ad beneficium curatum, etiam ad tempus, spectato iure nouo.*

11 *Limitatur in casu necessitatis.*

12 *Iure antiquo regularis eligi poterat beneficium curatum.*

13 *An dispensatio Episcopi ad hanc electionem requiratur. Proponitur affirmatiua pars.*

14 *Probabilius est nullam Episcopi dispensationem requiri.*

15 *Est tamen necessaria prælati proprij dispensatio.*

16 *Non solum ad prælationem, sed etiam ad quodcumque beneficium hæc licentia requiritur.*

17 *Quid ad acceptationem summi Pontificatus?*

18 *Non vales licentia data antecedenter ad electionem, sub conditione, si eligatis.*

19 *A quo Prælato hæc licentia concedenda.*

20 *Quid faciendum, si Prælatus nolit petitam licentiam concedere? Et quando censeatur iniuste denegare.*

21 *Quis superior compellere poterit Prælatum denegantem iniuste?*

1 REspondeo, sæculares incapaces esse beneficij regularis, iure antiquo spectato, ex text. *in cap. cum beneficio, de prabendis, in 6* & tradunt omnes, neque Episcopus potest hac in parte dispensare.

2 At attento decreto Trident. *sess. 14. cap. 10. de reformat.* sæcularibus conferri possunt regularia beneficia, quæ administrationem non habent, dummodo acceptando beneficium habitum illius religionis suscipiant, seque obligent professionem emittere. Sic Trident. *suprà*: tradit Gonzalez *glossa 8. num. 78.* Garcia *de benefic 7 part. cap. 10. à num. 10. & seqq.* Existimo debere statim ac accipiunt beneficium habitum religionis suscipere, & post annum à susceptione habitus professionem emittere: quia Trident. sub hac obligatione beneficium regulare sæcularibus concedit. Ergo debent suscipientes beneficium huic obligationi cum primum possint satisfacere, & indicat Sanch. *lib. 7. in decal. 4 fine.*

3 Amplia, regulare beneficium dandum non esse sæcularibus, sed neque religiosis alterius ordinis ab eo, cuius est beneficium, vt expressè notatur in *suprad. cap. 10. sess. 14. Trident.* & tradit Gonzalez *glos. 8. n. 8. & 78.* & specialiter *96. & seqq.* Garcia *7. part. de benefic. cap 10. n. 8.* Rebuff *praxi benefic. tit. de dispensat. cum regularib. n 2.* Nauarr. *cons 4. de regularib. n. 23.* Man. *qq. regul. tom. 1. quæst. 34 art. 8.* Sanch *lib. 7. in decal. c. 29. n. 29.* Et ratio decisionis est; quia non decet beneficium vnius ordinis per religiosos alterius ordinis gubernari.

Adde, si beneficium regulare solitum sit administrari per religiosos alicuius conuentus, non potest aliis religiosis, tametsi eiusdem ordinis sint, conferri, quia religiosi illius conuentus nequeunt iure habito ad beneficium priuari: habetur *in c. cum singula. 32. § prohibemus de prabendis, in 6. clem. 1. de supplenda negligent. Prælatorum,* & testatur Gonzalez *super reg. Cancel. 8. num. 108.* esse omnium. Ex quo fit esse validum, & firmum statutum, laudabilemque consuetudinem, ne aliis religiosis à residentibus in tali conuentu beneficia illius conuentus conferantur: fauet enim dispositioni iuris tale statutum, & consuetudo, præterquam quod in *cap. cum dilectus, verbo constitutum, de consuetud.* approbatur, & tradunt ibi glossa, & doctores.

5 Quoad beneficia vero sæcularia, an regulari conferri possint? Primò certum est, beneficia sæcularia simplicia nequaquam posse regulari conferri, nullamque esse talem collationem, colligitur ex *c. cum de beneficio, de prabendis, in 6.* vbi beneficium regulare Clerico sæculari, & sæculare regulari conferri non posse statuitur. Item in *c. quod Dei timorem, de statu monach.* in fauorem animarum excipitur beneficium curatum; vt possit regulari conferri. Ergo tacitè insinuatur à beneficio simplici omnino esse secularem exclusum, sumiturque ex *cap. Monachi: de statu regulari*: vbi cauetur ne monachi in vilis, & oppidis in Ecclesiis soli constituantur: si autem illis conferri possent beneficia, possent soli, & sine sociis habitare. Item

in *cap. super eo, de regularib.* dicitur, neque amplius in Ecclesiis sæcularibus debent assumi, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur: sic Nauart. *consil. 11. de statu Monach.* Garcia, plures referens, 7. *par. de benefic. cap. 10. num. 28.* Couarr. *cap. 2. num. 3. de testament.* Suar. *tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 19. num. 26.* Azor. *tom. 1. institut. moral. lib. 12. cap. 19. quæst. 3. & 2. tom. lib. 6. cap. 4 q. 22.* Hoieda *de benefic. 1. part. quæst. vlt. num. 69.* & plures referens Sanch. *lib. 7. in decal. c. 29. num. 75* Lessius *lib. 2. de iustit. c. 41. dub. 12. fine.* Neque Episcopus potest in hoc casu dispensare; quia nullibi inuenitur ei talis facultas concessa, vt plurimus firmat Sanch. *n. 76.*

6 Secundò est certum, ad dignitatem Episcopalem promoueri posse regularem, *c. quorundam, c. si religiosus, c. nullus religionis, de electione in 6. clem. 1. de electione, in fi. leg. 23. ante med. tit. 5. p. 1.* & tradunt omnes. Nomine autem dignitatis Episcopalis communiter comprehenditur quælibet prælatura curam animarum habens, ad quam regularis absque vlla dispensatione eligi potest; quia procedit in iis eadem ratio, ac in Episcopatu, & tradit glossa *in suprà d. clem. & ibi* Imola *numer. 4 & 41.* & Ioann. Andr. *cap. si religiosus, statim. in princ. de elect. in 6.* & ibi Francus *n. 1. notab. 2.* Dominic. *num. 6.* Ancharran. *n. 2.* Abbas *in c. quod Dei timorem, n. 5. & 6.* Sanch. *lib. 7. in decal. c. 29. n. 33.* Gonzalez *reg. 8. Cancell. gloss. 7. n. 61.* Gregor. Lopez. *leg. 26. tit. 7. part. 1.*

7 Contrarium sentiunt plures Doctores, prout refert Ranotmit. *in cap. quod Dei timorem, de statu regular.* & Quintilian. Mandos. *de signatura gratiæ, tit. dispensatio pro obtinendis beneficiis.* Et mihi verius apparet; quia in Episcopatu est specialis ratio, tum propter eius dignitatem, ob quam dicitur Episcopus religiosior monacho, vt tradit glossa *cap. nullus religiosus, de elect. in 6.* & colligitur ex *cap. ex multa. de voto.* Tum quia Episcopatus à beneficio regulari, & seculari abstrahit, eaque de causa in *clem. 1. de electione* dicitur: per hoc autem non intendimus prohibere, quin religiosus in Episcopum sæcularis, vel cuiuslibet regularis Ecclesiæ licitè possit eligi. Ergo tacitè insinuatur respectu prælatiæ sæcularis, quæ Episcopatus non sit, prohibitionem integram manere, & ita defendit Suar. *tom. 4. de relig. lib. 3. c. 19. fine n. 27.*

8 Rursus dubium est de præfectura Ecclesiæ collegialis, quæ propriè curam animarum non habet, quia neque habet in foro interno, neque externo iurisdictionem, sed solum habet œconomicam gubernationem, scilicet conuocare collegium, & simul cum illo de rebus ad collegium pertinentibus disponere, an sine dispensatione possit ad illum sæcularis eligi? Sanch. *lib. 7. in decal. cap. 29. numer. 72. & 73.* doctores pro vtraque parte adducit, & vtramque sententiam reputat probabilem, sed probabiliorem quæ affirmat, quia eligitur ad curam eorum, qui sunt in collegio; eaque de causa potest sicut ad Episcopatum eligi sine dispensatione. Mihi tamen negatiua magis probatur: neque enim dicenda est prælatura, vel dignitas, cùm iurisdictione prorsus careat. Ergo concessio facta pro dignitate Episcopali, ad hanc præfecturam œconomicam extendenda non est.

9 Vnum tamen est omnino indubitatum, religiosos mendicantes non posse absque expressa dispensatione Pontificis ad Ecclesias cathedralibus inferiores promoueri: vt expressè habetur in *extraua. dispendiis, de postulat. Prælatorum*, & aliis relatis docuit Sanch. *dict. n. 73.*

10 Quapropter solùm de beneficiis curatis iurisdictione carentibus est difficultas, an religiosis concedi possint? Et quæstio procedere potest tum ex iure antiquo; tùm ex nouo. Et quidem stante iure nouo Trident. nullus regularis assumi potest ad beneficium curatum etiam ad tempus. Quia ita congregatio Concilij restatur declarasse Greg. XIII. his verbis. *Sanctissimus Dominus noster Greg. XIII. noluit licere canonicis regularibus congregationis Lateranensis, etiam de licentia sui generalis absque permissu summi Pontificis, assumere curam animarum etiam ad tempus, multo minus beneficium curatum:* sic refert Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 7. n. 53.* Piasecus *in praxi episcop. 1. part. c. 5. n. 23.* Garcia *de benefic. 7. part. cap. 10. n. 31. fine.* Sanch. *lib. 7. in decal. cap. 29. n. 71.* Mandosius *in praxi signaturæ gratiæ, tit. de obtinendis dispensationibus monachorum pro beneficiis*, affirmat hodie non dispensari cum monacho ad beneficium curatum obtinendum.

11 Limitanda tamen est doctrina in casu necessitatis, quando scilicet non inueniuntur clerici sæculares idonei, tunc enim præfici potest regularis: sicut è contra cum non inueniuntur regulares idonei pro beneficio regulari, præfici possunt sæculares, quia necessitas caret lege, *cap. si quis forte, de furtis.* Conuenientius enim est beneficium gubernari per Clericos alienæ professionis, quam omni gubernatione destitui, vel iniquè gubernari: & ita tradit Rebuff. *in concord. in rub. de collationib. §. volumus, ver. conformitatem, & tractat de nominationib. quæst. 5. n. 13. versic. fallit, nisi idonei non reperiantur.* Gonzalez alios referens, *ad reg. 8. Cancell. gloss 8. num. 43. & seqq.* & probat textus *in c. inter quatuor. § seu si regulares, de religiosis domib. textus in c. Abbate, in fine de verbor. significat.* Crederem tamen beneficia in hoc casu non esse conferenda in titulum, sed in commendam; quia non videtur necessarius alius modus prouisionis, & hic est aptior, si quidem quandocunque reperiatur minister idoneus, poterit extraneus remoueri; & videtur decisum à sacra congregatione, prout refert Garzia 7. *part. de benefic. c. 10. n. 32. in prima declaratione.*

12 Verum spectato iure communi antiquo, certissimum est, regularem eligi posse ad parochialem Ecclesiam, non solum ad tempus, & in commendam sed in titulum, habetur expressè *c. quod Dei timorem, de statu monachorum*, ibi, *& per antiquos canones etiam monachi possunt ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium, quod priuilegiatum est, exercere.* Ex quibus verbis videtur inferri regularem ineptum prædicationis officio eligi non posse: sic indicat Abbas *in c. quod Dei timorem, n. 3. de statu monach.* Sylvest. *verbo religio. 7. quæst. 4.* Rosella *verbo monachus, num. 4.* & clarè tenet Anton. *cap. non est, num. 4. de voto*, & *dicto cap. quod Dei timerem. numero 12. & ibi* Ananias *num. 9.* Cæterum dicendum est eligi posse regularem aptum curæ populi, tametsi officio concionandi ineptus sit. Probo, quia occasio eligendi regularem est populi vtilitas, & necessitas: sed seclusso publico officio concionandi potest regularis esse populo maximè vtilis, & necessarius. Ergo potest in parochum eligi: & sic docet expressè Abbas *cap. non est, num. 9. de voto.* Lambertin. *de iure patron. lib. 2. part. 3. quæst. 7. artic. 19. num. 22.* Sanch. *lib. 7. in decal. cap. 29. num. 40.* Neque obstat textus *in cap. quod Dei timorem*, quia officium prædicationis, cui communiter religiosi aptiores sunt, præstat supradictum priuilegium, quod amitti non debet, etsi in vno, vel alio religioso aptitudo ad illud exercendum non inueniatur. Deinde in *supradict. cap.* non videtur sumi officium prædicationis, prout communiter fieri solet; sed pro officio doctrinæ, quam quilibet parochus suis ouibus præstare tenetur, & quia regulariter religiosi aptiores sunt ad docendum; ea de causa in fauorem animarum illis hoc priuilegium conceditur. Temperant aliqui, vt non procedat in religiosis mendicantibus, quos dicunt ad omnia beneficia extra Episcopatum inhabiles esse: sic Rebuffus, Dueñas, Imola, Man. Rodriq. relati à Sanchez *lib. 7. cap. 29. num. 37.* Sed vt benè expendit Sanchez nullum in iure habet hæc limitatio fundamentum. Neque textus qui inducuntur id probant: & ita ex vi iuris communis posse eligi hos regulares, sicut & alios, tradit idem Sanch. *ibi*, & Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 12. num. 98.*

1 Controuersia autem est inter doctores, an dispensatio Episcopi requiratur ad hanc electionem. Tenent plures necessariam esse Episcopi dispensationem, sic Gonzalez *reg. 8. Cancell. gloss. 7. num. 52.* Bellarm *decis. 713. num. 3.* Staphileus *de litter. grat. vbi de formis expectatiuarum in forma. 8. num. 9. & 10. & titul. de variis modis vacationum, in 6. num. 5. & titul. de qualitate, & statu beneficiorum, capit. incipienti, primo quod sit legitimus.* Alexand. *consil. 70. num. 13. volum. 3.* & alij relati à Sanchez *lib. 7. cap. 29. num. 34.* Moueri possunt; quia non potest regulari beneficium parochiale conferri, quin simul concedatur facultas extra claustra viuendi, & fructus beneficij administrandi, & de illis disponendi, sed ad hæc omnia necessaria est dispensatio. Ergo necessaria est dispensatio pro beneficio parochiali obtinendo.

14 Cæterum probabilius existimo nullam Episcopi requiri dispensationem: sic Gregor. Lopez *leg. 25. titul. 7. part. 1. verbo Ecclesias.* Couarruuias *cap 2. de testament. n. 3.* Nauar. *lib. 1. consil. in secunda edit. tit. de statu monachorum, cons. 12. per totum.* Lambertinus *de iure patronat. lib. 2. p. 1. q. 7. art. 19. à n. 13. vsque ad finem.* Sanch. innumeros referens, *lib. 7. in decal capit. 29. num. 35.* probatque textus *in cap. in parochia. 16. quæst. 1.* vbi monachus ad beneficium parochiale præsentatus admitti mandatur ab Episcopo, nulla facta dispensationis mentione. Et in *cap. quod Dei timorem, de statu monach.* dicitur posse monachos ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari; si autem dispensatione Episcopi indigerent, nequaquam de illis diceretur posse in presbyteros ordinari, quia non dicitur fieri posse, quod extraordinario remedio, quale est dispensatio, indiget; vt rectè dixit Innocent. *in cap. pastoralis, num. 1. vers. renunciatum, de causa possess. & propriet.* & ex illo tradit Gregor. Lopez, & Sanch. *supra*: alias irregularis diceretur posse ordinari, & ad beneficium promoueri si quidem ex dispensatione id fieri potest. Deinde nulla apparet causa exigens hanc dispensationem ab Episcopo. Nam si aliqua esset, maximè quæ in contrario fundamento adducitur de incapacitate religiosi ad viuendum extra monasterium, dispenendumque de beneficij fructibus: sed hanc incapacitatem nullus alius tollere potest, nisi religiosi prælatus. Ergo non Episcopus, cui religiosus non subditur. Ergo dispensatio Episcopi nequaquam est necessaria. Ex quo fit, si beneficium pleno iure conuentui subsit, poterit conuentus independenter ab Episcopo, & quolibet alio prælato conferre illud suo religioso. Si autem beneficium non pleno iure subsit conuentui, sed Episcopo, vel alteri Prælato, authoritas illius Prælati necessaria est; sicuti etiam in quolibet alio Clerico sæculari est necessaria; quia non est necessaria ob dispensationem status

regu

regularis, sed ob dispositionem, & collationem beneficij, sic, aliis relatis, docet Lessius *lib.2. de iustit. cap.41. dub.12. n.98.* Sanch. *lib 7.in decal.cap.29.n.66.*

15 Verum etsi dispensatio Episcopi necessaria non sit, est tamen necessaria ad hanc electionem Prælati proprij licentia, constat ex *c.religiosus,in princ. de electione,in 6.* ibi*si religiosus electioni de se ad prælationem aliquam extra suum monasterium, vel suam Ecclesiam celebratæ sui superioris qui dare ipsam valeat non petita,& obtenta licentia,præsumperit consentire,consensus sic præscriptus non teneat,& in pœnam præsumptionis illius electio eadem ipso facto viribus euacuetur omnino.* Et subdit rationem textus, quia religiosi arbitrium non ex sua (cum velle, vel nolle non habeat,) sed ex illius quem vice Dei suprà caput suum posuit,& cuius imperio se subiecit,voluntate dependeat. Hanc autem licentiam solus superior absque conuentu,imò renuente conuentu dare potest,vt expressè habetur in *supradict.* textu ibi; *decernimus vt iidem superiores (iisdem irrequisitis conuentibus) electiu huiusmodi consentiendi, & transeundi liberam dare valeant facultatem:*& huius specialis concessionis subdit rationem textus, *vt celerius, & facilius Ecclesiæ prouideantur.*

16 Circa hanc licentiam primo dubitatur;an ad solam prælationem requisita sit, an veto ad quodcumque beneficium parochiale? Et ratio dubij est; quia textus solum meminit prælationis,sub quo verbo sola dignitas iurisdictionem habens comprehenditur. Sed dicendum est ad quodlibet beneficium hanc licentiam requiri;quia hæc licentia non requiritur ex dispositione Pontificis, sed ex ipso religioso statu, ratione cuius religiosus liberam voluntatem non habet, sed subditam suo superiori,& ita tenet Franc.*c.si religiosus,in prin.notab.1.de electione* Cardin.*clem.fin.n.11.q.8.eodem tit.* Mari.Rodriq.*tom.1. qq regul.q.34. art.5.* quos refert, & sequitur Sanch. *lib.7. in decal. cap.29. n.57.* vbi aduertit optimè hanc licentiam non requiri,vt impetretur beneficium à summo Pontifice; quia Pontifici sunt omnes religiosi immediatè subiecti, ipseque est ipsorum prælatus. Ergo cum ipse beneficium concedit, iam ex voluntate superioris beneficium habetur. Secundò aduertoobtento beneficio aliquo parochiali in titulum,iam non indigere religiosum prælati sui monasterij licentia, vt relicto illo beneficio alterum accepter; quia acceptatione prioris beneficij mansit sui iuris, & exemptus à prælati regularis obedientia,quæ est ratio, ob quam licentia prælati expostulatur: sic relatis Imola, Anchartan. & aliis docet Sanch.*lib.7.in decal.cap.29.n.64.*

17 Secundò dubitatur, an ad acceptationem summi Pontificatus superioris licentia requiratur? Affirmant aliqui,quia Pontificatus est summa prælatura. Ergo in illius acceptatione præcipuè expostulanda est prælati licentia. Neque excusari potest, ex eo quod Pontifex secum dispensset, & superiorem non habeat,quia ante acceptationem non est Pontifex,sed est suo Prælato subiectus, sic tenent Gregor Lopez *leg.25.verbo Ecclesias. tit.7.par.1.* Man.Rod.*regul.qq.tom.1.quæst.34.artic.5.in princ.* & alij plures,quos refert Sanch. *dicto cap.29.num.58.* Cæterum dicendum existimo cum ipso Sanch. & aliis doctoribus, quos ipse refert, nullam ad hanc acceptationem licentiam superioris requiri. Quia ab ipsomet iure est iam hæc licentia concessa: si quidem in *cap. licet, de electione*, cauetur nullum impedimentum opponi posse aduersus electum à duabus partibus Cardinalium præter hæresim. Ergo neque impedimentum omissæ licentiæ. Adde per ipsammet electionem constitutum esse omnis Ecclesiæ superiorem, & consequenter exemptum ab obedientia. Ergo non indiget superioris licentia ad acceptandum.

18 Tertiò dubitatur, qualis debeat esse hæc licentia,an inquam sufficiat, si detur antecedenter ad electionem, sub conditione *si eligaris*? Et dicendum est nequaquam talem licentiam valere: quia expressè sic cauetur in *clem. fin. de electione*, ibi: *cum concessa religioso à superiore suo licentia,vt electioni,vel prouisioni, (si quam de ipso contigerit fieri) suum dare possit assensum,ambitionis vitio viam paret, nullius eam existere volumus firmitatis.* Ex quibus verbis constat necessariò licentiam subsequi debere electionem, collationem,seu præsentationem,& quemlibet alium prouisionis modum, & tradit glossa ibi; Imola *n.10.& 11.* Sanch. *lib.7.decal.cap.29 num.50. & 60.* E contra vero si licentia post acceptationem succedat, acceptationem non reddit firmam; quia quod à principio nullum est, tractu temporis conualescere non potest,Sanch.*num.63.*

19 Quartò dubitatur,à quo Prælato hæc licentia concedenda sit? Aliqui existimant debere concedi ab illo Prælato, in cuius manibus religiosus professionem emisit; quia soli illi se religiosus propriè subiecit; aliis verò se subiicit, quatenus ab illo habent potestatem. Vndè si solus generalis potestatem habet admittendi professionem, solum ex licentia illius poterit religiosus prælaturam acceptare: sic Dominic. *in cap. si religiosus,in princ.num.7.& cap.quorundam, §.volentes, num.5. de electione,in 6.* Franciscus *eodem c.quorundam. num.2. notab.4.* Calderin. *concl.3. n.vnico, de regularib.* Cæterum probabilius credo,licentiam prælati monasterij sufficere ad hanc acceptationem, nisi in aliqua religione aliter fuerit statutum, vel constitutione,vel priuilegio:sic plutibus relatis,firmat Sanch. *lib.7. in decal.c.29.num.65.* Mouetur, quia hic est verus superior, cui religiosus se subiecit, tametsi subiecto ei facta fuerit, quatenus vices superioris totius ordinis habebat. Dixi, *nisi aliter in religione aliqua fuerit statutum,vel constitutione, vel priuilegio;* quod dixerim, quia Man. Rodr. *tom.2. reg.q.55. art.2.* testatur ex priuilegio Alexand. III. solum generalem, vel prouincialem hanc posse licentiam ad prælaturas concedere, & nullo modo superiorem immediatum conuentus, & videtur approbari à Sanch. *in supradicto loco.* Item in religione societatis Iesu nullus alius potest hanc licentiam concedere nisi generalis præpositus, qui nisi compulsus fuerit præcepto Pontificis, hanc licentiam non concedit, vt colligitur ex 9. *parte constitution. cap.4. §.5.& cap.5.§.6.fine.* Aduertit tamen,& benè,Sanch. *dicto c.29. n.67.* hoc intelligendum esse de prælatiis & Episcopatibus honorem, & diuitias afferentibus: secus de prælatiis, quæ iis mundanis opibus carent, & laboribus plurimis abundant, quales sunt Episcopatus Æthiopiæ, Iaponæ, & similes, de quibus Gregor.*1.p.pastoralis,c.8.* explicuit illud Pauli 1. *ad Timoth.3. qui Episcopatum desiderat,bonum opus desiderat.*

20 Quintò dubitatur, quid faciendum est, si prælatus nolit petitam licentiam ad acceptandum concedere? Respondeo, si iniustè nolit, compellendum esse à suo superiore. Difficultas autem est, quando censeatur prælatus iniustè licentiam denegare?Sanch.*lib.7.in decal.c.29.n.68.*Lessius *lib.2. de iustit.cap. 41.dub.12.n.97.*Greg. Lopez *leg.25.verbo Ecclesias. tit.7. p.1.* Man, *tom.1.qq.regul.q.34.art.5.initio,* & alij affirmant,quoties necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ adest; quia stante hac vtilitate Ecclesiæ videtur prælatus obligatus hanc licentiam concedere; si quidem eam concedere potest. Ergo iniustè denegat. Nihilominus censerem, etsi vtilitas Ecclesiæ sit sufficiens causa, vt prælatus licentiam concedere possit; iuxta textum *in cap. pro vtilitate.16. quæst.1.* & tradunt Greg. Lop.Lessius,Sanch.Man. & alij *suprà.* Vt tamen obligetur illam concedere, existimarem non tantum vtilitatem, sed etiam necessitatem Ecclesiæ adesse debere. Durum enim est dicere prælatum malè facere denegando licentiam religioso, vt prælaturam acceptet, quam videt suæ religioni esse valdè vtilem, tametsi Ecclesiæ ad quam eligitur vtilis futurus sit. Non enim tenetur prælatus vtilitati Ecclesiæ sæcularis prouidere ex obligatione, & præcipuè cum iactura suæ propriæ religionis. Et ita necessitatem requiri, neque vtilitatem sufficere docent glossa, *cap.quam sit verbo.ad ordinandum.18 q.2.* Anchar.*cap si religiosus, num.4. de electione, in 6.* Gambara *de authorit. legati à latere lib.8.cap.vlt.n.23.*

21 Quod si inquiras, quis superior compellere possit prælatum sic denegantem talem licentiam; Respondeo quemlibet qui illius prælati superior sit. Tum quia superior illius prælati eius negligentiam supplere potest. Tum quia ad ipsum deuoluitur potestas posita negligentia in immediato superiore, iuxta textum *in cap.quamquam de electione, in 6. & cap. Roman. de supplenda negligent prælat. eodem lib.* & tradit, aliis relatis, Thom. Sanch. *lib.7.in decal.cap.29.n.69.*

§. II.

Quid dicendum sit de beneficiis electiuis.

1 *Expenditur textus in cap.* quorundam, *de electione, in 6.*
2 *Qua ex illo inferantur, vt omnino certa.*
3 *An sint in numero eligentium excommunicati computandi.*
4 *Si religiosus mendicans Episcopus transferatur in alium Episcopatum, an debeat in concordia eligi.*
5 *Seruandune sit hic modus concordiæ electionis tam pro prælaturis extra religionem, quam intra.*
6 *Probabilius est solum de prælaturis extra ordinem debere textum intelligi.*
7 *Satisfit contrariæ rationi.*
8 *Affirmant aliqui supradictam constitutionem extendi ad beneficia curata iurisdictione carentia.*
9 *Oppositum tenendum est.*

1 DVbium est de beneficiis sæcularibus per electionem factis, qua ratione religiosi tam mendicantes, quam non mendicantes illorum capaces sint? Et tota difficultas consistit in explicatione *text.in cap.quorundam. de electione in 6.* ibi enim Bonif.VIII. vt religiosis ambitionis viam præcluderet,statuit, vt nulli religioso Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini, aut quorumlibet mendicantium ordinum ex electione, postulatione, seu vocatione ad aliquam extra administrationem sui ordinis prælaturam in discordia de se facta ius de cætero acquiratur, nec eorum aliquis tali electioni, postulationi, prouisioni, aut vocationi quomodolibet valeat consentire, etiamsi magistri, aut ministri, vel prioris generalium eorundem ad id accesserit licentia, vel consensus circa religiosos quosque alios cuiuscunque conditionis, vel status existant (vult Pontifex hoc seruari) vt nec ipsi electionibus, postulationibus, prouisionibus, aut vocationibus à minori parte numeri ad prælationes quaslibet de se factis (quæ hoc ipso, quod à minori parte processerint, nullum prorsus tribuant ius eisdem) suum

audeant præstare consensum, etiam si super hoc assensus, vel licentia suorum interuenerit prælatorum. Et subditur esse irritum, & inane quidquid contra fuerit attentatum.

Ex his enim verbis constat necessarium esse mendicantibus, vt ad aliquam administrationem, vel prælaturam extra proprium ordinem eligantur, nominentur, seu aliquo modo prouideantur, concordem omnium eligentium, nominantium, seu prouidentium consensum: aliis vero religiosis necessarium esse consensum maioris partis eligentium. Petitur autem pro mendicantibus amplius, quam pro non mendicantibus, scilicet consensus omnium eligentium: quia ipsi ob professionem paupertatis, & excellentioris vitæ magis fugere debent lites, & discordias, & ambitionis viam: sic Lambertin. *de iure patronat. lib. 2. p. 1. q. 7. art. 20. n penult.* Sanch. *lib. 7. in decal. c. 29. n. 44.*

2 In huiusmodi textu sunt aliqua certa, & aliqua quæ difficultatem habent. Primò certum est, loqui textum de electione passiua religiosi, non actiua, constat ex illis verbis textus *electioni de se facta*. Et infra *electionibus de se factis*, & ex intentione Pontificis volentis præcludere religiosis ambitionis viam, quæ in electionibus passiuis prælaturæ, non actiuis reperitur: & ita tradit glossa *in clem. quod circa, de electione, verbo electionis*. Neque obstat *dictam clement.* generaliter loqui de electionibus: nam loquitur de electionibus de quibus loquutus fuerat Bonif. VIII. *in dicto c quorum iam*, qui expressè de electionibus passiuis, & non actiuis loquutus fuit.

Secundò est certum, loqui textum, non solum de electione, & postulatione, sed etiam de præseruatione. Nam esto expressè de præsentatione non fuerit loquutus, satis sub nomine prouisionis, aut vocationis comprehenditur, vt notauit glossa *clem. cum concessa de electione, verbo prouisioni*, & ibi Cardin. *n. 11. q. 7.* Immola *num. 10.* Et ratio prohibitionis expressa *in dicto cap. quorundam*, vitandi lites, & ambitiones; æquè, imò efficacius militat in præsentatione, ac in electione: & nominatione: & ita tenet, relato Francisco *c. quorundam, n. 4 & ibi* Dominico § *circa, n. 3.* Lambertin. *de iure patron. lib. 2. p. 1. q. 7. art. 20. à n. 6. vsque in finem.* Sanch. *lib. 7. in decal. cap. 19. n. 51.*

Tertiò est certum, electionem factam in discordia non conualescere; tametsi postea concordent electores: quia quod à principio nullum est, tractu temporis non conualescit. Tum quia solum in electione Pontificis, *c. licet, de electione in 6.* & in electione monialis, *cap. indemnitatibus, eodem tit.* consensus superueniens prodest electioni in discordia factæ, & notauit, aliis relatis, Sanch. *n. 52.*

Quartò est certum, non loqui textum de electione regularis ad canonicatum, vel aliud beneficium simplex, cum expressè dicat ad administrationem, vel prælationem: sic Lambert. *suprà. n. 1.* Sanch. *n. 50.*

Quintò est certum, regularem mendicantem translatum ad non mendicantem, si eligatur in prælatum ex dispensatione, non indigere consensu omnium electorum, sed tantum maioris partis: quia absolutè non mendicans eligitur: sic Sanch. *n. 53.* E contra vero, si non mendicans translatus esset ad mendicantes, & eligeretur ad prælaturam, deberet eligi, ex omnium eligentium consensu.

Sextò est certum, si religiosus mendicans eligitur omnes electores debere concurrere, ita vt vno deficiente, vel contradicente nulla sit electio. Si vero regularis non mendicans eligitur, maior pars eligentium debet concurrere. Sed quia possunt eligentes eligere iure singulari, vel iure collegij, & quatenus illius sunt partes, ideò diuersimodè de eorum electione dicendum est: nam si iure collegij eligunt, necessariò facienda est electio à maiori parte, ita vt si in collegio sint decem, debet fieri electio à sex, nec sufficit fieri à quinque; quia aliàs non dicitur electus à collegio. Neque obstat, quod in *dicto cap. quorundam*, solum dicatur, ne fiat electio à minori parte; quia tacitè ibi insinuatur debere fieri à maiore. Adde esto à dimidia eligentium parte non annulletur ex *hoc c. quorundam*, annullatur tamen ex eo quod non sit canonica electio. At si electores non iure collegij, sed iure proprio & singulari eligunt, tunc potest contingere, vt ex decem electoribus quatuor sufficiant electionem validam facere, si in vnum consentiant, aliis sex electoribus diuisis, tres vni parti, & tres alteri; quia tunc ille qui electus est à quatuor, absolutè à maiori numero actu eligentium eligitur; tametsi non à maiori numero electorum: quod videtur sufficiens, ne dicamus hanc decretalem corrigere ius antiquum statuens hanc electionem sufficientem esse, & à maiori parte factam reputari, *c. quoniam, de iure patron.* Verum si illi sex electores sua vota non pronuncient, & quis à quatuor tantùm electus esset, nequaquam dici posset à maiori eligentium numero electus, sed à minori; ac proinde nulla erit eius electio: sic docent Lambertin. *suprà art. 20. n. 8.* Sanch. aliis relatis, *n. 55.* His tanquam certis suppositis.

3 Circa huiusmodi textum est prima difficultas; an in numero erigentium computandi sint excommunicati, suspensi, aut aliàs inhabiles, ita vt si decem sint electores, & quatuor sint excommunicati, & mendicans eligitur à sex habilibus, dici possit eligi ab omnibus? Glossa *in suprad. cap. quorundam, verbo in discordia, & verbo numero*, negat inhabiles esse computandos cuius placitum sustineri poterat ex iure, antiquo, sed iam sustineri non potest; quia contrarium est expressè decisum, in *clement. quod circa, de elect.* vbi Clem. V. ait. *Quod circa religiosum electiones super discordia, & minoritate numeri, Bonifaciana constitutione cauetur de discordia, & numeri minoritate, qua in facto, non in fictione, vel iuris effectu consistunt, debere intelligi declaramus*: quasi diceret, omnes qui de facto capaces sunt eligendi, tametsi à iure excludantur, esse in hoc casu reputandos electores: sic glossa *in dicta clem. verbo qua in facto.* Secùs vero dicendum est de iis, qui potestate eligendi carent; eo quod non sint ordinati; professi, vel in tali ætate constituti, quibus conceditur ius eligendi, quia ij de facto electores non sunt, neque vnquà fuerunt: sic glossa *suprad. loco*; & ibi Cardin. *n. 9. q. 12.* Imola *n. 13. & 14* Bonif. *à n. 26. vsque ad 30.* Sanch. *lib. 7. in decal. c. 29. n. 49.* Qui doctores extendunt hanc doctrinam ad absentes non vocandos, vel vocatos nolentes venire, aut suffragio renunciantes; quia ij non tam iuris fictione, quam facto videtur potestate eligendi carere. Qua de causa ij non computantur in duabus partibus Cardinalium eligentium Pontificem, vt dicit glossa *dicta. clem. in fine.* Sed hæc extensio pro præsenti casu difficultatem habet, cum absolutè absentes, & renunciantes voto potestate gaudeant eligendi, & consequenter si ipsi electioni non consentiunt, non dicetur absolutè religiosus electus ex consensu omnium electorum: sed cum addito, omnium electorum, qui ex iuris fictione capaces sint eligendi. Aduerto tamen cum Glossa *in suprad. clem.* electores inhabiles religiosi electioni non consentientes impedire posse eius electionem, at non posse alterius electionem promouere; quia ad hunc effectum inhabiles reputantur. Vnde si religiosus non mendicans ab illis quatuor excommunicatis eligeretur, & insuper à tribus habilibus, eius electio sustinenda non esset; quia esto esset à maiore parte eligentium facta, quoad firmitatem, & validitatem electionis, à minori eligentium numero censenda est fieri.

4 Secunda difficultas est, an religiosus mendicans translatus in episcopum; si ei conferatur aliquis alius episcopatus, debeat in concordia eligi, & non mendicans à maiore parte eligentium, sicuti in prima electione factum est. Et ratio dubitandi est, quia translatus in Episcopatum exemptus est ab oneribus, & obligationibus religionis, & alium statum superiorem induit. Ergo non est adstringendus supradicta obligatione religiosorum propria. Adde textum *in cap. quorundam* loqui cum religiosis, qui indigent licentia, & consensu suorum ordinum prælatorum ad acceptandam prælatiam, vt constat ex illis verbis, *etiamsi magistri, aut ministri, vel prioris generalium eorundem ad id accesserit licentia, vel consensus*, & paulo infrà: *etiamsi super hoc assensus, vel licentia suorum interuenerit prælatorum*, sed religiosus Episcopus factus nulla indiget regularis prælati licentia ad acceptandum nouum Episcopatum; quia ei non subditur, sed omnino ab eius obedientia exemptus est Ergo.

Deinde loquitur textus de religiosis, qui actualiter subduntur religionis prælatis, vt colligitur ex illis verbis *suorum prælatorum*, sed religiosi Episcopi non est suus prælatus, prælatus regularis. Ergo. Hæ rationes videntur hanc partem probabilem reddere, præcipuè cum decretum sit odiosum, & restrictionum firmæ electionis à iure communi statutæ, sed quia contrarium communiter à doctoribus defenditur, sic in praxi tenendum, & consulendum est. Quapropter dicemus eodem modo secundam electionem faciendam esse, sicut primam; quia esto ab oneribus, & obligationibus cõuentualibus religionis exemptus sit monachus Episcopus, non tamen exemptus est ab obligationibus religionis substantialibus: quia verè religiosus est. Sed cuilibet religioso hoc onus imponitur, vt indicant illa verba, *nulli religioso*, & illa, *religiosos quoque alios cuiuscumque conditionis, vel status existant*, quasi diceret; tametsi status, & conditio viuendi mutata sit, si religiosus perseuerat, hunc modum in sua electione seruare tenetur, & ita docet Glossa *in suprad. cap quorundam. verbo mendicantium, & verbo prælatorum*, & aliis relatis Sanch. *lib. 7. cap. 29. n. 48.*

5 Tertia difficultas est, an hic modus concordiæ electionis seruandus si tam pro prælaturis extra religionem, quam intrà? Et de religiosis mendicantibus certum est, intelligi solum de prælaturis extra propriam religionem; quia expressè id habetur in *dicto c. quorundam*: ibi *ad aliquam extra administrationem sui ordinis prælaturam*, &c. Quare solum est dubium de religiosis non mendicantibus; & ratio dubij est; quia loquens de religiosis mendicantibus expressit prælatus extra ordinem: at loquens de non mendicantibus id non expressit, imò potius vsus fuit generali verbo comprehendente prælationes tam ordinis, quam extra: inquit enim, *ad prælationes quaslibet de se factis*. Item in religiosis non mendicantibus est specialior ratio, quare prælaturæ proprij ordinis comprehendantur: quia authoritatem, honorem humanum, & diuitias specialiter afferunt; & fortè ea de causa in eius electione non fuit expostulatus concors eligentium consensus, sed solum ne minor pars numeri desit, cum tamen in electione mendicantium fuerit expostulatus omnium eligentium consensus. Dicendum ergo est in iis religiosis tam prælaturam extra ordinem, quam intra comprehendi: & ita docet Glossa *in supradicto cap. verbo quoslibet*: & ibi Ioann.

Andr.

Andr. *ad finem.* Anchatr. *n.*4. Francus *n.*4. Dominic. ibi §. *circa n.*2. *fine.* Anton. Cucus *lib.*4. *instit. moral. t.*1. *n.*264. Man. Rodriq. *t.*2. *qq. regul. q.*55. *art.*2. quos refert & sequitur Sanch. *lib.* 7. *in decal. cap.*29. *n* 49.

6 Nihilominus probabilius crederem solum de prælaturis extra ordinem esse supradictum textum intelligendum. Moueor primò, quia finis huius constitutionis, vt constat ex ipsius proœmio, est, ne religiosi suæ professionis immemores prætendant honores, diuitias, & delicias, quæ per religionis ingressum spreuerunt, ambiendo prælationes extra proprium ordinem, qui finis omnino cessat in prælaturis proprij ordinis, si quidem per illarum ambitionem non sunt suæ professionis immemores, neque retro respiciunt ad ea, quæ iam reliquerunt. Secundo dispositio dubia alicuius legis ex proœmio ipsius colligenda est vt late diximus *disput.*5. *de legib.* vbi de legis interpretatione. Sed proœmium huius constitutionis est solum de assensu ad prælaturas extra proprium ordinem, vt constat. Ergo cum inferius dicit ad prælationes quaslibet, de prælationibus quibuslibet extra ordinem loqui intelligendum est: sine fundamento enim extenderetur dispositio ad prælaturas proprij ordinis vltra finem in constitutione intentum, & vltra generalem regulam iuris, quod in dubiis, & in materia pœnali benignior pars sequenda est. Tertiò, textus loquitur de prælaturis exigentibus licentiam proprij superioris ad acceptandum, vt constat ex illis verbis: *etiam si super hoc assensus, vel licentia suorum interuenerit prælatorum.* Sed ad prælaturas proprij ordinis raro, vel nunquam hic consensus, & licentia expostulatur, & quando de facto expostulatur, potius est per modum approbationis, quam licentiæ ad acceptandum requisitæ.

7 Neque obstat ratio dubij. Nam esto loquens textus de non mendicantibus, non expresserit prælaturas extra ordinem, id fuit, quia satis in prima parte expresserat, & ex illa prima parte secunda limitanda est: neque enim alienum est in constitutionibus ex vna parte clara aliam dubiam interpretari. Ad confirmationem dico adesse in non mendicantibus aliquam specialem rationem, ob quam posset Pontifex constitutionem extendere non solum ad prælaturas extra ordinem, sed etiam ad prælaturas proprij ordinis: at negamus de facto extendisse, quia non est firmum fundamentum ad id asserendum.

8 Quarta difficultas est; an ad electiones beneficiorum curatorum iurisdictione carentium extendatur hæc constitutio, & modus electionis in ea præscriptus? Affirmant Lambertin. *de iure patron. lib.*2. *part.*1. *qu æst.*7 *art.*10. *num.*2. & supponit Dominicus *in cap. quorundam*, §. *circa. num.*3. & ibi Francus *n.*4. Anchatan. *num.*3. Moueri possunt, primò, quia disposita in prælaturis, censeri debent disposita in beneficiis curatis. Tum quia dispositum in maiori, censeri debet in minori dispositum. Tum quia curatum beneficium quædam prælatura est.

9 Cæterum, omnino tenendum est contrarium cum Thom. Sanch. *lib.*7. *in decal. cap.*29. *num.*56. Quia parochiale beneficium non est propriè, & in rigore prælatura: hæc enim in vtroque foro iurisdictionem requirit, qualem parochiale beneficium non habet. Neque parochi dicuntur prælati, si quidem in *clem. dudum, verbo ab olim. de sepultur.* sic distinctio inter prælatum, & parochum. At in *d. cap. quorundam*, solum de prælaturis est facta mentio. Ergo non est extendenda decisio ad beneficia parochialia: si quidem est constitutio pœnalis, & exorbitans à iure antiquo, & finis constitutionis, qui fuit viam ambitionis religiosis præcludere, non æque in parochiali beneficio, ac in prælaturis locum habet. Neque obstat parochum aliquando iurisdictionem habere excommunicandi, vt constat ex *cap. cum ad Ecclesiarum num.* 1. *de officio ordinar. & cap. Tua de Clerico ægrotante*; quia ibi Clericus non excommunicabat ex vi muneris, sed ex priuilegio, aut præscriptione, vt dicit Abbas *dicto cap. cum ad Ecclesiarum. num.*2. Ratio in contrarium non vrget: negamus enim dispositum in maiori, censeri debere in minori dispositum; quia ratio disponendi procedit in maiori, non in minori; aliàs ad beneficia simplicia extendenda esset supradicta constitutio, quod non est dicendum. Minus vrget vocari aliquando curatum beneficium prælaturam; quia impropriè, & lato modo vocatur; ac proinde pœnalis, & exorbitans constitutio non est ad illud extendenda.

§. III.

An Equitibus militaribus, & nouitiis conferri possint beneficia sæcularia, vel regularia.

1 *Beneficia regularia proprij ordinis Equitibus militaribus concedi possunt. Et proponitur dubitandi ratio, non posse beneficia sæcularia illis conferri.*

2 *Satis probabile est beneficia sæcularia illis conferri posse.*

3 *Proponitur dubitandi ratio pro nouitiis.*

4 *Nouitio concedi non potest beneficium regulare, quod administrationem habeat.*

5 *Beneficia sæcularia nouitio conferri possunt valide, tametsi non deceat.*

6 *Vacans beneficium, ad quod nouitius habet ius, alteri conferri non potest.*

1 ET quidem beneficia regularia proprij ordinis conferri posse Equitibus militaribus, sicuti aliis religiosis, est certum ex praxi; quia in hac parte & religiosi reputantur, & priuilegiis religiosorum gaudent, quod maximè locum habet in militibus sancti Ioannis, qui tria substantialia vota emittunt. Et hinc oritur ratio dubitandi, si enim beneficiorum regularium capaces sunt, tanquam regulares habentur. Ergo inhabiles erunt ad beneficia sæcularia; quia beneficia sæcularia non regularibus, sed sæcularibus sunt concedenda: sic Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de regular. consil.*10. *num.*9. *ad* 2. *in* 2. *edit.* Mandos. *de signatura gratiæ. til. dispensatio monachorum pro obtinendis beneficiis in fine.* Man. Rodriq. *qq. regul. tom.*1. *quæst.* 34. *art.*5. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. glossa.* 8. *num.*42. Lambertin. *de iure patron.* 2. *part. lib.* 1. *quæst.* 7. *artic.* 4. & 5. Garcia *de benefic.* 1. *part. capit. quarto. num.* 22. Ob horum doctorum authoritatem supra dicta ratione dubitandi firmatam mihi hæc sententia probatur.

2 Nihilominus censeo satis probabile his militibus beneficia sæcularia conferri posse: sic relato Gambara *lib.* 6. *de officio, & potest. legati. num.*269. & Azor. *t.*1. *instit. moral. lib.*13. *cap.* 3. *quæst.*1. *ad finem*, docet Sanch. *lib.*7. *in decal. cap.*29. *num.*103. & de militibus sancti Iacobi de Spatha est decisum à sacra congregatione, & pluribus doctoribus confirmatum refert Garcia *de benefic.* 1. *part. cap.*4. *num.*24. & tenet Barbosa 3. *p. de potest. Episcop. alleg.*57. *num.* 174. Ratio esse potest, quia huiusmodi milites in communi modo viuendi statum sæcularem habent, & sæculares reputantur. Neque obstat beneficiorum regularium capaces esse; quia id est fauore religionis.

3 De nouitiis maior est dubitatio, an regularia, vel sæcularia beneficia illis concedi possint? Et ratio difficultatis est; tum quia nouitius capax non est beneficij regularis *cap. nullus. de electione in* 6. *clement.*1. *de supplend. negligent. prælat. & clement.* 1. §. *sanè* 2. *de statu monachorum.* Ergo dicendum est esse capacem beneficij sæcularis. Econtra vero nouitius est in statu probationis, & priuilegia religionis illi conceduntur. Ergo poterit illi beneficium regulare concedi: sæculare autem non videtur concedendum; quia iam habitu, & professione vitæ à sæculo recessit, & occasionem inde accipere redeundi ad sæculum.

4 In hac re dicendum est primò nouitio concedi non posse beneficium regulare, quod administrationem habet ex *supradict. c. Nullus, & ex supradict. clement.* & tradunt communiter omnes, vt testatur Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellar glossa.* 8. *num.*78. Barbosa *in remission. concil. Trident. sess.*14. *cap.*10. *de reformat.* vbi testatur à sacra congregatione esse decisum. Ratio congruentiæ est; quia non debet in magistrum assumi, qui formam discipuli vix assumpsit, neque aliis præfici, qui subesse non nouit, vt dicitur *cap. cum in magistrum. de electione.* Alia autem regularia beneficia, tametsi iure antiquo nouitio conferri non possint ex *supradict. cap. cum de beneficio. de præbendis. in* 6. At ex dispensatione Trident. *sess.* 14. *capit. decimo de reform.* ipsi, aliisque sæcularibus conferri possunt, dum modo habitum illius religionis, in qua est beneficium suscipiant, & se obligent ad professionem emittendam. Quod intelligendum est, dum beneficio potiri volunt. Suar. *tom.*3. *de relig. libro quinto, capit. vlt. num.* 14.

5 Dico secundò. Beneficia sæcularia nouitio conferri possunt validè, tametsi non deceat: sic Probus ad Monach *cap. beneficium. de Regularib. in* 6. *n. vltim.* Francus alios referens *ibi num.*1. Tiraquel. *de retract. lignag. glossa* 8. §. 1. *n.*37. Azor. *t.*1. *instit. moral. lib* 12. *c.*3. *quæst.* 1. Sanch. *lib* 7. *in decal c* 4. *n.*22. Garc. *de benefic.* 7 *p. cap.*10 *n.*5. & 6. Priorem partem, scilicet collationem beneficij sæcularis factam nouitio valere, sic probo Quia nouitius capax est retinendi beneficium sæculare, dum professionem non emittit. Ergo etiam capax est illud recipiendi. Item nullo textu cauetur incapacem esse. Ergo non est asserendum. Secunda pars, scilicet non conuenire illi beneficium conferri, constat ob rationem dubitandi, ne ipsi detur ansa ad sæculum reuertendi.

Quod autem Tiraquel. & Francus dicunt nouitium acceptantem beneficium sæculare religioni renunciare, non habet fundamentum: stare enim optimè potest, acceptare beneficium eo animo, vt si religio non placeat, illud possit retinere; sin minus professione facta, vacet; sicuti contingit, cum tempore nouitiatus beneficia antea possessa retinet, sic Garcia, & Sanch. *supra.*

6 Ex quo manifestè fit, si aliquod beneficium vacet, ad quod nouitius vocatus est vel specialiter, vel in genere; quia vocatus est coniunctior sanguine, nequaquam posse alteri conferri, sed vel conferendum esse nouitio (vt verè conferri potest) vel suspendenda eius collatio, quousque ipse professionem emittat; quia nequit priuari iure ad rem, quod in beneficium habet: sic Sanch. *lib.*7. *in decal. cap.*4. *n.*23. *iuncto num.*5.

§. IV.

An sæculare beneficium possit in regulare transire, vel è contra?

1 *Dupliciter potest hoc contingere.*
2 *Tempus requisitum pro beneficio regulari præscribendo debet esse quadragenarium continuum.*
3 *Eadem præscriptio quadragenaria requiritur, vt beneficium regulare in sæculare transeat.*
4 *Satisfit fundamento oppositio.*
5 *Sex conditiones ad præscriptionem supradictam requiruntur, & quæ hæ sint.*
6 *An capellaniæ fundatæ in monasteriis regularium, & in Ecclesiis ordinum militarium regulares, vel sæculares censeantur?*

1 SÆculare ergo beneficium potest in regulare transire, & è contra regulare in sæculare. Primò, si à Pontifice, penes quem est potestas alterandi beneficiorum statum, hæc mutatio fiat. Secundò, si legitima præscriptione sæculares beneficium aliàs regulare administrent, vel è contra regulares beneficium aliàs sæculare.

2 Tempus vero requisitum ad hanc præscriptionem pro beneficio regulari debet esse quadragenarium continuum, & pacificum. Nam præscriptio regularis beneficij, quod antea sæculare erat, aduersatur iuri beneficia sæcularia intendenti, & præsumenti. Ergo requirit quadragenarium tempus, ex *textu in cap. cum de beneficio de prabendis. in 6. & ibi* Glossa *verbo legitima.* Rebuff. *in praxi. titul. quotuplex sit beneficium. num.* 5. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 7. *num.* 8. Thom. Sanch. *lib.* 7. *in decal. cap.* 29. *num.* 15. Garcia *de benefic.* 7. *p. cap.* 10. *num.* 34. *& seqq.*

3 Sed an eadem præscriptio quadragenaria requiratur, vt beneficium regulare transeat in sæculare. Non est constans sententia doctorum. Aliqui affirmant sufficere decennium. Mouentur primo, quia per hanc præscriptionem reducitur beneficium ad suum primæuum statum iuri conformem. Ergo cum talis præscriptio non aduersetur iuri, sed potius conformetur, decennalis sufficit. Cæterum probabilius censeo quadragenarium tempus requiri, vt beneficium, quod ex fundatione vel præscriptione regulare erat, in sæculare transeat: sic tradit Garcia 7. *part. de benefic. cap.* 10. *num.* 35. *multis decisionibus Rotæ comprobans.* Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 7. *num* 36. Azor. 2. *p. lib.* 3. *instit. moral. cap.* 26. *quæst.* 3. Sanch. *lib.* 7. *in decal. cap.* 29. *num.* 17. & alij apud ipsos. Ratio præcipua desumitur *ex cap. cum de beneficio. de prabendis. in* 6. vbi eadem præscriptio pro beneficio sæculari, ac regulari statuitur: inquit enim textus, *cum de beneficio Ecclesiastico consueto Clericis sæcularibus assignari, prouideri mandatur, de illo debet intelligi, quod tanto tempore ab vno, vel pluribus sæcularibus Clericis institutis in eo rectoribus extitit continuè, ac pacificè gubernatum, vt præscriptio legitimè sit completa, etiamsi ante, vel post religiosi quandoque ministrauerint in eodem. Quando vero scribitur, vt prouideatur de aliquo prioratu alicui clerico sæculari; prouideri non potest de prioratu, qui per religiosos (iuxta modum præmissum) est solitus gubernari, nisi hoc in litteris caueatur expressè.* Ex quibus verbis satis constat eundem modum præscriptionis in beneficio sæculari, ac regulari requiri, si quidem statuto à Pontifice modo præscribendi pro sæculari beneficio loquens statim de regulari subdit præscriptionem *iuxta modum præmissum.* Secunda ratio est, quia esse beneficium regulare, contrarium non est iuris dispositioni, sed potius ex iure habetur talis status, vt ex *supradict. cap. cum de beneficio*, liquet. Sed non obstante hac conformitate quadragenaria præscriptio expostulatur pro mutatione beneficij sæcularis in regulare. Ergo eadem expostulari debet pro mutatione regularis in sæculare, cum vtrumque beneficium æquè sit iuri conforme. Tertio, si beneficium ex fundatione, vel ex præscriptione factum sit regulare, iam vt tale illud beneficiatus possidet, & in illo habet ius quæsitum. Ergo vt mutetur talis possessio, & loco possessionis regularis, succedat sæcularis, quadragenaria præscriptio requiritur; quia tractatur de [illegible] quod iuri communi æquipollet. Quarto, [illegible] per quascunque causas nascitur, per eas dissoluitur, nisi contrarium inueniatur à iure expressum, *leg. nihil est tam naturale. ff. de Reg. iuris.* Sed beneficium regulare natum fuit ex quadragenaria præscriptione. Ergo ex eadem desinit esse.

4 Restat satisfacere contrario fundamento. Et primo negamus per mutationem regularis in sæculare reduci beneficium ad suum primæuum statum: quia fortè eius primus status nullus alius fuit nisi regularis: sed concesso gratis, quod beneficium fuerit à principio sæculare, & præscriptione, vel priuilegio principis in regulare fuerit mutatum, iam primus status sæcularis ita extinctus est, ac si nunquam fuisset. At si nunquam fuisset sæculare, nulla esset reductio ad primæuum statum. Ergo posita tali præscriptione non datur tali reductioni locus. Tertio, illa maxima, quod sit fauorabilis dispositio, quæ reducit rem ad suum primæuum statum, intelligi debet de reductione vniuersali per legem, qualis est illa quæ fit in *cap. statutum. de prabend. in* 6. vbi sublata potestas Ordinariis conferendi beneficia vacantia in curia redditur, si intra mensem vacationis à Pontifice prouisa non fuerint; quia reductio vniuersalis per legem, est quæ legem constituit. Secus vero dicendum est de reductione alicuius actus particularis derogantis iuri alterius; quia talis reductio, quousque legitimè præscripta sit, semper est contraria legi communi, vt benè aliis relatis probat Gonzal. *gloss.* 7. *n.* 29.

5 Quod si inquiras, quæ conditiones adesse debent ad supradictam præscriptionem? Respondeo sex requiri. Primo lapsus continuus, & pacifixus 40. annorum, nam quousque hoc tempus transactum sit, non datur præscriptio legitima, ac proinde ex illa non potest ius aliquod fundari. Secundo, illius prouisio, seu institutio in possidente, quia sine institutione non obtinetur beneficium, & constat ex *dicto cap. cum de beneficio*: ibi *quod tanto tempore ab vno, vel pluribus institutis in eo rectoribus*: & tradit, alios referens Sanch. *lib.* 7. *in decal. c.* 29. *num.* 21. Gonzalez *gloss.* 8. *num.* 33. Tertiò, vt talis institutio sit in titulum, non in commendam, constat ex *dicto c. cum de beneficio* ibi, *institutis in eo rectoribus*, non dixit *vicarius.* Neque enim ex commendatione beneficij alicui facta tanquam vicario, beneficium suum statum amittere potest; quia vicarius non possidet beneficium, vt proprium: & ita tenet Rebuff. *in concord. in Reb. de collat.* § *volumus. vers. tertio requiritur* Sanch. *num.* 22. Gonzal. *num.* 37. & alij apud ipsos. Quarto, vt institutio declaret qualitatem beneficij, scilicet si beneficium prætenditur, debeat possidens esse institutus, in illo tanquam in regulari; si prætenditur sæculare, debeat esse institutus tanquam in sæculari: sic aliis relatis Gonzal. *num.* 33. Sanch. *num.* 23. Aduertit tamen Felin. *in c. in nostra. num.* 41. *vers. nota diligenter. de rescriptis*: sufficere si in primo instituto hæc qualitas beneficij expressa sit, tametsi in successoribus non exprimatur; quia successoribus præsumitur eodem modo conferri, ipsosque possessionem habitam continuare. Quinto, debet talis expressio qualitatis fieri intentione, & animo imprimendi beneficio talem statum: sic Gonzal. *num.* 37. Sanch. *num.* 25. Ex quo fit, si beneficium regulare Clerico sæculari; & sæculare Canonico regulari conferatur ex dispensatione non mutari eius naturam; quia non conferrur ex intentione mutandi statum beneficij: neque talis collatio sit iure tituli, sed potius iure administrationis, & commendæ sic Rebuff. *in concord. vers. quarto requiritur.* Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 3. *c.* 16. *quæst.* 3. *in fin.* Sanch. *lib.* 7. *in decal. c.* 29. *n.* 24. Alphons. de Ojeda *de incompatibilit. beneficiorum.* 1. *p. cap.* 24. *num.* 22. Sextò, requiritur bona fides in possidente; quia possessor malæ fidei nullo tempore præscribit: sic Rebuff. *in concord. in Reb. de collationib. §. volumus sub verbo regularia. vers. secundo requiritur bona fides.* Gonzalez *glossa* 8. *num.* 35. Hoeda *n.* 92. Sanch. *n.* 26.

6 Quid dicendum de capellaniis fundatis in monasteriis regularium, & in Ecclesiis ordinum militarium D. Iacobi, S. Ioannis, Calatrauæ, Alcantaræ, sintne regularia beneficia, vel sæcularia? Respondeo si ex fundatione constat capellanias fundatas esse, vt per sæculares Clericos administrentur, sæcularia beneficia sunt. Et idem est si de facto per sæculares Clericos administrantur, & non constat ex fundatione, aut præscriptione pro regularibus esse institutas, quia tunc credendum est pro sæcularibus esse fundatas.

Posse autem capellanias in monasteriis fundari, vt per sæculares Clericos administrentur, nemini esse potest dubium. Debet tamen ad illorum fundationem accedere consensus tum Ordinarij, tum conuentus. sic Lambert. 1. *p. de iure patronat. lib.* 1. *q.* 3. *art.* 16. *& q.* 11. *art.* 7. *& 2. lib. q.* 7. *art.* 23. Garcia *de benefic.* 7. *part. cap.* 10. *num.* 37. *circa finem.*

Verum si ex fundatione non constat pro sæcularibus tales capellanias esse institutas, neque etiam constat per sæculares quadragenario tempore gubernatas esse, præsumendæ sunt regularia beneficia; eo quod fundatæ sint in monasteriis, & conuentibus; quia non est facilè præsumendum conuentum consensisse, vt tales capellaniæ sibi vnitæ à sæcularibus gubernarentur: sic Rebuff. *praxi benefic tit. Quotuplex sit beneficium. n.* 6. Mascard. *de probat. concl.* 172. *n* 17. Manuel Rodriq. 1. *tom. qq. regul.* 34. *art.* 3. Sanch. *lib.* 7. *in decal. cap.* 29 *n.* 27. neque dissentit Garcia 7. *p. de benefic. cap.* 10. *num.* 37. *fine.*

Punctum IV.

Quæ qualitates insint tam simplici, quam duplici beneficio.

1 *Quid nomine dignitatis in iure intelligatur.*
2 *Quid nomine officij.*
3 *Quid nomine personatus.*
4 *Dignitates, personatus, & officia non concessa in titulum, non sunt beneficia.*

5 Quid

5 *Quid de vicario Episcopi, an eius dignitas sit beneficium: Dicendum est beneficium non esse.*

6 *Expenditur quid ad beneficium curatum requiratur.*

7 *Quoties de beneficio est dubium, an sit simplex, vel curatum, simplex est intelligendum.*

1 DIxi beneficia duplicia esse dignitatem, officium, personatum, & rectoriam, reliqua esse beneficia simplicia.

Nomen dignitatis latissimum est; comprehendit enim quodlibet beneficium iurisdictionem habens, vel administrationem rerum Ecclesiasticarum, vel honorabiliorem locum, & sedem. Quapropter sæpè in iure officium, & personatus dignitas nuncupantur *cap. cum accessissent, de constitutionib.* & tradit Hostiens. Innocent. Abbas *in dicto cap. cum accessissent*, & Abbas *in cap. de multa. de prabend. num. 21. vers. prima conclusio.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 5. §. 11. n. 3.* Specialiter nomen dignitatis, vt ab officio, & personatu distinguitur, sumi solet pro beneficio habente iurisdictionem in foro externo, vt satis colligitur ex *cap. de multa. de prabendis. & cap. 1. de consuetud. in 6.* & multis relatis, docet Gonzal *supra n. 4.*

2 Beneficium quod officium nuncupatur, est quod rerum Ecclesiasticarum administrationem habet, quale est thesaurária, sacristia, primiceriatus, archipresbyteratus, præpositura. De quibus sunt in iure speciales tituli, & pro beneficiis Ecclesiasticis habentur, quia sunt iura spiritualia perpetua percipiendi fructus *cap. cum accessissent. de constitution. cap. 1. § cum vero. de concess. prabenda. elem. 1. verbo officia. de regularib.* Vnde omnes qualitates, quæ beneficiis insunt, horum officiorum sunt propriæ, ac proinde huiusmodi officiorum pluralitas est incompatibilis, ex *cap. de multa. de prabendis, & extrauag. execrabilis. eodem titul.* Item in iis habet locum regula de infirmis resignantibus, & *reg. 21.* Cancellariæ de impetrantibus beneficia viuentium. Item regula de annali, & triennali possessione, & aliæ similes, vt notauit Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 5. §. 11. à n. 5.*

3 Idem quod dictum est de iis officiis beneficiis, dicendum est de beneficiis, quæ personatus vocantur, quæque specialem aliquam prærogatiuam in electionibus, suffragiis, sententiis, loco, & sede habent, dummodo perpetua sint, & ius habeant fructus percipiendi, aliàs Ecclesiastica beneficia non erunt. Idem, & eadem ratione de beneficiis parochialibus, & curatis procedit, si inquam beneficia non dentur in titulum, secus econtra.

4 Hinc fit dignitates, personatus, & officia, quæ non conceduntur in titulum, beneficia non esse, tametsi iurisdictionem habeant.

Hæc sunt omnis rectoria, & præpositura ordinis religiosorum. Nam Generalis, Prouincialis, Prior, Rector, Guardianus dignitatem habent, quæ est officium, sed non quæ beneficium sit, cum non sit ius perpetuum percipiendi fructus, sed solum sit ius, & regulariter temporale gubernandi, & regendi collegas, & res Ecclesiasticas administrandi. Ex quo fit posse eligi in iudices conseruatores Apostolicos, iuxta textum *in cap. 1. 2. & vlt. de officio iudicis delegati. in 6.* Item posse illis delegari causas à Pontifice Romano, iuxta textum *in cap. statutum de rescript. in 6.* & notauit Azor. *2. p instit moral lib. 3. c. 13. quæst. 7.* Qui vero non proprio nomine, & officio domum gubernant, sed alieno, vt sunt subpriores, vicarij, vicerectores, vice-ministri, vel vice præpositi dignitatem non habent, cui hæc munera, & officia committi possint. sic Azor. *supra.*

5 Solum de vicario, seu officiali Episcopi est aliquod dubium, an dignitas sit non solum muneris, & officij, sed etiam beneficij; si quidem est ius percipiendi fructus, & de se perpetuum, tametsi in vicario non perpetuetur. Cæterum dicendum est esse solum dignitatem muneris, & officij, non beneficij. Prior pars constat; quia ius Clericis dicit, & res Ecclesiasticas cum iurisdictione administrat. Secundam probo; quia tale munus perpetuum non est, cum extingui ab Episcopo possit. Non enim remoto vicario tenetur Episcopus alium subrogare, neque vicariatus morte vicarij, aut remotione ab officio permanet; sed finitur, & perit. Neque item percipit fructus ex vicariatu, sed ex officio, & munere, & tanquam illius stipendia: sic Azor. *dicto lib. 3. c. 13. quæst. 8.* Idem quod dictum est de vicario, dicendum est de Cancellario academiæ authoritate Pontificia approbatæ, habere inquam dignitatem, quæ sit munus, & officium, cuique Pontificiæ causæ delegari possunt, non tamen esse dignitatem quæ sit beneficium. Nam esto talis dignitas perpetua sit, non tamen est ius spirituale percipiendi fructus ab institutione canonica: sic Azor. *q. 9.*

6 Rursus de beneficiis curatis est maior dubitatio, quæ sit eorum qualitas, & essentia? Non enim ex eo quod populum regas, sacramenta ministres, curatum beneficium habes, cum possis alieno nomine, vel absque institutione hæc omnia facere. Quapropter ad curatum beneficium necessario habere debes potestatem administrandi sacramenta proprio nomine ex obligatione beneficij accepti, *cap. extirpanda. §. qui verò de prabendis:* & tradit Staphileus *de litt. gratia. tit. de qualit. & statu beneficiorum. num. 7. 8. 9. & 10.* Gomezius *in reg. de idiomate quæst. 21. à num. 4.* Ioann. Gutierr. *alleg. 8. num. 4.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 6. à num. 34.* Ioann. Azor. *2. p. instit. moral. lib. 3. c. 12. quæst. 3.* Notanter dixi *nomine proprio, & ex obligatione beneficij accepti.* vt sic declaratem te non esse rectorem, & curatum, si tibi Episcopus committat sacramentorum administrationem alicuius Ecclesiæ non in titulum, sed in commendam, qualiter solet fieri in diœcesi Calagurritana, & aliis, vbi in omnibus Ecclesiis parochialibus adsunt plures beneficiati; nullus tamen illorum est parochus; quia nullus in parochum instituitur, sed Episcopus est omnium illarum Ecclesiarum pastor & rector, qui vnum ex beneficiatis designat, vt nomine ipsius sacramenta ministret. Hic ergo designatus parochus non est, quia non est institutus, vt nomine proprio sacramenta administret: sic cum aliis docet Gonzal. *gl. 6. à num. 65.* Neque item censendus est curatus, qui obligationem non habet per se administrandi sacramenta, sed nominandi, vel instituendi vicarium perpetuum, qui obligationem habeat sacramenta ministrandi, quales solent esse plures prioratus Ecclesiarum regularium: vicarius autem institutus; quia nomine proprio sacramenta non ministrat, sed tanquam Prioris vices gerens, ea de causa curatus proprie non est.

7 Tandem aduerto; quoties de beneficio dubium est: an sit curatum, vel simplex, simplex est reputandum; tot enim qualitates ad beneficium curatum requiruntur, vt merito præsumi non debeant, nisi probentur: sic Ioann. Gut. *alleg. 8. num. 5.* Staphileus *de litter. gratia. tit. de qualit. & statu beneficiorum. §. vt non possit. n. 2.* Hojeda *de incompatibilit. 1. p. q. 13. n. 2. in fin.* Gonzal. *gl. 6. n. 91.*

Quibus autem conferenda sint tum dignitates, & officia, & personatus, tum beneficia simplicia curata, tum simplicia, quæque conditiones haberi debeant, in sequentibus dicemus.

PVNCTVM V.

Quæ sint qualitates beneficij perpetui, & manualis.

1 *Beneficium perpetuum à beneficiato amoueri non potest.*

2 *Manualia beneficia absque causa reuocari non posse qualiter probetur.*

3 *Valet reuocatio absque causa, neque beneficiatus aduersus remouentem conqueri potest.*

4 *Non potest spoliatus contradicere prælato spolianti.*

5 *Illicitè tamen prælatus reuocat, si causa nulla subsistit, raro tamen id præsumi potest.*

6 *Supradicta procedunt in beneficiis, qua pleno iure subduntur prælato reuocanti.*

7 *Satisfit argum. n. 2. adductis.*

8 *Spoliatus non potest agere actione spolij aduersus spoliantem, si ei beneficium pleno iure subditur.*

9 *Facta promissione non reuocandi, adhuc validè reuocare potest.*

10 *Negant aliqui illicitè te reuocare, si causa iusta subsistat.*

11 *Sub distinctione respondetur.*

12 *Quid si iuramento firmares promissionem?*

13 *Quid si à Pontifice esset confirmata illius beneficij collatio?*

14 *Quid si iure deuoluto conferres?*

15 *Beneficium manuale alicui à Pontifice collatum pro eius vita, reddi postea manuale sicut prius.*

16 *Beneficium manuale non censetur reuocatum morte concedentis.*

17 *Beneficia secularia præsumuntur perpetua, econtra regularia.*

18 *Ecclesia parochialis vnita monasterio non est censenda beneficium manuale, sed vicaria perpetua.*

19 *Aliqui negant beneficium manuale fieri posse perpetuum præscriptione, vel consuetudine.*

20 *Alij econtra affirmant.*

21 *Conciliantur supradictæ sententiæ.*

1 PRæcipua qualitas beneficij perpetui est, vt non possit amoueri à beneficiato, nisi ex causis à iure expressis. Econtra qualitas manualis beneficij est, quod amoueri possit ad nutum, & voluntatem conferentis. *cap. cum ad monasterium. §. tales. de statu monach cap. 1. §. fin. de priuilegiis in 6.* ibi; etsi liberè possint ad eadem monasteria reuocari.

2 Dubium tamen est; an possint manualia beneficia ita ad nutum, & voluntatem conferentis reuocari, vt absque vlla legitima causa id fieri possit? Et dubium procedere potest tam de valida reuocatione, quam de licita.

Et quidem prælatum illicitè, & inualidè procedere sic reuocando, eiusque reuocationem posse à superiore impediri probatur; quia in *cap. cum ad monasterium*, vbi Abbati datur facultas remouendi religiosum à beneficio, dicitur id esse faciendum cum oportuerit. Et idem traditur in *clem. vnica §. præmissa. de supplend. neglig. prælat.* Sed remouere absque causa non oportet. Ergo neque licet, neque valet talis remotio. Secundo; qui absque legitima causa beneficiatum remouet, malitiosè procedit, sed non est credendum malitiosè fieri iura. Ergo neque est credendum, hanc à iure approbari remotionem. Tertio; quia sic spoliatus potest implorare officium superioris, vt restituatur, &

de facto testatur Gonzal. *gl.5.§.6.num.42.* contigisse in quodam Clerico, qui ab ordinario signatus fuit vicarius ad nutum vnius Ecclesiæ: quem tamen paulo post ordinarius remouit. Hic ergo appellauit ad Metropolitanum de supradicta remotione, & Metropolitanus decretum remotionis irritauit, & inhabituit dictum presbyterum in dicto vicariatu. Ergo absque vlla causa fieri non potest talis remotio: & ita docet Zeuallos *com. contra. com. quæst.425. in fine.* Cardinal. Tuschus *litt. B. concl.55. num.8.*

3 Cæterum valere reuocationem absque causa, neque posse talem beneficiatum aduersus remouentem conqueri, tenent, innumeros referentes, Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 6. num.46.* Thom. Sanch. *lib.7. in decal. cap.29 num.111.* Lessius *lib.2. de iust cap.41. dub.12.num 98.* Azor. *t.1. instit.lib.12.c.9. quæst.8. & cap.9.quæst.20. & t.2 lib.3.cap.26.quæst.2.13. & 14.* Nicol. Garcia *1.p. de benefic. c.2. à num.87. & seqq.* Francisc. Suar. *t 4 de relig lib.3 cap.vlt.num 21.* Ratio est manifesta: quia beneficiatus possidere non potest tale beneficium, nisi pro tempore, quo non fuerit ab eo remotus; quia solum pro illo tempore fuit illi concessum. Ergo facta reuocatione iam non habet ius possidendi. Et confirmo; possessio concessa pro tempore limitato, illo transacto cessat, *leg. imperator. leg. statu liberi. 25. §. stichum. ff. de legat. 2.* Sed beneficij manualis possessio solum conceditur pro tempore, quo conferens non reuocauerit. Ergo facta reuocatione cessat possessio.

4 Hinc fit nullo modo posse spoliatum absque vlla causa contradicere spolianti prælato; quia nullam iniuriam patitur in tali spoliatione, neque potest ad superiorem recurrere, vt iniustitiam reparet, cum nulla facta sit; sed ad summum vt ex officio impediat malitiosam reuocationem: sic tradit Innocent. *in cap insinuante. sub num 2 vers. etsi concurrerit casus. Qui clerici, vel vouentes:* vbi dicit: si occurreret casus, in quo Abbas, vel superior vellet ex malitia remouere monachum à loco, quem ei deputauit, posset supplicari superiori, & superior eum audire deberet ad similitudinem serui, vt in *leg. 1. Cod. de precibus imper. offerend. & §. sed & maior. instit de his qui sunt sui, vel alien iuris,* consentit Rebuff. *tract. de pacific. possessor. num.275. vers. secundo intelligere.*

5 Verum etsi supradicta reuocatio sine causa facta valida sit, tamen sine dubio illicita est: Tum quia generale est quemlibet obligatum esse in suis actionibus finem honestum habere. Tum quia Ecclesiæ variatio rectorum solet esse damnosa. Ergo vt huiusmodi periculum honestetur, graui causa moueri debet prælatus, sic tenent Innoc. Rebuff. Suar. & alij *supra.* Causa autem rationabilis (inquit Suar.) est non tantum culpa aliqua beneficiarij, sed quæcunque vtilitas, vel commoditas Ecclesiæ, seu religionis, si beneficiarius sit religiosus. Quia hæc remotio non est pœna, neque actus iustitiæ vindicatiuæ, sed prudentis regiminis beneficij; & subdit. Quapropter raro constare potest superiorem reuocantem ex rationabili causa non moueri, quia raro constare potest subdito, vel Ecclesiæ hanc remotionem non esse vtilem. Dum autem non constat prælatum reuocantem malitiosè procedere, non debet ab eius superiore reuocatio cassari, sed potius sustineri, Suar. *dicto lib.3. cap.19.num.20.* Constaret vero de malitia, si pendente accusatione, vel inquisitione aduersus beneficiarium fieret remotio, vel si contra consuetudinem receptam, ne beneficiatus intra tantum tempus remoueatur, absque aliqua culpa remoueretur, quia de culpa constaret; quia tunc remotio cederet in infamiam beneficiati sic Nauarr. *cons. 2. de Regular. num. 66. vers. addo octauo.* Suar. *num.20.* Gonzalez *gl. 5. §.6. num.48.* Vel tandem si ad instantiam beneficiati fieret inquisitio aduersus prælatum, quia tunc præsumi potest ex animo vindictæ remotionem facere: sic Nauarr. *supra* Sanch. *lib.7. in decal. cap.29.n.115.*

6 Supradicta procedunt in beneficiis manualibus, quæ pleno iure subduntur prælato reuocanti. Contingere namque potest, vt beneficium manuale sit, & in ipso religiosum præfici, neque tamen posse à prælato regulari dimoueri; quia non pleno iure conuentui subditur, sed potius Episcopo eius electionem approbanti, & confirmanti; ac proinde solum ex potestate Episcopi remoueri poterit: sic Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap.22. quæst.10.* Sanch. *cap.29. num.118. & seqq.* Suar. *lib.3. cap.19. num.23.*

7 Argumenta *num. 2.* adducta facile ex iis soluuntur. Concedo enim remotionem absque legitima causa illicitè fieri, tametsi validè; quia valor reuocationis non pendet ex causa, sed ex voluntate reuocantis; secus vero licitus eius vsus. Quando autem constat illicitè, & malitiosè fieri reuocationem, superior reuocantis illam cassat, vt contigit in casu illius presbyteri, maximè quia tunc non fuit eius reuocatio cassata ob interesse proprium, sed ob populi vtilitatem, qui ad Metropolitanum accessit, conquerens sibi fieri graue damnum in tali remotione.

8 Hinc constat, non posse spoliatum agere aduersus spoliantem, cui in beneficio pleno iure subditur actione spolij. Quia hæc actio conceditur, quando iniustitia, & iniuria committitur in spolio. At spolians, tametsi malitiosè procedat, iniustitiam in spolio non committit; quia vtitur iure suo. Ergo spoliatus non potest aduersus illum actionem spolij intentare sic Suar. *dicto cap. 19. num.21.* Sanch. plures referens, *lib. 7. in decal. cap.29. num.15.* Potest tamen, vt iam dixi, officium superioris implorare, & hac via reuocationem malitiosam impedire: sic supradicti doctores.

9 Difficultas autem est; an si prælatus, cui pleno iure subditur beneficium manuale, promiserit non reuocaturum, adhuc non obstante promissione possit reuocare? Breuiter respondeo, validè reuocare posse; quia per hanc promissionem non mutatur beneficij manualis natura, quæ est vt pro voluntate conferentis remoueri possit: sic pluribus firmat Sanch. *lib.7. in decal. cap.29.num.125.* Gonzal. *ad reg 8. Cancell gl. 5. §.6. num.4.*

10 An verò illicitè reuocatio fiat? Negant Sanch. & Gonzalez plures referentes? quia hæc promissio, vtpote naturæ beneficij manualis contraria, nullas vires habet, licuti si fieret promissio non reuocandi testamentum, vel precarium, nulla est talis promissio; quia est contra naturam testamenti, vel precarij, *leg. cum precario 12. ff. de precariis.* Econtra affirmant Nauarr. *lib.3. consil. in 1. edit.tit. de regularib. cons. 20. num.12.13. & 14. in 2.edit.titul de statu monach.consil.14 n.12. & seqq.* Manuel. *quæst. regul. tom.3. q 29. artic. 9.* Mouentur; quia ex illa promissione obligatur prælatus saltem naturaliter beneficiato, tametsi religiosus sit. Ergo peccat violans talem promissionem.

11 In hac re distinguendum censeo. Si promissio fieret non reuocandi absolutè, vel non reuocandi, tametsi causa honesta intercedat, quæ alias reuocationem honestare posset, nulla esset talis promissio ob rationem dictam; quia esset contraria naturæ beneficij manualis: at si promissio fieret non reuocandi absque causa legitima; licita esset, & valida talis promissio, quia est iuri conformis. Vnde si non obstante tali promissione fit reuocatio, illicitè fit, sicuti fieret non posita promissione.

12 Sed quid si iuramento hanc promissionem firmates, & illo non obstante reuocares? Respondeo valere reuocationem; quia iuramentum beneficij naturam non mutat. Sanchez *n. 118.* Gonzalez *gloss. 5. §.6. num.4.* Eris tamen periurus in omnibus illis casibus, in quibus aliàs obligatus non esses reuocationem facere; quia pro omnibus illis videris iurasse, & consequenter ex iuramento obligatus non reuocare.

13 Quid si confirmata esset à Pontifice illius beneficij collatio, posseme tunc conferens, cui alias pleno iure beneficium subditur, beneficiatum remouere? Respondeo, si simpliciter confirmat, posse; quia tunc illa confirmatio est quædam collationis factæ approbatio, nec naturam beneficij immutat. Secus verò si ex certa scientia confirmat in titulum perpetuum, quod aliàs est manuale: quia cum omnia beneficia Pontifici subdantur, potest ipse illorum naturam alterare; sic Rebuff. *de pacifica possessor. num.279.* Sanchez *lib.7. cap.29.num.129.* Gambara *de officio legat. lib.4.cap.1.num.18.* Gonzalez *gloss. 5. §.6. num.25.* In dubio autem nunquam censetur Pontifex sic beneficij manualis collationem confirmare, vt impediat in conferente potestatem remouendi, sic Gambara *supra.* Gonzalez *n.28.*

14 Idem quod dictum est de confirmatione, dicendum est de prouisione, siue ex iure deuoluto, siue ex proprio fiat. Et quidem quando ex iure deuoluto ob negligentiam conferentis Pontifex confert beneficium manuale, certum est, integrum esse conferenti beneficiatum remouere; quia tunc Pontifex non aliter confert, quam debebat conferens conferre; quia supplet eius negligentiam, & præstat quod præstare ipse tenebatur; quodque manifestè constat ex *clem. vnic. vers. præmissa. de supplend. neglig. Prælat. & ibi glossa.* Si autem Pontifex nomine proprio, & tanquam omnium beneficiorum distributor beneficium manuale alicui conferret, tametsi plures doctores censeant, quos refert Sanchez *lib.7. in decal. cap.29 num.135.* eo ipso perpetuari in beneficiato pro toto vitæ suæ tempore, neque posse ab alio, quam à Pontifice auferri, nisi ex causis, ex quibus beneficium de se perpetuum remoueri potest. At probabilius censeo, adhuc manuale esse & ad nutum amobile, nisi Pontifex ex certa scientia illud conferat, & declaret in perpetuum conferri, quod in dubio non præsumitur: sic pluribus relatis, Sanchez & Gonzalez *supra*, & addit Gonzalez *num.28.* ad hunc effectum emanasse *reg.38. alias 37.* Cancellariæ dicens: *Item voluit, & ordinauit, quod si aliqui religiosi petant aliquod beneficium ad nutum amobile cum clausula, quod exinde pro solo nutu Abbatis, vel superioris amoueri non possint, litteræ quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem Dominus noster ponat in signatura, quod non possit amoueri, vel ad partem clausulam ipsam contedat.*

15 Tria tamen sunt aduertenda. Primo beneficium manuale sic à Pontifice ex certa scientia in perpetuum alicui collatum, cum primum vacauerit per mortem, vel resignationem, redit manuale, sicut erat prius. Quia Pontifex sic conferens non mutat beneficij naturam absolutè, sed solum suspendit pro vita beneficiarij reuocationem. sic Rebuff. *de pacific. possessor. n.279.* Selua *de benefic. 3 part. q.11. num.131.* plures referens Sanchez *lib.7. cap.29. num.141.*

16 Secundo aduerto, beneficium manuale non censeri reuocatum morte concedentis; quia mors non reuocat voluntatem præexistentem. *cap. si delegatus. de officio delegati. in 6.* sic Abbas *cap fin. notab.3. num.6. de Precariis.* Decius *in cap. ad nostram in fine. de confirmat. vtili, vel inutili:* Rebuff. *tract. de pacific. possessor.*

possessor. num. 276. Gonzalez *gloss. 5. §. 6. num. 39.* Sanchez *lib. 7. cap. 29. num. 113.* Secùs tamen esset, si beneficium esset concessum ad beneplacitum concedentis; quia tunc beneficium non amouetur per reuocationem, sed per temporis implectionem; quia finitur tempus, pro quo fuit concessum: concessum enim fuit beneficium, dum concedens beneplacitum haberet, quod beneplacitum morte ipsius cessat, & finitur. *cap. si gratiosè. de rescriptis. in 6.* Gonzal. & Sanch. *sup.* Tertio aduerte beneficia sæcularia præsumi perpetua; quia ferè omnia sæcularia beneficia perpetua sunt. *cap. præcepta 55. dist. c. 1. & ibi gloss. verb. perpetui. de capellanus mona. h. in 6. c. veniens de filiis presbyter.* Econtra vero regularia beneficia manualia præsumuntur, quia ferè omnia eam naturam habent *c. cum ad monasterium. de statu monach.* & tradit Mandoz. *reg. 3. reseruat. q. 11. n. 13.* Gonzalez *gloss. 5. §. 6. n. 6. & 7.* Sanch. *lib. 7. in decal. c. 29. n. 104.* Interdum tamen regularia beneficia perpetua sunt, & sæcularia manualia; quia sic ex fundatione, vel priuilegio Apostolico, vel præscriptione habetur, Gonzal. *sup. num 8.* Beneficia autem parochialia sæcularia ratò, vel nunquam manualia sunt; quia parochorum remotio Ecclesiæ non leuiter præiudicat, eaque de causa Rota, vt testatur Gonzalez *dicta glossa 5. §. 6. num. 61.* dubitauit, an laicus fundans Ecclesiam parochialem, possit parochum constituere ad nutum amobilem; & in partem negatiuam se inclinauit, fauetque sacra congregatio Trid. *decreto 18. sess. 24. de reformat.* dicens: *Semel Rector deputatus non poterit ad nutum amoueri à patronis, etiam quod allegarent esse in possessione ita faciendi, etiam si ius patronatus esset alicuius communitatis, sed perpetuo illius Ecclesiæ remanebit.*

18 Quarto aduerte, si Ecclesia parochialis vniatur monasterio, vt per sæculatem clericum regatur, tamesi à monasterio præsentetur, non esse beneficium manuale, sed vicariam perpetuam; sic, aliis relatis, docet Gonzalez *dicta gloss 5. §. 6. n. 52.* quia illa vicaria non est regulare beneficium, sed sæculare; ac proinde sæcularis beneficij naturam tenere debet.

19 Sed inquires, an beneficium manuale fieri possit perpetuum præscriptione, vel consuetudine? Negat Abbas *in cap. ad nostram. num. 11.* Decius *in noua edit. num. 22. vers. vlt. de confirmat. vtili, vel inutili* Rebuff. *tract. de pacific. possessor. num. 217.* Sanchez *lib. 7. in decal. cap. 29. num. 117.* Mouentur; quia ex actibus meræ facultatis induci non potest consuetudo. *leg. qui iure familiaritatis. ff. de acquir. possess. leg. viam publicam. ff. de via publica. cap. Ioannes. de cleric. coniugatis.* Ergo induci non potest consuetudo, ex eo quòd prælatus nunquam reuocauerit; quia semper liberum illi fuit reuocare.

20 Cæterum doctores affirmant, manuale fieri posse perpetuum, & è contra consuetudine, & præscriptione sic Melius *in repert. verbo religiosus non potest consensire. vers. & ex his puto, & verbo beneficia manualia an possint. sub. num. 9.* Gambara *tract. de officio legat. lib. 4. cap. 1. num. 19.* Mouentur ex *cap. cum de beneficio. de prabendis. in 6.* vbi præscriptio quadragenaria sufficit immutare naturam beneficij, & de sæculari reddere regulare, & econtra. Ergo etiam sufficit de temporali reddere perpetuum. Item tam in beneficio manuali, quam in perpetuo potest adesse consuetudo habens actum iuri talis beneficij contrarium. Ergo potest talis consuetudo valere, & beneficij naturam alterare. Antecedens in beneficio perpetuo admittit Sanchez, & benè; quia potest beneficiatus perpetuo institutus remouere de facto semel & iterum, & in hac remotione quadragenarium tempus transire. Ergo potest quod perpetuum est, temporale fieri. In beneficiis autem manualibus etiam intervenire potest consuetudo eorum naturam immutans, qualis est, si conferens tentaret beneficiatum iustitutum remouere, & à superiore impediretur, allegans esse beneficium perpetuum, & in hoc obstaculo quadragenario perseueraret. Item si superior alicui de beneficio prouideret in perpetuum, & talis prouisio duraret quadragenario, talis prouisio est contraria naturæ manualis beneficij. Ergo manuale beneficium fieri potest præscriptione perpetuum.

21 In hac difficultate mihi placet conciliatio supradictarum opinionum, quam adducit Gonzalez, *reg 8. de mensib. & alternatiuis. glossa 5. §. 6. num. 36.* videlicet vt prima opinio procedat, quoties consuetudo non est contraria manualitati, & secunda cum consuetudo manualitati contraria inducitur. Hanc autem consuetudinem non inducit tentia reuocationis, si aliàs libera esset: beneficium enim manuale non petit reuocationem, sed expeditam potestatem reuocandi. Ergo dum conferens hanc potestatem habet, tamesi per mille annos nunquam faciat reuocationem non potest induci consuetudo manualitati contraria. Secùs vero esset, si tentans reuocare impediretur, vt in secunda sententia dictum est, quia iam inducitur consuetudo manualitati contraria, nempe potestati reuocandi. Deber tamen hoc impedimentum ab alio, quam à beneficiato apponi: si enim solus beneficiatus per potentiam remotioni resisteret, præscribere non posset; quia bona fide careret, quod à fortiori militat in beneficiato regulari, cuius resistentia esset contra obedientiæ votum: nequit ergo ex illa consuetudo rationabilis induci, *argum. text. cap. cum inter vos. de consuetudin. cap. cum non liceat. de præscriptionibus.*

PVNCTVM VI.

Expenduntur qualitates, & conditiones capellaniarum.

1 *Quotupliciter hæ capellaniæ instituantur.*
2 *Quando censeantur capellaniæ authoritate Episcopi erectæ.*
3 *An ex consensu patroni Episcopi authoritate capellania esse possit beneficium Ecclesiasticum, cum tamen à principio non fuerit authoritate Episcopi fundata.*
4 *Capellaniæ laicæ cuilibet, & in qualibet ætate constituto conferri possunt.*
5 *Capellaniæ laicæ non obligant ad horarum recitationem.*
6 *Ad titulum capellaniæ laicæ nemo ordinari potest.*
7 *Fundator capellaniarum laicarum statuere potest, ne ordinarius in earum prouisione, aut visitatione se intromittat.*
8 *Etiam in capellaniis Ecclesiasticis excludere potest ordinarium à visitatione.*
9 *Quando expresse ordinarius à fundatore non excluditur, non debet censeri exclusus.*
10 *Ex capellaniis laicis non debetur subsidium, tametsi à Clericis possideantur.*
11 *An in capellaniis, in quibus fundator dixit, vt presbyteris conferantur, possint conferri Clericis minorum ordinum? Affirmant plures.*
12 *Contrarium est probabilius.*
13 *Satisfit oppositæ rationi.*
14 *Limitanda est doctrina in prouisionibus Apostolicis pro statutis Ecclesiarum cathedralium & collegiatarum, secus pro ordinatione fundatoris.*
15 *Quid si fundator diceret,* Instituatur capellanus, qui missas celebret, *valebitne institutio non sacerdotis? Proponitur prima sententia negans.*
16 *Secunda sententia requirit qualitatem sacerdotij in præsentando, non actu, sed aptitudine.*
17 *Tertia conciliat supradictas duas sententias, distinguens de fundatione facta à laico, vel Ecclesiastico.*
18 *Quarta sententia probabilior affirmat, ex supradictis verbis non inferri; nec actu, nec aptitudine proximè sacerdotium.*
19 *Duæ limitationes huic vltimæ sententiæ apponuntur.*
20 *An capellanus actu, vel habitu sacerdotali possit ex consensu patroni vna, vel altera vice clerico 14. annorum conferri. Ex consensu fundatoris fieri potest non solum semel, sed in perpetuum.*
21 *Ex consensu patroni affirmant plures.*
22 *Contrarium est dicendum.*
23 *Qualiter ex consensu ordinarij onera capellaniarum minui possint, cum redditus sunt diminuti, & insufficientes videntur.*
24 *Non tenetur ad hanc diminutionem faciendam expectare synodum congregari.*
25 *Obligatus aliquibus diebus celebrare, an obligetur per substitutum, quando ipse impeditus est? sub distinctione respondetur.*
26 *Obligatus celebrare in determinata Ecclesia, & altari, si sæpius alibi absque causa legitima celebret, peccat mortaliter.*
27 *An teneatur hic missas compensare, etiam si alibi dixisset. Probabilius est teneri.*
28 *Ratò, vel nunquam est grauis culpa loco missæ defunctorum ex fundatione signatæ aliam votiuam, vel illius diei dicere.*

1 DVpliciter solent beneficia capellaniæ nuncupata institui. Primo sola voluntate instituentis. Secundo authoritate ordinarij. Deinde institui possint ad nutum amobiles, vel in perpetuum. Quando sola instituentis voluntate absque Episcopi, vel alterius superioris authoritate instituuntur, non sunt beneficia Ecclesiastica; quia iure nihil aliud sunt, quam quædam legata relicta cum obligatione dicendi tot missas, vel tot preces recitandi: sic Gonzalez *super reg. 8. Cancellar. gloss. 5. num. 20.* Salzedo *in pract. cap. 18. num. 9.* Nauarr. *cons. 5. & 7. de prabend.* Nicol Garcia *1. part. de benefic. cap. 2. num. 81.* At si authoritate Episcopi erigantur, & in perpetuum conferantur, beneficia Ecclesiastica erunt propriè, si tamen non in perpetuum, sed ad nutum conferantur, impropriè beneficia erunt.

2 Quod si inquiras, quando censeantur capellaniæ authoritate Episcopi erectæ, quando sola instituentis voluntate fundatæ, & consequenter quando censeantur Ecclesiasticæ, quando laicæ? Respondeo inspiciendum esse vltimum statum: nam si

ex illo constat esse ordinarium in quasi possessione conferendi dictam capellaniam, beneficium Ecclesiasticum reputandæ erunt. Si tamen absque authoritate Ordinarij patronus designat capellanum, reputandæ erunt sola instituentis voluntate fundatæ, cum de proprietate non constat: vltimus enim beneficij status tribuit quasi possessionem. Sic Garcia 1. *p. de benefic. cap. 2. num. 114.* Gonzal. *glos. 5. à num. 51.* Verum si de proprietate controuersia moueatur, & non constat Ordinatjum in fundatione assensum præbuisse, neque successu temporis contulisse, reputandæ sunt capellaniæ laicæ, & non Ecclesiasticæ; quia assensus Ordinarij, & illius authoritas cum sit res facti, & qualitas extrinseca, non præsumitur, nisi probetur sic Mascard. *de probat. concl. 1254. num 1.* Gonzal. *glos. 5. num. 57.* & probat *lex si verò. §. qui pro rei qualitate. ff. qui satisdare cogantur.* Quod si constet aliquando Ordinarium contulisse, aliquando patronum absque Ordinario, reputandæ sunt Ecclesiasticæ. Tum quia in casu dubio Ecclesiæ fauendum est. Tum quia credi non debet Ordinarium interposuisse authoritatem suam, nisi id licitè facere posset, vel ex fundatione, vel ex patronorum consensu: sic Rebuff. *tract. de pacific. poss. ss. num. 349.* Perez de Lara *de capellan. lib. 2. cap. 1. num. 54. & 58.* Gaic. *de benefic. 1. part. cap. 2. num. 113.*

3 An autem capellania instituta absque Episcopi authoritate possit ex consensu patroni in beneficium Ecclesiasticum erigi? dubium est. Et quidem si voluntas testatoris non contradicit, poterit id fieri; quia talis erectio est tum fundatori, tum Ecclesiæ fauorabilior; cum hac enim omnia bona melius conseruantur, & capellania firmior perseuerat: sic Salzedo *pract. cap. 18. num. 9.* Garcia 1. *part. de benefic. cap. 2. num. 108.* & Gonzalez *reg. 8. Cancellar. glos. 5. num. 58.* vbi adducit decisionem Rotæ 1112. *lib. 3. part. 3. diuers.* Voluntas testatoris contradicere non censetur ex eo, quod in testamento mentionem Ordinarij non fecerit, sed solum dixerit: se instituere, & fundare quandam capellaniam, seu anniuersarium perpetuum missarum ex suis bonis, quem capellanum prouideant sui hæredes, & successores. Ex vi enim huius clausulæ non excludit Ordinarium; imo potius præsumendum est velle, vt Ordinarius suam authoritatem interponat, & beneficium Ecclesiasticum instituat: sic Garcia 1. *part. cap. 2. numer. 109. & 110.* At si fundator dixerit se nolle, vt Ordinarius in tali prouisione se intromitteret, nequaquam poterit Ordinarius etiam ex consensu patroni eam capellaniam in beneficium Ecclesiasticum erigere; quia est contra expressam testatoris voluntatem; quæ omnino seruanda est. *clement. Quia contingit. vers. cum tamen a. de Religiosis domib.* Trident. *sess. 22. cap. 9.* & tradit Mandos. *reg. 34. quæst. 11. num. 2.* Zeualios *com. contra com. quæst. 282. numer. 23. 28. & 29.* Garcia 1. *part cap. 2. numer. 105. & seqq.* vbi pluribus decisionibus comprobat Gonzalez *glos. 5. à num. 44.* Idem censeo, si de facto fundator viuens capellaniam instituit, & ad effectum reduxit ponendo capellanum Ordinario irrequisito: nam illa fundatione clarè ostendit se nolle beneficium Ecclesiasticum instituere; non igitur poterit ex consensu patroni eius voluntas immutari: sic Garcia *dicto capite 2. numer. 111.*

4 Ex diuersitate harum capellaniarum aliqua inferuntur. Primo infertur capellanias laicas cuilibet, & in qualibet ætate constituto conferri posse, modò voluntas fundatoris non obstat: quia nihil de iis in iure est dispositum; secus Ecclesiasticas capellanias, siue in perpetuum, siue ad nutum amobiles, quæ dari non possunt, nisi clericis habentibus ætatem 14. annorum: sic Gonzalez *reg. 8. Cancellar. glos. 5. num. 27.*

5 Secundo infertur, capellanias laicas non obligare ad horarum recitationem; quia beneficia Ecclesiastica non sunt; sic aliis relatis Gonzalez *supra, num. 30.* Secùs dicendum de capellaniis Ecclesiasticis in titulum perpetuum datis; quia sunt propriè beneficium.

6 Tertio infertur, ad titulum capellaniæ laicæ neminem ordinari posse, tanquam ad titulum beneficij; quia beneficium non est; at si perpetua sit, ordinari poterit ad illius titulum, tanquam ad titulum patrimonij: sic Salzedo *pract. cap. 18. num. 9.* Gonzalez *glos. 5. num. 31.* Garcia 1. *part. de benefic. cap. 2. num. 112.* At si capellaniæ Ecclesiasticæ sint, distinguendum est, si sint perpetuæ, & congruæ sustentationi Clerici sufficiant; poterit ad illarum titulum quis ordinari, secus verò si sint ad nutum amobiles; quia titulus, ad quem quis ordinatur, debet esse tam ex parte dantis, quam recipientis perpetuus, vt satis colligitur ex Trident. *sess 21. cap. 2. de reformat.* Salzedo *pract. cap. 18. num. 8.* Flamin. *de resignat. lib. 2. quæst. 6. num. 2.* Garcia, alios referens, 1. *part. de benefic. cap. 2. num. 83.* Quod si quis ex consensu patroni ad titulum capellaniæ amobilis ordinetur, existimat Piasecus *in praxi Episc. 1. part. cap. 1. num. 45.* licitè id fieri posse, neque posse à capellania remoueri, nisi assignata alia congrua portione, ex qua sustentetur. At nullatenus est admittendum; quia Ordinarius, etiam consentiente patrono, potestatem non habet alterandi, & mutandi fundatoris voluntatem, & consequenter faciendi, vt capellania amobilis ad nutum, definat esse talis, & in ordinato perpetuetur, vt latè probat Garcia 7. *part. de benefic. cap. 1. à num. 107.* & videtur decidi *clement. quia contingit. de religiosis domib.* & Trident. *sess. 25. cap. 5. de reform.*

7 Quartò infertur fundatorem capellaniarum laicarum statuere posse, ne se Ordinarius in earum prouisione, & visitatione intromittat, & seruandum est. *argum. leg. in re mandata. Cod. mandati.* tradit Couarruuias 4. *decret. 2. part. cap. 3. §. 1. n. 20.* Garcia 1. *part. de benefic. cap. 2. num. 105.* Gonzalez *glos. 5. num. 41. & seqq.* & constat ex Trident. *sess 22. cap. 9. de reformat.* ibi, nisi secus fortè institutione, vel ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum esset. At si capellaniam Ecclesiasticam fundet, nequaquam potest Ordinarium ab eius prouisione excludere, neque ipse Ordinarius potest tali institutioni consentire; quia est contra naturam beneficij Ecclesiastici, quod debet institutione canonica conferri. *Reg. beneficium. de Reg. iuris in 6.* Sic Lambertin. *de iure patron. lib. 1. c. 1. quæst. 9. principali in princ. num. 4.* Couarruuias *in 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 1. num. 20.* Garcia 1. *part. de benefic. cap. 2. num. 97.* Neque mihi probatur, quod tradit Gonzalez *glos. 5. num. 47. & 48.* non posse inquam Ordinarium in capellaniam eius authoritate fundatam se intromittere, si in limine fundationis tali conditioni consensit. Quia Ordinarius alterare non posset qualitates à iure communi pro beneficio requisitas, vna autem, & præcipua est canonica institutio. Ergo ex consensu Ordinarij hæc excludi non potest. Quapropter si fundator à prouisione capellaniæ excluderet Ordinarium; eo ipso censeri debet noluisse capellaniam Ecclesiasticam erigere, sed laicam. Garcia *supra, num. 97. in fine.*

8 Quod si de visitatione loquamur, benè potest fundator tum in capellaniis laicis, tum Ecclesiasticis, & collatiuis statuere ne ab Ordinario visitentur; quia visitatio non est qualitas beneficio annexa, & quilibet in dispositione suarum rerum statuere eas conditiones potest, quæ tali dispositioni contrariæ non sunt: colligitur ex Trident. *sess. 22. cap. 8. & 9 de reformat.* & declarauit Paulus V. 7. Aprilis, anno 1606. in fauorem Comitis de Oropesa contra Episcopum Abulensem, vt testatur Garcia 1. *par. de benefic. cap. 2. num. 98.* Nunquam tamen censetur Ordinarius exclusus in casu negligentiæ. Tum quia esset exclusio irrationabilis, ac proinde non sustinenda. Tum quia in iis casibus procedit Ordinarius, vt sedis Apostolicæ delegatus, Garcia *supra.*

9 Quando autem fundator expressè Ordinarium à visitatione non excludit, censeri non debet exclusus, siue capellania Ecclesiastica sit, siue laica, quia quocunque modo sit, est opus pium, & religiosum ac proinde visitationi Ordinarij subiectum, vt satis ex Trident. colligitur *sess 22. cap. 8. & 9.* Gonzalez *reg. 8. Cancellar. glos. num. 45* tametsi *num. 35.* contrarium videatur sentire. Nicol. Garcia *de benefic. 1 part. cap. 2. num. 104.* Ex eo tamen præcisè quod alicui ab Ordinario committatur in fundatione visitatio, censeri non debet Ordinarius exclusus; quia hæc commissio Ordinarij potestati non derogat, cum stare optimè possit cum illa. Nullusque censetur potestati à iure concessæ velle derogare, nisi id clarè exprimat: sic Garcia *numero 99.* & testatur à sacra Concilij congregatione decisum.

10 Quintò infertur ex capellaniis laicis non deberi subsidium, tametsi à Clericis possideantur: sic Garcia *de benefic. 1. part cap. 2. num. 107 & 5. part. cap. 1. num. 613 fine* Ratio est, quia non sunt redditus, & prouentus per se Ecclesiastici, sed solum sunt Ecclesiastici fatione personæ. At subsidium impositum est super redditus, & prouentus per se Ecclesiasticos, vt constat ex verbis bullæ Pij IV. & V. & Clem. VIII. dicentium super omnium, & singularum cathedralium etiam metropolitanarum, & collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum, &c capellaniarum conuentualium, & aliarum mensarum fructibus, & redditibus, & prouentibus. Ergo huiusmodi capellaniæ cum non sint prouentus alicuius Ecclesiæ, sed determinatæ personæ, exemptæ sunt à tali onere. Alias ex bonis vincularis sub onere missarum deberetur subsidium, quod non est dicendum. Dices, cum fundator relinquit aliqua bona determinata possidenda per Clericum, Ecclesiæ censetur relinquere. *leg. Annua. §. Atia. ff. ad annuis legat.* & sub Ecclesiæ tutela, & regimine continentur, *cap nouerint. 10. quæst. 1.* Sed cum capellaniam laicam instituit, relinquit bona possidenda per Clericum, quem patronus designauerit, siue Clericus sit alicuius Ecclesiæ, siue non. Quando bona relinquuntur possidenda per Clericum alicuius Ecclesiæ determinatæ, tunc verum est bona Ecclesiastica esse, & subsidium ex illis deberi; quia non tam Clerico, quam Ecclesiæ censentur illa bona relicta. Secus vero, quando Clerico à patrono designando conceduntur. Ex capellaniis autem Ecclesiasticis, seu collatiuis in perpetuum, & ad nutum amobilibus subsidium debetur; quia hæc Ecclesiastica bona sunt, & expressè traditur à Clement. VIII *in sua constitut. de hac re edita 24. Februar. anno 1604.* ibi, æquè acolij titulares supradicti. Et notauit Perez de Lara *de capellan. lib. 2. cap. 6. num. 16.* Garcia *de benefic. 1. part. cap. 2. num. 82.* & Paul. V. *in alia constit. 12. Nouemb. anno 1609.* quam refert Perez de Lara *in compendio de lastres gracias. lib. 2. del subsidio. pag. 4.* & cuius meminit Garcia *supra in addit.* disponit deberi subsidium ex capellaniis amobi

amobilibus habentibus bona,& redditus determinatos ad suam stabilitatem,& perpetuitatem, tametsi fundatores disposuerint, quod ex eis subsidium non soluatur.

11 Sed inquires, aut in capellaniis, quibus fundator dixit, vt presbyteris conferantur, conferri possint Clericis minorum ordinum? Affirmant plures non infimæ notæ, quando testator per verba affirmatiua procedit, vt si diceret, instituatur capellanus sacerdos, qui missas celebret, &c. Secus vero si per negatiua verba procederet dicens, vt nullus alius, nisi qui actu sacerdos sit, instituatur, sic Roland. à Valle *cons. 40 num. 6. volum.* 1. Spino *in speculo testamentor. gloss. 4 princip. numer.* 68. Lambertin. *de iure patronat. 1. par lib. 2. quæstio 7. princip. articul. 27. à num.* 1. *fol.* 79. Flamin. *de resign. lib. 3. quæst. 9. numer.* 3. Gonzalez *reg. 8. Cancellar. gloss. 5. in princ. num. 74. & num.* 104 Zeuall. *com. contra com. quæst. 693. num. 9. cum seqq.* Stephan. Gratian. *discept. forens. capit. 133. numero* 1. *cum seqq.* Perez de Lara *de capellan. lib. 2. capit. 5. num.* 16 Quaranta *in sum. bullar. par. 2. verbo seruitium capellania.* Ratio est; quia illa verba non actum, sed aptitudinem videntur significare. Quod inde colligi potest; quia ex vi illorum verborum solum infertur illam capellaniam ordinem sacerdotalem habere annexum; ac proinde sacerdotalem esse. Sed ex hac annexione non colligitur capellanum tempore institutionis debere esse sacerdotem, sed solum colligitur debere esse in ea ætate, & dispositione, vt infra annum sacerdos fiat. Tum quia beneficium parochiale, & canonicatus sacerdotalis ordinem sacerdotalem habent annexum, & tamen cum aliqui conferuntur, non est necesse, vt actu sacerdos sit, sufficit esse aptitudine. Tum quia quilibet præsumendus est velle in sua dispositione iuris communis dispositionem sequi, *leg. cum quidam. §. quemadmodum Cod. de de verbor. significat. leg. 2. Cod. de hæredib. instit.* & tradit Bart *in leg. hæredes mei. §. cum ita. numero quarto ff. ad Trebell.* Gutierrez *cons. 19 numero* 7. Gonzalez *numero* 81. At constat beneficium habens annexum sacerdotium impetrari posse ab eo qui sacerdotio caret, dummodo intra annum à die adeptæ possessionis sacerdotio insigniri possit. Ergo etiam hæc capellania sacerdotalis impetrari potest à non sacerdote, dummodo habilis sit ad sacerdotium intra annum recipiendum.

12 Cæterum mihi probabilius est supradicta verba affirmatiua expostulare in capellano sacerdotij qualitatem tempore prouisionis: sic Aloysius Riccius *in præx fori Ecclesiast. resolut.* 339. Praxis Episcopus *1. par. verbo beneficium. §. 7. concl. 5 princip.* 8. Aug. Barbosa. 2 *part. de potest Episcop. alleg.* 24. *à num.* 37. & 42. Garcia *de benefic. 7. par cap. 1. à num.* 58. qui plurib⁹ decisionibus comprobant. Ratio est, quia præsentandus debet habere qualitates à fundatore requisitas; at vna ex qualitatibus est quod sit sacerdos. Ergo si hac caret, habilis non est. Neque valet dicere habere illam aptitudine, quia hoc non est propriè habere illam.

13 Neque obstat ratio contraria. Quia aliud est beneficium habere annexum ordinem sacrum, aliud ordinem sacrum beneficio præsupponi, & ad illud disponere. Quando beneficium secum trahit ordinem sacrum, vt qualitatem subsequentem, illum non requirit actu tempore collationis, sufficit si aptitudine insit. At quando beneficium ordinem præsupponit, vt dispositionem, actu ordo habendus est, cum confertur. Ergo cum ex fundatione habeatur, vt Clericus nominandus sacerdos sit, iam sacerdotium, vt dispositio ad nominationem requiritur.

14 Hæc doctrina limitanda venit in prouisionibus Apostolicis, in quibus apponitur clausula *non obstantib. statut.* per quam clausulam capellania sacerdotium requirens actu conferri potest, ei qui aptitudine esse potest: sic Gonzalez *gloss. 5. in princ. numero* 106. Garcia 7. *part. de benefic. cap. 1. num.* 106. *& seqq.* Sed hæc limitatio, vt verum habeat, intelligenda est de prouisionibus Ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum, quæ ex suis statutis requirunt qualitatem sacerdotij in prouiso, non autem de statuto facto à fundatore laico. Tum quia nomine statuti fundatio, & ordinatio facta à testatore non intelligitur. Tum quia piæ testantium voluntati non censetur Papa derogare, nisi expressè dixerit: sic tradit Rota *decis. 41. de concess. prabend. in antiquis. & decis. 1. de prabendis in nouis*, Abbas *in capit. cum in cunctis. §. inferiora. numero* 11. *de electione.* Staphileus *de litter. gratia. 1. t. de vi, & effectu. clausul. §. de clausulis non obstantibus.* Felin. *in cap. Nonnulli. num.* 23. & 24. *de præscriptionib. & in tract. quando litteræ Apostolicæ. ampliat. 7. numero* 7. Caputaq. *decis. 127. numero 2. & 3. p. 1.* Azor. 2. *part. lib. 6. cap. 8. quæst.* 15. Lambertin. *de iure patronat. 1. part. lib. 2. quæst. 7. art. 29. numer.* 3 Notanter dixi ex supradicta clausula non censeri derogatum statuto, & ordinationi patroni laici; quia Abbas, Staphil. Lambertin. & Azor. existimant statuto, & ordinationi ab Ecclesiastico factæ derogari. Mihi tamen non probatur, sicuti nec probatur Felino *supra numero* 24. & Garciæ *numero* 120. Non enim sub nomine statuti comprehenditur ordinatio, & fundatio testatoris; siue laicus sit, siue Clericus: quia statutum solum censetur fieri ab illo, qui legem condere potest. Item fundatio cuiuslibet testatoris fauorabilis est; ac proinde sub clausula generali derogatoria non debet censeri derogata. Requiritur ergo, vt expressè dixerit Pontifex, non obstante qualibet fundatione in contrarium: imo ex vi huius clausulæ non est censendum derogari fundationi laicorum, sed solum Clericorum; quia laica fundatio priuilegiata est, & huic nunquam censetur derogatum, nisi expressè, & in individuo illius mentio fiat: sic Caputaq. *decis. 122. p. 1. num.* 22.

15 Sed quid dicendum; si fundator diceret, instituatur capellanus qui missas celebret, valebitne institutio cappellani, non sacerdotis?

Quadruplex est sententia in hac re. Prima negat valere institutionem nisi actu fuerit sacerdos; quia non fit satis conditioni à fundatore requisitæ: si quidem ille qui non est sacerdos, non potest missas celebrare: sic Lambertin. *de iure patronat. 1. part. lib. 2. quæst. 7. art. 27.* Ioann. Gutierrez *cons. 1. num. 11. & cons. 2. numero* 15. Didac. Perez *leg. 1. tit. 6. lib. 1, ordinam. gloss. 2. ad finem. vers. notabile etiam est dubium.* Quintana Duenna *lib. 4. Ecclesiast. num. 67.* Manuel Rodriquez *regul. qq. 2. t. quæst. 122. art. 2. ad finem*, & ampliat Lambertin. *supra* & Azor. *t. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 24. quæst.* 3 etiam si testator diceret, vt præsentetur capellanus qui per se, vel per alium debeat celebrare, quia ex vi horum verborum capax celebrationis esse debet tempore præsentationis; illa enim verba indicant, vt si ipse capellanus legitimè impeditus sit, possit obligationi per alium satisfacere.

16 Secunda sententia limitat præcedentem. Affirmat namque requiri qualitatem sacerdotij in præsentando non actu, sed aptitudine: sic Spino *in speculo testam. gloss. 4. numero* 68. Zeuallos *com. contra com. quæst. 693. à num.* 6 Parladot *diff. 120. num.* 14. Mouetur; quia ex vi illorum verborum solum videtur inducta obligatio capellano ad celebrandum, sed huic satisfacere potest ordines recipiendo. Ergo non tenetur illos habere, cum præsentatur, sed sufficit illorum capacem esse.

17 Tertia sententia conciliat vtramque sic prædictam, & primum affirmat procedere in capellania fundata à laico, secundam in capellania fundata ab Ecclesiastico: sic Azorius *2. tit. instit. mor. lib. 6. cap. 24. quæst. 4. in fine.* Ratio esse potest, quia penes laicum solum est præsentationis potestas, non præsentati, & instituti examinatio & inuestigatio: hæc enim ad Ecclesiasticum pertinet. Ergo mirum non est laicum expostulare, vt præsentatus tempore præsentationis habeat qualitates omnes requisitas ad capellaniam, quas tamen persona Ecclesiastica non expostulet.

18 Quarta sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, docet ex supradicta fundatione non inferri cappellaniam actu, vel aptitudine proxima debere esse sacerdotalem, sed cuilibet constituto in ætate 14. annorum conferri posse: sic August Barbosa *2. part. de potest. Episcop. alleg. 24. num.* 43. Gonzalez *reg. 8. Cancellar. gloss. 5. à num* 74. Garcia *7. p. de benefic. cap. 1. à num* 85. Perez de Lara *de capellan. lib. 2. cap. 7. num & cap. 8. num.* 41. Et plurib⁹ decisionibus Rotæ supradicti doctores suam sententiam firmant. Ratio est; quia ex illis verbis solum habetur capellanum obligatum esse celebrare: at huic obligationi satisfacere potest, si per alium celebret iuxta *reg. qui per alium facit. per se facere censetur. de regul. iuris, in 6.* Ergo neque actu, neque aptitudine sacerdotium requiritur. Et confirmo à iure communi recedendum non est absque manifesta ratione; sed ex iure communi simplex beneficium, quale est dicta capellania, residentiam non requirit, sed per substitutum illius obligationi fieri satis potest. Ergo à tali iure non est absque manifesta ratione recedendum, quæ in præsenti non videtur adesse. Et confirmo secundo, contra illum qui legem dicere potuit, apertius interpretatio est facienda, sed fundator si vellet, vt capellanus per se ipsum, & non per substitutum oneribus capellaniæ satisfaceret, id explicare posset: ergo dum non explicuit, contra illum interpretatio facienda est. Quocirca nisi fundator dixerit, vt capellanus teneatur per se ipsum missas celebrare, & non per substitutum, poterit patronus præsentare Clericum beneficij simplicis capacem, & præsentatus obligationem residendi non habet, secus si in fundatione expressè caueretur: sic Azor *2. t. instit. moral. lib. 2. cap. 8. q. 5.* Gonzalez *num* 89 Barbosa *num.* 44. Riccius *in præxi fori Eccles. decis. 399. in edit. 1. & resolut. 337. in 2. edit.* Garcia 7. *p. de benefic. cap. 1. num.* 98.

19 Duplex limitatio supradictæ sententiæ apponitur. Prima, vt procedat, nisi consuetudine legitimè præscripta contrarium habeatur: sic Gonzalez *numero.* 107. pluribus comprobans. Sed hæc limitatio vt verum habeat, debet esse de consuetudine obligante capellanum residere, & missas dicere, non ex consuetudine, quam ipse per liberum vsum inducit quia hæc nullam obligationem parere potest. Riccius, & Barbosa *supra.* Secundò, limitat Gonzalez. *num.* 105. & Barbosa *num.* 44. in capellaniis Ecclesiarum cathedralium, quarum reditus consistunt in distributionibus quotidianis, & solis in-

teressentibus concedunturː hæ enim residentiam requirunt, & per substitutum earum obligationi satisfieri non potest; quare si missarum onera habent annexa, sacerdotales sunt, & sacerdotibus saltem aptitudine concedi debent. Placet hæc limitatio; quia saltem ex consuetudine introducta est sacerdotij qualitas.

20 Posito aliquam capellaniam actu, vel habitu sacerdotalem esse, est difficultas, an ex consensu patroni, hæredis, vel successoris fundatoris alterare Episcopus possit supradictam qualitatem, saltem pro vna, vel altera vice dispensando, vt conferatur Clerico 14 annorum? Durante vita fundatoris, & ex illius consensu certum est, non solum semel, sed in perpetuum alterari posse dispositionem, si causa Ecclesiæ vtilis assistat: sic Ioann. Gutierr. *cons. 1 num. 23.* Azeuedo *leg. 5. tit 6. libro primo. recopil. numero secundo* Lambert. *1. part. de iure patron. libro secundo quæst. 7. art. 23.* Garcia, alios referens, *7. p. de benefic. cap. 1. num. 104.* Quæstio igitur solum procedit de successore fundatoris, an ex illius consensu possit Episcopus vna, vel altera vice qualitatem fundationis alterare.

21 Affirmant sequentes Abbatem, Imolam, & Felinum *in cap. cum accessissent. de constitutionib.* Nauarr. *cons. 6. de Cleric. non residentib. numero 4. & de oration. capit. 3. numero. 73.* Rebuff. *in praxi. 3 part. signatura. verbo nec non iuris patronatus, numero 46. & in concordant. in forma mandati, verbo pro expressis. vers. 24* Zerola *verbo benefic. § 7. & verbo ius patronatus. § 8. dub. 15.* Zechus *de republ. Ecclesiast. de beneficiatis. numero quarto vers. quo vero ad ordinem. & de beneficiis. & pension. capit. numero 21. vers. Qui verò ad ætatem.* Leo *in thesauro fori Ecclesiastic. capit. 29. numero 35.* Eman. Sa *in vtraque edit. verbo beneficium. numero 37.* Lambertin. *de iure patron. 1. part. lib. 2. quæstion. 20. articul. 6. & 7. numero quarto* Perez de Lara *libro secundo de capellan. capit. 5. à numero 28.* Prosper de Augustino *in append. ad summ. bullar. 2. part. verbo seruitium capellaniæ. pagin. 608.* tametsi dubius sit, an per Trident. *sessione. 25. capit. 3. de reformat.* huic potestati sit derogatum. Mouentur; quia voluntas fundatoris præsumi debet subiecta dispositioni ordinarij ex successorum consensu. Hoc enim rectæ gubernationi congruum videtur.

22 Cæterum dicendum existimo, nullo modo posse Episcopum dispositionem fundatoris etiam pro vna vice alterare, si commodè executioni mandari potest: sic docuit Decius *in capite cum accessissent. de constitut. numero 54.* Ioann. Gutierrez *consil. 1. numero 19. & seqq.* Garcia *7 part. de benefic. capit. 1. numero 107.* vbi pluribus decisionibus Rotæ comprobat; indicat Azor. *tom. 2. institut. moral. 6. capit. 24. quæstion. 1.* & videtur decisum à Trident. *sess. 25. capit. 5. de reformat.* ibi quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur seu certa illis onera sunt iuncta in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur. Quia ratio postulat (inquit Concilium) vt illis, quæ benè constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur. Si autem Episcopus ex consensu patroni vna, vel altera vice, posset fundationem alterare, iam ex parte derogaretur à fundatore constitutis, Concilium autem omnem derogationem excludit. Ergo admittenda non est. Idem colligitur ex *clem. Quia contingit. de Religiosis domibus*, ibi; cum tamen ea quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salua quidem sedis Apostolicæ authoritate, conuerti. Sed in beneficiorum collatione efficacius hoc procedit, quàm in legatis. Ergo absque sedis Apostolicæ authoritate mutari non possunt, neque pro vna vice; quia cum hæc constitutio piæ fundatorum voluntati sit fauorabilis, non est restringenda, sed extendenda. Item est Ecclesiæ fauorabilis; si quidem scientes fideles eorum pias dispositiones integrè, & inuiolabiliter obseruari, incitantur ad similes fundationes. Econtra verò si scirent posse ab ordinario mutari, arcerentur multum ab eis. Quæ ratio maioris ponderis est, quam quælibet specialis vtilitas, quæ in vno, vel altero casu apparere potest.

23 Rursus dubitare potes, an si successu temporis redditus cappellaniæ decrescant, ita vt insufficientes iudicentur ad onera sustinenda, possit ordinarius ea, prout expedire iudicauerit, minuere. Certum esse debet absque potestate ordinarij beneficiatum id facere non posse. Tum quia obligatio sustinendi illa onera ex titulo capellaniæ prouenit, quem si capellanus non relinquit, excutere non potest obligationem. Tum quia hæc diminutio, cum sit fundatoris dispositioni contraria, magna circunspectione facienda est, vt, vt dicit Concilium Trident. *sess. 25. capite 4. de reformat.* Ergo non decet cappellanum illius constituere iudicem, quia nemo in propria causa iudex rectus, & circunspectus esse potest: sic Azorius 2. *part. institut. moral. lib. 6. capit 24 quæstion. 6.* At ordinarius ex consensu patroni, imo illo vocato renuente, potest quælibet onera missarum, suffragiorum, & similium reducere ad quantitatem reddituum competentem. Tum quia sic præsumitur testatorem voluisse, ne dicamus contra rationem intendisse Clericum grauare. Tum quia hæc facultas ordinario conceditur in *capit. cum accessissent. de constitutionib. capit. non quidem. de testam.* & ibi Doctores. & fauet *lex legatum, ff. de vsu fructu legato* tradit Azorius *supra* Lambertin. *de iure patronat. lib. 3. quæstion. 6. articul. 4.* Perez de Lara *de anniuers. & capellan. lib. 1. cap. 15. à num. 6.* Garcia *de benefic. 7. part. cap. 1. num. 125.*

24 Dubium tamen est, an obligetur ordinarius hanc diminutionem facere in synodo diœcesana, ita vt extra facere non possit? Ratio dubitandi est quia Trident. *sess. 25. cap. 4. de reformat.* hac facultatem Episcopis concedit diœcesana synodo, sicuti, & Abbatibus, & generalibus ordinum in capitulis generalibus: tibi. *Sancta synodus cupiens hæc ad pios vsus relicta, quo plenius, & vtilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, vt in synodo diœcesana, itemque Abbatibus, & generalibus ordinum, vt in suis capitulis generalib. re diligenter perspecta possint pro sua conscient. in prædictis Ecclesiis, quas hæc prouisione indig. cognouerint, statuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem. & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire.* Dicendum tamen est, in beneficiis, & capellaniis optimè posse Episcopum extra synodum diœcesanam hanc diminutionem facere. Tum quia iure antiquo illi erant hæc potestas concessa *cap cum accessissent. capite ex parte. de constitution.* quæ potestas in supradicto decreto Trident. nec derogata, nec limitata est; quia Trident. non loquitur de missis, & oneribus beneficij, & capellaniæ sed de anniuersariis relictis Ecclesiæ, vt constat ex prine. illius cap ibi. *Contingit sæpe in quibusdam Ecclesiis vel tam magnum missar. celebrandarum numer. ex variis defunctorum relictis impositum esse, vt illis prosingulis diebus à testatorib. præscriptis nequeant satisfieri, vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri sub. icere. Vnde dispereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientiæ, ad quas prædicta spectant, onerandi occasio datur.* Ergo dispositionem beneficiorum, & cappellaniarum iure communi Episcopis concessam intactam Concilium relinquit: sic Nauarr. *summ. cap. 25. numero 138.* Henriquez *2. t. Summ. lib. 9. cap. 22 § 6.* Petrus de Ledesma *in summ. de Eucharist. c. 18. conclus. 16. ad finem.* Man Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quæstion. 43. artic. 13.* Garcia *de benefi. 7. part. capit 1. numero 131.* & testatur sic à sacra congregatione fuisse decisum. Adde non carere probabilitate posse Episcopum etiam extra synodum diœcesanam anniuersaria in supradicto casu minuere: sic docuit Nauarrus & Manuel Rodriquez *supra.* Et mouentur; quia iure antiquo hæc potestas Episcopis concessa erat, quæ per concilium non videtur sublata, sed ad maiorem illius obseruantiam additum est, vt fiat in diœcesana synodo, non ex necessitate, sed ex vtilitate. Quod si obiicias, Abbates, & generales ordinum non possunt extra sua capitula generalia hanc diminutionem facere. Ergo neque Episcopus; si quidem eodem tenore verborum omnibus conceditur supradicta facultas; Episcopis in synodo diœcesana, Abbatibus in capitulis generalibus. Facilè respondetur, in facultate Abbatum illam formam esse seruandam; quia Abbates non aliunde eam potestatem habebant, sed illis traditur sub illa forma præscripta. At Episcopi aliunde habent potestatem; ac proinde forma illa, vt fiat in synodo diœcesana; seruanda necessario non est.

25 Rogabis item an si, obligationem habeas ex fundatione capellæ celebrandi aliquibus determinatis diebus, teneatis celebrare per substitutum, si commodè ipse celebrare non potest, vel ratione infirmitatis, vel alia causa.

Censeo sub distinctione respondendum, si capellania non te arctat per te ipsum celebrare, sed potes per substitutum. Credo obligatum esse per substitutum celebrare, aut in aliud tempus expeditum obligationem differre: sic Azorius *tom. 2. institut. moral. lib. 6. cap. 24. quæstion. 8.* Mouetur, quia impedimentum celebrandi non potest obligationem extinguere, cum possit per alium impleri. Ergo vel implenda est per substitutum, vel ad minus in tempus expeditum differenda, iuxta præsumptam testatoris voluntatem. Verum si capellania te obligat ad celebrandum per te ipsum, plures doctores docent, si vno vel altero die impediaris, excusatum esse supplere per alium: quia credendum non est fundatorem ita strictè obligare, vt velit nullam fieri indulgentiam, vel remissionem. At si pluribus diebus impediaris, v. g. octo, vel quinque cim dies infirmitate labores, existimant te obligatum esse per alium supplere; alias non videris posse fructus capellaniæ recipere; quia hi dantur ob officium, & ministerium exercendum, quo cessante videntur ipsi cessare, datum enim ob causam illa cessante repetitur; tametsi cesset inculpabiliter. *leg. si pecuniam. in princ. ff. de condit. causa data*: sic refert Matheus Anton. Genuen. *in praxis archiepiscop. Neapolit. cap 47.* Petro Nauarra *de restitut. libro secundo cap. 2. num. 210* Galet. in margarit.

margarit, casuum conscient. verbo missas. Aloysio Riccio resol. 340 Fraxinel. de obligat. sacerdo. sect. 4. concl. 4. parag. 13. docet August Barbosa 2. part. de potest. Episc. alleg. 24. num. 31. fine, & testatur sic decisum esse à Rota Iunæ 7. Februar. 1594. vbi beneficiati obligati in qualibet quinta feria celebrare missas de sacramento pro anima fundatoris, & lite pendente prætermisere tunt, obligantur eas dicere.

Mihi quidem hæc sententia difficilis est. Nam si aliquid probat, conuincit quemlibet diem prætermissum te obligatum esse supplere, nisi ex ratihabitione, & præsumpta testatoris voluntate excuseris.) Si enim legitimum impedimentum vnico die existens extinguit illius diei obligationem, cur non valebit a iis diebus extinguere, si idem impedimentum existat? Quocirca sic legitimè impeditum reputarem te exemptum esse ab obligatione dicendi aliis diebus tales missas; quia suppono ex fundatione capellæ te obligatum esse singulis diebus celebrare. At ab hac obligatione ob legitimum impedimentum excusaris. Ergo non est, vnde nascatur obligatio supplendi illorum dierum celebrationem. Quod non leuiter confirmari potest ex prædictis, canonicatibus, aliisque beneficiis residentiam expostulantibus, quorum fructus beneficiati legitimè impediti lucrantur, tametsi non resideant. Et ratio est; quia fructus non dantur ob residentiam actu exercitam, sed ob titulum beneficij, & sub obligatione residendi, si fieri possit.

26 Vlterius obligatus esse potes in hac Ecclesia, & in hoc altari celebrare. Si ergo sæpius alibi celebres absque iusta, & legitima causa, vel dispensatione, peccabis mortaliter; quia in re graui defraudas fundatorem. Fundator enim ordinando missas illis circunstantiis vestitas non solum intendit prodesse defunctorum animabus, sed etiam alicuius imaginis, & altaris specialem cultum, & deuotionem, itemque humanum honorem, nempè vt adstantes cognoscant missam, quæ in tali die, & hora, & in tali altari celebratur, à tali persona fundatam esse; quæ sine dubio cessant, si missæ alibi celebrentur. Ergo peccas grauiter, sic omittens. Sylvest. verbo missa. 1. quæst. 10. ad finem, Nauarr. summ. cap. 25. num. 304. & de orat. cap. 5. num. 2 & 12. Azor. 1. part. lib. 10. cap. 24. quæst. 8 & 2. p. lib. 6. c. 14. q. 7. Henriquez lib. 9. c. 23. num. 5. Graffis decis. aur. par. 1. lib. 2. c. 53. num. 9. & tom. 2. consil. sub titul. de prebendis. consil. 4. num. 1. Augustin. Barbosa, aliis relatis, 2. part. de potest. Episc. alleg. 24. n. 31.

Dixi, *si celebres alibi absque iusta, & legitima causa, & dispensatione*; quia potes à celebratione in tali loco impediri iusta causa intercedente nempè violatione Ecclesiæ, vel alia via; & tunc nullum est peccatum, neque obligatio supplendi, modò alibi celebrationem facias. Ab hac autem non videris excusatus, ex eo quod celebrare in tali loco impediaris; quia non est præsumendum testatorem voluisse fructu sacrificij, se suosque defunctos priuare, tametsi illo speciali honore, & altare illo particulari cultu priuetur; sic, aliis relatis, docet Barbosa 2. p. de potest. Episc. alleg. 24. n. 35.

28 Quod si absque legitima causa omittas in tali altari celebrare, tametsi alibi celebres, plures doctores te excusant à compensatione facienda: sic aliis relatis docet Barbosa 2. part. de potest. Episc. alleg. 24. num. 36. Mouentur, qui non priuasti fundatorem fructu sacrificij. Cæterum ego crederem te esse per se obligatum compensare missas prætermissas, nō ob fructum sacrificij, quia in hoc nulla fraus, vel diminutio facta est, esse sed ob prætermissum cultum specialem illius altaris, & imaginis, & ob particularem honorem fundatoris inde resultantem omissum: sic Azor. 2. p. instit. moral. lib. 6. cap. 24. q. 7. Per accidens tamen videris deobligatus; quia raro est possibilis compensatio. Nam compensatio illa facienda est celebrando aliis diebus ab iis, quos testator designauit. At ex tali celebratione nullus specialis honor fundatori accrescit; quia adstantes prorsus ignorant illam missam celebrari loco alterius suo die signato prætermissæ. Ergo illa missa honor non reputatur. Ergo ex reparatione honoris non videtur posse obligari. Neque etiam videtur obligatus ex prætermisso cultu. Nam cultus hic prætermissus compensatus fuit cultu facto in alio loco, & altari, vbi missa fuit celebrata. Aduerte tamen capellanum obligatum celebrare tali hora, tali loco, & tempore posse ab harum circunstantiarum obligatione eximi ex dispensatione Episcopi, iusta causa intercedente, vt puta si absit in academia ratione studii. Quia in illa dispensatione solum voluntas fundatoris in accidentibus omittitur, & altiori bono compensatur. Henriquez lib. 9. de sacrific. missæ, c. 24. parag. 4. in fine. Barbosa 2. part. de potest. Episc. alleg. 24. n. 36.

28 Denique obligari potest ex vi capellæ missas defunctorum, vel alicuius sancti vestitas celebrare. Sed huius circunstantiæ omissio raro, vel nunquam inducere potest grauem culpam, si missas celebres, imo si iusta causa moueatis, qualis est te vniuersali Ecclesiæ consuetudini conformare, quæ illo die sanctum aliquem celebret, de quo tu missas dicis: credo nullam esse culpam, sed potius opus laudabile: sic Nauarr. summ. cap. 25. num. 134. Henriquez lib. 9. cap. 23. num. 6. Azor. tom. 1. instit. mor. lib. 10. cap. 23. quæst. 5. Barbosa 2 part. de potest Episc. alleg. 24. num. 31. Reginald. lib. 19. numer. 108. Eman. Sa verbo amissa. n. 48.

PVNCTVM VII.

De præstimoniis, & hospitalibus, eorumque qualitatibus.

1 *Antiquitus præstimonia beneficia non erant, sed modo sunt.*
2. *Hospitalia sunt in duplici differentia, alia authoritate Episcopi fundata, alia authoritate priuata.*
3 *Omnia possunt ab Episcopo visitari.*
4 *Regulariter hospitalia non sunt beneficia.*
5 *Expenditur decretum Trident.* Sess. 25. cap. 8. *de hospitalium administratione.*

1 TEmpore antiquo non obtinebant præstimonia rationem beneficij. Tum quia sæpè non dabantur in titulum, sed pro determinato tempore. Tum quia nullum officium, & munus spirituale annexum habebant; erant enim quidam reditus ex beneficio extracti in sustentationem iuuenum, vt sic aptius litteris vacare possent, vel bellum infidelibus inferrent. At iam omnia præstimonia Ecclesiastica beneficia sunt; quia dantur in titulum, & habent officium spirituale annexum, saltem horarum recitationem, vt ex constitutione Pij V. quæ incipit *Ex proximo Lateranensi*, quamque adducit Nauarr. *cap.* 25 *num.* 122. colligitur, & sub nomine beneficij ea comprehendit concil. Trident. *sess.* 14 *cap.* 9. *de reformat.* & *sess.* 23. *cap.* 18. *post medium*: sic latè Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 1. Gonzalez *super reg. Cancellar. gloss.* 5. *parag.* 2. *in prine.*

2 Hospitalia sunt in duplici differentia, alia authoritate Episcopi erecta, alia authoritate priuata. Quãdo sunt authoritate Episcopi, sunt loca pia, & religiosa. *cap. ad hæc de religiosis domib.* Quando vero solum authoritate priuata, non censentur Ecclesiastica, seu religiosa loca, tametsi censeantur pia, id est ad pietatem ordinata; quia nullus priuata authoritate locum Ecclesiasticum, & religiosum constituere potest, colligitur ex *suprad. c. ad hæc*: sic tradit Gonzalez *gloss.* 5. *in prine. num.* 39. Mol *de Hispanor. primogen. lib.* 1. *c.* 24. *num* 38. & *seqq.* August. Barbosa *de potest. Episc.* 3. *par. alleg.* 75. *n.* 3. & *seqq.* Nicol. Garcia *de benefic.* 5 *p. c.* 1. *à n.* 601.

3 Omnia hæc hospitalia siue authoritate Episcopi, siue priuatorum tantum fundata visitari ab Episcopo possunt, iuxta expressum *tex. sess.* 22. *Trid. cap.* 8. & 9. *de reform.* quia ad visitationem sufficit esse opus pium, sicuti diximus puncto præcedenti de capellis. Est autem differentia, quod quando hospitale authoritate. Episcopi fundatum est, potest de omnibus Episcopus inquirere, & prouidere, & regimen, & modum electionis statuere, prout sibi visum fuerit conuenientius. At quãdo priuatorum authoritate fundatum est, ordinarius solum habet inquirere, an omnia iuxta voluntatem testatoris exequantur, quod facere potest, tametsi testator prohibuerit, quia esset irrationabilis prohibitio, & contra fauorem piæ causæ; ac proinde censenda est illa conditio pro non adiecta: sic August. Barbosa 3. *par. de potest. Episc. alleg.* 75. *num.* 14 *iunct. num* 8. Ab hac regula excipit concilium *sess.* 22. *cap.* 8. *de reformat.* hospitalia, & confraternitates, quæ sub immediata regum fuerint potestate, ne inquam sine eorum licentia visitentur, quod fecit in honorem regiæ dignitatis. Quod si visitanti Episcopo opponatur hospitale esse sub immediata regum potestate, Episcopus de hac qualitate cognoscere debet, non iudex sæcularis. Sic, aliis relatis, tradit Barbosa *num.* 20. Si autem opponatur ad alium ex fundatione visitationem pertinere, non inde censetur ordinarius exclusus, sed simul cum designato visitationem facere potest, vt testatur decisum à sacra congregatione Barbosa *in* [illegible] *concil. sess.* 22. *cap.* 8. Quod si expresse in fundatione exclusus ordinarius esset, tunc solum in casibus à iure expressis, negligentiæ scilicet & dilapidationis bonorum, competeret visitatio: sic Carol. de Grassis *de effect. cleric. effectu* 1. *n.* 260. Barbosa *in remission. concil. loco alleg.* tametsi *de potest. Episc.* 3. *p. alleg.* 76. *n.* 9. videatur sentire per supradictam clausulam fundatoris non posse ordinarium excludi.

4 Hospitalia etiam authoritate Episcopi fundata regulariter non sunt beneficia, sed quædam officia, religiosæ administrationis laicis committenda, tametsi capellas, vel Ecclesias habeant annexas, decimasque percipiant, colligitur ex *ex clement. per literas.* 2. *de prebendis.* & *clement. Quia contingit.* §. *vt autem de religiosis domib.*

Dixi *regulariter*; quia aliquando dantur in titulum ex fundatione vel consuetudine Ecclesiasticis personis, & tunc beneficij naturam habent, vel sunt accessoria Ecclesiæ vel alteri beneficio, & sic tanquam accessoria illius naturam sortiuntur: constat ex *clemen. Quia contingit.* & tradit Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 5. §. 4. *à num.* 10. Garcia 1. *p. de benefic. cap.* 3 *à n.* 1. & *seqq.* pluribus relatis Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *part. alleg.* 57. *num.* 148.

5 Aduertendum in hac materia est, ex decreto Trident. *sess.*

25. *cap.* 8. *de reformation.* hospitalium administratores obligatos esse fideliter prouentus in infirmorum curationem, & aliorum piorum operum pro voluntate testatoris expendere. Quod si hospitalia ad certum peregrinorum, vel infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco vbi sunt dicta hospitalia similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, fructus illorum in alium pium vsum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore vtilior, conuerti debent, prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum vsu peritiores sint per ipsum deligendis magis expedire visum fuerit, nisi aliter forte etiam in hunc euentum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum. Quæ verba facta congregatio concilij expendens, inquit; In hospitalibus, in quibus non habentur laborantes proprio morbo iuxta proprium institutum hospitalis, licet videantur recipiendi proximiori morbo laborantes, iuxta verba concilij non tamen eiiciendi sunt, si alioquin pauperes diuersi morbo laborantes; aut alii miserabiles reperiantur. Cum vero mens concilij fuerit prouidere, ne qui possident hospitalia omnes fructus in vsus proprios conuertant, sub prætextu quod non inueniantur infirmi secundùm primam institutionem hospitalis. Deinde subdit concilium. Ne administratio, seu gubernatio huiusmodi locorum vni, & eidem personæ vltra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur, non obstante quoad omnia supradicta quacunque vnione, exemptione, & consuetudine in contrarium etiam immemoriali, seu priuilegiis, aut indultis quibuscunque. Quæ verba difficultatem ingerunt in hospitalibus beneficio annexis, an inquam solo triennio à possessore, beneficij administrari possint? Durum enim videtur dicere voluisse concilium, vt hospitale beneficio annexum seiungeretur. Quapropter probabilius credo non esse post triennium alteri committendum, sed posse à possessore beneficij administrari; toto tempore, quo beneficium possedit. Si autem possessor beneficij vellet alteri vices suas committere, & administrationem concedere, non videtur posse vltra triennium, sic explicat Garcia *de benefic.* 1. *p. cap.* 3. *num.* 13.

Punctum VIII.

De vicariis, & commendis, earumque qualitatibus.

1 *Vicaria alia est perpetua, alia temporalis, & quæ perpetua debeantur.*
2 *Qualiter vicarius temporalis constituatur.*
3 *Vicarius temporalis mortuo rectore potest repetere seruitium sibi debitum, tum ab hærede rectoris, tum à successore in beneficio.*
4 *Vicarius perpetuus alium vicarium ad breue tempus substituere potest, & eius vicarius temporalis.*
5 *Commenda alia est perpetua alia temporalis.*
6 *Quia possit commendatarius perpetuus, quæ temporalis.*
7 *Quæ, & à quibus beneficia commendari possint?*
8 *Spectato Trident. nulla beneficia parochialia commendari possunt, sed vicarius est constituendus.*
9 *Solus Pontifex commendare beneficium potest, quia sola commenda perpetua est in vsu.*
10 *Beneficium commendatum perpetuum, an vacet per obitum commendatarij? Affirmant plures.*
11 *Probabilius est oppositum.*
12 *In impetratione beneficij commendati semper est faciendamentio commendationis.*

1 Dupliciter sumi potest vicaria, alia perpetua, alia temporalis, alia vnita alicui beneficio parochiali, vel loco pio, alia quasi per se existens. Vicaria perpetua, quæ per se curam animarum exercet, beneficium Ecclesiasticum est; quia est ius spirituale perpetuum percipiendi fructus: & vacat morte vicarij; colligitur ex *cap. ad hæc de officio vicarij, & clement.* 1. *eodem tit. cap. postulasti. de rescriptis.* & tradit, aliis relatis, Azor. 2 *par. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 5. Hæc vicaria perpetua constituitur, cum Ecclesia parochialis alteri in perpetuum subiicitur. Nam cum huic non possit parochus beneficij principalis inseruire, *cap.* 1. *de ea, ellis Monachorum, capite extirpanda* §. *qui verò. de præbendis, & cap.* 1. *eodem titulo, in* 6. necessario vicarius perpetuus est constituendus. Sic Rebuff. *in præx. tit. de vicaria perpetua per totum.* Gonzalez, pluribus relatis, *glossa* 5. §. 3. *num.* 10. Huic autem vicario debetur honor, & locus, & quælibet alia prærogatiua propria rectoris, quia vices illius gerit, & loco illius subrogatur: sic Felinus *cap. cùm olim. el.* 2. *de officio delegati.* Cardin. *clement. vnica de officio vicarij num.* 2. *vers. sexto oppono per textum. ibi.* Gonzalez *supra. num.* 29. Item iura quæ loquuntur de beneficiis curatis, regulariter de iis vicariis debent intelligi; quia sunt beneficia; & tanquam propria beneficia possidentur, Azor. *lib.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 7. Flamin. *de resignat. quæst.* 2. *num.* 115. *cum seqq.* Gonzalez *num.* 21. & colligitur ex *dicta clem. vnica de officio vicarij. ibi, quæ de Ecclesiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum similium, amittendis, ac de ipsarum rectoribus promouendis ad sacerdotium, & de eorum statu à iure statuto noscuntur in perpetuis Ecclesiarum parochialium vicarijs, & assumptis ad eas volumus obseruari.* Ex quo sit vicarium perpetuum remoueri non posse extra casus à iure expressos, sicuti nec remouetur proprius rector. Gonzalez *supra num.* 22.

2 Vicarius temporalis ille est, qui constituitur ad nutum amobilis: & hæc constitutio duplex est. Alia cum titulo, alia sine illo. Quando enim parochus ob absentiam, vel aliud impedimentum vices suas alicui clerico committit: hic clericus vicarius illius dicitur, nullo alio titulo requisito præter ipsius nominationem. Hanc autem nominationem ad breue tempus, puta ad quindecim dies potest parochus absque consensu ordinarij facere & vicarium sui designare. Ad longiùs autem tempus non potest citra authoritatem Episcopi: colligitur ex *cap. cum ex eo, de electione. in* 6. *cap peruenit. de appellation.* & tradit cum Abbate *in cap. quoniam.* 2. *Ne prælati vices suas.* Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 6. *quæst. vlt.* Ad hanc vero vicarij designationem consensus patroni non requiritur, tametsi beneficium iuris patronatus laicorum sit. *cap. ad hæc. de officio vicarij.* Lambertin. *de iure patronat. lib.* 3. *quæst.* 5. *artic.* 10. *numero primo & seqq.* Gonzalez *glossa* 5. §. 3. *num.* 38. Deinde cum beneficium vacat, interim ac de rectore prouidetur, ordinarius designat vicarium, qui beneficio inseruiat congrua portione designata, ad cuius designationem nullus alius titulus præter nominationem requiritur. Item designatur vicarius temporalis, cum duæ Ecclesiæ parochiales æquè principaliter vniuntur, & illarum rector non potest vtrique inseruire: debet inquam vicarium designare, qui aliquando sit cum titulo, aliquando absque illo, *cap. & temporis* 16. *quæst.* 1. & *cap.* 1. *Ne sede vacante:* & tradit Rebuff. *praxi. tit. de vicaria perpetuo. num.* 3. Gonzalez *glossa* 5. §. 3. *num. ero* 12. Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 3. *& lib* 6. *c.* 29. *q.* 1. Et generaliter quoties rector beneficij impeditus est beneficio assistere, vicarius designari debet. Quod qua ratione contingere possit bene expendit Azor. *dicto lib.* 3. *c.* 6. *quæst.* 3. Secundo, quando beneficium curatum annectitur mensæ capitulari, vel Episcopo, tunc solet vicarius temporalis designari, iuxta glossam, & doctores *in clem.* 1. *de rescriptis, & clem.* 1. *de supp. neglig. prælat.* Rebuff. *n.* 6. Gonzalez *num.* 14. Azor. *dicta quæst.* 1 tametsi aliquando vicarius perpetuus designetur. Tertio, quando beneficium simplex alteri vnitur, ratò vicarius perpetuus constituitur in eo. Glossa, doctores *in clem. vnic. de officio vicar.* Rebuff. *n.* 5. Gonzalez *num.* 15. Azor. *quæst.* 1. Quarto, quando monasteria, conuentus, & cathedralium, & collegiatarum capitula à primæua sua institutione curam animarum habent; quia tunc non sunt regulariter obligata vicarium perpetuum deputare, sed possunt ad nutum, qui tamen vicarius Episcopo subditur in examine, & absque eius approbatione deputari non potest. Item subditur in iis, quæ ad curam animarum, & actualem sacramentorum administrationem concernunt, vt possit ab Episcopo visitari, tametsi regularis sit, constat ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de regularib. & sess.* 7. *c.* 7. *de reformat. & declarationibus adductis à Barbosa, ibi.* Quando vero parochialis vnita est monasterio, aut menæ Episcopi, vel capituli, vel alteri loco pio, nominatio vicarij pertinet ad rectorem illius loci, cui est parochialis vnita, ex constitutione supradicta Pij V. Approbatio tamen Ordinario. Si vicarius designatus religiosus sit, debet secum habere socium, qui illius custodem, vt sic religiosa disciplina exactius obseruetur; vt constat ex constitutione Pij V. & Greg. XIII. & tradit Barbosa *supra.* Hic tamen vicarius ad nutum amobilis, siue sæcularis sit, siue regularis, non debet ante finitum annum seruitij remoueri, nisi grauis aliqua causa interceedat; quia ei dit in præiudicium parochorum: sic Rebuff. *in praxi benefic. lib.* 2 *tit. de dispensat. de non residendo. numero* 18. & 1. 3. *ad leg. Gallia. tit. de mag. conv. p. ssessor. in benefic. art* 9. *glossa. vnica. in præsat.* Flores *var. lib.* 1. *quæst.* 10. *num.* 34. Gutierrez *de iuram. confirm. c.* 1. *part.* 58. *num* 19 Stephan. Gratian. *discept. forens. cap* 167. *num.* 21. quos refert Barbosa *in remiss. on. concil. sess.* 7. *cap.* 7. *de reform. in fine.*

3 Duplex restat de vicariis examinanda difficultas. Prima a quo vicarius ad nutum constitutus mortuo rectore possit, & debeat stipendium seruitij facti repetere? Cui difficultati respondeo, & ab hærede rectoris, & à successore in beneficio repetere stipendium posse: finem fructus beneficij, illo tempore quo beneficium administrasti ad rectorem vel illius hæredem deuenerunt, poteris ab hærede repetere. Tum quia illi fructus videntur tibi esse obligati: Tum quia hæres teneatur debita antecessoris soluere pro quantitate hæreditatis. A successore autem beneficij poteris repetere, tametsi fructus supradicti ad ipsum non peruenerint: quia successor in beneficio obligatus est debita prædecessoris soluere, si ob bonum Ecclesiæ contracta sint, vt in præsenti contingit, *cap. de solution.* & tra-

dere

dit relato Abbate, *cap. ad hæc de officio vicarij*, Azor. 2. *par. instit mor. lib.* 3. *ca.* 6. *quæst.* 9.

4 Secunda difficultas est, an vicarius possit alium vicarium substituere? Respondeo, si vicarius est perpetuus, posse alium ex iusta causa pro breui tempore constituere; quia vicarius perpetuus non est delegatus, sed ordinarius. At ordinarius delegare potest suas vices. Vicarium autem perpetuum nequit constituere. Tum quia hic authoritate ordinarij constituitur. Tum quia rector non potest alium constituere rectorem. Ergo neque vicarius alium perpetuum vicarium: alias vicarius hic secundus alium constituere posset, esseque processus in infinitum. Vicarius autem temporalis, quia delegatus est, nequit nec pro breui tempore alium vicarium constituere, tametsi possit vnum, vel alterum casum delegare. Azorius *supra quæstio.* 10.

5 Vicariæ affinis est commenda, quæ dupliciter contingit, vel in perpetuum, vel ad tempus. Commenda ad tempus regulariter fit in vtilitatem Ecclesiæ commendatæ, dum de rectore prouideretur, Commenda in perpetuum vtilitatem commendatarij specialiter respicit.

6 Commendarius perpetuus gaudet omni iure, & potestate, quibus gauderet proprius beneficiatus, Mandos. *reg.* 32. *quæst.* 7. *num.* 11. Gomez *in reg. de trienn. quæst.* 5. *num.* 11. *vsque ad* 20. Gonzalez *glos.* 5. §. 8. *n.* 30. Garcia 4 *p. de benefic. cap.* 4. *num* 48. Quocirca sicut beneficiarius facit fructus suos, & de illis potest liberè disponere sic commendatarius perpetuus, Rebuff. *de pacifi. possess n.* 43. Puteus *decis.* 25. *n.* 3. *& lib.* 1. Gonzalez *glos.* 5. §. 8. *num.* 5. Garcia *de benefic* 4. *p. c.* 4. *n.* 20. Item potest locare fructus & possessiones Ecclesiæ commendatæ, sicut alius quilibet beneficiatus, Rebuff. *sup. n.* 40 Gonzalez *supra n.* 19. Azor. 1 *p. instit. moral. lib.* 6. *c.* 13. *q.* 9. Secus verò dicendum est in commendatario ad tempus: hic enim recipit beneficium quasi in depositum, ac proinde de illius fructibus disponere liberè non potest, nisi ea in parte, quæ in sui, suorumque sustentationem designata est. Glossa *in c. Nemo. de election. in* 6. Puteus *decis.* 25. *n.* 3. *lib.* 1. Gonzalez *glos.* 5. §. 8. *num.* 39. Item si beneficiarius potest præsentare, eligere, & conferre; sic poterit commendatarius, siue perpetuus, siue ad tempus. Rebuff. *tit. de commenda. num.* 61. Gonzalez *num.* 12 Azor. *q.* 9. Deinde beneficiarius, qui eligi potest in iudicem synodalem, & in conseruatorem, pariter & commendatarius. Garc. *de benefic.* 4. *part. cap.* 4. *n.* 48. Quia hæc munera possidentem beneficium, quocunque modo possideat, sequuntur. Item commendatarius perpetuus obligatur regula de publicandis resignationibus Gonzalez *n.* 16. cum Gomezio *super ea reg. q.* 3. non tamen commendatarius ad nutum. Deinde in impetratione beneficij mentionem facere debet de commenda perpetua, alias gratia erit subreptitia. Glossa *in cap. Nemo. de electio. lib.* 6. Gonzalez *num.* 17. Vnde licet tempore antiquo possent duo beneficia incompatibilia possideri, aliud in titulum, aliud in commendam perpetuam. At ex decreto Trident. *sess.* 7. *cap.* 1. *&* 4. nequaquam possideri possunt, nisi ex dispensatione expressa Summi Pontificis.

7 Quod si inquitas, quæ beneficia commendari possunt, & à quibus? Respondeo omnia beneficia commendari possunt, sed non ab omnibus, neque omnibus. Episcopus namque solum beneficia parochialia suæ diœcesis commendare ad semestre potest, interueniente euidenti Ecclesiæ necessitate, & vtilitate; prorogare vero commendam non potest, nisi eadem necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ perseueret: sic Glossa. *in cap. Nemo.* 15. *de electio. in* 6. *per text. ibi.* Rebuff. *in praxi. tit. de commenda. n.* 63. Gonzalez *glos.* 5. §. 8. *n.* 35. Azor. 2. *p. lib.* 6. *c.* 31. *q* 3. Hoc autè semestre computare potest Episcopus non à die vacationis, sed ab vltimo die semestris ei concesso ad prouidendum: quia hæc commenda est quidam modus prouisionis, & quasi cuiusdam tituli collatio. Ex quo infertur pro illo semestri; si duret causa, vt ob quam fuit Ecclesia commendata, non posse Episcopum remouere commendatarium, & alteri Ecclesiam tradere; quia iam pro illo semestri tradita est. Sic Glossa *in suprad. cap. Nemo.* Rebuff. *instit. moral. lib.* 6. *cap.* 31. *quæst.* 6. Secus verò dicendum est, quando non pro determinato tempore, sed simpliciter commendaret: quia tunc subintelligitur, donec de rectore prouisum sit. Abbas *in cap. si constiterit. de accusationib. n.* 12. Deinde Episcopus parochialem Ecclesiam commendare non potest, nisi clerico sacerdoti, quia munus rectoris actu exercere debet. Glossa *in dicto cap. Nemo.* Azor. *dicto cap.* 31. *quæst.* 3. Barbosa *alleg.* 59. *num.* 23. Neque potest vni plures commendare, sed necessario cuilibet sua commenda danda est: potest tamen habenti beneficium in titulum, alterum in commendam temporalem concedere, si id cuidens Ecclesiæ vtilitas postulauerit. Alia beneficia simplicia poterit Episcopus commendare vltra semestre, interim dum ad ea Ecclesiæ vtilitas, & de beneficiato proprio non prouideatur; quia nullibi de iis beneficiis cautum est Episcopum vltra semestre non posse ea commendare, imo contrarium colligitur ex *cap. qui plures.* 21. *quæst.* 1. *cap. dudum.* 2. *de electione.* & tradit Glossa. Dominic. & Franc. *cap. nemo. eodem tit. & lib.* Rebuff. *de pacific. possessor. num.* 38. *& in praxi. tit. requisita ad collationem. num.* 16. Garcia *de benefic.* 4. *part. cap* 4. *num.* 16. Abbatias, prioratus, præposituras, aliasque dignitates Episcopum commendare non posse, sicuti nec beneficia regularia, quia sunt à sua iurisdictione exempta. Azor. 2. *part. lib.* 6. *cap.* 31. *quæst.* 15. Nunquam tamen potest Episcopus beneficium regulare sæculari, nec sæculare regulari tradere in commendam, quia commenda est quasi titulus.

8 Supradicta procedunt spectato iure communi. At attento Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* beneficia parochialia commendari ad tempus non possunt, sed interim dum prouidetur de rectore, vicarius constituitur: sic aliis relatis notauit Garc. *de benefic.* 4. *part. cap.* 5. *numer.* 15. & adducit declarationem concilij his verbis. Commendæ, quæ ad sex menses in Ecclesiis curatis fieri poterant ab ordinariis. *cap. Nemo. de electio. in* 6. amplius post concilium locum non habent, cum debeat in eis deputari vicarius ad formam *capit.* 18. *sess.* 24. *de reformat.* consentit Barbosa 3 *part. de potest. Episcop. allegat.* 59. *numer.* 24. In reliquis vero beneficiis iam commenda temporalis in desuetudinem venit: Azor. *dicto lib.* 6. *cap.* 13. *quæst.* 3. *in fine.*

9 Quocirca cum solum commendæ in perpetuum sint in vsu, solus Pontifex commendare beneficium potest Lælius Zechus *de benefic. & pensionibus. c.* 7. *n.* 2 Garcia *de benefic.* 4. *p. c.* 4. *num.* 13. Barbosa 3. *part. de potest. alleg.* 59. *num.* 6. Quod ita verum est, vt nec legatus à latere potestatem habeat commendandi beneficium ei, qui alias retinere prohibitus erat, vt relatis Cassiodoro, Geminiano, & Mandosio docet Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell glos.* 5. § 8. *n.* 6. Garc. 4. *par. de benefic. c.* 5. vbi alios refert. *n.* 24. *&* 29. Vnde beneficium regulare solet Pontifex sæculari commendare, & econtra Rebuff. *tit. de commenda. n.* 7. Garcia *num.* 26 Azor. 2. *part. instit moral. lib* 6. *c.* 31. *quæst.* 20. Barbosa *alleg.* 59. *num.* 16. & sæcularis in beneficio regulari commendatus non tenetur professionem facere, sicuti tenetur titularis. Garcia *n.* 28. Azor. *q.* 20. Barbos. 3. *alleg.* 59. *num.* 16. Quod si inquiras, an cum Pontifex beneficium alicui commendat, censeatur in perpetuum commendare, vel solum dum non prouiderit? Respondeo censendum esse in perpetuum commendare. Tum quia commendæ temporales non sunt in vsu. Tum quia si vellet ad limitatum tempus commendare, id expressisset. Tum quia in casu dubio. an commenda sit temporalis, vel perpetua, perpetua est iudicanda Tum denique quia actus iudicandus est perpetuus, cum nullum terminum habet, *leg. iurisperitos. in princ. & ibi* Bart. *ff. de excusationib. tutorum.* Glossa *in clem.* 2. *verbo electionem. de rescriptis.* Gomez *in reg. de publicand. resignat. quæst.* 4. *n.* 10. *&* 11. quos refert, & sequitur Gonzalez *de mensibus glos.* 3. §. 8. *n.* 66. Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 6. *c.* 31. *q.* 12. Barbosa *alleg.* 59. *num.* 7.

10 Graue tamen dubium est, an beneficium à Pontifice alicui commendatum in perpetuum, vacet per obitum commendatarij, ita vt si commendatarius obiit in curia, vacet in curia; si extra moriatur, vacet extra; si moriatur in mense ordinarij, non sit reseruatum.

Affirmant plures, quos refert Garcia 4. *p. de benef. à num.* 60. quia commenda perpetua est verus beneficij titulus. *c. dudum. el.* 2. *de electione. cap. si plures.* 21. *quæst.* 1. & tradit multis relatis, Gõzalez *de mensib. glos.* 5. §. 8. *n.* 2 Barbosa 3 *par. de potest. Episc. alleg.* 59. *n.* 2. Qua de causa dicunt pœnam. *cap. licet canon. de electio. in* 6. contra non promouentes se intra annum, habere locum in his commendatariis perpetuis, *clem. in agro. §. caterum. de statu Monach.* ibi, infra annum computandum à tempore collationis, & commissionis, sed quoties perit titulus vacat beneficium. Ergo vacat commenda. Item nullus potest beneficium resignare in fauorem alterius, neque cum alio permutare, nisi illius habeat titulum, sed commendatarius perpetuo resignare, vel permutare beneficium commendatum potest, vt aliis relatis, docet Gonzalez *glos.* 5. §. 8. *n.* 24. *&* 25. Barbosa *n.* 5. Ergo illius habet titulum. Ergo vacat absolutè.

11 Nihilominus probabilius est morte commendatarij non vacare beneficium, sed priorem vacationem, quæ erat ante commendationem, & quæ per commendationem fuerat suspensa, cõtinuari: sic Nau. *sum. c.* 25. *n.* 126. *& de or. misc.* 60. *n.* 10. *& cons.* 1. *de const. n.* 39. *& cons.* 28. *de præbend.* Puteus *decis.* 25. *n.* 6. *lib.* 1. Flam. Paris *lib* 2. *de resign. quæst* 19. *n.* 113. Barbosa 3. *part. alleg.* 59. *n.* 21. Garcia 4. *p. de benefic. c.* 4 *n* 94. Gonzalez *glos.* 5. §. 8. *à n.* 48. vbi variis decisionibus Rotæ comprobat. Ratio est; quia commendatario traditur beneficium reseruatum, vt illud regat, & gubernet, ac tandem custodiat, sicuti erat antea; quia commendare nihil aliud est quam deponere, *leg. commendare. ff. de verb. significat. leg Lucius.* 24 *ff. depositi. c. de deposito. & c. ne quis arbitraretur.* 22. *q.* 2. Glossa & doctores *in c. nemo deinceps de electio. in* 6. *verbo commendare.* Ergo si antea illud beneficium sedi Apostolicæ erat affectum, quia in Romana curia vacauerat, cessante custodia eodem modo affectum perseuerat. Hinc fit commendare beneficium alicui non esse proprie conferre, & prouidere, vt tenent supradicti doctores: quia com-

menda non est propriè titulus, tametsi titulum imitetur, quod sufficit, & resignari, & permutati possit cum beneficio dato in titulum: quia hæc resignatio, & permutatio fieri non potest ex ordinarij consensu, sed ex consensu Pontificis, cui liberum est Ecclesiam vni commendatam alteri commendare primo commendatario consentiente. Præterea Ecclesia à Pontifice commendata, siue ad tempus, siue in perpetuum, Pontifici est affecta, ex eo quod manum in illa apposuerit, vt pluribus firmat Garc. 4 *p. de benef. c. 4. n.* 68. & tradit Azor. 6 *p. inst. mor. lib. 6. c.* 31. *q.* 8. Barbosa 3. *p. de benef. alleg.* 59. *n.* 9. Ergo non est liberum ordinario de illa disponere, siue quia vacat affecta, vt prius erat; siue quia per commendationem Pontifici afficitur.

12 Ex quo fit in beneficij commendati impetratione semper faciendam esse mentionem commendationis; quia ratione illius specialiter est Pontifici reseruata: sic Azor. 2 *p. instit. mor. lib. 6. cap.* 31. *quæst.* 6. & relatis Dominico, Archidiac. Franco docet Barbosa *alleg.* 59. *num.* 20. Quod verius est durante commendatione etiam ad tempus quia tunc commendatarius beneficij quasi possessionem, & administrationem habet: qua durante non absolutè vacat beneficium. Neque Pontifex censetur iuri alterius præiudicare, nisi clare exprimat, *cap. quamuis. de rescript. in 6. cap. super. de officio deleg.* Barbosa, & Azor. *locis allegatis.*

Punctum IX.

De quoadiutoriis earumque qualitatibus.

1 *Coadiutoria duplex perpetua, & temporalis; neutra est beneficium.*
2 *Iuxta impedimentum coadiuti coadiutor conceditur.*
3 *Ex redditibus beneficij assignanda est coadiutori congrua portio.*
4 *Expenduntur causæ, ob quas coadiutoria datur.*
5 *Episcopis, aliisque superioribus solus Pontifex coadiutorem assignat, reliquis Legatus Nuntius, & Episcopus.*
6 *Hæc coadiutoria ab inferiore Pontificis data non debet esse perpetua, sed temporalis. Neque appellatione suspenditur.*
7 *Solus Pontifex assignat coadiutorias cum futura successione.*
8 *An hæc designatio contraria sit Concilio? Proponitur dubitandi ratio.*
9 *Quid sit tenendum.*
10 *Satisfit rationi dubitandi.*
11 *Quas qualitates coadiutor habere debeat.*
12 *Ob coadiutoriam temporalem non excusatur parochus insufficiens à residentia.*

1 Coadiutoria est facultas alicui concessa adiuuandi beneficiatum in beneficij regimine: Ab officio enim coadiuuandi dicitur coadiutor: sic Ioann. Andr. *cap. fin. de cleric. non residentib. num.* 4. Abbas *sub num.* 1. Imola *num* 2. Anton. de Butrio *num.* 4. Duplex est coadiutoria, alia temporalis, alia perpetua, alia cum iure succedendi in beneficio, alia sine tali iure. Quocunque modo concedatur coadiutoria, non est beneficium; quia coadiutori absque futura successione solum conceditur functio, & regimen beneficij, non quidem iure, habitu, & potestate, sed facto ipso. Per futuram autem successionem solum datur ius ad beneficium, non ius in beneficio. Ergo coadiutoria beneficium non est: sic Abbas *cap. de rectoribus. de clerico agrotante. num.* 6. Azor. 2 *par. instit. mor. lib.* 3. *cap.* 2. *quæst.* 4. Quapropter coadiutus beneficium retinet, tametsi impotens sit illud administrare. *cap. ex parte. de cleric. agrotante, cap. vnico, eodem tit. in* 6. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 7. & tradit Nauarr. *cons.* 1. *de clerico agrotante.* Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 5. §. 9. *num.* 32. Garcia *de beneficiis* 4. *par. cap.* 5. *num.* 5. Neque obstat *text. in cap. tua nos. de clerico agrot.* ibi; ab administratione officij debet remoueri. Quia intelligitur de administratione non quoad potestatem, sed quoad exercitium, à quo leprosus ob scandalum, & horrorem arcendus est, & coadiutor subrogandus: sic tradit Garc. & Azor. *locis citatis.*

2 Ex his fit iuxta impedimentum coadiuti coadiutorem concedi. Si enim coadiutus tam temporalia, quam spiritualia administrare impeditus est, coadiutori concedenda est libera potestas spiritualium, & temporalium administrandi. At si temporalia administrare potest, solum concedendus est coadiutor pro spiritualium administratione. Quia coadiutor ad supplendum impedimentum coadiuti designatur: sic Azor. 2 *p. lib.* 3. *c.* 2. *q.* 10. Aug. Barbosa 3 *p. de potest. Episc. alleg.* 63. *n.* 13.

3 Huic coadiutori ex redditibus beneficij obliganda est congruens portio pro qualitate ministerij impensi, iuxta Trid. *sess.* 21. *c.* 6. *de reformat.* Quod si beneficij redditus tenues sint, & beneficiatio, & coadiutori insufficientes, in sustentationem beneficiatij expendendi sunt, & coadiutori alia via prouidendum est, quia in æquali necessitate beneficiarius proprius præferendus videtur suo vicario: sic Abbas *c. de Rectorib. de clerico agrotant. n.* 5. Aloysius Riccius *resol.* 494. *n.* 11. Aug. Barbosa 3. *de potest. Episc. alleg.* 63. *in fi.* Ad prouidendum tamen coadiutori cogi potest populus per Episcopum, si quidem coadiutore indiget, vt sibi spiritualia ministret. Ergo tenetur ei temporalia subministrare: sic Barbosa. Riccius, *supra*, & Azor. 2 *part. lib.* 3. *capit.* 2. *quæst.* 9.

4 Causæ, ex quibus coadiutoriæ dantur, multiplices sunt; sed omnes reducuntur ad impotentiam, vel negligentiam coadiuti, qui non valet, vel non vult beneficio seruire, & eius muneri plene satisfacere. Impotentia ergo prouenire potest vel ex ætate prouecta, vel ex debilitate corporis, vel ex amentia, vel ex alia infirmitate, ac denique ex defectu scientiæ, & prudentiæ; negligentia vero prouenit ex malitia. Ex quacunque igitur causa proueniat defectus in beneficij officio, & per beneficiatum non reparetur, dari potest coadiutor, colligitur ex *cap. tua nos. de cleric. agrotante. & c. pastoralis. eodem tit. in* 6. & Trid *sess.* 21. *c.* 6. *de reform.* & tradit Azor. 2 *p. inst. mor. lib.* 3 *c.* 2. *q.* 3. Gonzalez *de mensib. glossa* 5. §. 9. *a n.* 19.

5 Hanc coadiutoriam Episcopis, aliisque superioribus assignare munus est solius Pontificis? quia solus ipse est Episcoporum superior. *c. pastoralis. de cleric. agrot. in* 6. & notauit Azor. 1. *p. instit. moral. lib.* 3. *c.* 2. *q.* 2. & multis relatis Gonzal. *gloss.* 5. §. 9. *n.* 34. & 35. Ex potestate autem Pontificia Episcopus senio, aut valetudine grauatus, vel etiam aliàs impeditus perpetuò, vt officium suum nequeat exercere, potest de sui consilio, & assensu capituli, vel maioris partis ipsius vnum, vel duos authoritate Apostolica coadiutores assumere ad dictum officium exequendum. Si vero Episcopus demens fuerit, & quid velit aut nolit, exprimere nesciat, vel non possit; tunc eius capitulum, vel duæ ipsius partes eadem authoritate vnum, aut duos coadiutores assumant idoneos, qui eius officium exequantur. Quod si Episcopus senio, vel morbo, aut aliàs impeditus noluerit coadiutorem designare, res deferenda est ad Pontificem, neque ab alio decidi potest; habetur in *dict. c. pastoral.* Hic ergo Episcoporum coadiutor non potest Ecclesiam vnitam dismembrare, neque in ea ius patronatus erigere, Gonzalez *gloss.* 5. §. 9. *n.* 35. Aliis vero clericis inferioribus potest legatus Nuntius, & Episcopus coadiutores assignare; quia iis, quibus beneficiorum institutio pertinet, à fortiori pertinere debet coadiutoris assignatio: sic Ioann. Andr. *c. si. n.* 7. *de cleric. agrot.* Abbas *n.* 5. Imola *n.* 11. Gamb. *de offic. & potest. leg. lib.* 5. *tit. de coadiutorib. n.* 3. Gonzalez *gloss.* 5. §. 9. *n.* 36.

6 Hæc tamen assignatio non debet esse perpetua & irreuocabilis, sed ad tempus secundum vtilitatem, & necessitatem Ecclesiæ, vt expressè colligitur ex Trid. *sess.* 21. *c.* 6. *de reform. ibi, coadiutores, aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter prouidere possint, quacumque appellatione, & exemptione remota.* Quod si huic assignationi interponatur appellatio, non suspendit eius executionem, tametsi ad superiorè deferat causam, vt testatur Garc. *de benef. 4. p. c.* 5. *n* 9. Barbosa *supra d. loco concilij & 3. p. de potest. Episc. alleg.* 63. *n.* 10. sic declarasse sacram concilij congregationem; quia non habet effectum suspensiuum, sed solum deuolutiuum. Quam appellationem aduertunt supradicti doctores ad Metropolitanum interponi posse, tametsi Episcopus, vt sedis Apostolicæ delegatus, procedat, quando procedit in causa, ad quam aliàs habet iurisdictionem ordinariam. Secus vero si solum procedit in causa quæ extra illius iurisdictionem ordinariam est, vt contingit, cum procedit contra exemptum.

7 Coadiutorias vero perpetuas cum futura successione solus Pontifex assignare potest, ita vt nec legatus à latere id possit. Quia solus Pontifex ius commune alterare potest: at ex iure commun. omnis prouisio, seu promissio beneficij vacaturi irrita est, & inanis. *cap. nulla. cap. relatum, cap. ex tenore. de concessa prebenda.* & tradit Azor. 2 *part. instit. mor lib.* 3. *cap.* 2. *quæst.* 2. Lambert. *de iure patron. lib.* 2. *part.* 1 *quæst.* 6. *artic.* 20. *n.* 3. & *seqq.* Garcia 4. *part. de benefic. capit.* 5 *num.* 16. Gonzalez *gloss.* 5. §. 9. *num.* 91. & alii apud ipsos.

8 Dubium tamen est non leue; an harum coadiutoriarum designatio cum futura successione contraria sit conciliorum decretis, vt proinde in earum concessione debeant ipsa saltem sub generali clausula derogari? Ratio dubitandi, est, quia successionem in beneficiis ius ipsum detestatur, ne videatur concedere occasionem captandæ mortis, vel saltem optandæ, *cap. si Petrus. cap. Episcopo. cap. plerique. cap. apostolica.* 8. *quæst.* 1. & habetur in Trident. *sess.* 25. *cap.* 7. *de reformat.* Ergo harum coadiutoriarum designatio contraria est conciliorum decretis. Ergo debent in eorum concessione derogari.

9 Cæterum credo nulla esse opus derogatione. Tum quia hæc designatio à Romano Pontifice facta contraria non est vlli conciliari decreto. Nam concilium Lateranense relatum in *cap. licet de prebendis. in* 6. has successiones prohibens excipit, nisi id fiat authoritate Romani Pontificis. Concilium vero Trident. in *supra d. cap.* 7. etsi in beneficiis aliis à prælatura Ecclesiæ cathedralis, & monasterij non excipiat expressè Romani Pontificis authoritatem: at in *vlt. decreto, sess.* 25. Romani Pontificis authoritatem

thoritatem excipit. Inquit enim concilium *Omnia in dicto sacro concilio statuta de morum reformatione, & Ecclesiastica disciplina ita decreta fuisse, vt in his salua semper authoritas sedis Apostolicæ, & sit, & esse intelligatur:* & sic tradit, aliis relatis, Garcia 4. *p. de benefi. cap. 5, à n. 21. & præcipuè n.* 30.

10 Neque obstat ratio dubitandi. Admitto successionem in beneficiis ius maximè detestari: sed hoc intelligendum est, dum Pontifex ex causa aliqua graui, & Ecclesiæ vtili non mouetur. Nam illa stante successionem in beneficio dare potest, vt colligitur ex *cap. petitti. 7, quæst. 1.* & ex Trident *sess. 25. cap. 7.* dicente. *Quod si quando Ecclesiæ cathedralis, aut monasterij vrgens necessitas, aut euidens vtilitas postulet prælato dari coadiutorē, is non aliàs cum futura successione detur, quam hac causa prius diligenter à sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à iure, & decretis huius sanctæ synodi in Episcopis, & prælatis requiruntur;* alias cessiones super his factæ subreptitiæ esse censeantur. Quod si vigeas futuram successionem cōcedere non esse Ecclesiæ necessarium, neque vtile, tametsi vtile, & necessarium sit signare coadiutorem negandum est: fæpè enim hoc est necessarium, vel saltem vtile, vt sic coadiutor maiori cum authoritate munus exerceat, diligentius procedat, & subditis charior sit. Azor. 2. *p. instit. mor. lib. 3. c. 2. q. 2. in fine.*

11 Qualitates autem quas coadiutor habere debet, sunt quas beneficium ad sui administrationem expostulat. Abbas *in cap. consultationibus. de clerico ægrot. numero* 1. Aliàs adiuuare non poterit. Quocirca si Episcopi coadiutor sis, debes 30. annos habere, si parochi, 25 si canonici cathedralis Ecclesiæ, 21. Azor. 2. *part. instit. moral. lib. 3. cap. 2. quæst. 6.* Gonzalez, multis relatis, *gloss. 5 §. 9. numero 6.* An autem debeas tempore concessionis coadutoriæ ordinem habere quem beneficium expostulat. Communis sententia tenet te non esse obligatum, sed sufficere si intra annum accipias; quia non est amplius expostulandum in coadiutore, quam in beneficiato proprietario, colligitur ex *cap. licet canon. cap. commissa. de electione in 6. & clemen. vnica. de officio ordin.* & tradit Flamin. *de resignat. lib. 4. quæst. 9. num. 19.* Gonzalez *gloss. 5. §. 9. numero* 90 Garcia 4. *part. de benefi. capit. 5. num* 142 Sed hoc intelligendum est de coadiutoriis perpetuis, & quæ dantur quasi in titulum; nam pro coadiutoriis temporalibus, quę vicarię sunt quæ dantur ad supplendum ministerium, & officium, quod proprietarius exercere non potest, necessario coadiutor habere debet actu omnes qualitates necessarias ad ministerium, & officium de facto exercendum; quia illæ coadiutoriæ non tam sunt beneficij, quam officij.

12 Ex huiusmodi coadiutoriis temporalibus parocho ob eius insufficientiam assignatis, non excusatur parochus à residentia. Neque enim iustum est parocho illiterato fieri fauorem, qui litterato non conceditur: sic Quaranta *in summ. bullar. verbo residentia. vesic. prater summistas.* Vgolin. *de potest. episc. cap. 15. §. 3. ad finem & cap 54. num. 3.* Gonzalez *gloss. 5. paragph. 9. n 50.* Garcia 4 *par. de benefic. cap. 5. num. 8.* Barbosa 3 *part. de potest. episc. alleg. 63 numero 8. & sess. 21* Trident. *cap. 7. de reformat.* vbi sic decisum referunt à sacra concilij congregatione in hæc verba. *Propter deputationem coadiutoris parochus, cui datus est coadiutor, non poterit abesse à residentia.*

Punctum X.

Examinantur aliquot difficultates circa coadiutorias præbendarum Ecclesiæ cathedralis, & collegiatæ.

1 *His coadiutoribus conceditur ius administrandi præbendam, cum iure succedendi in illa.*

2 *An coadiutor teneatur pro coadiuto inseruire, coadiuæo sic petente? Distinctione vtitur Nauarr.*

3 *Probabilius est obligatum esse.*

4 *An absente, vel agrotante coadiuto possit coadiutor choro assistere, & vocem habere in capitulo volente coadiuto? Negat Garcia. Affirmat Nauarr.*

5 *Quid sit tenendum explicatur.*

6 *Coadiuto legitimè impedito, teneaturne coadiutor inseruire volente coadiuto?*
Proponitur difficultatis ratio. Resoluitur obligatum esse.

7 *Satisfit rationi dubitandi.*

8 *Coadiutus infirmus, vel aliàs impeditus an sit pro præsenti habendus, sub distinctione respondet Garcia.*

9 *Non placet distinctio, & affirmatur habendum esse pro præsenti.*
Debeaturne coadiutori sedes proprietarij.

10 *Arguitur pro parte affirmatiua.*

11 *Resoluitur non deberi, sed vltimam post proprietarios.*

12 *Neque habet ius ascendendi ad superiorem sedem.*

13 *Non tenetur coadiutor in ingressu soluere, quod alij proprietarij soluunt.*

14 *Qualiter coadiutor possit dies recreationis assumere, sicut & principalis.*

15 *Reputandusne sit præsens coadiutor infirmus, vel impeditus? Affirmatiuè respondetur. & reiicitur limitatio Garc.*

16 *Excommunicato coadiuto coadiutor à diuinis expellendus non est.*

17 *Coadiutor vocem actiuam, & passiuam in electionibus canonicatuum, & in officijs sede vacante habet.*

18 *Coadiutus potest se iuuare beneficio iubilationis, & lucrari fructus tametsi coadiutor non inseruiat.*

19 *Qua ratione intelligenda sit gratia coadiutori concessa, vt gaudeat regula de annali, & triennali possessione.*

20 *In Ecclesijs vbi proceditur cum adiunctis, an coadiutor delinquens puniendus cum illis est? Negat Garc. contrarium videtur verius.*

21 *Coadiutor in minoribus constitutus gaudet fori priuilegio.*

22 *Tenetur coadiutor habitum clericalem, & tonsuram deferre.*

23 *An coadiutor debeat exire de capitulo, quoties tractatur negotium spectans ad coadiutum, vel econtra? Negat Garcia. Contrarium verius est.*

24 *Coadiutor, & coadiutus non possunt simul tanquam præbendati inseruire.*

25 *An canonicus coadiutor dignitatis præeminentiæ, quæ dignitati canonico competunt, habeat? Concedit Garc. Sed contrarium est verius.*

26 *Coadiutori canonico dignitatis, an sufficiat ad lucrandos fructus competentes dignitati, residere eo tempore, quo proprietarius dignitatis si resideret lucraretur? Proponuntur certa.*

27 *Quæstioni sit satis reiecto Garcia.*

28 *Qualiter coadiutus optare possit nouam præbendam, ac si coadiutore careret.*

29 *In Ecclesijs, in quibus est ius optandi, non est locus optioni in præbendis coadiutorem habentibus, vacantibus per obitum coadiuti.*

30 *Coadiutoria an inducat incompatibilitatem cum alio beneficio.*

31 *Qualiter coadintor cedere coadiutoria possit.*

32 *Noceatne confessio coadiutoris coadiuto, vel econtra.*

33 *Qualiter sententia lata contra coadiutum noceant coadiutori, vel contra coadiutorem coadiuto, aut aliis coadiutoribus?*

34 *Si tempore datæ coadiutoriæ mortuus sit coadiutus, coadiutor non succedit, tametsi contra videatur sentire Gonz. al.*

35 *Coadiutor committere vices suas alteri potest in electionibus, & prouisionibus, sicut coadiutus.*

36 *An dignitas, quæ simul est coadiutor alicuius canonici, duplicem vocem in capitulo habeat.*

37 *Affirmatiuè respondetur contra Garc.*

38 *Habens coadiutorem in dignitate, & canonicatu potest ipse in vno seruire, & in alio coadiutor.*

39 *An coadiutor dignitatis, & canonici possit esse iudex delegatus? Negat Garc. Contrarium videtur verius.*

40 *Coadiutor legens in vniuersitate, vel seruiens Episcopo, non videtur pro præsenti habendus.*

41 *An coadiutores potiantur priuilegio concesso coadiutis lucrandi fructus aliorum beneficiorum, si in cathedrali residerent? Negat Garcia. Sed contrarium verius est.*

42 *An coadiutor debeat habere ordinem, quem petit dignitas, seu beneficium in coadiutoriam acceptum? Sub distinctione respondetur.*

43 *Quid dicendum de coadiutore canonici seu dignitatis non curatæ?*

44 *Onera sui coadiuti tantum tenetur coadiutor subire.*

45 *Multa, quæ canonicis imponuntur, imponi proprietarijs possunt ob culpas coadiutoris.*

46 *Ecclesiæ cathedrales non possunt coadiutores designatos à Pontifice non admittere, aut repellere.*

47 *Coadiutus tenetur coadiutori congruam ministrare portionem.*

48 *Coadiutor in impetratione coadiutoriæ tenetur mentionem facere de beneficiis obtentis.*

49 *Ob hanc taciturnitatem nulla est gratia coadiutoriæ facta, non solùm quoad successionem, sed etiam quoad seruitium.*

HVsque explicuimus qualitates, & conditiones communes coadiutoris. Restat aliquot speciales difficultates, quæ occurrere possunt, examinare pro coadiutoriis canonicatuum, & præbendarum Ecclesiæ cathedralis, & collegiatæ, quarum vsus satis frequens est his temporibus. Has difficultates congessit Garc 4 *part. de benefic. c. 5. à n.* 55. & suo ordine eas percurremus, vt sic clarius intelligatur, quid nobis probetur, quid displiceat.

1 Et in primis supponendum est, vt ipsemet Garcia supponit, his coadiutoribus concedi facultatem, & potestatem tam in temporalibus, quam in spiritualibus administrandi præbendam cum iure succendēdi in illa, ita vt absente coadiuto loco illius

lius vti præbendatus proprietarius inseruire possit, & stallum in choro, & locum, vocemque in capitulo, processionibus, aliisque Ecclesiæ actibus habere, nec non omnes, & singulas prærogatiuas, præeminentias, & honores, quos principalis ratione canonicatus, & præbendæ, seu dignitatis habet, & haberet, si præsens adesset, lucrarique omnes, fructus, & prouentus, etiam anniuersaria, & manualia quos lucraretur proprietarius, si personaliter horis diurnis, & nocturnis adesset. His coadiutoriis apponi solet. Primo, ne possit coadiutor in regimine præbendæ se intromittere, nisi pro voluntate coadiuti? Secundo, ne prætextu coadiutoriæ aliquid exigere possit à coadiuto pro seruitio impenso. Tertio, vt si inseruiendo deficiat, ob cuius causam coadiutus non luctatur, ei soluat quod amittit. Hac gratia constituta.

2 Primam dubitationem mouet Garcia *dicto cap. 5. numero 55.* An coadiutor teneatur inseruire pro coadiuto, sic coadiuto petente, alias obligatus sit ad interesse, & damnum subsecutum.

Et quidem si coadiutoria expedita est cum clausula quæ hanc illi obligationem imponit, (vt communiter expediri solet) nemini esse potest dubium, obligatum esse. At si solum in coadiutoria dicatur, vt possit inseruire, &c. negat Nauarr. *consil. 1. de cleric. agrot. num. 3. & 4.* obligationem. Tum quia Papa eam illi non imponit. Tum quia si ex vi coadiutoriæ assignatæ eam obligationem contraheret, sed vteretur Pontifex verbo *posset*, quod indicat liberam potestatem, sed vteretur verbo *debet*, obligationem significante. Tum quia coadiutus non habet obligationem sustentandi coadiutorem. Ergo neque coadiutori imponi potuit obligatio coadiuto seruiendi: videntur enim hæ mutuæ obligationes.

3 Cæterum mihi placet sententia Garciæ affirmantis volente coadiuto obligatum esse coadiutorem inseruire ex vi coadiutoriæ assumptæ. Quia coadiutoria assumitur, vt coadiutus se excusare possit ab obligatione assistendi. At si coadiutor obligationem assistendi non haberet, coadiutus assumpta coadiutoria non esset excusatus, neque satis sibi prouideret. Ergo vt ipse excusatus sit, sibique prouideat assumens coadiutoriam, iudicandus est transferre in coadiutorem obligationem, quam ipse habet. Neque obstat, quod Pontifex non expresserit hanc in coadiutore adesse obligationem: quia ex assumpta coadiutoria satis significata erat: Vsus tamen est Pontifex verbo *posset*, vt significaret potestatem, & facultatem pro alio inseruiendi, esse, quod præcipuè, & principaliter in coadiutoria conceditur, obligationem tamen inseruiendi inde resultare. Cui obligationi non obstat, quod coadiutus non habeat obligationem sustentandi coadiutorem. Tum quia ipse coadiutor cessit tali obligationi Tum & præcipuè, quia loco illius concedit illi Pontifex futuram successionem. Adde hanc obligationem coadiutoris non solum esse causatiuam, hoc est ad interesse, & damnum reparandum, quod coadiuto prouenit: sed esse obligationem præcisam ad assistendum, ita vt per iudicem censuris, aliisque iuris remediis compelli possit.

4 Secundo dubitat, an absente, vel ægrotante coadiuto possit coadiutor choro assistere, & vocem habere in capitulo nolente coadiuto? Negat Garcia *dicta 4. part de benefic. cap. 5. à n. 59.* Mouetur, quia coadiutori prohibetur perceptio fructuum, & præbendæ administratio nolente coadiuto: sed sub præbendæ administratione continetur assistentia in choro, capitulo, aliisque canonicalibus actibus. Ergo. Contrarium defendit Nauarr. *dicto consil. 1. num. 5. & 6. de cleric. agrot.* Et monetur, quia assistentia in choro, aliisque capitularibus actibus videtur à Pontifice independenter à voluntate coadiuti concessa: si quidem loquens de iis actibus nullam voluntatis coadiuti mentionem fecit; fecit tamen cum de regimine & administratione præbendæ loqueretur: Ergo coadiutor nolente coadiuto non poterit præbendam regere & administrare (hoc est iurisdictionem forensem, si quam habet, exercere) bene tamen poterit choro, aliisque capitularibus actibus assistere.

5 Ego vero censeo ex qualitate voluntatis coadiuti hanc controuersiam decidendam esse: si enim coadiutus inique ageret, nullo impedimento ligatus, neque coadiutorem habens, si non assisteret, inique etiam procedit impediens coadiutoris assistentiam. Ergo talis iniqua voluntas repellenda est. Et confirmo, Absente, vel ægrotante coadiuto vtile est Ecclesiæ coadiutorem inseruire; quia ad hoc munus obeundum coadiutoria conceditur. Ergo dissensus coadiuti in hac parte, tanquam iniquus, habendus est pro non adiecto. Ergo illo non obstante poterit coadiutor inseruire. Verum in actibus capitularibus, à quorum assistentia rationabili causa ductus se excusare coadiutus posset, censeo posse coadiutoris assistentiam impedire; quia in hoc iustè videtur procedere. Quod si roges, qui sint hi actus, à quibus se coadiutus excusare potest iuste, & coadiutorem impedire? Respondeo esse actus? proprium vtilitatem coadiuti respiciunt, vt est perceptio fructuum præbendæ, aliaque temporalis illius administratio, vel ex quibus aliquod damnum coadiuto, vel tertio euenit, vt est praua electio, & suffragium nocuum. At actibus, qui vtilitatem Ecclesiæ spectant, & religionem promouent, vt est assistentia in choro, processionibus, aliisque religiosis actionibus nequaquam coadiutus impedire coadiutorem potest, ne assistat, si ipse assistere nolit, vel non possit. Cum enim in bulla prohibetur coadiutori nolente coadiuto præbendæ administratio, subintelligitur, cum iustè prohibet secùs cum iniquè & iniustè, quia iniquitati fauendum non est.

6 Maius mihi dubium est an teneatur coadiutor inseruire coadiuto infirmo, vel legitimè impedito volente tamen, vt coadiutor inseruiat? Ratio difficultatis est, quia coadiutor personam coadiuti repræsentat. Ergo coadiuto excusato à residentia excusari debet coadiutor. Et confirmo; quia coadiutori conceduntur omnes prærogatiuæ & præeminentiæ, quibus gaudet coadiutus, sed coadiutus est excusatus à residentia: Ergo & coadiutor. Confirmo secundo. In coadiutorem translata est obligatio assistendi, quam habet coadiutus, sed coadiutus tempore infirmitatis nullam habet. Ergo neque coadiutor. Cæterum dicendum est obligatum esse coadiutorem inseruire: colligitur ex decisione Rotæ in vna Terraconen. relata à Garcia *dicto cap. 5. num. 152. in fine*, & tradit Farinac. *decis. nouiss. tom. 2. decis. 276.* Ratio est, quia coadiutor in hunc finem datus est, vt impedito coadiuto ipse loco illius inseruiat, ne Ecclesia debito seruitio defraudetur *cap. 1. de cleric. agrot. in 6.* Trident. *Sess. 25. c. 6.* qui finis obtineri non posset, si impedito coadiuto non teneretur coadiutor inseruire,

7 Neque ratio difficultatis obstat, quia coadiutor repræsentat coadiutum in præbenda, non in infirmitate. Ad confirmationem concedo coadiutori concedi omnes prærogatiuas, & præeminentias, quæ competunt coadiuto ratione præbendæ, non tamen quæ competunt coadiuto ob infirmitatem aliamue circumstantiam extrinsecam. Ad secundam confirmationem admitto in coadiutorem translatam esse obligationem assistendi quam coadiutus habet ob præbendam: non tamen translatas esse personales excusationes.

Adde coadiutorem non residentem, seruata iuris forma, priuari posse coadiutoria, & alteri concedi, quia res Ecclesiæ, & religionis agitur. Neque obstat obligatum esse coadiutorem soluere coadiuto interesse, & damnum si non resideat, quominus priuari non possit; quia in illa solutione spectatur coadiuti interesse; at in hac priuatione Ecclesiæ seruitium: & ita resolut Farinac. *t. 1. nouiss. decis. 276. n. 4.*

8 Tertio dubitat, an coadiutus infirmus, vel aliàs legitimè impeditus habendus sit pro præsenti, tametsi coadiutor non inseruiat?

Distinctione vtitur Garcia *dicto cap. 5. numero 64.* dicit namque habendum esse pro præsenti, & distributiones lucrari, si nolit coadiutorem assistere; quia tunc excusatur coadiutor ab assistentia. cum non possit sine voluntate coadiuti inseruire, & ex alia parte ipse est legitimè impeditus. At si suo impedimento non obstante vult coadiutorem inseruire, & coadiutor deficit, censet coadiutum non reputãdum vt præsentem, sed potius esse multandum, ipsumque coadiutorem obligatum esse ex propriis hæc reparare. Ratio esse potest; quia coadiutoria assignatur, ne Ecclesiæ seruitium deficiat ob infirmitatem, & impedimentum coadiuti: qui finis omnino cessaret, si coadiutor deobligatus esset à seruitio, quoties coadiutus seruire impeditus esset.

9 Verum hæc distinctio mihi non probatur. Potius enim iudicarem mulctandum esse coadiutum impeditum nolentem, vt coadiutor inseruiat, quam volentem: quia nolens vt inseruiat repugnat fini, ob quem est coadiutoria assignata, & iniquè procedit, eiusque voluntas habenda est pro non adiecta. At volens vt inseruiat, iuri se conformat. Quapropter censeo coadiutum legitimè impeditum, siue velit vt coadiutor inseruiat seue non, habendum esse pro præsenti, & distributiones lucrari, tametsi coadiutor non inseruiat. Ratio est, quia infirmo, legitimèque impedito assistenti debentur beneficij fructus independenter à coadiutoris assistentia, vt constat in eo, qui coadiutorem non habet, *capit. vnico, de cleric. non residen. in 6.* Ergo ob omissam coadiutoris assistentiam illis priuari non debet. Alias deterioris conditionis esset coadiutorem habens quam illo carens, & priuilegium sibi concessum, in sui damnum cederet, contra *c. ad Apostolicam, de Regular. & quod ob gratiam, 61. de Reg. iur. in. 6.* & ita docet Gonzalez *de reg. mens gloss. 5. parag. 9. n. 120* Nauar. *consil. de cleric. agrot. n. 6.*

10 Quarto dubitat, an coadiutori assignanda sit sedes proprietarij vel potius vltima post omnes proprietarios, ita vt si dignitatis sit coadiutor post dignitates sedere debeat si coadiutor canonici post canonicos si portionarij post portionarios? Quam difficultatem optimè vertat Gonzalez *gloss. 5 parag. 9. à numero 99.* arguitque pro parte affirmatiua deberi eãdem iedem. Primo, quia subrogatus lapit naturam eius in cuius locum subrogatur, *leg. si cum, §. qui iniuriarum ff. siquis cautionib. leg. filia. §. Titia. ff. de condit. & demonstrat. leg. in duobus § 1. ff. de iureiurando. §. fuerat, instit. de actionib.* sed coadiutor subrogatur in locum proprietarij. Ergo frui debet prærogatiuis ipsi concessis. Secundo, in gratia coadiutoriæ habetur, vt coadiutor gaudeat omnibus præeminentiis, & honoribus tam extra chorum, quam intra, quos proprietarius ratione canonicatus, & præbendæ habet

bet,sed ratione canonicatus obtinet locum honorificum in choro Ergo illum obtinere poterit coadiutor.Tertio, adducit decisionem Rotæ, *decis.1 n.17.de renunciat.in nouiss.* vbi habetur quod resignans beneficium reseruato sibi regressu in choro,& capitulo; mortuo resignatario succedit in loco in quo antea erat.Ergo etiam coadiutor debet succedere. Quarto probat, quia sic Nauarr. consuluit, vt habetur *capit. 1. de clerico ægrotante.numero 5.*

11 Sed his non obstantibus optimè resoluit Gonzalez, coadiutori non deberi sedem coadiuti,sed vltimam post omnes proprietarios:consentit Garc.*4. part.de benefic.cap.5. à.numero 66.* & adducunt pro se decisionem Rotæ in vna Salmantina coadiutoriæ 25. Iunij 1593. coram D. Penna,tradit Farin.*tom.2.nouissim.decision 257. numero 3. & decis. 456.* Ratio à priori est, quia sedes honorabilior non debetur præbendato ratione præbendæ,sed,ratione illius antiquæ possessionis, vt de se constat. Ergo cum coadiutor solum in præbenda subrogetur, & non in illius antiquitate; efficitur sanè locum possessionis illi debitum non esse, esse tamen illi debitum locum præbendæ, atque adeo sedere debet, vbi sedent præbendari proprietarij, non autem illos præcedere.Secundò,æquum non erat, vt fictus canonicus veros præcederet & aliena dignitate fulgēs eos,qui propriam haberent. Tertiò,quia ita in omnibus Hispaniæ Ecclesiis est practicatum.Neque obstant contraria.Ad 1 & 2.dico coadiutorem subrogari loco coadiuti in præbenda,non in illius antiquitate,& similiter frui omnibus prærogatiuis debitis præbendæ,non illis quæ debentur illius antiquitati. Ad 3. admitto resignantem tunc obtinere locum priorem, quia cum illa conditione facta fuit resignatio, secus in præsenti, vbi coadiutoriæ non dantur sub hac conditione.Ad 4 respondeo, consilium Nauarri amittendum non esse.

12 Sed maius dubium est,an esto coadiutori non debeatur sedes proprietarijshabeat tamen ius ascendendi ad superiorem sedemita vt præcedere possit canonicos proprietarios nouiter ingressos?affirmat Rota in causa Salamant.& Tirason. prout refert Gatt.*d. 4 part. de benefic. cap. 5.* specialiter *numero* 552. dicitque illam sed. m, quam obtinet coadiutor tempore obitus coadiuti, illi esse assignandam. Mouetur; quia coadiutori conceduntur omnes prærogatiuæ, & præeminentiæ,& honores qui conceduntur principali ratione præbendæ, sed principali ratione præbendæ conceditur,vt ultimo loco sedens paulatim ascendat. Ergo idem ius concedendum est coadiutori. Nihilominus contrarium dicendum est cum Gonzalez,Garc. *locis allegatis.*& nouissimè traditur à Rota *decision.46 apud Farinac in nouissimis.*Quia nunquam est admittendum fictum vero præferri, & alieno iure fulgentem,ei qui proprio gaudet, & praxis ita docet:nam semper coadiutor canonici vltimo loco sedet post omnes canonicos proprietarios, neque durante coadiutoria locum superiorem obtinet quia hæc potestas ascendendi ad superiorem locum,non ratione præbendæ in potentia conceditur, sed illius possessione, quam cum coadiutor non habeat, nequit locum superiorem obtinere, eáque de causa mortuo coadiuto,illi vltima sedes assignatur, quia est vltimus,cui possessio præbendæ est concessa.

13 Quinto dubitat; an coadiutor in ingressu debeat soluere, quod soluunt alij canonici proprietarij?Videbatur id esse affirmandum;quia habens commodum, & honotem canonicorum, illorum onera sentire debet.At contrarium est dicendum ex supradicta ratione.Quia coadiutor non sentit temporale commodum.Ergo neque sentire debet onus illi annexum.Item coadiuto mortuo coadiutor soluit pensum ab aliis canonicis solutum, Ergo non tenetur illud soluere, dum est coadiutor, & tenet Garc. *d.c.5. n.78.*

14 Sextò dubitat possitne coadiutor dies quietis assumere, sicut & principalis? Affirmatiuè respondet Garc. *num. 79.* cum Gonzalez *gloss.5.§.9.num.13* Nauar.*dicto cons.1.de cleric.agrot. numero 6.vers.octauo.*Gratian *discept.forens. cap.166.num.12.* & testantur decisum esse à Rota in causa coadiutoriæ Salmantinæ: consentit Barbosa 3. *par.de potest.Epis.alleg.53 num 125.*Ratio est, quia hoc priuilegium præbendatis conceditur ob seruitium continuum totius anni, quod concilium illa recreatione iudicauit temperandum:sed coadiutor toto anno assistens præstat tale seruitium.Ergo gaudere debet tali priuilegio.Aduertunt tamen Garc.Gonzal.reliquique doctores,hoc intelligendum,esse, dummodo proprietarius non assumat alios dies diuersos recreationis, sed inter coadiutorem, & proprietarium iidem consumantur; quia cuilibet beneficij seruitio assignari sunt dies recreationis,quod non licet extendere.Alias Ecclesia defraudaretur, si proprietarius tres menses recreationis assumeret,& coadiutor alios tres distinctos assumeret enim coadiutor, vel proprietarius non solum tres,sed sex menses recreationis, quod non est dicendum.

15 Septimò dubitatur reputandusne sit tanquam præsens coadiutor infirmus vel carceratus, aliove iusto impedimento detenus, ni assistat? Affirmatiuè respondet Garc. *numero* 80. Gonzalez *numero* 15.Gratian *dicto numero* 12 *ex supradict. Rota decisione.*Quia coadiutus obligationem assistendi, & beneficio inseruiendi, quam habebat, transtulit in hunc coadiutorem perpetuum,sed ab hac obligatione excusatur coadiutor ob infirmitatem,iustum vel legitimum impedimentum, sicuti excusaretur ipse coadiutus coadiutore carens. Hoc autem (dicit Garc. intelligendum esse,casu quo coadiutor tempore superuenientis infirmitatis esset actu seruiens.Nam si ante infirmitatem ex voluntate coadiuti non seruiret ob superuenientem infirmitatem excusari non posset à seruitio; quia datetur locus fraudi in detrimentum seruitij Ecclesiastici.At hæc limitatio mihi non probatur. Existimo namque infirmitatem esse sufficientem causam excusationis,siue ante resederit,siue non, vt latius probaui, cum de hotis canonicis locutus fui,quia cum ipsa reddat coadiutorem impotentem residere, sufficit ad excusandum, independenter à præcedenti residentia.

16 Octauo dubitatur; an excommunicato coadiuto possit coadiutor inseruire,& fructus præbendæ lucrari? Ratio dubitandi est;quia excommunicatus incapax est acquirendi beneficiorum fructus, ex *cap.pastoralis.§.verum.de appellation* Quod non solum intelligendum est de acquisitione per propriam personam,sed de acquisitione per personam, quæ illum repræsentet;*iuxta reg.67.* Quod alicui suo non licet nomine, neque alieno licebit, & *reg. 72.* Qui facit per alium est perinde ac si faceret per se ipsum. Quapropter in casibus, in quibus excommunicatus excluditur, neque per suum procuratorem admitti potest.Sed à residentia in diuinis officijs, & acquisitione fructuum excluditur excommunicatus. Ergo etiam illius coadiutor excludi debet;quia illius personam repræsentat. Cæterum dicendum est,coadiutorem excludendum non esse ab assistentia in diuinis officiis,aliisque muneribus præbendæ ob excommunicationem coadiuti, sic Garc.*4.part.de benefic.cap.5.num. 84.* cum Leo *in thesauro, cap. 19.num. 66.* & referunt decisum à Rota in supradicta coadiutoria Salmantina. Ratio est;quia coadiutor ea munera non præstat ex potestate accepta à coadiuto, sed ex potestate à Romano Pontifice, qui illum constituit coadiutorem cum plena, liberaque beneficij administratione: Ergo coadiuti excommunicatio eius potestatem impedire non potest Secus vero esset.si nomine coadiuti, & ex potestate ab illo accepta beneficio inseruiret,quia tunc nihil amplius posset, quam posset ipse coadiutus.Ex quo fit coadiutorem proprietarij excommunicati æquè posse sibi lucrari stipendium debitum ob assistentiam,si aliquod ei est assignatum, ac si coadiutus excommunicatus non esset; quia non seruit nomine coadiuti. sed nomine Ecclesiæ ex potestate à Pontifice concessa: sic doctores supra relati. Non tamen potest suo proprietario excommunicato fructus præbendæ lucrari,non ob defectum aliquem, quem ipse habet,sed ob incapacitatem, & inhabilitatem, quam habet proprietarius. Tenent supradicti doctores.

17 Nono dubitatur. habeat ne coadiutor vocem actiuam,& passiuam in electionibus canonicatuum, & in officiis sede vacante? Affirmatiuè respondet Garc. *dicto cap. 5. numero* 87.cum Leo. *in thesauro. cap.19.num.69.&70.* & Rota, in dict. decis. Salmantina relata à Garcia *num.* 150. Ratio est manifesta; quia huic coadiutori conceditur plena, & libera potestas præbendam administrandi, perinde ac si proprietarius præsens esset. Item conceduntur omnes prærogatiuæ, præeminentiæ & honores,qui ratione præbendæ coadiuto competunt. Item conceditur, vt possit vocem in capitulo habere.Sed ex qualiber harum concessione eligere, & eligi potest. Ergo. Addit & bene Garcia,*num.88.* hoc verum esse, tametsi in coadiutoria dictum esset, vt possit coadiutor habere vocem actiuam in capitulo: nam ex illa concessione non infertur, quod non possit vocem passiuam habere: illa enim verba ad maiorem declarationem debent censeri prolata, non ad potestatis diminutionem. Nunquam tamen poterit exercere officia,& munia, ad quæ coadiutus electus est:quia illa officia non competunt coadiuto ratione præbendæ,sed ratione personæ;ac proinde non potest coadiutor in illis succedere. Garc. *supra.*

18 Decimo dubitat Garc. *dicto cap.5.numero 89.* an canonicus habens coadiutorem possit se iuuare beneficio iubilationis in ea Ecclesia competenti,& lucrari fructus,tametsi coadiutor non resideat?Cui dubitationi respondet optimè cum Rota in vna Tirason. coadiutoriæ, quam refert *d. cap. 5. num. 152, circa finem.* iuuari quidem beneficio iubilationis, & lucrari fructus,& distributiones,si proprio seruitio iubilationem obtinuit; quia ex assumpta coadiutoria illo priuari non debet. Ex seruitio autem coadiutoris obtinere coadiutus iubilationem non potest; quia hoc priuilegium conceditur in remunerationem personalis laboris, & cessat si coadiutor inseruiat.

19 Vndecimo dubitat Garcia *dicto cap. 5. n. 90.* qua ratione intelligenda sit gratia coadiutori concessa,vt gaudeat regula de annali, vel triennali possessione?

Cui dubitationi bene respondet Garcia & Gonzalez *gloss.5.numero 128.* cum Rota in vna Placentina decanatus 21.Ianuarij. 1597.coram D.Pæna, intelligi debere, si post admissionem ad coadiutoriam, & illius possessionem, transierit annus, iuxta *reg. de annali,*vel triennium iuxta *reg. de triennali* tametsi in præbenda non successerit. Quæ gratia ad plures effectus, vt bene dicit Gonzalez prodesse potest.

20 Duodecimo dubitat, an in Ecclesia, vbi proceditur cum adiun

adiunctis, si coadiutor delinquat, puniendus sit cum illis, sicuti esset coadiutus?

Negat Garc. *dict.* 4. *part. de benef. cap.* 5. *numero* 96. consentit Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *part. alleg.* 73. *n.* 11. & testatur sic fuisse decisum à sacra concilij congregatione: eo quod coadiutor non sit canonicus, & consequenter nec capitularis. Neque ex clausula ordinaria coadiutoriæ, qua coadiutori omnes præeminentiæ, prærogatiuæ, & omnes coadiuti conceduntur, infertur concessum esse illi hoc priuilegium de adiunctis; quia hæc clausula intelligitur de prærogatiuis, & præeminentiis quoad seruitium Ecclesiæ, non quoad proprioru delictorum punitionem.

Cæterum ego crederem cum adiunctis puniendum esse coadiutorem, sicuti puniretur coadiutus.

Quia eo ipso, quod coadiutori conceditur, vt habeat vocem in capitulo, stallum in choro, & canonicorum vestem, aliaque canonicorum priuilegia, fit de capitulo, per ea quæ tradit Felin. *in c. cum accessissent. n.* 34. *de constitutionib.* sed omnibus de capitulo hoc priuilegium est concessum, vt constat ex Trident. *sess.* 6. *c.* 4. *de reformat. & sess.* 25. *capit.* 6. *de reformat.* Ergo quamuis coadiutor non sit canonicus; quia tamen est de capitulo, habet supradictum priuilegium. Item in gratia coadiutoriæ expresse conceduntur coadiutori omnes gratiæ, præeminentiæ, prærogatiuæ, & honores, quos coadiutus haberet ratione præbendæ absque, vlla Ecclesiastici seruitij limitatione. Sed ratione præbendæ habet coadiutus priuilegium, vt ab Episcopo cum adiunctis iudicetur. Ergo idem habere debet coadiutor.

21 Decimo tertio dubitat, an coadiutor in minoribus ordinibus constitutus gaudeat fori priuilegio? affirmatiuè respondet Garcia *n.* 98. & benè, dummodo Ecclesiæ seruiat, si quidem ei seruit ex designatione Pontificis, quæ nobilior est Episcopi designatione.

22 Decimo quarto dubitat Garcia *num.* 99. an teneatur coadiutor habitum clericalem, & tonsuram deferre? Respondet affirmatiuè. & benè, quia esto beneficium non habeat, habet tamen ius considerabile ad illud, & ex alia parte Ecclesiæ seruitio est deputatus. Sixtus autem V, *in sua constitut.* 38. *de habitu, & tonsura clericorum*, præcipit non solum beneficia habentibus, sed habentibus ius ad illa habitum clericalem, & tonsuram deferre sub pœna priuationis omnium beneficiorum.

23 Decimoquinto dubitat, an coadiutor debeat exire de capitulo, quoties tractatur negotium pertinens ad coadiutum, vel econtra; coadiutus si coadiutoris negotium tractetur? Negat Garcia *dicto cap.* 5. *num.* 105. Mouetur; quia coadiutor non inseruit nomine coadiuti, sed proprio. Ergo interesse, & commodum coadiuti nocere illi non potest. Ex quo infert. Garc. posse coadiutorem suffragium dare in præbenda, quam prætenderet coadiutus, vel econtra coadiutus in præbenda, quam prætenderet coadiutor, si negotium tractandum pertineret ad coadiutoriam: censet Garc. excludendos esse coadiutum, & coadiutorem, cum vtriusque propria res sit.

Cæterum ego crederem, quemlibet excludendum esse, quoties negotium tractatur alterutrius vtilitatem principaliter respiciens; quia ob mutuam vnius ab alio dependentiam, & respectum, suspicio esse potest iniusti processus; merito ergo recusari potest. Item non solum quis excusari potest, cum suffragium ferre debet in vtilitatem, & commodum proprium, sed etiam cum suffragium ferre debet in vtilitatem, & commodum suorum. Sed commodum coadiuti respectu coadiutoris, & coadiutoris respectu coadiuti, reputandum est vel commodum proprium, vel suorum, quia vnus ad alium pertinet. Ergo.

24 Decimosexto dubitat; an coadiutus, & coadiutor possint simul Ecclesiæ seruire, & in ea residere? Respondet Garc. *dicto c.* 5. *n.* 107. & benè; nequaquam posse simul inseruire, tanquam præbendatos; quia in vtroque solum est vna præbenda; in coadiuto, tanquam in subiecto proprio; in coadiutore, tanquam in repræsentante illum: sed vni præbendæ non possunt simul duo seruire in eodem officio. Ergo. Dixi in eodem officio. Nam si vnus choro assistat, alius interim est in capitulo, vel in Ecclesiæ negotiis, & temporalium regimine, fieri optimè potest; quia tunc nequit dici duos vni præbendæ formaliter simul inseruire. Posse autem in Ecclesia, & in choro alium vt canonicum, alium vt personam priuatam assistere, nemini esse potest dubium; quia neque coadiutus ob coadiutorem, neque coadiutor ob præsentiam coadiuti priuari debet potestate inseruiendi, cum solus vnus canonicaliter assistat.

25 Decimoseptimo dubitat, an in Eccl. siis, in quibus dignitates non habent vocem in capitulo, neque in choro præsident, nisi simul canonicatum obtineant; & tunc iuxta antiquitatem dignitatis sedem in choro, & vocem in capitulo habent, si coadiutor alicuius dignitatis canonicus sit, vocem habere possit in capitulo, & sedem in choro, iuxta antiquitatem dignitatis, ita vt si dignitati competat præsidere idem debeat competere canonico dignitati coadiutori. Concedit Garcia 4. *part. de benefic. cap.* 5. *numero* 111. Quia coadiutor dignitatis, debet habere dignitatis præeminentias, & cum ex alia parte sit canonicus, debet habere præeminentias dignitatibus, & canonicis simul competentes, atque adeo habebit sedem & debit vocem in capitulo, & præsidebit in choro iuxta antiquitatem dignitatis, in qua seruit. Neque refert (inquit Garcia) quod coadiutus non haberet istam præeminentiam, quia id est, quia caret canonicatu, quem tamen habet coadiutor, qui nomine proprio præbendam ministrat. Et confirmari potest, si quis coadiutor esset alicuius, qui simul esset dignitas, & canonicus, vocem haberet in capitulo, & sedem in choro iuxta antiquitatem dignitatis, cuius est coadiutor. Ergo eandem habere debet, cum solum est dignitatis coadiutor; si quidem est in proprietate canonicatus; quia titulus proprius præferendus est alieno titulo.

Cæterum mihi probabilius apparet talem coadiutorem, etsi ratione canonicatus habeat sedem in choro, & vocem in capitulo: at ob coadiutoriam non habere sedem præeminentem, neque præsidere posse, sicuti præsideret coadiutus, si simul esset canonicus. Moueor; quia esto coadiutor nomine Ecclesiæ inseruiat, & ex potestate à Romano Pontifice accepta, & non ex potestate accepta à coadiuto, neque nomine ipsius; at loco illius seruit, & vices illius gerit, sed coadiutus ratione dignitatis præcisè præsidere non potest in choro, neque vocem habere in capitulo. Ergo coadiutor locum illius tenens, & personam illius representans, nec vocem habere in capitulo, neque præsidere poterit. Et confirmo. Coadiutori competunt priuilegia, exemptiones, præeminentiæ, & prærogatiuæ, quæ competunt coadiuto ratione dignitatis, & præbendæ, sed non alia. At coadiuto ratione dignitatis non competit vocem habere in capitulo, neque sedem in choro. Ego coadiutori quatenus talis est, non poterit id competere. Neque obstat, si dicas, coadiutorem habere canonicatum, quem tamen coadiutus non habet: & ratione canonicatus habilem esse præsidere in choro, & vocem habere in capitulo ob coadiutoriam dignitatis; sicuti si coadiutor esset alicuius canonici in sacris non constituti, ipse tamen in sacris esset, vocem haberet in capitulo; tametsi coadiutus non haberet. Non inquam obstat; quia præsidere in choro, & eminentiorem in capitulo locum habere, non competit dignitati vtcumque, sed dignitati, cui canonicatus annectitur: sed huic dignitati, cuius est coadiutor, non est canonicatus annexus. Ergo ratione illius non potest coadiutori præsidentia in choro, & eminens locus in capitulo competere. Secus vero est de coadiutore in sacris, tametsi coadiutus in sacris non sit; quia coadiutus ratione præbendæ bene potest vocem habere in capitulo, & ab illa tamen remouetur, quia ordinatus non est; at coadiutor cum ordinatus, sit, nulla est causa illum remouendi. Adde; coadiutori præferendi sunt omnes proprietarij in illo ordine, vt ex dictis *in hoc puncto. dub.* 4. constat. Ergo coadiutor dignitatis primum inter dignitates locum in choro obtinentis ob antiquitatem, eundem locum obtinere non potest. Ergo neque præsidere. Secus esset, si dignitati non ob antiquitatem, sed ob talem præbendam primus locus competeret.

26 Decimo octauo dubitat Garcia *dicto cap.* 5. *numero* 114. an in Ecclesiis, in quibus canonici ad lucrandum vestiarium 90. diebus debent inseruire, dignitates 60, si qui canonicus proprietarius coadiutor sit alicuius dignitatis lucretur vestiarium sui canonicatus 60. diebus inseruiendo, vel potius teneatur 90. diebus inseruire?

In qua re certum est coadiutorem canonici, & dignitatis 60. diebus lucrari, sicut lucraretur coadiutus, quia illum representat: sic Garcia *supra*. Secundo est certum canonici coadiutorem habentem dignitatem in proprietate non lucrari vestiarium canonici, nisi residendo 90. dies; quia non sibi, sed canonico coadiuto lucratur. At coadiutus non potest minori tempore, quam 90 diebus lucrari vestiarium. Ergo neque coadiutor ipsi lucrari poterit; quia ex personna coadiuti non potest suam conditionem meliorem facere: sic Garcia *supra*. Tertio est certum, canonicum coadiutorem dignitatis residentem in sede dignitatis lucrari fructus; non solum dignitatis, sed etiam canonicatus; quia sedens in altiori loco dici potest inferiori assistere. Secus vero si in loco canonicatus sederet, quia tunc dici non potest. vt dignitas inseruire. Iis positis.

37 Dubitationi propositæ respondet Garcia, hunc canonicum dignitatis coadiutorem 60. diebus lucrari sibi vestiarium, Mouetur, quia huic coadiutori habenti canonicatum ob coadiutoriam dignitatis conceduntur omnes præeminentiæ, & prærogatiuæ dignitatis, quarum vna est, vt canonicatum cum illa habens 60. diebus vestiarium lucretur. Ergo. Nihilominus probabilius censeo, obligatum esse hunc coadiutorem 90. diebus inseruire, vt vestiarium sui canonicatus lucretur. Quia priuilegium 60. dierum concessum est canonicis, dignitatibus: ac coadiutor dignitatis dignitatem non habet, sed illam habiturus est, ergo ipse gaudere non potest tali priuilegio. Neque obstat coadiutorem habere prærogatiuas, & præeminentias coadiuto competentes ratione dignitatis, vt dicamus posse lucrari vestiarium proprij canonicatus; quia talis dignitas non habet prærogatiuam pro canonicatu alieno, sed pro canonicatu, cui ipsa annectitur; ac proinde ex vi dignitatis solum canonicus illam possidens potest hac prærogatiua

rogatiua gaudere, coadiutor vero illius dignitatis illam habere non potest. Et ratio est; quia in acquisitione vestuarij proprij canonicatus sibi inseruit coadiutor. At dignitati inseruiens coadiuto inseruit. Ergo ex seruitio dignitatis limitari proprium non potest.

28 Decimonono dubitat Garcia *dicto cap. quinto. num.* 118. An canonicus habens coadiutorem cum futura successione possit optare nouam, & pinguiorem præbendam, ac si coadiutore careret? Et respondet primò, si coadiutori concessum est, vt coadiuto succedat in optione præbendæ, poterit coadiutus optare. Quia tam coadiutor, quam coadiutus incrementum habent ex tali optione. Consentit Gonzalez *glossa* 34. *num.* 97. An autè tunc coadiutor possit pro coadiuto optare? Respondet Garcia, verius esse optare non posse, nisi in coadiutoriis expressum esset, quia hæc optio est præcipuè in gratiam coadiuti, ergo ab eius voluntate pendere debet. Ergo nisi ipse expressè consentiat, vel ratum habeat coadiutoris consensum, obligari non potest ad optandum. Verum si coadiutori in præbenda optata à coadiuto non subrogatur, sicuti erat ante optionem; interpidè ego id affirmandum cum Gonzalez *dicta glossa.* 5 *num.* 97. non posse coadiutum optare, si ad optionem necessarium est vt præbendam habitam dimittat; quia ex tali optione infertur coadiutorem priuari iure concesso succedendi; si quidem non succedit in præbenda, quam de nouo coadiutus acquirit (vt suppono) neque etiam succedit in præbenda, quam coadiutor dimittit: in hæc enim moderniori proprietatius succedere debet. Ergo ne dicamus coadiutorem cum futura successione suo effectu frustrari, affirmandum est illa posita impediri in coadiuto facultatem optandi nouam præbendam.

29 Vigesimo dubitat Garcia *num.* 121. an in Ecclesiis, in quibus est ius optandi, habeat locum in præbendis habentibus coadiutorem, si vacent per obitum coadiuti in mense ordinarij, Negatiue respondet, & benè, cum Rotæ decisione; quia per alligationem coadiutoriæ cum futura successione sublata est potestas optandi, cum iam illa præbenda coadiutori adiudicata sit à tempore vacationis.

30 Vigesimoprimo dubitatur, an coadiutoria inducat incompatibilitatem cum quolibet alio beneficio siue habito à coadiutore, siue habendo? Respondeo, si beneficium obligat ad residentiam incompatibilem cum coadiutoria, certum est inducere incompatibilitatem quoad retentionem; quia nequeunt illa beneficia simul retineri, quorum obligationibus simul satisfieri non potest. Quod si obtenta coadiutoria beneficium aliquod obtineas incompatibile cum coadiutoriæ seruitio, vacat coadiutoria, neque ex vi illius potest in præbenda succedere: colligitur apertè ex *clement. Gratiæ. de rescript.* ibi. *Censeris renunciare gratiæ, vt de beneficio, vel dignitate prouidearis, si ante adeptionem eiusdem aliud beneficium pacificè obtineat, quod simul de iure cum dignitate, vel beneficio virtute dictæ gratiæ tibi debito retinere non posses, licet illud resignaueris, aut sis resignare paratus*; consentit Garcia 4 *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 123. & 124.

31 Vigesimosecundo dubitatur, an possit coadiutor cedere coadiutoriæ coadiuto renuente. Certum est, ius succedendi concessum in coadiutoria coadiutorem renunciare posse; quia in hac renunciatione nullum coadiuto præiudicium accrescit, neque Ecclesiæ, sed potius fauor, cum nemini præbenda adiudicata sit, sed libera maneat. Quapropter communiter doctores censet, hanc renunciationem etiam absque interuentu superioris fieri posse; quia ipse superior semper in illa censetur consensisse: sic Glossa, & doctores *in cap. si electio. de electione. in 6. cap ad audientiam. 2. de rescriptis, cap. sanè. de renuncia.* & tradit Flamin. Parisius *lib. 7. quæst. 1. à num. 74. & lib. 2. quæst. 23. num.* 18. Coadiutoriam verò, quatenus est obligatio seruiendi pro coadiuto, renunciare non potest coadiutor, renuente coadiuto absque authoritate superioris; quia authoritate superioris constituta est in fauorem coadiuti, & in bonum Ecclesiæ; nequit ergo coadiutor pro sua voluntate hanc à se obligationem excutere. Solum est dubium, cuius superioris consensus requiratur. Garc. *cap.* 5. *num* 126. respondet requiri consensum Pontificis; at si coadiutus renunciationi consentiat, sufficere ordinarij beneplacitum. Placet.

32 Vigesimo tertio dubitatur, noceatne confessio coadiutoris coadiuto, vel econtra? Respondeo non nocere; quia non solum coadiutus, sed etiam coadiutor agit nomine proprio, & ex potestate à Pontifice accepta: non igitur alteri à se præiudicare potest sua confessione: & ita cum Rota, Mandos. & aliis tradit Gonzalez *glossa.* 5. §. 9. *num.* 119. Garc. *de benefic.* 4 *part. cap.* 5. *n.* 127.

33 Vigesimoquarto dubitatur, an sententiæ latæ contra coadiutum noceant coadiutori, vel econtra. Item an noceat aliis coadiutis, vel coadiutoribus? Et quidem certum est sententiam datam contra coadiutum non nocere coadiutori, si coadiutus citatus non sit saltem in genere, vel econtra: quia est res inter alios acta. & tradit Garc. *d. 4. cap. num.* 128. cum Rota *decis.* 239. & 241 *par.* 3. *lib.* 3. *diuers.* Minus autem nocere potest sententia data aduersus vnum coadiutorem illius successori, ob rationem dictam: quia est res inter alios acta, & quæ ad ipsum non pertinet: sic Garc. *supra* cum Gonzal. *glossa.* 5. §. 9. *num.* 92. Excipe, nisi sententia data sit super iuribus, & præeminentiis coadiutoriæ, quia tunc sententia data contra vnum coadiutorem sequentibus, imo aliis similibus præiudicare posset, ex *leg. ingenuum. ff. de statu hominum. leg.* 20. *tit.* 22. *part.* 3. & tradit Tiraquel. *in tract. res inter alios acta. limit.* 27. Couarruu. *pract. quæstion. cap.* 15. *n.* 5. Garc. 4. *part. de benefic. cap.* 5. *n.* 130. Gonzalez *glossa.* 9. §. 1. *n.* 85.

34 Vigesimoquinto dubitatur, an coadiutor succedat in præbenda, si tempore quo expeditur gratia coadiutoriæ, mortuus coadiutus.

Affirmare videtur Gonzalez *dicta glossa.* 5. §. 9. *num.* 53. Et mouetur; quia in coadiutoria cum futura successione duplex est gratia concessa, altera coadiuuandi proprietarium, & in fauorem illius facta; altera in fauorem coadiutoris; conceditur enim coadiutori vt possit pro coadiuto inseruire. Item successio in præbenda, quoties per cessum, vel decessum coadiuti vacauerit, sed hæc secunda gratia à prima non pendet. Ergo datur locus successioni quamuis coadiutoriæ locus non sit. Et confirmatur ex formula coadiutoriæ; si quidem in ea dicitur concedi successionem, etiam si beneficium actualiter vacet de tempore datæ ex tunc & econtra, &c.

Cæterum omnino tenendum est, si tempore datæ mortuus fuerit coadiutus coadiutorem succedere non posse: sic Garc. 4. *part. de benefic. c.* 5. *num.* 132. Ratio est clara; quia esto in coadiutoria duplex sit gratia concessa. At vna est ab alia dependens: datur enim coadiutori futura successio in remunerationem obligationis, quam subit pro coadiuto inseruiendi, sed mortuo coadiuto tempore datæ nullam subit obligationem. Ergo neque successionem obtinere potest. Et confirmo; coadiutori ius ad beneficium vacaturum conceditur. Tum quia conceditur successio in beneficio à coadiuto possesso. Tum quia conceditur coadiutori, quatenus talis est. At si beneficium tempore datæ vacat, concedi non potest ius ad beneficium vacaturum, neque coadiutori, quatenus talis est. Ergo Neque obstat dicere Pontificem concedere coadiutori successionem in beneficio, etiamsi beneficium actualiter vacet; quia non intelligitur de vacatione de facto, sed de iure, hoc est etiam si de iure beneficium tunc vacare debeat, successionem coadiutori concedi. Vnum tamen est omnino certum, si tempore expeditæ gratiæ viuat coadiutus, moriatur tamen paulo post, quamuis coadiutor notitiam illius non habuerit; neque coadiutoriam exercere inceperit, datur locus successioni. Quia gratia successionis effectum sortita est à tempore datæ: sic Garc. *supra.*

35 Vigesimosexto dubitatur. an possit coadiutor in electionibus, prouisionibus, aliisque actibus committere vices suas, sicut potest coadiutus; Certa est resolutio, posse. Tum quia coadiutor, etsi locum coadiuti teneat, eiusque personam repræsentet: at illam repræsentat nomine Ecclesiæ, & ex authoritate ab illa accepta, non ex authoritate accepta à coadiuto. Tum quia coadiutor, non est coadiuti procurator, sed Ecclesiæ, vt ob hanc causam non possit alteri committere vices suas. Tum denique, quia esto esset coadiuti procurator, est procurator generalis ad beneficij administrationem, non specialis ad aliquod particulare negotium Potest ergo vices suas committere iuxta *textum in cap.* 1. *§. fin. de procurator. in* 6. & tradit Garcia *dicta* 4. *p. de beneficiis, cap.* 5. *n.* 135.

36. Vigesimoseptimo dubitatur, an habens dignitatem, ratione cuius dare vocem in capitulo potest, si coadiutor fiat alicuius canonici duplicem vocem habeat, vel econtra Et quidem si habens dignitatem, & canonicatum simul, duplicem vocem habeat, vt de iure habere debet, quoties dignitati competit vocem habere in capitulo, vt aliis relatis tradit Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 5. *num.* 211. nemine esse potest dubium, hunc coadiutorem duplicem vocem habere debere. Quare quæstio solum procedit, cum ex consuetudine, aut priuilegio habetur, habentem dignitatem, & canonicatum in proprietate, vnicam vocem dare posse in capitulo, esto si dignitas, & canonicatus in diuersis essent, duplicem vocem concederent, an inquam dignitatem habens in proprietate, & canonicatum in coadiutoria duplicem vocem obtineat? Negat Garcia *dicto cap.* 5. *num.* 136. Mouetur, quia coadiutor non debet esse melioris conditionis, quam proprietarius; at proprietarius dignitatis, & canonicatus vnicam habet vocem; ergo coadiutor duplicem habere non potest. Item coadiutor seruit beneficio nomine proprio, seu Ecclesiæ, non nomine coadiuti. Ergo vocem tribuit non solum ratione dignitatis, sed etiam coadiutoriæ: vtrique enim titulo vox vna correspondet, sicuti corresponderet, si in proprietate canonicatum haberet. Ex quo infertur ob dationem coadiutoriæ non confundi vocem canonicatus, cum coadiutor, tum vt canonicus, tum vt dignitas vocem tribuat, vnicam tamen vtrique titulo correspondentem.

37 Nihilominus mihi verius apparet dignitatem coadiutorem canonicatus, aut econtra duplicem debere habere vocem in capitulo, nisi in contrarium præscriptum sit consuetudo. Mouetur; quia esto proprietarius dignitatis & canonicatus duplicem non habeat vocem; hoc ex iure non competit, sed ex consuetudine: ex iure enim duplicem habere debeat, posito quod

dignitati

dignitati vocem dare in capitulo competat. Ergo si respectu coadiutoris hæc consuetudo præscripta non sit, ad coadiutorem canonicatus, & in proprietate dignitatis extendi non debet consuetudo, cum sit iuri contraria. Item coadiutor etsi nomine proprio beneficio inseruiat, at non seruit sibi, sed coadiuto, proprietarius autem sibi ipsi inseruit. Ergo quamuis proprietarius dignitatis, canonicatus vnicam habeat vocem, non infertur proprietarium dignitatis, & canonicatus coadiutorem vnam habere, quia non latis percipitur quomodo vnica voce & sibi, & coadiuto inseruiat. Deinde si coadiutor esses tum dignitatis, tum canonicatus in diuersis personis existentium, duplicem habere posses vocem, quia aliàs non satis repræsentares diuersas coadiutorias, & Ecclesia conqueri posset ratione coadiutoriæ sibi adimi vocem, quam in coadiutis habet. Sed idem prorsus est eum dignitatem in proprietate habes, & canonicatum in coadiutoria. Ergo. Denique si coadiutus per se vellet vocem dare in capitulo, posset non obstante quod coadiutor suam det ratione dignitatis, quam habet in proprietate. Ergo posset alteri vices suas committere. Non enim ex assignatione coadiutoris impeditur, sed has vices habet coadiutor sibi commissas non à coadiuto, sed à Pontifice vtriusque superiore. Ergo non obstante quod vocem tribuat in capitulo ob suam dignitatem quam in proprietate habet, poterit aliam dare ob facultatem à Pontifice in coadiutoria concessam.

38 Vigesimo octauo dubitatur; an habens coadiutorem in dignitate, & canonicatu possit ipse inseruire dignitati; & facere quod coadiutor canonicatui inseruiat, & econtra, ita vt vterque det vocem in capitulo? Affirmatiuè respondet Garc. *d. 4. part. cap. 5. num.* 137. & benè, quia hoc cedit in vtilitatem Ecclesiæ.

39 Vigesimonono dubitatur; an coadiutor dignitatis, seu canonici possit esse iudex apostolicus, seu delegatus Papæ, iuxta *cap. statutum. de rescriptis. in 6.* & iudex synodalis, iuxta decretum Trident. *sess. 25. cap. 12. de reformat.*

Negat Garcia *4. p. de benefic. cap. 5. num.* 138. Quia hæc munera committi non possunt, nisi dignitates, & canonicatus obtinentibus, at coadiutor dignitatis, & canonicatus, neque est dignitas neque canonicus. Ergo non potest esse iudex delegatus, neque synodalis. Cæterum crederem hos coadiutores posse esse iudices delegatos, & synodales. Nam esto, non sint propriè canonici, & dignitates: habent tamen omnes præeminentias, prærogatiuas, & honores, qui dignitatibus, & canonicatibus conceduntur. Item fictione iuris canonici sunt, & dignitates, & ita tradit Acosta de Andrada *in explicat. bullæ cruciatæ quæst. 75.* & multis exornat Gonzalez *gloss. 5. § 9. à num. 2.*

40 Trigesimo dubitatur; an coadiutor studens, vel legens in vniuersitate, vel in seruitio Episcopi occupatus, vel officium inquisitoris exercens, habeatur pro præsente, lucretur fructus, & distributiones coadiuto, ac si personaliter resideret. Ratio dubij est; quia coadiutus ex qualibet harum causarum à residentia excusatur, & fructus suæ præbendæ lucratur in absentia. Ergo idem est concedendum coadiutori. Tum quia priuilegia, prærogatiuæ: & exemptiones coadiuto competentia ratione præbendæ, competunt coadiutori. Tum quia coadiutor ex causa infirmitatis, aliove legitimo impedimento detentus excusatur à residentia, & lucratur præbendam coadiuto. Ergo idem esse potest ex causa studij, & seruitij Episcopi, & sanctæ inquisitionis. Tum quia coadiutori conceditur tempus recreationis, quod coadiuto conceditur. Ergo à fortiori concedi debet priuilegium studendi, & inquisitioni seruiendi. Nihilominus probabilius censeo, coadiutorem his priuilegiis gaudere non posse, sic tenet Garcia *quarta parte de benefic. capite quinto. num.* 139. Mouet; quia hæc priuilegia conceduntur iis, qui ratione beneficij obligati sunt residere: iis enim conceditur, vt possint studentes, & legentes in vniuersitate, Episcopo, & inquisitioni seruientes fructus suorum beneficiorum lucrari. At coadiutores non obligantur residere ex beneficio, sed ex officio, & munere coadiutoriæ acceptæ, & quasi ex contractu. Ergo supradicta priuilegia illis competere non possunt. Et hinc constat differentia inter coadiutorem, & coadiutum: coadiutus namque illa priuilegia habere potest; quia habet beneficium, & percipit fructus, & ratione beneficij obligatur residere, à qua residentia ob illas causas ex priuilegio excusatur. At coadiutor nec habet beneficium, nec sibi, sed alteri, scilicet coadiuto fructus lucratur, nec ex beneficio, sed ex officio, & munere ad residentiam obligatur; non igitur excusari potest ex supradictis priuilegiis. Bene tamen excusari potest ex infirmitate, & alio simili impedimento; quia non censetur ex officio, & munere obligari ad residentiam impossibilem. Et ex eadem ratione excusatur mensibus recreationis; quia obligatio coadiutoris debet esse naturæ humanæ attemperata; ac proinde debet illi concedi recreatio, & leuamen, quod aliis beneficiatis conceditur. Et ex his soluitur ratio dubitandi. Ad illud vero quod dicitur, coadiutori concedi priuilegia, & exemptiones coadiuto competentes ratione præbendæ, admitti potest. sed inde non infertur coadiutori hæc priuilegia cõcedenda esse, quia hæc priuilegia non competunt coadiuto ex præbenda, sed ex fauore vtilitatis communis, quæ ex conuersa plurium ad studendum, & legendum in vniuersitate, & ex seruitio Episcopi, & sanctæ inquisitionis resultat.

41 Trigesimo primo dubitatur, an in Ecclesiis, in quibus canonici, seu beneficiati seruientes in Ecclesia cathedrali lucrantur distributiones, & fructus aliorum beneficiorum, quæ obtinent in eadem ciuitate, vel diœcesi, coadiutores hoc priuilegio potiantur.

Negat Garcia *dicta quarta parte de benefic. cap. 5. num.* 140. quia hoc priuilegium conceditur canonicis, & beneficiatis, at coadiutor neque est canonicus, neque beneficiatus, sed est deputatus ad ipsum, vt bene infert glossa *in capite primo de consuetud. in 6. verbo administrationes. per textum. ibi*, & glossa *cap. statutum. de rescriptis. eodem lib. verbo canonicus.* Neque obstat coadiutori concessa esse priuilegia, & exemptiones, quæ conceduntur coadiuto ratione præbendæ; quia debet intelligi quoad seruitium, & residentiam, aliaque in coadiutoria expressa.

Cæterum ego crederem supradictum coadiutorem coadtoriæ inseruientem luctari fructus aliorum beneficiorum, si quæ habet in illa, vel aliis Ecclesiis residentiam expostulantium. Moueor, quia hæc priuilegia conceduntur canonicis, & beneficiatis in gratiam cathedralis seruitij, quod illo priuilegio prætenditur promoueri; sed coadiutor æquè ac canonicus proprietarius Ecclesiæ cathedrali inseruit. Ergo dignus est eo priuilegio gaudere. Item coadiutor esto canonicus, & beneficiatus propriè non sit, attamen in communi hominum existimatione sic reputatur, & nominatur. Ergo priuilegia canonicis concessa, quæque bonum publicum spectant, ad ipsos extendenda sunt. Deinde si coadiutor canonicatus luctari non potest seruiens canonicatui fructus beneficij residentiam expostulantis, quod simul habet, tenetur illud dimittere, & si post. obtentam coadiutoriam illud obtinuit, vacat, ex *clement. Gratia. de rescript.* Quia nemo potest beneficium retinere, cuius muneri satisfacere non potest. Ergo si admittimus coadiutorem alia beneficia residentiam habentia ob inire, dicendum est vti posse priuilegio, quo vti posset, si vt proprietarius inseruiret. Vnum tamen debet esse certum, coadiutum non posse fructus aliorum beneficiorum quæ habet luctari ob seruitium coadiutoris. Tum quia non est æquum ex vna actione duo specialia prodire in graue Ecclesiæ detrimentum, qualia sunt coadiutum, & coadiutorem fructus suorum beneficiorum luctari ex vnico seruitio præstito. Tum quia illud videtur esse priuilegium concessum in fauorem personalis seruitij, sicut & priuilegium iubilationis. Non igitur debet extendi ad coadiutum.

42 Trigesimosecundo dubitatur; debeatne coadiutor ordinem habere, quem petit dignitas, præbenda, seu beneficium, quod in coadiutoria suscipit? Distinguendum est de coadiutoriis perpetuis, & ad tempus, & dicendum coadiutorias ad tempus non esse concedendas, nisi habentibus ordinem, quem petit beneficium ministrandum; & in beneficiis parochialibus est res omnino certa. Non enim fieri posset satis beneficij obligationibus, si coadiutor constitutus ad supplendum coadiuti defectum, ministrare sacramenta non posset, deberet ergo ad hoc munus obeundum alius coadiutor concedi. At si coadiutor perpetuus constituatur alicuius dignitatis, vel canonicatus cathedralis Ecclesiæ curam animarum habentis, credo constitui posse; qui ordinem habeat tali præbendæ annexum; modo in ea ætate, & dispositione constitutus sit, vt intra annum suscipere illum possit. *argument. textus in capit. licet canon. cap. commissa. de electione. in 6. & clement. unica. de officio vicarij.* Quia coadiutor loco proprietarij subrogatur. Non igitur obligandus est magis quam proprietarius: sic Flamin. Parisius *lib. 4. de resign. quæst. 9. num.* 19. Gonzalez *reg. 8. Cancell. gloss. 5. § 9. num 6. & 90* Garcia, *4 part. de benefic. cap. 5. num.* 141. cum Rota *decis* 347. *num* 3 *lib. 3 part 3. diuers.* & apud Verall. *decis.* 127. *part. secunda.* Dixi coadiutor perpetuus alicuius dignitatis, vel canonicatus non habentis curam animarum; nam sit coadiutor beneficij curam animarum habentis, existimo debere constitui actu sacerdotem, neque sufficere, vt intra annum ordinetur. Quia huiusmodi coadiutor datur, vt per se sacramenta ministret, quæ absque sacerdotali ordine administrari non possunt. Neque obstat proprietarium obligatum non esse tempore susceptionis habere illum ordinem; quia non obligatur intra annum possessionis beneficio inseruire per se, sufficit, si per alium inseruiat. At coadiutor à die susceptæ coadiutoriæ obligatur per se inseruire; quia non debet signari alius coadiutor coadiutoris; debet ergo ordinem, & qualitates habere seruitio requisitas. in quo est maxima differentia inter beneficium curatum, & non curatum, nam beneficium carens cura, quale est canonicatus, ministrari anno integro potest à clerico in minoribus ordinibus constituto; quia obligatio canendi epistolam, vel euangelium non ita stricta est: secus vero in beneficio curato, cuius minister dispositus esse debet ad sacramentorum administrationem quolibet tempore, vt pote maximè necessariam.

43 Sed adhuc est difficultas, an coadiutor canonici, seu dignitatis

dignitatis non curatæ debeat intra annum suscipere ordinem tali præbendæ annexum, sicuti si proprietarius esset? Et quæstio procedit, casu quo obligatus sit pro proprietatio inseruire. Nam si à seruitio excusetur, nulla apparet causa obligationis, cum titulum beneficij non habeat. Posita vero obligatione seruiendi, adhuc alicui posset videri obligatum non esse, saltem sub graui culpa intra annum ordine præbendæ annexo insigniri: quia hæc obligatio annexa est præbendæ, non illius seruitio: seruitium namque præbendæ fieri potest; quia actus ordinis sacri exerceatur. Cum ergo coadiutor, præbendam non habeat, sed seruitium: non videtur hac obligatione teneri. Item coadiutor ad solam causatiuam obligationem videtur teneri, hoc est si in seruitio deficiat satisfaciat coadiuto, non autem videtur teneri ad obligationem præcisam. Rationes hæ leues sunt, neque ob illas recedendum est a secura sententia, affirmante suptadictum coadiutorem obligatum esse, sicut & proprietarium, ordine præbendæ annexo insigniri. Quia ex coadiutoria accepta obligatur non solum satisfacere coadiuto, si non seruiat, sed obligatur ad seruiendum: aliàs Ecclesiæ non satis esset prouisum. At seruitium præbendæ habentis ordinem aliquem annexum, exerceri non potest sine tali ordine: ideo enim præbenda ordinem sibi annectit, quia seruitium illius illum ordinem expostulat. Ergo coadiutor obligatus seruire præbendæ, obligatur qualitates habere seruitio requisitas.

44 Trigesimotertio dubitatur; teneatur ne coadiutor subire onera canonicorum iuniorum, an tantum solius sui coadiuti? Clara est resolutio, obligatum non esse subire alia onera, nisi sui coadiuti, quia tantum loco illius subrogatur, neque ipse est canonicus, vt propterea onera canonicorum subire debeat, Garcia *dict. 4. part. de benefic. c. quinto. n.* 142.

45 Trigesimoquarto dubitatur; an multæ ordinariæ, quæ præbendatis imponi solent ob culpas, & defectus in seruitio commissos, imponi eis possint ob culpas, & defectus in tali seruitio commissos à coadiutoribus? affirmatiuè respondendum est cum Garcia *dicto capite quinto numero* 143. Quia coadiutoris defectus censetur proprietatij defectus esse; in tantum enim proprietarius à residentia excusatur, in quantum medio coadiutore residet. Ergo si coadiutor deficit, ipse deficere censetur. Verum si coadiutus à residentia excusatus esset ob infirmitatem, vel aliud impedimentum legitimum, non videtur ob coadiutoris defectum multari posse; quia cum non teneatur ipse inseruire, neque tenetur per coadiutorem: ergo æquum non est, vt multetur ob coadiutoris defectum. Neque obstat coadiutorem non habere præbendam, in qua multetur; quia sufficit, vt multari possit in aliis bonis, & coadiutoria priuari, si non corrigatur. Ex quo à fortiori constat ob defectus alios coadiutori extra seruitium præbendæ commissos, nequaquam posse coadiutum multari, quia ipsi coadiuto tribui non possunt: sic Garcia *supra*,

46 Trigesimoquinto dubitatur, possint ne Ecclesiæ cathedrales coadiutores assignatos à Papa non admittere, aut illorum potestatem, & authoritatem limitare?

Clarum est id fieri non posse; quia dispositionem superioris nequit inferior mutare: *c. inferior. de maiorit. & obedient. & clementi ne Romani. de electione.* Alias inferior esset ipso superiore superior: sic Garcia *dict. quarta parte de benefic. capit. 5. numero* 144.

47 Trigesimosexto dubitatur; an teneatur coadiutus coadiutori congruam sustentationem ministrare? Respondeo teneri, si deseruit, *ex capit. cum secundum Apostolum. de præbendis*, & Trident. *sess. 21. capit. sexto de reformat.* qui altari seruit, de altari viuere debet; & tradit, aliis relatis, Garcia *dicto capite quinto, numero* 145. Gonzalez *gloss. 5. §. 9. numero 96.* Limitandum tamen est, nisi ipse coadiutor huic stipendio cesserit, vt communiter cedere coadiutores solent cõtenti futura successione. Qua cessione facta gratis seruire tenetur; quia sua voluntate illam suscepit obligationem. Verum si ob paupertatem imporens reddatur Ecclesiæ decenter seruire, obligatus erit coadiutus ea illi ministrare, quibus potens reddatur; quia non est censendus coadiutor cessisse huic stipendio ita necessario, esset enim cessio irrationabilis, & in graue Ecclesiæ detrimentum,

48 Trigesimo septimo dubitatur, an coadiutor teneatur mentionem facere de beneficiis obtentis, vt gratia coadiutoriæ firma sit? & quidem si beneficia residentiam expostulant cum seruitio coadiutoriæ incompatibilem, clarum est fieri debere mentionem; quia simul retineri non possunt. At si beneficium sit simplex, neque residentiam incompatibilem cum coadiutoria habeat, nonnulla dubitatio est, debeat ne fieri illius mentio in coadiutoriæ gratia, si quidem coadiutoria beneficium non est, sed ius ad illud, & illius seruitium non impedit alterius beneficij possessi seruitio. Nihilominus dicendum est faciendam esse mentionem cuiuslibet beneficij possessi, & iuris ad illud, aliàs coadiutoria cum futura successione nulla erit, colligitur ex *cap. si motu proprio. de prebendis. in 6. & clement. 2. de offic. ordinar.* Nam esto in illis textibus sermo sit de collatione beneficij, & non de iure ad ipsum, quamque collationem irritat Pontifex, si facta fuerit habenti beneficium, cuius in impetratione non fecerit mentionem. At cum ex iure ad beneficium collatio beneficij inferatur, & sit quasi quædam anticipata collatio, exequenda tamen tempore vacationis, sit sane faciendam esse cuiuslibet beneficij mentionem, sicuti si de facto non ius ad beneficium, sed ipsum beneficium collatum esset: sic Garcia *4. de benefic. c. 5. num.* 146.

49 Trigesimo octauo dubitatur, an ob omissam expressionem beneficij à coadiutore habili coadiutoriæ gratia nulla sit, non solum quoad futuram successionem, sed etiam quoad seruitium? Optime respondet Garc. *supra num.* 147. esse nullam; quia coadiutor non se obligare intendit ad seruitium beneficij, nisi successio ei concedatur, neque Pontifex alia via obligat, nisi successionem concedendo. Cum ergo tacens beneficium habitum non obtineat ius succedendi, non videtur obligatus beneficio seruire.

PVNCTVM XI.

De pensione, eiusque qualitatibus.

MAximè necessaria est huius materiæ cognitio; quia vsus illius frequens est, & pluribus difficultatibus implicatus. Claritatis gratia in plures §§. diuidemus, quibus omnia, quæ de pensione frequenter occurrunt, pro viribus explicabimus.

§. I.

Quid sit pensio, quotuplex, & an sit beneficium.

1 *Explicatur definitio pensionis.*
2 *Duplex est pensio, spiritualis & temporalis.*
3 *Arguitur pensionem spiritualem beneficium esse, & sub beneficio comprehendi.*
4 *Resoluitur beneficium non esse, neque sub beneficio comprehendi.*
5 *Satisfit oppositis fundamentis.*

PEnsio est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio alicui iusta de causa, siue ad tempus, siue in perpetuum concessum: colligitur hæc definitio ex Cardinal. Archiatr. Imola. *clement. 1. de supplend. negligent. prælat.* Hieronym. Gigant. *de pensionib. quæstion. 1. & 28.* Gonzalez *in regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 5. numero 25* Ioanne Azorio *2. part. institut. moral. lib. 3. capit. 5. in princip. & lib. 8. capit. 5. quæstion. 1.* Leonard. Lessio *lib. 2. de iustitia. capit. 34. dub. 37. numero 201.* Garcia *de benefic. 1. part. cap. 5. §. 1. à numero 162.* Tolet. *in Summ. lib. 5. cap. 82.*

Dixi esse *ius percipiendi fructus alicui concessum*; quia negari non potest pensionarium habere ius exigendi ex beneficio portionem sibi signatam: est enim quasi vsufructuarius beneficij debet tamen esse ius percipiendi fructus ex alieno beneficio ex proprio namque non percipis pensionem cum totum tui sit. Hoc ius ad tempus, & in perpetuum conceditur. Ad tempus conceditur, si concedatur tibi dum studiis vacueris, vel aliud ministerium exercueris. In perpetuum conceditur, si pro tua vita concedatur.

2 Duplex est pensio in genere loquendo: alia spiritualis alia temporalis. Spiritualis statum clericalem in pensionario requirit. Temporalis secus. Item spiritualis expostulat spirituale officium, ex constitutione pij V. nempe recreationem officij B. Virginis. Temporalis nullum spirituale ministerium expostulat. Hinc fit portionem extractam ex aliquo beneficio esse pensionem spiritualem, si clerico, quatenus talis est, concedatur temporalem si laico ob ministerium temporale exercitum, vel exercendum fuerit concessa.

3 Dubium tamen est; an pensio Ecclesiastica, & spiritualis sit beneficium? Dixi, *Ecclesiastica*: nam temporalem, certum est, beneficium non esse cum non sit ius spirituale percipiendi fructus, sed temporale, quale est concessum Hispaniæ Regibus, qui tertiam partem fructuum ex omnibus ferè beneficiis recipiunt ob seruitium præstitũ Ecclesiæ in extirpatione hæreticorum, aliorumque infidelium, & quale conceditur famulis, & ministris Ecclesiæ seruientibus in pulsatione organorum, in figurato cantu, in ostiorum apertione, in rerum Ecclesiasticarum custodia, in Ecclesiæ patronicio, & similibus; & quale habent patroni, qui in fundatione Ecclesiæ aliquos fructus sibi reseruant: omnes enim ij tituli temporales sunt ob seruitium temporale præstitum, vel præstandum. Et de his certum est non esse beneficia Ecclesiastica.

Solum de pensione spirituali, & Ecclesiastica est controuersia; an sit beneficium, vel saltem appellatione beneficij comprehendatur? Affirmat Gambatus *de officio legati. lib. sexto. num.* 309. Paul. Roman. *de pensionibus capit. sexto. num.* 34

& c.7 n.16. sequentes Andream Barbatiam *in cap. ad audientiã. 2. de rescript.* Moueri possunt primo ex *dict. cap audientiam* ibi; *recipientes ab eis annuas pensiones, seu alia beneficia* pronomen enim *alia*, similia denotat, & constat ex *leg. si fugitiui.* ibi, *alia pœna. Codic. de seruis fugitiuis, iuncta gloss. fin.* quæ ait, *alia pœna, scilicet similis*, & tradit Menochius *libro primo de arbitrar. quæstion. 80. num. 122.* Gutierr. *de iurram. prima parte cap. 14. num 23. fine.* Ergo denotat pensiones beneficia esse, Secundo, pensio loco beneficij subrogatur, vt contingit in clerico, qui beneficium resignat, reseruata sibi aliqua pensione, sed subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur. *leg. si cum § iniuriarum. ff. si quis cautionibus. leg. filiæ suæ § Titia. ff. de conditionib. & demonstrat.* & pluribus exornat Anton. Gabriel. *titul de Reg. iuris. conclus. 2 per totam.* Tiraquel. *de retract. lignag. § 12 gloss. 1. à num. 12.* Tertio, beneficium Ecclesiasticum definitur, vt sit ius spirituale percipiendi fructus, sed pensio concessa in titulum est ius spirituale percipiendi fructus. Quod autem pensio non sit ius perpetuum, sed temporale, non videtur sufficiens esse ad diuersitatem specificam concedendam.

4 Cæterum tenendum est, pensionem Ecclesiasticam beneficium non esse, neque sub illius appellatione venire: sic post alios antiquiores Azor *instit. moral. 2 p. lib. 3. cap. 5 quæst. 2. & lib. 8. cap. 1. 9. 4. & 5.* Tolet. *in sum. lib. 5. cap. 82. n. 2.* Gonzalez *ad reg. mens. gloss 3. § 5. in princ.* Garcia *de benefic. 1. part. capit. 5. numero tertio.* Et videtur decidi in *cap. quamuis. de prabendis, in 6.* ibi, *non pensime, sed in beneficiis Ecclesiasticis volumus prouidere* & in Trident. *sess. 21. cap secundo de reformat.* vbi pro ordinibus suscipiendis diuersimodè loquitur de habente beneficium, vel pensionem. Ratione vero probatur: nam beneficium est ius spirituale perpetuum percipiendi fructus ob ministerium spirituale; quia beneficium datur propter officium. At pensio non est hoc modo ius spirituale perpetuum. Tum quia pensionarij vita finitur, & extinguitur, neque in ea datur successio; secus in beneficio, quod morte beneficiatij non extinguitur, sed vacuum est, vt per alios possideri possit. Tum quia spiritualitas iuris, pensionis, & beneficij est diuersa; quia beneficium semper fundatur in spirituali officio, & ministerio. At spiritualitas pensionis non in officio, sed in personæ qualitate fundatur. Non enim pensio concessa in titulum datur ob officium spirituale, tametsi illius detur obligatio ex lege, sed datur in subsidium vitæ, & alimentum.

5 Neque obstant fundamenta contraria. Ad primum ex *cap. ad audientiam*, dico dictionem *alius*, non semper ampliare eandem qualitatem præcipuè cum ex subiecta materia aliquod absurdum sequitur vt manifestè constat ex illo *Matth. 28. & Marci 15.* vbi de Christo Domino dicitur, *cum eo crucifixi sunt alij duo latrones*; & ex *cap Nouatianus. septimo. quæstion. prima* alios pseudoprophetas, & tradit Glossa *capite sedes. verbo maiores. de rescriptis*, & ibi Imola *n. 11.* Felin. *n. 6.* & alijs allegatis, Thom. Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 20. num. 8.* Ad secundum nego subrogatum habere eandem qualitatem cum eo, cuius loco subrogatur, tametsi illius naturam imitetur, & in præsenti materia est exemplum manifestum in patrimonio, quod ad suscipiendos ordines loco beneficij subrogatur, cum tamen nequaquam beneficium sit. At tertium constat ex probatione nostræ conclusionis ius pensionis esse omnino diuersum à iure per beneficium collato.

§. II.

Quis possit in beneficiis pensionem imponere. Et ex qua causa.

1 *Expenduntur causæ, ob quas Pontifex potest assignare pensionẽ.*
2 *Pensio imposita sine causa an valeat. Qui defendãt nõ valere.*
3 *Probabilius est oppositum.*
4 *Quid dicendum de Episcopis? Remissiuè respondetur.*
5 *Qualiter legatis concessa sit potestas imponendi pensiones.*
6 *Nullatenus absque causa ordinarius, ne legatus imponere valide pensionem potest.*
7 *Pontifex de plenitudine suæ potestatis imponere pensionem potest in beneficiis iurispatronatus laicorum absque consensu patroni.*
8 *De Episcopo aliqui affirmant.*
9 *Contrarium est probabilius.*
10 *Explicatur quædam Garc. limitatio.*

1 DE potestate Pontificis nullus dubitare potest, cum penes ipsum sit bonorum omnium Ecclesiasticorum administratio, *cap. 2. de prabendis. in 6. & clem. prima in fine. vt lite pendente.* Gigas *de pension. quæst. 6. num. 1.* Garcia *1. part. de benefic. cap. 5 num. 274.* Quapropter & temporalem, & spiritualem pensionem imponere potest, vt probant texti, & doctores relati. Debet tamen iusta causa duci in huius impositione. Iusta autem erit, si in vtilitatem Ecclesiæ cedat talis impositio, quod semper præsumendum est, dum contrarium non constet. Gigas *quæstione prima, numero quarto. & quæst. 5. num. 7.* Garcia *de benefic. 1. part. cap. 5. num. 278.* Quod si in particulari inquiras causas iustas imponendi pensionem? Respondeo pro pensione temporali debet esse seruitium aliquod Ecclesiæ faciendum ab ipso pensionario, in cuius stipendium illa fructuum Ecclesiasticorum portio à beneficio seiungitur, vel potest esse seruitium aliquod factum ab ipso pensionario, vel à suis consanguineis, in cuius obsequij gratitudinem illa pensio conceditur. Pro pensione spirituali duplex causa assignatur à doctoribus, sub qua multiplex comprehenditur, lucrativa scilicet, & onerosa. Lucrativa, cum ob causam aliquam piam, & honestam reseruatur tibi ex alieno beneficio pensio, verbi gratia, quia studijs vacas, hospitalitatem exerces, honestè viuis, aut alia via de Ecclesia es benemeritus. Onerosa causa; quia sub onere aliquo pensio tibi conceditur, vt contingit, cum conceditur tibi pensio, quia beneficium Possessum resignas, iuxta *cap. super hoc de renunciat.* vel quia cedis liti, & iuri pretenso, iuxta *cap. nisi de prabendis* vel quia tuum beneficium cum altero minori permutas, *cap. ad quæstiones. de rerum permutat.*

2 Dubium tamen est, an pensio imposita à Pontifice absque causa legitima valida sit, & pensionarius licitè illam retinere possit? Et quidem si Pontifex putauit legitimam causam adesse, cum tamen non sit, nulla est concessio, quia est contra voluntatem Pontificis, qui nunquam est præsumendus velle, absque causa beneficia grauare: sic Gigas *de pension. quæst. 5. num. 5.* Azor. 2 *part. instit. moral. lib. 8. cap. 5. quæst. 8. ad finem.* Flamin. Parisius *lib. 6. de resignat. quæst. 2. num. 77.* Garcia *de benefic. 1. part. cap. 5. n 280.* At quando certò constat, Pontificem liberam suam voluntatem ductum voluisse beneficia grauare, & onus pensionis imponere, plures doctores censent illicitam, & inualidam esse pensionis impositionem, neque obtinentem retinere posse: sic Victor *relect. de Simonia. n. 50. & 51.* Arag. 2. 2. *quæstion. 63 articul. 2. versic. de annuis autem pensionibus.* Gambarus *de officio legati. libr. 10. num. 386.* Eman. Rodriq. *in summ. 2. tom. cap 21.* Vega *in summ. 2 part. capit. 65. casu 6.* Petr. Ledesma *2. part. Summ. tractat. 7. capit 1. & tractat. 12. conclus. 21.* Tolet. *summ. lib. 5. cap. 83. n. 1. versi. secunda est.* Lussius *de iustit. lib. 2. cap. 34 n. 204.* Gab. Vasq. *in opusc. de benefic. cap. 2. §. 3. dub 11. à num. 68.*

Ratio est, quia Pontifex non est dominus beneficiorum neque illorum fructuum, alias sine culpa posset in quemcunque vsum de illis disponere: sed est illorum administrator, & dispensator, iuxta illud Pauli 1. *ad Corinth. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* At si dispensator, & distributor ius non habet dispensandi, & distribuendi, nisi quatenus visum fuerit ei, cuius est dispensator, & distributor. Christus autem dominus, cuius Pontifex est dispensator, & distributor, non consentit in distributione Ecclesiasticorum bonorum, quæ Ecclesiæ nociua sit, qualis est pensio beneficijs absque causa imposita. Ergo inualidè Pontifex illam imponit, & inualidè accipit pensionarius.

3 Cæterum mihi probabilius est, pensionem à Pontifice sine causa impositam validam esse, & securè à pensionario accipi, tametsi illicitè fuerit imposita, & à Pontifice debeat reuocarisic expressè docuit Cordub. *lib. 1. qq. q. 11. punct. 11.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 8 cap. 5. q. 8.* & multis allegatis, Garc. *de benefic. 1. p cap 5. n. 275.* Gigas *de pensionib. q. 6. à n. 6. & q. 10.* Flamin. *de resignat. lib. 6 q. 2. n. 131. & 155.* Sanch. *lib. 7. in decal. cap. 29. n. 97.* Et quidem illicitam esse talis pensionis impositionem est manifestum. Tum quia generale est quamlibet actionem sine legitimo fine factam illicitam esse. Tum quia contra rationem est bona Ecclesiæ dispensare extra finem, ad quem fuerunt relicta, sed fuerunt relicta pro bono Ecclesiæ, & in augmentum fidei, & diuini cultus, vt de se constat. Ergo distributio, quæ in bonum Ecclesiæ non cedit, qualis est impositio pensionis sine causa, illicita est. Quod autem valida sit, probo, quia negari non potest dominium ecclesiasticorum bonorum penes Ecclesiam residere, & consequenter penes Pontificem, tanquam illius caput, & superiorem. Ergo si Pontifex hæc bona alienet, valide alienat, tametsi alienationem ipse, & successor reuocare possint, & debeant. Deinde esto Pontifex beneficiorum & Ecclesiasticorum fructuum dominus non sit, sed solum dispensator, & distributor, si tamen inter clericos illa bona dispenset, valida est talis dispensatio etiam sine causa, quia talis dispensatio non est in substantia contra voluntatem Ecclesiæ, & Christi, si quidem non est dispensatio extra Ecclesiam, sed solum in modo, & voluntate dispensationis est contra voluntatem Christi, & Ecclesiæ. Quod exemplo prouisionis beneficiorum confirmari potest. Beneficiorum enim collatio dignis facta, omissis dignioribus, illicita est, quia est contra bonum Ecclesiæ, & modum ab ipsa præscriptum at talis collatio valida est; quia non contradicit substantiali eius intentioni, quæ est vt ministris dignis collatio fiat. At si pensio non pro clericis, sed pro laicis imposita sit & Pontifex solum sit Ecclesiasticorum bonorum administrator, sicrma non erit ob rationem in prima sententia dictam, quia est

est contra voluntatem Ecclesiæ talis distributio, & alienatio.

4 De Episcopis est grauis difficultas; an pensionem imponere possint, & qua ratione? Quam difficultatem explicui *titul. vlt. de vitijs religioni oppositis: disput. vlt. de Simonia. punct. 16, & 19.* ibi enim resolumus, secundum probabiliorem sententiam, non posse ordinarium pensionem beneficio imponere, sed solum beneficiario, excepta causa pacis, & concordiæ.

5 Ex qua resolutione infertur, idem esse dicendum de potestate delegati à latere in beneficiis, quæ ipse conferre potest, vt sunt omnia non reseruata. *cap. 1. de officio legati. in 6.* & consequenter pensionem imponere poterit eodem modo, ac ordinarius: sic Azorius *tom. 2. institut moral. lib. 8. cap 6 quæstion. 2.* In beneficiis autem reseruatis nequaquam pensionem imponere poterit sicut neque ipse conferre. Gigas *quæstio. 6. de pensionib. num. 19.* Zechus *de benefic. & pensionib. cap. 11. num. 5.* Garcia *1. part. de benefic. cap 5. num. 285.* Nuntij aliique legati; quia per se non habent potestatem conferendi beneficia, à fortiori neque poterunt pensionem illis imponere. Gigas *dicta quæst. 6. num. 20.* Garcia *num 286.* Sed quid si eis hæc facultas conferendi beneficia concedatur? Distinguit Garcia *num. 292.* de facultate concessa simul cum ipsa legatione, vel ab illa separatim: & affirmat, si facultas conferendi beneficia fuerit iis legatis concessa simul cum ipsa legatione, posse beneficiis pensionem imponere; quia talis facultas est ordinaria; ac proinde sicut ordinaria, regulanda est, & extendenda. At si separatim à commissione legationis hæc potestas concedatur, tunc quia delegata est, restringi debet, vt non extendatur ad pensionis impositionem. Mihi tamen probabilius est, quocumque modo hæc facultas concedatur, nequaquam extendi ad impositionem pensionis: sic Gigas *de pensionib. quæstion. 6. numero 21.* Azorius *2. part. lib. 8. cap. 6. quæstion. 3.* Moueor; quia pensionis impositio sub collatione beneficiorum non comprehenditur. Ergo quantumcunque potestas conferendi beneficia extendatur, extendi non potest ad pensionis impositionem. Ordinarius autem non ex potestate conferendi beneficia pensionem imponere potest, sed quia à iure est ei specialiter concessum in causa pacis & concordiæ, *ex capit. de cætero. de transactionibus.* Quocirca admitto potestatem conferendi beneficia iis legatis in commissione concessam, esse ordinariam; eo quod eorum potestas legationis ordinaria sit, cui annectitur hæc potestas beneficia conferendi, eiusque qualitatem sortitur, ex *reg. accessorium de regul. iuris. in 6.* probat *text. in capit. transiato. de constitut.* ibi: Quia simul, & ab eodem, & sub eadem pensione vtraque data sunt, quod de vno dicitur, necesse est, vt de altero intelligatur. At nego talem potestatem ad pensionem imponendam extendi; quia impositio pensionis non est beneficiorum collatio. Quod confirmari potest ex iis, quæ tradit Garcia *dicta 1. part. de benefic. capit. 5. numero 289.* vbi affirmat Nuntios Hispaniarum habentes potestatem conferendi beneficia, quæ non excedunt valorem 24. ducatorum de camera, non posse pensionem vllam illis imponere. At hæc potestas simul cum legatione illis committitur, quod sufficiens non est, vt ad pensionis impositionem extendatur.

6 Aduerto tamen, quotiescumque ordinarius imponere pensionem potest, id ex iusta causa faciendum est; aliàs nulla erit talis impositio: vt ex communi omnium sententia docet Decius *cons. 437. num. 12.* Flamin. Paris. *de resignat. lib. 6. q. 2. num. 136.* Garcia innumeros referens, *1 part. de benefic. cap. 5. num. 196. & 322.* Et ratio est manifesta; quia pensionis impositio est regulariter contra ius. *cap. vnico. vt Ecclesiast. benefic. sine diminut. conser.* Quod Episcopus nequit absque causa derogare. Quod adeo verum est, vt pensio causam excedere non debeat, sed potius illi debeat commensurari, vt aliis relatis docet Garcia *num. 318.* Neque credendum est Episcopo asserenti adesse causam; quia in iis, quæ quis liberè facere non potest, ei non creditur, sed necessatio causam probare debet, ex *leg. si forte. 8. in fine de castrensi peculio.* Abbas *in cap. diuersis falsarius. n. 3. de clericis coniugatis.* Oldrad. *cons. 226.* Rebuff. *de pacifice possessor. n. 107.* Garcia *de benefic. 1. part. cap. 5. num. 326.* August. Barbosa *3. part. de potest. Episc. alleg. 85. n. 12.*

7 Rursus est difficultas, an Pontifex, & Episcopus in beneficiis iurispatronatus imponere pensionem possint absque consensu patroni?

Et quidem posse Pontificem de plenitudine suæ potestatis nemini potest esse dubium; quia omnia beneficia, & iuspatronatus illorum Pontifici subduntur. At non est censendus Pontifex eam voluntatem habere in beneficiis iurispatronatus laicorum, nisi id clarè exprimat, quia cedit in damnum Ecclesiæ quælibet huius iuris diminutio, sicut illius integra conseruatio in bonum Ecclesiæ redundat: sic Couarruuias *pract. cap. 36. numero 10* Gigas *de pensionib. quæstion. 24.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap 34. in fine numero 207.* Garcia, aliis relatis, *1 part. de benefic. cap. 5. num. 361.* Azorius *2. part. institut. moral. lib. 8. c. 2. quæst. 3* Dixi *in beneficiis iurispatronatus laicorum*, vt tacitè innuarem in beneficiis iurispatronatus Ecclesiastici non esse opus speciali derogatione, sic colligitur ex Garcia *supra*; & tradit expresè Lessius, Azorius & Doctores, *in cap. cum dilectus. de iure patronat.* & ratio est; quia ij patroni Ecclesiastici non ex fundatione, sed ex gratia Pontificis iuspatronatus obtinuerunt. Tum quia hoc iuspatronatus, comparatione iurispatronatus laicorum, est satis diminutum, siquidem non semper, sed quatuor tantum mensibus in anno exercetur; quæ rationes videntur sufficere, vt illius non sit necessaria expressa mentio.

8 De Episcopo variant doctores, an illis casibus, in quibus potest pensionem imponere, extendatur eius potestas ad beneficia iurispatronatus; ita vt in illis absque consensu patroni possit pensionem imponere? Affirmat Gigas *quæstion. 23.* Gambatus *de offic. legat. lib. 6. à numero 64.* Azorius *2. part. institut. lib. 8. capit. 8. quæstion. 2.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 34. numero 207.* Ratio esse potest; quia nullo iure cauetur esse necessariam huius iurispatronatus derogationem, & casu quo necessaria sit, quod non possit Episcopus illam præstare. Et quod non videtur necessaria, sic probo. Quia patrono nullum ex tali pensionis impositione præiudicium videtur accedere, si quidem ei relinquitur libera prouisio beneficij; fructus autem beneficij patrono non competunt nisi in necessitate, quæ cum non immineat, non est considerabilis; & dato quod immineret, ipse præferendus esset pensionario, vt pote qui prius in beneficio ius obtinuit. atgum. *leg. potior & leg. qui balneum. ff. Qui potior. in pignor. habeantur*, sed concesso aliquod fieri patrono præiudicium pensionis impositione; vnde probabitur Episcopum carere potestate faciendi tale præiudicium?

9 Nihilominus existimo nequaquam absque consensu patroni, & maximè laici, posse beneficio pensionem imponi ab Episcopo: sic Rebuff. *in praxi. 3. part. signat. num. 28. & 48.* Rochus *de iure patronat. verbo honorificum quæstion. 3.* & ex Parte consentit Garcia *1. part. de benefic. cap. 5. num. 359.* quatenus dicit non posse imponi pensionem, quæ transeat ad successorem in beneficio, quod est dicere non posse imponi pensionem beneficio, sed beneficiario. Zechus *de benefic. & pension. cap. 11. num. 7. ver. debet.* August. Barbosa *3. part. de potest. Episcop. alleg. 69. num. 21.* Moueor, quia negari non potest graue fieri præiudicium patrono grauando eius beneficium pensione, etiam si ad solam beneficiarij vitam grauatum sit; quia tali grauamine posito beneficium, quod aliàs maximè appetebatur, vix est qui illud suscipere velit. At Episcopus hoc præiudicium patrono inferre non potest. Tum quia hoc ius regulariter ex fundatione, & donatione prouenit, & Episcopus vltimis voluntatibus præiudicare non potest. Tum quia hoc iuspatronatus à Pontifice est approbatum, & confirmatum, & iuri à Pontifice concesso nequit Episcopus derogare.

10 Limitat Garcia *num. 360.* nisi magna adesset Ecclesiæ vtilitas; quia tunc posset Episcopus patrono vocato, & renuente, pensionem imponere. At ego credo ratò, vel numquam adesse posse Ecclesiæ necessitatem, vt non possit consensus Pontificis postulari, saltem vt pensio ad successores beneficij extendatur.

§. III.

Qui beneficiorum pensiones obtinere possunt.

1 *Qualiter laicus incapax sit pensionis.*
2 *Non solùm tempore nominationis, sed reseruationis clericus debet esse.*
3 *Debet pensionarius habitum clericalem deferre. si pensio 60. ducatos excedit.*
4 *Ante 14. annos nemo videtur capax Ecclesiasticæ pensionis.*
5 *Illegitimus dispensatus ad clericatum, non obinde censetur ad pensionem dispensatus, vt probabilius asseritur.*
6 *Inhabilitatus per sententiam ad beneficia, non est inhabilis ad pensiones. Secus si inhabilitas à constitutione procedat.*
7 *Reseruatio pensionis excommunicato, aut suspenso facta nulla est.*
8 *Quid dicendum de irregulari?*
9 *Qualiter religiosus incapax sit pensionis.*
10 *Dispensatum ad beneficia censeo probabilius esse dispensatum ad pensionem.*
11 *Quid si hanc dispensationem concesserit Episcopus?*

1 VT huic quæsito satisfaciamus, plures sunt difficultates examinandæ. Prima, an laicus capax sit pensionis? Pensionem temporalem ob ministerium temporale Ecclesiæ exhibitum, vel exhibendum, certum est laico concedi posse; & sæpè conceditur, non ab alio nisi à Romano Pontifice, cuius est fructus beneficij à beneficio disiungere, & profanos efficere. Quapropter de Ecclesiastica pensione est aliqua difficultas; an valeat si laico concedatur, qui facta concessione clericus efficitur. Ratio difficultatis ea est, quia pensio non est

beneficium, sed ius quoddam temporale separatum ab ipso beneficio vt tradit, Gigas *de pensionib. quæst.* 18. Cæter de Graffis *decis.* 3. *num.* 8. *de prabendis*, Gonzalez *reg.* 8. *cancell. glossa* 5. §. 5. *num.* 25. & plures relati à Garcia *de benefic.* 1. *part. cap.* 5. *num.* 7.

Cæterum omnino tenendum est inualidam esse reseruationem pensionis; si pensionarius clericus non sit. Tum quia ita habet stylus curiæ. Tum quia loco beneficij assignatur, & cum obligatione recitandi officium paruum B. Mariæ. Tum quia ita declaratum est à Pio V. in sua constit. 71. & à Sixto V. in constit. edita pro habitu, & tonsura à beneficiariis, & pensionariis deferendis, quæ est huius Pontificis 31. & tradit certum Nauarr. *consil.* 63. *de Simonia. num.* 6. Lessius *lib.* 2. *de instit. cap.* 34. *num* 203. Azorius 1 *part. institut. moral. lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 3 Garcia pluribus decisionibus Rotæ comprobans 1 *par. de benefi. c.* 5, *num.* 10. Tuschus *litt. B. concl.* 56. *n* 5 & 6. Vgolin. *de officio Episc cap.* 50 §. 6. *n.* 2 Ad rationem dubitandi nego pensionem Ecclesiasticam esse ius temporale, sed dico esse ius spirituale. Tum quia in statu spirituali fundatur, qualis est clericatus. Tum quia ex constitutione Pij V. officium spirituale habet annexum.

2 Supradictam doctrinam limitat Rota in causa Papien. prioratus 5. Michaëlis de la Iotio. 6. Iunij 1607 coram D. Lancelloto, vt procedat in reseruatione pensionis pro certa persona, secus verò cum pensio absolutè reseruatur pro persona nominanda. quia tunc videtur sufficere, vt persona nominanda tempore nominationis clericus sit, tametsi tempore reseruationis non fuerit; quia per ipsam nominationem ius ad pensionem habet, non per reseruationem, tametsi litteræ expediantur sub data reseruationis. Cæterum hæc limitatio non probatur Garciæ *de benefic.* 1. *part cap.* 5. *numero* 16 neque mihi placet. Quia tempore datæ reseruationis debet persona nominanda qualitates omnes habere requisitas ad pensionem Nam esto ius non habeat ad pensionem, quousque nominatio accedit, ius tamen non prouenit ex nominatione, sed ex reseruatione cum potestate nominandi. Nominatio autem solum est quædam conditio, quæ retrahitur ad tempus reseruationis. Probatque Garcia exemplo resignationis, ad quam habilis esse debet resignatarius tempore quo resignatio fit, tametsi eius consensus postea succedat, quia consensus est conditio, vt resignatio effectum sortiatur, sic in reseruatione pensionis dicendum est.

3 Addunt aliqui non solum requiri, vt clericus sis tempore quo tibi pensio reseruatur, sed quod debeas in habitu, & tonsura clericali incedere. At hoc verum erat stante priore constitutione Sixti V. sed postea in illa constitut. 31. rigorem temperauit, vt solum pensionarius obligatus sit in habitu, & tonsura clericali incedere, si pensio excedat summam 60. ducatorum de camera, & postquam pensionem exigere, aut percipere cœperit vel per ipsum steterit, quo minus percipiat: sic Garcia 1. *part. de benefic. c.* 5 *n.* 13.

4 Secunda difficultas est, quam ætatem habere debeas, cum tibi pensio Ecclesiastica reseruatur. Dixi *Ecclesiastica*, nam prosana nullam certam ætatem requirit. Non desunt qui affirment sufficere septennium, quia hæc ætas sufficit ad clericalem tonsuram suscipiendam, quæ est dispositio ad pensionem requisita *cap. nullus*, & *ibi glossa. verbo infanti, de temporib. ordinat. in* 6 *glossa penult. in cap si eo tempore. de rescript. eodem lib.* Neque obstat concilium Trident. *sess* 23. *de reformat. cap.* 6. asserens, vt nullus ante 14. annum obtinere beneficium possit, Quia non videtur ad pensionem esse extendendum; si quidem pensio non est beneficium propriè, & in rigore, & correctio iuris vitanda est quoad fieri possit. Cum autem ex iure communi septennium esset sufficiens, vt constat ex *dicto cap. nullus*, & *c. si eo tempore*; & concilium solum mentionem beneficij fecerit, non est cur ad pensionem extendi debeat? & ita sentit Stephan. Gratian. *tom* 3. *discept forens. cap* 397. *numero* 17. & *seqq.* Lessius *lib* 2. *cap.* 34. *dub.* 38 *n.* 203. Zechus *de benefic.* & *pensionib. c.* 11. *num.* 7. *in princ.* Mosconius *de maiest. milit. Ecclesiast. lib.* 1 *par* 3. *cap.* 3 *pag.* 501. Aloysius Riccius *in praxi. decis.* 430. *in prima edit.* & *resolut.* 367. *in* 2.

Nihilominus probabilius censeo neminem ante 14. annum capacem esse pensionis, sicut neque beneficij. Moueor; primo ex stylo curiæ requirentis eas qualitates pro obtinente pensionem, ac pro obtinente beneficium, vt bene probat Nauarr *lib.* 1. *consil. titul. de temporib. ordinat. in priori edit. consil.* 23 *numero* 2. & *in posteriori consil.* 11 *numero* 2. stylus autem curiæ legem constituit, *c. quam graui. de crimine falsi.* Secundo quia ita congregatio concilij declarauit, vt testantur doctores statim referendi. Tertio, quia pensio loco beneficij saltem simplicis substituitur, & subrogatum qualitates habere debet eius cuius loco subrogatur, ac proinde incapax beneficij, & pensionis incapax esse censetur. vt multis probat Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap* 28. *numero* 36. & ita tradit Eman Sa *verbo beneficium, numero* 30. Lessius *supra* relatus dicit se credere magis secundùm mentem concilij esse, vt adsit ætas necessaria ad beneficia, Garcia *de benefic.* 1. *part. c.* 5. *numero* 120. August. Barbosa 3. *part. de potest. Episc. allegat.* 60. *num.* 78. Neque obstat ratio contraria: nam esto concilium non expressérit pensionem sub nomine beneficij, illam comprehendit in supradicto textu, cum sit dispositio conciliaris in fauorem religionis, & in dignam rerum Ecclesiasticarum administrationem constituta, ac proinde extendenda, vt comprehendat pensionem, quæ pars beneficij est.

5 Tertia difficultas, an illegitimus capax sit clericalis pensionis? Ponimus dispensatum esse ad clericatum, & tali dispensatione posita affirmant plures capacem esse pensionis, absque eo quod dispensetur in illegitimitate: quia hæc irregularitas comparatione ordinis. & beneficij est, non pensionis: sic Gambarus *lib.* 6 *de officio legat numero* 284. Zerola *praxi Episc. part. verbo ordo, quæst* 4. *circa finem.* Gonzalez pluribus decisionibus Rotæ comprobans, *glossa* 5 §. 5. *à num.* 24. Maiol. *de irregular. lib.* 1. *c.* 9 10. *num.* 3.

Cæterum probabilius credo illegitimum clericum, quo cum ad beneficium dispensatum non est, incapacem esse pensionis, sicut & beneficij. Moueor, quia secundum stylum curiæ habitum in dataria. & cancellaria Pontificis, incapax beneficij, incapax est pensionis; & ita sentit Lessius *lib.* 2. *cap* 34. *numero* 203. Nauarrus *consil.* 11. *numero* 2. *de tempor. ordinat.* & *consil.* 5. *de filiis presbyteror.* & *consil* 63. *num.* 5. *de Simonia.* Sanchez *de matr. lib.* 7. *disp.* 44. *num.* 9 & *lib.* 2. *in decal. cap* 28. *num.* 36. Garcia *de benefic* 1. *part. cap.* 5. *num.* 119. & *seqq.* Zechus *de benefic.* & *pension. cap.* 11 *n.* 7.

6 Quarta difficultas an inhabilitatus ad beneficia, sit etiam inhabilis ad pensiones? Negat Nauarrus *consil.* 12. *de rescript. numero* 15. quem sequitur Gonzalez *glossa* 5 §. 5. *num.* 28. quia pensio non debet sub beneficio comprehendi in lege penali, & odiosa. Hoc tamen verum est cum quis per sententiam inhabilitatus est; quia in sententiis rigorosa interpretatio facienda est, vt aliis relatis docet Garcia 1. *part. de benefic. cap* 5. *numero* 124. Suarez *tom.* 5 *de censur. disputat* 27. *sect.* 1. *num.* 13. At si inhabilitas à constitutione procedit, credo probabilius inhabilitatum ad beneficium esse etiam ad pensionem inhabilem ob rationem supradictam, de stylo curiæ & communi sententia affirmante incapacem beneficij, esse incapacem pensionis. Garcia *d. c.* 5 *num.* 123.

7 Ex quo sit reseruationem pensionis factam excommunicato, & suspenso nullam esse; quia ob excommunicationem, & suspensionem incapax est beneficij, ergo & pensionis: sic loquuntur de excommunicatione Tolet. *in summ. lib.* 1. *cap.* 13. Couarruuias *cap. alma mater.* 1. *part.* §. 7. *numero* 29. *versus.* Gigas *de pensionib. quæst.* 14 Suarez *de censur disputat.* 3. *sect.* 1. *num.* 9. Garcia *de benefic.* 1 *part. cap* 5. *num.* 130 Lessius *lib.* 2. *cap.* 34 *num.* 203. & generaliter de qualibet censura Azor. 1. *part. institut. mor. lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 2. eaque de causa cum à Pontifice alicui reseruatur pensio, apponitur clausula in reseruatione, qua pensionarius à quacunque excommunicatione, suspensione, & interdicto absoluitur ad effectum supradictæ reseruationis consequendum: sic Azorius *supra*; quod necessarium non esset si hæ censuræ non redderent incapacem pensionis, sicut & beneficij.

8 Fit secundo quid dicendum sit de irregulari, an incapax sit pensionis? Et quidem si standum est probabili sententiæ quam tradidimus loquentes de irregularit. in princ. irregularem inquam non essentia capacem beneficij, vt cuius collatio irrita sit, à fortiori neque pensionis erit incapax. At retenta communi sententia, affirmante irregularem incapacem esse cuiuslibet beneficij etiam simplicis, videbatur consequenter dicendum pensionis fore incapacem: & ita tradit Nauarrus *consil.* 63. *num.* 5. *de Simonia.* & *consil.* 44. *numero* 3. *de homicidio.* Flamin. Parisius *lib.* 4. *de resignat. quæst.* 3 *num.* 37 Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 203. Vgolinus *de irregul. cap.* 65. §. 1. *num.* 3. Zerola 2. *p. praxi Episc. verbo irregular.* § 8. & *verb. pensio.* § 6. Sayrus *de censur. lib.* 6 *cap.* 2. *num.* 22. Molin. *de iustit. tract.* 3. *disp.* 78. *num.* 2. & sentit Rota in vna Romana pensionis. 17. Iunij 1603. coram D. Molino, relata à Garcia *d. cap* 5 *num.* 548. *in fine.* Cæterum quia ipsemet Garcia *num.* 136 cum Eman Sa *verbo homicidium, num* 20. & Suarez *de censur. disp.* 44 *sect.* 4 *num.* 39 affirmat sacram concilij congregationem declarasse *supra cap.* 7. *sess.* 14. *de reformat.* homicidam voluntarium (& à fortiori quemlibet irregularem) non esse pensionis incapacem, tametsi beneficij sit ea de causa sustineri potest reseruatio pensionis irregulari facta. Quia in iis quæ ex iure positiuo pendent, iis declarationibus standum est.

9 Quinta difficultas, an religiosus incapax sit pensionis? Quia in re certum esse debet religiosum incapacem esse pensionis super beneficio sæculari, nisi Romani Pontificis consensus accedat. Quia beneficij sæcularis incapax est, *capit. cum de beneficio. de prabendis. in* 6. ergo & pensionis, super ipsum beneficium: sic Zerola *in praxi Episcop.* 2. *particul. verbo beneficium statim in princ. vers.* 5. Sanchez *lib.* 7. *in decal. cap* 29. *num.* 94. Zechus *de beneficiis.* & *pensionib. cap.* 11. *num* 7. Mandos. *de signatura gratia. titul. de pensionib. vers. militibus Hierosolymitanis.* Neque obstat beneficij curati sæcularis aliquando capacem esse absque dispensatione Pontificis, vt inde infertur possit capacem esse pensionis in ipso beneficio; quia de beneficio curato

curato prouidetur ob necessitatem Ecclesiæ, ne fideles remediis ad salutem sint destituti. Quæ necessitas in reseruatione pensionis non procedit: sic notauit Sanchez *supra*. Quapropter solum est difficultas de pensione imposita super beneficio regulari, an inquam illius capax sit religiosus ex consensu sui superioris? Et videtur capacem esse; quia est capax beneficij: ergo & pensionis. Dicendum ergo est, ex parte religiosi capacitatem adesse, vt pensio sibi reseruetur in beneficio regulari ob rationem dictam; quia illius est beneficij capax. At quia regularis superior potestatem non habet beneficiis regularibus imponendi pensionem. *clement. vnic. de supplenda negli. prælat.* & tradit ibi Bonifac. *num.* 2. & Archidiacon. *cap. fin. num.* 2. *de officio ordinar. in* 6. ea de causa non potest religiosus capax esse illius beneficij pensionis: sic expressè Thom. Sanchez *lib.* 7. *in decal. cap* 29. *num.* 95. sed *numero* 99. affirmat pensionem impropriam, quæ non beneficio, sed ipsi beneficiario esset imposita, optimè posse ab Abbate religioso concedi. Quid enim, vetat Abbatem beneficium regulare conferre religioso, imponendo ei obligationem, vt alteri religioso, vel monasterio det partem fructuum; siquidem ille religiosus beneficiatius sub obedientia Abbatis manet, & ex eius tacita voluntate fructus beneficij expendit, & cum Abbati placuerit, poterit à beneficij administratione remoueri; tametsi Lessio *lib.* 7. *cap* 41. *dub.* 11. *num* 94. videatur probabilius eo ipso, quod religiosis parochus constituatur, constitui administratorem ab Abbate independentem tam beneficij, quam omnium illius fructuum; ac proinde neque impropriam pensionem ei concedi posse. Quod mihi non probatur, sicut neque Sanchez.

10 Sexta difficultas est; an legitimus, & aliàs inhabilis dispensatus ad beneficium, censeatur dispensatus ad pensionem? Negare videtur Gigas *quæst.* 18. & 19. Mandosius *de ætate minori. quæst.* 23 *num.* 2. Rebuff. *tit. de dispensat. ad plura. num.* 6. Mouentur; quia dispensatio est stricti iuris, vt multis probamus *tract. de legib. disput. vlt. de dispensat.* Ergo non debet vltra proprietatem verborum extendi. At sub proprietate verbi beneficij pensio non comprehenditur, vt in princ. huius puncti diximus. Ergo dispensatus ad beneficium, non intelligitur dispensatus ad pensionem. Deinde in dispensatione non est validum argumentum de maioti ad minus, pari vel simili, vt probat *text. in cap vlt. de translat. prælat.* vbi concessa facultas alicui, vt ad Ecclesiam maiorem transeat, non extenditur ad minorem Ecclesiam, vel æqualem. Ergo dispensatio ad beneficium, tametsi maior sit, non extenditur ad pensionem. Hinc sententiam limitat Gigas *quæ.* 18. *in fine.* & Rebuff. *supra* quibus consentit Azor. 2 *part. lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 6. vt non procedat in reseruatione pensionis super beneficio, in quo fuit quis dispensatus; quia eo ipso censetur dispensatus ad quamcunque pensionem in illo; eo quod pensio est pars beneficij, si igitur totum beneficium retinere potest, poterit & partem.

At mihi probabilius apparet, dispensatum absolutè, ad beneficium, censeri dispensatum ad pensionem. Quia per talem dispensationem tollitur fundamentum inhabilitatis, nam inhabilitas ad pensionem fundabatur in inhabilitate ad beneficium; eo quod secundùm stylum curiæ inhabilis ad beneficium, est inhabilis ad pensionem. Ergo sublata per dispensationem inhabilitate ad beneficium, tollitur inhabilitas ad pensionem ex consequentia: & ita tenet Azor. 2. *part. institt. moral. lib* 8. *cap.* 7. *quæst.* 6. & 8. Garc. 1. *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 150. Gigas *de pension. quæst.* 19. concludit si esset iudex, se iudicaturum illegitimum dispensatum ad ordines, & beneficia; capaeem esse Ecclesiasticæ pensionis, Conclusio intelligenda est de dispensatione ad beneficium absolutè; nam si dispensatio facta esset ad vnum tantum beneficium determinatè, cum dispensatio finiatur illo accepto, vt multis relatis probat Garcia *cap.* 5. *num.* 153. non poterit pensionem obtinere. Imo credo, eito tale beneficium renunciet, non posse ex vi prioris dispensationis pensionem in illo habere; quia pensio non est pars beneficij, sed ius quoddam separatum à beneficio; ac proinde sub dispensatione concessa obtinendi illud beneficium, non potest comprehendi potestas obtinendi in illo pensionem: sic Garcia 2. *part. de benefic. cap* 5. *num.* 156.

11 Sed quid si dispensationem ad beneficium absolutè concesserit Episcopus, poteritne dispensatus illa facta obtinere pensionem quamcunque? Gigas *quæst.* 17. *de pensionib.* Quintana Duennas *Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 6 Zechus *de pensionib. cap.* 11. *n.* 9. Azor. 2. *part. institt. moral. lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 6. *in fine.* & 8. docent sic dispensatum posse obtinere aliam pensionem præter eam, quam potest Episcopus imponere. Quia pro sola illa videtur dispensatio extendi. At mihi probabilius videtur, quamcunque pensionem sic dispensatum obtinere posse; quia per dispensationem ad beneficium absolutè sublatum est fundamentum inhabilitatis ad pensionem. Hæc enim inhabilitas pensionis nascitur ex inhabilitate ad beneficium. Ergo cessante hac inhabilitate quomodocunque cesset, cessat inhabilitas ad pensionem. Neque obstat Episcopum non posse ex qualibet causa pensionem imponere, quominus dispensans ad beneficium non censeatur dispensare ad pensionem, quam ipse imponere non potest; quia hæc est dispensatio indirecta, & consequens priorem dispensationem: sic videtur tenere Garcia *benefic. 1. part. cap. 5. n. 159.*

§. IV.

Quæ sint beneficia, in quibus pensiones constitui possunt, & in qua quantitate.

1 *Nunquam est censendus Pontifex grauare velle beneficia curata centum ducatorum valorem non excedentia.*
2. *Beneficia simplicia valorem 24. ducatorum non excedentia non grauat Pontifex.*
3 *Quid dicendum de canonicatibus non excedentibus 24. ducatorum valorem in fructibus, secus in distributionibus quotidianis, ex qua clausula censentur grauata.*
4 *Centum pro Rectore, & mille pro Episcopo non solum tempore gratiæ, sed semper remanere debent, vt probabilius defendo.*
5 *Si non remaneant centum pro Rectore, & mille pro Episcopo, an sit nulla pensionis impositio, vel reducenda?*
6 *Si beneficiarius intendit ab onere soluendi se excusare, quia non remanent sibi centum libera, ipsi competit onus probandi.*

1 NEmini esse potest dubium, Pontificem posse de plenitudine suæ potestatis in omnibus beneficiis curatis, siue non curatis siue magni valoris, siue exigui pensionem in ea quantitate, quæ sibi bene visa fuerit, imponere: quia liberam habet beneficiorum administrationem. At numquam censendus est velle beneficia curata parochialia grauare, quorum valor centum ducatorum non excedat secundum verum annuum valorem, neque Episcopalia, quorum valor non excedit summam ducatorum mille; quia ita cauetur in Trident. *sess.* 24. *cap.* 13. *de reform. in fin.* Hæc autem centum pro parocho, & mille pro Episcopo debent manere libera ab omni onere, & obligatione; quia in sustentationem parochi, & Episcopi designantur. Aliàs, non parocho, & Episcopo remanerent: sic Rota *decis.* 296. *part.* 1. *diuers.* Leo *in thesauro fori Ecclesiast. cap.* 22. *num.* 13 & *cap.* 31. *numero* 26. Garcia 1. *part. de benefic. cap.* 5. *numero* 376. vbi benè testatur sic declarasse sacram concilij congregationem *dicto cap.* 11. Item debet esse ducatorum valor iuxta regionem in qua est beneficium constitutum: sic testatur Barbosa *in remission. ad dict. cap* declarasse sacram concilij congregationem Idem docet Garcia *supra num.* 374. Zechus *de benefic & pension. cap.* 11. *num.* 6. His igitur centum pro parocho, & mille pro Episcopo liberis remanentibus, in reliqua parte pensionibus grauari possunt.

2 Beneficia vero simplicia valorem 24. ducatorum non excedentia non solet Pontifex pensione grauare, neque canonicatus & dignitates centum non excedentes. Quia æquum est hanc tenuem summam pro alimentis beneficiarij relinqui: sic Azor. 2. *part. institt. moral. lib* 8. *cap.* 8. *quæst* 7. *fine.* Excedentes vero hanc summam pro parte excessus grauare solet Pontifex. Azor. *d q.* 7.

3 Aliqua beneficia simplicia, vt canonicatus, & dignitates valorem 24. ducatorum non excedunt, si spectentur proprie eorum fructus, & prouentus: at si spectentur prouentus quotidianarum distributionum, quæ pro interessentia in choro iis beneficiatis designatæ sunt, ad mille scuta accedunt: tunc ergo dubium est, an in iis beneficiis pensio imponi possit? Et videtur quòd non. Quia hæ distributiones non sunt beneficij fructus, sed laboris stipendium & operis merces *cap* 1. *de clerico non residente. in* 6. Econtra vero videmus canonicatus Hispaniæ, quorum prouentus præcipui in distributionibus quotidianis consistunt, pensione grauari Dicendum ergo est, supradicta beneficia non censeri grauata ex clausula, quæpensionem imponit super redditus, fructus & prouentus beneficij: sic Alexand. Moneta 1. *part. de distribut. quæst.* 7. & *quæst.* 14. *num.* 22. Garcia pluribus decisionibus Rotæ comprobans, 1. *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 386. Azor. 2. *part. institt. moral. lib.* 8 *cap.* 8. *quæst.* 17. Excipe, nisi ex subiecta materia, & curiæ stylo aliud constaret, vt si in narratione dictum fuerit beneficij valorem 25. ducatorum non excedere in canonicatibus, & hoc non obstante imponitur pensio centum, & amplius: absque dubio censenda tunc est imposita in distributionibus, ne dicamus concessionem esse vanam. & inutilem: sic Azor. & Garcia *supra*. Vt autem tota dubitatio auferatur quoties Pontifex intendit distributiones quotidianas grauare, id exprimit hac clausula apposita, *etiamsi in solis distributionibus & non nisi præsentibus, & diuinis officiis interessentibus dari, & per eos lucrari consuetis*: sic relato Mandosio tradit Azorius *dict. cap.* 8. *quæst.* 7.

4 Circa supradicta restant examinandæ aliquot difficultes. Prima, an si successu temporis minuantur illa centum pro Rectore, & mille pro Episcopo quæ debent remanere libera pensione soluta, teneatur beneficiarius pensionem

soluere integram, si tempore reseruationis, & gratiæ integra centum pro Rectore, & mille pro Episcopo remanebant: Affirmat Garcia 1. *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 398. Mouetur; quia gratia Pontificis non debet pendere à futuro euentu, qui singulis annis variationem recipere potest, sed ex tempore datæ regulanda est. Ergo diminutio successu temporis contingens, non potest obstare reseruationi pensionis factæ. Quam doctrinam adeo extendit Garcia, vt affirmet non posse beneficiarium petere reductionem pensionis, si ex funeralibus, ingressu Ecclesiæ, aliisque emolumentis contingentibus congruam habeat, tametsi hæc congrua centum in Rectore, & mille in Episcopo non attingat.

Cæterum mihi probabilius apparet, illa centum pro Rectore, & mille pro Episcopo non solum tempore gratiæ, & reseruationis verificanda esse, sed etiam successu temporis firma remanere debere. Quia illa quantitas est assignata in sustentationem Parochi, & Episcopi, sed ad hunc effectum æquè necessaria est illa quantitas successu temporis, ac tempore gratiæ. Ergo. Quæ ratio probat illa centum, vel mille, quæ deducta pensione remanere debent; non esse aliter computanda successu temporis, quam computantur in principio, & cum in principio computentur ex fructibus certis beneficij, successu temporis sic computari debent: sic tradit Rota in vna Zamoren. execut. decimatum 2. Maij 1591. coram E. Seraphino, ibi, clausula, *quod remaneant centum pro Rectore*, solita apponi in pensionibus, non solum est verificanda de tempore gratiæ, sed etiam requiritur, vt continuo duret, ad hoc vt pensio sustineatur; alioquin ex pensione venit supplendum, quod Rectori deest.

Ad fundamentum Garciæ respondeo, gratiam Pontificis, quoad præsentem valorem, non pendere à futuro euentu, sed à præsenti conditione, cum de præsenti constare possit, remanentne centum pro Rectore, & mille pro Episcopo. At quoad eius durationem, & conseruationem pendet illa gratia ex futuro euentu; quia annectitur dictæ conditioni, vt remaneant centum pro Rectore, & mille pro Episcopo. Qua conditione deficiente pensio saltem pro illa parte non subsistit.

5 Secunda difficultas est; an reseruatio pensionis nulla sit, si ea deducta non remaneant pro Rectore centum & mille pro Episcopo, an potius reducenda sit? Qua in re distinctione vtitur Garc. 1. *p. de benefic. cap.* 5. *num.* 422. & dicit si pensio imposita sit, ad voluntatem, & consensum resignantis beneficium, reseruationem pensionis nullam esse, si ea deducta non maneant centum pro Rectore, & mille pro Episcopo, quia resignans non aliter, neque alio modo resignat, nisi sub obligatione pensionis integrè soluendæ. At pensio integrè solui non potest centum pro Rectore, & mille pro Episcopo remanentibus. Ergo & resignatio, quæ ab ipsa pendet. At si pensionis reseruatio non ad voluntatem resignantis, sed ob aliam causam facta sit, neque potest integrè solui, remanentibus centum pro Rectore, reducenda est ad quantitatem, quæ possit solui illis centum remanentibus; quia præsumendum est Pontificem velle collationem beneficij firmam manere, & solum eam pensionem concedere, quam de iure beneficium capere potest. Quod si maiorem expressit, ex ignorantia processit, & sub ea minor intelligenda est. Et quoad hanc secundam partem approbo sententiam Garciæ, pluribus decisionibus Rotæ confirmatã. Prima pars mihi difficilis est, ex illa enim sequitur solutionem pensionis integrè faciendam esse, quamuis successu temporis, nec centum, nec congrua remaneat titularis; quia non aliàs, neq; alio modo resignationem facit, nisi sub obligatione pensionis integrè soluendæ. At durum videtur, titularem obligatum esse beneficio inseruire absque stipendio iusto sibi à iure assignato. Ergo non est dicendum pensionem esse integrè soluendam. Quapropter ego censerem sic resignantem beneficium, & pensionem vltra id, quod capere potest expostulantem, velle resignationem firmam esse; quia non est præsumendum velle actum facere inutilem & vanum, & consequenter credendum est velle, vt resignatario remaneant ea, quæ à iure conceduntur, scilicet centum Rectori, & Episcopo mille, aliàs haberet voluntatem iniquam, & iuri contrariam, quod non est præsumendum. Ex quo fit tacitè velle, vt pensio ad minorem quantitatem, & iuri proportionatam reducatur. Si enim actus non valet, vt fit, valeat eo modo quo valere potest. Adde sibi debere imputare pensionis diminutionem, si quidem illam imposuit vltra vires beneficij resignati. Vnum tamen mihi videtur certum, casu quo à principio resignatio beneficij, & constituta pensio effectum haberet. & successu temporis non posset integrè solui pensio remanentibus centum pro Rectore, pensionem esse reducendam. Nam cum in hoc casu vnus ex duobus pati debeat in proprio iure diminutionem, vel beneficiarius, vel pensionarius; æquum est, vt potius pensionarius, quam beneficiarius patiatur. Quia fructus beneficij, ex quibus pensio soluenda est, beneficiario sunt potiori iure adiudicati, quam pensionario.

6 Tertia difficultas est, si beneficiarius non vult pensionem soluere; quia illa soluta non remanent sibi centum libera, cui competit, onus probandi beneficiarium à solutione pensionis non se posse exculare? Omissis variis placitis, dicendum existimo, penes beneficiarium esse onus probandi supradicta centum non remanere, vt sic à solutione pensionis se excusare possit. Et quidem quando beneficiarius est successor illius qui pensioni consensit, & soluit, & à solutione pensionis se excusare prætendit, mihi certum videtur. Tum quia constat de eius obligatione ratione beneficij grauati accepti. Ergo prætendens se eximere ab hac obligatione, ostendere debet causam exemptionis. Tum quia habens pro se legem, habet intentionem fundatam, sed pensionarius habet, pro se legem, vt ipsi pensio soluatur. Ergo ipsi competere non potest onus probandi sibi soluendam esse. Tum & præcipuè, quia pensionarius est quasi in possessione exigendi integrè pensionem ex fructibus beneficij; eo quod ab antecessore in beneficio illam exegerit, & receperit. Ergo, vt detuibetur ab hac quasi possessione, causam ostendere debet qui detuibat. Et hæ rationes probant idem esse dicendum in beneficiario, qui pensioni consensit, & soluit; qui si prætendat se à solutione excusare, probare debet excusationem. Quia ratione solutionis est pensionarius in quasi possessione, habet pro se legem, & intentionem fundatam. Adde in iis casibus agi non potest ad nullitatem pensionis, sed ad illius reductionem, vel extinctionem: si quidem pro valore stat lex & possessio. Sed quoties agitur ad reductionem vel extinctionem pensionis, probare debet qui agit, & reductionem prætendit, vt tradit Rota in vna Salmantina pensionis, 26. Maij 1593. relata à Garcia 1 *part. c.* 5. *num.* 424. *vers.* 4 *est casus.*

Quocirca solum restat dubium quando beneficiarius qui pensioni consentit, nondum illam soluit, an tunc ipse probare debeat non esse locum pensioni, vel potius pensionario competat onus probandi locum esse pensioni; & quousque ipse probet, non teneatur beneficiarius pensionem soluere? Rota in supra. Salmantina casu 2. & 3. apud Farinac. *t.* 1. *nouiss. decis.* 544. *n.* 3. dicit penes pensionarium esse hoc onus. Tum quia beneficiarius habet suam intentionem fundatam, ne beneficia sibi collata grauentur pluisquam par est. Tum quia pensionario conceditur pensio, dummodo beneficium illam sustinere possit. Ergo quousque probet beneficium illam sustinere posse, ei non debetur; quia dispositio conditionalis non habet effectum, nisi purificata conditione. Neque obstat beneficiarium in pensione consensisse; quia semper censetur consentire sub conditione, quod beneficium illam capere possit.

Nihilominus adhuc in hoc casu mihi probabilius apparet, penes beneficiarium esse onus probandi beneficium capere non posse pensionem, alias excusari non poterit ab illius solutione. Moueor, quia Pontifex pensionem beneficio imponens, & beneficiarius ei consentiens præsumuntur actum facere iuri consentem. Ergo præsumuntur eam pensionem imponere, quam beneficium attenta iuris dispensatione capere potest. Ergo pro valore pensionis stat præsumptio. Ergo qui illam impugnare voluerit probare debet. Neque obstat concedi pensionem sub conditione, quod beneficium illam sustinere possit, vt dicamus pensionarium obligatum esse probare illam beneficium posse sustinere; quia eo ipso, quo beneficiarius consentit, & ex eius voluntate litteræ fuerunt expediæ, probatum habet pensionarius beneficium illam sustinere posse, ne dicamus, à Pontifice actum vanum & inutilem fieri. Non enim illa conditio, dummodo remaneant pro Rectore, suspendit collationem pensionis, quousque probetur à pensionario. Aliàs nullus pensionarius exigere posset pensionem, quousque probaret beneficium illam sustinere posse, quod est contra communem stylum, & praxim, quæ à puncto collationis supponit beneficium illam posse sustinere, præcipue accedente beneficiarij consensu.

§. V.

De forma imponendi pensionem in beneficio.

1 *De consensu beneficiarij pensio imponenda est.*
2 *Vacante beneficio constituendus est defensor beneficij, qui huic beneficiarij pensioni consentiat.*
3 *Requiritur patroni consensus.*
4 *An in impetratione pensionis sit facienda mentio de beneficiis obtentis. Quid sentiat Garcia.*
5 *Resolutur non esse necessario faciendam mentionem de beneficiis obtentis, bene tamen de pensionibus.*
6 *Si beneficio resignato imponas pensionem credens liberum esse, inualida est pensionis impositio.*
7 *Quantitas pensionis non videtur necessario exprimenda, excepto casu quo in beneficio pensione grauato velit nouam pensionem imponere.*
8 *Sine ista illa clausula, vt pensio soluatur habita, vel non habita beneficij possessione?*

1 EX solutione aliquarum difficultatum constabit, quæ requiruntur pro forma in pensionis impositione.

2 Primò dubitatur de consensu beneficiarij; an hic requiratur pro forma? Respondeo requiri, esseque inualidam pensionem, quoties de beneficiarij consensu non constat. Quia non præsumi-

tur

tur Pontifex velle pensionem imponere, aliter quam ipse præscripsit imponendam. Est autem à Pontifice præscriptum, vt nulla pensio imponatur, nisi de consensu illius beneficiarij, qui pensionem soluere debet, qui si fuerit in curia personaliter, præstet consensum, & solitum iuramentum; sin minus per procuratorem ad id specialiter constitutum, vt habetur *in reg* 41. *aliàs* 43. *Cancell.* Ergo absque huiusmodi consensu, vel illius expressa derogatione nulla est pensionis impositio. Ergo consensus beneficiati habetur pro forma: sic Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 6.

Hinc fit, Episcopum, & legatum in iis casibus, in quibus pensiones imponere possunt, nequaquam eas imponere absque consensu illius, qui soluere eas debet, quia non valent suprà dicto iuri Pontificio derogare: & tradit Gigas *de pension. q.* 10. Azor. *loco allegat.* Cacial. *quæst.* 5. Garc. *de benefic.* 1 *p. cap.* 5. *numero* 320

2 Dubium tamen est: an si vacanti beneficio imponatur pensio, constituendus esset defensor aliquis beneficij, qui in pensionem loco beneficiarij consentiret? Negat Garcia *supràd. loco* in pensione Ecclesiastica & admitti in profana. Moueturs quia signare beneficij deberet orem est requisitum pro alienatione rerum Ecclesiæ, at reseruatio pensionis Ecclesiasticæ, non est alienatio; est tamen reseruatio pensionis profanæ; Ergo solum pro reseruatione pensionis profanæ constituendus est defensor. Verum mihi probabilius apparet constituendum esse defensorem beneficii, qui loco beneficiarii consentiat pensioni. Tum quia pensio esto non sit propriè alienatio, est tamen quasi alienatio, eiusque naturam imitatur. Tum & præcipue, quia aliquis est obligandus ad pensionis solutionem, qui non potest esse alius, nisi qui fuerit beneficii defensor, & fructuum custos. Ergo ex illius consensu pensio imponenda est, iuxta suprad. reg. Cancellar. Tum denique quia suprà dicta regula absoluè habet, vt absque consensu illius qui soluere debet pensionem nullatenus litteræ pensionis expediantur. Ergo supponit, tenpet debere adesse aliquem obligatum pensionem soluere, & ex illius consensu litteras expedire. Neque regula distinguit, an pensio imponatur in beneficio vacante, vel non vacante.

3 Secunda difficultas est de consensu patroni; an requisitus sit pro forma? Cui difficultati §. 2. satisfecimus, affirmatiuam partem sequentes

4 Tertia difficultas est? an in impetratione pensionis Ecclesiasticæ sit necessario facienda mentio de obtentis beneficiis, vel pensionibus? Garcia 1. *p. de benefic. cap.* 5. *à. num.* 83. distinguit inter pensionem ex causa lucratiua, vel ex causa onerosa: & affirmat ad impetrandam pensionem ex causa lucratiua, qualis est omnis illa quæ conceditur extra causam resignationis, quæque datur eo titulo vt commodius quis sustentari valeat, esse necessario faciendam mentionem de obtentis, secus vero in impetratione pensionis ex causa onerosa scilicet ex causa resignationis. Priorem partem probat. Tum quia pensio ex causa lucratiua loco beneficij succedit, sed ad impetrandum beneficium est mentio facienda de obtentis, ergo ad impetrandam pensionem. Tum quia stylus curiæ est hanc esse mentionem faciendam. Secundam partem probat quia pensio data ex causa resignationis non obligatoriæ datur pensionario, sed ne minimum dispendium patiatur in resignatione, ac proinde in illius impetratione non videtur mentio necessario facienda de aliis beneficiis obtentis, quia loco beneficii habiti, & quod habere potest succedit. Verum si pensionem impetras ex resignatione beneficii, quod nullatenus retinere potes; eo quod ad aliud incompatibile electus sis in talis pensionis impetratione necessario facere debes mentionem de beneficio resignato, & de iure ad beneficium quod habes, vt sic constet resignationem illam non esse onerosam, sed lucratiuam; si quidem obligatus ex beneficium demittere obtento incompatibili: sic Garcia *supra.*

5 Cæterum aliter crederem distinguendum. Existimarem namque in nulla pensionis impetratione esse necessario faciendam mentionem de beneficiis obtentis, bene tamen de aliis obtentis pensionibus. Quod non sit necessario facienda mentio de beneficiis obtentis, aut iure ad illa, mihi persuadet, quia nullus textus hanc mentionem expostulat: solum enim in impetratione beneficii cauetur, mentionem esse faciendam cuiusuis beneficii obtenti *cap ad audientiam el* 2. *cap. in nostra. cap. postulasti. de reseripto* Sed sub beneficio non comprehenditur pensio in iis quæ sunt odiosa, & pœnalia. Ergo in impetratione pensionis non est facienda mentio de beneficiis. Et confirmo a simili. Plures, grauissimique doctores censent in impetratione beneficii non esse opus facere mentionem de pensione, prout videre est in Gõzalez *glos.* 5. §. 5 *à n.* 16. Garcia *de benefic.* 1. *p. c.* 5 *num.* 75 Azor. 2. *p. lib.* 6. *cap.* 33. *quæst.* 8. & *lib.* 8. *cap.* 22. *qu.* 14. Ergo neque in impetratione pensionis erit mentio facienda de beneficio. Adde, suprà dicta distinctio de pensione ex causa lucratiua, & onerosa, vt pro impetratione pensionis lucratiuæ sit mentio facienda obtentorum beneficiorum, secus pro impetratione pensionis onerosæ, nullum in iure haber fundamentum. Ergo non est admittenda. Et quod dicitur de stylo curiæ non satis constat; imo contrarium ex ipsis litteris pensionis colligitur cum sæpe in fauorem plurium, qui beneficiis gaudent expediantur, quin in ipsis vlla mentio beneficiorum reperiatur, quæ si necessario facienda esset, ibi exprimerentur.

Quod autem in impetratione pensionis fieri mentio debeat alterius pensionis obtentæ, si eam pensionarius habet, testatur Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 8 *cap.* 9. *quæst.* 3. esse communem sententiam, adducitque Gigantem *de pension. quæst.* 29. Cassador. *decis.* 3. *de pension.* Gambatum *de offic. leg. lib.* 6. *num.* 226. Mandos. *de signatur. grat. & iustit. de pensionib. vers. suppositimus. & reg.* 33 *q.* 6. *à n.* 7. Garc. 1 *p. de benefic. cap.* 5. *num.* 561 Fiã. Patis. *lib.* 6. *de resignat. q.* 2. *à n.* 40 Probantque suprà dicti doctores efficaci satis ratione. Quia non præsumitur Pontifex velle duplici onere Ecclesiam grauare, *cap. mandatum c. litteris de rescrip. & c. duobus. eodem tit. in* 6. Quod à fortiori militat, si pensionem obtineas in beneficio alia pensione grauato, siue grauatum sic in tui fauorem, siue in fauorem alterius, semper enim est facienda mentio antiquæ pensionis validæ, ne beneficium vltra vires grauetur, sic Rota in vna Cremonen. pens. 23. Martijs 1615 apud Fatin. *in nouis. decis.* 666.

6 Sed quid si beneficio resignato imponas pensionem, credens bona fide liberum esse, cum tamen grauatum sit alia pensione, estne hæc secunda pensionis reseruatio valida; Affirmant aliqui, si vtriusque pensionis beneficium capax sit. At mihi probabilius videtur pensionis reseruationem inualidam esse, quia si sciret Pontifex beneficium illud pensione grauatum esse, fortè non consentiret pensioni denuo impositæ, præcipuè in tanta quantitate, vel saltem difficillimè consentiret. Ergo præsumendum est ex errore præbere consensum, ac proinde esse nullam: sic Gambatus *de offic. legat lib.* 6. *dicto num.* 126. Neque reprobat Azorius *supra quæst.* 3.

7 Vlterius inquires; an cum de pensione est facienda mentio debeas eius valorem exprimere; Affirmat Garcia 1. *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 101. Mouetur; quia in reg. cancellar. de exprimendo valõre beneficiorum dicitur exprimendum esse valorem aliorum quorumque beneficiorum. Sed sub dictione generali cuiuscumque beneficii pensio intelligitur, vt multis allegatis docet Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 28. *num.* 36. Mandos. *reg.* 33. *q.* 6. *num.* 2. 3. & 9 Gambatus *lib.* 6 *à num.* 350. Rebuff. *de præcisic. posse. num.* 132. *aliàs* 114. Item quia eadem ratio videtur esse de pensione ac de beneficio, cum loco beneficii succedat, Nihilominus, probabilius existimo, non esse opus quantitatem exprimere pensionis casu quo in beneficio pensione grauato nouam pensionem velles constituere: sic Gigas *de pension. q.* 67. *concl.* 6. Rota *in vna Abulen. beneficij de Mobeltran.* 30. *Octobris* 1595. quam refert Garcia. 11 *p. de benefic. cap.* 3. *num.* 199. Moueor, quia suprà dicta regula cancellariæ expressè loquitur de impetratione beneficiorum, ergo non est extendenda ad pensionis impetrationem. Tum quia illa regula exorbitat à iure communi, ex vi cuius non est exprimendus beneficii valor, vt multis allegatis docet Menoch. *de arbtr. lib.* 2. *casu* 201. *num.* 78. Ergo non est extendenda, sed potius limitanda. Tum quia si regula illa extenderetur ad pensionem, in cuiuscunque impetratione esset mentio facienda de pensione, & eius valore; sicuri facienda est in impetratione cuiuscunque beneficij; sed suprà constitutum est, & tenet Garcia in impetratione pensionis onerosæ non esse necessario faciendam mentionem de obtentis. Ergo signum est suprà dictam regulam non extendi ad pensiones. Neque obstat sub dictione quoruncunque beneficiorum aliquando, venire pensiones, quia hoc est in materia fauorabili; non odiosa, & casu quo aliunde non limitetur, vt in præsenti limitatur ex dictione *aliorum*, quæ similia replicat non dissimilia, & impropria, quales sunt pensiones comparatione beneficiorum, *ex leg. si fugitiui. iuncta glossa fin. ibi communiter approbata. Cod. de seruis fugitiuis.* & tradit Gigas *supra.* Dixi excepto casu, quo in beneficio pensione grauato velles nouam pensionem constituere, quia tunc valor pensionis est exprimendus, ne contingat beneficium vltra vires grauari.

8 Quarta difficultas est: sine iusta illa clausula in reseruatione pensionis apponi solita; scilicet vt pensio soluatur habita vel non habita beneficij possessione;

Videtur non esse iusta; quia pensio est ius ad fructus ex beneficio percipiendos, sed beneficium, cuius quis possessionem non habet, non habet fructus. Ergo non potest esse in illo pensio. Et confirmo. Si obligaris soluere aliquas mensuras tritici colligendas ex aliquo prædio, dum absque tua culpa nullum ex tali prædio fructum colligis, non teneris ex *leg. si debitor. ff. de cõtrahenda emp. vt.* sed beneficiarius obligatur ex fructibus beneficij pensionem soluere. Ergo dum absque sua culpa nullum fructum colligit, pensionem soluere non tenetur. Ergo, Item si beneficiatius obligatur soluere pensionem, quin possessionem apprehendat, obligatur soluere pensionem ob solum beneficij titulum. Ergo talis obligatio sapit speciem simoniæ.

Nihilominus dicendum est illam clausulam licitam esse: sic defendit Nauar *t.* 1. *consil. tit de præbend. consl.* 51. *num.* 4 Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 1 Ratio est quia esto pensio in beneficij fructibus reseruetur, obligationem tamen suscipere potes illam soluendi; tametsi nullos fructus percipias,

sufficit quod habeat ius illos percipiendi, sicuti potes obligari soluere pensionem illis annis, in quibus nullos fructus colligeres: quia cum hæc obligatio spontè susceptа sit, non debet tibi durum, & difficile esse ei satisfacere. Hinc soluitur ratio dubitandi. Ad confirmationem dico obligatum soluere mensuras tritici colligendas ex prædio, excusari ab obligatione, dum nihil collegit: at non excusaretur, si obligatus esset soluere, siue eas collegerit, siue non: sic in pensione dicendum est te non esse obligatum soluere absolutè in illis fructibus ex beneficio perceptis, quando per te non stat, quominus illos percipias, excipe nisi liberè te ad id volueris obligare. Ad secundam confirmationem nego esse simoniam, cum ex consensu Pontificis hæc obligatio suscipiatur.

§. VI.

De obligatione beneficiarij soluendi pensionem, & potestate pensionarij illam exigendi

1 *Beneficiarius obligatus est sub graui culpa pensionem soluere.*
2 *Beneficio vacante tenetur Ecclesia fructus percipiens pensionē soluere.*
3 *An succedens in beneficio pensione grauato teneatur soluere pensionem decursam tempore antecessoris? Proponitur dubitandi ratio.*
4 *Resoluitur prius conueniendum esse hæredē beneficiarij postea successorem in beneficio*
5 *Si fructus diminuantur notabiliter, an soluenda integrè pēsio sit?*
6 *Teneris pensionem soluere tuæ prabendæ impositam, si prabendam dimittis, & nouam obtines.*
7 *Si beneficio vacante imposita sit pēsio ad tui fauorem quod beneficium fuit Petro concessum, & ob eius inhabilitatem non habuit effectum. & tandem Ioanni acquisitum est, tenetur Ioannes tibi pensionem soluere.*
8 *In loco beneficij pensio soluenda est.*
9 *Possitne exigi pensio ante litterarum expeditionem.*
10 *Quid dicendū in illa quæstione, an pensio imposita beneficio à Titio possessore quo Titio durante litteras non expedisti, possis decursam pensionem à Caio, cui est beneficium concessum, exigere. Negatiue respondetur.*
11 *Si à Caio beneficiario pensionem trium annorum sequentiū anticipatis solutionibus receperis, & pensionem transtuleris in Titium, potestne Titius à Caio beneficiario pensionis solutionem exigere? Probabilius est posse.*
12 *Pensionarius agere potest hypothecaria actione aduersus quēcumque possessorem fructuum beneficij grauati.*
13 *Possitne pensionarius aduersus beneficiatum negantem pensionem agere iudicio de spolio, seu possessorio.*
14 *Quid de possessione debita alicui ecclesiæ, & soluta tuo antecessori, an inquam possis agere iudicio possessorio vt tibi soluatur.*
15 *Agens iudicio possessorio obligatus est ostendere titulum, & reseruationem. Et apponitur quædam limitatio.*
16 *In exigenda pensione quem modum pensionarius seruare debeat.*

1 NOn est dubium obligatum esse sub graui culpa beneficiarium, in cuius beneficio pensio est imposita, eam soluere. Tum quia pensio est portio extracta à beneficio pensionario applicata. Tum quia in litteris pensionis sub grauissima pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, priuationis beneficij præcipitur eius solutio. Quod non solum verum est de beneficiario primo consentiente pensioni, sed de quocumque illius successore, quia pensio est onus reale fructibus beneficij annexum, ac proinde accipiens beneficium pensione grauatum, obligatur illud onus sustinere: sic Gigas *de pension. quæst.* 43. Azor. 2 *p. instit mor. lib.* 8. *c.* 8. *q.* 13. Garcia 1 *p. de benefic. cap.* 5. *n.* 178. & 190.

2 Hinc fit, beneficio vacante teneri ecclesiam percipientem fructus pensionem soluere ob rationem dictam; quia est onus reale fructibus beneficij annexum, & tradit Gigas *de pensionib. quæst.* 65. Gutierr. *canon. quæst. cap.* 1. *num.* 126 & *a.* 123. Garcia 1 *p. cap* 5. *num.* 188. Azor. 2 *p. instit. moral. lib.* 8. *c.* 12. *quæst.* 10. Quocirca, si diuturna sit vacatio, dandus est œconomus, qui conueniri possit à pensionario, quique pensionem soluere debet: sic Gigas, Gutierrez & Azor. *supra.* Item sequestrato beneficio pensio soluenda est à sequestro. sic Gate. *num.* 176. cum Gigante. *quæst* 72. Secundo fit decisio illius grauis quæstionis; an pensio constituta in canonicatu consistente in distributionibus quotidianis, quæ interessentibus conceduntur soluenda sit à capitulo tempore vacationis? Et dicendum est soluendam esse, prout latius dixi *tract. de horis canonicis. disp. vlt.*

3 Dubium tamen est primo an succedens in beneficio pensione grauato teneatur soluere pensionem decursam tempore antecessoris insolutam? Ratio dubitandi est; quia successor in beneficio nullos fructus percipit illius temporis, neque habet beneficium ab antecessore, sed à Pontifice, cur ergo obligandus est pensionem soluere? Pensio enim fructibus perceptis illo tempore erat annexa; eáque de causa beneficiarius, illos percipiens conueniri poterat. Ergo non successor in beneficio, & ita tenet Caccialup. *de pension. q.* 11. Gambarus *de offic. leg. lib.* 6 *q.* 11. *a.n.* 441.

4 Cæterum in hac re dicendum primo est, si beneficiarius vel eius hæres conueniri possunt pro pensionis decursæ solutione esse conueniendos, antequam successor in beneficio conueniatur. Quia ipsi sunt directè obligati, maximè si fructus aliquos beneficij retineant; quia tunc hypothecaria actione conueneri possunt. Neque æquum est ante horum excussionem ad successorem decurrere qui nullos fructus beneficij percepit, & solum videtur obligatus ad solutionem in subsidium: sic pluribus decisionibus Rotæ comprobat Gate. 1 *p. de benefic. c.* 5. *n.* 189. esto plures doctores relati ab eodem *num.* 191. dixerint liberum esse pensionario contra hæredem, vel successorem beneficij procedere, & satius esse contra successorem agere, quia aduersus ipsum executiue procedere potest; cum tamen aduersus hæredem non possit, nisi via ordinaria.

Secundo dico facta excussione beneficiarij, vel hæredis posse pensionarium pro solutione pensionis ad successorem beneficij recurrere. Tum quia non est æquum priuari pensionarium iure sibi debito. Tum quia successor in beneficio suscipit onus beneficio annexum, & consequenter suscipit obligationem pensionis soluendæ. Neque valet dicere pensionem esse onus beneficij non vtcunque, sed pro illis fructibus, qui tempore decursæ pensionis fuerunt percepti, quia pensio non annectitur determinatè his vel illis fructibus, sed quibuscunque fructibus beneficij, dum non est soluta. Quod constat in beneficiario consumente vno anno fructus beneficij integros, & pensionem non soluente, quia ex fructibus aliorum annorum soluere debet, quique fructus loco fructuum illius anni subrogantur. Sic in præsenti dicendum est, fructus beneficij collectos tempore antecessoris obligatos esse pensionis solutioni; at quia non extant, subrogantur in eorum loco fructus reliquorum annorum ex eodem beneficio percepti: sic Gigas *de pension. quæst.* 39. Azor. 2 *p. inst. mor. lib.* 8. *c.* 8. *q.* 14. Gate. 1 *p. de benefic. c.* 5. *a.n.* 191. & *seqq.* quæ omnia optimè confirmantur *decis.* 352. *in nouis apud Farinac.*

5 Secundò dubitabis, an si nullos fructus, vel non nisi diminutos collegeris casu aliquo fortuito, bello scilicet, inundatione aquarum, aut sterilitate agrorum tenearis pensionem soluere; vel possis illam diminuere pro diminutione fructuū, vel insolutam relinquere? Azor. 2 *p. inst. mor. lib.* 8. *c.* 13. *q.* 3. cum Gigate *q.* 62. *n.* 10. *de pensionib.* negat te posse negare pensionem, vel illam diminuere? quia pensio non est annexa determinatè fructibus beneficij cuiuslibet anni, aliàs neque successor beneficij obligabitur soluere pensiones decursas tempore antecessoris, neque beneficiarius, qui iuxta consuetudinem aliquarum ecclesiarum nullos fructus percipit primo anno, teneretur pensionem soluere, quod est contra communem stylum. Ergo quod vno, vel altero anno fructus non colligantur, non te excusare potest à solutione, si reliquis annis colligis sufficientes fructus. Adde multiplicaris fructibus non agetur pensio, ergo neque ipsis diminutis debet diminui.

Dicendum tamen est; si fructus non sint ita diminuti, quin in beneficio parochiali tibi remaneant centum soluta pensione & in aliis beneficiis quantitas, quæ iuxta litteras Pontificias remanere debet, te excusari non posse à solutione pensionis? quia illa diminutio non obstat pensionis impositioni. At si fructus ita diminuantur, vt nulli, vel in quantitate minori quam ex iure debetur, remaneant soluta pensione, credo te posse diminuere pensionem pro quantitate tibi debita diminuta, vel insolutam relinquere. Tum quia sub illa conditione constituta censetur pensio. Tum quia annua pensio est onus reale annexum fructibus annuis, & percunte principali, perire debet accessorium in quo fundatur. Secus vero est, cum fructus colligantur, tunc inquam ecclesia manet obligata ad solutionem pensionis, cui obligationi si beneficiarius sic fructus consumens non satisfacit, successor in beneficio satisfacere tenetur.

Credo tamen authoritate ordinarij hanc diminutionem pensionis, vel illius negationem fieri debere, & non authoritate propria; quia non est ita certum & apud doctores constans collectione fructuum aliorum annorum non computari huius anni diminutionem, & consequenter non est certum beneficiarum excusatum esse à solutione integra pensionis Ergo in casu dubio non debet propria authoritate duci, & pensionarium iure certo acquisito priuare.

6 Tertio dubitabis tenearisne soluere pensionem tuæ præbendæ impositam, si illam dimittis, & nouam obtines, vt contingit in pluribus ecclesiis, in quibus datur optio præbendæ pinguioris? Cui dubitationi optimè respondet Gigas *de pensionib. q.* 93. *n.* 3. & 4. & ex illo Azor. 2 *p. inst. mor. lib* 8. *c.* 13. *q.* 4. sub hac distinctione, si præbendæ tales Ecclesiæ distinctæ sunt? eo quod quilibet suos fructus, & prouentus proprios, & determinatos habeat

habeat, neque cum aliis communicet, dimissa præbenda onerata, & liberam obtinens, à pensionis solutione excusaris. At si præbendæ non sunt distinctæ neque distinctos habent fructus, sed fructibus collectis à capitulo sit diuisio singulis præbendatis suam portionem assignans maiorem, vel minorem iuxta præbendarum quantitatem, tunc non censeris excusatus à solutione pensionis, quia pensio imposita est super fructus à te perceptos.

7 Quarto dubitabis, si beneficio vacanti imposita fuit pensio ad tui fauorem, & Petro beneficium concessum fuit, cuius concessio ob eius inhabilitatem non habuit effectum, sed Ioannes beneficium tanquam vacans per obitum impetrauit, tenetur ne Ioannes tibi soluere pensionem; Videtur non teneri siquia ipse non consensit pensioni, & consensus antecessoris illi nocere non potest, vt pote ab inhabili præstitus. Nihilominus dicendum est esse obligatum Ioannem soluere tibi pensionem, ac si beneficium titè fuisset Petro collatum, & ipse legitimè consensisset. Quia hæc pensionis reseruatio non dependet ex valore collationis, sed ex voluntate Pontificis intendentis tibi pensionem concedere illud beneficium à quocumque possideatur, sic tradit Gonzalez *de regul. mens. gloss. 5. §. n. 9. 60.* Garc. *de benefic 1. p. cap. 5. n. 113*

8 Quinto dubitabis quo in loco beneficiarius soluere pensionem debeat; Respondeo debere soluere in loco beneficij, nisi aliud in reseruatione pensionis expressum sit. Quia est onus beneficij, & illius fructibus annexum: sic Gambara *de officio legat. lib. 6. n 612.* Gratiã *discept. forens. cap. 94. à n. 60.* Garc. pluribus decisionibus comprobans, *1. p. c. 5. à n. 233.* Quocirca si pensionarius, aut eius procurator non est in loco solutioni destinato, debens pensionem non est in mora, debet tamen facere protestamate, vt si constet non repetiri ibi pensionarium neque eius procuratorem, etsi in forma cameræ fuit obligatus & cum clausula, sine retardatione, debet facere depositum; alias non satisfacit: sic Garc. *sup. n. 234 & 235.*

9 Quoad potestatem exigendi pensionem, quam pensionarius habet, occurrit dubitatio, possit ne pensionarius eam exigere ante litteras, expeditas? Cui dubitationi respondent doctores allegandi in foro conscientiæ posse exigi & solui durante primo semestri, quia gratia pensionis firma est, verbo tantum concessa tametsi litteræ non expediantur. sic Gigas *de pensionib. q. 34. num. 6. fine. & seq.* Ludouic. Gomez *reg. de non iudicando iuxta formã sup. placet. q. 14. vers. breuiter* Mandos. *reg. 27. cancell. q. 7. n. 4.* Rebuff. *d. pacif. possessor. q. 137. còcl. 21 & praxi benef. in signatur. gratiæ 3. p. n. 11.* Th. Sanch *lib. 8. de matr. disp. 29. num. 5.* Dixi *durante primo semestri*; nam illo transacto non licet pensionem recipi, nec solui litteris non expeditis. Quia Pius V. id sub excommunicatione reseruata prohibuit, vt relato Cord. *sum. q. 166.* Man. 2. *t. sum. c. 21. n. 9.* Vega 2. 2. *sum c. 65. in vlt. casu* docet Sanch *supra.* Ergo vero existimo neque etiam primo semestri exigi, neque solui pensionem posse ob clausulam, quæ in supplicatione pensionum apponi mandatur à tempore Greg. XIII. *vt scilicet vigore litterarum desuper expeditarum &c. nec aliàs persoluenda.* Quæ clausula apponitur tum in fauorem partis, Tum & præcipuè, ne defraudentur officiales cancellariæ. Tempore vero Sixti V. id mandatum erat sub pœna nullitatis pensionis, vt testatur Salustius Tiber. *in pract. adiutoris camer. a. lib. 3. c. 4.* Clemens autem VIII. addit, vt infra nouem menses proximos expediantur litteræ, alias præsens reseruatio nulla sit. Ex quibus manifestè constat neque pensionem exigi, neque solui posse litteris non expeditis, & obligationem esse expediendi litteras infra nouem menses à die supplicationis, aliàs nulla erit reseruatio. sic Garc. 4. *part. de benefic. cap. 2. num. 44.*

10 Hinc sit decisio illius quæstionis an si tibi reseruata fuit pensio super beneficio, quod Titius possidebat, neque litteras expedire curasti duobus annis sequentibus, quo tempore Titius mortuus est, & beneficium Caio fuit concessum, & tu litteras expedisti, an inquam tunc à Caio exigere possis pensiones decursas tempore Titij? Affirmat Gigas *q. 40.* quem sequitur Azor. *lib. 8. c. 13. q. 10.* quia à puncto concessionis est grauatum illud beneficium, & cum Caius illud accipiat, cum illo onere accipere debet. Cæterum tenendum est nullo modo posse pensionem illorum annorum decursam exigere à Caio Quia neque à Titio eam pensionem exigere poteras sub excommunicationis pœna iuxta prædictam bullam Pij V. ergo neque à successore. Neque obstat gratiam esse validam, si illa vti impediris. Adde gratiam esse factam nullam ipso iure, si quidem infra nouem menses à die supplicationis litteras non expedisti ob clausulam à tempore Clem. VIII. apponi solitam.

11 Restant tamen aliquot difficultates examinandæ. Prima, an si à Caio beneficiario anticipatis solutionibus pensionem tium sequentium annorum receperis, & pensionem in Titium transferas ex potestate Pontificia, quam habes transferendi, possit ne Titius à Caio beneficiario pensionis solutionem exigere? Negare videtur Gigas *q. 88. n. 5* Mouetur; quia tu nullum aliud ius transtulisti in Titium, nisi quod possidebas: subrogatur enim loco tui? at tu ob anticipatas solutiones potestate carebas exigendi pensionem à beneficario illis annis sequentibus. Ergo Titius hac carere debet potestate: subrogatus enim naturam, & conditionem sortitur eius in cuius locum subrogatur. *leg. filia sua. §. Titiæ. ff. de condition. & demonst. §. fuerat, institut. de actionib.* & aliis exornat Gonzal. *gloss. 5. §. 9. n. 99.* Item beneficiarius solutione pensionis anticipata liberatus est ab obligatione soluendi, ergo ob nouum pensionarium illam contrahere non potest, Nihilominus credo probabilius nouum pensionarium exigere posse à beneficiatio pensionem, ac si tibi non soluisset: sic expresè Azor. 2. *p. institut. moral. lib. 8. c. 13. q. 5,* Ratio est? quia tu non transfers in Titium pensionem quam habes, sed tua pensione extincta nouam Titius obtinet similem prorsus ei, quam tu obtinebas. Non enim in pensionibus datur vacatio, sed extinctio. Ergo solutio tibi facta non potest beneficiarium releuare ab onere soluendi Titio suam pensionem: sibi enim imputare debet, quod anticipatè soluerit. Et confirmari potest exemplo prælati locantis fructus alicuius prædii, & recipientis pensionem anticipatam aliquorum annorum, qui si interim moriatur, non releuatur locatarius à soluenda pensione successori, tametsi iam antecessori soluisset.

12 Secunda difficultas est, an pensionarius agere possit hypothecaria actione, siue aduersus beneficiarium, siue aduersus hæredem. Negat Paul. Castrens. *conc. 338.* cuius initium est. *Quia exemptiones. volum. 1.* Felin. *c. ad audientiam. 2. de rescrip.* Mouetur, quia non videntur fructus beneficii tacita hypotheca obligati pensionario, Tum quia pensio sæpè constituitur non in alimentum pensionarii, sed in remunerationem ob seruitia ecclesiæ facta, vel ob resignationem beneficii possessi, aut iuris ad illud. Tum quia pensio est portio separata à beneficii fructibus. Ergo fructus beneficii non possunt solutioni pensionis hypothecari: Cæterum verius est posse pensionarium agere hypothecaria actione ad solutionem pensionis aduersus quemcumque possessorem fructuum beneficii grauati: sic docuit Gigas *de pensionib. q. 51. à num. 17.* Azor. 2. *p. institut. moral. lib. 8. cap. 13. q. 1,* Ludouic Rom. *cons. 338.* quod incipit *in casu propositi thematis.* Ratio est quia pensio imponitur super beneficii fructus, ita vt ex fructibus beneficii soluenda sit. At quoties certæ rei onus imponitur, illa res censetur tacita hypotheca obligata pro illo onere, iuxta *leg. codicillis. §. instituto ff. de legat. 2.* & notauit Bart. *in leg. Lucius. ff. de aliment. & cibar. legat. & leg fundum ff. de legat. 2.* Neque obstat pensionem non esse alimentum, quominus fructus beneficii eius solutioni non hypothecentur: sufficit enim quod super ipsos fuerit constituta. Neque valet dicere, quod sit portio à beneficii fructibus detracta: quia esto ab ipsis separata sit, est tamen ex illis soluenda. Dicitur autem separata, quia alteri à beneficiario separatur. & applicatur

13 Tertio difficultas est: possit ne pensionarius, cui solutio pensionis denegatur, agere aduersus beneficiatum iudicio de spolio, seu possessorio. Et quidem si per plures annos pensionem recepit à beneficiario modò negante, non est dubium agere posse, quia acquisita possessione priuatur. At si semel tantum acceperit, negant plures. Probabilius credo agere posse iudicio de spolio, Vnus enim actus sufficit in hac parte ad possessionem inducendam: sic Gratiam *discept. forens. cap. 113. à. num. 20.* Garcia pluribus decisionibus comprobans, *1 p. de benefic. c 5. n. 450.* Quod verum habet, tametsi solutio metu censurarum facta sit, nisi fuerit cum protestatione: sic Gracian. & Garcia *supra,* Adde; aduersus successorem in beneficio negantem pensionem, potest pensionarius agere eodem iudicio, si antecessor soluerit; quia ex variatione personarum succedentium in beneficio non mutatur ius pensionarii habentis possessionem exigendi ex fructibus illius beneficii annuam pensionem; quia fundatur in titulo pensionis, & solutione illius facta. Vnde variatio beneficiariorum est per accidens: sic Gigas *quæst 7. de pensionib n. 20.* Azor. 2 *p. institut. moral. lib 8. c. 13. quæst. 2. in fine.* cum Glossa *in cap gratiosè. de rescript. in 6.*

14 Quarta difficultas est, an pensione debita alicui ecclesiæ, & solura tuo antecessori possi agere iudicio possessorio, vt tibi succedenti in beneficio soluatur. Ratio dubij est: quia, numquam fuisti in possessione. Respondeo te posse agere, quia tu non agis nomine proprio, sed nomine tuæ ecclesiæ, quæ ob solutiones factas antecessori, est in possessione exigendi illam pensionem. sic Rota *decis. 4. in nouis. de restit spoliat.* quæ incipit *Possessor beneficij.* Gigas *q. 47. n. 9* Azor. *q. 2. circa finem*

15 Quinta difficultas est, an agens iudicio possessorio obligatus sit ostendere titulum pensionis, & gratiam factam verificare; Alii affirmant, alii negant, quorum opiniones conciliant Gigas *q. 47. de pensio. n. 4.* Azor. 2. *p. inst. moral. lib. 8. c. 13. q. 2.* dicentes non esse obligatum ostendere titulum, si per multos annos possederit, quia diuturna possessio titulum præsumere facit. Secus vero si per modicum tempus: quia recens possessio, & per modicum tempus non inducit tituli præsumptionem. Hæc doctrina verissima est quoad titulum, & reseruationem pensionis, quia hic titulus non præsumitur, nisi ex quadragennali, vel trecennali, vel saltem decennali, possessione, quia stat in contrarium præsumptio iuris, vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conseruantur. Quapropter siue pensionarius agat iudicio possessorio, siue petitorio, quomodocunque procedat, tametsi in possessione exigendi pensionem sit, debet ostendere titulum,

titulum, & reseruationem pensionis; aliàs erit repellendus. Garcia 1 *p. cap* 5. *num.* 478 & 482. At verificare huiusmodi titulum, & reseruationem, credo probabilius non esse necessarium, quando solum agit iudicio possessorio ad solutionem pensionis: sic pluries iudicauit Rota, prout refert, & sequitur Garcia 1. *p. de benefic. cap.* 5. *num.* 454. & 461. Ratio est, quia probata per pensionarium pensionis possessione cum titulo, habet suam intentionem fundatam grauandi beneficiarium. Adde; cum quis agit iudicio possessorio, solum prætendit manutentionem in possessione, ad quam prætentionem obtinendam ius habet ex vi possessionis obtentæ cum titulo. Ergo primari illo non potest, dum ab aduersariis non probatur nullum habuisse ius possidendi: verùm si pensionarius non iudicio possessorio, sed petitorio agat pro solutione pensionis, & titularis obiiciat pensionem nullam esse ob incapacitatem pensionarij, vel beneficij ob incapacitatem illius, quia pensio medietatem fructuum excedit, vel centum rectori non remanent libera contra conditionem in litteris expressam. In his ergo casibus dicendum est, obligatum esse pensionarium verificare narratiuam conditionum ad ipsum pertinentium, tametsi in possessione sit exigendi pensionem, vt multis allegatis docet Garcia 1. *p. de benefic. cap.* 6. *num.* 479. quia illa quasi possessio, si non sit trecennalis, vel quadragenalis non probat veritatem illarum conditionum, sed solum facit illas veras; præsumere; præsumptio autem non sufficit ad grauamen beneficio imponendum. At si conditiones potius se tenent ex parte beneficij, quales sunt quod pensio mediertatem fructuum non excedat, quod rectori centum libera remaneant, & aliæ similes, si beneficiatius pensioni consensit, credo probabilius penes ipsum, & non penes pensionarium obligationem esse probationis in contrarium. Quia pensionarius consentiens pensioni, præsumitur valorem beneficij cognouisse, & sibi imputare debet onus cum consenserit. Adde ex defectu talium conditionum potius ad reductionem, quàm ad nullitatem pensionis agendum est. Ergo pensionario non potest onus probandi incumbere. Secus verò dicerem in beneficiario non consentiente, vel in successore beneficij ante solutionem, qui in iudicio petitorio condemnati non potest ad solutionem pensionis, quousque pensionarius conditiones requisitas in reseruatione probet.

Supradicta intelligenda sunt de reseruatione pensionis ad instantiam pensionarij, vel iuxta illius narrationem, secus si ex motu proprio fuerit reseruata, quia tunc non competit pensionario verificare narratiuam, cum pro se habeat voluntatem principis pensionem imponentis: sic pluribus firmat Garcia 1. *p. de benefic. c.* 5. *n.* 491. Quapropter vt ab huius pensionis solutione se eximat beneficiarius, probare debet causam nullitatis.

16 In exigenda pensione sibi debita hunc modum seruare debet pensionarius. In primis eligere debet iudicem executorem iuxta executoriales sibi datas. Qui iudex necessario debet esse canonicus cathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate Ecclesiastica constitutus. *capit. statutum de rescrip. in* 6. qui habet cognitionem causæ, esto executiue procedat; coram hoc iudice præsentare debet litteras gratiosas pensionis; & executorias, vt ipsi constet, qua ratione procedere possit; quibus sic præsentatis concedit executor mandatum contra possessorem beneficij, vt intra terminum, qui sibi benè visus fuerit, soluat pensionem decursam, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, aliisque pœnis, &c. Quo mandato intimato beneficiatio in propria persona, vel eius procuratori, aut si id fieri non possit; quia se malitiosè occultat, publicato ad domum eius, vel in loco publico; vbi ad eius notitiam deuenire possit. Si intra terminum signatum non comparet soluturus, publicandus est excommunicatus, & in expensis condemnandus, quarum taxam sibi iudex executor reseruat. Neque necessarium est ad hanc publicationem, quod pensionarius iustificet gratiam pensionis; sufficit si probet esse in quasi possessione illam exigendi. Quod si titularis intra terminum compareat, & opponat causam legitimam, excusantem à solutione, quæ possit in continenti probari, nempè solutionem pensionis, remissionem ipsius, vel authoritate Pontificis redemptionem illius extinctionem per matrimonium, vel professionem, pensionarij inhabilitatem, concedendus est terminus breuis 10, vel 15. dierum arbitrio iudicis, vt causam allegatam probet: quod si probauerit plenè, suspenditur executio, sin minus, executio fit, aliisque iuris remediis ad soluendum compellitur; neque ob inde negatur titularis actio, vt in iudicio petitorio causam sequatur. A mandato autem executiuo huius iudicij non datur appellatio suspensiua; quia executiuè procedit. Excipe, nisi modum excederet, qui in appellatione exprimeretur.

Nunquam tamen potest his executor ante sententiam datam pro solutione pensionis sequestrum in fructibus beneficij ponere; quia sequestrum est odiosum, & à lege prohibitum. *leg.* 1. *Cod. de prohibita sequestrat.* & ante condemnationem beneficiati, eiusque causæ examinationem non est iustum illa eum pœna afficere, illóque medio odioso, & à lege prohibito vti. At pronunciata sententia, & condemnato beneficiario ad pensionis solutionem, poterit executor sequestrum ponere in beneficij fructibus, vt ex illis fiat pensionario satisfactio; quia in hoc sequestro non grauatur beneficiarius, cum in eius voluntate sit constitutum tollere sequestrum satisfaciendo pensionario.

At si pensionarius non per se, sed per procuratorem agit ad solutionem pensionis, procurator vltra ostensionem tituli pensionis verificare mandatum debet; & probare pensionarium viuere tempore decursæ pensionis, cuius solutionem petit, quia sine mandato procurator esse non potest, neque pensionem exigere nisi pro vita pensionarij. Quod si beneficiarius opponat expirasse mandatum; quia pensionarius iam è vita discessit; probare debet; quia procurator suam intentionem habet fundatam; si quidem validum eius mandatum admittitur. Secus verò si beneficiarius opponeret falsum esse mandatum, vel pensionarium è vita decessisse tempore decursæ pensionis sibi petitæ, quia tunc competit procuratori & verificare mandatum, & probare pensionarium illo tempore vixisse, quæ omnia latius prosequitur Garcia 1. *p. de benefic. cap.* 5. *à num.* 350. *vsque in finem.*

§. VII.

Sub qua pœna teneatur beneficiarius pensionem soluere.

1 *Duplici pœna obligatur, & an hæ incurrantur eo ipso quo pensionem non soluit. Proponitur dubitandi ratio. Resoluitur non incurrere, quousque pensionarius declaret suam voluntatem.*

2 *Qualiter hæc declaratio facienda est.*

3 *An possit fieri ante executionem realem. Resoluitur posse.*

4 *An si cedas bonis, excusetur pœnis non soluentibus impositis. Sub distinctione respondetur.*

5 *Qualiter intelligatur priuatio beneficij, & potestas in pensionario regrediendi ad illud.*

1 DVplici pœna cogitur beneficiarius ad pensionis solutionem termino præfixo. Prima excommunicatio ipso facto incurrenda. Secunda priuatio beneficij, & cum potestate concessa pensionario regrediendi, vel accedendi ad ipsum. Difficultas est, an hæ pœnæ incurrantur à beneficiario eo ipso quo pensionem non soluit termino solutioni præfixo? Et ratio difficultatis est; quia in litteris pensionis sub excommunicatione ipso facto incurenda obligaris, inquit enim Pontifex, *volentes, & eadem authoritate statuentes quod ille, vel quicunque alius successor, qui in dictis festiuitatibus* (scilicet natalis Christi Domini, & natalis S. Ioannis) *vel saltem intra* 30. *horas, illarum singulas immediatè sequentes, pensionem prædictam per eum tunc debitam non persoluerit cum effectu lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat.* Ergo transacto termino absque vlla alia declaratione excommunicationem contrahis: sic affirmat Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 5.

At omnino tenendum est, te, non incurrere, quousque pensionarius declaret se ita velle: cum enim in eius fauorem lata sit excommunicatio, & beneficij priuatio, eius voluntati attemperatur, & dum talis voluntas non declaratur, censetur esse permissiua dilationis ex recepto stilo, & consuetudine: sic Nauar. *in sum. cap.* 23. *numero* 103. Cassiador *decis.* 234. *de locato, & decis.* 2. *de pension. circa finem.* Flamin. Patil. *lib.* 3. *quæst.* 3. *& lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 139. *& quæst* 3. *à num.* 22. Filiarc. *de offic. Sacerdot.* 1. *part. lib.* 3. *cap.* 7 Garcia 1. *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 581. Suar. 5. *de censur. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 10. Tolet. *in sum. lib.* 1. *cap* 9. *vers. hoc tamen. in edit. Roman.* Mandos. *de signatur. grat. tit. de pensionib. vers. clausula excommunicationis.* Gonzalez *glos.* 56. *num.* 54.

2 Hæc autem declaratio voluntatis pensionatij intendentis, vt excommunicatione ligetis ob non solutam pensionem, debet esse iuridica, & tibi solemni notificatione facta, atque adeo à iudice procedente; quia ita seruat stylus; sic tradit Cassiador, Nauarr. Suarez, & Garcia *supra.* Neque sufficit fieri per procuratorem absque speciali mandato, vt aliis relatis docet Gonzalez *supra.* Hæres tamen pensionarij pro solutione pensionis hanc declarationem facere non potest; quia potestas declarandi non transit ad hæredes, sed vita pensionatij finitur, sic relato Cassiadoro *decis.* 2. *de pension. num* 6 *& seq. & decis.* 3. *num.* 2. *& 3. de locato.* Caputaquen. *decis* 155. *num.* 3. *& 4. part.* 1. & tradit Gonzalez *supra num.* 53. Quod verò subiungit Nauarr. facta hac iuridica declaratione te fore censendum excommunicatum à termino solutioni præfixo, & ad illum terminum retrotrahi excommunicationem, mihi non probatur, sicut nec Suar. *suprad. sect.* 2. *num.* 11. quia cum toto illo tempore non fueris contumax in soluenda pensione, sed potius ex præsumpta voluntate creditoris solutionem distuleris, non apparet quomodo tanquam excommunicatus reputari, & condemnari possis. Nam vt benè tradit Couarru. *capite Alma.* 1. *part.* §. 10. *numero* 6. & Suar. *dicto numero* 11. in iis pœnis spiritualibus non est locus fictioni iuris, sed veritas semper attendenda est.

3 Sed

3 Sed inquires, an hæc declaratio pro incurrenda excommunicatione fieri possit, quin executione reali, vel personali prius compellatis soluere. Ratio dubij est quia Trident. *sess. 15. cap. 3. de reformatione vers. in iudicialibus* cauet excommunicationem imponi nisi in subsidium supradictæ executionis, & quando aliter effectus obtineri non potest. Quapropter non desunt doctores, qui censeant ibi præscribi formam imponendi censuram, qua non seruata nulla est impositio: sic Francisc. Leo *in thesau. fori Ecclesiast. 3. p. cap. 38. numero 22.* Sayrus *de censur. lib. 1. capit. 9. numero 13.* Lazarus *de monitorialib. sect. 4. quæst. 8. num. 7.* & tradit Rota apud Garc. 1. *p. de benefic. cap. 5. num. 587.*

Cæterum omnino tenendum est contrarium, vt constat ex stylo & praxi satis recepta. Non enim hæc excommunicatio expeditur in subsidium executionis realis, vel personalis. Quia est excommunicatio lata quasi per legem, & ex tuo consensu cum solutioni pensionis sub illa censura consensisti. Neque tunc præcuisti executionem realem esse prius faciendam. Ergo absque illa excommunicari, & declarari potes: sic in terminis docet Garcia *loco allegato*, & testatur sic declarasse sacrã congregationem his verbis quando litteris Apostolicis datur facultas excommunicandi motosum in solutione pensionis, non tenetur executor in ferenda sententia excommunicationis seruare formam decreti Trident *sess. 25. cap. 3.* nec huiusmodi facultas censetur data in subsidium.

5 Vlterius inquires, excuseris ne ab hac excommunicatione incurrenda, aliisque pœnis, si cedas bonis, assignata tibi congrua sustentatione, iuxta textum *in cap. Odoardus de solutionib.* Videtis non excusatusseo quod in litteris pensionis cesseris beneficio *dicti cap. Odoardus*. Et quia pensio ante omnia deducenda est ex fructibus beneficij sic tradunt Couarru. *lib. 2. var. cap. 1. num 3.* Ioann. Gutierr. *de iurram. confirmat. 1. part. cap. 17. numero 31. & vlt.* Garcia 1 *part. benefic. cap. 5. num. 236.* Cæterum placet mihi distinctio Suar. *tom. 5. de censur. disput. 20. sect. 2. num. 13.* affirmantis te excusatum esse, si absque graui iactura tui status & dignitatis clericales pensionem soluere non potes, quia præsumi non potes huic naturali, & strictæ obligationi cedere; esset enim iniqua cessio. At si cum aliqua leui diminutione tui status potes solutionem præstare, teneris; & in hoc sensu intelligiturte renunciare *dicto cap. Odoardus*. Quapropter sto ordinarius non possit facta tali renunciatione admittere bonorum cessionem, & congruam sustentionem tibi assignare, a potest ad auditorem cameræ accedere, vt illam admittat, qui eam admittere debet non obstante renunciatione, & signare tibi sustentationem maiis strictam, & limitatam, quam regularit. taliis non renunciantibus *supra d. cap. Odoardus*, assignatur, sic expresse Suar *supra*, vbi notat. si impetres à Pontifice diploma, vt beneficio *dicti cap. Odoardus*, vti possis, prout de iure conceditur, debere in rescripto apponi clausulam derogatoriam cuiuscumque obligationis cameralis, aliàs nullius effectus esse.

5 Secunda difficultas est de pœna priuationis beneficij, & regressus pensionarij ad ipsum, quia ratione intelligatur. Et quidem beneficiarium non esse obligatum beneficium dimittere, quousque sententia saltem declaratoria criminis accedat, probabilius censui. *tract. de legib. disput. de lege pœnali.* At data sententia potest pensionarius habens potestatem accipiendi ben ficium, illud accipere sicuti potest dominus bona emphyteutica accipere ob non solutam pensionem, si ad sui petitionem declaratum fuerit emphyteuticam incidisse in commissum, Azor. 2. *p. instit. moral. lib. 8. quæst. 4.* Aduerto tamen ob decursam & non solutam pensionem beneficiarij mortui non posse successorem beneficio priuari, neque pensionario dari regressum: quia cum in vita non fuerit declaratus excommunicatus, neque in excommunicatione perseuerauerit tempore requisito ad priuationem, priuari non potest: sic benè probat Azorius *dicta 2. part. institut. moral. lib. 8. capit. 9. quæst. 4.*

§. VIII.

Quæ sint obligationes pensionarij ob habitam pensionem.

1 *De obligatione recitandi officium paruum satis dictum est tract. 3. religionis.*

2 *Quid de obligatione pensionarij soluendi subsidium, & excusatum, aliaque onera beneficiis annexa.*

3 *Possitne pensionarius de fructibus perceptis libere testari? Negant aliqui. Probabilius est posse.*

1 PRima, & præcipua obligatio pensionarij est recitare officium paruum B. Virginis, de qua obligatione abundè diximus *tract. de horis canonicis. disp. 2.* Neque aliquid occurrit notandum.

2 Secunda obligatio, quam pensionarius habet, est contribuere ab subsidium, & excusatum, ad decimam Papalem, & collectionem ad seminarij contributionem, ad Ecclesiæ reparationem, aliàque onera beneficiis imposita: cum enim pensio ex fructibus beneficij debeatur, & omnia hæc onera beneficiorum fructibus annectantur, consequens est, vt pensioni annexa sint: sic Gigas *de pensionib. quæst. 38. & 59* Azor. 2. *part. instit. moral. lib 8. cap. 9. quæst. 2.* Gambarus *de officio leg. lib. 6. quæst. 5. num 207.* Nicol. Garcia *de benefic. 1 part. cap. 5. numero 171.* Barbosa. 3. *part. de potest. Episcop. alleg. 77. num. 14. alleg. 64. num. 8.* Hinc fit beneficiarium obligatum soluere hæc onera posse retinere eam partem, quæ pro quantitate pensionis soluenda est: sic relato Decio *consil. 156.* Cacialupo *quæst. 17.* docet Garcia *supra*, & Barbosa

Ab hac regula excipi debet pensio ex gratia Pontificis ab iis oneribus libera, & exempta: solet enim Pontifex sic pensionem alicui concedere. Qua concessione facta tenetur rector beneficij ea onera subire, nihil deducendo pro pensione: sic Gigas, & Azor. *supra num. 172.* Gambar. *à num. 216.* Hæc tamen exceptio, & priuilegium solet sequentibus priuilegiis in contrarium derogari cuius derogatio vt habeant effectum, debet expresse fieri, & per verba satis clara: sic Garc. *supra*,

Quod si hac exceptione non obstante pensionarius cogeretur à collectore apostolico illa onera subire, debet antequam soluat protestationem præmittere, quòd coactus, & timore censurarum compulsus soluit, aliter non soluturus. Qua protestatione facta solutio ei nocere non potest, quia non est voluntaria, vt colligitur ex *leg. voluntaria. Cod. de excusat. tutela*, & *cap. accedentibus. de priuilegiis*, & *cap. cum accessissent, de constitutionib.* & ex Bartol. *in leg. 1 Cod. de his qui sponte mun. publ. subeunt. lib. 10.* & Ludouic. Roman. *consil. 252.* & tradit Gigas *quæstion 61.* Azor 2. *part. instit. moral. lib. 8. cap. 13. quæst. 8.* At si protestationem non præmissa soluit probabile est admittere priuilegium, probabilius censui oppositum *tract. de legib. disput. 4. p. 19*

3 Vltra supradictas obligationes affirmant aliqui pensionarium de iure communi testari non posse de fructibus pensionis, sicuti non potest beneficiarius ex fructibus beneficij: quia cum pensio sit quædam portio ex beneficij fructibus detracta, eisdem regulis metiri debet; sic Nauarr. *de restitib. quæst. 1. monito 32. num. 2 & 3. & de spoliis 8. num. 8.* Sarmiento *de redditibus. part 3. cap. 1. numero 7.* Redoan. *de spoliis Ecclesiast. §. ex his, & de rebus Ecclesiæ. Rub. 33. quæst. 1. ad finem.* Mol. *de iustit. 1. tom. tractat 2. disput. 145.* Garcia 1 *part. de benefic. cap. 5. n 161.* Contrarium huius sententiæ defenditur à grauissimis doctoribus, liberumque pensionarium relinquunt, vt de pensionis fructibus possit pro suo arbitratu, siue in vita, siue in morte disponere: sic Gigas *quæst. 52.* Couarr. *in cap. cum in ecclesiis. num 6. ad finem de testament.* Menoch. *de arbitr. casu 172. numero 8.* Quintana Duennas *lib. 2. Ecclesiast. num. 7.* Butsatus *cons. 178. ex num 27. ad 37.* Zetola *in praxi Episcop. 2. part. verbo pensionarius. §. 25. & verbo spolium §. 15.* Mouentur, quia solum beneficiarijs videtur hæc obligatio imposita, & non pro omnibus eorum bonis, sed pro illis tantum, quæ ratione, & iure Ecclesiæ acquirunt, quia hæc tantum sunt, quæ in Ecclesiæ vsum conuerti debet, vel successori in beneficio reseruari, vt colligitur ex *cap. cum vos. de officio ordinar. capite præsenti. eodem titul. in. 6.* At pensionarius neque est ne beneficiarius, neque fructus percipit iure Ecclesiæ sed iure renunciationis, gratitudinis, aut simili sibi in alimentum, & subsidium vitæ concessos. Ergo potest de illis liberè disponere.

In hac re distinctione vtitur Azor. 2. *part. institut. mor. lib. 7. cap. 3. quæst. 8 & 16.* affirmat namque spectato iure communi, pensionarium liberè disponere posse de fructibus pensionis, neque sub spolio clericorum contineri ob rationem dictam; quia esto sint fructus beneficio sunt tamen à beneficio separati, & pensionario applicati, non iure Ecclesiæ, sed alio titulo. At spectatis constitutionibus Pontificiis. Pauli III. Iulij III. & Pij V siequaquam pensionarium de illis disponere pro libito posse, sed in vita debere residuum sustentationis in vsus pios expendere, & in morte non posse de ipsis testari, sed cameræ Apostolicæ applicatos esse.

Cæterum mihi sententia Couarruu. Gigantis, Menoch. & aliorum magis probatur: quia nullum verbum video in cõstitutionibus supradictis, ex quo hæc inhabilitas ad testandũ colligatur. Nam constitutiones Pauli III. & Iulij III. non loquuntur de fructibus pensionis, sed de acquisitis per beneficiarium titulo negociationis, vel aliunde contra sacros canones. Constitutio vero Pij V. nihil aliud facit, quam exceptionem ponere aliquorum bonorum, ne sub spolio cameræ Apostolicæ debito comprehendantur, in quo vtilitati, & indemnitati. Ecclesiarum prouidit, & licet subdat Pontifex reddiius, & prouentus beneficij, seu pensionis valorem 30 ducatorum non excedentes sub spolio non comprehendi; non inde infertur redditus & prouentus beneficij & pensionis extendentes valorem 30. ducatorum comprehendi, sed solum infertur relinqui dispositioni iuris communis; cum autem ex iure communi solum constet redditus, & prouentus beneficij sub spolio clericorum comprehendi; efficitur sane redditus, & prouentus pensionis liberos esse ab hoc onere; proinde posse pensionarium de

fructib

fructibus pensionis in vita, & in morte disponere; neque sub spolio camerae Apostolicae contineri, tam spectatoiure antiquo, quam nouo.

§. IX.

Qua ratione pensionarius possit pensionem in alium transferre.

1 *Affirmant plures pensionem translatam eandem esse in translatario ac erat in transferente.*
2 *Probabilius est per translationem nouam pensionem constitui. Et sic satis contrariis.*
3 *Fideiussor datus à beneficiario non obligatur translata pensione.*
4 *Solùm ex authoritate Pontificis est potestas transferendi pensionem.*
5 *Quis modus seruandus sit in translatione pensionis.*
6 *In quas personas transferri possit.*
7 *Potestas transferendi pensionem prima translatione valida finitur.*

NEgari non potest vsu & stylo Romanae curiae pensiones transferri. Hæc igitur translatio est mutatio iuris ex vna in aliam personam.

1 Dubium tamen est, an sit eadem pensio in translatario, quæ erat in transferente? Affirmat Suar. *tract. 3. lib 4. cap. 33. numero 6.* Rota *in vna Carpentoraten. pens. 29. Maij 1602. & in alia Segobien. 20. Maij. 1598 relatis à* Garcia *1. part. de benefic. capit. 5. numero 256.* Et probatur, quia transferens pensionem cedit iuri quod habet, vt in translatario sit. Ergo non est aliud ius in translatario, ab eo quod erat in transferente. Aliàs non esset translatio, sed nouæ pensionis constitutio. Et quidem confirmari potest, si census tempus esset ea conditione, vt loco retum, quæ solutioni hypothecatæ sunt, aliæ subrogati possunt, & de facto subrogentur, per talem subrogationem non constitueretur nouus census, sed antiquus perseuerabit mutatis hypothecis, quarum mutatio non sufficit ad mutandū obligationem census, quæ eadem perseuerat, sed per translationem pensionis, non mutatur obligatio, sed quæ erat comparatione conferentis, est respectu translatarij. Item census non variatur ex eo quod ex vno in alium transferatur; quia semper eadem obligatio perseuerat. Ergo similiter non variabitur pensio ex translatione vnius in alium.

2 Nihilominus dicendum est per translationem pensionis nouam pensionem constitui, & antiquam extingui, sic ex communi sententia testatur Gigas *de pension. quæst. 74. numero 1. & quæst. 88 num. 8.* Azor. *2. part. institut. moral. lib. 8. cap. 10. quæst. 5. & cap. 11 quæst. 1.* Gratian. *discept. forens. capit. 113. numero 77.* Garcia *de benefic. 1. part. cap. 5. numero 255.* Flamin. Parisius *lib. 6. de resignat. q. 4. numero 7.* Ratio est, quia in pensionibus non datur vacatio; quia non sunt iura realia, & perpetua, sed temporalia, & personalia, vnde mutatis personis ipsa iura mutantur. Alias si idem ius in translatario esset, ac erat in transferente, mortuo transferente periret ius translatarij, quia transferens solum habebat ius pensionis pro sua vita, & consequenter non posset vltra vitam propriam ius translatario concedere. Ergo per translationem non transfertur ius idem, sed aliud in conditionibus simile. Et ob hanc similitudinem dicitur eiusdem pensionis fieri translationem, tametsi pensio translata distincta sit.

Neque obstant contraria. Concedo pensionarium cedere iuri quod habet, vt in translatario sit aliud simile, non verò sit idem. Ad confirmationem primam admitto gratis censum non variari, ex eo quod varientur hypothecæ; non tamen inde infertur non variari pensionem. si pensionarij varientur, quia vnitas census non tam ex hypotheca, quam ex obligatione debitoris desumitur, quæ cum eadem sit idem est census: at vnitas pensionis ex vnitate pensionarij desumitur, quia illo pereunte perit, ac proinde ad variationem pensionarij variatur pensio. Ad 2. confirmat. dico census perpetuos non variari ex translatione vnius censualistæ in alium, sicut non variatur beneficium, etsi beneficiarij varientur; quia personis non annectuntur; secus dicendum est in pensionibus, quæ pensionariis adhærent, & cum ipsis pereunt; sicuti vsus fructus cum vsufructuario, & census vitalitius cum persona cui soluitur.

3 Ex his infertur fideiussorem datum à beneficiario in fauorem primi pensionarij, non transire in translatarij fauorem; quia prorogatio fideiussionis ex sola fideiussoris voluntate pendet; non ex pensionarij, neque ex Pontificis voluntate; cum autem fideiussor solum dederit fideiussionem in fauorem primi pensionarij nequaquam ad translatarij fauorem extendi debet: & ita docet Garcia *1. part de benefic. cap. 5. num. 247.* decisionibusque Rotæ comprobat.

4 Secundo dubitabis; quibus competat potestas transferendi pensionem? Certum est nemini competere posse, nisi ex authoritate Pontificis. Quia nullus excepto Pontifice concedere potest facultatem grauandi beneficia. At per translationem pensionis beneficia grauantur; siquidem onus impositum denuo prorogatur. Ergo fieri non potest ex alterius consensu, quā Pontificis: sic Azor. *2. part. institut. moral lib. 8. cap. 11. quæst. 2.* Garcia *1. part de benefic. cap. 5. numero 242.* Gonzalez *glos. 5 §. 5 numero 38* Gambarus *de offic. legat. numero 225.* Flamin. Pariſ. *lib. 6. de resignat. quæst 4. numero 13. & seqq.* Personæ, quibus hæc facultas competit, tales sunt: nam esto ex concessione Leonis X milites S. Petri facultatem habuerint transferendi pensionem centum ducatorum, & milites S. Pauli à Paulo III. creati facultatem habuerint transferendi pensionem ducentorum ducatorum cameralium, & milites Pij, sic nominati, quia à Pio IV. instituti sunt habuerint facultatem transferendi pensionem centum, & quinquaginta ducatorum cameralium. Pius tamen V. *in sua constitut. 71.* has omnes facultates reuocauit, neque concedendas dixit, nisi Cardinalibus, & viris de Ecclesia multum benè meritis. Sixtus verò V. indicans milites Lauretanos ab ipso institutos de Ecclesia benè mereri, facultatem eis concessit transferendi pensionem ducentorum ducatorum cameralium. Nunquam tamen intelligenda est hæc potestas concessa, nisi verbis claris exprimatur, quia est odiosa, & beneficiis Ecclesiasticis nimis grauis. Felin *lib. 6. de resignat. q. 4. numero 28. cum seqq.* Puteus *decis. 342. lib. 2.* Garcia *1. part. de benefic. cap. 5. num. 241.* Azor. *2. par. instit. moral. lib. 8. capit. 11. quæst. 9.*

5 Tertio dubitatur de modo, quem seruare debet pensionarius in translatione pensionis? Cui dubitationi respondeo, illum esse seruandum, qui in facultate præcipitur. Regulariter hæc translatio facienda est coram canonico cathedralis Ecclesiæ, vel persona in dignitate constituta, iuxta textum *in cap. statutum. de rescript. in 6.* neque aliter fieri potest, nisi, in facultate expresse cautum sit; quia nullus alius, spectato iure, capax est commissionum Apostolicarum: sic Azor. *2. part. instit. mor. lib. 8. cap. 11. quæst. 1.* Garc. *1. par. cap. 5. numero 244.* Genuens. *in praxi cap. 84. numero 10.* Huic ergo canonico, vel personæ in dignitate constitutæ præsentandæ sunt litteræ originales, vel aliàs authenticæ, quibus pensionario datur facultas transferendi pensionem. Alias procedere non potest; quia non potest procedere, quin ei constet iuridicè de iurisdictione sibi concessa, quam ex vi harum litterarum accipit: sic Mandos. *de signatur. gratia. tit. de translat. pension. vers. nonnunquam.* Flamin. *de resignat. lib. 6. q. 4. n. 37.* Garcia *6 p. de benefic. cap. 2. num. 11. & 16.*

Milites vero Lauretani, & alij, quibus ratione sui status concessa est facultas pensionem transferendi coram notario, & testibus, non indigent ostensione priuilegiorum. Tum quia non eligitur in hac translatione iudex executor qui transferat, & cui committatur iurisdictio. Sed absque iudice executore ex consensu pensionarij authentico fit translatio. Tum & præcipuè, quia ipsa priuilegia omnibus nota sunt, sufficit ergo si transferens probet ex illorum familia esse: sic Mandos. *supra vers. milites S. Petri.* Flamin, *quæst. 4. numero 40. & 41.* Garcia *num. 15.*

Ad huiusmodi translationem potest pensionarius vti procuratore; quia generale est censeri factum per te ipsum, quod per alium facis, & posse facere per alium, quæ potes facere per te ipsum dum prohibitus non fueris *reg. 68. de Reg. iur in 6.* sic ex decisione quadam Rotæ probat Garcia *1 part de benefic. 5. n. 246.* Consensus beneficiarij grauati pensione ad hanc translationem non requiritur. Quia Pontifex liberam beneficiorum administrationem habet; potest ergo grauare beneficia sine consensu beneficiarij Gigas *de pensionib. quæst. 83. num. 9.* At in pensionibus impositis ob causam resignationis, numquam censetur Pontifex consentire, vt transferantur absque consensu resignatarij, ne resignatarius conqueratur sibi onus imponi, in quod nullo modo consensit, cum beneficium acceperit. Azor. *2 part. inst. mor. lib. 8. cap. 11 quæst. 8.* Tempus autem in quo pensionem transferre potes (si in litteris Pontificis non limitatur) est cursus vitæ. Quia non teneris seruare regulam de infirmis, qua cauetur, ne beneficiarij resignare beneficia possint intra 20. dies ante obitum, sed in ipsomet articulo mortis constitutus hanc poteris facere translationem; sic Gomezius *in reg. Cancellar. de infirmis. q 16.* Mandos. *ibi. quæst. 11.* Azor. *2. part instit. mor. lib. 8. cap. 11. quæst. 10.*

6 Personæ in quas hæc translatio fieri debet, sunt aliàs habiles pensionis recipiendæ. Solum est dubium de filio illegitimo compatatione patris an inquam capax sit pensionem patris recipere? Negat Mandos. *tractat. de signatur. grat. & instit. titul. translationes.* Garcia *de benefic. 7. part. cap. 3. n. 36.* quia successio in beneficiis reprobatur à iure, præcipuè à Clemente VII. ann. 1530. in sua constitutione, quæ in ordine est 36. cuius tenorem refert Gigas *de pensionib quæst. 86.* Nauarr. *cap. si quando excepit. 21. in prine.* ibi enim prohibetur filius illegitimus beneficium quodcunque Patris habere, ergo prohibetur succedere in pensionibus, quæ loco beneficij succedunt, & sub hac prohibitione fauorabili comprehendi debent. Item quia Trident. *sess. 25. cap. 15. de reform.* prohibet ne filius illegitimus pensionem habeat super beneficio, quod pater obtinuit, ne paternæ incontinentiæ extet memoria. quæ ratio æquè probat de pensionum succes-

successione. Deinde Pontifex in sua constitutione incipiente *Qua ordini Ecclesiastico.* decernit; vt nullus siue ex testamento, siue ab intestato, siue legato, siue eleemosyna, siue alio quocumque titulo & pio opere, ex bonis Ecclesiæ aliquid ad spurios filios transmittat; at pensionis fructus Ecclesiæ bona sunt; neque ergo pensionarius clericus ad suum filium spurium transmittere. Cæterum dicendum est posse patrem pensionarium habentem facultatem transferendi pensionem eam in filium suum illegitimum transferre: sic Gigas *de pension. quæstion.* 86. *num.* 5. Flamin. *de resignat. lib.* 6. *quæst.* 4. *num.* 21. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell gloss.* 5. §. 5. *num.* 22. Barbosa *de potest. Episcop* 3. *part. alleg.* 65. *num.* 57. Quia hæc facultas cum sit priuilegium principis, est latè interpretanda. Tum quia à iure solum est reprobata successio filij in beneficiis parentis, quæ prohibitio non debet extendi ad pensionem, cum sit odiosa, & pœnalis, & quæ excludit à beneficiis alias habiles. Neque Trident. ratio æquè militat in pensionis translatione, ac in beneficio; quia beneficium semper est idem; at pensionis translatione extinguitur antiqua pensio, & noua erigitur. Addejesto ratio decidendi eadem esset in pensione, ac in beneficio, non infertur eandem esse dispositionem; quia in pœnalibus, & odiosis non extenditur lex ex similitudine rationis. Pontifex vero huic translationi in illa constitutione non contradicit; quia loquitur de alienatione bonorum Ecclesiæ, non de translatione beneficij, vel pensionis: & insuper loquitur de transmissione bonorum Ecclesiæ donatione, legato, testamento, &c. at pensio non iis modis transfertur, sed collatione Pontificia: sic Garcia 7. *part. de benefic. cap.* 3. *num.* 34. Hoc autem intelligendum est, vt non procedat in pensione, quam pater habet super beneficium à se aliquando possessum; quia pensiones in beneficiis paternis habere omino filius illegitimus prohibetur. Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. *de reformat.* Flamin. Gonzalez & Barbosa *supra.*

7 Tandem aduerto potestatem transferendi pensionem prima translatione valida finiri, nisi aliud in litteris fuerit expressè concessum, ex *leg. legis bonis.* §. *hoc sermone ff. de verbor. significat.* quia per primam translationem validam abdicat à se pensionarius omne ius pensionis. Ergo nihil habet vltra, quod possit transferre. Ergo si ipsis translatariis non conceditur potestas transferendi pensionem, pensio non est transferibilis: sic Garc. 1. *par de benefic. cap.* 5. *num.* 247. Gonzalez *gloss.* 11. *num.* 82. probatque decisione Rotæ in vna Oxomen. 20. Maij, 1598. coram D. Litta Dixi *finiri potestatem transferendi prima translatione valida*; quia inualida translatio reputatur, ac si facta non fuisset, ac proinde non impedit translationem; quia quod de iure sortitur effectum, non præstat impedimentum. *reg.* 52. non præstat *de regul. iuris. in* 6. & tradit Garcia 1. *part. de benefic. cap.* 5. *n.* 252. vbi testatur sic à Rota fuisse decisum.

§. X.

Quot modis pensiones extinguantur.

1 *Morte pensionarij pensio extinguitur.*
2 *Quid dicendum de pensionibus impositis in capite vnius ad commodum alterius?*
3 *Matrimonio pensio extinguitur,*
4 *Quid si ex facultate Pontificis retineatur pensio in ordine militari, & professio facta non sit seruatis Trident. conditionibus.*
5 *Quid si ducat vxorem miles contra consensum supremi ordinis Magistri? Sub distinctione respondetur.*
6 *Quid si data sit facultas retinendi pensionem post matrimonium, & interim miles Lauretanus pensionarius factus est?*
7 *Promotione ad episcopatum pensio extinguitur.*
8 *Extinguitur pensio professione religionis. Et quid in Societate Iesu?*
9 *Item extinguitur militia assumpta.*
10 *Item ob cessionem pensionarij nulla authoritate superioris factam.*
11 *Item ob non delatum habitum clericalem, & tonsuram.*
12 *Item extinguitur si solutione antipata redimatur.*
13 *Tandem extinguitur, si beneficium pensionarius obtineat, in quo pensio sita est.*

1 VArij sunt modi, quibus pensiones extinguuntur. Primus, & præcipuus est morte pensionarij, quia hæc seruitus in beneficio solum pro eius vita conceditur, vt ex omnium sententia testatur Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 8. *c.* 10. *in princip.* Flamin. *lib.* 6. *de resignat. quæst.* 4 *num.* 3. & 31. Gutc. 1. *p. de benefic. cap.* 5. *num.* 239. Gonzal. *ad reg. Cancell. gloss.* 5. §. 5. *num.* 40.

2 Dubium tamen est, cuius morte spirent pensiones in capite vnius impositæ ad commoditatem alterius: solet enim Pontifex pensionem in beneficiis Hispanis Italo concedere, sed quia ipse Italus nomine proprio obtinere pensionem non potest ob leges regias, & pragmaticas sanctiones, quærit Hispanum, qui pensionem proprio nomine recipiat, & ei obligetur pensionem reddere: Quæritur ergo cuius morte extinguatur hæc pensio, morte inquam Hispani, an Itali, an vtriusque? Ex quidem difficultate non caret hanc reseruationem pensionis validam esse; quia est in fraudem, & derogationem priuilegij remuneratorij à sede Apostolica concessi regnis Hispaniæ, vt nullus externus neque beneficium, neque pensionem Ecclesiasticam ibidem habere possit, cui priuilegio videtur derogari concessa Italo omni commoditate pensionis, tametsi in capite Hispani imponatur; quia nomine tenus tantum imponitur, & forte ob hanc causam Itali à beneficiario Hispano schedulam banchariam exiguunt de solutione Romæ facienda, timent enim beneficiarium legibus regiis, & priuilegio regali negarutum solutionem, quod ne contingat supradicta obligatione præcauent. Concessio ergo validam esse hanc reseruationem, vel quia Pontifex dispensat in supradicto priuilegio, vel quia priuilegium est, ne exteri beneficium, & pensionem iure, & titulo proprio in regnis Hispanis obtineant, non autem quod non obtineant beneficij cummoditatem. Dicendum est, si in capite Hispani reseruata fuit pensio, (vt semper reseruari solet) tametsi in gratiam Itali morte Hispani finiti pensionem; quia cum ipse titulum, & proprietatem habeat ipso pereunte perit pensio: sic Garcia 1. *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 262. Azor. 2. *par. instit. moral. lib.* 8. *capit.* 6. *quæst.* 7. testanturque à Rota sic fuisse decisum Quapropter Italus sic pensionem obtinens, simul etiam obtinet, vt Hispanus supradictam pensionem transferat, ne ipse commoditate pensionis priuetur pereunte Hispano. Difficultas ergo est; an pereat pensio pereunte Italo, ad cuius commoditatem statuta est? esto viuat Hispanus, qui titulum habet. Negant aliqui, quia aliàs pensio non esset data Hispano absolutè, sed solum conditionaliter, dum vixerit is ad cuius vtilitatem conceditur. Alij, & probabilius, affirmant pereunte Italo pensionem perire, quia cum tota gratia, & reseruatio pensionis Hispano facta sit correspectiua ad vtilitatem Itali, hac cessante, cessare videtur: sic ex decisione Rotæ in vna Hispalen. pensionis facta coram D. Binario, 15. Octobr. 1571. probat Garcia 1. *part. de benefic. cap.* 5. *num.* 263. & *num.* 270 & *sequentib.* comprobat duplici decisione Rotali ex libro datariæ desumendum esse, ad cuius commodum pensio reseruata sit.

3 Secundus modus extinguendi Ecclesiasticam pensionem est per matrimonium contractum verbis de præsenti: hæc enim pensio loco beneficij succedit, eiusque naturam imitatur, sed beneficium vacat matrimonio contracto, vt est omnium sententia. Ergo & pensio, & ita vsu stiloque Romanæ curiæ receptum est sic, post alios antiquiores, quos referunt, tradit Gigas *de pensionib. quæst.* 54. Couarru. 4. *decret.* 2. *part.* 6. §. 3. Azor. 2. *part. institut. moral. lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 1. Sanch. *lib.* 7. *de matr. disput.* 44. *num.* 5. Garcia *de benefic.* 1 *part. cap.* 5. *n.* 108. Barbosa *de potest. episcop alleg.* 57 *num.* 206. Fatinac. *in fragment. verbo clericus. num.* 331 Flamin. *lib.* 1. *de resignat. q.* 1. *n.* 15. & *lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 115. Hinc fit illo matrimonio extingui pensionem, quo beneficium vacat; ac proinde cum sub opinione constitutum sit, vacet ne beneficium per matrimonium aliàs irritum, etiam sub opione positum erit, extinguatur ne pensio tali matrimonio. sic Azor. Sanch. Barbosa & alij, *supra.*

4 Solum est dubium, an vacet pensio, si facultatem obtineres à Pontifice retinendi pensionem contracto matrimonio post professionem in aliquo ordine militari, si professionem emitteres ante 16. annum, & antequam annum nouitiatus expleres? Ratio dubij est; quia ex Trident. decreto *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regularib.* nulla est professio facta supradictis conditionibus non seruatis, ergo qui sic professus duceret vxorem, absque professione legitima illam duceret; ac proinde retinere non poterit pensionem. Cæterum affirmandum est pensionem retinere posse: sic Flamin. *l.* 6. *quæst.* 2. *num.* 115. Thom. Sanch. *lib.* 7. *de matr. disput.* 44. *num.* 8. Azor. 2. *part. instit. mor. lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 1. *vers. aliquando.* Ratio est, quia illa professio sic facta valida est; eo quod decretum Trident. hos milites non comprehendit: loquitur enim de religiosis communem vitam degentibus, & veram paupertatem promittentibus, & bonis omnibus renunciantibus: quia de illis loquitur Trident. *cap.* 15. de quibus loquitur 16. *cap sequenti*; siquidem seriem orationis præcedentis continuat. vt colligitur ex illis verbis initio capitis positis. *Nulla quoque renunciatio.* dictio enim *quoque*, continuatiua est, sed *in cap.* 16. non loquitur concilium de iis militibus quia ipsi nullam bonorum renunciationem præstant, nec veram paupertatem vouent. Ergo neque in cap antecedenti, vbi de ætate & tempore ad professionem requisitis, hos milites comprehendit. Deinde quia intendens concilium hos milites comprehendere, sicut & alios religiosos sub obligatione contributionis pro seminario eos expressit: *sess.* 23. *cap.* 18. Adde milites Hierosolymitanos nouo se statuto subdidisse huic Trident. decreto vt testatur Flamin. Sanch. *supra.* & Barbosa *in vers. sion. concilij ad supradictum locum.* Ergo signum est antea non comprehendi.

5 Sed quid si ducat vxorem miles absque consensu supremi ordinis Magistri contra eorum statuta, peribit ne pensio?

Distinguendum est cum Azor. *suprad. lib. 8. cap. 10. quæst. 1. in fine.* Si ob omissum consensum supremi Magistri priuatur miles priuilegiis militaribus, amittet quidem pensionem ? quia illam retinet ex priuilegio ordini militari concesso. At dum his priuilegiis non spoliatur, pensionem retinere potest. Videndum tamen est, an ob hanc causam possit supremus Magister hac spoliatione militem afficere.

6 Quid si ex facultate Pontificia retineas Ecclesiasticam pensionem aliquo tempore determinato, verbi gratia vno anno post matrimonium contractum, & antequam annus elabatur officium susceperis militis Lauretani, quibus conceditur facultas retinendi pensionem : poterisne talem pensionem retinere, sicut si nullum matrimonium contraxisses ? Negat Rota *in vna Romana pensionis*, 13. *Martij* 1609. quia priuilegium Lauretanæ militiæ est retinendi matrimonio contracto pensionem toto eo tempore, quo retineri poterat ante susceptam militiam ; at tu solum poteras retinere pensionem vno anno post matrimonium contractum. Ergo assumpta militia solum illo anno retinere poteris. Cæterum mihi probabilius apparet te in perpetuum retinere posse: sic Garcia docet nuper relatus Ratio est, quia illa pensio à principio non fuit pro limitato tempore concessa, sed fuit concessa absolutè, debebat autem extingui matrimonio contracto, quam extinctionem suspendit facultas Pontificia pro vno anno concessa. Si igitur interim suscepisti militiam Lauretanam, cui est concessa pensionum prorogatiua non obstante matrimonio; efficitur sanè tuam pensionem prorogari ; quia superueniens militia impedit extinctionem, quam matrimonium causare debebat, sicuti si post assumptam militiam matrimonium contraheretur.

7 Tertio extinguitur pensio per promotionem ad Episcopatum, quia per huiusmodi promotionem beneficium vacat: sic Gigas *quæst. 56. & consil. 149. n. 8.* Azor. 2 *part. institut. moral. lib. 8. c. 10. quæst. 2.* Garc. 1 *part. de benefic. c. 5. num. 110.* Hieronym. Gabr. *consil. 100. lib. 2.* qui idem sentiunt de promotione ad Abbatiam, per quam beneficia priora vacant.

8 Quarto extinguitur pensio Ecclesiastica, sicut & beneficium per professionem expressam, vel tacitam religionis, ex recepto curiæ Romanæ stylo: sic Gigas *quæst. 57.* Azor. 2. *part. institut. moral. lib. 8. cap. 10. quæst. 3.* Garcia 1. *part. de benefic. cap. 5. num. 114.* Thom. Sanch. *lib. 7. in decal. cap. 29. num. 2. & 8.* Sub hac regula comprehenduntur equites D. Ioannis, non autem alij religiosi aliorum ordinum militarium ; quia nec verè religiosi sunt, nec statum habent incompatibilem, sic Sanch. *num. 9.* Aduertit, & benè idem Sanch. *num. 10.* per vota biennij facta à religiosis Societatis Iesu non vacare pensiones, sed illas possidere posse, interim dum professio, aut vota coadiutorum firmatorum non emittuntur.

9 Quinto extinguitur pensio per militiam assumptam, quia assumitur status alienus ab Ecclesia, & consequenter indignus, cui concedantur illius fructus: sic Gloss. *cap. vlt. de cleric. non resident. verbo redierint.* Gigas *quæst. 55.* Azor. 2. *part. instit. moral. l. 8. c. 10. quæst. 3. gloss. 13. num. 54.* Flamin. *lib. 1. de resignat. quæst. 1. num. 22.* Farinac. *fragment. verbo clericus. num. 138.* Debet tamen prius pensionarius moneri, quod si monitus non destiterit, eo ipso extingui censebitur.

10 Sexto extinguitur pensio, sicut & beneficium vacat, si monitus pensionarius, vt habitum clericalem, & tonsuram deferat, non obedierit, quia sic habetur in constitut. Sixti V. quæ incipit, *Cum sacrosanctum*, edita 5. Idus Ianuarij 1588. & tradit Gonzalez *gloss. 15. n. 56.* Azor. 2. *part. institut. moral lib. 7. cap. 17. quæst. 1. versicul. decimum quartum crimen.* Barbosa *tertia part. de potest. episcop. allegat. 57. n. 117.*

11 Septimo extinguitur pensio cessione à pensionario facta. Neque ad hanc cessionem authoritas superioris requiritur: cum enim pensio in vtilitatem pensionarij constituta sit, sola pensionarij voluntate cessare poterit. Neque obstat beneficium cessare non posse sola beneficiarij voluntate. Quia in beneficio est longè diuersa ratio à pensione. Nam beneficij dimissio nocere Ecclesiæ potest : at pensionis dimissio semper est Ecclesiæ fauorabilis. vtpote quæ Ecclesiam liberam relinquit. Item beneficium vacat, alterique est conferendum : at pensio dimissione extinguitur. & ita tenet Nauarr. *summ. cap. 23. n. 3.* Gomez *in regul. de infirmis resignantibus. quæst. 16.* Paul. Roman. *quæst. 8. de pensionib.* Gigas *quæst. 45. num. 5.* Azer. 2. *part. institut. moral. lib. 8. cap. 10. q. 6.* Hinc fit non solum totam pensionem, sed & partem remittere pensionarium posse ; quia quælibet huius remissio in Ecclesiæ vtilitatem cedit : sic Azor. *dicta q. 6. in fine.*

12 Octauo extinguitur pensio, si solutione anticipata redimatur. An vero hæc redemptio pro solo beneficiarij, & pensionarij cõsensu fieri possit, *tract. de vitiis relig. opposit. disputat. de simonia. puncto* 13. examinaui : ibi enim dixi, spectato stylo curiæ, authoritatem Pontificis requiri, vt omnis simoniæ suspicio euitetur, tametsi in rigore absque tali authoritate fieri possit,

13 Nono dicunt alicui pensionem extingui, si pensionarius obtineat beneficium, in quo pensio sita est ; quia cessabit ius percipiendi fructus ex alieno beneficio, in quo iure pensio sita est; sicuti cessat vsusfructus proprietate rei acquisita, vt expresse habetur in *leg. si tibi fundi vsusfructus. ff. quibus modis vsusfruct. amittatur.* Dixi, *si verè beneficium obtineas* ; quia non sufficit illud obtinere de facto, nisi iure obtineas ; sicuti non sufficit ad mittendum vsumfructum, quod tibi legetur fundi proprietas si hæc ad alium pertineat, *leg. dominus. ff. de vsufructu, & quemadmod. quis vtat.* sic Gigas *de pens. quæst. 49.* & ex illo Azor. 2. *part. institution. moral. lib. 10 octauo capit. 10. quæst. 7.*

DISPVTATIO II.

De his qui beneficia prouidere possunt, & de illorum prouisione, & acquisitione.

PVNCTVM I.

Quibus modis beneficium acquiratur.

1 *Acquiritur actu & potentia, & qualiter hac contingant.*
2 *Actu acquiritur collatione, institutione, electionis confirmatione. Et quæ hæc sint.*
3 *Beneficium in potentia, seu ius ad beneficium quibus modis acquiratur.*
Explicatur qualiter per electionem, & ante acceptationem ius in beneficium acquiratur.
4
5 *Qualiter præsentatione, & quæ ad illam requirantur.*
6 *An sit obligatus ordinarius admittere præsentationem illius qui notus est, & per procuratorem se præsentat: Resoluitur esse obligatum.*
7 *Ad valorem præsentationis acceptio requiritur.*
8 *Non per quamlibet præsentationem ius in beneficium præsentatus acquirit, sed per præsentationem, cui debetur institutio.*
9 *Gratia expectatiua ius ad beneficium acquiritur.*
10 *Item acquiritur ius mandato de prouidendo.*
11 *Hæ gratiæ expectatiuæ, & mandata de prouidendo per concilium sublata sunt.*
12 *Collatione nondum accepta ius ad beneficium conceditur.*
13 *Consuetudo, seu priuilegium optandi ius ad beneficium tribuit.*
14 *Ius ad beneficium conceditur pensionario, si pensio ei non soluatur.*
15 *Qualiter ius ad beneficium acquirat cui est beneficium concessum in euentum priuationis.*
16 *Item concedit ius ad rem coadiutoria cum futura successione.*
17 *Qualiter oppositione ius in beneficium acquiratur.*
18 *Qualiter ius in beneficio à iure ad beneficium differat.*

1. DVpliciter beneficium acquiri potest. Primo actu ; secundo in potentia, quod aliis terminis dici solet. Acquiri potest ius in beneficio, vel ius ad beneficium. Dum beneficium actu non acquiritur, dici non potest esse acquisitum ; quia interim neque est tuum, neque vsum illius habes ; ad summum dicetur esse acquirendum, & ius ad illud habendum habere.

2 Beneficium ergo actu acquiritur tripliciter ; collatione, institutione, electionis confirmatione, iis enim modis ius in beneficio conceditur. Azor. 1. *p. institut. moral. lib. 6. cap. 22. quæst. 1.* Collatio in præsenti est donatio, seu concessio beneficij vacantis à prælato liberaliter facta. *cap. proposuit. c. quia diuersitatem. cap. cum nostris. de concessione prabendæ & c. vltimo de officio vicarij. in 6.* Dupliciter fit hæc collatio, vel motu proprio concedentis, vel ad petitionem impetrantis, vt constat ex *cap. si motu proprio, & c. si tibi absenti. de prabendis in 6.* Quocunque modo ex his fiat, non varia ; naturam collationis, hoc est liberalis donationis, seu concessionis.

Institutio est concessio à prælato facta præsentato à patrono. Differt à collatione ; quia est concessio obligatoria : obligatur enim prælatus beneficium conferre ei qui est à patrono præsentatus, & tradit Abbas *in c. authoritate. num. 7. de institutionibus.* August. Barbosa 3 *de potest. episc. alleg. 72. num. 1.* At collatio propriè sumpta non est obligatoria, sed voluntaria beneficij concessio; quia pro sua voluntate prælatus beneficium confert, cum possit non conferre.

Electionis confirmatio est approbatio superioris electionis à collegio factæ alicuius personæ ad dignitatem, prælaturam, aliudve beneficium vacans. Differt à collatione ; quia est obligatoria, non libera. Differt à institutione quia est de persona à communitate Ecclesiastica electa, cum tamen institutio nominationem Ecclesiastici non requirat, sed sæpè à laicis fiat. Verum etsi collatio ab institutione, & electionis confirmatione differat, vt est expressa decisio *textus in cap. cum in illis. 16. §. cum autem, de prabendis, in 6.* ibi; *cum autem inter collationem,*

collationem, præsentationem, & institutionem differentia magna esse noscatur. &c. Et constat ex dictis. At læpè omnia illa comprehendit, vt colligitur ex toto titul. vt Ecclesiast. beneficia sine diminutione conferantur. clement. vnica. iuncta gloss. verbo conferantur. in fine. de rerum permutat. & tradit Mandos. regul. secunda Cancell. quæst. 4. num 2. Rebuff. super concordata. § statuimus el. 2. in vltim gloss. sub Rub. de collationib. & in praxi, titul. de dispensat. ratione ætatis. verbo conferantur, & denotat. num. 70. Quod si inquiras, quando collatio institutionem, & electionis confirmationem, imo & præsentationem comprehendit; & quando non; Optimè respondet Gonzalez gloss. 16. num. 11. dicens comprehendere, quando nomen collatio, à lege profertur in materia non ambitiosa & restringibili. At omnino ab institutione, præsentatione, electioneque differre, cum in materia odiosa, & restringibili apponitur, & constat ex supradicto cap. cum in illis, vbi cum quis prouideri mandatur de beneficio ad alicuius collationem pertinenti, non intelligitur, si ad eius præsentationem, vel institutionem pertineat.

3 Beneficium verò in potentia, seu ius ad beneficium multipliciter dicunt doctores acquiri. Primò, electione. Secundò præsentatione. Tertiò, acceptatione vigore gratiæ expectatiuæ. Quartò, ingratia expectatiua concessa ei qui in canonicum est receptus. Quintò, collatione nondum accepta. Sextò, reseruatione beneficij ad tui fauorem. Septimò, optione, vbi est ius optandi. Octauò, omissione solutionis debitæ pensionis. Nonò, priuatione iuris. Decimò, coadiutoria cum futura successione: sic Æneas de Falcon. de reseruat. 4. quæst. effectu 47. Garnen. in reg. de non tollendo iure quæsito. quæst. 1. Garcia 4. par. de benefic. cap. 3. à num. 1. Vt autem intelligatur qua ratione hoc verum sit, discutamus per singulos modos.

4 Primus est electio, qua quis ad prælaturam, dignitatem seu beneficium à maiore parte communitatis eligitur à superiore confirmandus. Æneas, Garnens. & Garcia supra. Dixi ad beneficium, ne limitarem electionem ad Ecclesiam pastore destitutam, quæ est propria electio, & in qua seruari debet forma præscripta in cap. quia propter. de electione. Censeo namque si communibus clericorum suffragiis aliquis eligatur ad dignitatem aliquam, vel canonicatum aliudve beneficium, cuius electio à superiore confirmanda sit, esse propriè electionem, quæ ius electo ad beneficium concedit. Dixi à superiore confirmanda electio, nam si superioris confirmatione non indiget, non est electio, de qua in præsenti loquimur, quæ ius ad beneficium tribuit: talis enim electio potius est beneficij collatio, & prouisio. Gonzalez gloss. 19. num. 11. At cum electio confirmatione superioris indiget, concedit electio ius ad beneficium. cap. fin. de translat. Episcop. & multis allegatis docet Garcia 4. par. de benefic. cap. 3. n. 3.

Dubium tamen est; an ante acceptationem electi hoc ius concedat electo. Negat mandos. reg. 32. quæst. 15. num. 6. Zerola in praxi Episcop. 1. par. verbo ius ad rem. § 2. & 2. par. verbo electio. § 2. Et probare potest à simili ex præsentatione, quæ ius non tribuit præsentato, quousque consentiat. Cæterum probabilius censeo ex sola electione ante acceptationem ius electo acquiri. Mouet ex cap. cupientes. § caterum. cap. quamsit. de elect. in 6. vbi electus ptiatur iure, quod per electionem acquirit, si infra mensem à die habitæ notitiæ suæ electionis non præbuerit assensum. Ergo supponit textus ante consensum aliquod ius per electionem concedi. Et ratio est; quia electio est dimidiata collatio beneficij, quæ confirmatione, & approbatione complerur; ac proinde electio actus est potestatis spiritualis, secus vero præsentatio, & nominatio, sic Felin. cap. cum Bertoldus. de re iudicata. n. 2. & 3. Dominic. in cap. quam sit. § 1. de electio. in 6. & colligitur ex Azor. 2. p. instit. moral. lib. 6. cap. 19. q. 2. in fine.

5 Secundus modus acquirendi ius ad beneficium est per præsentationem, seu nominationem. Ad cuius valorem primo requiritur, vt fiat coram constituente, aliàs nullum ius considerabile præsentato tribuit, sic Garcia 4. part. de benefic. capite tertio. numer. duodecimo. Sed dubium est, an medio procuratore, vel per litteras sufficiat, vt coram constituente fiat? Et quidem ex parte patroni certissimum est sufficere. Non enim tenetur patronus se corporaliter exhibere constituenti, vt eius præsentatio valida sit, sed corpore absens medio procuratore, vel litteris missis præsentationem facere potest, vt clarè videtur decisum in cap. ea noscitur. de his quæ fiunt à prælato: ibi, per se, aut per litteras personas idoneas Episcopi diœcesanis præsentent & in cap. vltim. de concess. prabenda. prohibetur procuratorem constitui ad præsentandum in beneficio, antequam vacet. Supponit ergo beneficio vacante procuratorem constitui posse ad præsentandum: & ita tradit Gloss. in dicto cap. ea noscitur. Cardin. Tuschus litt. P. conclus. 592. num. 24. Augustin. Barbosa 3. part. de potest. Episc. alleg. 72. num. 116. Ex parte vero præsentati communis est doctorum sententia, debere se corporaliter instituenti exhibere, vt valida sit eius præsentatio: sic Abbas in c. ea noscitur. de his quæ fiunt à prælato Rebuff. praxi. titul. de præsentant. num. 3. Nicol. Garcia 4. part. de benefic. cap. 1. num. 16. Tuschus t. 6. litt. B. concl. 191. August Barbos. 3 par. alleg. 72. a. n. 110. & num. 317. affirmat veriss imam, & receptissimam resolutionem esse, non teneri ordinarium absentis præsentationem admittere, sed posse illam repellere, tametsi præsentatus ei notus sit. Mouentur primo ex textu in cap. cum & plantare. §. in Ecclesiis de priuilegiis. ibi, Episcopis repræsentent. quod verbum denotat presentiam corporalem, iuxta textum in leg. consentaneum Cod. quomodo. & quando iudex. & leg. 1. in princ. ff. de verbor. obligat. & tradit Glossa verbo representare, in clem. dudum. de sepultur. Lambertin. de iure patronat. 1. part. lib. 2. quæstion. 11. artic. 1. num. 12. cum seqq. Tiraquel. de iure mariti. gloss. 6. num. 31. Selua de benefic. 3 par. quæst. 6. num. 7. Secùdo mouentur ex Trident sess. 24. cap. 18. de reformat. vbi præsentatus à patrono admitti non debet, nisi ab ordinario examinatus, & idoneus repertus. Quod non solum in beneficiis parochialibus necessarium est, sed etiam in simplicibus; vt habetur sess. 7. cap. 13. de reformat. Sed hoc examen fieri non potest per procuratorem, ergo neque præsentatio.

6 Ex hac ratione inferunt supradicti doctores, primò non esse obligarum ordinarium admittere presentationem absentis, quantumuis docti, & periti, quia ius habet illum examinandi, ac proinde vt se corporaliter præsentet. Secundo inferunt posse absentis præsentationem admitti, si vt idoneus cognitus sit, quia iis examinatione non indiget, vt tradit Glossa in cap. de Petro, distinct. 47. verbo ignotus. Innocent. in cap. in Lateranens. in fine. de prabendis. Aloysius Riccius praxi. resolut. 139. & 141. Zenodo ad decr. collect. 15. n. 3. August. Barbosa 3. p. de potest. Episc. alleg. 72. num. 118. & alij apud ipsos. Excipit autem Barbosa præsentatum ad parochiales, cuius examen pro forma requiritur à Trident. sess. 24. cap. 18 de reformat. ac proinde eius præsentationem admitti non posse per procuratorem factam.

Nihilominus (si licet dicere quod sentio) existimo probabilius validam esse præsentationem illius qui se per litteras, aut procuratorem instituenti repræsentat: sic docuit Azor. 2. p. lib. 6. cap. 21. quæst. 6. Moneor; quia nullus est textus, ex quo hæc obligatio corporalis præsentiæ colligatur, ergo imponenda non est, præcipuè cum sit contraria reg. iuris, quod per alium facis, per te ipsum facere censeris. Antecedens probo, nam textus in cap. cum & plantare, & clem. dudum. de sepult. vbi instituendi ad beneficia curata debent prælatis representari, nequaquam probat corporalem præsentiam requisitam esse pro præsentatione, seu nominatione patroni, sed pro institutione facienda. Aliàs non posset ordinarius absentis præsentationem admittere; quia esset contra naturam præsentationis, neque valida esset eius admissio, quam tamen valere etiam de persona incognita admittit Abbas 2. par. consil. 76. Lambert. de iure patron. lib. 2. quæst 11. articul. 2. Garcia 4. part. de benefic. capit. primo. num. 18. & 25. Deinde, quia esto in parochialibus requisitum sit examen præsentati pro forma, & in aliis beneficiis, prout instituenti visum fuerit, hoc examen non ad præsentationem, sed ad institutionem expostulatur, vt benè notauit Garcia dicto num. 25. Ergo ex necessitate examinis inferri non potest necessitas in præsentato se personaliter ordinatio præsentandi. Adde receptissimum esse, vt Episcopi Hispaniæ, Galliæ, & Flandriæ à regibus præsentati, non se exhibeant personaliter Pontifici instituendos. Denique in cap. accedens. 24. de prabendis, absens inuestitur de beneficio Ecclesiastico. Ergo à fortiori præsentari, seu nominari poterit.

Neque obstant adducta. Ad primum concedo primo, verbum repræsentare, significare præsentiam corporalem, sed non præsentati, sed procuratoris per ipsum. Secundò, respondeo id esse necessarium ad institutionem, non ad ipsam patroni nominationem. Ad 2. admitto præsentatum debere esse cognitum instituenti, & ab illo examinari posse; non quidem ad præsentationis valorem, sed ad institutionem faciendam; ac proinde præsentiam institutioni necessariam esse, non præsentationi.

7 Deinde ad valorem præsentationis requiritur acceptatio præsentati: sic Garcia 4. part. de benefic. c. 1. n. 11. Quia acceptatio pars est præsentationis.

8 Verum non sufficit validam esse præsentationem, vt præsentatus ius per præsentationem ad beneficium acquirat, sed insuper requiritur, vt talis præsentatio sit, cui necessario debeatur institutio, colligitur ex Garc. supra Nam si liberum sit instituenti præsentatum reiicere, nullum ius considerabile ex præsentatione habebit. Posse autem contingere non esse obligatum instituentem admittere præsentatum validè, manifestè constat, in casu quo æqualiter multi essent præsentati, nullus enim tunc considerabile ius ad beneficium habet; si quidem pro voluntate instituentis omitti potest. Hac enim ratione communiter doctores censent postulatione non acquiri ius ad beneficium; quia postulatus repelli ab instituente potest, vt tradit, aliis relatis, Garcia 4. part. capite tertio, n. 14. Si ergo præsentatus repelli potest, ius in beneficio non habebit.

9 Tertius modus acquirendi ius ad beneficium est per gratiam expectatiuæ, qua scilicet alicui conceditur, vt præbendam vacantem, quam maluerit obtineat. Vt autem hæc gratia ius considerabile tribuat, debet esse acceptata; quia ante acceptationem à concedente reuocabilis est, sic Gonzalez gloss. 26.

num. 20. Mandos. *reg.* 3. 7. 14. *n.* 3. Garcia 4. *p. de benefic. cap.* 3. *num.* 14.

Sed est dubium, an posita acceptatione ius ita considerabile tribuat, vt necessario facienda sit mentio illius in impetratione, vel reseruatione facta à Papa de tali beneficio? Negat Garcia *dicto cap.* 3. *num.* 18. quia facta reseruatione, vel impetratione illius beneficij remanet priuilegiato saluum ius vtendi expectatiua in aliis beneficiis vacantibus, siquidem eius gratia non est pro aliquo determinato beneficio; ac proinde non videtur considerabiliter eius gratiæ per talem reseruationem, vel impetrationem derogari. Et placet mihi hæc sententia. Secus vero esset dicendum, si gratia concessa esset pro aliqua determinata præbenda: tunc enim illius facienda esset mentio in impetratione, vel reseruatione.

10 Quarto concedit ius ad beneficium gratia expectatiuæ in canonicum recepto, seu mandatum de prouidendo de prima præbenda vacatura *cap. si postquam, de præbend. in 6.* quia ratione huius iuris cogere potest, vt sibi vacans præbenda conferatur. Ergo ius ad illam considerabile habet, & ita tradit, aliis relatis, Garc. *d. cap.* 3. *n.* 16.

11 Aduerte has gratias expectatiuas, & mandata de prouidendo beneficio vacaturo, omnino sublata esse per concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 19. *de reformat.* & notant omnes. Vnde eligi non potest canonicus supernumerarius, cum expectatiua ad præbendam vacaturam, nisi in ea Ecclesia, vbi immemorialis consuetudo talis electionis viget, sic Hieron. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell.* §. 1. *proœm. n.* 64. & 65. Garcia 6. *p. de benefic. c.* 1. *n.* 5.

12 Quinto tribuit ius ad beneficium collatio nondum acceptata, *c. si tibi absenti. de præbend. in 6.* quia facta collatione iam conferens retrocedere de iure non potest, sed debet consensum collatarij expectare infra terminum datum ad consentiendum. Quod in aliis donationibus locum non habet, in quibus ante acceptationem donatarij datur locus pœnitentiæ, & donans retrocedere potest. Et ratio differentiæ est, quia de beneficiis disponit conferens ex officio, & obligatione, in aliis rebus pro voluntate, sic Gonzalez alios referens. *gloss.* 26. *n.* 14. Vasq. *de benefic. c.* 2. §. 2. *dub.* 3. & latiùs *c.* 4 §. 8. *dub.* 1.

Sexto ius ad beneficium concedit reseruatio facta beneficij in fauorem alicuius, quia per talem reseruationem beneficium illi adiudicatur; debet autem ipse, in cuius fauorem reseruatio facta est, reseruationem acceptare, sicuti de gratia expectatiua, & de mandato ad prouidendum dictum est, sic aliis reseruatis Garc. 4. *p. de benef. cap.* 3. *n.* 43

13 Septimo concedit ius ad beneficium consuetudo, seu priuilegium optandi pinguiorem præbendam vacantem: sic Gomezius *in reg. de non tollendo iure q.* 9. 1. *n.* 27. Æneas de Falcomb. *de reseruat. q.* 4 *principali, effectu* 47. *n.* 9. Garc 4 *de benef. c.* 3. *n.* 45. Gonzal. *gl.* 34. *n.* 126. Nam ex vi illius cõsuetudinis seu priuilegij debetur antiquiori prima vacans præbenda. Requirit tamẽ Gonzal. vt præbenda vacet; quia vsque tunc non videtur debita, imo addit debere esse acceptatam. Priorem partem admittit Garcia, secundam reprobat. At vtramque iudico repellendam. Nam illa facultas optandi pinguiorem præbendam, est quasi quoddam mandatum de prouidendo concessum de aliqua determinata præbenda vel, quasi quædam gratia expectatiuæ admissa pro præbenda primo vacatura: quæ vacationem præbendæ, non requirunt, sed solum requirunt acceptationem mandati, vel gratiæ. Item negari non potest ex vi illius consuetudinis, & priuilegij præbendam primo vacaturam debitam esse canonico antiquiori. Ergo si ab alio impetretur, vel à Pontifice reseruetur, huic iuri derogatur. Quapropter Gonzal. *gloss.* 6. §. 1. *num.* 94. affirmat expectatiuam concessam alicui ad beneficium vacaturum aliàs ex statuto Ecclesiæ antiquiori ob ius optandi prouidendum, subreptitiam esse, si non fuerit facta mentio huius qualitatis, quod certè non video qua ratione subsistere possit, si ius considerabile ad rem antiquior non haberet.

14 Octauo dat ius ad beneficium pensionario, si pensio ei non soluatur; quia ob hanc causam solet Pontifex concedere regressum vel accessum ad beneficium pensione grauatum, sic Flamin. *lib.* 6. *de resignat. q.* 3. *n.* 15. Vt autem hoc ius acquiratur, debet pensionarius declarare se velle illo vti, & insuper debet pronunciari sententia saltem declaratoria contumaciæ tacitularis: quæ sententia non profertur, nisi magna fuerit illius proteruia, & cõtumacia, vt diximus *disp. præced. pun. vlt.* §. 6. illa autem declaratione facta concedit Garcia 4. *p. de benef. cap.* 3 *n.* 49 pẽsionario non solum ius ad beneficium, sed in beneficio; quia, facta tali declaratione virtute, executoriæ confertur pensionario beneficium. At mihi probabilius apparet indigere executoris iudicis collatione: neque enim pensionarius facta declaratione accipere possessionem beneficij potest propria authoritate, sed authoritas iudicis executoris accedere debet, cui & executio priuationis beneficiarij, & regressus, vel accessus pensionarij conceditur.

15 Nono acquirit ius ad beneficium, cui esset beneficium concessum in euentu priuationis. Sed hoc ius improprium est, neque impedit impertationem beneficij neque illius reseruationem Garc. *d.* 4 *p.* 3. *n.* 54. Ratio est, quia est ius, sub conditione non necessaria euentura concessum. Secus dicendum est, cum beneficium conceditur sub euentu vacationis; quia est conditio necessario euentura. Aduerte tamen concedi, nec promitti beneficium posse sub euentu vacationis ab alio quam à Pontifice; quia in *cap. nulli cap. relatum de concess. præbend.* annullatur omnis promissio de beneficio nondum vacante, ne detur occasio captandæ mortis, & notauit Vasq. *de benefic. cap.* 2. §. 2. *dub.* 4 vbi addit hanc permissionem irritam de beneficio nondum vacanti iuramento confirmari posse. Iuramentum namque confirmare promissionem potest iure positiuo irritam; si tamen iure naturæ valida sit, vt videtur esse hæc promissio.

16 Decimo concedit ius ad rem coadiutoria cum futura successione; quia est quasi mandatum de prouidendo ad beneficium determinatum; aliàs si beneficium illud impetrari vel reseruari posset, non obstante futuræ successionis indulto, futuræ successioni præiudicium fieret: sic Gonzalez *gloss.* 5. §. 9. *num.* 79. Garcia 4. *par. cap.* 3. *n.* 58.

17 Alium modum addit Garcia, per quem videtur ius considerabile ad beneficium acquiri, scilicet oppositionem stante constitutione, seu consuetudine concedente ius opponendi. Sed vt hoc verum sit, debet oppositor verificare qualitates ad beneficium requisitas ipsum solum habere; aliàs si liberum sit conferenti alium oppositorem admittere, & hunc repellere, huic non erit ius considerabile ad beneficium acquisitum; sicuti diximus in præsentato simul cum aliis, & docet Gonzalez *gloss.* 9. §. 1. *n.* 88. & 92. Garcia *supra, à n.* 63. Addo si ex fundatione, dotatione, aliove statuto præscriptum esset beneficium concedi debere propinquiori ex familia fundatoris, non poterit extraneus, vel remotus consanguineus illud impetrare tacito iure propinquioris, tametsi propinquior nondum propinquitatem probasset; quia antequam probet ex ratione fundationis est ius propinquiori quæsitum, cui nunquam censetur Pontifex in clausulis generalibus derogare, iuxta regulam de non tollendo iure quæsito.

18 Quod si inquiras, in quo differat ius in beneficio à iure ad beneficium? Dicendum est differre in eo, quod ius in beneficio concedit habenti potestatem illud administrandi, secus ius ad beneficium. Item ius in beneficio etiam ante captam illius possessionem facit, vt beneficium proprium sit beneficiati, & vacet per illius decessum, secus ius ad beneficium, vt multis relatis docet Couarr. 3. *var. capit.* 16. *num.* 4. Vasq. *de benefic. c.* 4. § 2. *dub.* 1.

Hæc in genere dicta sunt de acquisitione beneficiorum, latiùs in sequentibus examinanda quæ difficiliora sunt. Sed quia à præsentatione, seu nominatione sæpè acquisitio beneficij ortum habet; videndum est qua ratione hæc potestas laicis, & Ecclesiasticis competere possit.

Punctum II.

Quid, & quotuplex sit ius patronatus, & qua ratione acquiratur.

1 *Explicatur quid sit ius patronatus.*
2 *Triplex est hoc ius.*
3 *Ius patronatus ex laicis patronis, & Ecclesiasticis, an laicum, an Ecclesiasticum sit quoad iura, & effectus.*
4 *Fundatione, extructione, & dotatione ius patronatus acquiritur.*
5 *Qualiter fundatione, & extructione acquiratur.*
6 *Qualiter dotatione.*
7 *An ex dotatione factâ Ecclesiæ ædificatæ patronatus acquiratur. Affirmatiuè respondetur.*
8 *Consensus ordinarij requiritur ad hanc acquisitionem.*
9 *Quis sub nomine ordinarij in hac parte intelligatur.*
10 *Priuilegio Pontificis ius patronatus acquiritur, non Episcopi.*
11 *An præscriptione, & consuetudine patronatus acquiratur? Proponuntur sententia.*
12 *Quid tenendum sit spectato iure antiquo.*
13 *Iure Tridentini omnes patronatus consuetudine, & præscriptione acquisiti annullantur.*

1 IVs patronatus cõmuniter doctores definiunt, vt sit potestas nominandi clericum instituendum in beneficio, & licet alia iura patrono conueniant, quia tamen nominatio, seu præsentatio est præcipuus actus, & exercitium patroni, ea de causa per ordinem ad præsentationem ius patronatus definitur. Aliis placet, definiendum esse quod sit ius honorificum, & onerosum, & vile alicui in Ecclesia competens ... ic habas *cap.* 3. *& in Rub. de iure patronat.* Gregor. Lop. *leg.* 1. *titul.* 15. *part. prima verbo derecho. numero secundo.* Hoc ius spirituale est, vel saltem spirituali annexum, vt dicitur in *cap. de iure de iure patronatus.* Tum quia est authoritate Ecclesiæ concessum. Tum quia annectitur institutioni ad beneficium, quæ est spiritualis, & ad ipsam institutionem ordinatur. Tum quia adhæret Ecclesiæ, & loco religioso, &c. Neque obstat conuenire laicis; quia conuenit ex beneficio Ecclesiæ. & ita tradit post alios antiquiores Azor. 2. *p. lib.* 6. *cap.* 19. *quæst.* 2. Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 9. *num.* 6. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 28 *à num.* 7. Ex quo fit esse simoniam saltem iure Ecclesiastico

fiastico illius venditionem, vt latius diximus *disput. de simonia, p.14.*

2 Triplex est hoc ius patronatus, aliud laicum, aliud Ecclesiasticum, aliud mixtum: sic omnes doctores referendi. Laicum est quod bonis propriis, seu patrimonialibus acquiritur; Ecclesiasticum, quod bonis Ecclesiæ comparatum est vel ratione Ecclesiæ alicui competit, vel à laico Ecclesiæ, monasterio, aliive loco pio donatur. Mixtum, quod ex patronis laicis, & Ecclesiasticis coalescit, sic Couarruuias *pract. quæstion. cap. 36. num.* 2. Azorius 2 *part. instit. moral. lib.* 6. *cap.* 19. *quæst.* 3. Vasq. *opusc. de benefic. cap.* 2. §. 1. *dub.* 1. Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 9. *n.* 208. Lessius *lib.* 2. *de instit. c.* 34. *dub.* 4. *num.* 18. Gonzalez *reg.* 8. *Cancell glos.* 18. *à n.* 2.

Hinc fit non esse expectandum, quis ius patronatus possideat, sitne clericus, vel laicus, vt intelligatur, an ius patronatus laicum sit, an Ecclesiasticum, sed quo titulo possideatur.

3 Dubium tamen est, an ius patronatus ex laicis patronis, & Ecclesiasticis coalescens laicum, vel Ecclesiasticum iudicandum sit quoad iura, & effectus? Videtur enim iudicandum esse Ecclesiasticum quia magis dignum trahit ad se minùs dignum, & cõsequenter patronatus Ecclesiasticus sæcularem, *cap. contingit. cap. per tuas. de arbitris.* At dicendum est omnia iura immutata esse, alias non diceretur mixtum, sed vel Ecclesiasticum, vel laicum; quod adeo verum censeo, etiam si ex tribus patronis duo sint Ecclesiastici, & vnus laicus, ius patronatus laici immutatum manet, quia non est credendum velle Pontificem hoc ius consumere, & derogare. Ex quo fit non cadere sub regula reseruationis beneficium, quod vnum patronum laicum habet, tametsi duos habeat Ecclesiasticos, esto contra teneat Gonzalez alios referens *glos.* 18. *n.* 17. Quia coniunctio Ecclesiasticorum patronorum non debet laico præiudicare. Fit secundo semestre concessum ad præsentandum Ecclesiasticis, non videri competere laico patrono; quia quilibet retinet ius suum immutatum, ac si cum alio non esset coniunctum, & consequenter retinere debet conditiones, & qualitates talis iuris, sed vna ex qualitatibus patronatus laici est potestas ad præsentandum intra quadrimestre. Ergo obtinere non potest semestre ad præsentandum, & ita docet Petez de Lara *libr.* 2. *de capell. cap. nono numero* 16. Aliàs si ob societatem patroni Ecclesiastici deberet laicus priuilegiis Ecclesiastico concessis vti eadem ratione, deberet Ecclesiasticus priuilegio laicorum vti: ac proinde sicut laicus in præsentatione variare potest, posset & Ecclesiasticus, quod tamen non admittitur.

4 Triplici via ius patronatus acquiritur, fundatione, extructione, & dotatione, sic glossa *in capit. pia mentis.* 16. *quæstion.* 7. Azorius *secunda parte instit. moral. libro sexto. capit.* 19. *quæstion. quarta cum seq.* Garcia *quinta part. de benefic. cap. nono. num.* 36. Lessius *libro secundo. cap.* 34 *numero* 22. Gonzalez *glos.* 18. *numero* 13. Augustin. Barbosa *tertia part. de potest. Episc. allegat.* 70. *in princip.* & alij plures apud ipsos. Quod verum est, etiam si expressè non dixeris te fundare, extruere, & dotare Ecclesiam intentione obtinendi patronatum, *cap. nobis de iure patronat.* sufficit si contrarium non expresseris, iuxta *capit. significauit. de testibus*, quia fundanti, extruenti, & dotanti patronatus iure conceditur, nisi ipse renunciet, sic Greg. Lop. *leg.* 1. *tit.* 15. *part.* 1. *verbo dote.* Garcia *prima parte. cap.* 9. *à num.* 62. Azorius *quæst.* 9. vbi testatur communem esse. Ab hac tamen doctrina videtur excipienda Ecclesia regularis, in qua patronatus non acquiritur fundatione, extructione, vel dotatione tantum, sed insuper requiritur Apostolicus consensus in limine fũdationis, *capit nobis de iure patronat. & ibi glos. verbo de tua iurisdictione.* Hostiens. *colum. secunda.* Anchar. *numero* 36. Abbas *num.* 9. Puteus *decis.* 3. 6. *lib. secundo.* Rota *in vna Albanen. prioratus.* 26. *Nouembr.* 1588. *apud Farinac. tom.* 2. *decis.* 564. *pag. mihi* 48.

5 Fundatione acquitis ius patronatus, si fundum dederis ad Ecclesiam ædificandam, haberut ex *cap. nobis de iure patronatus. capit. pia mentis.* 16. *quæstion* 7. & *cap.* Abbatem. 17. *q.* 2. & tradunt omnes.

Extructione, seu ædificatione ius patronatus acquiris, si tuis sumptibus Ecclesiam ædificas, *cap. nobis de iure patronatus, dicto capit. pia mentis, capit. monasterium. capit. filius.* 16. *quæstion.* 7. Et idem est, si derutam, vel distructam reædifices; quia est, quasi è principio illam ædificares, sic Glossa *capite tertio. de iure patronat* Garcia *quinta parte, capite nouo, numero* 50. Gonzalez *glos.* 18. *numero* 53. Azorius *secunda parte institution. libro sexto. capit.* 19. *quæstion.* 11. Barbosa *tertia parte de potest. Episc. allegation.* 70. Gregor. Lopez *leg.* 11. *titul.* 15. *parte prima verbo tres cosas. in fine.* Supradictis duabus viis, fundatione nam-que, & constructione, & maximè si constructio perfecta non est, non acquiritur ius patronatus, nisi subsequatur dotatio; quia absque dotatione neque est beneficium Ecclesiasticum, neque ministros ad officia, & ministeria Ecclesiastica exercenda habere potest, ac proinde interim vacuus erit talis patronatus, & inutilis: at posita dotatione fundans, constituens, & dotans patroni sunt, sic Azorius *secunda parte institutionum moral. libro. sexto. capit.* 19. *quæst sexta.* Garcia *quinta parte de benefic. capite nono numero* 44. Gregor. Lopez *leg. prima titul.* 15. *part. prima. verbo tres cosas.* Quapropter nunquam debet Episcopus in Ecclesia ædificanda consentire, quin prius ædificatorem obliget per publicum instrumentum ad dotandum; quia Ecclesia absque dote ædificati non debet *capit. nemo, de consecrat. distinctio. prima capit. cum sicut. de consecrat.* Quod si absque dote ædificata fuit, consecranda non est nisi doterur, Gloss. *in capit. cum sicut. de consecrat. Eccles.* Hanc autem dotem tenetur ædificator eo ipso quo Ecclesiam ædificauit, sin minus eius hæredes præstare, & ad id compelli possunt ab Episcopo, sic Augustin. Barbosa *tertia parte de potest. Episcop. allegation.* 70. *numero quarto &* 29. Aloysius Riccius *in praxi resolutione vndecima. numero sexto.* Azor. *secunda part. instit. lib.* 6. *capit.* 19. *quæstion.* 4. *fine.* & optimè *lib.* 9. *capit.* 3. *quæstion* 7. At si Episcopus permiserit Ecclesiam fundari, construi, & consecrari absque dote, ipse eam dotare compellitur, sic ex glossa in *supradict. capit. cum sicut.* tradit Azor. *loco allegat.* Barbosa *num.* 29.

6 Dotatione item patronatus acquiritur, si Ecclesiam constructam, vel construendam sufficienter dotaueris, hoc est sufficientia bona præstiteris, vt in ea possint diuina exerceri, *capit. filius.* 16. *quæstion.* 7. *capit. nemo. de consecrat. dict.* Abbas *cap. sicut. num* 5. *de consecrat.* & gloss. *cap. vt quisque de vita, & honest. cleric. verbo clericum* Garcia 5 *par. de benefic. cap.* 9. *num.* 52. Dixi *si sufficientia bona præstiteris*, nam si solum bona insufficientia dederis, non dotator, sed benefactor erit, ac proinde nec patronus: sic Gloss. *in cap. quicunque.* 16. *quæst.* 7 Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 9. *nu.* 52. Lambert. *de iure patron.* 1. *p lib.* 1. *q.* 5. *n.* 11. Augustin. Barbosa 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 70. *n.* 11. Quod adeo verum est, vt etiamsi Episcopus consentiat in hac insufficientis dotis assignatione; non obinde patronatum obtineas: quia insufficienter dotans absolutè non dotat, sic Gloss. *in cap. quicumque. d.* 2. 16. *q.* 7. Barbosa *n.* 13. Garcia *n.* 53. Azor. 2. *p. l.* 6. *cap.* 16. *q.* 6. *in fine.* tametsi contrarium sentiat Lambert, 1. *par.* 1. *q.* 5. *art.* 13. si tamen tu simul cum aliis ad dotationem concurreres, ita vt ex omnibus sufficiens dos assignata sit, verè patronus efficeris: quia ratione communionis, & societatis dotem sufficientem præstas. Abbas *in c. ad audientiam* 1. *de Eccles. ædificand. n.* 4. *& in rub. de iure patronat. num.* 6. Azor. *p.* 6. Garcia *dicta* 5. *p. cap.* 9. *n.* 53. vbi adducit sequentem sacræ congregationis concilij declarationem. Quando concurrunt plures in dotatione, licet æqualiter non contribuant, omnes efficiuntur patroni, etiamsi sufficientem dotem ex se singuli non conferant, dummodo Ecclesia habeat dotem competentem; quia ex quo ille qui plus contulit admisit alium secum, videtur ipsi communicare ius sibi competens in illo patronatu. Ex augmento dotis non obtinetur patronatus; quia augens dotem non dotat, supponit enim Ecclesiam iam dotatam. Stephan. Gratian. *disceptat. forens. cap.* 177. *n.* 24. & 25. Garcia 5. *part. cap.* 9. *n.* 122. Riccius *praxi. resolut.* 150. & *resol.* 172. Gonzalez *glos.* 18. *num.* 53. Barbosa *alleg.* 70. *num.* 154. Quod procedit tametsi ex consensu Episcopi ob hanc causam concedatur; quia nequit Episcopus ob dotis augmentorum hanc seruitutem beneficiis imponere, vt satis colligitur ex concilio *sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* ibi; *ex augmento dotis*, & tradit Augusti. Barbosa *n.* 16. Dixi *si dotes Eccles. constructam vel construendam*; quia parum refert, antecedat, vel subsequatur dos Ecclesiæ constructionem, vt patronatus obtineatur. Semper tamen in limine fundationis curandum est, vt dos assignetur, ne contingat Ecclesiam indotatam manere. Neque obstat Ecclesiam adhuc non esse, quominus doris capax non sit; quia capax est, non vt tunc ei acquiratur; sed vt acquiratur pro tempore quo perfectè constructa sit: sic relato Abbate *in cap. ad audientiam. 1. de Eccles. ædificand. num.* 2. Lambert. & aliis tradit Garc. 5. *p. de benefic. c.* 9. *n.* 49. & 50.

7 Verum non desunt doctores, qui sentiant ex dotatione factæ Ecclesiæ ædificatæ & consecratæ patronatum non acquiri, sic Glossa *in cap. pia mentis.* 16. *q.* 7. Felin. *in cap. cum venerabilis. de exceptionib. num.* 57. Et fauet decisio sacræ congregationis, *sess.* 21. *c.* 4. *de reformat.* quam adducit Garc. *sup. n.* 56. Neque deest ratio. Nam rebus sacris nulla seruitus imponi potest. *leg. seruitutes.* 3. §. *vlt ff. de seruitut.* Ergo Ecclesiæ consecratæ nequit seruitus patronatus imponi. Nihilominus probabilius est ex tali dotatione patronatum acquiri: quia absolutè Ecclesiam dotat, & dotatione maximè necessaria. Præterea dos subsequuta Ecclesiæ constructionem, fauore Ecclesiæ reputatur, ac si illius constructionem antecederet; quia retrotrahitur. Adde hoc videri definitum à Trident. *sess.* 14. *cap.* 12. *de reformat.* ibi. *Nemo cuiuscuis dignitatis Ecclesiasticæ, vel sæcularis quacunque ratione nisi Ecclesiam, beneficium, aut capellam de nouo fundauerit, & construxerit, seu iam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit de suis propriis, & patrimonialib. bonis competenter dotauerit, ius patronatus impetrare, aut obtinere possit, & debeat.* Abbas *c. quoniam n.* 9. *de iure patronat.* Roch de Curte *de iure patronat. verbo & dotauit q.* 2. & 3. Selua *de benefic. 1. p. q.* 5 *circa finem num.* 181. Azor. 2 *part. instit. moral. lib.* 6. *capit.* 19. *q.* 8. Garcia 5 *p. de benef. cap.* 9 *num* 54 & alij apud ipsos. Neque obstat declaratio sacræ congregationis, quæ loquitur de parochia erecta ob necessitatem populi, cui Ecclesia matris tenetur prouidere: neque hæc prouisio loco dotis liberalis est computanda: cum de-

bita sit, Ad rationem respondeo rebus sacris nullam profanam seruitutem imponi posse : benè tamen ecclesiasticam , & ex patronorum Ecclesiæ consensu ; aliàs probaret neque ex constructione, neque ex dotatione antecedenti patronatum acquiri posse.

8 Aduerte , vt supradictus patronatus ex fundatione , constructione , aut dotatione acquiratur ordinarij consensum requiti , aliàs minime acquirendum , colligitur ex *cap. nobis. de iure patronat.* ibi *cum assensu diœcesani*, & tradit Nauarr. *cons. 7. de iure patron.* Lambert. *1. p. l 1. q. 2. art. 3 cum seqq.* Garcia *5. p. de benef. c. 9. n. 71.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. c. 19. q. 7.* Barbosa *3. p. alleg. 70. n. 20.* Et ratio est manifesta ; quia absque superioris potestate neque Ecclesia ædificari potest , neque seruituti patroni subiici. Hic consensus sufficit , si ex postfacto interueniat? quia tettotrahitur , & est iuri conformis. Rota *in vna Aquen. iuris patronatus. 7. Nouemb.* 1601. Garc. *5. p. de benefic. cap. 9. num. 72. & 12. p. c. 2. num 209.* Aloys. Riccius *resolut. 123. n. 3.* August. Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 70. num 21.* Præsumitur interuenire ex diuturnitate temporis , & ex fundatione capellæ cum insignibus, &armis , & ex superioris visitatione : sic multis relatis, Barbosa *n. 22.* Garcia *n. 74.* & testantur à Rota sic sæpè esse decisum.

9 Nomine ordinarij, cuius consensus requisitus est ad stabiliendum patronatum ex fundatione , constructione , vel dotatione Ecclesiæ , est ille qui iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem habet illo in loco, in quo beneficium erigitur, quia hic consensus actus est iurisdictionis. Lambert. *de iure patronat. 1. p. lib. 1. quæst. 2. art. 8.* Praxis episcopali *verbo ius patronatus. §. 5.* Barbosa *3. p. alleg. 70 n. 13. & 30.* Ex quo fit Abbatem , & priorem potentem dare facultatem ædificandi Ecclesiam , posse præstare authoritatem , vt ius patronatus obtineatur ; quia ædificationem Ecclesiæ patronatus subsequitur, sic testatur decisum esse à Rota, Garcia *5. p. cap. 9. n. 71.* Barbosa *n. 31.* Vicarius generalis Episcopi ratione vicariatus præstare non potest authoritatem ædificandæ Ecclesiæ , vt inde patronatus obtineatur ; quia sicut non habet authoritatem conferendi beneficia , ita neque seruitutem illi imponendi , & tradit multis relatis Garcia *5. p. c. 9. num. 75.* Barbosa *2. p. allegat. 54. num. 74. & allegat. 70. in fine*, requirit enim speciale mandatum. At capitulum sede vacante, quia loco Episcopi succedit , hanc concedere potest facultatem. Lambert. *dicta. q. 2. art. 9.* Garcia *num 79.* Barbosa *3. p. alleg. 70. num. 32.* Quod si ordinarius nóluerit absque legitima causa suum præstare consensum, recurendum est ad superiorem Antistitem , qui eum compellat : sic relato Panormit. *in cap. nullus de iure patronat.* Selua *de benefic. 1. p. q. 6. n. 15.* docuit Azor. *2. p. inst. moral. lib. 9. q. 8.* Lamb. *q. 2. art. 16. &* 17. Barbos. *alleg. 70. n. 26.* & licet *in dicto c. nullus*, fuerit recursum ad Pontificem , id fuit, quia ille Episcopus Adonens. nullum alium superiorem habebat.

10 Sed inquires ; an alia via præter supradictas possit ius patronatus acquiri?

Non est dubium acquiri posse priuilegio Pontificis , sic Azor. *2 p. instit. moral. lib. 6. cap. 19. quæst. 12.* cum enim Pontifex liberam in beneficiis habeat administrationem , potest , ob bonum Ecclesiæ hoc onus aliquibus beneficiis imponere : si enim fundantibus Ecclesias, vel illas dotantibus patronatum concedit , cui non concedere poterit aliis de fide , republicâque christiana benemeritis , vel qui sic sperantur futuri ? Solum aduerto debere in tali priuilegio, saltem in genere , derogari constitutioni Trident. prohibenti hæc priuilegia , sic Azor. *supra.* Dubium tamen est , an priuilegio Episcopi , consuetudine , vel præscriptione acquiratur ? Et quidem priuilegio Episcopi negant acquiri posse communiter doctores, quia Episcopis concessum non est posse beneficia grauare ; & patronatus seruituti subiicere, sic relato Abbate *cons. 106. num. 4. volum. 2.* tradit August. Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 70. num. 25* Garcia plures referens *5. p. de benefic. cap. 9. n. 128.* Azor. *dicto cap. 19. q. 12.* Quod efficacius procedit spectato iure nouo Trident. *sess. 25. cap. 9. de reformat.* auferentis omnia priuilegia , consuetudines , & præscriptiones iuris patronatus , quæ à fundatione , & dotatione Ecclesiæ non emanuerint.

11 Si autem de consuetudine , vel præscriptione loquamur, grauissima fuit olim controuersia ; an possit ius patronatus præscriptione acquiri ? Negant Archidiacon. Abbas , Alexand. Felin. Decius & alij apud ipsos , quos refert Couarruuias *reg. possessor. mala fidei. 2. p. §. 10. à n. 2.* Eorum præcipuum fundamentum est; quia huius iuris patronatus, vtpotè spiritualis, vel saltem spiritualibus annexi incapaces sunt laici, quatenus tales sunt, nisi ex priuilegio speciali , vel iuris communis ob fundationem & dorationem Ecclesiæ eis fuerit concessum : *cap. quarto. de iudiciis. cap. de iure patronat.* Sed in priuilegiis vtpote ex libera concedentis voluntate pendentibus non datur præscriptio. Ergo neque potest dari præscriptio iuris patronatus. Et confirmati potest à simili ex præscriptione iuris eligendi , vel decimandi , quæ in laicum non videtur cadere posse , & hoc nulla alia ratione , nisi quia hæc iura spiritualia sunt , vel saltem spiritualibus annexa. Ergo eadem ratione iuris præsentandi præscriptio cadere in laicum non potetit. Nihilominus contrariam sententiam veriorem reputat Couarruu. *dicto, loco, num. 3. vers. quamobrem*, sequutus Ioann. Andr. *in cap. querelam de electione in 6.* & placet Azor. *2. p. institut. cap. 19. q. 11.* August. barbosa *3. p. de potest. Episcop. alleg. 70. n. 19* . Ratio esse potest ? quia cùm ius spirituale sit , laicis conceditur ob aliquam rem temporalem ab ipsis præstitam , scilicet fundationem , constructionem , vel dotationem Ecclesiæ , aut alia ei obsequia temporalia impensa; sed in his dari potest à laicis præscriptio ; quia non præscribitur in aliquo spirituali sed temporali. Secus verò est de iure decimandi , vel eligendi, quia hæc non in re temporali, sed spirituali fundantur ; fundatur ius decimandi in sacramentorum administratione, & ius eligendi in vita communi,& religiosa. Quapropter esto ius eligendi , & decimandi non præscribatur, præscribi tamen potest ius præsentandi.

12 In hac controuersia distinguendum est, (vt distinguit Couarru. Azor. & alij doctores *supra* relati) de Ecclesia libera, vel de ea , quæ seruituti est subiecta. Item de Ecclesia collegiata , & cathedrali , vel parochiali. Si ergo de Ecclesia collegiata, & cathedrali loquamur (spectato iuris rigore præscribi non potest à laico ius patronatus quoad præsententationem rectoris, quia ille rector non per præsentationem , sed per electionem constituitur , *cap. nobis. de iure patron. cap. cum terra. cap. sacrosanctæ. de elect.* sed laicus esto Ecclesiam fundet , non acquirit ius eligendi: hoc enim ius solum competit illis qui sunt de collegio *cap. 1. de elect.* Ergo in hac parte nulla esse potest à laico præscriptio quoad ius præsentandi rectorem: benè tamen alios beneficiatos, qui non per electione, sed per præsentationem constituuntur , ita tradit , relato Abbate, Alexand. Rocho, Lambert. Couarr. *2. p. relect. reg. possessor. malæ fidei §. 10. num. 4.* Hoc autem procedit casu , quo rector Ecclesiæ collegiatæ, vel cathedralis per electionem constituatur , vt de iure constitui debebat, Nam si huic iuri derogatum sit , vt in Hispania, Belgio, Gallia contingit , fundans Ecclesiam collegiatam obtinebit ius præsentandi rectorem , & idem est si à principio ea conditione fundasset ex consensu Episcopi. An autem in hac Ecclesia collegiata præscribi possit ius præsentandi rectorem posita derogatione electionis ; Eadem est quæstio de aliis Ecclesiis , in quibus mihi probabilius apparet aduersus Ecclesiam liberam non posse præscribi à laico ius patronatus , nisi quadragenaria præscriptione cum titulo , vel immemoriali sine titulo ob rationem prioris sententiæ negantis : sic Couarruu. *num. 7.* alios referens *ex cap. 1. de præscription. in 6.* Nam hæc præscriptio esse non potest sine aliquo titulo veto , vel ficto , alias possidens mala fide possideret , & consequenter nunquam præscribere posset. Sed hic titulus si verus est, debet esse ex fundatione , & dotatione , vel priuilegio, at ex fundatione vel dotatione non est , cum supponatur Ecclesiam liberam fuisse , restat vt solum ex priuilegio habeatur. Ostendatur ergo priuilegium, vi cuius sit præscriptio, Nam hoc priuilegium ex sola quasi possessione præsentium præsumi non potest , cum potius præsumi debeat beneficium liberum esse, *cap. omnes basilicæ. 16. q. 7. cap. venerabilis. de exceptionib.* Excipe , nisi possessio immemorabilis sit, quia hæc possessio titulum facit præsumere , & loco tituli probati habetur ; *ex cap. super quibusdam de verbor. significat. leg. hoc iure. §. inclus aquæ. ff de aqua quotid. & æstiua.* sic Felin. *in capit. cautum, col. 3. de præscription.* Couar. *reg. possessor. mala fidei 2. part. §. 10. num. 2 fine.*

At si loquamur de præscriptione Ecclesiæ subiectæ , & quæ olim habuit patronos. Communis sententia tenet præscribi ius patronatus à laicis posse. Quia non aduersus Ecclesiam , sed aduersus alium laicum præscribitur : sic Couarruu. *dicto §. 10. numero 8.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. cap. 19. n. 11.* Dubium tamen est, quod tempus ad hanc præscriptionem requiratur? Aliquibus placet decennium sufficere inter præsentes, & vicennium inter absentes ; eo quod huic præscriptioni ius non resistat ; sic Rochus de Curte *tractat. de iur patron. verbo ipse , vel n. 30. num 86.* Florian. *in leg. seruitutes prædiorum. rusticorum. ff. de seruitutib.* Io. And & Dominic *in cap. vnico ad finem de iur patronat. in 6.* Goffredus *q. 18.* quos refert Couarruu. *dicto §. 10. num. 8.* At quadragenariam quasi possessionem absque titulo tamen , requiri ad hanc præscriptionem defendit Couarr. *dicto n. 8.* referens Frederic. Cornetum , Decium , Paulum , Alexand. Lambertein, & Balp. & consentit, Azor. *supradicta quæst. 11. in fine.* Et ratio est quia mutatio patronatus ex vna in aliam personam Ecclesiæ præiudicare potest, cum possit cadere in personam suspectam , & Ecclesiæ minus gratam. Ergo ob huiusmodi præiudicium quadragenarium tempus ad præscribendum est necessarium , sicuti in qualibet contra Ecclesiam præscriptione. Cæterum hæc ratio parum vrget ; nam licet aliquando Ecclesiæ nociua sit mutatio iuris patronatus ex vna in aliam personam, aliquando esse potest proficua , Quapropter existimarem priorem opinionem probabiliorem esse , scilicet non quadragenarium tempus, sed tempus quod ad alias præscriptiones contra laicos sufficit sufficere ad hanc præscriptionem, quia hæc mutatio dici non potest esse contra Ecclesiam, cum æque pro Ecclesia , & contra Ecclesiam succedere possit. Ergo in eius præscriptione non debet expostulari quadragenarium requisitum in præscriptionibus contra Ecclesiam.

Hæc

13

13 Hæc dicta sunt spectato iure antiquo. At attento Trident. sess. 14 cap. 12. de reformat. & sess. 25. cap. 9. de reformat. omnes patronatus acquisiti annullantur, qui non fuerint ex fundatione, vel dotatione ecclesiæ, vel ex præscriptione immemorialiinquit enim concilium sess. 14. c. 12. de reformat. Nemo etiam cuiuslibet dignitatis ecclesiasticæ, vel secularis quacunque ratione, nisi ecclesiam, beneficium, aut capellam de nouo fundauerit, & construxerit, seu iam erectam, quæ tamen sine sufficiente dote fuerit, de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, ius patronatus impetrare, aut obtinere possit, & debeat. Idem traditur sess. 25. cap. 9. de reformat. & notauit Auguſt. Barbosa 3. part. allegat. 70. num 19. Sub nomine fundationis intelligenda est constructio; quia construens ecclesiam in communi modo loquendi fundare eam dicitur, & tradit Gonzalez gloss. 18. num. 52.

Punctum III.

Qua ratione ius patronatus constare debeat, vt quis admittatur ad beneficiorum præsentationem.

1 *Apponitur decretum Trident.* sess. 25. cap. 9. de reformat.
2 *Qualiter patronatus authentico documento probetur.*
3 *Per documentum scriptum intelligitur, tametsi contra sentiat Garc.*
4 *Qualiter ex multiplicatis præsentationibus ius patronatus probetur.*
5 *Quomodo immemoriale harum præsentationum probetur.*
6 *Probatur ius patronatus omnibus illis modis, quibus ius beneficij probari potest.*
7 *Qualiter probandus sit patronatus illorum, in quibus iure vsurpatio præsumitur.*
8 *Si fiat probatio per immemoriale, debet simul probari continuata præsentationis per authenticas scripturas, aliàs nulla erit probatio.*
9 *Debet fieri probatio per scripturas, non solum præsentationum, sed etiam quod præsentationes effectum fuerint sortitæ.*
10 *An dari possit casus, in quo per testes præsentationes probentur. Negant plures.*
11 *Probabilius est dari posse.*
12 *Qualiter spatium 50. annorum continuatarum præsentationum computandum sit.*
13 *Qualiter patronatus ex priuilegio excludatur.*

1 HVic dubitationi respondet Trident. sess. 25. cap. 9. de reformat. in hæc verba. *Decernit sancta Synodus, vt titulus iurispatronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis iure requisitis ostenditur, siue etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat; aliásve secundum iuris dispositionem. In iis vero personis, seu communitatibus, vel vniuersitatibus, in quibus id ius plerumque ex vsurpatione potius quàsitum præsumi solet plenior & exactior probatio ad docendum verũ titulum requiratur, nec immemorialis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur.* Ex quibus verbis constat concilium distinguere probationem faciendam patronatus particularium personarum à probatione facienda pro patronatu magnatum & communitatum, seu vniuersitatum, de quibus vsurpatio præsumitur. Triplicem ergo modum assignat probandi titulum iurispatronatus in priuatis personis, in quibus regulariter non præsumitur vsurpatio,

2 Primus est per authenticum documentum aliáque à iure requisita. Authenticum documentum est publica scriptura, duorum, vel trium testium subscriptione, vel præsentia confecta per manum publicam, cuique necessario fides adhibetur. Gloss. in c. 1. de fide instrum. In præsenti authentica scriptura erit bulla Episcopi, seu consensus eius scriptis concessus ad fundandam, construendam, seu dotandam ecclesiam: sic relato Aloysio Raccio in praxi fori eccles. res. 125. tradit Barbosa 3. p. de potest. Epis. alleg. 72. num. 24. Quod si non originalis bulla, seu authentica scriptura fundationis ostendatur, sed illius exemplar, & transumptum, vt fidem faciat, debet habere à iure requisita, tum in eius confessione, tum in extractione, & compulsatione, iuxta textum in c. cum P. tabellio. de fide instrument. de quibus optimè Abbas in dicto cap. Couarru. pract. qq. c. 21. & Menoch. de arbitr. casu 87. per totum. debet inquam transumptum authoritate iudicis extrahi; & cum citatione illorum, quorum interest, insuperque originale, nisi antiquissimum sit, recognoscendum est, si de eius fide dubitetur, vt aliis relatis, probat Gonzalez gloss. 18. à n. 40.

3 Dubium tamen est, an sub nomine authentici documenti sola scriptura authentica intelligatur; Negat Garc. 5. p. de benefic. cap. 9. num. 115. Mouetur, quia notanter concilium non fuit vsum verbo *instrumento*, sed *documento*, vt sic demonstraret quasi bet probationes, quibus de veritate docemur comprehensas esse: verbum enim *documentum*, vt ex Calepino, & peritioribus linguæ Latinæ constat, significat admonitionem probationem, exemplum, quæ nos certiores, & prudentiores reddunt, & fauet Gloss. in cap. 1. de exceptionib. in 6. verbo *documentum per text.* ibi: *probare valeant apertissimis documentis.* Cæterum, probabilius censeo, etsi verborum documentum generale sit in suptad. text. vsurpatum fuisse pro authentico instrumento: sic affirmant Leo in thesauro fori ecclesiast. cap. 21. num. 2. Barbosa alleg. 72. num. 22. Gonzalez gloss. 18. à num. 32. & alij apud ipsos. Ratio esse potest, quia si verbum illud *documento*, non arctatur ad scripturam, superfluunt reliqua verba sequentia, quibus statuitur modus probandi titulum. Vt quid enim subiungere debebat concilium titulum patronatus probari posse ex multiplicatis præsentationibus, quæ hominum memoriam excederent, & ex iuris dispositione, si sub authentico documento hæc omnia comprehensa essent?

4 Secundus modus probandi iuspatronatus ex fundatione, constructione, vel dotatione in priuatis personis est ex præsentationibus multiplicatis per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. Circa quæ verba concilij dubium est, quot præsentationes sufficiant? Sufficere duas tenet Aloysius Ruccius in praxi. resol. 127. in fine. Auguſt. Barbosa 3. part. de potest. Epis. alleg. 72. num. 31. alios referens. Mouentur; tum quia pluralis locutio duorum numero est contenta, leg. vbi num. ff. de testibus. c. pluralis locutio. 40. de regul. iuris in 6. Tum quia dictio *multiplex*, in duobus verificari potest, neque amplius requirit, præcipuè in materia odiosa, & iuris communis correctiua, qualis hæc est. Cæterum mihi probabilius apparet ad minus tres præsentationes requisitas esse. Tum quia dictio *multiplex*, in sua propriori significatione non videtur pauciori numero contenta. Neque enim multiplicari dicitur, quod semel tantum repetitum est. Fauet Iason in l. 1. num. 4. ff. de fideicommiss. Zephalus consil. 225. num. 43. vel 2. Tum & præcipuè, quia esto duplex præsentatio sufficiat, vt possit dici præsentationem multiplicatam esse, non tamen cum ea quantitate, quam petit concilium, vt scilicet multiplicata sit per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat: nam huiusmodi tempus ad minus est centenarium, vt latè Menoch. de arbitr. casu 3. Farinac. 1. part. prax. crim. quæst. 47. num. 112. Nicol. Garc. 12. par. de benefic. cap. 2. num. 273. Gutierr. cons. 1. num. 5. Barbosa alleg. 72. num. 35. Nam licet aliqui dicant sufficere sexagenarium, intelligi debet in depositione testium, ij enim immemoriale probant. Si de quadragenario deponant de visu, addentes semper se ita audiuisse, & intellexisse. Sed in centenario tempore vix contingere potest, quod præsentatio semel tantum repetita memoriam hominum excedat. Ergo affirmandum est pluries debere repeti, vt verum sit præsentationes multiplicatas esse temporis cursu hominum memoriam excedente.

5 Quod si inquiras, qua ratione harum præsentationum immemoriale probetur? Respondeo per scripturas directè probari non posse; quia scriptura non probat memoriam in contrarium non esse, at indirectè bene probari potest, si probetur per centum, & plures annos fuisse præsentationes continuatas: hoc enim factum tacitè inuit nihil esse contrarium, vt rectè docuit Rota decis. 583. apud Farinac. t. 2. decis. Per testes probari potest immemoriale, si sint ad minus quadragenarij, & deponant se toto illo tempore vidisse præsentationes esse continuatas, & insuper addant se ita audiuisse antecedenter effectum esse. Mol. lib. 2 de primogen. cap. 6. à num. 40. Aduerto tamen non esse necessarium in depositione testium, vel scripturæ fieri mentionem fundationis, vel dotationis, sufficit de præsentationis multiplicitate deponere, sic Gonzalez gloss. 18. num. 46. & testatur sæpè à Rota decisum, & à sacra congregatione declaratum esse; idem Barbosa in remission. concil. d. sess. 25. cap. 9. Aduerto secundò debere deponere multiplicatas esse præsentationes per temporis cursum, qui hominum memoriam excedit vsque ad tempus motæ litis. Barbosa alleg. 72. num. 38. Tertiò aduerto, non debere constare de infecto principio, & nullitate tituli; quia tunc cessat præsumptio ex memoriali resultans, siquidem de veritate constat, vt ex decisione sacræ congregationis, pluribusque doctoribus comprobat Mol. de primogen. lib. 2. cap. 6. à num. 60. & seqq. Couarruuias reg. possessor. 2. part. § 3. num. 7. Gonzalez gloss. 18. num. 49.

6 Tertius modus probandi titulum patronatus ex fundatione, vel dotatione, in personis priuatis continetur in illis verbis concilij, *aliásve secundum iuris dispositionem.* Ex quibus colligitur hunc titulum probari posse omnibus illis modis, quibus aliàs à iure tituli probatio conceditur: sic Gonzalez gloss. 18 num. 51. & 58. Barbosa aliis relatis alleg. 72. num. 45. Vnde probari potest primo per famam concurrente longissima quasi possessione; quia hæc probatio titulum infert, æquiualet enim probationi immemoriali: sic Barbosa num. 43. Gonzalez num. 56. Mascard. de probat. concl. 959. num. 20. & alij apud ipsos. Neque opus est, vt testes deponentes de fama, depo-

nant ex dotatione, aut fundatione tibi competere, sufficit si deponant iuspatronatus tibi competere, vt inde præsumi debeat competere ex fundatione, vel dotatione, quia in dubio sic est præsumendum, ne patronatus pereat, & præsentationes irritæ sint, iuxta Trident. auferens omnes patronatus alia via acquisitos: sic Achil. *decis.71. de iure patron.* Barbosa *alleg.72. num.44.& 46.* Secundò probari potest per præscriptionem quadragenariam cum titulo colorato, hoc est, qui iustam præscriptionis causam concedere possit: sic Gonzal. *de glos.18.n.57.* Ratio est, quia hæc probatio æquiualet immemoriali, vt probat. *text. in c.1. iuncta glos. verb. legitimè. de præscript. in 6. & cap. cum persona. § quod si tales. de priuileg. lib.6.* & tradit, multis relatis, Mol. *lib.2. de Hispanor. primogen. cap.6. num.52.* Gonzalez *glos. 18. num.57.* Quartò probatum est censendum iuspatronatus ex litteris inscriptis in lapide publico posito, quibus testatur iuspatronatus alicui competere; quia non est credendum ministros ecclesiæ permissuros fore similem scripturam, nisi veritatem contineret: sic Aloysius Riccius *praxi fori ecclesiast. resolut. 125. num.3. fine.* Mascard. *de probat. concl.105. num.10.* Cald. Pereir. *de empt. cap 21. num.21.* Barbosa *allegat.72. à num.50.* Idem dicendum est de armis, seu alicuius familiæ insignibus ab antiquo tempore positis in aliqua capella: manifestè enim denotant non esse liberam, sed patronatus iuri subiectam. Quinto probatur sufficienter titulus patronatus ex litteris expeditis ab ordinario in beneficij institutione: si enim ordinarius testetur beneficium iurepatronatus alicui competere, tacitè innuit titulum habere; quia non est credendum ordinarium sic beneficium concessurum, nisi sibi de titulo, & iure probato constaret, cum talis prouisio sibi, & successoribus suis damnosa sit: sic Flamin. *de resignat. lib 8. quæst.11. num. 38.* Puteus *decis.162. in princ. par.1. & decis.142. par.2.* Agust. Barbosa 3. *par. de potest. Epis. alleg. 72. num. 47.* Debent tamen probari plures institutiones; nam ex vna sola non videtur titulus sufficienter probatus; cum concilium dicat probandum esse ex multiplicatis præsentationibus, & consequenter ex præsentationibus effectuatis, seu quas institutio sequatur. Barbosa *supra.* Crederem tamen si ex vi huius institutionis vacante beneficio præsentationem faceres, quadragenario tempore te fore præscripturum; quia talis institutio titulum saltem coloratum concedit, & consequenter sufficientem, vt quadragenario tempore præscribatur. Idem quod dixi de institutione, credo dicendum de libris visitationum, si in eisdem subiectum esset beneficium iuri patronatus ob rationem supradictam; quia cum in hoc patronatu agatur de graui ordinariorum præiudicio, non est credendum sine sufficienti fundamento visitatores declaraturos fore in fauorem patronatus. Idem à fortiori procedit in sententia ordinarij super litem motam de beneficij statu, quæ ex testium depositione procedit: sic Rota *apud Farinac. tom.2. decis.567.* consentit, aliis relatis Barbosa *allegat.72. numero.49.* casu quo sententia 40. annis retro lata sit; quia est titulus iustam præscriptioni causam præbens. Sextò addunt aliqui probari titulum ex subsidio facto alicui tanquam patrono, præcipuè si hoc subsidium sit in aliorum detrimentum, quale est, si alicui concederetur in ecclesia primus locus, qui non nisi patronis solitus esset concedi; quia non est credendum reliquos fuisse permissuros, nisi suam intentionem haberet fundatam; sic relato Mohedano *decis.10. de iure patron.* docuit August. Barbosa *alleg.72. num.46.* At crederem nequaquam ex huiusmodi actu, & quasi possessione etiam immemoriali inferri iuspatronatus in præsentatione beneficij. Cum enim beneficium fundari posset renunciando iuri præsentationis, & admittendo honorificum locum, credendum est ita fuisse fundatum. Item potuit absque fundatione beneficij, & absque concessione iuris præsentandi concedi loci honorificentia. Non igitur ex illo infertur iuspatronatus in præsentatione, & fauet *tex. cum glos. in c. cum Bertold. vers. quodam iure. de sententi. & re iudicata.* Rota *decis.1245. n.1. lib.3 par.3 diuers.*

7 Hucusque dixi de probatione iurispatronatus priuatorum. At si de probatione iurispatronatus illorum, in quibus plerumque vsurpatio præsumitur loquatur, plenior, & exactior probatio requiritur à concilio *sess.25. cap. 9. de reformat.* Nam si non probatur titulus ex fundatione, constructione, dotatione per authentica documenta, hoc est instrumenta, seu scripturas, sed per immemorialem præscriptionem, eum debet integrè probare, & insuper præsentationes continuatas, non minori saltem, quam 60. annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint authenticis scriptutis. Circa quod statutum cum sit à concilio pro forma requisitum, vt iuspatronatus admittatur, ad vnguem seruandum est. Primo declarat concilium personas, in quibus hæc plenior, & exactior probatio requiritur, & designat esse eas personas, seu communitates, vel vniuersitates, in quibus iuspatronatus plerumque ex vsurpatione potius quæsitum præsumi solet. Hæ igitur personæ, (vt sacra concilij congregatio censuit) sunt Duces, Comites, Marchiones, aliique domini ciuitatum, locorum, castrorum perpetuam iurisdictionem in vasallos habentes, vbi beneficium fundatum est, tamersi ipsi, superiorem recognoscant. Gonzalez *glos. 18. num.66.& 67.* Aloysius Riccius *prax. resol.132. num.1.* Caputaquen. *decis 128 num.1 par. 2.* August. Barbosa *allegat.72. num. 65.* & variis decisionibus Rotæ comprobant supradicti. Quod dictum est de personis potentibus, dicendum est de vniuersitatibus, seu communitatibus propter earum potentiam; quia concilium æquè in omnibus iis vsurpationem præsumit, & tradunt supradicti doctores, & addunt intelligi debere, etiamsi communitas, vel vniuersitas parua sit; quia hoc non tollit potentiam, cui concilium in decisione nititur. Gonzalez *num. 68* Barbosa *num.61.* Garcia 5. *par. de benefic. cap.9. num. 101.* Barbosa *num.64.* sub nomine communitatis, seu vniuersitatis potentis non comprehenditur capitulum ecclesiæ cathedralis, vt ex Rota *decis. 798. sub n.4 par.1. diuers.* testatur Gonzalez *ad reg. mensium. glos.18. n.55.*

Ex his inferunt Garcia, & Gonzalez Rotæ decisionibus comprobantes, subditos dominorum, vel vniuersitatis personas non esse testes idoneos ad probandum iuspatronatus; quia ob eorum potentiam præsumuntur corrumpendi. Et placet mihi hæc doctrina. Est tamen omnino aduertendum cessare hanc præsumptionem vsurpationis in supradictis magnatibus, seu communitatibus potentibus, si beneficiorum collator æquè potens sit; quia ratione æqualis potentiæ non foret permissurus iuri sibi debito derogari, sic docuit Rota *apud Farinac. decis. 378. tom. 2.* excusans à præsumptione vsurpationis duces de Bejar, eo quod non sit verisimile Archiepiscopos Toletanos, quorum potentia, authoritas, & religio notissima est, id passos fuisse, vt eorum iura vsurpentur. Et subdit Rota. Quod enim dicitur de istis magnatibus præsumi iura ecclesiæ vsurpata, procedit vbi non datur concursus potentiæ, & authoritatis in Rectore ecclesiæ, secus si Rectori ecclesiæ sit æqualis, vel maior authoritas, quo stante non intrat dispositio concilij *sess. 25. cap. 9.* eaque de causa Achilles de Graffis *decis.4. de iure patronat.* Puteus *decis.58. lib.1.* Barbosa *dicta 3. par. allegat. 72. num.62* affirmant hanc præsumptionem regulariter solum esse in iis locis, in quibus beneficiorum collatores sunt Episcopo inferiores. Nam computatione Episcoporum Hispaniæ rato hæc præsumptio esse potest ob eorum notissimam potentiam, authoritatem, & religionem.

8 Modus ergo probandi iuspatronatus ex fundatione, constructione, seu dotatione in iis in quibus vsurpatio præsumitur, si non fiat per authenticum instrumentum, sed per probationem immemorialem, debet huic probationi superaddi probatio per authenticas scripturas continuatarum præsentationum, quæ effectum sortitæ sint per tempus continuum quinquaginta annorum: neque sufficit, si probes præsentationes primas, & postremas illius temporis, si aliquam intermediam omittas: nam licet probatis extremis media præsumuntur probata. Tiraquel *de præsumpt. §. 1. glos 5 per totum.* Rota *apud Farinac. tom.2. decis 577.* At non est probata continuatio, nisi solum præsumptiue. Cum autem concilium requiras veram probationem continuatarum præsentationum: efficitur sanè non sufficere probationem illam, ex qua hæc continuatio solum arguitiue infertur: & ita tradit, alios referens, Gonzalez *glos.18. sub num.73.* Flamin. *de considentia quæst.18. numer.255.* Aloysius Riccius *praxi. resol.133. vers. amplia secundo.* August. Barbosa *alleg.72. num.54. & seqq.* Neque sufficit probare per authenticas scripturas præsentationes continuatas esse nisi tales præsentationes effectum sortitæ sint; quia ita à concilio cauetur. Dicuntur autem effectum sortitæ, si ex vi illarum sit præsentatus institutus, & possessionem beneficij acceperit, iuxta *cap. Cumana. de electione*, sic Crestens. *decis 5. de iure patron.* Calderin. *cons. 12. eodem tit.* Gonzalez alios allegans, *glos.18. num.83* Garcia 5. *par. de benefic. cap.5. num.105 & 69. n.105.* Barbosa *alleg.72. num.56.* cum aliis.

9 Dubium tamen est; an per scripturas teneatis probare non solum præsentationes continuatas esse, sed effectum sortitas. Negat Garc. 5 *part. de benefic. cap.9. num.105.* Mouetur, quia concilium solum dicit, vt per scripturas probentur continuatæ præsentationes, quæ sint effectum sortitæ, non tamen dicitur, vt per scripturas probetur esse effectum sortitæ. Adde difficillimam esse hanc per scripturas probationem; siquidem probandum est non solum præsentationem coram ordinario factam esse, sed fuisse ab ordinario admissam, & præsentatum virtute illius institutum, possessionem accepisse. Non igitur est credendum voluisset concilium tantum onus patronis imponere.

Nihilominus probabilius credo, necessario requiri probationem per scripturas authenticas, quod effectum sortitæ fuerint præsentationes factæ: sic docuit Gonzal. *dicta glos. 18. num.82.* & testatur à Rota decisum August. Barbosa *alleg.72. num. 60.* Ratio esse potest. Tum quia concilium petit, vt probaentur per scripturas præsentationes continuatæ, quæ sint effectum sortitæ. Ergo dum non probatur effectum sortitæ esse, & esse continuatas, non probantur præsentationes cum qualitate à concilio requisitæ. Tum quia concilium in hac præsentationum probatione, testibus non confidit. Ergo non debent induci ad probandam qualitatem illarum à concilio requisitam.

Neque

Neque obstant in contrarium adducta. Nego enim concilium non expostulasse pro forma probationem præsentationum effectuatarum; siquidem expostulauit probationem præsentationum, quæ sint effectum sortitæ. Item expostulauit probationem præsentationum continuatarum; at ex eo quod quis probet præsentationes continuatas esse, simul probat effectum sortitas; quia præsentationes continuari non possunt, nisi ad vacationem vnius præsentati alius præsententur; at hoc ipso probatum manet effectum sortitas esse, vt ex Rota *decis.* 545. *par.1.diuers.* tradit Gonzalez *gloss.* 18. *num.* 87. Garcia 5. *par. de benefic.c.p.9.num.*106.

10 Maior difficultas est; an in aliquo casu admitti possit probatio præsentationum per testes?

Negat Gonzalez *gloss.*18.*à num.* 71.*&* 79. Mouetur primo; quia concilium probationem per scripturam expostulauit pro forma, vt constat ex dictione, *nec aliter*. At forma ad vnguem seruanda est, neque adimpletur per æquipollens. *leg.cùm si.§. si prætor.ff.de transactionib. leg. non dubium.Cod.de legib.*& multis relatis docet idem Gonzalez *supra*. Garcia 5 *par.de benefic. cap.9.numero* 113.Barbosa *allegat.*72.*num.*58 Aloysius Riccius *præx.fori Ecclesiast.resol.* 134. Secundo mouentur, quia concilium in probatione præsentationum continuatarum à personis potentibus, communitatibus, & vniuersitatibus non confidit de testibus. Ergo eorum depositio nunquam admittenda est. Tertio,si in aliquo casu admitti posset hæc probatio, maximè cum testes deponunt de scripturarum amissione, in quibus hæ continuatæ præsentationes continebantur,sed neque in hoc casu videtur probatio admittenda; quia hac admissa facilè eluditur dispositio concilij expostulantis probationem scripturarum pro forma; si quidem facilè patroni potentes inducere possent testes ab probandum scripturas deperditas esse, & in illis continuatas præsentationes haberi. Quarto,quia sæpè à Rota id decisum est vt testatur idem Gonzalez *supra*.

11 Cæterum mihi probabilius apparet,posse dari casum, in quo per testes continuatæ præsentationes probentur, nempè si deponant testes de scripturarum amissione,in quibus præsentationes continebantur, sic docuit in præsenti Praxis Archiepiscopalis *cap.* 63.*num.*12. Garcia 5. *par. de benefic.cap.9.n* 113. *in medio*.Ratio præcipua est quia hæc probatio per testes non obest dispositioni concilij expostulantis probationem scripturarum pro forma, tales enim deponentes de amissione scripturarum, & de contentis in illis,non tam probant præsentationes ex vi suarum depositionum, quam ex vi scripturarum, de quarum tenore testantur; æquiualent enim eorum depositiones scripturarum exhibitioni. Potest ergo dici talis probatio facta esse per authenticas scripturas, non realiter exhibitas, sed per testes declaratas. Quapropter plurimi doctores docent; cum in probatione alicuius actus scriptura necessaria est, fieri posse probationem per testes deponentes de illius amissione, & tenore,vt colligitur ex *cap.cum olim.el.*1. *de priuilegiis*. *&* *cap. sicut.de re iudicata.*& Felin.*num.*2.*&* *leg.testium. in fine. Cod. de testibus*,vbi Cynus, Bart. Alberic. Bald Angelus, Salicet. & doctores communiter,& pluribus firmat Mascard. *de probat. concl.*416.*num.*11.*&* *concl.*809.*à num.*3.*&* *concl.*845. *à n.* 24. Matienzo *leg.*6.*tit.*6.*lib.*5.*nouæ compilat.gloss.* 2.*num. vlt.* Palacios *Rub.leg.*22. *Tauri. num.*7.*&* 9 & ibi Castillo *num.* 4. 2. Anton. Gomez *num* 28.

Modum huius probationis breuiter,& vtiliter docuit Anton. Gomez *leg.*41. *Tauri num.* 3. Debent namque testes (inquit) deponere de scripturarum amissione, deque illarum tenore, nullumque in eis apparuisse vitium, sed omnia substantialia habuisse,locum, signum tabellionis, vel notarij. Quapropter subdit Anton.Gomez, testes ad hanc depositionem requisitos debere esse peritos litterarum, vt doctores, aduocatos, tabelliones, vel notarios, alias non plenè, sed semiplenè probabunt.

12 Statuto quod per authenticas scripturas, vel per testes de illarum amissione,& tenore deponentes probandæ sint continuatæ præsentationes per spatium 50. annorum, affirmo hos 50.annos numerandos esse ab illa ptima præsentatione, quæ apparet effectum fuisse sortitam vsque ad diem,in quo lis mouetur:sic Barbosa *alleg.*62. *num.* 59. Neque à tempore immemoriali debere esse distinctos,sed potius in illo inclusos. Gonzalez *gloss.*18. *num.* 88.cum Praxi.Archiepisc. *cap.*63.*num.*51. Ad cuius immemorialis probationem non tempus ante concilium,sed tempus decursum vsque ad controuersiam spectandum est;Gonzalez *num.* 89. ex declaratione sacræ congregationis. Facta probatione iurispatronatus iuxta concilium, & admisso ab ordinario præsentato per patronum, si in sequentibus vacationibus dubitetur de validitate iurispatronatus, non decet patronus repelli à sua quasi possessione præsentandi, neque tenetur ante præsentationem probare de nouo titulum:esset enim patronis nimis graue,si in singulis præsentationibus hęc authentica tituli probatio requireretur:sic testatur Barbosa *in remissionib.concil. sess.*25.*c.*9.*in princ.conc.*15.decisum esse à sacra concilij congregatione,& optimè Gonzalez *gloss.*18. *num* 15. Praxis Archiepiscop.*cap.*63.*num.* 3. Habet enim tunc patronus in iudicio possessorio suam intentionem fundatam. Tandem aduerto, si ius patronatus probandum sit,non aduersus Ecclesiam, sed aduersus alium patronum tunc supradictæ rigorosæ probationes cessant;quia concilium non de hac probatione loquitur, quæ Ecclesiam vni potius quam alteri subiicit, sed loquitur de probatione,quæ Ecclesiam absolutè relinquit subiectam;sic aliis relatis Gonzalez *ad reg.mens.gloss.*18. *num.*59. August.Barbosa 3.*par.de potest.Episc.alleg.*72.*num.*67.

13 Subdit vero concilium *dicta sess.*25 *cap.*9. *de reformat. Reliqui patronatus omnes in beneficiis tam sæcularibus,quam regularibus seu parochialibus,vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis in cathedrali vel collegiata Ecclesia seu facultates & priuilegia concessa tam in vi patronatus,quam alio quocũque iure nominandi,eligendi, præsentandi ad ea cum vocant (exceptis patronatibus super cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis,qua ad Imperatorem & Regem seu regna possidentes, alioſque sublimes,ac supremos principes iura imperij in dominiis suis habentes pertinent) & qua in fauorem studiorum generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata,& irrita cum quasi possessione inde secuta intelligantur,beneficiaque huiusmodi tanquam libera à suis collatoribus conferantur, ac collationis huiusmodi plenum effectum consequantur.*

Ex quibus verbis manifestè constat omnes patronatus ex priuilegio competentes (exceptis iis qui sunt super cathedrales Ecclesias,& qui sublimibus, ac supremis principibus sunt concessi) sublatos omnino esse, & tradunt doctores referendi. Quod verum habet,tametsi in ipso priuilegio dictum sit, vt tale iuspatronatus sit eiusdem naturæ, qualitatis, & prærogatiuæ,ac si esset ex fundatione,vel dotatione, vel regibus concessum,quia adhuc non est ex fundatione, neque regibus concessum,sed ad illorum instar,& consequenter ex priuilegio & cum concilium excludat omnes patronatus ex priuilegio, manet hic patronatus exclusus, sic Gonzalez *ad.reg.mens.gloss.*18. *sub num.*97.Garcia 5.*par.de benefic. cap.* 9. *à num.* 17 vbi testatur sæpè à sacra congregatione declaratum fuisse. At est aduertendum patronatum ex priuilegio excludi, si priuilegium gratiosum sit. Nam si ex causa onerosa concessum sit, non censetur à principe derogatum per legem vniuersalem, vt latius dixi *tract.de legib. disp. de priuileg. circa finem*, & notauit in præsenti,ex decisione Rotæ, Garcia 5.*par.de benefic,cap.*9. *num.* 120.Neque enim præsumendum est. Pontificem velle iura naturalia mutare.& in præsenti materia est specialis ratio;quia illa causa onerosa æquialet dotationi,vel fundationi Ecclesiæ, & loco illius à Pontifice accipitur.

Punctum IV.

Quibus competat ius præsentandi.

1 *Aliqua necessaria præsupponuntur.*
2 *Successione patronatus acquiritur.*
3 *Quæ notabilia inde inferantur.*
4 *Transeatne iuspatronatus hereditarium ad fideicommissarium, vel usufructuarium vniuersalem? Affirmant plures.Communis sententia negat.*
5 *Media via procedendum est, sitque satis argumentis oppositis.*
6 *Quid si Titius relinquat tres haredes, & vnum grauet, vt Ecclesiam ædificet,an solus ædificator,an omnes alij patronatum obtineant? Propendeo, vt solus ædificans obtineat.*
7 *Donatione patronatus acquiritur.*
8 *Qualiter patronus legare,vel donare possit iuspatronatus.*
9. *Permutatione iuspatronatus transfertur.*
10 *Item venditione transfertur patronatus.*
11 *An ex venditione omnium bonorum iuspatronatus hereditarium censeatur translatum.*
12 *Si vendas iuspatronatus contra iuris ordinem, probabilius est te inualidè vendere.*
13 *Locatione etsi non acquiratur patronatus, acquiritur eius vsus, Idem est de feudo, & emphyteusi.*
14 *An pignoratione ius vtile patronatus acquiratur? Respondetur non acquiri, esto rei cui est patronatus annexus oppigneravi possit.*
15 *Qualiter confiscatione iuspatronatus transferatur.*
16 *Consensus Episcopi non requiritur ad translationem patronatus annexi villæ,castro,&c.*
17 *Iuspatronatus si donatione, legato,permutatione in laicum transferatur concensus Episcopi requiritur.secus si in Ecclesiam.*
18 *Si vnus patronus alteri cedit ius suum,non videtur consensus Episcopi ad hanc cessionem necessarius.*
19 *Paganus,& Iudæis iuspatronatus competere non potest.*
20 *Quid dicendum de infante,pupillo,& minore.*
21 *Tutor præsentare potest ob patronatum competentem pupillo, secus curator.*
22 *Idem dicendum de parte respectu filij,dum est sub eius potestate.*
23 *Qua præsentatio præferenda sit pupilli,an tutoris? Probabilius est pupilli esse præferendam.*

24 *Spurius*

24 *Spurius, & alias irregularis capax est patronatus, quidquid alij contra sentiant.*
25 *Quid de possessore iurispatronatus, & quando censeatur bona fide possidere.*
26 *An post litem contestatam clericum nominare possit patronatum possidens? Probabilius est posse.*
27 *Quid de marito, an præsentare possit ob patronatum uxori competentem?*
28 *An iura patronatus annexi uxoris bonis in dotem datis transeant in maritum. Alij affirmant, alij negant,*
29 *Media via proceditur.*

1 COnstat ex supradictis hoc ius in radice, & proprietate competere fundantibus, constituentibus, & dotantibus Ecclesias, & quibus à Pontifice est concessum. At per translationem omnibus illis competit, in quos hoc ius à primo possidentibus fuerit translatum. Videndum autem est, qua ratione transferri possit, vt inde constet qui possint illud habere.

Quadruplici via transferri ius patronatus potest, vt *disp. de Simonia punct. 14. dixi.* Primo, iure hæreditario seu ex testamento. Secundo, donatione. Tertio permutatione. Quarto, venditione. Glossa *in cap. piæmentis. 16. quæst. 7.* Innocent. *in Rub. de iure patronat.* Azor. *2. part. instit. mor. lib. 6. cap. 20. quæst. 4.* Augustl. Barbosa *3. par. de potest. Episc. alleg. 71. num. 1.* Vt igitur doctrina subiicienda intelligatur, suppmendum est dupliciter iuspatronatus tibi competere posse, aliud quod tibi competit ratione personæ, quale est illud, quod tibi, tuisque hæredibus & successoribus competit ob fundatam Ecclesiam, vel priuilegium à Romano Pontifice concessum: aliud quod tibi competit ratione alicuius villæ, castri, & prædij, cui est ex fundatione iuspatronatus annexum. Primum voco iuspatronatus personale, quia à rebus, & possessionibus est distinctum, & personam comitatur. Secundum est reale, quia rebus ipsis inhæret. His positis.

2 Primò transfertur iuspatronatus successione *cap. considerandum. 16. quæst. 7.* qui enim succedit in hæreditate, eo ipso patronatum consequitur, siue sit consanguineus, siue extraneus; quia transit cum hæreditate, *cap. cum sæculum. de iure patronatus. clem. plures de iure patron.* Abbas *cap. 1. de iure patronat. 2.* Francisc. Leo *in thesauro fori Ecclesiast. 2. par. capit. 6. num. 25.* Riccius *in collect. decis. p 4. collect. 1025.* Augustl. Barbosa *3. part. de potest. Episc. alleg. 71. num. 3* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6 cap. 20. quæst. 19. in medio.* Quod verum habet siue hæres sit vir siue fœmina: quia sequitur hæreditatem, & probat *cap. fin. de concess. præbenda, cap. ex litteris. de iure patronatus,* & ibi Abbas Azor. *supra.* Garcia *5. par. de benefic. cap. 9. num. 142.* Adde fœminam succedere in iure patronatus maioratui annexo, si in maioratu succedat; quia principale trahit ad se accessorium. Molin. *lib. 3. de primogen. cap. 6. num. 41. & c. 7. num. 19.* & Mol. Iesuita *tom. 3. de iustit. disp. 627. n. 13.* Garcia *supra* num. 145. Item succedit in iure patronatus pro consanguineis, vel de familia relicto, si ipsa est consanguinea, vel de familia fundatoris; quia non est alienum ab hoc iure, vt in fœminam cadat. Garcia *benefic 5. par. cap. 9. num. 144.* alios referens.

3 Hinc fit filium renunciantem hæreditati non acquirere iuspatronatus hæreditarium, sed cum hæreditate transire. Barbosa *alleg. 71. num. 4.* Azorius *quæst. illa 9.* Fit secundo casu, quo multi sint hæredes, omnibus competere æqualiter, tametsi inæqualiter, hoc est si in portione inæquali hæredes sint; quia iura incorporalia indiuisibilia sunt vt colligitur *ex leg. si sepulchrum. Cod. de Religios. & sumptib. funer.* ac proinde omnes ad beneficia æqualiter præsentare possunt, & omnibus honorificentior locus debetur, omnibusque in egestate constitutis succurri debet. Hac tamen differentia, vt locus honorificus, & subsidium in necessitate debeatur cuilibet patrono in solidum, ac si cum alio in patronatu non communicaret; at præsentare ad beneficium non sic cuilibet patrono debetur, sed simul cum aliis; quia ius nominandi vnum & indiuisibile est in omnibus patronis, sic Azor. ex communi sententia *dicta 2. parte. instit. moral. lib. 6. cap. 20. quæst. 9.* Ex quo manifestè colligitur in iure præsentandi, & nominandi non succedere hæredes per capita, sed per stirpes, vt deciditur in *clem. plures. vlt. de iure patr.* ita vt si petrus Ecclesiæ fundator tres filios relinquat superstites, Didacum, Franciscum, & Ignatium, inter quos hæreditas diuisa sit; omnes illi filij ius habent præsentandi, non quilibet seorsim ab aliis, sed simul cum aliis, & est omnibus nominationibus vna nominatio valida consurgit. Quod si illi filij plures alios filios inæqualiter habeant, Didacus vnum, Franciscus duos, Ignatius tres, tres filij vnam tantum vocem habent, quæ non excedit vocem, & nominationem factam ab vno filio Didaci; quia omnes illi nominant non vt suas, sed vt personas parentum representant, sic Gonzales *gloss. 45. num. 61.* Azorius *2. par. instit. moral. lib. 6. cap 20. quæst. 9* Tiraquel. *de iure primogen. quæst. 36. num. 3* Augustl. Barbosa *alleg. 72. num. 70.* Stephan. Gratian. *discept. forens. cap. 521. num. 18.*

4 Difficultas est; an iuspatronatus hæreditarium transeat ad fidei commissarium, vel vsufructuarium vniuersalem? Affirmant plures, grauissimique doctores. Ludouic. Roman. *leg. si patroni. in princ. ff. ad Trebell.* & *leg. Titius eodem tit. num. 5.* Mol. *lib. 1. de Hispanor. primogen. cap. 24. à num. 7.* Gutierrez *de tut. 3. part. cap. 29. num. 15.* inclinat noster Mol. *tom. 1. tract. 2. de iustit. disp. 118. in fine.* Ratio præcipua est; quia in fideicommissarium, & vsufructuarium vniuersalem transit hæreditas. Ergo transire debet iuspatronatus hæreditati annexum. Secundo, quia vsufructuario vniuersali conceduntur omnia iura realia & personalia vtilia, *leg. 1. & aliis. ff. ad Trebell.* Ergo concedi debet iuspatronatus. Tertio, iuspatronatus alienari potest inter viuos titulo vniuersali; *cap. ex litteris. de iure patronatus. leg. quadam. ff. de acquir. rerum domin.* Ergo & alienari potest ex testamento.

Cæterum communis sententia oppositum defendit. Conarruu. *cap. Raynutius de testament. §. 9 num. 8. & lib. 2. var. resolut. cap. 18. num. 8.* Anton. Gomez *tom. 1. var. cap. 5. num. 29.* Eman. Acosta. *cap. si parte par. 2. in verbo Trebellianica. num. 4.* Augustl. Barbosa *3 par. de potest. Episc. allegat. 71. num. 9.* Præcipuum fundamentum desumitur ex *leg. quia perinde, §. restituta ff. ad Trebellian.* vbi restituta hæreditate iura sepulchrorum apud hæredem remanent, & ex *leg. si quis fuit hæres. ff. de Religios. & sumptib. funerum,* vbi si quis fuit hæres, & hæreditas ablata sit ei quasi indigno, penes eum intra sepulchrorum manent. Ergo idem dicendum est de iure patronatus antiquo hæreditario. Tum quia hoc iuspatronatus religiosum est & commodum pecuniarium non respicit, sicut ius sepulchrorum. Tum quia iuspatronatus antiquum, & hæreditarium hæredem videtur sequi, non alium. Aliud fundamentum desumitur ex *leg. si patroni filius. ff. ad Trebellianum.* vbi ius patronatus liberorum remanet penes hæredem grauatum, & non transit ad fideicommissarium. Ergo idem dici debet de iure patronatus.

5 Inter has sententias media via procedendum est, si ius patronatus reale sit, hoc est annexum alicui villæ, aut castro, quod castrum in fideicommissarium, vel vsufructuarium transferatur, transfertur etiam ius patronatus; quia est accessorium. At si iuspatronatus personale sit, quale est relictum Titio eiusque successoribus, nequaquam in fideicommissarium, vel vsufructuarium transfertur, sed penes hæredem, & successorem remanet; quia transferri non potest contra voluntatem instituentis. At institutor solum Titio, eiusque hæredibus, & successoribus patronatum applicuit. Ergo vsufructuarius excluso manet; quia vsufructuarius non est eius hæres, & successor. Et confirmo. Hæres grauatus restituens hæreditatem fidei commissario, non proprie hæreditatem, sed bona per hæreditatem accepta restituit, neque enim fideicommissarium hæredem facit. Ergo per hanc restitutionem fideicommissarius & vsufructuarius hæredes non sunt. Ergo neque patroni esse possunt. Et iuxta hanc distinctionem conciliat supradictas sententias Garcia *5. par. de benefic. cap. 9. à num. 18.*

Hac distinctione posita facile est respondere argumentis primæ, & secundæ sententiæ, quatenus nobis obesse possunt. Argumenta enim primæ sententiæ solum probant, si iuspatronatus annexum sit alicui rei determinatæ, illa translata transferri ius patronatus, at quando iuspatronatus personale est, & bonis adhærens, translatione bonorum iuspatronatus non transfertur. Cum vero in primo argumento dicitur in fideicommissarium transferri hæreditatem, negandum est transferri hæreditatem formaliter; si quidem non hæreditas formaliter, sed bona hæreditaris transferuntur; ac proinde iuspatronatus antiquum, & hæreditarium, quod hæreditatem formaliter sequitur, non transfertur. Ad secundum argumentum dico, fideicommissario, & vsufructuario competere omnia iura realia, & personalia, quæ hæredi competunt ob bona per hæreditatem acquisita, non tamen ea iura, quæ illi competunt inter sanguinis, vel successionis. At cum patronatus personalis sit antiquus, & hæreditarius, non ex bonis acceptis, sed ex sanguine vel successione habetur, ac proinde non communicato sanguine, vel successione, transferri non potest. Ad tertium, concedo iuspatronatus alienabile inter viuos legari etiam posse in testamento: nego tamen iuspatronatus personale sic censeri alienatum, ex eo præcisè quod vsufructuarium vniuersalem constituas; solum enim constituit vsufructuarium rei, non patronatus. Argumenta vero secundæ sententiæ probant, iuspatronatus personale penes hæredem, & successorem manere restituta hæreditate. Fateor tamen ex *leg. quia perinde & alias*, non satis firmiter colligi, quia vt pulchre probat Mol. *de prim. lib. 1. cap. 24. à num. 9.* plurimum differt ius sepulturæ à iure patronatus; ac proinde ex eo quod ius sepulturæ in vsufructuarium non transferatur, inferri non potest iuspatronatus non posse transferri. Quapropter firma ratio, cui innitimur est, quia talis translatio est contra instituentis dispositionem, quæ solum suis hæredibus, & successoribus patronatum concessit.

6 Rursus dubitare potes, si Titius relinquens tres hæredes vnum eorum grauet (casu quo grauare possit) vt ex propriis hæreditatis bonis Ecclesiam ædificet, ipse vero id faciat ex consensu Episcopi, quis sit illius Ecclesiæ patronus? an solus ædificator, an omnes eius hæredes? Couarruu. *2. var. resolut. c. 18. in fine,* censet omnibus patronatum competere. Mouetur, quia nomi-

nomine Titij Ecclesia ædificata est, & ex illius iussu, ac mandato, ac proinde Titij hæreditati patronatus acquiritur. Ergo acquiritur omnibus Titij hæredibus. Et confirmo. Si Titius ex suis bonis Ecclesiam ædificaret, omnes eius hæredes patroni essent, sed cum hæreditatem alicui reliquit sub conditione Ecclesiæ ædificandæ, virtualiter constetur ipse Titius Ecclesiam ædificare. Ergo etiam in hoc casu omnes eius hæredes patroni sunt, & fauet *lex his consequenter.* § 1. *vers. sed & nocumentum. ff. famil. erciscunda*, ex qua lege id adnotauit Bald. *in rub. Cod. res inter alios acta. col.* 1.

Verum mihi hæc sententia non satis probatur: magis enim propendeo in eam, quæ affirmat solum ædificanti Ecclesiam ius patronatus competere. Moueor; quia in supradicto casu hæres gratuatus nomine proprio & propriis bonis sub ea sibi conditione relictis Ecclesiam ædificat. Ergo alij hæredes participare de patronatu non possunt; quia in tantum possent de patronatu participare, quatenus ex bonis Titij, & nomine ipsius Ecclesia ædificata esset. Cum autem non Titius, sed eius hæres, neque ex bonis Titij, sed eius hæredis à Titio relictis Ecclesia ædificata: sit: sit sane nequaquam alios cohæredes participare posse in patronatu. Aliud esset, si Titius ex suis bonis segregaret quantitatem sufficientem Ecclesiæ ædificandæ, & alicui ex suis hæredibus ædificationem committeret, tunc enim omnes hæredes Titij patronatum consequerentur; quia nomine Titij Ecclesia ædificatur, & ex illius bonis formaliter.

7 Secunda via, qua ius patronatus in alium transfertur, est donatio, *cap. ex insinuatione, cap nullus. de iure patronat.* & tradit Glossa *cap. pia mentis. 16. quæstion. 7. & in dicto c. ex institutione, verbo liberaliter.* Tiraquel. *in leg. si vnquam. Cod. de reuocand. donat. verbo donatione largitus. num.* 353. Auguſt. Barbosa 3. *par. de potest. episcop. alleg.* 71. *num.* 20.

8 Difficultas autem est, an patronus donare, vel legare ius patronatus possit, cui sibi placuerit?

Cui difficultati respondeo, aut ipse patronus est patronatus institutor, aut ab instituente patronatum accepit; si ipse est patronatus institutor, & descendentes habeat legitimos, potest ius patronatus vni filiorum donare, aut prælegare, neque alij conqueri possunt de inofficiosa donatione facta, quod maximè habet verum si Ecclesiam ædificasset ex bonis, de quibus ipse absque præiudicio filiorum disponere posset, sic Lambertin. *de iure patron. lib. 1. p. 2. quæst. 3. art.* 7. Couarruu. aliis relatis, *lib. 2. var. resol. cap.* 18. *num.* 9. Alteri autem à filiis crederem non posse hunc primum patronum patronatum relinquere in casu quo patronatum acquisisset ex bonorum dispositione de quibus extra filios disponere non possit; quia alias talis dispositio inofficiosa esset filiis, & retractanda. Et præterea, quia cum talia bona, quibus patronatus acquisitus est, ad filiorum legitimam pertineant, & ius patronatus ob illa acquisita pertinere debet. Secus vero dicendum, si acquisisset ex bonis, de quibus libere disponere potetat. At si ex priuilegio sibi esset concessum, videndum est qua forma concessum sit: si enim concessum sit sibi, suisque liberis non poterit extra illa transferre; quia filij non à patre, sed à Pontifice immediatè patronatum acquirunt. Secus vero esset, si alicui concederetur cum potestate transferendi absque personæ determinatione.

Sed quid si primus institutor patronatum reliquit Petro, eiusque filiis, nepotibus, &c. successiue, poteritne Petrus, aut eius filius, aut nepos patronatum transferre in quem sibi placuerit in præiudicium eorum, qui ab institutore vocati sunt? Affirmat Cæsar Lambertin. *de iure patronat. lib. 1. p. 2. quæst. 2. ar. 6. & 8.* Mouentur. quia viuente Petro nullum ius habent in patronatu eius successores. Ergo absque præiudicio illorum transferre poterit Petrus patronatum. At contrarium omnino tenendum est, quia ratione institutionis omnes successores habent ius succedendi in patronatu, quo iure priuari non possunt ex cuiusque voluntate: si autem patronatus transferri posset pro libito possidentis, iam successores supradicto iure priuarentur. quod concedendum non est, ita tradit, aliis relatis, Couarruu. *2. var. cap.* 18. *num.* 9 *vers. sed quæritur* Garcia 5. *par. de benefic. cap. 9. num.* 19 *& 70.*

9 Tertia via, qua ius patronatus in alium transfertur, est permutatio, *cap. nemine. 16. quæst. 7.* Pro quo aduerte, si ius patronatus reale sit, hoc est alicui villæ, vel prædio annexum, permutari poterit cum aliare temporali, facta villæ, vel prædij permutatione; quia tunc non spirituale cum temporali, sed potius temporalia permutantur. At si ius patronatus personale sit, nequit cum re temporali permutari, sed cum alio iure spirituali, iuxta textum in *cap. ad quæstiones. de rerum permut.* & tradit Azor 2 *p. instit. moral. lib. 6. cap.* 20. *q.* 7. esse enim illicita spiritualis iuris venditio.

10 Quarta via transferendi ius patronatus est venditio. *cap. cum sacrum, & ibi gloss. verbo emptorum. de iure patronat.* Si patronatus personalis sit, nequaquam absque labe simoniæ transferri potest venditione; quia est inuendibilis: si autem villæ, vel castro annexus sit, vendita villæ aut castro manet translatus. Debes tamen non pluris vendere villam, aut castrum ob patronatum annexum, quam si illo careret, aliàs tacitè vendes res iuris patronatus; sicuti non potes vendere calicem consecratum pluris ob consecrationem, quam si consecratus non esset, Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. c.* 20. *quæst.* 8. Cui communi doctrinæ contradicit Garcia 5. *p. de benefic. cap. 9. num.* 35. & fauet noster Mol. *t. 3. de iustit. tit. 2. disp.* 620. *num. 6. ad finem*; moti ea ratione, quia res eo pluris æstimatur, quo excellentioribus qualitatibus, ornata est, at qualitas patronatus est nimis excellens. Ergo ratione illius pluris res existimari debet. Neque obstat, si dicas esse quidem rem maiori æstimatione dignam ob patronatum, sed non æstimatione, quæ pretio comparari possit, sed alterius ordinis, & rationis; quia patronatus non est qualitas temporalis, sed spiritualis. Non inquam obstat, quia patronatus non est qualitas pure spiritualis, sed habet temporalitatem annexam, v. g, honorificentiorem locum pro patrono in Ecclesia, & Ecclesiam obligatam ei in necessitate subuenire. Ergo ob has rationes pluris æstimari villa poterit, maiorique pretio vendi, quam aliàs venderetur. Fateor non videri hoc improbabile. At quia communis sententia defendit simoniam esse, si pluris ob patronatum villa, vel castrum vendatur, quam aliàs venderetur, ideo dicimus has qualitates temporales patronatui annexas non constituere villam, vel castrum pluris vendibile; quia non ipsis qualitatibus per se, sed iuri spirituali, ex quo nascitur, attenditur. Et cum hoc ius spirituale sit, & inuendibile; ea de causa non reddit villam, cui annectitur, maiori pretio dignam.

11 Dubium tamen est, an ex venditione bonorum omnium censeatur translatum ius patronatus hæreditarium nulli speciali prædio determinatè annexum? Cui dubitationi *tr. de vitijs religion. oppositis. disp. de Simon.* respondi, & negatiuam partem defendi; quia dictum ius patronatus non transit cum venditione verum singularium, & specialium, cum illi annexum non sit, at cum omnia bona venduntur, omnium debet fieri specifica, & singularis traditio. *leg. qui tibi. Cod. de hæredit. vel act. vend.* Ergo illis venditis non transfertur ius patronatus, quod solum in consequentiam venditione transferri potest, & ita tenet Lambert. *de iure patron. 2. p. lib. 1. quæst. 5. art* 15. Eman. Costa *cap. si pater de testam. in 6. verbo Trebellianica. numero* 7. Garcia 5. *p. de benefic. cap. 9. n.* 13. Suar. *tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. cap. 28. num* 19 *& seqq.* & aliis allegatis Barbosa 3. *part. de potest. episc. alleg.* 71. *num* 33 *& seqq.*

12 Sed quid si de facto contra iuris prohibitionem vendas ius patronatus, erit ne venditio valida? Affirmat Suar. *lib. 4. de simon. c. 57. n.* 13. quia nullibi inuenitur irrita ipso iure: nam licèt in Concilio Trident. *sess. 25. cap. 9. de reformat.* dicatur, vt nullus ius patronatus transferre in aliquem contra canonicas sanctiones præsumat; alioquin ipso iure patronatus priuatus existat; non inde infertur trasslationem nullam esse, sed esse annullandam, sicuti diximus de alienatione bonorum ab hæretico facta ante declaratoriam sententiam, quæ quidem alienatio valida est, esto rescindenda venia. Nihilominus probabilius credo, venditionem inualidam esse, neque posse emptorem patronatum retinere, sed manere penes vendentem, quousque sententia declaratoria criminis accedat. Moueor, quia patronatus in neminem transferri potest, in quem Ecclesia non consenserit, quia ex voluntate Ecclesiæ hoc ius spirituale communicatur, & non aliter. At Ecclesia translationem simoniacam reprobat, & detestatur, omnesque tales pactiones irritat, & annullat, *cap. quamuis pactum. de pactis. cap. præterea. de transactionib. cap. ea quæ. 1. quæst. 3.* ergo talis venditio nulla est, & consequenter ius patronatus non est ex illa translatum, & ita tenet Azor. 2. *part. instit. mor. lib. 6. cap.* 20. *quæst.* 8. Garcia 5. *par. de benefic. cap. 9. n. 9.*

13 Ad hunc modum reducitur translatio iuris patronatus per locationem pignorationem, fundum vel emphyteusim, ac denique confiscationem. Et quidem locatione transferri non potest, quia non est capax locationis. Idem sentit Azor. *2. p. inst. moral. lib. 6. capit.* 20. *quæst.* 11. de iure patronatus reali rebus ipsis annexo; quia ratione locationis non acquirit conductor dominium directum, vel vtile rei locatæ, ac proinde neque ius patronatus. Cæterum mihi probabilius apparet locatarium locatione durante patronatum habere; quia virtute vniuersalis locationis communicatur locatario potestas vtendi re, & consequenter percipiendi omne ius fructus; cum autem præcipuus fructus sit ius patronatus, illo vti poterit locatarius, & videtur casus decisus in *cap. ex litteris. de iure patronat. & ibi glossa.* Hinc à fortiori constat feudo & emphyteusi ius vtile patronatus transferri; quia emphyteuta, & feudatarius habet vtile dominium rei in feudum, vel emphyteusim datæ. Azor. *supra. quæst.* 12.

14 Minor dubitatio est de re in pignus à creditore accepta, an cum pignoratione patronatus trasferatur? Videtur transferri, quia concedens pignus illo vti non potest; siquidem ex pignoratitia actione priuatur potestate vtendi re in pignus data: aliàs nullius esset vtilitatis pignoratio, si ea non obstante posset debitor re pignotata, & fructibus illius vti. Si autem debitor vti patronatu non potest, efficitur sanè in creditorem cum pignore transtulisse, ne dicamus vsum patronatus extinctum esse. Ob hanc rationem Azor. *dicto cap. 20. qu.* 13. existimat rem, cui est ius patronatus annexum, non posse oppignerari; adduc-

cit

cit Glossam *in cap. vltim. de conces. prabenda*, quæ nihil dicit. Cæterum rem, cui est ius patronatus annexum, oppignerari posse mihi videtur probabilius; quia nullus est text. hunc contractum prohibens; si enim venditio prohibita non est, à fortiori neque pignoratio. Neque obest ratio in contrarium allegata. Credo namque penes debitorem manere ius patronatus non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad illius vsum, quia ex pignoratitia actione non transfertur in creditorem ius vtendi pignore, quia pignus solum conceditur ad debiti securitatem ac proinde omnis vsus pignoris, qui huic securitati non obsit, debitori remanet: at vsus patronatus nequaquam securitati debiti obest, ergo remanet debitori. Adde creditorem obligatum esse restituere omnem fructum, quem ex pignore accipit. vel in sortem computare. *cap. 1. de vsuris. leg. 1. & 2. ff. de pignorat. act.* At si in creditorem ius patronatus cum pignore transiret, ipseque præsentaret, non appareret qua ratione iste fructus, scilicet præsentatio restitui posset, aut eius æstimatio, cum sit supra omnem æstimationem. Dicendum ergo est nequaquam in creditorem ius patronatus cum pignore transire, & ita tenet aliis relatis, & affirmans esse communem sententiam, Gregor. Lopez *leg. 9. & 15. part. 1. verbo empegnado*, tametsi contrarium indicet illa lex.

15 Tandem de confiscatione esse potest dubitatio; an per illam ius patronatus in fiscum transeat? Sed huic difficultati *tractat. de fide. disputat. de pœnis temporalibus*, satisfecimus, nostramque sententiam pluribus doctoribus, & decisionibus Rotæ comprobat Garcia *quinta parte de benefic. capite nono, à num. vigesimo sexto.*

16 Restat pro intelligentia supradictarum translationum aduertere consensum Episcopi, seu illius, ad quem beneficij institutio pertinet, aliquando necessarium esse, neque aliter fieri supradictam translationem posse. Quando vero contingat, pergimus explicare. In primis non requiritur hic consensus ad translationem iuris patronatus accessorium venditioni, vel donationi, locationi, feudo, emphyteusi, villæ, vel castri habentis ius patronatus annexum: colligitur ex *c. cum saculum. de iure patron. & ibi* Abbas, *c. ex litteris. eodem titulo.* & tradit August. Barbosa *tertia parte de potest. Episcop. alleg. 71. n. 10.* Suarez *tom. 1. de religion. lib. 4. de simon. cap. 28. num. 17.* Barbosa *3. part. de potest. Episcop. allegat. 71. num. 46.*

17 At si ius patronatus personale sit, & donatione, legato, permutatione ve transferatur in alium, distinguendum est. Si transferatur de laico in Ecclesiam, vel locum religiosum, vel in clericum nomine Ecclesiæ, nullus consensus requiritur, colligit ex *cap. illud. de iure patr.* ibi *religioso loco ius patronatus conferendi liberam habeat patronus facultatem*, & *capite vnico, eodem titulo, in 6.* habetur eam donationem firmam esse, & tradunt communiter doctores, vt testatur Azor. *2. par. inst. mor. lib. 6. c. 20. quæst. 5.* Suar. *de Simon c. 28. n. 15.* Stephan. Gratian. *disceptat. forens. c. 177. n. 3.* Barbosa *3. par. de potest. Episc. alleg. 71. n. 11. & seqq.* Ratio esse potest; quia est favor Ecclesiæ, quod redeat ad ipsam ius patronatus. Neque obstat *c. nullus, c. quod autem*, vbi non potest absque Episcopi consensu Ecclesia conferri monasteriis, aut clericorum collegiis. Non inquã obstat, quia loquitur supradicti text. de collatione, non de præsentatione. Verum si ius patronatus de laico in alium laicum transferatur, consensus ordinarij requiritur, est communis sententia, vt testatur Azor. Suar. Sthephan. Grat. Barbosa, & alij apud ipsos *sup.* colligitur ex *c. illud. de iure patron. c. vn. eodem tit. in 6.* argum. à contrario sensu. Triplex ratio huius consensus assignari potest. Prima ne fiat simoniaca translatio, cuius periculum maximè vitatur examinatione facta ab ordinario, & consensu illis præstito. Secunda, vt eodem tenore prorogetur patronatus, quo fuit primo institutus, & cum primo institutus sit ex ordinarij consensu, ex illo prorogari debet. Tertia, ne damno afficiatur Ecclesia, assignando ei patronum suspectum, & inuisum. Quod si ius patronatus de Ecclesia in Ecclesiam, vel in laicum transferendum esset, ille consensus necessarius est, qui ad alienationes rerum Ecclesiasticarum expostulatur, & notauit Barbosa *d. alleg. 71. num. 27.* Est enim talis translatio vera iuris immobilis alienatio.

18 Difficultas autem est; an casu quo plures existant patroni alicuius Ecclesiæ, possit vnus alteri cedere ius patronatus, quod habet absque ordinarij consensu? Negant Hostiens. Panormit. Ioann. Andr. & alij quos refert. Lambertin. *lib. 1 de iur. patron. 2. p. q. 2. ar. 12.* Mouentur; quia hæc cessio iuris quædam est donatio, *c. veniens. de testibus*, sed nullus laicus alicui laico donare patronatum potest. Ergo neque hoc ius cedere. Secundo, quia in hac cessione interuenire potest labes simoniæ, sicut in qualibet alia translatione. Tertio, quia potest contingere, vt is in quem fit translatio inuius Ecclesiæ sit, & grauius eam vexet. si ius patronatus integrum habeat.

Nihilominus plures doctores (quibus videtur assentiendum) esto affirment conueniens esse, vt consensus ordinarij in hac cessione intercedat, at non reputant necessarium. sic Lambertin. *supra* Azor. *1. p. instit. mor. l. 9. c. 20 q. 6.* Praxis Episcop. *1. par. verbo in patronat. §. 1. vers. secundum dubium.* Decisio Rot. *apud Farinac. in nouissimis p. 1. t. 1. decis. 707. n. 1.* Barbosa *alleg. 71. n. 18.* Ratio esse potest; quia hac cessione non cõstituitur nouus patronus, sed potius ex iis qui antea erant, vnus extinguitur alio integrè constituto. Quod Ecclesiæ damnosum regulariter non est potius enim Ecclesiæ expedit vni, quam pluribus subiici, præcipuè cum ille qui subicitur, notus iam sit, neque præsumi potest Ecclesiam vexaturus; alias si Ecclesiam vexasset, cum dimidiatè patronatum haberet, non illum Ecclesia in patronatu conseruasset. Est ergo hæc cessio vtilis Ecclesiæ, ac proinde absque expresso ordinarij consensu fieri potest.

In iis casibus, in quibus consensus ordinarij requiritur, si ex post facto accedat, sufficit ad translationem validam constituendam. quia non tam ad valorem translationis; quam ad illius licitum vsum expostulatur, & tradit Flamin. *de resignat. lib. 8. q. 10. num. 7. & 8.* Menoch. *de præsumpt. lib. 6. q. 34. n. 14. cum sequentib.* Barbosa *3. p. de potest. Episc. allegat. 71. n. 18.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. cap. 20. quæst. 5. in fine.*

19 Hucusque diximus de modis, quibus patronatus obtineri potest. Restat examinandum, an ab omnibus indifferenter possit obtineri? Et primo dubitatur de Pagano, & Iudæo, eo quod ij ædificare Ecclesiam possint, vel emere rem, cui ius patronatus est annexum? Nihilominus dicendum est omnino incapaces esse iuris patronatus. Quia ad hoc ius nullus obtinere potest, nisi cui ab Ecclesia fuerit concessum. At Ecclesia fidelibus tantum concedit, vt constat ex *c. quicumque. 16. q. 7.* ibi, *quicunque fidelium*, & *c. pia mentis. eadem causa & q.* ibi, *pios seu Christianos homines*, & *c. Frigentius. eadem.* ibi, *qui Christianis debetur*, vbi Gloss. inferit. Ergo Iudæus patronus esse non potest, ita notauit Azor. *2. p. instit. l. 6. c. 21 q. 7.*

20 Secundo dubitatur de infante pupillo, & minore, an obtinere patronatum possit? Et ratio dubij est; quia caret discursu sufficienti ad præsentandum. Verum hoc parui momenti est. Nam esto infans discursu careat, habere potest tutorem, qui nomine ipsius præsentationem faciat; ac proinde patronus esse potest. Item quilibet infans capax est legati, & hæreditatis, ergo & patronatus hæreditati annexi; & ita tradit Abbas *c. 1. de iure patron. n. 5.* Ioann. Andr. *c. cum eo de erection. in 6.* Archidiacon. *cap. decernimus. 16. q. 2.* Frederic. *cons. 97.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. c. 21 q. 14.* Quod si pupillus maior septennio sit ita patronatum obtinet, vt nominate clericum possit etiam absque tutoris, vel curatoris authoritate; quia nullibi cauetur hanc authoritatem in hac nominatione requiri, sicut neque requiritur in sponsalibus contrahendis, sic aliis relatis docuit Azor. *supra*, Lambertin. *1. p. de iure patronat. lib. 2. q. 2. art 9. & 10. & 3. p. l. a. q. 6. art. 1.* Garcia *5. par. de benefic. cap. 9. num. 193.*

21 Tertio dubitatur de curatore, & tutore, an sui pupilli patronatum obtineat: Respondeo nequaquam obtinere; quia pupillus patronatum retinet, difficultas est, an obtineat ius præsentandi? Et quidem cum pupillus infans est; hoc est minor septennio, vel ob amentiam aut furiam discursu caret, certum est præsentare posse; quia tunc eius actus præsentare non potest, & ipse nomine eius præsentionem facit. sic Azor. *d. q. 14.* & supponit Garc. *sup.* Si autem pupillus discursum habeat; communis sententia defendit tutorem præsentare non posse; quia tutor non administrat spiritualia, vt cum Gloss. *c. ex eo de elect. in 6. verb. suffragium in fi.* Roch. Pauin. Rebuff. & aliis docet Garc. *d. c. 9. n. 186.* Azor *sup.* Cæterum mihi probabilius apparet, præsentare posse tutorem, quia tutor præcipuè datur ad regendam personam pupilli. Ergo ratione huius personalis regiminis præsentare ad beneficium poterit, & ita tradit Garc. *sup. n. 195.* Secus vero dicendum videtur de curatore, qui cum principaliter datus sit pro administratione bonorum minoris, & non personæ, patronatum competentem minori, & eius bonis non annexum non videtur administrare posse, neque ad beneficia virtute illius præsentare; sic Garcia *n. 196.* Dices, in regno Castellæ, decima fructuum ex bonis pupilli, & minoris debetur tutori) & curatori; iuxta *l. 2. tit. 7. lib. 3. fori.* Ergo ratione illius præsentare poterit in parte ad beneficia, quia præsentatio fructus est bonorum pupilli. Respondeo decimam fructuum, ex quibus pupillus, & minor ali, & sustentari possunt, vt constat ex suprad. lege ibi, *mantingalos de los frutos, y tome para si el diez. mo.* Ex præsentatione autem neque minor, neque pupillus ali possunt. Item decima, quæ debetur curatori, est pretium laboris impensi quod esse non potest præsentatio. Adde ius præsentandi indiuiduum esse. *c. 1 de iure patronat.* non igitur conuenire ex parte, potest tutori, vt latius prosequitur Ioann. Gutierr. *3. p. de tutela, c. 29.*

22 Idem quod dictum est de curatore, & tutore dicendum est de parte respectu filij, dum sub eius est potestate, posse inquam patrem præsentare ad beneficia iurispatronatus competentis filio, dum filius impubes est, quia toto eo tempore persone filij administrationem habet. Secus vero post pubertatem; quia tunc cessat filij administratio, & solum in eius bonis conceditur præcipuè cum hæc administratio spiritualia respiciat, in quibus filius sui iuris est neque patria potestas ad ea extenditur. Ab hac doctrina excipiendus est patronatus competens filio ob bona aduentitia, quorum patet habet vsumfructum: quia ratione illius præsentare ad beneficium poterit. & non ipse filius, vt bene dicit Garcia *5. par. de benefic. c. 9 num. 205.*

23 Quod si inquiras, quæ præsentatio preferenda est, cum tutoris,

tutor, & pupillus præsentare possunt? Respondeo probabilius esse populi præsentationem esse præferendam; quia tutor non præsentat nomine proprio, sed ex tacito populi consensu; secus pupillus rationis compos; qui nomine proprio præsentat, & dominium habet patronatus.

24 Quarto dubitatur de spurio irregulari, aliáve inhabilitate affecto? Plures doctores docent incapacem esse iuris patronatus. Tum quia est incapax beneficij & pensionis ergo & iuris quod ad illa dispönit. Tum quia est exclusus ab officiis publicis, & honoribus. Ergo à iure præsentandi. Nihilominus tenendum est, quemlibet illegitimè natum, & alias irregularem capacem esse iuris patronatus: sic aliis relatis, docuit Roch. *tract. de iure patronat. verb. competens. quæstion.* 2. Azorius 2 *p. mor. lib.* 6. *c.* 21. *q.* 15. Ratio est clara; quia spurius potest ecclesiam ex propriis bonis fundare, & dotare, sed cuilibet fundanti ecclesiam absque vlla exceptione patronatus conceditur. *cap. pia mentis. cap. quicunque; cap. filij* 16. *q.* 7. & Trident. *sess. c.* 9. *de reformat.* Ité potest villam, aut castrum, cui est patronatus annexus emere, aut donatione, vel legato in ipsum transferre, cum nullibi inueniatur inhabilitatus. Neque obstat incapacem esse beneficij, & pensionis ecclesiasticæ; quia hæc ordinem requirunt, & solum clerico communicantur; at ius patronatus laico competit. Neque item obest inhabilem esse ad officia publica; quia iuris patronatus exercitium non est officium publicum, sed priuatum vt tradit Azor. 2. *instit. moral. lib.* 6. *cap* 21. *q.* 17. *post. medium*, neque semper exercendum, sed cum beneficium vacat.

25 Quintò dubitatur de possessore iuris patronatus, cui verè dominium illius non competit, an inquam hic iura patronatus obtineat? Sub distinctione respondetur, si bona fide possidet patronatum, iura illius obtinet; ac proinde clericum nominare poterit instituendum, secus si mala fide. Est expressa decisio text. in *cap. consultationibus de iure patronat.* & tradunt ferè omnes doctores, quos lata manu refert & sequitur Gonzalez *regul. mens. glos.* 45. §. 2. *num.* 6. Ratio ea est, quia nominare clericum, honorificum locum tenere, subsidium ab ecclesia accipere, fructus sunt iuris patronatus, *c. cum Bertoldus. de re iudicata*, sed fructus rei possessori bonæ fidei debentur. *c. graui. de restitut. spoliat.* & *si quis à non domino. inst. de rerum diuis.* Ergo si fructus possidenti bona fide patronatum debentur, Quod à fortiori procedit in sententia Abbatis *in d. c. consultationibus. n.* 3. *ad medium*. Gonzal. *n.* 11 Azor. 2. *p. lib* 6. *c.* 21. *q* 17. affirmatium nominationem à patrono factam non esse fructum naturalem, sed potius industrialem; si quidem patronus industriam apponere debet, vt persona digna, & idonea nominetur, & intra tempus sibi concessum. Fructus autem industriales possessori bonæ fidei debentur ex omnium sententia, cum Glossa *in dict. §. si quis à non domino*, & pluribus firmat Couar. *lib.* 1. *var. c.* 13. *à n.* 6. Ergo possessori debetur nominatio. Adde, esto nominatio inter fructus naturales computetur; non obiode infertur possessori bonæ fidei debitam non esse, aut esse annullandam, postquam consiterit ad alium ius patronatus pertinere. Nam possessor bonæ fidei non tenetur fructus naturales bona fide consumptos restituere, nisi ex illis ditior factus fuerit, vt tradit Abbas *in dicto c. consultationibus ad finem.* Glos. *in d. §. si quis à non domino. verbo fructus. instit. de rerum diuisione. & leg. ex diuerso.* 35. *verbo non habendum ff. de rei vindicat.* sed facta præsentatione iam ille fructus iuris patronatus consumitur, neque patronus ex illo ditior factus est. Ergo retractari non debet.

Quod si inquiras, quando censeatur quis patronatum bona fide possidere? Respondeo quoties credit probabilibus fundamentis sibi patronatum deberi. sic relato Abbate *in d. c. consultationibus*, tradit Azor. *lib.* 6. *c.* 21. *q.* 17. *vers. quares.* Ex quo fit si tempore nominationis credit possessor sibi non competere patronatum, sed alteri, nequaquam præsentare poterit; quia tunc cessat in eo bona fides, & tanquam possessori malæ fidei nullus fructus debetur, Abbas *in dicto c. consultationib. n.* 9. Lambertin. *de iure patronat. lib.* 2. *part.* 1 *quæst.* 3. *art.* 6. *num.* 4. *vers. tertius est casus.* Gutierr. *cons.* 4. *in fine.* Gonzal. aliis relatis, *glos.* 45. §. 2. *num.* 43.

Vt autem possessor patronatus probabilibus fundamentis credere possit sibi patronatum deberi, debet possidere authoritate iudicis, & seruato iuris ordine; quia non est præsumendum absque iusta ratione & titulo alicui patronatus possessionem concedendam à iudice esse; sic Abbas & Innocent. *in dicto c. consultationib.* Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 6. *c.* 21. *q.* 17. Hæc possessio ex vnico dumtaxat actu nominationis acquiritur, *c. cum Ecclesia Sutrina. & ibi* Glos. *verbo breuitatem temporis. de causa possess. & propriet.* & tradit. pluribus allegatis Gutierr. *con.* 3. *num.* 1. Lambert. *de iure patronat. lib.* 2. *part.* 1. *q.* 3. *art.* 11. *n.* 5. Gonzalez *de mensibus. glos.* 45. §. 2. *n.* 29. Debet tamen hic actus nominationis ad effectum perduci; alias non constituit possessionem. Quapropter si præsentationem non sequatur institutio, & beneficij possessio, præsentatio sufficiens non est ad concedendum ius possessorium. sic Gonzalez, Gutierrez, Lambertin. *supra*, & alij apud ipsos.

26 Sed dubium est, an post litem contestatam possit is qui bona fide patronatum possidet, clericum nominare? Ratio dubitandi est, quia esto possessori bonæ fidei debeantur fructus rei post litem contestatam quousque causa definiatur, at ipse eos accipit sub onere, & obligatione restituendi vero domino, si causa cadit. *leg. certum Cod. de rei vindicat. c. graui. de restitut. spoliat.* Sed hanc obligationem subire non potest is qui patronatum possidet; quia facta præsentatione, & institutione secuta, reuocari præsentatio, & institutio non potest. Ergo præsentatio, & institutio post litem contestatam non valent. Quod si dicas, institutionem semel validam reuocari non posse, ac proinde post litem contestatam non esse faciendam: præsentationem autem fieri posse, quia reuocabilis est, dum non sequitur institutio; obstat, quia præsentatio ad institutionem ordinatur, & in ordine ad illam fit. Si ergo nominatus institui non potest lite pendente, inutiliter nominatur. Ergo eius nominatio valida non est, & ita tradit Glos. *in c. cum venissent. de in integ. rest.* & fauet text. quatenus electio Abbatis facta à monachis possidentibus ius eligendi, non firmatur à Pontifice.

Cæterum probabilius crederem præsentationem fieri posse, & validam esse lite pendente, tametsi institutio ob rationem suprà dictam sequi non possit: sic relato Panormit. *cap. ex litteris. de iure patronat. num* 78. & 9. tradit Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 6. *c.* 21. *quæst.* 18. Ratio est; quia constans est doctorum sententia fructus rei deberi possessori bonæ fidei, dum à causa non cadit. Ergo præsentatio, quæ est fructus iuris patronatus possidenti debetur cum nullibi inueniatur hic fructus exceptus. Neque obstat possessorem bonæ fidei obligatum esse restituere fructus, vel eorum æstimationem. si causa ceciderit; quia non facta institutione præsentanti, optimè potest possessor patronatus hanc restitutionem facere, potest namque præsentationem, quam fecit, cassam habere, & vero patrono concedere. Neque obinde fit præsentationem inutiliter fieri, si eam institutio non sequatur; quia ad eius vtilitatem non requiritur vt sequatur statim institutio; sufficit si sequatur lite finita. Adde optimè posse sequi institutionem, neque obstare, quod reuocabilis non sit; quia id fauore ecclesiarum conceditur, ne differatur institutio ecclesiæ vacantis ob litium longitudinem. Præterea huiusmodi fructus non consistit in commodo pecuniario. Ergo esto possessor bonæ fidei fructus alios temporales restituere teneatur non videtur obligandus ad huius fructus restitutionem, & ita ex sententia Innocent. & Baldi tradit Gregor. Lop. *leg.* 9. *tit.* 15. *part.* 1. *glos. fin.* vbi optimè aduertit suprà dicta procedere, cum lis mouetur super ius patronatus, non super illius possessionem.

27 Sexto dubitatur de marito, an præsentare possit ob patronatum vxori competentem? Qua in re primò certum est, si patronatus vxoris personalis sit, neque eius bonis annexus, nequaquam marito iura illius communicantur; quia sunt propria vxoris, neque ad sustinenda matrimonij onera conducunt: sic supponunt doctores omnes statim referendi: Secundò esse debet certum, iura patronatus vxori competentia ex bonis ob maioratum acquisitis, aut per successionem habitis, neque in dotem data sunt marito non communicari; ac proinde ex vi talis patronatus non potest maritus præsentare, neque subsidium in necessitate ab Ecclesia exigere: sic Burgos de Paz *in proœmio legum Tauri, n.* 5. Mol. *de Hispan. primog. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 32. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 9. *n.* 185. Perez de Lara *de anniuers. & capellan. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 24. Ioann. Gutierr. 3. *p. de tutel. c.* 9. *n.* 4. Baeza *de decima tutor. c.* 23. *n.* 18. Ratio ea est, quia hæc bona vxoris sunt, neque in maritum transeunt, & consequenter neque ad ipsum transeunt patronatus iura.

28 Quocirca controuersia grauis inter doctores est, an iura patronatus annexi vxoris bonis in dotem datis transeant in maritum. Affirmat aliis relatis Tiraquel. *post leges connubiales, glos. vlt. à n.* 5. Ioann. Gutierr. *supra n.* 3. Baeza *n.* 18. 19. 30. & 33. Gate. 5 *p. de benefic. c.* 9. *n.* 177. Mol. *de Hispan. primogen. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 3. Mouentur ex doctrina Glossæ communiter receptæ *in leg. in rebus, verbo naturali, Cod. de iure dotium* (quamque sequitur Barr. *n.* 3. Bald. *n.* 6.) affirmantis maritum dominum fieri rerum dotalium quod si verum est, efficietur sane marito & non vxori iura patronatus competere; quia hæc iura sunt illis bonis accessoria. Verum plures doctores contrario fundamento nixi negant marito iura patronatus suprà dicti competere, sic docuit Abbas *in c. fin. de concess. præbenda. n.* 8 & *ibi* Imola. & Butrius, Felin. *c. cum olim, num.* 2. *de maiorit. & obedient. & in cap. cum Bertoldus. de re iudicata, num.* 2. Iason *in leg. diuortio §. si vir in fundo, num.* 7. *ff. soluto matrim.* Guillerm. Benedict. *in cap. Raynutius. de testam. nr. vers. cætera bona. num.* 37 Azor. 2. *p. instit. moral. lib* 6. *c.* 21. *quæst.* 16 & alij relati per Baezam. *de decima tutorum. cap.* 23. *n.* 30. *vers. octauo.* Mouentur; tum quia maritus non est dominus dotis, sed vxor, *leg. in rebus. Cod. de iure dotium*: ibi; *cum eadem res & ab initio vxoris fuerint, & naturaliter in eius permanserint potestate & leg. quamuis, eodem. tit.* ibi *quamuis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est.* Tum quia esto maritus sit bonorum dotalium administrator, & ipsi debeantur eorum fructus, & commoditates. At hoc intelligendum est de fructibus & commoditatibus quæ ad sustinenda matrimonij onera deseruire possunt, quia ad hunc finem dos conceditur. Iura autem patronatus ad hunc finem deseruire non possunt. Ergo marito non conceduntur.

29 Inter has extremas sententias media via censeo procedendum iuxta doctrinam, quam præ omnibus doctius, & elegantius tradit Couarruuias *pract. quæst. toto c.* 28 Affirmat namque bona dari posse dupliciter vel æstimata æstimatione, quæ facit emptionem, vel quæ emptionem non constituit. Quando autem hoc contingat, late ipse explicat. Si bona in dotem dentur æstimata æstimatione, quæ facit emptionem, censeo non vxori, sed marito patronatum competere; quia illorum bonorum maritus fit dominus, neque tenetur soluto matrimonio ea vxori reddere, sed eorum æstimationem tantum, vt bene etiam comprobat Anton. Gomez *leg.* 50. *Tauri, à numero* 44 At si bona in dotem data sic æstimata non sint; probabilius censeo, neque maritum habere eorum dominium, neque iura patronatus. Quia illorum bonorum maritus solum habet administrationem, pro matrimonij oneribus sustinendis, ergo non patronatus.

Punctum V.

Intra quod tempus liberum sit patrono nominare ad beneficium instituendum.

1 *Ante vacationem fieri nominatio non potest.*
2 *Patrono laico 4. menses conceduntur, sex Ecclesiastico.*
3 *Hoc tempus à die vacationis nota computatur, & qualiter scientia probetur.*
4 *Tempus semestre continet dies feriatos.*
5 *Patrono impedito non currit tempus.*
6 *Pendente lite inter patronos, si intra tempus non præsentent, amittunt ius præsentandi pro illa vice.*
7 *Secus dicendum si lis moueatur cum ordinario, vel inter ipsos præsentatos.*
8 *Ordinario licitum est tempus prorogare patrono ad præsentandum.*

1 QVousque beneficium vacet, certum est, non posse à patrono nominationem fieri, *cap. illud. de iure patronat. c. vlt. de conces. præbenda.* Non enim potest fieri nominatio illius, cuius fieri non potest institutio. Adde ante vacationem beneficij nec promissio nominationis futuræ fieri potest, nec facta tenet etiam beneficij vacatione succedente. August. Barb. 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 72. *à n.* 1. *præcipuè* 6.

2 Facta vacatione conceduntur patrono laico, hoc est illi, cui patronatus competit titulo patrimonij, quatuor menses, vt nominationem facere possit, *cap. quoniam. cap. cum propter. de iure patronat.* Patrono tamen Ecclesiastico sex menses conceduntur, *cap. vnico. §. verum de iure patronat. in* 6. & tradunt omnes; si autem iuspatronatus mixtum sit ex laicis, & Ecclesiasticis, communis sententia docet semestre ad præsentandum illis esse concessum, tametsi laici seorsim ab Ecclesiasticis nominarent, quia ratione communionis priuilegium concessum Ecclesiasticis communicatur laicis, & magis dignum trahit ad se minus dignum: sic Glossa fin. *in dicto §. verum, & ibi* Archidiacon. Dominic. Franc. & alij, Panormitan. *capit. cum te de iure patronat.* Selua *de benefic. 3. part. quæst.* 11. *num.* 18. Garcia 5. *p. de benefic. cap* 9. *num.* 210. Aloysius Riccius *in praxi aurea, resol.* 458. Augustl Barbosa 3. *part. de potest. Episc. alleg.* 72. *n.* 131. Gabr. Vasq. *opusc. de benefic. c.* 2. §. 1. *dub.* 1. Quod tamen difficultate non caret, alias possent Ecclesiastici variare in præsentatione, sicuti possunt laici. Item si priuilegia, & iura Ecclesiastici patronatus laicis communicantur, cur non communicantur onera, & derogationes, quæ Ecclesiasticis patronatibus competunt? Quapropter probabilius censerem ex hac communicatione non mutari iura patronatus, sed laico intra quadrimestre præsentare debere, esto ecclesiasticis concessum semestre sit.

3 Hoc tempus quadrimestre, vel semestre, non computatur à die, quo beneficium vacat, sed à die quo illius vacationis notitiam patronus habet (tametsi aliqui doctores contrarium sentiant) quia huius temporis determinatio sit, ne patroni sint in nominando negligentes, quam negligentiam habere non possunt, nisi vacationem sciant. Currit ergo illis tempus à die notitiæ: & ita tenet Tiraquell. *de retract. tit.* 2. §. 35. *num.* 7. Garcia *de benefic.* 10. *part. cap.* 2. *à num.* 34. Perez. de Lara *de anniuers. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 35. Barbosa *de potest. Episc.* 3. *part. allegat.* 72 *num.* 134. Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 6. *cap.* 21. *quæst.* 11. & alij apud ipsos. Quocirca obiiciens patronum non præsentasse in tempore, probare debet patronum scientiam habuisse vacationis; quia dum hæc scientia probata non fuerit, ignorantia præsumitur. *leg. verius. ff. de probationib. cap. præsumitur. de regul. iuris in* 6. Neque credendum est patronum scientem beneficij vacationem ius suum omittere: sic Rota *decision.* 510. *apud Farinac.* Garcia *dict. numero* 34 & 37. Barbosa *num.* 136.

Hæc autem scientia coniecturis probatur attenta distantia loci in quo beneficium situm est, & qualitate ipsius, & longitudine temporis, ac vacationis fama, & ex illis iudex determinare potest scientiam, vel ignorantiam in patrono adfuisse. Quapropter plures doctores censent tempus patrono currere à die, quo verisimile est scientiam habuisse; probatio enim certæ scientiæ rato esse potest: sic Zerola *praxi Episcop. verbo ius patronatus. §. sexto. dubio primo*, Lessius *lib.* 2. *capite trigesimoquarto, numero* 27. Azorius 2 *part. lib.* 6. *capit.* 21. *quæstion.* 11. Garcia 10. *part. de benefic. capit.* 2. *numero* 34 Quod si plures fuerint patroni, & in aliquo non fuerit probatum habuisse scientiam vacationis, vt intra tempus à iure præfixum nominaret, aliorum scientia probata hi excluduntur, & ille ad præsentandum admittitur; quia ob aliorum negligentiam non est priuandus innocens iure suo: sic ex decisione Rotæ comprobat Garcia *n.* 41. Barbosa *n.* 137.

4 Adde huiusmodi tempus semestre, cum continuum sit, omnes dies etiam feriatos comprehendit, præcipuè cum in illis præsentatio fieri possit. Roch. *de iure patronatus. verbo honorificum. quæst.* 34. *num.* 65. Barbosa *alleg.* 72. *num.* 127. Garcia *cap.* 2. *num.* 42 Est enim præsentatio actus extraiudicialis, & voluntatius; ac proinde validè, & licitè diebus feriatis fit: sic Roch. *sup. q.* 35. *n.* 56. Barbosa *n.* 144. & 145. Item hoc semestre vel quadrimestre computandum est à die vacationis notæ vsque ad similem horam, ita vt si vacatio nota contingit prima die mensis Iauuarij hora 8. finiatur semestre prima die iunij hora 8. tametsi annus sit bissextilis: sic Garcia *dicta* 10. *part. c.* 2. *num* 43. Vide Sanchez *de matr. lib.* 2. *disp* 24.

5 Idem quod dictum est de ignorantia vacationis, dicendum est de impedimento legitimo siue iuris, siue facti ad nominandum: quoties enim illud adest, non censetur patronus esse in mora, neque illi currit tempus signatum à iure, argum. *text. quia diuersitatem. de concessione prabendæ.* non enim negligens puniri debet absque culpa: sic Flamin. *de resignat. lib.* 11 *quæst.* 13. *num.* 11. Seraphin. *decis.* 120. *numer.* 4. Menoch. *cons.* 38. *numero* 35. Gutierrez *lib.* 3. *pract. c.* 34. *num.* 21. Barbosa 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 139. Garcia 10. *p. de benefic. c.* 2. *nu.* 17. & alij apud ipsos. Est tamen inter ignorantiam, & quodlibet aliud impedimentum hæc differentia, quod patronus non tenetur probare ignorantiam vacationis; quia potius hæc quam scientia præsumitur. At aliud impedimentum iuris vel facti; cum non præsumatur probate debet, ne cadat à iure pro illa vice præsentandi. Ob hanc rationem credo Regibus, & supremis principibus non esse arctatum tempus quadrimestre ad præsentandum tam ad Episcopatus, quam ad alia beneficia; præsumuntur enim occupationibus distracti, & negotiis variis impediti: sic Cabedo *de patron. regia corona. c.* 28. *à n.* 5. Garc. 10. *p. de benef. c.* 2. *n.* 34. Barb. 3. *part. alleg.* 72. *n.* 137.

6 Sed dubium est, an pendente lite super ius patronatus, neque finita intra semestre, vel quadrimestre curtat patrono tempus ad præsentandum, ita vt pro illa vice priuatus maneat præsentatione, vt beneficium liberè conferri possit? Sub distinctione est respondendum, si lis fuerit inter patronos mota, quolibet prætendente sibi præsentationem competere, & intra tempus à iure signatum non fuerit finita, & ob hanc causam præsentationem facere omiserint, poterit ordinarius illis omissis beneficium conferre. Deciditur expresse. *c. quoniam. de iure patronat.* ibi; *id ipsum faciat Antistes* (nempe prouidere ecclesiam) *si de iure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, intra quatuor menses non fuerit definita* Idem habetur *c. cum te, eodem tit.* ibi; *illas autem Ecclesiæ, de quarum patronatu controuersia fuerit, si infra sex menses postquam vacuerint, non fuerit controuersia terminata, licitum tibi sit de persona idonea ordinare;* & tradit Azor. 2. *part. institut. moral. lib.* 6. *cap.* 21. *quæstion.* 12. Ptaxis Episcop. 1. *part. verbo ius patronatus* § 5. Aduerte hoc procedere, cum nullus est in possessione, aut super possessione, & lis super proprietatem moueatur, iuxta id quod diximus *supra punct. præcedent.* ex sententia Gregor. Lop. *leg.* 9. *glos. fin.* cum Abbate, Bald. Rocho, Cardin. & aliis.

7 At si lis non inter patronos moueatur sed inter ipsos, & ordinarium, ordinario contendente ecclesiam liberam esse, patronis pugnantibus sibi esse subiectam; nequaquam illis cessit tempus ad nominandum. Alias absque sententia ordinarius vinceret, & patroni succumberent: tradit Aloysius Riccius *praxi fori Eccles. res.* 170. *num.* 2 Barbosa 3. *p. de potest. Episcop. allegat.* 72. *num.* 140 *fin.* Quapropter tunc Episcopus œconomum, seu vicarium constituere debet, quousque lis finiatur, & quæstio declaretur. Sic relati doctores.

Idem est dicendum, cum lis inter ipsos præsentatos mouetur, quolibet contendente ipsum esse præferendum; quia tunc debet ordinarius iura vniuscuiusque examinare, & pronunciata sententia in fauorem illius, qui potiori iure gaudet, institutionem facere, & non antea. Alias iniustus esset priuando præsentatum inte sibi quæsito. Barbosa *supra.* Idem est, cum inter patronos est contentio, non super ius præsentandi, sed super habilitate præsentati; an inquam capax sit præsentationis? debet enim prius hæc lis desiri; quia est dubium de iure quæsito præsentati. Et decisio *text. in c quoniam c. cum te. de iure patronatus*, loquens de contentione patronorum super ius præsentandi, non debet trahi ad ius præsentari quæsitum. Barbosa *dicto n.* 140.

8 Aduerto

8 Aduerto tamen licere ordinario prorogare tempus conceſſum patrono ad præſentandum; quia illa determinatio in fauorem ordinarij lata eſt, cui ipſe cedere poteſt. Sic Aloyſius Riccius *praxi fori eccleſiaſt. reſolut.* 195. Vgolin. *de poteſt. epiſc. cap.* 51. §. 1. *numer.* 4. *verſ. tertio in fine.* Flamin. *de reſignat. lib.* 7. *quæſt. vlt. n. vlt.* Auguſt. Barboſa 3. *p. de poteſt. epiſc. alleg.* 72. *num.* 143. Non tamen vltra ſemeſtre prorogare poterit, quia non poteſt vltra illud tempus inſtitutionem differre; aliàs ad alium ſuperiorem erit inſtitutio deuoluta. *cap.* 2 *de conceſſ. præbende*, & tradit Barboſa *num.* 170. Quæ omnia verum habent, tametſi patrono fuerit lapſus terminus ad præſentandum; adhuc enim ordinarius, cui eſt iure deuoluta collatio, permittere poterit, vt patronus præſentet, & ab ipſo præſentatum inſtituere, quia hæc deuolutio in fauorem ordinarij lata eſt, cui ipſe cedere poſſe videtur, iuxta text. *in capit.* 2. *de ſupplend. negligent. prælat.* dicitur enim ibi *niſi patroni infra tempus in Lateranenſi concilio conſtitutum ad vacantes Eccleſias tibi perſonas idoneas præſentauerint: ex tunc tibi liceat (appellatione remota) in eiſdem ordinare rectores, qui eis præſſa nouerint, & prodeſſe.* Expendo verbum *liceat*, quod denotat facultatem, & licentiam, non neceſſitatem imponit. Sic Lambertin. *lib.* 2. *p.* 2. *art.* 27. *n.* 3. *q.* 1. Barboſa 3. *p. alleg.* 71. *n.* 170.

Punctum VI.

An liberum ſit patrono in præſentatione variare?

1 *Poſt inſtitutionem variare non licet, ante licet patrono laico, ſecus Eccleſiaſtico.*
2 *In quo ſita ſit hæc variatio.*
3 *Non ſolum bis, ſed ter, vel quater patronus laicus variare poteſt, quidquid contra alij ſentiant.*
4 *Quid dicendum caſu quo plures ſint patroni, & vnus præſentat Caium, alius Titium.*
5 *Probabilius eſt lite pendente variare non poſſe.*
6 *Quid dicendum, ſi collitigantem præſentaret patronus? Probabilius eſt validam eſſe præſentationem, neque impediri lite non finita.*
7 *Hæc variatio in patronatu mixto non eſt concedenda, ſi concordent in præſentando.*
8 *An patronus, qui promiſſionem, vel iuramentum fecit de non variando, variare valide poſſit? Proponitur affirmatiua pars, & reſoluitur nequaquam valere variationem.*
9 *Fit ſatis obpoſito fundamento.*
10 *Quid ſi ceſſoris iuri præſentandi, retento patronatu poterit ne variare? Affirmati ue reſpondetur.*

1 COnueniunt omnes doctores poſt inſtitutionem factam neque patrono Eccleſiaſtico, neque laico permiſſum eſſe variare; quia iam beneficium collatum eſt præſentato, & ius acquiſitum, ex *cap. quod autem, de iure patronat.* & *cap. ſi tibi abſent. de prabendis, in 6.* & tradit Gutierr. 3. *p. de iuram. confirm. cap.* 13. *num.* 1. Azor. 2. *p. inſtit. moral. lib.* 6. *cap.* 21. *q.* 13. Gregor. Lop. *leg.* 7. *tit.* 15. *part.* 1. *in princ. verbo reciba, el primero.* Ante inſtitutionem diſtinguendum eſt de patrono laico, & Eccleſiaſtico; ſi laicus eſt, variare poteſt; ſi Eccleſiaſticus minimè. *cap. quod autem, cap. paſtoralis*, ſed præcipuè *cap. cum autem, de iure patronat.* traduunt plures referentes Lambertin. 2. *p. lib.* 2. *quæſt.* 7. *per totam.* Flamin. *de reſigna. lib.* 2. *quæſt.* 23. *num.* 13. Gregor. Lop. *leg.* 6. *tit.* 15. *part.* 1. *in princip.* Auguſt. Barboſa *alleg.* 72. *num.* 151. Gutierr. 3. *p. iuram. confirm. cap.* 13. *n.* 1. Azor. 2. *p. inſtit. mor. lib.* 7. *capit.* 21. *q.* 13. Ratio quare patrono laico permittitur variatio & Eccleſiaſtico non conceditur ea eſt, quia Eccleſiaſticis datum eſt qualitatem, & dignitatem nominatorum intelligere non tamen laicis; quam rationem aſſignauit *lex* 7. *tit.* 15. *part.* 1. *ibi; Porque los clerigos an de ſer mas ſabidores en el ordinamiento de las yglesias, que los legos, e lo an vſado, y ſaben mas quales clerigos an de preſentar ſegun derecho. por eſo diſpuſieron por pena, que no pudieſſen cambiar, ſe de vn clerigo a otro, como los clerigos, que no ſon tan ſabidores.*

2 Hæc variatio in eo ſita eſt, vt facta præſentatione poſſit patronus laicus alium nominare, non excludendo alium nominatum, ſed illi alterum adiugendo. Nam ſi primum præſentatum excluderet, nulla eſſet talis ſecunda preſentatio. Habetur expreſsè in *cap. cum autem, de iure patronat.* ibi: *eo non refutato?* & notat Abbas *in dicto cap. num.* 2. *& cap. quod autem, n.* Gregor. Lopez *leg.* 8. *tit.* 15. *p.* 1. *verbo en eſcogencia del obiſpo.* Azor. *dicto cap.* 21. *q.* 13. Gutierr. *cap.* 13. *num.* 4. Nicol. Garcia 11. *p. de benefic. cap.* 9. *n.* 213. Barboſa *allegat.* 72. *n.* 159. & alij apud ipſos. Et hæc cumulatiua præſentatio intelligitur quoties ſecundus præſentatur, non excludendo expreſsè primum, tametſi dicatur ſe variare velle; quia intelligendum eſt de variatione cumulatiua à iure permiſſa, non de variatione excluſiua; ſic Gutierr. *dicto c.* 13. *n.* 6.

3 Quod ſi inquiras, an non tantum bis, ſed ter, vel quater poſſit patronus laicus variare in præſentatione cumulatiua? Negant communiter doctores. Rochus *de iure patronat. verbo honorificum, quæſt.* 10. Calderin. *conſ.* 17. *eodem tit.* Lambertin. 2. *p. lib.* 2. *q.* 7. *art.* 23. Tiraquell. *in leg. bouer. §. hoc ſermone, in reg. num.* 25. Gutierr. 3. *p. de iuram. confirm. cap.* 13 Gregor. Lopez *leg.* 6 *tit.* 15. *part.* 1 *gloſſ.* 1. Nicol. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 9. *num.* 214. Barboſa 3. *p. alleg.* 72. *num.* 172. Nauarr. *cap placuit, de pœnit. diſt.* 6. *n.* 167. & 171. Ratio eſſe poteſt; quia variare ſententiam, & mutare conſilium odioſum eſt, temeritatem ſapit, vt dicit Bald. *in leg. ius ciuile. ff. de iuſtit. & iure.* Ergo eſt reſtringendum, video reſponderi huic argumento poſſe, variationem excluſiuam, qua in prima ſententia & conſilio receditur, arguere temeritatem, & animi inconſtantiam, non autem variationem cumulatiuam, quia in prima ſententia perſeueratur. Quapropter efficacior ratio videtur eſſe quia facultas ſimpliciter data primo actu finitur, iuxta *leg. dotis promiſſio. ff. de iure dotium, leg. bouer. §. hoc ſermone. ff. de verbor. ſignificat.* Quod intelligendum venit de facultate odioſa, & reſtituendo. At hæc facultas patronis laicis conceſſa, vt variare poſſint, eſt odioſa. *clement. cum illuſio, de renunciat.* ibi: *cum illuſio, & variatio in perſonis Eccleſiaſticis maximè ſit vitanda.* Expendo aduerbium *maximè*, quod indicat etiam in laicis vitandam eſſe. & notauit ibi Gloſſa rep. *reg. quod ſemel de Reg. iuris in 6.* Præterea in *cap. cum autem, cap. quod autem, c. Paſtoralis De iure patronat.* Vbi hæc facultas variandi permittitur patrono laico, ſolum cauetur ſecundum poſt nominationem primi eſſe nominatum: non igitur ad plures nominatio extendenda eſt, & licet in *clem. plures. De iure patronat.* dicatur plures nominati poſſe, non inde infertur ter, vel quater nominationem eſſe faciendam. Tum quia plures nominantur, cum nominantur duo. Tum & præcipuè, quia poteſt intelligi de nominatione plurium non ſucceſſiuè facta, ſed ſimultanea.

Nihilominus probabilius cenſeo, patronum laicum non ſolum bis, ſed ter, vel quater variare poſſe, ſic expreſsè Gloſſ. *in clement. plures. De iure patronat. § fin. verbo plures, & verbo præſentare.* Decius *in cap. quanto. De iudiciis, a num.* 31. Abbas *ibi colum.* 1. Cardinal. *in cap. Paſtoralis, in fine. de iure patronat.* Beroius *in capite quod autem eodem titul. numero* 19. Spino *de teſtam. gloſſ.* 4. *a num.* 75. Azor. 2. *p. inſtit. moral. lib.* 6. *c.* 21. *q.* 13. Moueor; quia hæc accumulatiua præſentatio vtilis eſt Eccleſiæ; ſi quidem plures offeruntur, vt poſſit ordinarius ex illis eligere, quem viderit Eccleſiæ aptiorem. Et licet ſæpè contingat (vt dicit Nauarr. *dicto c. placuit: diſt.* 6. *de pœnitent. num.* 170.) patronum qui aliquem valdè idoneum præſentauit, poſtea in alicuius amici gratiam præſentet alium eo multo inferiorem; hoc non tollit quominus variatio accumulatiua non ſit Eccleſiæ vtilis, nam ſæpè ſuperiorem præſentabit, & caſu quo inferiorem præſentet, non tollitur epiſcopo poteſtas inſtituendi primum præſentatum; cum ex ſupradicta variatione à prima præſentatione patronus non recedat. Ergo nunquam hæc variatio Eccleſiam damnificat. Ergo non eſt limitanda, ſed extendenda.

Neque obſtant ſuperius adducta, nam duæ primæ rationes procedunt de variatione excluſiua, non cumulatiua. Ad 3. dico, eſto in *cap. cum autem c. quod autem, cap. paſtoralis*, ſolum facta ſit mentio de nominatione ſecundi, cum tertius & quartus non fuerint excluſi, cenſemus ob rationem ſupradictam ad illos eſſe facultatem extendendam. Ad 4. nego *clement. plures*, intelligi poſſe de nominatione ſecundi tantum, & non plurium, ſi quidem eodem tenore affirmat plures nominari poſſe, quo in principio dixit plures poſſe eſſe patronos, ſed de iis conſtat plures eſſe poſſe ſine limite. Ergo etiam poſſunt plures ſine limite nominari. Neque etiam intelligi poteſt de nominatione plurium ſimultanea, & non ſucceſſiua. Nam hæc nominatio ſimultanea variationem non conſtituit, cum vno actu fiat, neque ex illa alicui ex præſentatis ius quæſitum derogatur. Quapropter non ſolum patronis laicis permiſſa eſt hæc ſimultanea præſentatio, ſed etiam Eccleſiaſticis, vt aliis relatis docet Gregor. Lopez *dicta leg.* 6. *gloſſ. penult.* Garcia *de benefic.* 5. *p. capit.* 9. *num.* 216.

4 Difficultas autem eſt; an caſu quo plures ſint patroni, & vnus præſentet Caium, alius Titium, liceat ipſis variare, & alios denuo accumulando præſentare? Et quidem ſi lis moueretur contra litigantem inſtitutum, conſtans eſt omnium ſententia non poſſe patronum variare; *cap.* 2. *vt lite pendente, in* 6. Ante inſtitutionem non deſunt doctores, qui aſſirment poſſe patronum variare, & alium cumulando nominare. Sic Cardin. *in c. paſtoralis, q. vlt. de iure patron.* Ioan. Andr. *c.* 1. *vt lite pendente in* 6. & alij, quos refert & ſequitur Cæſar. Lambertin. *de iure patronat. libro ſecundo part.* 1. *quæſt.* 4. *articul.* 12. Ratio eſſe poteſt quia patronis laicis conceſſa eſt hæc poteſtas variandi intra quadrimeſtre. Sed hæc non tollitur ob litem pendentem. Nam *text. in cap.* 1. *vt lite pendente. in* 6. loquitur de electione, & collectione, in quibus nulla permiſſa eſt variatio. Et licet *text. in cap.* 2. *eodem tit. & lib.* loquatur etiam de præſentatione, ibi; *præſentetur*, ſubintelligi videtur inſtitutione facta.

5 Nihilominus verius, & probabilius eſt lite pendente, ſiue in curia, ſiue extra, nemini patronorum permiſſum eſſe variare. Sic relato Lapo, Calderin. Dominic. Franco, Rocho de Curte, Ludouic. Gomez. tradit Couarruu. *pract. c.* 16. *num.* 7. *verſ. tertio quandoque.* Lancello. *de attentatis c.* 4 *in præfat. n.*

560. *alias* 659 Flamin. *de resignat. lib.* 12. *q.* 3. *n.* 11. Aug. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg.* 72. *n.* 162. Garc. 5. *p. de benefic. c.* 9. *n.* 217. Aloys. Rice. *in praxi resol.* 159. *n.* 4. & alij apud ipsos, & fæpe est à Rota decisum, vt supradicti doctores specialiter Garcia, testantur. Ratio desumitur ex *c.* 1 *& 2. vt lite pendente. in 6.* vbi solum ob litis pendentiam impeditur patronus à noua præsentatione facienda, ne multiplicentur collitigantes, & litium finis non sit in graue Ecclesiæ dispendium. Hæc enim de causa defuncto vno ex præsentatis, non licet patrono loco illius alium subrogare, quousque lis finiatur: tametsi, si lis non penderet, non solum laico, sed & patrono Ecclesiastico, liceret tunc alium nominare, cum nominatio facta omnino finita sit. Ergo à fortiori non licebit alium denuò nominare, cum prima nominatio perseuerat.

Amplia supradictam resolutionem, vt procedat non solum in vacatione per mortem naturalem, sed etiam in vacatione per resignationem, vel assecutionem alterius beneficij; quia ratio supradicta ne lites prorogentur, æquanimiter in vtroque casu procedit; & sic tanquam certum tradit Gonzalez *glos.* 51. *n.* 111. esse à Rota decisum, Garc. *n.* 219. Barbosa *n.* 162.

6 Sed quid si collitigantem præsentaret patronus, vel ordinarius prouideret alio præsentato mortuo: esset enim talis præsentatio, vel collatio valida ante litem finitam? Negat Gonzalez *glos.* 51. *n.* 114. ita vt affirmet contrariam opinionem non esse securam, neque tenendam. Mouetur, tum quia dispositio *c.* 2. *vt lite pendente. in 6.* est generalis, & indistincta, & generaliter intelligenda *leg.* 1. *§. generaliter. ff. de legat. 4. præstand.* Tum quia à Rota decisum est 10. Febtuar. anno 1604. in vna Hispalen. collationem factam cuidam superstiti colligenti esse nullam.

Cæterum mihi probabilius apparet non aduersari huiusmodi præsentationi dispositionem *dicti capit.* 2. imo potius esse illi conformem; quia hac ratione lites vitantur, neque litigantes augentur, sed potius minuuntur si quidem non creatur nouus colligator, sed ille qui antea erat roboratus, alio extincto, vel diminuto. At ratio ob quam in *dicto cap.* 2. statuitur ne lite pendente quispiam ad beneficium præsentetur, est ne propter nouos aduersarios, qui malitiosè interdum petitoribus subrogantur, litigia in Ecclesiarum dispendium prorogari contingat, sed in præsentatione collitigatoris non assignatur nouus aduersarius, sed ille qui antea erat roboratus, qua roboratione præbetur occasio citius litem finiendi. Ergo optimè fieri potest, idque probant illa verba text. *donec contra superstites lis finita fuerit, aliis nullatenus conferantur, neque ad ea eligatur quispiam, vel etiam præsentetur*; quæ clarè demonstrant non loqui textum de collatione, electione, vel præsentatione facta in aliquo ex collitigantibus, sed in alio ab ipsis. Et ita Rochus de Curte *de iure patronat. verbo honorificum. q.* 23. *num.* 53. *in fine.* Patis. *cons.* 30. *num.* 4. quem refert, & sequitur Ant. Gabr. *tit. de iudic. concl.* 4. *num.* 42. Lancellot. *de attentatis. 2. p. cap.* 3. *in præfat. num.* 688. Garcia 5. *p. de benefic. c.* 9. *à num.* 220. affirmans à Rota pluries fuisse decisum. Greg. Lopez *leg.* 6. *tit.* 15. *part.* 1. *verbo bien la puede facer.*

Neque obstat fundamentum Gonzalez. Concedo dispositionem *cap.* 2. generaliter esse intelligendam de subrogatione facta in alio à collitigante, non vero de subrogatione in ipsum collitigantem, cum ex textu contrarium constet, vt probauimus. Neque obinde fit regulam cancellariæ de subrogandis collitigantibus frustraneam esse, hæc enim concedit, ne patrono electorum, aut collatorum iura maneant indefensa ob mortem collitigatoris, si contra eorum voluntatem conferantur beneficia aliis collitigantibus, quos ipsi non præsentarunt, neque elegerunt. Et in hoc sensu definitur à Rota collationem beneficij ab ordinario factam ei qui litigabat esse nullam; quia facta fuit absque patroni præsentatione, iobius quod prælumebatur acquisitum ex morte collitigatoris. Secus vero esset, si ex voluntate, & consensu patroni fuisset facta.

7 Secunda difficultas est, an possit fieri hæc variatio in patronatu mixto ex Ecclesiastico, & sæculari? Et quidem si discordent in præsentando, ita vt patronus laicus vnum, & Ecclesiasticus alium præsentet, poterit laicus variare in præsentatione, quia ob coniunctionem in patronatu cum Ecclesiastico non perdit suum priuilegium, præcipuè cum in præsentatione nulla sit coniunctio: sic Lambertin. *de iure patronat. lib.* 2. *part.* 2. *quæst.* 7. *articul.* 13 August. Barbosa 3. *p. allegat.* 72. *num.* 166. At si in præsentando conueniant, credo non concedi variationem; quia tacitè se obligauit patronatus laicus per illam concordiam in supradicta voluntate perseuerare, & à consentpatroni voluntate non recedere: sic Abbas *in cap. cum autem. de iure patronat. num.* 4. Tiraquell. *de iure primogen. q.* 17. *cpin.* 11. *nullus* 5. Gregor. Lopez *leg.* 7. *titul* 15. *part.* 1. *verbo clerico.* August Barbosa 3. *p. de potest. episcop. alleg.* 72. *n.* 166. & fauet *lex si communem. ff. quando seruitus amittatur, & lex. secundum naturam. ff. de Regul. iuris.* Adde esto vterque patronus esset laicus. si tamen concorditer præsentarent, nemini illorum liceret variare ob supradictam rationem, & notauit, aliis relatis. Gregor. Lopez *s. pra.*

8 Tertia difficultas est, an possit variare patronus, qui iuramentum, vel promissionem non variandi fecit? Videtur posse; quia iuramento, vel promissione non tollit à se patronatum. Ergo neque priuilegium variandi concessum. Et confirmo, si vacante beneficio, antequam præsentationem faceres; iurares, vel Petro promitteres nullum alium, præter ipsum præsentaturum, non obinde fieret nulla præsentatio de Francisco facta, tametsi periurus, vel infidelis existeres: quia iuramentum, vel promissio non sustulit à te facultatem præsentandi, quem malueris ex diguis, tametsi reddat illicitum eius vsum. Ergo idem dicendum est facta prima præsentatione licet tibi alium denuo nominares accumulando; cum facultas eadem sit, & immutata maneat. Confirmo secundo. Si facto iuramento, quod beneficium Ecclesiasticum, cuius libera collatio ad te pertinet, digniori collaturus es, illo prætermisso conferas digno, collatio tenet, vt tradit expressè Ioann. de Selua *titul. de benefic.* 3. *p. quæst.* 27. quem refert, & sequitur Couarruuias *in cap. quamuis pactum. de pactis. 2. p. §. 2. numero* 5. Ergo idem dicendum est de præsentatione facta aduersus iuramentum non variandi: & ita tenet Alexand. *consil.* 16. *per totum. lib.* 3.

Nihilominus verius existimo, ob iuramentum, vel promissionem factam de non variando, reddi te impotentem variare. Mouetur potius authoritate communis sententiæ, quam ratione; quia eam satis efficacem non sentio. Sic relato Paulo Castrens. *cons.* 361. *num* 9 *& con.* 336. *num.* 11. *lib.* 1. tradit. Rochus de Curte *de iure patronat. verbo honorificum. q.* 12. *nu.* 37. Gregor Lop *leg.* 6. *tit.* 15. *part.* 1. *verbo bien lo puede facer.* Lambertin. *de iure patron. lib.* 2. *part.* 1. *q.* 4. *prine. articul.* 13. *& 2. p. eiusdem libri. q.* 7. *princip. art.* 16. Couarruu. *in cap. quamuis pactum. de pactis.* 2. *p. §.* 2. *num.* 4. *vers. prædicta vero conclusio.* Matienzo *leg.* 3 *glos.* 13. *num.* 7. *tit.* 10. *lib.* 5. *recopilat.* Gutierr. 3. *p. de iuram. confirm. c.* 13. *num.* 13. Ratio esse potest, quia iuramentum accedens actui requirenti ad sui valorem authoritatem iudicis, seu præsentiam, ita illum firmat, vt irreuocabilem reddat, iuxta *glos. & text. in cap. licet mulieres. de iure iurando, lib.* 6. Sed præsentatio est actus, qui absque iudicis authoritate fieri non potest, vt ex dictis constat. Ergo si iuramentum accedat de non variando illum, variare non poteris. Dices te non posse variare reuocando primam præsentationem; ac proinde illam esse firmam, & irreuocabilem, at optimè posse accumulando alteram illis sed contra; quia in præsentationibus non est variatio per reuocationem, sed per cumulationem: si igitur ex iuramento habet prima præsentatio aliquam maiorem firmitatem, quam haberet secluso iuramento, ea est, vt non possit ei fieri accumulatio. Præterea nominans secundum instituendum, vel manifestes iudici iuramentum, quod in prima nominatione fecisti nullum alium nominandi; vel illi occultas: si manifestas iudici iuramentum, certum est ipsum non esse admissurum præsentationem; quia non potest illam admittere, ne periuri cooperator sit, si autem illi celas iuramentum factum amissio est dolosa, & subreptitia; ac proinde irrita, & nulla. Ergo in nullo casu hæc secunda nominatio valida esse potest. Fateor hanc rationem non videri conuincentem; vnde enim constat inualidam reddi secundam præsentationem contra iuramentum præcedens de non variando, si de facto admissa sit ab ordinario? Ad valorem enim ipsius solum requritur, vt coram ordinario fiat. Item, vnde constat celatum iuramentum reddere subreptitiam admissionem? non enim videtur esse qualitas necessario manifestanda. Quapropter Gregor. Lopez, Couarruu. Marienzo censent validam esse secundam præsentationem, si ex presse, vel tacitè eam ordinarius approbauerit. Verum esto supradicta ratio non conuincat, est tamen satis probabilis, & supposita authoritate doctorum omnino tenenda in iudicando, & consulendo.

Adde non solum ex iuramento, sed etiam ex simplici promissione de non variando, non licere tibi variare; quia facta promissione cedis iuri, quod ad variandum habebas, sic relato Lapo *alleg.* 78. *num.* 4. docet Gutierr. *dicto cap.* 13. *in fine*; & indicat Greg. Lop. æquè de iuramento, ac promissione locutus.

9 Neque ratio in contrarium conuincit. Admitto ex iuramento non tolli à te patronatum, & consequenter neque priuilegium variandi illi annexum. At nunquam ex vi patronatus habuisti priuilegium variandi facto iuramento, vel promissione de non facienda variatione; sicuti nunquam habuisti priuilegium variandi posita institutione. Ad confirmationem primam respondeo, esse diuersam rationem de iuramento confirmante præsentationem liberè factam, vel de iuramento impediente libertatem præsentandi: stat enim optime, quod hoc iuramentum non tollat liberam præsentandi potestatem; quia hæc potestas in prima præsentatione maximè decet patronum, & est iuri conformis, & nihilominus iuramentum de non variauda præsentatione tollit illius variationem. Tum quia variatio non decet patronum, sed potius videtur leuitatem arguere. Tum quia iuramentum annectitur actui, scilicet præsentationi facti non potestati; ac proinde actum firmare potest, & irreuocabilem reddere, numquam tamen potest potestatem irritare. Ad secundam confirmationem eodem modo respon

respondeo, illud iuramentum de conferendo digniori, non irritare collationem digno factam; quia non annectitur actui, sed potestati, ac proinde facit vsum potestatis illicitum, sed non inualidum. Adde collationem non esse actum, qui authoritatem alterius iudicis ab ipso conferente requirat. At præsentatio authoritatem ipsius conferentis non expostulat.

10 Sed quid si facta præsentatione cesseris iuri præsentandi retento patronatu poterisne in præsentatione variare? Dixi *retento patronatu*. Nam si patronatum dimittis, clarum est te præsentare non posse. Ad validam illius amissionem iam diximus punct. antecedenti quæ requirantur. Patronatu autem retento dupliciter hæc cessio fieri potest. Primo si potestatem præsentandi alteri sine limitatione committas. Secundo si tantum pro illo beneficio vacante, quomodocunque cedas, si patronatum retineas, credo te præsentare iterum posse; quia illa cessio retento patronatu esse non potest, nisi procuratoris constitutio: at hunc reuocare potes, tametsi iuraueris non reuocaturum: Ergo.

PVNCTVM VII.

Quem debeat patronus præsentare.

1 *Incapax institutionis præsentari non potest.*
2 *Seipsum nullus potest præsentare.*
3 *Si plures sunt patroni, possunt vnum ex ipsis præsentare.*
4 *Pater filium potest ad beneficium præsentare.*
5 *Patronus tenetur dignum nominare.*
6 *Ecclesiasticus tenetur digniorē eligere in beneficiis curatis, secus laicus.*
7 *Præsentans indignum non priuatur, secundum aliquorum sententiam, potestate eligendi.*
8 *Aliter de patrono laico, & Ecclesiastico est dicendum.*
9 *Quid si episcopus nominet clericum suæ diœcesis instituendum ab alio?*

1 COmmunis est doctorum sententia præsentari non posse qui incapax est institutionis. Quapropter illegitimus, neophytus, seruus, excommunicatus, irregularis præsentari non possunt, quia non possunt instituti. Idem dicendum de nullo ordine initiato; quia incapax est institutionis, neque sufficit, vt ante institutionem ordinetur; quia hæc qualitas tempore præsentationis habeti debet, eo quod per præsentationem ius ad beneficium acquiratur, colligitur ex *capit. Ecclesia sancta Mariæ, constitution.* & notauit August. Barbosa 3. *p. alleg. 72. n. 73. & 78.*

2 Præterea nullus patronus seipsum præsentare potest; quia inter præsentandum, & præsentatum debet esse distinctio, est decisio expressa *cap. per nostras, & ibi gloss. de iure patronat. c. fin. de institut. & alij.* Adde, neque procurator ad præsentandum constitutus poterit ipsum patronum præsentare; quia virtualiter patronus seipsum præsentaret. Flamin. *de resignat. lib. 9. q. 17. n. 113.* Barbosa *num. 87.* Et à fortiori, neque ipse procurator, aut alius substitutus poterunt seipsos præsentare. Non enim beneficium à propria vniuscuiusque voluntate originem habere debet, quia esset locus ambitioni *cap. didicimus. 16. q. 1.* Lambertin. *de iure patron. lib. 2. part. 1. q. 8. art. 9. & 10.* Barbosa *supra. n. 88. & seqq. & num. 90.* aduertit cum Abbate *dicto c. per nostras. n. 3. & alios*, si prælatus, ad quem pertinet institutio, motu proprio vocet clericum patronum, illique beneficium vacans conferat, institutionem validam esse; quia est institutio facta ex consensu patroni, non tamen ex illius præsentatione; consentit Sylvest. *verbo ius patronatus. q. 7.* Vasq. *opusc. de de benef. c. 2. §. 1. dub. 4.* Less. *lib. 2. de institut. cap. 34. dub. 7. n. 28.*

3 Quod si plures sint patroni clerici, aut vnus clericus, & alius laicus, poterunt ex seipsis vnum nominare, aut præsentare; colligitur ex *c. congregato. 16. q. vlt. & c. ne pro defectu, cap. quia propter de electione*, vbi electoribus permittitur vnum ex se deligere. Idem infertur ex *leg. vbi absunt. ff. de tutorib. & curatorib.* vbi permissum est decurionibus potentibus tutorem dare, vnum ex se ipsis eligere; ita tradit Glossa *in c. consuluit. de iure patron.* Lambertin. *lib. 2. part. 1. q. 8. art. 5.* Ricc. *in praxi. resol. 179. n. 3.* Azor. 2. *lib. 6. c. 21. q. 3.* Barb. 3. *p. de potest. episc. alleg. 72. n. 9.* Tusch. *litt. P. concl. 195* Neque obinde dici potest patronū se ipsum eligere. Tum quia in hac præsentatione nullus pro se suffragium fert, sed suffragiis aliorum patronorum in sui fauorem datis consentit, persona enim electa non est inter eligentes computanda, vt totum numerum augeat. Gloss. *in c. per nostras. verbo præsentare de iure patronat.* Et esto pro se suffragium ferret; quia tamen illud partiale est, & insufficiens ad præsentationem, vel electionem constituendam, non videtur in suprad. dictis textib. prohiberi quidquid iudicent doctores relati affirmantes validam esse electionem illam, in qua vnus patronus laicus, & alius clericus aliquem ex se nominauit, tacite enim dicunt vtrumque in nominatione concurrere, & æqualiter nominationem facere & proinde vnum ex illis posse seipsum hac via nominare.

4 Pater filium suum ad beneficium præsentare potest; quia nullibi talis præsentatio prohibetur, cum patet & filius sint personæ distinctæ, & licet pater & filius pro eadem persona vsurpentur aliquando in iure *leg. vlt. Cod. de impuber. & aliis substitut.* non tamen in beneficiorum collatione, electione, præsentatione, sic Abbas *c. consuluit. de iure patronat.* Barb. *d. 3. p. de potest. episc. alleg. 72. n. 94.* Azor. 2. *p. instit. mor. lib. 6. c. 21. q. 2.*

5 Item debet patronus, siue Ecclesiasticus, siue laicus sit, dignum nominare. Illum voco dignum, qui qualitates omnes habet, quas beneficium iuxta sui qualitatem, & fundatoris institutionem requirit. In hoc omnes conueniunt.

6 Sed dubium est, an teneatur patronus ex iis quos dignos cognoscit, digniorem eligere, casu quo in fundatione hoc expressè cautum non sit? Quia in re omissis variis sententiis distinguendum est inter patronos laicos, & Ecclesiasticos, & inter beneficia curata, & simpliciasi patronus Ecclesiasticus sit, & beneficium sit cutatum, obligatus est digniorem eligere; quia ita cauetur in Trident. *sess. 24. c. 1. de reformat.* ibi; *Meminerint nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere quā si bonos pastores Ecclesiæ gubernāda idoneos promoueri studeāt, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, aut humano affectu, aut ambientium suggestione, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.* Et *c. 18. eiusd. sess.* inquit, *ex approbatis eligat digniorem.* At si beneficium simplex sit, nullibi habetur expresse eligēdum esse digniorem. Non ergo patronis hoc onus imponendum est. Si autem patronus laicus sit, non videtur obligatus ad vllum beneficium digniorem eligere quia nullibi de tali patrono hoc cautum est; imo potius Trident. de ipso loquens contentum est, si dignum eligat. Inquit enim *d. c. 18.* Si ius patronatus laicorum fuerit, debeat qui à patrono præsentatus fuerit, examinari; & si idoneus repertus fuerit, admitti. Vnde cum in hac præsentatione concursum non expostulet Concilium Trident. tacite insinuauit sufficere, si dignus præsentetur, & eligatur, & ita tenet expresse Garcia *de benef. 7. p. cap. 16. num. 17* Cæsar. Lambert. *de iure patron. d. 2. q. 10. art. 3. num. 17* Petr Nauarra *lib. 2. de restit. c. 2. num. 150.* fauet textus *in c. monasterium. 16. q. 7.*

7 Difficultas grauis est, an præsentans indignum priuetur ea vice potestate eligendi. Et controuersia esse potest de patrono laico, & Ecclesiastico?

Et de vtroque affirmat Less. *lib. 2. de iust. c. 34 dub. 7. n. 18.* non priuari potestate, iterum præsentandi. Probant, quia nullibi inuenitur patronis hæc pœna imposita. Nam esto in *Authent. de Sanctiss. episc. §. si quis oratoris domum. collat. 9.* dicatur patrono præsentante indignum debere episcopum procurare, vt dignus instituatur: intelligi optimè potest de procuratione per sollicitationem, & mandatum; sollicitando inquam, & mandando patrono, vt dignum præsentet; & ita explicat supradictum textum Ioann. Andr. & alij, & fauet *lex 5. tit. 15. part. 1. ibi. Pero si el obispo no quiere recipir el clerigo que presentassen los patrones pœna si la yglisia monstrando que no era digno, ni la merece auer, debello probar, y si lo probare nō debe ser recibido aquel que los patrones presentaron, mas debe se presentar otro que lo mereca:* refert ibi Greg. Lopez *verbo otro*, Item *in c. cum in cunctis. §. de elect.* loquitur de electoribus & quidem Episcopis, & cum sit constitutio pœnalis (inquit Lessius) non debet extendi ad patronos, maximè in aliis beneficiis. Item quia patronus maximè laicus non tenetur explorare vitam, & mores præsentati, sed superiori remittit examinandum. Ergo quemlibet præsentare potest, & illo vt indigno repudiato alium denuo præsentare.

8 Cæterum dicendum videtur aliter de patrono laico, ac ecclesiastico. Nam si patronus laicus sit, & intra quadrimestre sibi constet nominasse indignum, potest iterum nominare. Nam toto illo tempore ante institutionem, licet laico mutare sententiam etiam digno electo. Ergo à fortiori cum indignum eligit. At si indignum præsentauit, & quadrimestre elapsum est, non potest iterum præsentare, sed pro illa vice exclusus est à potestate eligendi. Quia idem est indignum præsentare, ac nullum præsentare. *c. 2. de translat. c. tua. de clerico non residente.* At si patronus toto quadrimestri nullum præsentauit, eo ipso absque præsentatione clericus institui potest. *c. vni de iure patronat. in 6.* Ergo etiā institui potest, cum indignus est præsentatus: sic relato Ioann. Andr. docet Panormit. *de offic. iud. ordin.* Gregor. Lop. *in suprad. leg. 3.* Azor. 2. *part. instit. moral. lib. 6. c. 21. q. 6.*

Dices, patrono laico non competit explorare vitam, & conditiones præsentati, sed examinandum, & approbandum ordinario remittit. Ergo in culpa non est, quod indignum nominauerit, præsertim stāte Trid. *sess. 7. c. 13. de ref.* proh bēte ne vllus in beneficiis instituatur, nisi fuerit prius à loci ordinario examinatus, & idoneus repertus. Ergo priuandus non est potestate eligendi, si præsentatus repudietur. Quia nullo modo præsumi debet culpam in tali præsentatione commisisse. Nam esto quilibet præsentans videatur obligatus aptitudinem præsentati cognoscere, ex *leg. si patronus. in fine. ff. de confirm. tutorum*, & tradit Innocēt. *in c. cum terra. de elect.* At hoc limitari debet, nisi alteri à patrono cognitio aptitudinis præsentati remissa sit, vt fit à Trident.

Fateor hanc rationem efficacem esse, vt probet quoties per patronum non steterit, quominus intra quadrimestre aptitudo præsentari ab ordinatio explorata sit, posse illo repulso

alium præsentare; quia non est æquum potestate præsentandi priuari absque culpa. Tenetur tamen patronus probate diligentiam fecisse intra quadrimestre pro explorandi aptitudine præsentati.

Idem ferè quod dictum est de patrono laico, dicendum est de Ecclesiastico. Hac differentia constituta, quòd ipse facta semel præsentatione vacante non potest, nisi ab instituente fuerit præsentatus repulsus. Quapropter si intra semestre contigerit instituentem repellere præsentatum, poterit patronus alium nominare, non obstante quod prius indignum nominauerit, ob eandem rationem, ac patronus laicus; quia non sibi, sed instituenti est commissa potestas explorandi aptitudinem præsentati; frustra enim exploratio aptitudinis ordinario instituenti commissa esset, si ipse patronus ante præsentionem teneretur id ipsum inuestigare. Neque aduersus hanc doctrinam procedit *cap. cum in ecclesiis, §. fin. de electione.* Vbi eligentes indignum ad beneficia curata (de iis enim loquitur text.) pro illa vice priuantur potestate eligendi; quia loquitur text. de electoribus, collatoribus, non de electione institutionem antecedente. Adde in beneficiis curatis non posse patronos Ecclesiasticos nominare, nisi ex approbatis ab ordinario. Non ergo potest esse in culpa indignum nominandi, cum non possit indignum nominare.

3 Solum video excipi posse à tota hac doctrina, si contingeret Episcopum esse patronum alicuius beneficij, & nominaret clericum suæ diœcesis instituendum ab Episcopo alterius diœcesis; quia tunc videtur obligatus nominare dignum; si quidem talis nominatus, vtpote subditus Episcopo, debet esse cognitus Episcopo; ac proinde nominans indignum in culpa est. Quapropter non desunt graues doctores, qui censeant in hoc casu non debere nominatum ab Episcopo examinari ab Episcopo instituente, sed ipsam nominationem esse approbationem: sic relato Abbate *in cap. significasti. de iure patron.* docet Azor. 2. *part. instit. lib. 6. c. 22. quæst. 17.*

Punctum VIII.

Quem modum seruare debent patroni in præsentando cum plures sunt.

1 *Antequam instituenti præsentatio ostendantur, nulla est.*
2 *Omnes sunt vocandi.*
3 *Hæc vocatio sufficit si per edictum fiat.*
5 *Qualiter maior pars patronorum concurrere debet ad præsentandum.*

1 CLarum est, præsentationem à patrono factam firmam non esse, neque ius præsentato ad beneficium conferre, quousque instituenti præsentetur; quia hoc est de ratione præsentationis: & tradit Abbas, *in c. ea nos citur. de his quæ fiunt à prælato.* Tulchus *t. 6. litt. P. concl. 191.* Garcia *de benefic. 4. p. c. 1. n. 16.* Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 72. n. 12.*

2 Dubium tamen est, an omnes patroni ad hanc præsentationem faciendam vocandi sint? Distinguunt communiter doctores inter præsentationem factam à pluribus per modum vnius, aut per modum plurium. Si plures præsentent per modum vnius, hoc est quatenus vnum corpus commune efficiunt, nempè quatenus componunt collegium, aliámve communitatem, tunc omnes vocandi sunt, ita vt si vnus qui possit vocari, spernatur, præsentatio nulla est. *argum. textus in cap. quod sicut cap. bonæ de electione.* At si non per modum vnius, sed plurium ad præsentandum concurrant, non debent omnes vocari; sed firma erit præsentatio, si à maiore parte patronorum fiat. Sic Ioann. Andr. *in cap. quoniam. de iure patronat.* Syluest. *verba ius patronatus. quæst. 11.* Angel. *eodem §. 21.* Vasquez *opusc. de benef. c. 2. §. 1. dub. 7. n. 18.* Less. *lib. 2. c. 34. dub. 8. n. 34.*

Mihi dicendum videtur in vtroque casu omnes vocandos esse, neque sine hac citatione valere præsentationem ab aliis factam: etiamsi sit à maiori parte patronorum, qua à nemo iure suo priuandus est absque culpa; at quilibet ex patronis habet ius præsentandi intra tempus à iure sibi concessum, quem voluerit. Ergo in ipsum erit illum hoc iure priuare absque vlla causa. Priuaretur autem, si valida esset præsentatio maioris partis patronorum, aliis patronis non præsentantibus. Ergo dicendum est, nullam esse talem præsentationem; sic relato Panormit. *in c. quoniam. de iure patron. n. 14.* docet Azor. 2 *p. instit. mor. l. 6. cap. 21. q. 21.*

3 Hæc vocatio non debet esse per citationem personalem, sed sufficit si edicta ab instituente, seu ordinario publicentur de vacatione talis beneficij, ita vt in notitiam omnium patronorum possit deuenire. Hac enim publicatione facta, in culpa erit patronus, si intra tempus præfixum non præsentet; sibi namque imputare debet, quod fuerit omissus. Non enim alij compatroni ipsum repelliunt, sed potius ipse seipsum repellit. Cum vero per modum vnius facienda est præsentatio, tunc omnes, quorum interest vocandi sunt, vt determinato tempore congregentur. Alias nulla erit talis nominatio, quia congregatio legitima non erit.

4 Sed inquires, qua ratione maior pars patronorum concurrere debet ad præsentandum? Respondeo, si præsentatio facienda est ab aliqua communitate clarum est, maiorem partem illius communitatis concurrere debere. Alias non erit verum, communitatem illam præsentare. At si præsentatio non à communitate, sed à pluribus, vt singulis, & seorsim sumptis facienda est, illa effectum habebit, quæ comparatione aliarum præsentationum maior fuerit. V. g. si duodecim sunt patroni, & quinque præsentent Petrum, quatuor Franciscum, tres Ignatium, præsentatio illorum quinque tenebit; quia esto non sit facta à maiore parte patronorum, computatis omnibus patronis; est tamen facta à maiore parte patronorum, quatenus præsentationem faciunt, seu comparatione aliarum partium, & hoc sufficit: sic Ioann. Andr. *in capit. quoniam. de iure patronat.* Sylues. *verbo ius patronat. quæst. 13.* Azor. 2. *part. lib. 7. capit. 21. quæst. 20.* Vasquez *opusc. de benefi., cap. §. 2. 1. dub. 7. num. 20.*

Punctum IX.

Quem ex præsentatis teneatur ordinarius instituere.

1 *Si ab vno patrono plures æquè digni præsententur, potest Episcopus instituere quem maluerit.*
2 *Quid si præsentati non sunt æquè digni, plures negant obligatum esse digniorem eligere*
3 *Probabilius est oppositum.*
4 *Si duo sint à diuersis patronis nominati neque appareat excessus, affirmant plures posse alium tertium instituì. Contrarium est dicendum.*
5 *Quid si de facto illius tertij facta sit institutio? Probabilius est non valere.*
6 *Si laicus, & clericus Petrum præsentant & laicus etiam Ioannem, tametsi Ioannes dignior sit, non est instituendus.*

POnimus plures esse præsentatos siue ab vno patrono, siue à pluribus, & inquirimus, qui, debeat præferri?

1 Et quidem si ab vno patrono plures præsententur æquè digni liberum est Episcopo instituere quem maluerit, vt expresse deciditur, *cap. autem. cap. quod autem. cap pastoralis de iure patronat.* & notauit Glossa *in c. decernimus. 16. q. 7. cum autem, de iure patronat.* & multis relatis August. Barbosa 3 *p. de potest. epis. alleg 72. n. 199.*

2 At si præsentati non æquè digni sunt, sed vnus alio notabiliter sit dignior, variant doctores, an teneatur Episcopus digniorem instituere: Ioann. Andr. Hostiens. Anton. Cardin. *in cap. cum autem. de iure patronat.* censent obligatum non esse digniorem eligere, sed sufficere si dignum eligat, & Speculator *tit. de iure patronat. circa finem,* inquit satis esse, si malus non eligatur. Ratio esse potest: quia neque iure naturæ, neque iure positiuo videtur obligatus ad electionem dignoris. Non iure naturæ; siquidem ex maiori, vel minori dignitate, non competit præsentatis ius aliquod ad beneficium; alias obligatus esset patronus digniorem eligere. Item dignitas præsentati posset esse tanta, vt vinceret excessum præsentationis, quem alius compræsentatus, haberet; ac proinde non teneretur Episcopus conferre semper beneficium ei, qui est à pluribus præsentatus, sed posset illud conferre ei, qui à minori parte patronorum præsentatus est, quia dignior est præsentatus, quod est contra communem sententiam, vt tradit Glossa *cap. 3. de iure patronat. verbo maioribus.* Ioann. Gutierr. *lib. 2. canon. quæst. cap. 11. num. 20.* Less. *lib. 2. cap. 34. dub. 8. num. 33.* Ergo ex maiori, vel minori dignitate præsentati non competit præsentatis ius aliquod speciale ad beneficium. Ergo ex iure naturæ nulla est obligatio digniorem digno præferre. Ex iure autem positiuo non apparet hæc obligatio. Nam esto in *c. si forte 63. dist.* dicatur Metropol. iudicio præferendũ esse, qui maioribus & studiis iuuatur, & meritis, non de nominatione, sed de electione ad Episcopatum est sermo. Ergo in nominatione nullibi cauetur digniorem esse præferendum.

3 Nihilominus probabilius existimo stante plurium præsentatione æquali digniorem esse præferendum, sic Abbas *in d. c. cum autem. de iure patr.* Roch. *tr. de iure patron. verbo honorificum. quæst 15.* Greg. Lop. *l. 5 tit. 15. p. 1. verbo digno* Azor. 1 *p. instit. mor. l. 6. c. 22. quæst. 14.* August. Barbosa 2. *par. de potest. epis. alleg. 72. num. 100.* Moueor argum. deducto ex *c. si forte*; ibi enim præcipitur Metropolitano præferre electionem digniorum, non ob aliam rationem, nisi quia maximè decet, vt in æquali iure electionis præferatur is, qui Ecclesiæ vtilior, & cõmentior est. Cum autem hoc in nominatione æquè procedat, idem debet affirmari.

4 Maior autem est difficultas, an si duo sint à diuersis patronis præsentati, neque in præsentatione appareat excessus, possit Episcopus alium tertium instituere? Affirmat Sylues. *verb. ius patron. quæst. 3.* consentit Vasq. *opusc. de benefic. c. 1. §. 1. dub. 5. sub. num 16.* Azor. 2. *p. instit. mor lib 6. c. 21. quæst. 19. fine.* Less. reputat probabile *lib. 2. c. 34. dub. 8. num. 33.* Mouentur quia nullo iure cogitur Episcopus instituere alterutrum ex præsentatis

sentatis, cum patroni in præsentando concordes non sunt.

Contrarium tamen videtur mihi dicendum. *arg. c. si forte 63. dist.* ibi enim committitur in pari electione Metropolitani iudicio digniorem præferre, & cauetur ne ordinatio fiat illius, qui non fuerit expostulatus. Ergo cum in electione non sit locus contemnere electos, & alium non electum confirmare; neque etiam in nominatione debet fieri; eadem enim est in vtroque ratio, scilicet ne populus beneficiatum non optatum contemnat, aut oderit.

5 Sed quid si de facto Episcopus non præsentatum instituit? Respondeo probabilius esse irritam esse, institutionem. *ex c. decernimus. 16. quæst. 7.* ibi. *Quod si spretis eidem fundatoribus, rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam nouerit esse & ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari.* Neque obstat *text. in cap. illud. de iure patronat.* vbi institutio facta sine præsentatione illorum ad quos pertinebat, non dicitur irrita, sed irritanda. Quia satis tritum est in iure sæpè verbum *irritanda*, pro declarandi irrita sumi. & notauit aliis relatis Azor. *2. p. instit. mor. lib. 6. cap. 22. quæst. 8.* Gonzalez *ad reg. cancell. glos. 56. num. 78.* Augustt. Barbos. *3 part. de potest. Episc. allegat. 72. num. 171* Gregor. Lop. *eg 5. tit. 15. par. 1. num. . vnco no debe auer la yglesia*, consentit ex parte Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 9 n. 39.* affirmans, si patronus se opponit collationi intra tempus signatum ad præsentandum, euanescere collationem, secus si non se opponit; quia tunc collatio absque præsentatione facta confirmabitur, & manebit valida.

6 Quando autem duo sunt patroni; alter laicus, alter clericus, & vterque Petrum præsentarunt; tametsi laicus alium digniorem præsentet, non est instituendus secundus, quia inferior est in iure præsentationis, cum solum à laico sit præsentatus cumulatiuè, & Petrus sit præsentatus à laico; & à clerico: sic Abbas *in cap. cum autem. de iure patronat. num. 4.* Tiraquel. *de iure primogen. q. 17. opin. 11. num. 5.* Augustt. Barbosa *3. p. de potest. Episc. alleg. 72. num. 166 & 198.* Neque obstat laicum mutare posse sententiam; & in beneficiorum collatione dignitatem beneficiati maximè spectari, ob quas rationes tenet Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 8. num. 32.* posse in supradicto casu digniorem præferre; non inquam obstat; quia laicus (vt supra dictum est) non mutat sententiam reuocando priorem nominationem, sed nouam addendo, & cumulando. Cum ergo prima nominatio firma perstitat, & æquale ius nominato concedat, ac concedit secunda, & insuper addatur priori nominationi Ecclesiastica nominatio; efficitur sanè priorem nominatum ius fortius habere; quia non ex dignitate nominati, sed ex nominatione ipsa ius acquiritur. Dignitas autem beneficiati spectari maximè debet, quando in præsentatione fuerit æqualitas; secus si inæqualitas intercedat.

Punctum. X.

An Pontifex ius patronatus derogare possit, & quando hæc derogatio contingat.

1 *Potest Pontifex cuilibet patronatui derogare, sed ex causa iusta.*
2 *Diuersa causa requiritur pro patronatu laico, & ecclesiastico.*
3 *Patronatui laico non censetur derogatum, nisi de derogatione expresè conster.*
4 *Non est censendus derogatus per clausulam generalem, qua omnia beneficia præsentationis reseruantur.*
5 *Secus patronatus Ecclesiasticus.*
6 *An si ius patronatus mixtum sit, derogetur sub derogatione cuiuscumque patronatus? Affirmant derogari plures. Contrarium est probabilius.*
7 *Excipe, nisi ex maiori parte Ecclesiasticum sit.*
8 *An per clausulam generalem derogetur ius patronatus competens ex priuilegio? Affirmatiuè respondetur.*
9 *Cum beneficium est litigiosum in curia, an Pontifex possit illud prouidere absque derogatione iuris patronatus? Sub distinctione respondetur.*

1 CErta sententia est, posse Pontificem cuilibet patronatui siue Ecclesiastico, siue laïco derogare. Quia cum ab ipso concessus sit, ab ipso potest fieri derogatio: sic post alios antiquiores, quos referunt Couarruuias *pract. quæst. cap. 36. num. 1.* Azorius *2 p. instit. moral. lib. 6. c. 23. q. 1.* Lessius *lib. 2. de iustit. c. 34. dub. 9. num. 35.* Gonzalez *super reg. 8. Cancell. glos. 18. num. 1.* Vasquez *opusc. de benefic. cap 2. § 1. dub. 8.*

Requiritur tamen causa rationabilis, & iusta, & Ecclesiæ vilitatem respiciens, vt licita sit derogatio. Tum quia iuri alterius quæsito non est iustum absque causa derogare, neque Pontifex priuilegia à se concessa tollere potest absque causa; quod maximè procedit in patronatu, fundatione, constructione, dotationéve Ecclesiæ acquisito, quia tacitè ob illius acquisitionem hæc facta sunt. Quapropter in Trident. *sess. 25. cap. 9. de reform.* prudentissimè cauetur, cum patronatus Ecclesiæ alicui tollitur, vt restituantur ei, quæ in acquisitione talis iuris contulit. Prætendit ergo concilium nemini ius acquisitum tollere, nisi ei plena satisfactio fiat. sic Azorius *2. p. instit. lib. 6. cap. 23. q. 1.* Vt autem valida sit derogatio, nulla requiritur causa. Quia ea quæ ex voluntate Pontificis conceduntur, ipso contradicente cessant. Semper tamen præsumi debet causam legitimam ad esse in tali derogatione 2. Causa autem diuersa expostulatur in derogatione patron. laïci, ac in derogatione patron. Ecclesiastici. Quia in derogatione patronatus laïci derogatur priuilegio oneroso, seu remuneratorio; in remunerationem enim fundationis Ecclesiæ illius fundatoribus patronatus conceditur; quia illis conceditur, quia fundant, & sub conditione si fundent. At in derogatione Ecclesiastici patronatus gratiosum priuilegium derogatur; cum totum priuilegium ex gratia sedis Apostolicæ ortum habeat, non ex aliquo quasi contractu, & iure acquisito patronorum. Sed ad priuilegij onerosi, & remuneratorij derogationem efficacior causa requiritur, quam ad derogationem gratuiti. Ergo maior causa expostulatur pro derogatione laïci patronatus, quam pro derogatione patronatus Ecclesiast.

3 Solum est dubitatio, quando censeatur vterque derogatus? Qua in re pro certo statuendum est patronatum laïcum nunquam censeri debere derogatum, nisi expressa illius fiat derogatio: sic ex communi sententia tradit Cou. *pract. c. 36. n. 2. & seqq.* & doctores statim referendi. Ratio est, ne retrahantur laïci à fundatione Ecclesiarum, videntes prærogatiuas, & priuilegia sibi concessa, ob quorum consecutionem proprias diuitias consumpserunt, passim, & absque vrgenti causa tolli, ideóque concilium *d. sess. 25. c. 9. de reform.* dixit patronorum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est.

4 Hinc infero non censeri derogatum huic patronatui in *c. 2. de prabend. in 6.* neque *in reg. 8. Cancell.* neque in qualibet alia continente clausulam generalem, qua omnia beneficia Pontifex reseruat; tametsi dicat ad cuiuscumque præsentationem pertineat: sic Cou. alios referens. *sup.* Azor. *2. p. inst. mor. lib. 6. cap. 23. quæst. 2.* Gonzal. *ad reg. 8. cancell. glos. 18. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub 9 num. 36.* Vasq. *opusc. de benefic. c. 2. § 1. dub. 8. num. 24.* Ratio est; quia hæc derogatio vtpote odiosa stricte interpretanda est, vt minus quam fieri possit, lædat: cum ergo possit de solo patronatu Ecclesiastico intelligi, ita vt faciat hunc sensum, ad cuiuscumque siue Episcopi, siue illo inferioris; siue collegij, siue vniuersitatis præsentationem pertineat beneficium; sibi reseruat conferendum; nulla est causa ob quam astringamur derogationem ad laïcorum patronatum extendere. Adde si patronatus sit alicuius Comitis, Marchionis, Ducis, alterius ve Principis, oportere illius fieri expressam mentionem, neque sufficere, si dicat se reseruare beneficium ad cuiuscumque præsentationem pertineat etiam laïci. Horum enim ius fortius est, vtpote ipsi de Ecclesia benemeriti, ac proinde sub nomine illo generali laïci non comprehenduntur: sic Cou. Vasq. Lessius *sup.* Azor. *q. 3.* Qua item ratione sub nomine generali cuiuscumque Principis in hac derogatione non comprehenditur patronatus Regis, vel Imperatoris ob eorum altissimam dignitatem: debebat enim eorum fieri specifica mentio. vt derogatum censeatur: sic expresè Azor. *sup.* Supradicta procedunt de patrono laïco, qui bona fide patronatum possidet, tametsi verè patronus non sit, quia dum est in possessione præsentandi, verè patronus est, & ius habet quæsitum præsentationis, fructibus enim, & commoditatibus alienæ rei fruitur bonæ fidei possessor: sic Cou. *pract. quæst. c. 36. n. 6.* Azor *2 p. inst. mor. lib. 6. c. 23. q. 6.* Vasq. *opusc. de benefic. c. 2. § 1. dub. 11. n. 28.*

5 Quod si ius patronatus laïcum non sit, sed Ecclesiasticum, per generalem reseruationem supradictam derogatum censetur. Ratio est; quia hoc ius clerico competit titulo Ecclesiæ; eo quod ex bonis Ecclesiæ beneficium est fundatum, vel ipsi à laïcis concessum. Cum ergo Pontifex caput sit Ecclesiæ, & omnium Ecclesiasticorum superior, nullam iniuriam irrogat illius prælatis, si iura illis competentia, ab ipsoque donata, vt sibi magis propria arroget, & exequatur; ac proinde per solam simplicem collationem beneficij factam à Pontifice sciente tale beneficium ad Ecclesiasticos patronos pertinere, derogatum est tali iuri: & ita tenet, aliis relatis Couar. *d. c. 36. num. 5.* Gonzal. *glos. 18. nu. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 9. n. 36.* Vasquez *opusc. de benefic. cap. 2. § 1. dub. 8. num. 22.* Azor. *2. p. inst. mor. lib. 6. cap. 23. q. 2.*

6 Difficultas autem est; an si ius patronatus partim laïcum sit, & partim Ecclesiasticum, quodque mixtum vocatur, censeatur comprehendi sub reseruatione facta cuiuscumque patronatus? Graues doctores censent comprehendi; eo quod dignior pars trahere ad se debet minus dignam; ac proinde reseruatio Eccles. patronatus, vtpote digniotis, debet trahere ad se laïcum patronatum minus dignum, & fauet *c. per tuas. e contingit. de arbitris.* & tradit Staphil. *de litteris grat. tit. de modo, & forma impetrandi. § sed dubium est. n. 3. in paruis.*

Nihilominus tenenda est contraria sententia, quia æquum non est ob societatem clerici laïcum suo iure priuari. Neque dignitas clerici sufficiens est iura laïci patronatus mutare, cum in præsentatione clericus, & laïcus æquale ius habeant. Neque

obstar ob hanc societatem laicum gaudere priuilegio semestri in præsentando, quod Ecclesiasticis conceditur. Ergo etiam p ti debet incommodum derogationis. Non inquam obstat; nam præterquam quod non est certum, laico in tali casu esse concessu semestre; non inde inferri debet ob societatem clerici pati debere derogationem; facilius enim ex societate priuilegia acquiruntur, quam incommoda ponuntur; quia priuilegiorum acquisitio, excitat laicos ad Ecclesiarum fundationem, derogatio vero priuilegiorum illos retrahit. Conueniens ergo erat, vt ex societate cum clericis nullum ius laicus amitteret, tametsi clericorum priuilegia illi communicarentur, & ita docent post alios antiquiores, quos tradunt Cou. *prax. quæst. c. 36. n. 5. vers. opportunè.* Azor. 2. *p. inst. moral. lib. 6. c. 26. q. 5.* Lessius *d. cap. 34. dub 9. n. 40.* Vasq. *opusc. de benefic. c. 2. §. 1. dub. 9. n. 24.* Gonzales *glos. 18. à num. 12.*

7 Verum si patronatus ex maiore parte Ecclesiasticus sit, vt si pertineat ad decanum Ecclesiæ, & priorem alicuius monasterij, & ad Petrum laicum: tunc censet Couar. Azor. Lessius, Gonzal. Vasq. & alij derogari ac si solum Ecclesiasticum esset. Tum quia vere Ecclesiasticum est: denominatio enim à maiore parte desumitur. Qua ratione Bart. *in l. sodales n. 14. & 15. ff. de collegiis illicitis.* Felinus. *c. ex litteris. num. 3. de constit.* dicunt vniuersitatem scholarium maiore parte clericorum constantem Ecclesiasticam esse, non laicam. Tum quia maior pars patronorum trahit ad se minorem, ita vt consentiente illa maiore parte, quamuis minor dissentiat, non obstat prouisioni. Ergo derogato iure maioris partis, absolutè censetur minoris partis iuri esse derogatum. Neque inde fit aliqua iniuria laico patrono, cum ipsius ius non derogetur directè, sed indirectè ad derogationem Ecclesiastici iuris fortioris, & potentioris, sicut non derogatur iuri minoris partis patronorum, si maior pars in alium consentit.

8 Rursus dubitabis, an per clausulam generalem derogatum censeatur ius patronatus laicis competens ex priuilegio, præscriptione, aut consuetudine? Suppono omnia hæc iura sublata esse à Trid. *sess. 25. c. 9.* nisi patronatus sit super cathedralem Ecclesiam, vel regibus, regnaque possidentibus, supremisque principibus competens, aut in fauorem studiorum generalium concessum, vt latius supra diximus. Sed dato esse aliqua iura patr. præter supradicta, communior sententia docet derogatum esse absque speciali derogatione, ac si Ecclesiastici patronatus iura forent. Quia cum in his casibus nihil ex suo laici contulerint, eadem mensura, ac Ecclesiastica iura de illis est iudicandum: sic docet Cou. *d. c. 36. n. 6.* Gonzal. *glos. 18. n. 18.* Azor. 2. *p. inst. mor. l. 6. c. 23. q. 4.* Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 9. n. 42.* Vasq. *opusc. de benefic. c. 2. §. 1. dub. 10.* Addunt que Lessius, Vasq. & Couarru. non solum Pontificem, sed & legatum à latere huic patronatus iuri derogare posse, sicut & potest Ecclesiastico & colligitur ex *c. cum dilectus. de offic. iudic. deleg. c. cum dil. Eius. de iure patronat.* Cæteri vero prælati inferiores neque huic iuri, neque alteri Ecclesiastico iuri derogare possunt, quia priuilegijs à iure concessis nequit Episcopus derogare.

9 Sed quid dicendum, cum beneficium litigiosum erat in curia; potestne tunc Pontifex illud prouidere cui voluerit absque diminutione iuris patronatus? Affirmat Cassador. *decis. 3. tit. vt lite pendente.* Gomezius *in reg. Cancell. d. impetrant. per obitum famil.* Cardinal. *q. 8. n. 7.* Azor. 2. *p. inst. moral. lib. 6. cap. 23. q. 8.* Mouentur, quia beneficio vacante in curia, si litigiosum sit tempore vacationis, non potest nec præsentari, nec eligi, nec conferri ab iis, qui aliàs ius habent nominandi, eligendi, vel conferendi, vt expressè habetur *clem. 1. vt lite pendente. & cap. 1 & 2. eodem tit. in 6.* sed secluso hoc iure nulla irrogatur patronis iniuria, ex eo quòd Pontifex tale beneficium prouideat. Ergo prouidere potest absque derogatione iuris patronatus.

Cæterum pro clariori huius quæstionis intellectu varios casus perdoctè distinguit Couarru. *suprad. c. 36. à n. 1.* Primus est, cum duo sunt præsentati, neque vlius est institutus, & litigent super beneficio, non poterit Pontifex tale beneficium prouidere; tametsi vterque in curia moriatur. Quia nulla est vacatio beneficij, cuius nulla est institutio, & consequenter non est Pontifici reseruata, neque est locus *clem. 1. vt lite pendente.* sic Gloss. *ibi verbo collato. in princ.* Bonifac. *n. 4. & collectari, in cap. accedens de concess. prabenda.* Secundus casus (inquit Couarru.) contingit si lis in curia Romana tractatur inter duos præsentatos, & institutos, & vterque moriatur Romæ, vel possessor beneficij Romæ, & alius extra; tunc poterit Pontifex beneficium prouidere, si ad patronatum Ecclesiasticum pertineat, quia est locus *dictæ clem. vt lite pendente*, & eius reseruationi. At si beneficium sit iuris patronatus laicorum, nequaquam poterit Pontifex absque expressa illius derogatione prouidere; quia tunc pertinet ad patronos laicos eius præsentatio, cum absolutè beneficium vacet, & lis omnino finita sit morte vtriusque litigantis: probatque *text. in d. clem. 1. vt lite pendente.* in prima eius parte. Tertius casus specialiter controuersus est, cum lis agitur in curia Romana inter duos præsentatos à patronis diuersis, & alter Romæ, vel alibi moritur, altero superstite remanente; an tunc Pontifex possit conferre beneficium superstiti collitiganti, vel alteri tertio absque derogatione expressa iuris patronatus? Quo in casu Ioann. And. Card. Cæsar. Lambertin. relati à Couar. *pract. q. d. 36. n. 7. vers. tertio quandoque.* tenentur dicere nequaquam posse; quia ipsi existimant posse patronos loco mortui alterum præsentare, neque impediri obitis pendentiam, quoties ab eis præsentatus institutus non est; quia litis pendentia solum impedit nouam electionem, vel collationem, non autem præsentationem: quia de præsentatione non loquitur *text. in c. 1. & 2. vt lite pendente. lib. 6.* Cum autem Pontifex laicorum patronatui non censeatur derogare, nisi exprimat, efficitur non posse de hoc beneficio prouidere.

Aliter Couarruu. alios referens in supradicto casu procedit. Affirmat namque lite pendente nequaquam posse à patrono alterum præsentari, sed omnino impediri ob litis pendentiam. Nam *text. in c. 2. vt lite pendente. lib. 6.* loquitur expressè non solum de electione, sed etiam de præsentatione. ibi; *vel etiam præsentetur.* impeditque ne lite pendente alius loco mortui, vel ius cedentis eligatur, vel præsentetur, quovique lis finita sit. Et rationem subdit, ne lites propagentur cum damno Ecclesiæ. Quapropter esto patronus, siue laicus, siue Ecclesiasticus, possit mortuo præsentato alium præsentare; quia cessat præsentatio. At si lis agitetur eo tempore inter præsentatum ab ipso, & præsentatum ab aliis, non poterit loco primi mortui alium præsentare, siue mortuus fuerit institutus, siue non; quia non potest alium collitigantem subrogare: esset enim viam litibus aperire, & litigia in dispendium Ecclesiarum protogare; potest tamen Summus Pontifex, etiam absque consensu patroni, subrogare collitigantem, vt loco defuncti litem prosequatur ab eo statu, in quo lis remansit tempore vacationis. Pontifex vero non potest, spectato iure communi, beneficium alteri tertio, vel collitiganti prouidere, quin prius definiat litem, vt habetur expressè *clem. 1. vt lite pendente.* Nam ex definitione litis constare debet, cui competat beneficium; si enim pro defuncto fertur sententia, prouidendum est, vt omnino vacans. Et idem est, si decisum fuerit ad neutrum ex præsentatis pertinere. At si sententia pro litigante superstite feratur, ille instituendus est, si institutus non fuerit, vel si iam fuerit institutus, confirmandus.

Punctum XI.

Qua ratione electione, illiúsque confirmatione beneficium acquiratur.

Hvcusque diximus de præsentatione, quæ est primus modus acquirendi beneficium, subsequitur secundus, qui est electio, & illius confirmatio. Electio, si propriè sumatur, solum est de Ecclesia pastore destituta, vt satis colligitur *ex c. quia propter. de elect.* ibi; *Ecclesiis viduatis.* Ecclesia autem viduata non est, nisi suo sponso, hoc est pastore fuerit orbata. Quapropter electio ad aliquem canonicatum, vel dignitatem alicuius Ecclesiæ Collegiatæ, vel Cathedralis, etiamsi communibus canonicorum suffragijs fiat, non est propriè electio, de qua in *c. quia propter. de elect.* Neque opus est formam ibi præscriptam ad vnguem seruari, nisi forte talis canonicus, vel dignitas simul sit Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ pastor. Verum vt materia electionis proficua sit, testar examinate difficultates, quæ communes sunt tam electioni prælaturæ, quam cuiusuis alterius beneficij, aliqua tamen de antiqua prælatorum electione subiicientes.

§. I.

Qui potestatem habeant eligendi.

1 *Distinguitur hæc potestas iuxta diuersa tempora.*
2 *Quibus canonicis in cathedralibus, & collegiatis competat ius eligendi.*
3 *Debet canonicus esse præsens, & qualiter si in eodem capitulo sit, possit suum suffragium alteri committere.*
4 *Qualiter electores possint secum alios externos ad eligendum admittere.*
5 *Qui ab electione excludantur.*

1 Si tempora antiqua spectemus, tum clero, tum populo commissa fuit Episcoporum electio, vt constat ex *c. cum longè in fine. 63. dist.* & tradit Petr. Greg. *ad decretal. tr. de elect. cap. 5. n. 10. & 16.* aliqua tamen differentia. Nam primis temporibus vtrique æquanimiter hæc electio, & nominatio competebat. *c. Episcopos cap. lectis. 63. dist. c. factus. 7. q. 1.* Postea vero tempore Stephani Papæ solum populo committebatur approbatio, clero vero dabatur electio, *c. nosse. cap. vnic. 63. dist.* Deinde hæc potestas regibus, & supremis principibus concessa fuit, vt constat ex *cap. Adrian. 2. 63. dist.* At animaduertens Ecclesia gravia ex hac electione, approbationeque populi, vel principum sæcularium inconuenientia oriri, concessam, vel potius missam populo, principibusque sæcularibus potestatem reuocauit. *cap. non est permittendum 63. dist.* & solum collegio

in collegiatis, & capitulo in cathedralibus hæc potestas concessa est *cap. in genesi. cap. congregatio. cap. quia propter, & alibi pluribus de electione. & cap. congregatio 16. quæst. 7.* Nouissime vero Ponti fex ob discordias, & continuas lites, quæ ex his actionibus Episcoporum factis à capitulo oriebantur sibi has electiones reseruauit, vt constat ex *extrauag. ad reprimendum. de prabend. & ex reg. 1. & 3. cancell.* Quapropter iam ab Ecclesia recessit materia electionis, vt testatur, aliis relatis, Garcia 4. *par. de benefic. cap. 1. num.* 11. Aug. Barbosa 1. *p. de potest. Epis. cap. 11. 1. cap. 3. num.* 17. Solum in Germania consuetudo antiqua electionis videtur retineri, vt affirmat Azor. 2. *p. instit. moral. lib. 3. cap.* 28. *quæst.* 3. Neque ob hanc reseruationem adempta est Regibus Galliæ, Flandriæ, Hispaniæ potestas nominandi clericum in Episcopum, vt à pontifice instituatur, vt latè expendit Barbosa *suprà dicto loco* 2. posito quod capitulo in cathedralibus, & collegio in collegiatis ius eligendi prælatum competat, expiscandum est quibus personis talis collegij, & capituli competat. Primo enim debet esse canonicus, hoc est de collegio, seu capitulo saltem quod illius pacificam possessionem, tametsi proprietatem non habet. *cap. in genesi de elect. c. cum olim. de causa possess. & proprietat.* Alij autem beneficiarij, qui canonici non sunt, neque vocem habent in capitulo, ius eligendi non habent, secluſa consuetudine, seu præscriptione. *Cumana. de elect. & ibi gloss. verbo consuetud. cap. cum in Ecclesiis. de prabend. in 6.* & tradit alios referens. Azor. 2. *p. instit. mor. lib. 6. cap. 11. quæst. 6.* Augustt. Barbosa 1. *p. de potest. Episc. alleg. 1. cap. 3. num. 1. & 17.* Dixi. *secluſa consuetudine.* nam clarum est, si consuetudo legitima sit præscripta posse, virtute illius clericos aliarum Ecclesiarum, vel extraneos ad eligendum admitti; quia consuetudo, seu vt melius dicam præscriptio vim habent abrogandi legem, & concedendi ius alias non habentibus. Et probat *text. c. cum Ecclesia. de causa possess. & pr. priet. ibi, nisi alibi secus obtineat. de consuet. speciali. & cap. cum dilect. vers. mandamus. de consuetud.* & tradit Azor. *supra.* & Barbosa *num.* 25.

Ex quo fit dignitates, quæ non sunt de communi mensa, neq; siue capellanos, seu mansionarios vocandos esse ad hanc electionem, vt aliis relatis tradit Barbosa *suprà.* Dixi. *qui vocem habet in capitulo.* vt excluderem ab hac electione canonicos Ecclesiarum cathedralium, vel collegiatarum, qui subdiaconatus ordine insigniti non fuerint, iuxta *clem. vt ij. de ætate. & qualit.* & tradit Trident. *sess. 22. cap. 4. de reformat.*

3 Secundo debet esse præsens, nam si absens est, non potest suum suffragium ferre. *cap. si quis iusto. de electione. in 6.* Neque item potest extraneo committere reclamante capitulo, vt nomine suo suffragium ferat, vt habetur in *supra. cap. si quis iusto.* & tradit Gloss. *in cap. quia propter. de elect. verbo venire non possit.* Vnde solum personis de capitulo vices suas potest committere in qua commissione si plures procuratores designet, debet quemlibet in solidum designare, ne contingat eos sua vota in diuersos dirigere; alias nulla erit talis designatio; illis autem in solidum designatis ille admittendus est, qui primo petierit admitti. Verum si plures simul concurrant, & postulent se admitti, audire eos non expedit, quia possent vota sua dirigere in diuersos, sicque res non haberet exitum, & quod ab eis hoc casu fieret non valeret: sed is admittatur dumtaxat, quem capitulum, vel maior pars elegerit, vel si concordare nequeant, is qui primo in instrumento, vel litteris procurationis extiterit nominatus. Porrò cum vnus est procurator simpliciter constitutus, si is vnum suo, & alium domini sui nomine in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit, nisi de certa eligenda persona sibi dominus dederit speciale mandatum. Tunc enim in illam eius, & in aliam suo nomine poterit consentire. Hæc in *suprad. cap. si quis iusto.* Quod si in eodem oppido, vel cœnobio, in quo celebratur electio, præsens sit aliquis ex electoribus, impeditus tamen ob infirmitatem, ne possit in vnum cum aliis electoribus conuenire, tunc potest suffragium suum dare & electores tenentur ab eo petere vel si magis placuerit, potest ex electoribus vnum vel plures sibi substituere: sic relato Ang. *verb. elect. num.* 17. notauit Azor. 2. *p. inst. lib. 6. c. 14. quæst. 7. in fi.*

4 Dubium tamen est, an possint electores canonici alios externos secum ad eligendum admittere, ita vt electio cum illis facta firma sit & rata; Et quidem si in perpetuum admittant, nulla est admissio, neque electio inde proueniens? quia nequeunt canonici potestatem eligendi perpetuam clericis communicare, quin eis beneficia quibus est annexa communicent, sicuti neque possunt religiosi vnius cœnobij religiosos alterius cœnobij admittere ad electionem sui prælati, vt deciditur expresse *cap. constitut. 47. de elect.* Quia nullus religiosus nomine proprio eligere potest prælatum alterius monasterij ab eo in quo est. At si non in perpetuum, sed pro vna, vel altera vice velint canonici alios clericos extraneos admittere, placuit Abbat. *in cap. cum Vitonienſis num 3. de elect. & in cap scriptum eod. tit.* id fieri posse consentit Lamb. *de iure patron. [illegible] quæst. 3. princ. à 17. à num. 3.* Augustt. Barbosa 1. *epist. 11. cap. 3. num. 14.* vbi alios refert. Mouen[illegible] *cap. cum Vitonienſis, cap scriptum* Verum hi text. solum probant admitti posse extraneos tanquam procuratores, vel compromissarios, vt nomine electorum electionem celebrent, at nullum est verbum in supradictis textibus indicans posse illis potestatem eligendi nomine proprio communicari. Neque deest ratio hanc impossibilitatem probans, quia iure statutum est electionem faciendam esse à capitulo, vel collegio: si autem capitulum, vel collegium alios secum admitteret electores, iura præscripta violaret. Ergo affirmandum est neque in perpetuum neque pro vna vice duntaxat posse canonicos secum alios electores ad eligendum admittere, tametsi vocem suam illis possint communicare, vel in illos compromittere.

5 Ab electione excluditur impubes, hoc est qui 14. annum non compleuerit? quia non censetur sufficientem iudicij discretionem habere, *cap. ex eo. de elect. in 6.* & in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, qui 22. ann. non attigerit, cum hanc ætatem habere necessario debeat ad sactum ordinem suscipiendum, qui ordo necessario requiritur ad vocem habendam in capitul. vt dictum est. Item excommunicatus maiori excommunicatione, *cap. illa. de electione* & suspensus ab officio, ex *cap. cum dilectus. de consuetud.* & interdictus sacris. *cap. cum inter. de electione.* & irregularis *c. is qui. de sentenx. excom. in 6* Atque idem est de eo qui sacra fecit in loco interdicto, *ex suprad. cap. is qui. de sentent. excommunicat. in 6.* Ii omnes ab electione excluduntur, debent tamen esse suspensi, excommunicati, interdicti, & irregulares declarati; aliàs valida erit eorum electio, quousque infirmetur, vt latius dicemus *Tract. de excommun.* Item excluduntur à potestate eligendi, si omnes electores scienter elegerint indignum, *cap. cum in cunctis. c. Victorienſis. cap. cum innotuit de electione. & cap. quamquam, eodem tit in 6.* Dixi *cum omnes eligunt indignum*, nam si aliqui dignum eligunt, tametsi minor pars eligentium sit, electio illorum manet firma, excluſa electione maioris partis, vtpote de indigno electo. *cap quamquam, & ibi gloss.* Insuper excluduntur ab electione pro tempore trium annorum, qui per abusum ciuilis potestatis electionem celebrarunt, quod contigit cum laicos ad electionem conuocarunt, constat ex *c. quisquis. de electione. & ibi gloss. verbo abusum.* Deinde priuantur à potestate eligendi, quia intra tres menses à iure præscriptos non elegerunt. *cap. qui pro defectu. de electione. cap. ex eo quod. §. in Ecclesiis. de electione. in 6.* Quæ omnia intelliguntur de electione pastoris Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ, vel conuentualis, secus de electione ad alia beneficia, de quibus text. supradicti non loquuntur. Verum ex supradictis textibus non lene argumentum sumitur ad electionem aliorum beneficiorum, vt in illis id ipsum dicatur.

§. II.

Quem debeant electores eligere, & intra quod tempus.

1 *Debet dignus eligi.*
2 *Affirmant aliqui ob peccatum mortale reddi eligendum indignum.*
3 *Distinguendum est de peccato notorio, & occulto, & affirmandum peccatorem notorium esse indignum, secus occultum*
4 *Quis censeatur dignior ad beneficium.*
5 *An ex dignis debeat dignior, eligi; Præmittuntur aliqua certa.*
6 *Ex vi institutionis beneficiorum negant plures esse obligationē eligendi digniorem.*
7 *Aliqui distinguunt de curatis beneficiis, & simplicibus, & in curatis hanc agnoscunt obligationem, secus in simplicibus.*
8 *Probabilius est in omnibus beneficiis obligationem esse eligēdi digniorem.*
9 *Fit satis argum. primæ sententiæ.*
10 *Limitatur conclusio in patronis laicis tam fundatoribus beneficiorum, quam fundatorum successoribus.*
11 *Limitatur secundo in resignatione, & permutatione beneficiorum.*
12 *Limitatur tertio, casu quo dignissimus eligi non possit.*
13 *Limitatur, quarto nisi Ecclesiæ vtilius foret digniorem prætermittere, vt Ecclesia magis indigenti præficeretur.*
14 *Quid dicendum in electione prælati religiosorum?*
15 *Quid in electionibus ad officia secularia?*
16 *An pater, vel mater instituens maioratum teneatur indigniori filio instituere.*

CErtum est debere eligere dignū hoc est qui munus suum ritè præstare possit: aliàs electio nulla erit. Quapropter nullo modo licet eligere excommunicatum ex communicatione maiori, suspensum, interdictum, aut irregularem; quia ij omnes excluſi sunt ab administrare spiritualium, & traduntur omnes.

2 Solum

2 Solum est dubium, an quis ob peccatum mortale reddatur indignus? Non desunt graues doctores, qui affirment: sic Panorm. *in cap. si celebret. de cler. excommu. minist. in 6. & ibi* Innoc. Cajet. 2.2. *quæst. 63. a. 2.* Sot. *lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 2. concl. 5. & in princ. concl. 6.* Probatique potest primo ex *cap. cum in cunct. de elect.* vbi eligendi ad beneficium debent habere scientiam, & morum grauitatem: qui autem est in peccato mort. morum grauitatem caret; ergo non est dignus electione. Secundo, electus ex vi electionis accipit potestatem sacra ministrandi, sed qui est in peccato nequit ea administrare. Ergo nequit eligi. Tertio, excommunicatus etiam minori excommunicatione (ex plurium sententia) repellitur ab electione, quia durante excommunicatione sacramenta suscipere prohibetur: at lethali peccato infectus eandem prohibitionem habet. Ergo eodem modo repelli debet ab electione.

3 Dicendum igitur est duplex esse peccatum, aliud notorium, aliud occultum. Peccatum notorium tametsi depositione dignum non sit, reddit habentem illud indignum electione, ac proinde tam eligens, quam acceptans electionem peccant grauiter. Tum quia scandalum generatur, cum videant hunc peccatorem aliis iustis, & idoneis præferri. Tum quia ratò præsumi potest à peccato recessurus, neque beneficium vtiliter administraturus. Secus vero dicendum videtur de peccatore occulto, qui præsumi potest ex infirmitate peccatum commisisse & illius pœnitentiam acturus: sic erudite satis defendit æquè pius, ac doctus Martin Nau. *Miscell. de orat.* 34. Azor. 2. *p. instit. moral. lib. 5. cap.* 14. *quæst.* 10.

Neque contraria fundamenta vrgent. Ad primum dico sub morum grauitate peccata publica, notoria, non occulta intelligenda. Ad 2. & 3. concedo existentē in peccato mortali neque suscipere sacramenta: neque illa administrare posse durante tali peccato, sed nego obinde priuatum esse electione. Quia illa facta resurgere à peccato potest, & sic præsumitur surrecturus. Neque obstat excommunicatum priuatum esse electione, tametsi illa facta possit ab excommunicatione absolui. Quia hæc priuatio non tam à iure naturali, quam positiuo prouenit. Tum quia illa absolutio non est in potestate excommunicati, sed in potestate absoluentis. Secus vero est de peccati mortalis liberatione, quæ diuinæ gratiæ auxilio in potestate ipsius peccatoris sita est, ac proinde mirum non est excommunicationem occultam priuate excommunicatum electione, non autem peccatum.

4 Difficultas grauis est, an obligati sint electores ex dignis digniorem eligere; digniorem voco, qui ad ministerium assumptum vtilior est: contingere enim potest, vt sanctior & doctior minus aptus sit ad animarum curam ob defectum prudentiæ, quam alius, qui non ea sanctitate, & doctrina pollet, at excellit prudentia. Ergo ex aptitudine ad finem ad quem eligitur desumenda, præcipuè est dignitas electi: sic Azor. 2. *p. inst. mor. lib. 6. cap.* 15. *quæst.* 1. *in fin.* Gut. *can. qq. lib.* 2. *c.* 21. *n.* 3. Vasq. *opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *dub.* 1. *num.* 49. Lessius *lib.* 2. *de iust. c.* 34. *dub.* 14. *n.* 64. Gut. optim. *lib.* 2. *can. q. c.* 11. *n.* 61. *& seqq.*

5 Qua in re aliqua sunt ferè ab omnibus recepta, aliqua sub controuersia. Primo certum est beneficiis siue curatis, siue simplicibus ex eorum fundatione, vel institutione certo generi personarum assignatis nullā esse obligationem eligendi digniorem extraneum; imo nec posse eligi: quia alij extranei etsi digniores, excluſi sunt. Quorum exclusio, & horum assignatio vtilis est Ecclesiæ regulariter, vt sic maiori affectu assignati Ecclesiæ deseruiant sicut antiquitus factum est, qui ex eadem Ecclesia in prælatum assumebantur, tametsi alterius Ecclesiæ sanctiores & doctiores extiterint. *cap. nullus cap obitum* 61. *dist. & c. Metropolitano.* 63. *dist.* & modo de facto Pontifex ex collegio Cardinalium eligitur, tametsi extra reperiretur alius dignior: sic Lessius *lib.* 2. *de iust. c.* 34. *dub.* 13. *n.* 59. Vasq. *opusc. de benefic. c.* 2. §. 3. *dub.* 4 *sub n.* 70. *& dub.* 5. *num.* 74. Azor. 2. *p. inst. mor. lib.* 6. *c.* 15. *q.* 1. *&* 8. Gut. pluribus relatis, *can. q. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 29. Idem quod dictum est de hac electione, dicendum est cum plures vocantur sub termino aliquo signato ad competentiam, & concursum, nequeunt enim electores aliis àconcurrentibus beneficia conferre tametsi digniores sint, vt tradit Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de reform. in medio.* ibi, *in supra. casibus non cuiquam alteri, quam vni ex prædictis examinatis, &c. ab examinatoribus approbatis iuxta supradict. regulam de ecclesia prouideatur.*

Secundo certum est, eligentes Episcopum ad obligatos esse ex his, qui sibi post factam competentem diligentiam offeruntur apti, aptiores eligere, quia sic cauetur in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* ibi. Omnes vero, & singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcunque ius quacunque ratione à sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innouando hortatur, & monet, vt in primis meminerint nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere, quam si bonos pastores, & ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant, eosque alienis peccatis communicantes moraliter peccare, nisi quos digniores, & ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, aut humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.

Tertio certum est, patronum Ecclesiasticum, & à fortiori Episcopum, si ius eligendi ei competit, obligatum esse in beneficiis parochialibus ex approbatis ab examinatoribus digniorem eligere. Quia sic expressè habetur in Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de reform.* ibi. *Episcopus eum eligit, quem ceteris magis idoneum iudicauerit.* & infra; *is quem patronus Ecclesiasticus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur.* & infra; *Episc. eligat digniorem.*

Quarto certum est, si competitores vocentur, vt beneficium illorum digniori conferatur, obligatos esse eligentes digniorem eligere. Quia est tacitus quidam contractus & naturalis obligatio, qua eligentes competitoribus obligantur ad hanc digniotis electionem faciendam.

6 Controuersia igitur est, an ex vi institutionis beneficiorum, & spectata eorum natura debeant sub graui obligatione dignioribus conferri; Negant plures hanc esse obligationem, Gloss. *in cap. licet ergo qui præstantior.* 8. *quæst.* 1. *cap. constituit verbo magis vtilem de appellat. quoniam. verbo qui maioribus. de iure patronat. cap.* 2. *de officio pastoris, & aliis in locis verbo sanctior.* consentit, Perusius *in dicto cap. constituit*, & ibi Imola & Francus *num.* 4 Rochus *de iure patronat. verbo honorificum. q.* 15. *ad finem*, & alij. Moueri possunt, quia beneficia instituta sunt in stipendium laboris iis qui beneficiis deseruiunt, non tamen vt præmia laborantibus proposita, vt in sequentibus dicemus. Sed ex hac ratione non infertur beneficia danda esse digniotibus, sed sufficere, si dignis dentur. Quod exemplo œconomi, & dispensatoris manifestari potest, cui dominus vineæ mandaret conductos operarios in vineam suam signato stipendio, & in stipendium signatum non teneretur meliores quærere, sed placet satisfaceret, si sufficientes conduceret; quia labor pertius adæquat stipendio oblato. Quod si dominus eius præciperet meliores conducere, aduersus obedientiam, & fidelitatem debitam peccaret, illos omitens; nullo tamen modo aduersus iustitiam commutatiuam, vel distributiuam. Idem dignior electus non tenetur beneficio seruire ea qua potest diligentia, sed satisfacit si eam impendat, quam dignus præstaret. Aliàs condemnandi essent plures beneficiati, eo quod spectatis eorum dotibus remissi sunt, esseruce occasio plurium scrupulorum. Quocirca in *cap. graue nimis. de præbendis*, dicitur, vt prætermissis indignis idoneos assumant. Idem colligitur ex *cap. cum nobis, de elect.* & ex Trident. *sess.* 7. *c.* 3. *de reformat.* ibi *personis dignis, & habilibus.* Ergo facta electione digni, etiamsi dignior prætermittatur, nullum est peccatum. Adde, præter electionem ad Episcopatum, & beneficia curata prouidenda per concursum nullibi cauetur digniorem esse eligendum. Ergo non est hæc obligatio imponenda. Antecedens probo discurrendo per textus, qui hanc videntur obligationem insinuare. Nam *text. in c. Metropolitano.* 63. *dist.* dicit. *Ex presbiteris eiusdem Ecclesiæ, vel diaconis optimus ordinetur.* Qui text. præterquam quod de Episcopatibus, loquitur, non videtur præceptum continere, sicut neque *cap. Moyses*, quod solum condemnat eos, qui in electionibus Ecclesiarum sanguini potius quam morum honestati attendunt, neque curant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti. Quibus in verbis condemnat Hieronymus electores, qui humano fine potius, quam Dei honore mouentur, At ex illis non videtur inferri præceptum eligendi digniorem. Item in *cap. licet.* 8. *quæst.* 1. inquit idem Hieronym, *qui præstantior est, ex omni populo qui doctior, qui sanctior, quis in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.* Quæ verba signant quod de facto in Ecclesia fit in electione ad Episcopatum, qui sub nomine sacerdotij ibi intelligitur, non autem imponunt præceptum præcipue cum Hieronym. legislator non sit. Efficacius vrgent *text. in cap. ex elect. de officio custodis*, & *text. cap. vnico. vt Ecclesiast. benefic. sine dimin. conferant*, Nam *in cap. custos*, dicitur. *Ad officium custodis tales ordinentur, quales meliores, & sanctiores esse viderint, vt nulla negligentia in sancta Dei Ecclesia videatur*, & in *cap. vnico vt Ecclesiast. benefic.* inquit Innocent. III. condemnans electionem Archiepiscopi Mediolan. factam cuiusdam clerici in cancellarium. *Debuisti Ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Sed neque hi textus multum obstringunt. Nam *cap. custos*, non de rigoroso præcepto sed de consilio potest intelligi. Caput vero vnicum condemnat Mediolanen. quia inceptum ad officium elegit, cum deberet in persona magis idonea beneficium dispensare. Si enim electus esset magis idoneus, non condemnaret Pontifex Archiepiscopum, vt satis colligitur ex illis verbis, quibus se satisfactum illi profitetur, si ipse Archiepiscopus ostenderet, quod prædictam cancellariam personæ idoneæ, modo canonico, & tempore competenti donasset. Alia autem exempla Scriptura adducuntur ad probandam electionem [illegible] dignioris, vt est exemplum Sauli, Moysis, & [illegible] ec non necessitatem, sed conuenientiam indicant.

Propter

7 Propter hæc aliqui doctores distinctione vtuntur inter beneficia curata, & sine cura. Et de beneficiis curatis affirmant esse peccatum mortale eligere dignum omisso digniori, secus in beneficiis simplicibus. sic Angel. *verbo electio. num.* 21 Gabr. 4. *dist.* 15. *quæst.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. *proposit.* 2. Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *num.* 172. *& num.* 182. Ioann. Gutierrez. *canon. quæst. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 12. *&* 28. Vega *in sum.* 2. *par. cap.* 17. *casu* 1 Nicol. Garcia. *de benific.* 7. *par. cap* 16. *num.* 16. *&* 17. Priorem partem de beneficiis curatis probant ex loco alleg. Trident *sess.* 24. *c.* 1. *de reformat.* & ex aliis textibus, & rationibus pro nostra sententia adducendis, Secundam partem sibi persuadent, ne plures prælatos condemnent, quos communiter vident beneficia simplicia, & quidem pinguia sibi familiaribus, & consanguineis conferre, cum tamen præ manibus alios digniores habeant: comparatione enim horum beneficiorum omnes videntur esse æquè digni? cum omnes æquè possint officium diuinum recitare, quod est præcipuum munus horum beneficiorum.

8 Cæterum probabilius existimo in omnibus beneficiis obligationem esse eligendi digniorem ex iis qui eligi possunt; sic expresse D. Thom 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *&* 2. *& quæst.* 185. *art.* 3. Azag. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 4. *in prima conclusione. & quæst.* 63. *art.* 2. Valen. 3. *tom. disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 2. *quæst.* 2. Azorius 2. *part. inst. moral. lib.* 6. *cap.* 5. *quæst.* 1. 8. 9. *& cap.* 21 *quæst.* 5. & *cap.* 26. *quæst.* 12. Couarruu. *reg. peccatum.* 2. *par* § 7. *num.* 4. & 5. Nauarr. *in man. cap.* 17 *num.* 73. *& de orat. miscellan.* 38. *& seq.* Vasquez *opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *dub.* 1. *num.* 50. Molin. *de Hispan. primogen. lib.* 2. *cap.* 5. *à num.* 50. & alij plures, quos refert. Garcia 7. *part. de benefic. cap.* 60. *num.* 2. quodque pluribus Patrum sententiis confirmari potest, præcipuè Augustin. *epistol.* 29. *ad Hieronym. non procul. à fine.* Leo *epist.* 84. *cap.* 9. Bernard. *lib.* 4. *de consider. ad Eugenium & in declamat. cece nos reliquimus omnia.* D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 63. *art. ticul.* 2. *ad* 1. *& ad* 7.

Ratio qua moueor est, quia ius canonicum non tam præcipit in beneficiis digniorem eligere, quam huius electionis præceptum supponit. Nam in *cap. vnico. vt ecclesiast. benefic. sine diminut. confer.* damnat Innocent. III. Mediolan. Episcopum, quod beneficium cancellat. consanguineo; seu familiari donasset *Debuisti* (inquit) *ecclesiasticum officium*, *& beneficium in persona magis idonea dispensare.* Supponit ergo hanc esse obligationem, & licet hic textus explicari posset de persona idonea; quia electus fortè dignus non erat, clarior tamen est hæc explicatio, & textui conformior. Item Trid. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 1. inquit mortaliter peccare eos, qui diligenter non curant Ecclesiæ præfici, quos digniores, & ecclesiæ magis vtiles indicauerint. Et licet hic textus de Episcopatibus loquatur, eam eadem ratio sit in omnibus beneficiis curam animarum habentibus, idem est intelligendum. Adde *cap. vnico. vt ecclesiast. beneficia*, non de beneficio curato, sed simplici loquebatur. cum autem nullibi videatur hoc præceptum expressum, dicendum est per traditionem haberi ab ipsomet exordio iustitutionis beneficij. Credendum enim est ecclesiam instituendo beneficia simul præcepisse, vt ex dignis digniores eligerentur; quia id sibi erat vtilius. Neque in beneficiis simplicibus inueniofirmam excusationis rationem; cum negari non possit vtilius esse ecclesiæ in ea præfici sanctiores, & doctiores; nam licet manus docti, sancti, & prudentes æquè possent ac doctiores, & sanctiores officio diuino satisfacere; at quo digniores sunt ministri, eo ecclesiæ maiorem decorem, & autoritatem præstant. Vsus autem conferendi hæc beneficia simplicia dignis, cum digniores præ manibus habeantur, in causa non est, quominus negemus obligationem esse præferendi digniores. Tum quia hic vsus abusus nuncupari debet Tum quia excusantur plurium, grauiumque doctorum opinione eos ab hac obligatione excusantium, cuius contrarium nobis probabilius apparet,

9 Ex his fit satis argumento primæ sententiæ Admitto beneficia non esse instituta in præmium beneficiatorum, sed in eorum stipendium ob laborem impensum Quia in hac institutione non clericorum, sed ecclesiæ vtilitas fuit spectata; at inde non infertur digniores præferendos non esse, cum sic ab ecclesia fuerit statutum. Fateor tamen omissionem dignioris non esse contra iustitiam distributiuam, vel commutatiuam ob rationem ibi assignatam; quia posito quod beneficia non sunt in præmia clerici statuta, nulla potest esse læsio iustitiæ ex dignioris omissione. Ad confirmationem respondeo, nullum beneficiatum obligatum esse maiori diligentia, qua potest beneficio inseruire; sed satisfacere si sufficientem diligentiam præstet; sed non inde infertur excellentiorem ministrum non esse præficiendum; quia hæc obligatio aliunde quam ex beneficio nascitur, scilicet ex speciali ecclesiæ præcepto illius institutioni annexo, quo cauetur digniores ministros esse ecclesiæ præficiendos, quod præceptum supponitur in loco allegato Trident. & Patres, & doctores Communiter supponunt cum ipsa institutione beneficii promulgatum esse

10. Supradictæ conclusioni aliquas limitationes adhibent doctores. Prima, quam supra tetigimus; est de patronis laicis qui non videntur teneri digniores eligere, sed satisfacere, si dignos eligant. Et quidem si ipsi sint beneficiorum fundatores, res est omnino certa; cum possint quemlibet modo dignus sit, designare, vt beneficio inseruiat, & illius bonis fruatur, & deciditur expresse in *cap. monasterium* 16. *quæst.* 7. *& ibi glossa. & communiter scribentes.* Cæsar Lambertin. *de iure patron. lib.* 2. 1. *par. quæst.* 10. *art.* 3. *num.* 17. Couarruuias *in reg. peccatum* 2. *par.* §. 7. *n.* 5. *vers. quarto.* Domin. Soto *de iustit. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 2. *col.* 14. Vasquez *opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *dub.* 4. Molin. *de Hispan. primogen. lib.* 2. *cap.* 5 *n.* 69.

At si successores sint, communior sententia docet debere ex eligendis digniorem eligere, quia præsumere debemus fundatorem voluisse, vt eius successores modum electionis ab ecclesia præscriptum seruent? sic Azorius 2. *part. instit. moral. lib.* 6. *cap.* 25. *quæst.* 8. *& cap.* 21 *quæst.* 5. Gutierrez *canon. quæst. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 19. *& 26. & seq.* Couarruuias, Molina, & Soto *supra.* Quod efficatius procedit, cum eorum arbitrio, & iudicio electio commissa sit. Quia tunc quasi iudex eligendorum constituitur, vt secundum iudicium rectum, & bene regulatum procedat, ac proinde digniores dignis præferat, vt expresse notauit Molin. *disp. cap.* 5. *num.* 70. & Vasquez *dub.* 4. *n.* 72.

Verum mihi satis probabile, & secutum apparet patronos fundatoris beneficiorum successores obligatos non esse digniorem ex eligendis eligere, sed satisfacere suæ obligationi, si dignum eligant, modo aliud expresse in fundatione cautum non sit. Moueor; quia hi patroni in iure fundatoris succedunt, & ius, quod fundator habebat ipsis relinquit At fundator poterat dignum omisso digniore, eligere. Ergo idem facere possunt ij successores patroni. Quod certum esse debet, quoties fundator liberam eligendi facultatem dedit ipsis patronis. Fauet huic sententiæ non leuiter Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reformat.* præcipiens patronis ecclesiasticis ex approbatis digniorem eligere, & in patronis laicis sola electione digni contentum est. Præterea vsus obtinuit absque prælatorum contradictione, vt patroni laici quem idoneum iudicant, eligant? quin prius inuestigauerint an essent alij digniores; imo esto ipsi se illis offerrent. Quem vsum tacite vidctur Trident. approbasse, cum in illorum præsentatione concursum non expostulauit, sicut expostulauit in ecclesiastico patronatu, sic Lambert. *de iure patron. lib.* 2. *quæst.* 10. *art.* 3. *n.* 17. Petr. Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *n.* 230. Garcia *de benefic.* 7. *p. cap.* 16. *num.* 19. Bannes 2. 2. *q.* 63. *dub.* 4. *concl.* 3. Manuel. Rodr. 1. *1. sum. cap.* 106 *sub num.* 8. Petrus Ledesm. *in sum.* 2 *p. tract.* 7. *concl.* 7. *cap.* 2. *difficul.* 9. Nicol. Garcia 7. *p. de benefic. cap.* 16. *num.* 19. Neque aduersus hanc sententiam obstat Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* dicens eos mortaliter peccare, qui quos digniores, & ecclesiæ magis vtiles præfici non curauerint. Quia loquitur textus, non de nominatione, seu præsentatione; sed de electione, vt constat ex princ. illius c. ibi, *in electione.* Ex quibus verbis limitanda sunt subsequentia generalissima, quibus cauetur peccare omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque ius quacunque ratione à sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, &c. in electione inquam, non in præsentatione, seu nominatione. Adde, si de præsentatione hoc decretum esset intelligendum deberet intelligi de iis patronis, qui ius præsentandi haberent ex priuilegio sedis Apostolicæ, non ex maiorum fundatione. Illos autem patronos ex priuilegio credendum est obligatos esse dignioresligere. Quia præsumi debet ius præsentandi illis esse concessum, prout ecclesiæ vtilius est. sic Vasq. *opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *dub.* 5. cum Couarruuias *reg. peccatum.* 2 *part.* §. 7. *num.* 5.

11 Secundo limitant alij supradictam doctrinam, quibus libenter assentior, vt non procedat in renunciatione, seu permutatione beneficiorum, in quibus casibus renuncians, seu permutans non videtur obligatus digniorem eligere sed sufficere, si dignum eligat. Quia ipse propriè non eligit, sed ius quod habet in alterum cedit. Nullibi autem cauetur in hac cessione digniorem esse quærendum. Non igitur renunciantibus, aut permutantibus hoc onus imponendum est. Adde neminem esse obligatum sub graui culpa loco sui dignissimum ministrum substituere, sed sufficienter satisfacit, si dignum substituat, Ergo neque ad id est obligatus per renuntiationem. Præterea renuncians digno beneficium, neque offendit Ecclesiam, cum satis idoneum ministrum illi conferat, neque digniores, cum ipsi nullum ius habeant; præcipuè cum tale beneficium non debeat inter communia bona computari: est enim proprium renuncians. Ergo ex nullo capite apparet obligatio quærendi digniorem: & ita tenet Azorius 2. *par instit. moral. lib.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 13. *fine num.* 61. & probabilem reputat Vasquez *opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *dub.* 7. *fine num.* 77. Et in casu quo renunciaret in æquè dignum, ac ipse est qui beneficium possidet tametsi alij digniores offerantur, docet Nauarr. *de orat micell.* 38. *num.* 7. *fine.*

12 Tertio limitant alii, & bene, vt non procedat casu quo dignissimus eligi non possit, & eligens minus dignum cuito

cuito in ligni electionem; tunc enim optimè possum, & debeo suffragium ferre pro minus digno, digno tamen, & sufficiente; quia Ecclesiæ negotium vtiliter gero, prouidens ei ministrum dignum, & remouens indignum. Dignissimum autem non offendo; cum meum suffragium non possit illi prodesse: sic docet Gutierrez *lib.2.canon.quæst.cap.* 11. *num.* 60. Lessius *lib.* 2. *cap.*34. *dub* 13. *num.*60. Vasquez *de benefic.cap.*2.§.2 §.3. *dub.*3. *num.*65. & 66. Quod si omnes eligendi non sunt æquè digni, sed vnus dignus, alius dignior, alius dignissimus, sciamque meum suffragium non dignissimo profuturum, sed potius inde occasionaliter infirmum esse victorum; si autem medio applicem suffragium, habiturum effectum, possum huic applicare omisso dignissimo ob rationem supradictam: quia vtiliter Ecclesiæ negotium gero, cum dignum ministrum illi confero, & remoueo minus dignum, & dignissimum non offendo, cum ei non tenear applicare suffragium, nisi adsit spes fructus. At non teneor huic mediocri suffragium applicare, sed possem dignissimo conferre, tametsi nihil proficiam, quia ex hac applicatione Ecclesiæ damnum non facio, cum absolutè minister dignus ei proficiatur, quod vero non proficiatur magis dignus mihi tribuendum, non est, qui cutaui dignissimum præficere, sed aliis infirmum eligentibus: & ita docet Vasquez *supra*.

13 Quarto limirandum est, nisi Ecclesiæ vtilius foret digniorem prætermittere, vt beneficio magis indigenti præficeretur; contingere enim potest beneficium aliquod pingue Ecclesiæ Toletanæ non expostulare ipecialem scientiam, & doctrinam in beneficiario, quam tamen expostulat beneficium Toletanum minus digno conferri, & digniori beneficium Ecclesiæ Granatensis; poterit enim tunc beneficium Granatense; quia in hac electione beneficiorum, non tam vtilitas eligendorum, quam Ecclesiæ spectanda est; sic expræsse Sotus *lib.* 3. *de iustit. quæst.6.art.* 2. Lessius *lib.2.cap.*34. *dub.* 13. *num.* 59. Rebell. 1. *part.lib.3.quæst.*5. *circa finem.* Vasquez *episc.de benefic. cap.* 2. §. 3. *dub* 1. *num.*58. Gutierrez *lib.2.canon.quæst.cap.*11. *n.* 40. tametsi contrarium teneat Ledesm. 2.4. *quæst.* 18. *articul.* 2. *fol.* 156.

14 Sed inquires, an idem dicendum sit in electione prælati religiosorum: debeantne electores, sub graui culpa, quos iudicant digniores præferre? Affirmat communis sententia, qui eadem videtur esse ratio, ac de beneficiis curam animarum habentibus, cum ipsis religiosorum cura incumbat, & totius conuentus, & religionis gubernatio. Neque leue detrimentum religioni eueniet ex digniorum omissione, viaque esset aperta ambitioni; & occasio vt fortè indigni præficerentur. Debent ergo digniores eligi: & ita docet Rebell. 1. *part.de abligat. instit. lib.*3. *quæst.*4. *num.* 11. *& quæst.* 5. *num.* 5. *vers. quinto.* Sotus *lib.*3. *quæst.*6. *art.*1. Vasquez *opusc. de benefic. cap.*2.§.3. *dub.* 2. & habetur *Authent.de monachis. cap.* 9. §. *ordinationes.* ibi; *ex monachis ille præficiatur in Abbatem, qui inter alios optimus extiterit.* Fateor hoc esse consulendum. At spectato iure communi, & seclusis specialibus religionum constitutionibus; non video firmum fundamentum huius obligationis. Nam esto eadem ratio procederet in prælatura religionis. ac in beneficiis curatis, seu prælatura Ecclesiæ sæcularis; non inde infertur nasci eandem obligationem, si præceptum ad electiones regulares extensum non est, quia lex ob similitudinem rationis extendi non debet ad casum sub lege non comprehensum, Præterea, quia non est eadem ratio in prælatura religionis, quæ facilè amouetur & temporalis est, quam in prælatura Ecclesiæ perpetua, & difficulter amobili. Adde in electione beneficiorum hoc præceptum haberi ex traditione, vt supponere videtur Trident. *sess.*24. *c.*1. & 18. quod tamen non supponitur de religiosorum prælaturis.

15 Sed quid dicendum de electionibus ad officia sæcularia gubernationis reipublicæ, debeantne electores digniorem eligere?

Plures negant hanc esse obligationem, sed sufficere, si idonei eligantur. Quia nullibi est latum præceptum de tali electione, & non sunt obligationes multiplicandæ absque firmo fundamento. Neque enim hæc officia sunt bona communia; sed propria principis, cui gubernatio reipublicæ competit; ac proinde ea vt sibi placuerit distribuere potest, modo inter ministros idoneos distribuat. sic Caiet. *in sum. verbo electio col.* 4. Bartol. Fum. *eodem verbo. num.* 5. & præ omnibus Vasquez *opusc. de benefic. cap.* 2.§. 3. *dub.* 13. *à num.* 96. Quapropter plures doctores censent hæc officia vendi à principe posse, vt relato S. Thom. Soto, & aliis tradit optimè Vasquez *supra dub.* 14. Quod certè illicitum esset, si digniori officium deberetur.

Nihilominus contrarium semper consulendum est ob bonum reipublicæ, & tenendum illis in locis, quibus ius commune habet rationem legis. Nam ipso videtur hoc expresse caueri *Authent. vt iudices sine quoquo suffragio* §. *eos autem.collat.* 2. ibi. *honestiorum quorundam administrationem dirigere*; & infra *testimonium habeas quidem quia sit optimus.* Item *text. in Authent. de defensoribus ciuit. in princ.vers.interim* ibi; *sed inuicem vniuersi nobiliores.* vbi Glossa *verbo nobiliores*, inquit, *Nota nobiliores esse eligendos*, quam ibidem doctores sequuntur. Item *lex ad subeunda Cod. de Decurionib. lib.* 10. ibi; *dignissimis meritis & facultatibus.* Thom. Gramat. *conf.*6. *num.*12. *leg.* 1. *tit.*4. *lib.* 2. *in noua legum regni collectione*; quibus omnibus idem probat Molin *de Hispanor. primogen. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 96. & Gutierrez *lib.* 2. *canonic. quæst.cap.*11. *num.* 41. Rebell. 1. *part. de obligat. instit. lib.*3. *quæst.*14. *num.* 14. Sotus 3. *de instit.*3. *art.* 3.

16 Postremo dubitabis an pater, vel mater instituens maioratum authoritate regia, vel melioratione facta ex tertia, & quinta bonorum parte iuxta leges regni teneatur digniorem filiorum eligere? Videtur teneri; quia non est iustum, vt parens in hac dispositione affectu carnali ducatur, sed rationeiae proinde meritis filiorum spectatis; fauetque *lex fœmina. Cod. de secundis nuptiis*: vbi mater lucta prioris matrimonij inter illius filios distribuens obligata est distributionem facere iuxta illorum merita. Adde tempore veteris legis plures minores natu, quia digniores, prælati sunt maioribus, vt contigit in Abel, qui prælatus fuit Caïn; Isaac Ismael, Iacob Esau; Iudæ Ruben; Salomon Adoniæ, & aliis; & ita in hac institutione, vel melioratione præferendum esse digniorem docuit Palacios *Rub.in repetit.c.vestras.in* 3. *notabili.*§.26. *num.*1. *cum seqq. de donat. inter vir. & vxor. fol.* 99. & 100. Atchiepiscop. Florent. 3 *par. sum. tit.*10. *cap.*1.§.2. Segura *in repetit. leg. vnum. familia.*§. *sed. si fundum. ff. de legat.* 2. *num.* Ludouic Gomez *in cap.2. de constit. lib.6. num.*23. Anton Gomez *leg.*17. *Tauri. n.*18. Simanc. *de catholic. instit. c.*8 *num.*12. & *de primogen. Hispan. lib.* 3. *c.*3.

Contrarium omnino tenendum est, nullam scilicet esse obligationem patenti instituenti maioratum, meliorandi digniorem, se posse quem velit eligere, modo dignus sit: sic Couarruuias *reg. peccatum.*2. *part.*§.7. *num.*7. Nauar. *sum. c.*26. *num.* 37. Peralta *in leg. cum quidam. num.*2. *ff. de legat.*2. Spino *speculo testament. gloss.*18. *in princ. num.*6. Ludouic. Molin. *de Hispanor. primogen. lib.*1. *cap.*5. *à num.*60. Ioann. Gutierrez *canon. quæst. l.* 2. *cap.* 11. *à num.*60. Ratio est, quia nec iure naturæ, neque positiuo obligatur pater in hac dispositione meliorem eligere. Non quidem iure naturæ, cum non de bonis communibus, sed propriis, & alteri non debitis disponat Non iure positiuo: si quidem nulla lege arctatur ad hanc electionem: imo potius leg. 18. *Tauri*, permittitur hæc melioratio pro quolibet filio, quem pater maluerit.

Neque contrarium argumentum vrget. Nam solum probat ad honestatem, & moralem obligationem pertinere eligere meliorem, non tamen probat legalem obligationem ibi interuenire, Neque ex *leg. fœmina*, id colligitur. Nam ibi spectantur merita filiorum; quia mater non de bonis propriis, sed mariti disponit, & sub ea forma relictis, vt merita in tali dispositione attendar. Exempla illa veteris testamenti trahenda non sunt in consequentiam, cum id factum fuerit ob varias significationes, neque illa aliquam obligationem modo seruandam inducunt.

§. III.

An valeat electio digni, omisso digniori.

1 *Valida est electio, tametsi electores se adstringerent iuramento ad eligendum digniorem.*
2 *Excipe beneficia curata per concursum prouisa.*
3 *Quam exceptionem non admittit Garcia, sed reiicitur, & sat satis eius fundamentis.*
4 *Posita appellatione si iudex ad quem ferat sententiam pro appellante, plures censent remouendum esse prouisum ab ordinario à possessione.*
5 *Probabilius est oppositum.*
6 *Satisfit rationi dubitandi.*
7 *Duo aduertenda pro superiori doctrina.*
8 *Si iudex ordinarius non misit electum in possessionem beneficij, poterit iudex appellationis mittere eum, pro quo fuit sententiam.*
9 *Quid si electus ab ordinario decedat, vel obtineat beneficium an cesset ius appellantis? Probabilius est cessare.*

1 COmmunis est sententia hanc electionem valere, ne subus via aperiatur, neve respublica Christiana perturbetur: sic aliis relatis docet Couarruuias *reg. peccatum.* 2 *par.* 4. 7. *num.*3. Gutierrez *canon. quæst. lib.*2. *cap.* 11. *num.* 15. Molin. *de Hispan. primogen. lib.*2. *cap* 5. *num* 47. Azor. 2 *par. instit. mor. lib.*6. *cap.*15 *quæst* 2. Gonzalez *gloss.*4. *num.*129. Vasquez *opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *dub.*17. *fine*, affirmans esse omnium doctorum, & probat *text. in cap. cum nobis, de electione. cap. nisi cum pridem*, §. *pro defectu. de renunciat. cap. constituti* 2. *de appellation.* Quod adeo verum est, vt etiam si electores se adstringerent iuramento ad digniorem eligendum, adhuc valeret electio digni prætermisso digniori. Quia iuramentum non immutat iuris communis dispositionem, tametsi illud violantes peiuri existant, sic Couarruuias aliis relatis, *supra num. quart.* Gutierr.

Gutierr.*num.*15. Sed quod si ante electionem factam esset electoribus denunciatum, vt eligant digniorem, sin minus ex tunc à tali electione appellari? Abbas *in capit. constitut. de appellat. num.* 6. Decius *ibi num.* 5. Lambertin. *de iure patron. lib.*2. *part.*1. *quæst.*10. *art.*3. censent cassandam esse talem electionem, vtpote factam contra appellationem pendentem. Probabilius tamen est validam esse supradictam electionem, neque infirmandam. Quia talis appellatio iniusta est. Si enim facta electione digni omisso digniore non licet à tali electione appellare, ne electiones, & prouisiones litibus inuoluantur, quomodo ante electionem factam licitum erit hanc appellationem interponere, cum eadem inconuenientia ex antecedenti appellatione, ac ex subsequenti inferantur? Affirmandum ergo est non obstante supradicta appellatione validam & omnino firmam esse electionem digni omisso digniori, talemque appellationem, vtpote iuri contrarium, penitus repellendam. sic Glossa in *c. licet ergo, verbo qui præstantior, ante finem.* 8. *quæst.*1. quam glossam sequitur Imola & Philip. Francus, in *c. constitutis,* 2. *de appellationib.* Couarru. *reg peccatum.*1. *p.*§.7. *n.*3. Azor. 2. *p. instit. mor. lib.*6. *c.*15. *q.*2. Mol. *de Hispan. primogen. lib.*2. *cap.*5. *n.* 48. Gutierr. alios referens, *lib.*2. *canon. q. c.*11. *n.*23. supradicta procedunt spectato iure communi.

1 Sed est specialis difficultas in beneficiis parochialibus, quæ per concursum prouidentur. Hæc enim, vt constat ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reformat.* debent digniotibus ex approbatis ab examinatoribus conferri. Et subdit concilium. *Prouisiones omnes, seu institutiones præter supradictam factam subreptitiæ esse censeantur.* Item extat Bulla Pij V. super collatione parochialium, data 15. *Kalend Aprilis, anno* 1566. quæ est in Bullario 3 2. inter constitutiones eiusdem Pontificis, in qua cauetur posse digniores electos à mala electione appellare, quæ appellatio etsi non suspendat electionis executionem, ac deuoluat electionem superiori, qui cognito de prioris eligentis irrationabili iudicio, priorem electionem cassat, & parochialem magis idoneo confert. Difficultas ergo est; an stante hac constitutione, & Trident. decreto electio digni prætermisso digniori irrita sit ipso iure, an solum veniat irritanda per sententiam? Affirmant plures ipso iure irritam esse, sic in præsenti tradit Gonzalez *in reg.* 8. *Cancell. gloss.*4. *n.*136. Spino *de testamen. gloss.*4. *num.*86. Azeuedo *cons.*9. *à num.*27. indicat Rebell. 1. *p. de obligat. instit. lib.*3. *quæst.*4. *n.*15. *& quæst.* 5. *num.*5. *vers. quinto.* Mouentur; quia in suprad. Trident. decreto & constitutione Pij V. statuitur digniori beneficium esse conferendum, & subditur decretum irritans, & annullans, si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit. Cum ergo vnum ex præcipuis illius decreti Concilij, & constitutionis Pontificiæ sit electio digniori, si hæc non seruatur, irritum erit, & nullum quidquid actum fuerit. Et hæc sententia mihi probatur, eamque Rota comprobauit in decisionibus relatis à Farinacio *in nouiss.* 672. & 674. Genuens. *in praxi. cap.*9. Garcia 9. *p. de benefic. c.*2. *num.*232. & 233.

3 Contrarium tamen defendit Garcia *ibi. à num.*235. cum Vgolino *de officio episc. cap.*50. §.23. *n.*4. Tum quia inde sequeretur collationes factas ab inferioribus Episcopo, & institutiones Episcopi ex præsentatis à patronis Ecclesiasticis esse nullas, si forte non sunt electi digniores, quod non videtur dici posse, cum sic instituentes, & conferentes in culpa non sint, vt potequibus non datur digniorum electio, sed aliis committitur, ipsique mandatur instituere à patronis electos. Tum quia appellatione non obstante mandatur electio executioni. Ergo signum est censeri à Pontifice validam, dum non infirmatur. Tum denique, quia si electio nulla esset ipso iure, etiam non appellante reiecto infirmanda esset, & digniori omisso beneficium conferendum.

Sed hæc non vrgent, vt recedamus à sententia Tridentino, & consultationi Pontificiæ conformi. Fateor enim collationes ex electis ab Episcopo, & institutiones ipsius Episcopi ex præsentatis à patronis Ecclesiasticis nullas esse, si de facto Episcopus, & patroni Ecclesiastici elegerunt dignum omisso digniori. Non quia ipsi in tali collatione, aut institutione culpam commiserint, cum ipsis de mala electione nulla ratione constare possit, sed quia annullata electione, collatio, seu institutio eam subsequens annullatur. Mandatur tamen electio executioni appellatione non obstante; ne Ecclesia detrimentum patiatur ex dilatione proprij pastoris. Et quia præsumendum est, rite, & legitime factam esse. Conceditur autem remedium appellationis, vt si forte minus dignus fuerit electus, repellatur, & digniori conferatur beneficium. Secluſa vero appellatione beneficium digniori non conferatur; quia non potest electus à possessione repelli; quin prius per sententiam constet digniorem fuisse reiectum. Quod tamen nequaquam potest constare, nisi ad petitionem reiecti lis moueatur. Ex his infertur fructus beneficij non facere suos electum, sed digniori esse restituendos cum vicerit, deductis tamen stipendiis obsequio beneficij dignis.

4 Grauior tamen est difficultas, an si posita appellatione iudex ad quem ferat sententiam in fauorem digniotis reiecti, debeat statim executioni mandari; & possessionem beneficii accipere, spoliato eo qui prius fuerat missus in Possessionem?

Videtur affirmandum, ne deterioris conditionis sit digniot quam minus dignus. Si igitur in prima instantia ex sententia ordinarij, missus fuerit minus dignus in possessionem, non obstâte appellatione digniotis, cur in secunda institutione digniot mittendus non est in possessionem, tametsi minus dignus appeller? Alia non seruabitur æqualitas in iudicis contra *text. in cap. statutum.* § *insuper. de refer. in* 6. *cap. in iudiciis* 21. *de Reg. iur. in* 6. *l. fi. Cod. de procurator. l. cum quidam. Cod. de fructib. & litium expensis.* Præterea quia Pius V. concedens appellationem à malo ordinarij electione, solum statuit ex vi talis appellationis ordinarij electionem non suspendi, neque illa pendente electum remoueri. ibi: *Hac autem appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quominus electio per ordinarium primo loco facta debita interim mandetur executioni, & prouisus ab Ecclesia causa appellationis huiusmodi pendente non amoueatur.* Nullo autem modo prohibet pronunciata sententia prouisum ab Ecclesia amoueri; imo tacite videtur id fieri posse, cum tunc non ex appellatione, sed ex sententia superueniente fiat, neque pendente appellatione remoueatur, sed cessante iam appellatione, & effectum obtinente remotio contingat.

5 Nihilominus tenendum est prouisum ab ordinario remouendum non esse, quousque appellans obtineat tres sententias conformes, aut vnam, vel duas, quæ transeant in rem iudicatam. sic Gutierr. *lib.*2, *canon. quæst. cap.*11. *num.*25. Garcia *de benefic.* 9. *p. cap.*2. §.1. *n.*247. Ceuallos *com. contra communes. p.* 897. *à num.*861. Gonzalez *de mensib. & alternat. gloss.*6. *à num.* 163. vbi erudite satis in vtramque partem quæstionem disputat. Ratio est; quia ex constitutione Pontificia, & decreto Trident. appellatio interposita non suspendit executionem sententiæ ab ordinario latæ. At de appellatione interponenda in sententia iudicis appellationis id non cauetur. Ergo talis appellatio relinquitur suæ naturæ: ac proinde non solum deuoluit causam ad superiorem, sed illius executionem suspendit. Præterea Pius V. in sua constitutione dixit pendente appellatione prouisum ab ordinario remouendum non esse; at appellatio non solum in prima instantia, sed in secunda instantia pendet, quousque appellans rem iudicatam obtineat. Ergo prouisus amoueri non debet. Item ratio quæ militat in prima appellatione, ne ob illam sententia ab ordinario lata suspendatur, procedit in secunda, & tertia appellatione. Ratio inquam est, ne Ecclesia absque pastore certo, & firmo existat, neve passim pastores mutentur. Si autem quælibet sententia, sicut & prima ordinaria, mandanda esset executioni, passim rectores mutarentur, innumeræque lites inde nascerentur, tum in perceptione fructuum, tum in remotione vnius, & possessione alterius in graue Ecclesiarum præiudicium, quod Ecclesia vitare debet. Ergo primus prouisus non est amouendus, quousque appellans definitiuè obtineat. Deinde posita electione ordinarij, & executioni mandata cessat via executiua, & succedit ordinaria. Sed causa ordinaria non est mandanda executioni, quousque definitiue obtineatur, vt multis probat Gonzalez *supra.* Ergo, Denique prouisus ab ordinario non solum pro se habet ordinarij sententiam, sed etiam illius executionem, & beneficij possessionem. Non igitur ab hac possessione ob sententiam iudicis appellationis remouendus est; quia pendente lite neque innouandum est, nec possessor à possessione deturbandus.

6 Neque ratio dubitandi vrget. Negamus enim deterioris conditionis esse digniorem, quam minus dignum. Tum quia appellans non est censendus digniot ex prima sententia iudicis appellationis; potius enim deferendum est ordinario, de quo Trid. præsumit rite esse electurum, vt pote cuius magis interest conuenientiorem ministrum suis ouibus designare. Tum quia electus ab ordinario habet non solum sententiam, sed illius executionem, quia necessario esset spoliandus, si secunda sententia mandanda esset executioni. Quapropter est magna differentia inter primam sententiam ordinarij, & alias sententias: nam prima sententia ordinarij neminem remouet à possessione: ac proinde executioni mandari potestiat secunda sententia debebat prouisum ab ordinario à possessione repellere. Non ergo est mirum, quod executioni non demanderur, sed per appellationem suspendatur. Ad confirmationem ex probatione nostræ conclusionis liquet.

7 Duo tamen aduertenda sunt. Primum, raro posse appellantem obtinere in sui fauorem declarationem digniotis, siquidem non tam ex scientia, quam ex vita, & motibus, prudentia, diligentia, aliisque dotibus ad gubernandum, & ministrandum beneficium dignitas desumitur. Vnde etsi reiectus scientia, morumque honestate electum præcedat; vinci tamen potest prudentia, diligentia, aptitudineque ad gubernandum. Quomodo ergo iudicium ordinarij damnandum est vt irrationabile? Difficile sane erit, vt benè aduertit Gonzalez *reg.* 8. *cancell. gloss.*4 *num.*21. *& seqq.* Secundo est aduertendum appellantem ab iniqua electione ordinarij, & obtinentem sententiam in curia contra possessorem beneficij, obtinere simul, vt apponatur sequestrum, iuxta *clem.* 1. *de sequestrat. possess. &*

fructuum. Quod tamen sequestrum semel positum non remouetur, tametsi postea possessor obtineat aliam sententiam in sui fauorem, vt relato Puteo *decis.*133 *num.*1 *& decis.*305.*num.*2. *lib.*1. tradit Gonzalez *gloss.*6.*num.*214. Garcia 9.*p. de benefic.c.*2. *n.*248. Dixi *si appellans obtineat sententiam in curia*: nam ex alterius sententia sequestrum non apponitur, vt bene notau t Gloss. *suprad.clem. verbo promulgata.*

8. Sed quid dicendum cum iudex ordinarius, à quo appellatur, non misit electum in possessionem beneficij? Credo tunc posse iudicem appellationis cum mittere, pro quo sententiam fert, non obstante appellatione prioris electi. Quia tunc prior electus non spoliatur possessione, & ex alia parte iudex appellationis in causa possessionis est primus iudex. Quod à fortiori est dicendum, quoties aliquis ex competitoribus ante electionem ordinarij appellat à grauamine sibi facto. v. g. quod non admittatur ad examen, vel quod aduersarius admittatur, vel quod non concedatur terminus competens, & alia similia, pro quibus dari potest appellatio. *cap.*1. *de dilationib. cap. ex parte. el.*2. *de appellation.* ob cuius appellationem, si iudex appellationis non solum iudicat de illo articulo, sed iudicium ferat de causa principali, vt aliquando facere potest, vt tradit Couar. *pract. quæst. c.*9. *per totum.* In tali casu à se electum mittere poterit in possessionem, sicuti si ordinarius iudex esset. Quia est primus iudex, neque aliquem à possessione spoliat: sic optime notauit Gonzalez *reg.*8. *Cancell. gloss.*6. *num.*222.

9. Insuper inquites, an si electus ab ordinario, & missus in beneficij possessionem, à qua electione reiectus appellauit, decedat, vel aliud beneficium incompatibile obtineat, eo ipso extinguatur ius appellantis? Garcia 9. *p. de benefic. c.*2. § 1 *n.*254. negat extingui; quia esto ad examen non possit primo possessorem beneficij prouocare, aliis tamen viis probare poterit se digniorem esse, & iniustè fuisse reiectum. Mihi tamen contrarium placet. Quia non video qua ratione pro appellante ferri possit sententia iniustè fuisse prætermissum, si electus non tenetur se defendere. Adde in sententia Garciæ affirmantis electionem digni omisso digniori, validam esse, esto veniat rescindenda, est manifestum, non posse appellantem ius appellationis prosequi; quia appellans non potest obtinere sententiam in sui fauorem, nisi simul obtineat, vt rescindatur electio prius facta; at electio prius facta rescindi non potest, cum potius morte electi sit extincta, & beneficium vacet. Ergo appellans non potest prosequi ius appellationis.

§. IV.

An teneatur ad restitutionem eligens dignum omisso digniori, cum digniorem eligere tenetur;

1 *Eligens indignum ad restitutionem obligatur.*
2 *Eligens dignum omisso digniore, non est obligatus restituere Ecclesiæ.*
3 *Digniori esse obligationem plures negant.*
4 *Alij affirmant.*
5 *Resoluitur probabilius esse, obligationem nullam esse restituendi.*
6 *Excipe beneficia, quæ competitorum concursu prouidentur.*

1 SI elector indignum eligit, omnes conueniunt obligationem habere reparandi Ecclesiæ damna inde secuta; quia iniuriam Ecclesiæ intulit, & contra obligationem debitam proprio officio processit. Quapropter solum de electione digni omisso digniori est controuersia, an restitutio aliqua facienda sit, & cui est facienda?

2 Et quidem nullam esse obligationem restituendi Ecclesiæ mihi certum est; quia Ecclesiæ nulla irrogatur iniuria, cùm competens minister assignetur ei, cuius labor stipendio sibi dato adæquatur. Et confirmo si dominus vineæ vellet, vt in eius vinea conducerentur operarij præstantes tu verò prætermissis diligentioribus diligentes conduceres, quorum labor adæquaretur stipendio, non esses obligatus aliquid domino restituere; quia nullam illi iniustitiam facis, cum laborem offeras stipendio æqualem, sic in præsenti, & tradit Lessius *lib.*2. *de iustit. cap.*34. *dub.*15. *num.*74. Molin. *de Hispano. primogen. lib.*2. *cap.*5. *num.*57 Dices. Eccle sia episcopalis ministris decimas concedit ea conditione vt suum officium rectè exequantur, & consequenter, vt digniorem ministrum eligant in concursu digni. Ergo cum dignum eligunt, digniori omisso, obligationem iustitiæ lædunt ex decimali contractu ortam. Ergo tenentur reparare, quanti æstimabitur defectus dignioris prætermissi: Respondeo cum Petro Nauarra *lib.*2. *de restit. cap.*2. *num.*186. concessione decimali non imbibi obligationem eligendi digniorem, neque expressè, vt de se constat, neque tacitè. Quia decimæ dantur Episcopo, vt pastores eligat non cum obligatione, & conditione eligendi digniores, sicuti non dantur cum obligatione concionandi, & gubernandi meliori modo quo possit, tametsi dentur sub obligatione concionandi, & gubernandi, ministrandique officium plenè, & sufficienter.

3 Digniori autem prætermisso est difficultas; an debeas aliquid restituere? Quia in re est prima sententia negans; quam tradit Adrian. *in 4 tract. de restitut. cap. quia iam determinatum est.* Nauarr. *cap.*17. *num.*72. *& seqq.* Sot. *de iustit. lib.*4. *quæst.*3. *art.*3. *ad* 6. Couarruuias *reg. peccatum.*2. *part.* §.7. *num.*6. Mol. *de Hispan. primogen. lib* 2. *cap.* 5. *num.* 57. Gutierrez *lib.*2. *canon. quæst. cap.*11 *num.*47. Valent. 3. *tom. disp.* 5. *quæst.*7. *punct.*2. 6. *quæst.* Tolet. *lib.*5. *cap.*4. *vers.*4 *cap* 78. Azor. 2. *part. instit. mor. lib.*6. *cap.*15. *quæst.*2. Lessius *lib.*2. *cap.*34. *dub.*5. Rebell. 1. *part. lib.*3. *quæst.*4. *&* 5. & alij.

Fundamẽtum est; quia obligatio restitutionis nasci non potest nisi ex læsione commutatiuæ, iustitiæ at nemo ante electionem vel præsentationem ius habet iustitiæ, vt beneficium sibi conferatur. Ergo digniori prætermisso nulla est obligatio restitutionis. Minorem probo; quia beneficium est stipendium ministrorum laborantium in vinea domini; datur enim ob officium ibi impensum. Non tamen est præmium ministris ob eorum dignitatem constitutum, neque stipendium ob laborem, quem ante acceptationem beneficij expenderint. Ergo dignioribus ministris non est beneficium specialiter debitum. Item si beneficium digniori esset specialiter debitum, dignus cui esset collatum, obligaretur illud dimittere. Tum ratione iniustæ acceptionis. Tum ratione reiacceptæ, quam in digniorem transferre potest. At nullus accipientem hac obligatione adstringit. Ergo neque electorem illa adstringendus est. Præterea non sunt obligationes multiplicandæ absque firmo fundamento, at nullum apparet firmum huius obligationis. Nam esto Ecclesia electoribus præcipiat digniores ministros eligere, ipsique infideles existant digniores omittendo, cum ipsis eligendis nullum speciale ius concesserit; non videtur contra iustitiam aduersus eligendos peccare, sicuti non peccaret contra iustitiam œconomus, cui dominus vineæ præciperet, vt conduceret ex suæ vineæ, quos operarios digniores inueniret, tametsi infidelis, & inobediens esset. Adde, si beneficia tamquam bona communia essent clericis debita, ob eorum dignitatem, collatio facta digno, omisso digniore, nequaquam subsisteret, vt pote de re aliena, & alteri debita, consequens nullo modo à doctoribus admittitur. Ergo dicendum est nequaquam digniori beneficium propriè deberi,

4 Secunda sententia præcedenti contraria affirmat digniori prætermisso esse restitutionem faciendam, quantum æstimari potest ius, & spes, quam habet beneficij consequendi. sic Paludan. *4. dist.*15. *quæst.*2. *art.*2. *num.*12. Caietan. 2. 2. *quæst.*62. *ar.* 2. *ad* 4. *in* 3. *dubio.* Aragon. *ibi, art.* 2. Salon. *quæst.*63. *artic.*4. *controu.*3. *concl.*4. *& ibi* Bannes. Siluest. *verbo restitutio.*3. *quæst. vlt. vers.*2. Ioann. Lopez *instruct. conscient.*1. *t. cap.*125. *&*127. Petr. Nauarr. *lib.*2. *de rest. cap* 2. *num.*176. Man. Rodr. 1. *t. sum. cap.*108. *num.*6. Bart. Med. *in sum. lib.*1. *cap.*14. § 32. Petr. Ledesm. 2. *p. tract.*8. *cap.*4. *concl.*1. Gab. Vasq. *opusc. de benefic. tract.* § 3. *dub.*17.

Ratio præcipua est, quia communiter doctores tradunt omittentem digniorem, & conferentem digno beneficium peccare peccato acceptionis personarum, & contra distributiuam iustitiam. Ergo obligatur digniori damnum factum reparare. Tum quia respectu illius fuit iniustus distributor, in qua iniustitia permanebit, quousque digniorem prætermissum indemnem seruet. Tum quia aduersus obligationem proprij officij deliquit, ratione cuius obligatus erat dignioribus beneficia impertiri.

5 In hac graui, & perdifficili quæstione dicendum est probabilius esse nullam esse obligationem restituendi dignioribus prætermissis, cum dignus eligitur ad beneficia, quæ absque præuio examine, æmulatione, & concursu competitorum prouidentur. Moueor authoritate, & fundamentis primæ sententiæ. Nullus enim, tametsi dignissimus sit, habet ius ad beneficium, nisi sub conditione, quod conferens ei voluerit conferre. Ergo antecedenter ad hanc voluntatem solum habet ius ex quadam decentia, & proportione in eius dignitate fundata, quæ petit, vt potiùs ipsi, quam aliis beneficium conferatur, sicuti operarij digniores ius hoc imperfectissimum habent, vt potius ipsi, quam alij ad laborem vocentur, non tamen ex iustitia hanc vocationem petere possunt; sic in electione beneficiorum, quæ absque præuio examine, æmulatione, & competitorum concursu prouidentur, contingit. Neque elector in eligendo digno ad hæc beneficia omisso digniori, committit propriè vitium acceptionis personarum, sed per quandam quasi analogiam. Neque peccat aduersus obligationem ortam ex officio, sed solum aduersus obligationem ortam ex præcepto, & mandato Ecclesiæ, cui infidelis, & inobediens eis non tamen iniustus. Et ex his soluitur ratio secundæ sententiæ.

6 In beneficiis autem, quæ competitorum concursu prouidentur, longè probabilius existimo, obligationem esse restituendi digniori omisso, cum digno beneficium conferunt, & obligationem esse restituendi digno, cum indignus eligitur, sic vltra doctores secundæ sententiæ hanc conclusionem defendunt Mol. Ioann. Gutierr. Rebellus, Lessius *supra*, imo Man. Rodr. & Nauarra relati pro secunda sententia; de hoc casu

casu tantum videntur locuti. Et quidem si concursus fundetur in quodam edicto, quo competitores vocentur sub promissione eligendi digniorem, euidens est digniori omisso iniustitiam fieri, si dignus eligatur; quia ratione promissionis factæ, sub qua se examini, & concursui subiecit, beneficium illi debitum erat, sicut debetur res plus offerenti, cum sub voce præconis sic data promittitur, vt tradit Bart. communiter receptus, *in leg. si tratto in princ. num. 4. ff. de vectigalib. & publicanis.*

At alicui doctores censent edictum; quod in concursu beneficiorum, & cathedrarum sit, non fieri sub hac promissione eligendi digniorem; solum enim promittitur cuilibet eius ius esse seruandum: cum autem ipse seclusa promissione ius iustitiæ non habuerit ad beneficium, tametsi inter oppositores digniorsit; efficitur ex supradicta promissione ius iustitiæ non obtinere; ac proinde nullam esse obligationem restitutionis, eo quod fuerit prætermissus, sic tradit expresse Nicol. Garcia 7. *p. de benef. cap. 16. n. 57.*

Cæterum hic modus dicendi omnino est reiiciendus, sicuti illum reiiciunt reliqui alij doctores. Nam licet verbis claris, & expressis non promittatur ei, qui repertus fuerit dignior, beneficium, promittitur tamen verbis æquiualentibus: si enim cuilibet promittitur ius suum seruandum, & sub hac promissione ad certamen prouocatur, & ex alia parte est lex, seu statutum, vt inter competitores digniori conferatur, clarum est in promissione imbibi hoc statutum, sicuti imbibitur promissio non conferendi beneficium alteri à competitoribus. Quare sicuti esset iniustitia cum obligatione restituendi, si electores alterum à competitoribus eligerent; sic est iniustitia cum obligatione restituendi si dignum eligunt, & digniorem omittunt; quia æquè ad vtrumque est obligatio ex promissione posito statuto. Adde, in beneficiis parochialibus, quæ iuxta Trident. per oppositionem, & concursum obtinentur efficacius doctrina procedit; si quidem digniori omisso concederetur ius appellandi ab iniqua electione. Sentit ergo Pontifex digniori factam esse iniuriam, quæ debet à iudice superiori reparari, & ita in his beneficiis concedit Garcia *supra n. 16.*

Ex his fit eligentes ad præbendas collegiorum dignum, omisso competitore digniori peccare contra iustitiam cum obligatione restituendi digniori prætermisso. Tum quia sub hac promissione eligendi digniorem fuerunt omnes ad concursum vocari, cui non subiicerentur, nisi intelligerent ad sic eligendum electores obligari. Tum quia collegiorum præbendæ in fauorem præcipuè eligendorum sunt institutæ, vt illo præmio proposito ad virtutem, & litteras incitarentur, & in his etiam consentit Garc. *sup. n. 46.*

Argumenta primæ sententiæ nobis non contradicunt, solum enim probant digniori non esse debita beneficia absolutè, & ex sua institutione, non autem probant ex speciali promissione deberi non posse.

§. V.

An dignus petens beneficium, cathedram, seu collegium, illudque acceptans in concursu digniorisꝛ peccet, obligeturque ad restitutionem? Et quid de impedientibus dignum, vel digniorem ab illius consecutione?

1 *Neque peccat, neque tenetur ad restitutionem; debet tamen bona fide procedere.*

2 *Dupliciter dignior impediri potest, si impediatur absque vlla vi, vel fraude à beneficio, quod illi propriè debitum non sit, non est peccatum.*

3 *Si malo animo facias peccas, sed non obligaris restituere. Et fit satis quibusdam textibus.*

4 *Si vi, vel dolo impedias, obligaris restituere.*

5 *Quid si impedisti dignum, vt daretur digniori?*

6 *An teneatur beneficium resignare, si tibi digniori, omisso digniori, collatum est? Probabilius est te obligatum non esse.*

7 *An peccet, obligeriſque restituere, si ob apertionem litterarum obtinet beneficium, quod alius obtineret, si tu non aperires? Sub distinctione respondetur.*

8 *Quid si munoribus inflectas eligentem?*

9 *Quid dicendum in oppositione cathedrarum?*

1 COmmunis sententia tenet, nec peccare, neque vllam restitutionis obligationem habere, quia ipsi non competit sua alterumque competitorum merita perpendere, sed se electoribus examinandum proponere. Vnde si electores eum eligunt cum minus dignus sit, illis, & non electo culpæ tribuendum est; & ita tradit Caiet. 2. 2. *q.* 185. *a.* 3. Cou. *reg. peccatum 2. p. §. 2. n. 4.* Azor. 2. *p. inst. mor. lib. 6. c. 15. q. 13. & 14.* Lessius *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 14 fi. n. 70.* Valq. *opusc. de benef. c. 2. §. 3. dub. 18.*

Hæc communis sententia vetissima est casu quo petens, acceptansque beneficium bona fide procedat. Nam si clarè cognosceret se minus dignum esse, neque diligentia excessum recompensaturum (quod rarò, vel nunquam contingit, cum propria merita alicui clariora appareant) censeo neque beneficium petere posse, & si obtineat obligationem habere satisfaciendi digniori omisso, si beneficium per concursum prouisum est. Ratio est clara, quia tunc peteret, quod electores præstare nullo modo licite possunt. Ergo peccat petendo. Item impedit ne debitum beneficium digniori tribuatur, ergo iniustitiam committit, ac proinde obligationem satisfaciendi contrahit: sic Lessius *lib. 2. de iust. c. 12. dub. 18. n. 129.* Rebell. *1. p. de oblig. iust. lib. 3. q. 6. n. 1. & seqq.*

Dices, ergo dignus non se poterit opponere beneficio, vel cathedræ in concursu dignioris clarè cogniti? Respondeo, vt beneficium, vel cathedram de facto obtineat, concedo. At vt suum ius prosequatur, & se cognoscendum tradat, alegareque possit sæpè se opposuisse, benè poterit; imò poterit se opponere animo obtinendi beneficium, vel cathedram, si forte dignus moriatur, vel ab oppositione desistat. sic aliis relatis Gord. *in sum. q. 31.* Rebell. *de oblig. iust. 1. p. lib. 3. q. 6. n. 4.* Azor. 2 *inst. mor. lib. 6. c. 15 q. 14. in fine. 2.* Ex his venit discidenda quæstio, an si impedias digniorem à beneficij consecutione, vt tibi vel alteri conferatur, pecces, obligationemq; habeas restituendi? Pro cuius decisione præmittendum est dupliciter posse digniorem impedire, vel muneribus, suasionèque honesta, vel dolo, vi, & fraude. Item impedire potes recta intentione, vt tuæ vtilitati prospiciasꝛ vel malo animo, vt alteri noceas, Item impedire potes digniorem à beneficij debiti consecutione, vel à consecutione beneficij, quod illi indebitum est, vel solum est debitum ex quadam decentia, & honestate.

Dicendum ergo est, si impedias absque vi vel fraude digniorem à beneficij consecutione, quod illi propriè & strictè debitum non sit, nec peccas, neque obligationem habes restituendi, quia aliorum vtilitatem in debitam impedire, vt tuæ consulas licitum tibi est, si quidem nemini iniuriam irrogas, neq; conqueri possunt impediti quod sic impediti sint, cum ipsis beneficium debitum non sit, & absque vlla vi, & fraude ab illius consecutione eos impedias. Ex quo fit verbis, & muneribus, sollicitudine, & diligentia te posse mouere collatorem, vt beneficium, quod licite potest digno conferre, omisso digniori, de facto tibi, vel alteri amico conferat, & testamentarium inflectere, qui determinatus erat legatum dignissimo relinquere, vt relinquat tibi, vel tuo consanguineo; quia in supradictis casibus non auferis ab aliquo quod illi propriè debitum sit. sic Vasquez *opusc. de benefic. c. 2. §. 3. dub. 19. n. 133. vers. secundo ergo.* Rebell. *de obligat. iust. 1. par. lib. 3. q. 1. n. 5. & q. 2. n. 8.*

3 Quod si malo animo hoc impedimentum causes, aduersus charitatem peccas, non tamen obligaris restituere; quia obligatio restituendi non ex intentione nocendi, sed ex nocumento dato nascitur. Vasq. *opusc. de benefic. c. 2. §. 3. dub. 19. n. 127. & seqq.* Gut. *lib. 2. can. quæst. c. 11. à n. 71.* Petrus Nauarr. *lib. 3. de restit. cap. 4. n. 7.* Rebell. *1. p. de oblig. iust. lib. 3. q. 1. n. 5.* & alij apud ipsos.

Sed aduersus hanc sententiam pugnare videtur *text. in leg. 2 §. idem habeo. 2. ff. de aqua pluuia arcenda*: vbi habetur te non teneri ad restitutionem, si impedias aquæductum, qui ad vicini fundum per tuam possessionem deriuatur, modo ex odio, & malo animo non feceris. Ergo tacitè insinuatur per argumentum à contrario te teneri; si odio, & malo animo fecisti. Varias huic legi solutiones doctores excogitarunt: sed hæ mihi videntur aptiores. Prima. Si neges consequentiam; quia argumentum à contrario non est firmum in iure, præcipuè cum absolutè contrarium est dispositum. At in *l. 1. §. denique 1. ff. de aqua pluu. arcenda. & leg. Proculus, & leg. flum num. § fin. de damno infect.* est absolutè dispositum te nullam obligationem habere, cum proprio iure veteris, vt si effodiens puteum, venas aquæ vicini inferioris præscindas. Secunda solutio est, si dicas te non teneri in conscientia, esto malo animo facias; at in foro exteriori teneri, dum non probas iure proprio vtum esse. Tertia est, impeditum habere aduersus te actionem, vt ab impedimento cessesꝛ quoties absque vllo tuo commodo illum à consecutione beneficij impedisiquia nec charitas, nec iustitia legalis permittit te in malitioso impedimento apponendo perseuerare.

4 At si vi, dolo, & fraude digniorem à beneficij consecutione impedis, vt detur digno, obligationem habes restituendi digniori omisso pro quantitate spei, quam dignior habebat illud consequendi. Et idem est, si duo æquè digni ad beneficium concurrerent, & tu vnum ex illis vi, & fraude à beneficij datione impediſti, teneris restituere, quanti spes obtinendi beneficij æstimabitur, & fortiori cum solus vnus concurrit: sic Cou. *reg. peccatum. 2. p. § 7. n. 8. concl. 5.* Soto *lib. 4. de iustit. q. 6. n. 3. vers. atque in secundo.* Nauarr. *c. 17. n. 73.* Petr. Nauarra *lib. 3. de rest. c. 5 n. 11.* Gutier. *l. 2. can. q. c. 11. num. 83.* Valq. *opusc. de benefi. c. 2 §. 3. dub. 20.* Rebell. *de oblig. iust. 1. p. lib. 3. q. 2. n. 6.* Lessius *lib. 2. de iust. c. 12. dub. 18. n. 123. & 126.* Ratio est, quia esto digniori in concursu digni non debeatur beneficium (quod non est semper verum) neque digno in concursu æqualis digni, ac cuilibet debetur, ne per vim aut fraudem impediatur ab illius procuratione. Quilibet enim dignus ius habet procurandi beneficium, ergo si tu eum per iniuriam à tali prosecutione impedi,

iniustitiam committis, obligatis ergo satisfacere. Et explicatur amplius. Dupliciter procurantem beneficium ab illius consecutione impedire potes per vim, aut fraudem. Primo si ipsum, vel eius procuratorem, aut litteras, quas mittit, vi vel dolo detineas, & tunc clara est iniustitia. Secundo, si collatori vim inferas ne beneficium conferat, aut illi mendacium aliquod dicas, quo à voluntate conferendi beneficium diuertitur: & tunc etiam iniustitiam committis non solum aduersus collatorem, quem iniustè detines, vel dolosè decipis, sed aduersus eum cui illud beneficium erat conferendum. Quia illud obtinere non potest, nisi collator velit conferre, & ex alia parte habet ius procurandi, vt collator velit. Ergo iniustus illi es cum hanc voluntatem per iniuriam impedis.

5 Dixi te esse obligatum satisfacere digniori in concursu digni, si per vim aut fraudem impedisti, ne digniori beneficium conferretur. Verum si impedisti dignum, vt daretur digniori; aliqui existimant te nullam obligationem restitutionis habere. Lessius *lib.2. cap.12.num.126.* Azor. *lib.6.cap.15.q.16.* Quia beneficia dignioribus sunt conferenda. Alij econtra affirmant; quia esto non debeatur digno beneficium, debetur tamen ne impediatur ab illius procuratione. Distinguendum tamen est inter officia, & beneficia, quæ necessario dignioribus sunt conferenda, & inter ea quæ liberè dignis in concursu digniorum conferri possunt. Si impedias dignum, vt detur digniori à beneficij consecutione quod nulla ratione ei potest conferri: nullam habes obligationem; quia ipse in concursu dignioris nullum ius habebat procurandi tale beneficium: imo iniquè faciebat sic procurans; at beneficium iustè procurare poterat dignus in concursu dignioris; quia digniori non erat necessario conferendum, credo te esse obligatum ei recompensare, quanti spes obtinendi beneficij fuerit æstimata; quia per iniuriam impedis, quod ipse procuret, & obtinere intentet beneficium ad quod ius habet. Quod efficacius procedit in institutione hæredis, legatarij, aliorumque beneficiorum, quæ pro libera conferentis voluntate dari possunt. sic expresè Vasq. *opusc. de benefic.c.2.§.3. dub.20.n.158.*

6 Petes, an si tibi digno beneficium collatum est, cum digniori ex obligatione esset conferendum, tenearis beneficium in fauorem dignioris resignare? Videris teneri; quia obligatus es satisfacere digniori damnum illatum; at hoc nulla alia via satisfieri rectius potest, quam facta resignatione. Ergo illam teneris facere. sic Rebell. *1.p. de oblig. iust. lib.3.q.6.n.6. & seqq.* Nihilominus credo te non esse obligatum beneficium resignare, quoties beneficij collatio est firma, & de se perpetua. Tum quia digniori non erat certum beneficium dandum esse. Tum quia tibi non competit ministros Ecclesiæ designare. Tum quia beneficio acquisito non videtis obligatus spoliari, quousque sententia accedat, sic Lessius *lib.2. de iust.c.34. dub.15.n.76.* Dixi *quoties beneficij collatio est firma*, vt excluderem collationem beneficij parochialis per concursum obtenti; quam probabilius defendimus nullam esse factam digno in concursu dignioris, quia tunc teneretur digniori cedere, sicuti si indigno esset beneficium collatum. Raro tamen vel nunquam præsumere quis debet esse minus dignum notabiliter; nam esto dotibus scientiæ, & doctrinæ videat alios sibi esse prælatos; præsumere tamen potest aliquam causam occultam esse, ob quam electors aliis illum prætulerit, & posita hac præsumptione beneficium resignare non debet; quia in casu dubio nemo tenetur se iure acquisito spoliare; sic fere omnes doctores suprà relati.

Rogabis, an censearis per iniuriam impedire à beneficij consecutione eum, cuius literas obsignatas aperis, credens de beneficio vacante notitiam dare, & ratione huius notitiæ præuenis collatorem, & impedis ne qui misit litteras, beneficium obtineat. Et quidem si non solùm apetis, sed etiam detines litteras, & ob hanc detentionem beneficium non consequitur qui litteras misit, clarum est, obligationem esse restituendi pro quantitate spei obtinendi beneficij. At si solum legisti, & apertas iterum obsignasti, & absque vlla mora tradidisti, ac si nunquam legisses, & notitia habita collatorem præuenisti, & ob hanc præuentionem impedisti, ne qui misit litteras beneficium obtineat; probabilius credo te mortaliter peccare, at ad restitutionem obligatum non esse. sic Lessius *lib.2. cap.12. dub.18. à num. 124.* Et quidem te committere peccatum mortale in apertione harum litterarum sic probo, quia ea quæ quis sub sigillo scribit, intendit secreta haberi, neque alteri ab eo cui litteræ mittuntur, manifestari. Ergo iniustitiam committis, si secretum violes; & cum hæc secreti violatio in graue scribentis damnum cedat, erit peccatum mortale. Quod autem ad restitutionem obligatus non sis, inde probatur; quia ex apertione iniusta litterarum alius non fuit impeditus à beneficij consecutione; si quidem stare posset te aperuisse & legisse literas, & alium impeditum non esse à beneficij consecutione, si tu collatorem non præuenires, nec diligentiam faceres in tui fauorem. Ex præuentione ergo, & diligentia facta, & non ex apertione litterarum alius impeditur. At hanc præuentionem facere, & diligentiam apponere non est contra iustitiam, tametsi iniustitia fundamentum habeat. Ergo ex hoc impedimento non contrahis obligationem restituendi. Exemplo scientiæ ante dæmonis acquisitæ illustrari potest. Nam licet in tali acquisitione graue peccatum superstitionis interueniat, illa tamen acquisita licitè ea vti potes; sic in præsenti iniustè noticiam vacantis beneficij acquiris; at illa habita licitè collatorem præueniens, aliisque honestis mediis beneficij consecutionem procuras.

8 Sed quid si muneribus inflectas eligentem, vt tibi digno beneficium, officium, aut cathedram concedat, omisso æquè digno, aut digniori? Respondeo in beneficiis, officiis & cathedris, quæ necessario digniori sunt conferenda per concursum clarum est iuxta nostram sententiam te esse obligatum digniori omisso satisfacere. At in beneficiis, officiis, & cathedris, quæ per concursum non prouiderentur; nulla esset restituendi obligatio digniori omisso; quia munerum datio non infert vim, aut dolum, ac proinde neque inuoluntarium causat. Verum etsi hoc ita sit, potest esse grauissimum peccatum hæc muneribus obtinere. Nam si beneficium est Ecclesiasticum, clarum est simoniam esse, si sub aliquo pacto expresso, vel tacito obligandi ad beneficij concessionem hæc munera conferantur, vt latius diximus *disp. de simonia*, neque collatio beneficij tenet, secus si gratis donentur, & sic intelligantur recipi. At si officium est laicum nulla videtur esse prohibitio dandi hæc munera, si gratis dentur; esto dentur animo alliciendi collatorem ad talis officij collationem. Verum si dentur sub obligatione, vt hæc officia conferantur, distinguendum est, si dentur principi, qui ea vendere potest, licita est donatio; quia est virtualis officij venditio. At si dentur alteri qui ea vendere non potest, sed necessario ea gratis prouidere debet, censeo illicitam esse talem donationem, & munerum receptionem; quia pro re ad quam quis est obligatus facere, pretium recipere non potest. Hoc tamen intelligendum est, cum hæc officia non sunt vendentis, sed reipublicæ, secus si vendentis essent, & solum ex lege superioris obligatus esset ea gratis donare; quia tunc solum esset legis transgressor accipiendo munus, vel pretium, non tamen esset transgressor iustitiæ, vt latius diximus, cum de emptione, & venditione sermo habebitur. Interim videatur Vasquez *opusc. de benefic. cap.2 §.3. dub.14.15. & 16.*

9 In obtentione cathedrarum aliter est dicendum: nam esto tu dignior sis aliis oppositoribus (quod numquam debes præsumere, etiam si plures sic tibi blandiantur) nullo modo tibi licitum est muneribus electores obligare, imo nec allicere, vt pro te suffragium ferant aliis omissis: quia posita subordinatione electorum suffragium nullum est, tum ob ipsorum inhabilitatem, tum ob tuam: ratione enim subordinationis, & ipsi redditi sunt inhabiles ad suffragium ferendum, & tu incapax accipiendi cathedram, ex omnium fere vniuersitatum constitutionibus. sic Rebell. *1.p.lib.3.de oblig.iust.quæst.7.in princ.* Quod si cum Basilio de Leon. *lib.6.de matr.c.17.§.6.in fi.* dicas te hæc munera conferre ad redimendam vexationem, quæ tibi infertur, cum alij minus digni procurant à te cathedram eripere. Facilè respondetur negando te debere iudicare dignissimum quia nimis arrogans, vanum, & fallax est tale iudicium. Nam esto litteris alios præcellas, possunt ipsi in virtute, prudentia, diligentia, & arte docendi te præcellere, quomodo ergo audes te dignissimum iudicare? Adde, nullus vir cordatus damnare potest oppositorem dignum, qui electorum iudicio se submittit, & tali iudicio nixus cathedram procurat, si forte æquè dignus ac alij appareat. Nam esto plures, & doctiores te dignorem iudicent, non desunt alij qui contrarium sentiant, ergo ex horum iudicio, vtpote probabili; oppositionem prosequi quis potest. Ergo in tali prosecutione vtpote licita, & vniuersitati maximè conuenienti, quæ competitorum multitudinem exoptat, nulla esse potest, vexatio, quæ redemptionem honestet. Deinde esto concederemus, vt omnino certum, & clarum, te omnium oppositorum dignissimum esse, neque alios tua diligentia tua dignitatem esse recompensaturos (quod est iudicium moraliter impossibile) adhuc non assentior te muneribus hanc vexationem redimere posse. Tum quia per appellationem, aliisque viis reparari potest. Tum & præcipuè, quia hic modus vexationem redimendi ab vniuersitatis constitutionibus prohibitus est sub pœna inhabilitatis electorum, & oppositorum, ob grauissima inconuenientia, quæ inde sequuntur, quod manifestissimum est. Nam etiam si oppositores hæc munera præbentes allegarent ea dedisse ob redimendam vexationem, quæ sibi ex plurium sententia inferebatur ex aliorum oppositorum concursu, nequaquam audirentur, neque excusarentur à subeunda pœna subornantibus imposita, & meritò, quia esset execæcare electores, & viam iniustitiis aperire. Rebell. *sua quæst.7. num.* 3. Nullo tamen modo est audiendus Basil. de Leon. cum dicit, si scholastici cathedrarum electores à te postulent, aut indicent se pecuniam velle, posse illis concedere, tametsi oppositores non excellas; quia in hac pecuniæ erogatione nulla est vexationis redemptio, & ex alia parte contra leges oppositionis facis, & electoribus occasionem præbes falsò iurandi, cum tempore electionis ab illis expostulabitur iuramentum, an aliquid ab oppositoribus acceperint.

§ VI.

§. VI.

De tempore requisito ad electionem, eiusque confirmatione.

1 *Designatur tempus electionis cuiuslibet prælaturæ.*
2 *Confirmatio tribuit perfectum ius in beneficio, & qualiter celebranda est.*
3 *Quid si electores non conueniant?*
4 *Confirmans ante confirmationem debet qualitates electionis & electi nosse.*
5 *Qui habeant potestatem confirmandi.*

1 QVod si de tempore, in quo celebranda est electio loquamur, certum est ante vacationem Ecclesiæ fieri non posse, neque esse validam? imo necessarium est, vt prius prælatus defunctus sepeliatur, vt electio licita sit, tamen si fiat illo non sepulto valida erit, constat ex *c. bonæ memoriæ. 1. de electione, iuncta gloss.* Deinde est certum, electionem prælaturæ Ecclesiarum cathedralium; & regularium faciendam esse intra trimestre à die notitiæ habitæ vacationis, nisi electores iustè impediti fuerint; alias priuabuntur pro illa vice potestate eligendi habetur expresse *cap. nè pro defectu. de electione.* Insuperque debent electionem electo nuntiare, & eius consensum petere intra octo dies, si id fieri possit? aliàs omnibus beneficiis, quæ in ipsa Ecclesia habuerint, sunt triennio suspensi, *cap. cupientes. §. cæterum. de election. in 6.* In Ecclesiis vero collegiatis, & omnibus aliis beneficiis, quæ prælaturæ non sint, semestre conceditur ad eligendum. *cap. de multa. de præbendis. cap. nulla. de conces. præbend.* Electus vero ad prælaturam cathedralis, vel regularis Ecclesiæ, debet intra mensem à die quo electionis notitiam habuit, suæ electioni consentire, vel dissentire, & infra mensem post consensum tenetur Romam petere, vt se apostolico conspectui confirmandum præsenter. Aliàs cassabitur ipso iure electio, vt expressè decidit. *d. c. cupientes.*

2 Confirmatio electionis est, quæ electo tribuit plenum ius in beneficio, ita vt sic confirmatus si possessionem beneficij accepit, possit exercere ea omnia, quæ iurisdictionis sunt, *c. nosti; & cap. transmissam. de elect.* esto non possit exercere, quæ ordinem, aut consecrationem requiruat, si ordinatus, consecratusve non sit. Si vero electus ante confirmationem se administrationi siue spiritualium, siue corporalium in totum vel in partem ingerit vel per se, vel per alium, eo ipso amittit omne ius, quod per electionem acquisierat, & merito; quia vsurpauit iurisdictionem, quam non habebat: habetur *c. auar. de elect. in 6.* Si vero facta confirmatione, quæ nulla est, & inualida, administret, eadem pœnas contrahit, si scienter processit; secus si ignoranter. Gloss. *supra d. cap.* Ab hac regula venit excipienda Abbatissa electa à maiore parte conuentus, cuius confirmationi, si duæ partes non contradicant, potest interim administrare *c. indemnitatib. §. si verò, de elect. in 6.* Secundo excipitur electus ad Ecclesiam extra Italiam, cuius electio est à Summo Pontifice confirmanda: huic enim conceditur integra administratio Ecclesiæ excepta potestate alienandi. *c. nihil. de electione.*

3 Verum contingere potest, vt electores non conueniant, & sua vota in duas diuidant partes: ac tunc superior, penes quem est potestas confirmandi poterit confirmare qui sibi magis idoneus visus fuerit, iuxta *text. in c. si fortè. dist. 63. & c. quoniam de iur. patr.* Sed si ex illis duobus vnus electus fuerit, alius vero postulatus aduertendum est, an postulantium numerus sit duplo maior eligentium; nam in isto casu postulatus, si alias idoneus fuerit, confirmandus venit. Si postulantium numerus non ita excesserit, electus confirmandus est. Dixi *si alias postul. idoneus fuerit*, nam si fuerit indignus, & scienter indignum postulauerint electus præualet. Si vero ignoranter processerint (quod raro præsumitur) neque electus, neque postulatus confirmabitur, sed iterum ad electionem procedere possunt. Quæ omnia habentur in *cap. scriptum. de election.*

4 Ante confirmationem vero debet confirmans qualitatem electionis, & electi explorare, an inquam electio legitima fuerit, & an electus qualitates habeat prælaturæ requisitas, alias grauiter peccabit, & confirmatio nullius erit momenti, vtpote sine cognitione facta, & periculo eligendi indignum exposita, *§. vlt. de elect. in 6.* Quod si absque hoc examine contingat indignum confirmari, suspenditur à beneficio &, potestate priuatur primum electum confirmandi, grauiusque punitur, si malitiose processisse probatum fuerit, *c. nihil. est. de elect.*

5 Quod si inquiras, qui potestatem habeant confirmandi? Respondeo consuetudinem potius, quam ius attendi debere. Nam si ius antiquum spectetur, Episcopus confirmari debebat à Metropol. & Metropol. à Primate, & hic à Patriarcha, hic à Roman. Pontifice, vel eius Legato: prælati vero regulares ab Episcopo, cui erant subiecti. At cum nullibi electionis vsus existat extra Germaniam, & religiosi omnes à iurisdictione ordinatorum sint exempti, aliter confirmatio obtinetur. Nam Episcopi etiam in Germania electi à Romano Pontifice, confirmantur; prælatus regularis à prouinciali, prouincialis à generali; generalis vel non indiget confirmatione, vel à pontifice illam obtinet. Azor. 2. *p. instit. mor. lib. 6. cap. 14. quæst. 7.*

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars II.

PVNCTVM XII.

Qualiter postulatione ius in beneficium acquiratur.

1 *Qualiter postulatio ab electione differat.*
2 *Postulato ante admissam postulationem nullum ius in beneficiæ competit.*
3 *Legitima est postulatio, si à maiore parte collegij fiat.*
4 *Si postules indignum, priuaris potestate postulandi.*

1 POstulatio ad electionem reducitur: differt tamen ab illa, quia est personæ iure canonico impeditæ. Vnde qui postulant petunt à superiore, vt postulato dispensationem concedat, & impedimentum iuris relaxet, & habilem constituturn confirmet, colligitur ex 2. *c. innotuit. de ele. c. bonæ. 2. de postul. prælat.* & tradit Abbas *Rub. de postul. prælat.* Vnde solus superior (qualis non est alius à Pontifice, qui ius relaxare potest, & impedimentum remouere) potest postulationem admittere: admissio enim postulationis est relaxatio iuris, & postulati confirmatio. *c. gratum. c. bonæ. c. vlt. de postulat. prælat.* & tradit Abbas *c. 1. de postulat. prælat. n. 34. & c. gratum eodem tit. num. 13.*

2 Hinc infero postulato; antequam superior postulationem admittat, nullum ius ad beneficium competere, quia ab illo ob impedimentum est exclusus, & postulantes exclusionem non valent remouere, sed solum supplicant à superiore, vt ipse remoueat. Quapropter ipse postulatus impedire non potest postulatores, vt à postulatione desistant, & ne alium postulent aut eligant, quod secus contingit in electione; nam illa facta iam non licet electoribus mutare sententiam, quia electo ius ad beneficium acquisitum est, & tradit Azor. 2. *part. instit. moral. lib. 6. c. 17. quæst. 4.*

3 Dubium tamen est, an postulatio legitima sit, si non ab omnibus, sed à maiore parte collegij fiat? Ratio dubij est: quia est gratia facta à communitate postulato; non enim communitas postulare illum debebat, neque superior postulationem admittere. Sed in his, quæ sunt gratiæ, & fauoris omnes conuenire debent, vt tradit Gloss. *c. cum. omnes. de constitutionibus.* Ergo absque consensu, omnium postulatio nulla est. At omnino tenendum est legitimam esse postulationem, si à maiore parte toto collegio, *leg. quod maior. ff. ad municipalem. & c. 1. & vlt. de his quæ. fiunt à maiore part. capituli.* & clare colligitur ex *cap. scriptum. de elect.* vbi postulatio facta à numero duplo maiori quam electio electioni præfertur. Neque obstat ratio dubitandi, concedo non esse obligatum collegium postulare sic impeditum, neque superiorem admittere postulationem, sicut neque collegium semper obligatur eum eligere quem de facto eligit, sed alium loco illius eligere poterat. Sed non obinde sequitur in huius gratiæ concessione omnes conuenire debere, quia non est gratia de bonis, quæ propria sint vniuscuiusque. Adde postulantes non tam gratiam facere postulato, quam petere, vt à superiore illi fiat. Neque talis petitio pro gratia reputari debet, cum nullum ius inde postulatus acquirat.

4 Rursus dubitare potes, an si postules indignum, priueris potestate eligendi, vel postulandi: Videris non priuari; eo quod in *c. cum in cunctis, de elect.* Solum eligentibus scienter indignum hæc pœna irrogatur. Non igitur ad postulatores debet extendi. Cæterum dicendum est. extendi debere. Tum quia est eadem ratio. Tum quia in *c. scriptum. de elect.* videtur expressè caueri: ibi *nisi forsan omnes aut maior pars postulantium præsumptione damnabili postulauerint scienter indignum, & hac vice merito debeant eligendi, seu postulandi potestate priuari.* Idem habetur *cap. 1. & 2. de postulat. prælat.* & tradit Abbas *in suprad. c. 2. & c. 2. de testam. num. 2.* Azor. 2. *p. instit. mor. lib. 6. c. 17. q. 6.*

PVNCTVM XIII.

Qualiter collatione ius in beneficiũ acquiratur. Et de potestate Romani Pontificis in beneficiorum collatione, illiusque prælatione, comparatione ordinarij.

1 *Collatione ius in beneficium acquiritur*
2 *Romanus Pontifex plenum ius habet in beneficijs.*
3 *Si pontifex ordinarium in collatione præueniat, valida est eius collatio.*
4 *Limitatur, nisi ex parte prouisi ab ordinario concurrant possessio, vel assignatio diei, & horæ.*
5 *Qualiter constabit ordinarium præuenisse Pontificem in collatione prima. Quid sentiat Gonzalez.*
6 *Litteris sigillatis ab ordinario, & à notario subscriptis reseruent testes, sufficienter probatur.*

7. Testes plures quam duo non requiruntur in instrumento, etiã ex iure regio.

1 NEmini dubium est collatione ius in beneficium acquiri, quia collatio est concessio beneficij vacantis facta ab habente potestatem : debet tamen esse acceptata ; aliàs non ius in beneficium, sed ad beneficium ex illa proueniet. Idem quod dicitur de collatione, dicendum est de institutione. Nam institutio est collatio, non quidem libera, sed obligatoria ; hoc est debita certæ personæ, scilicet, ei, quæ est à patrono beneficij præsentata, vt latius hæc omnia tradidimus *punct. 1. huius disp.* Videndum ergo est, quis possit beneficia conferre, & quæ in illorum prouisione seruanda sint. Et ex his constabit, qualiter collatione ius in beneficium acquiratur.

2 Constat Romano Pontifici esse à Christo Domino plenum ius in beneficiis concessum, ita vt ipse (prout sibi magis expedire visum fuerit) possit beneficia cuiuscumque qualitatis sint, personis idoneis conferre. *c. 2. de prabend. in 6. & clem. 1. vt lit. pendente & c. cuncta per modum. 9. q. 3.* Neque huic potestati obstare potest facultas ordinariis, aliisque prælatis concessa prouidendi ; quia illis solum respectu Pontificis est cumulatiuè concessa, non priuatiuè. Neque Pontifex concedens facultatem ordinariis beneficia conferendi, se priuare poterat potestate à Christo concessa, vt habetur *cap. dudum. 14. de prabendis. in 6.* ibi. *Nos igitur attendentes, quod etsi memorato Episcopo pradictã concessimus potestatem, penes nos tamen nihilominus remansit maior*; & tradit, plurib. relatis, Gonzal. *ad reg. mensium. §. 1. & §. 2. proœm. per totum.* Speculat. *n. 51.* Garc. *5. p. de benefic. cap. 1. à num. 1. & seqq.* Aug. Barbosa *3. par. de potest. Episcop. alleg. 57. à num. 3.*

3 Hinc fit, si Pontifex præueniat ordinarium in collatione beneficiorum, quæ ipse ordinarius conferre poterat, validam esse Pontificis collationem; quia est collatio ab habente æquam, imo maiorem potestatem, quam ordinarius : & decidit expressè *c. dudum. de prabendis. in 6.* ibi ; *propter quod nostra, qui eandem occupauimus potestatem, potior debet esse conditio.* Idem habetur *c. si à sede. 31. eodem tit. cap. si plures. 8. porro. de offic. deleg. in 6.* & pluribus exornat Aug. Barbosa *d. alleg. 57. à n. 10.* Garcia. *5. p. de benefic. c. 1. num. 9.* Gonzal. *ad reg. Cancell. §. 3. proœm. à num. 1. & seqq.* Et idem est, si non constaret, quinam præueniret in collatione, an pontifex, an ordinarius ; præferendus namque esset ob prærogatiuam conferentis prouisus à Pontifice, prouiso ab ordinario : colligitur ex *d. c. si à sede de prabend. in 6. clem. 1. §. neutro. vt. lite pendente*, & tradit alios referens, Gonzalez. *supra. num. 111.* Barbosa. *num. 14.* Garcia *num. 9.*

4 Limitandum tamen est, nisi ex parte prouisi ab ordinario concurreret possessio. Nam tunc ratione possessionis præualet ius ordinarij, vt expressè habetur, *c. si à sede. 31. de prabend. in 6.* & tradunt omnes. Quod adeo verum est, vt etiamsi Prouisus ab ordinario possessionem non acceperit eo die, quo fuit prouisus, adhuc præferendus est prouiso Pontificis, quia possessio facit præsumere anteriorem fuisse prouisum, & colligitur ex *d. c. si. à sede* cùm generaliter dicat possessorem esse præferendum, cum de anterioritate prouisionis non constat, & docet aliis relatis Gonzalez *ad reg. mensium. §. 3. proœmial. num. 69.*

Limitatur deinde, nisi ex parte prouisi ab ordinario concurreret non solum assignatio diei, sed horæ, cuius assignationem non haberet prouisus à Pontifice. Nam ob illam determinationem præsumitur prouisio ordinarij anterior ? quia est certior probatio illa, quæ hac determinatione caret. Gonzal. *à n. 100.* Barbosa *3. p. de potest. Episcop. alleg. 57. n. 15.*

5 Inquires qualiter constabit, ordinarium præuenisse Pontificem in collatione ?

Huic difficultati respondet Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. §. 3. proœm. à n. 147.* necessario constare debere per instrumentum, seu scripturam factam coram notario & testibus se subscribentibus in eodem instrumento, neque sufficere literas ordinarii suo sigillo munitas, neque item factas coram secretario, si secretarius notarius non esset, neque si testes essent domestici, quia facilè poterat ordinarius fingere ante datam cum suo secretario, & testibus domesticis. Ne ergo hæc fraus committatur, requiritur (inquit Gonz.) vt ordinarii prouisio contra Apostolicam prouisionem probetur per notarium, qui est. persona publica, & testes omni exceptione maiores. Quod à fortiori affirmat Gonzalez *supra. n. 152.* procedere in assertione ordinarii de resignatione coram se facta, quæ contra prouisum Apostolicum non probat, nisi posita supradicta solemnitate ; *Ne fraudibus locus detur.* Aliàs facillimo negotio possent ordinarii omnes prouisiones Apostolicas eludere, affirmantes coram se beneficia prius fuisse resignata. Extenditque hanc doctrinam ipse Gonzal. *n. 150.* vt procedat non solum in Episcopis, & aliis collatoribus inferioribus, sed etiam in legatis Cardinalibus, quorum prouisiones contra prouisum Apostolicum non probant, nisi sub prædicta solemnitate. Declarat tamen Gonzal. *à n. 161* traditam doctrinam, vt procedat casu quo prouisus ab ordinario non esset in possessione ante datam litterarum Apostolicarum, Nam si possessionem obtineret, esto de eius prouisione authentice non constaret : sic præsumenda esset ob fauorem possessionis, quæ fraudem excludit. Secundo declarat, vt non procedat casu quo prouisus ab ordinario ante datam litterarum Apostolicarum beneficium resignasset, & de hac resignatione constaret saltem per duos testes ; quia hac resignatione facta videtur cessare fraudis præsumptio, quæ in collatione facta ab ordinario præsumi poterat. Tertio declarat non esse locum, si prouisio ad duos prælatos pertineret, vel ad ordinarium simul cum capitulo ; quia non est credendum tot personas in fraudem esse consensuras. Quarto dicit cessare dictam dispositionem, si pro prouisione ordinarij esset aliqua præsumptio, excludens fraudis præsumptionem ; quia vna præsumptio aliam vincere potest. Vltimo declarat non esse opus, vt notarius & testes se subscribentes in instrumento collationis ordinarii rogati sint, quia nullibi hæc conditio cauetur.

6 Cæterum etsi verissimum sit prouisionem ordinarij contra prouisum apostolicum, seu legatum non probari sufficienter litteris ab ordinario sigillatis, vt post alios tradit Mascard. *conclus. 991. à num. 13.* Garcia *8. p. de benefic. cap. 4. num. 11.* esto adesset secretarii episcopi subscriptio, si notarius non esset. At credo si notarii subscriptio adesset, referens testes præsentes stetisse, sufficientem prouisionem ordinarii probari contra quemlibet impetrantem, tametsi testes in instrumento non se subscripserint, quia receptissima praxis est instrumentum publicum non expostulare ad sui fidem testium subscriptionem, vt aliis relatis comprobat Couar. *pract. cap. 20. num. 4.* & tradit in præsenti Garc. *supr. num. 53.* imo addendum existimo hunc probationem esse sufficientem, etiam si testes in instrumento publico nominati domestici essent, aut familiares : quia tunc probatio non fit vigore testium, sed vigore instrumenti publici, cui probationi non derogatur notabiliter ex appositione testium, qui non sint omni exceptione maiores. Garc. *8. p. de benefic. cap. 4. num. 55. in fine.* Deinde sufficienter prouisio ordinarii aduersus Apostolicam comprobatur per subscriptionem testium in instrumento prouisionis, tametsi non sit per notarium factum. Et idem est si testes examinati deponant de prouisione ordinarii antedata. Quia testium probatio legitimi est & præsumptionem cessare facit. Quod à fortiori procedit si possessio comprobetur, tametsi de collatione non constet. Garc. *d. 8. p. de benefic. cap. 4. n. 27.*

7 Quod si inquiras, quot testes continere debeat instrumentum, & scriptura qua prouisio ordinarij comprobanda est? Clara est resolutio, iure communi spectato, Nam iuxta illud duo sufficiant ex textu, & gloss. communiter receptis. *c. 1. de fide instrument. & Authent. de instrumentorum cautela. & fide §. sed etsi instrumenta* Couar. *pract. c. 20* Burgos de Paz. *in leg. 3. Tauri. 1. p. num. 127.* At spectato iure regio Castellæ tres videntur requiri, nisi sint tabelliones, ex *leg. 54. tit. 18. par. 3.* ibi *dos escribanos publicos por testigos sin aquel que face la carta que escriban sus nombres en ella. Osi por ventura tantos escribanos publicos no pudieren auer en el lugar, tomen por testigos tres hombres buenos* : sic Couar. *dicto cap. 20. n. 4.* Ioann. Orosius *in leg. 3. quis ex argentariis. §. si initium. num. 54. ff. de edendo* : comprobarique potest ex praxi communiter recepta, qua per tabelliones apponuntur tres testes in scriptura publica.

Cæterum multo verius est duos sufficere, etiam ex iure regio. Nam in *leg. 111. eodem tit. 18. par. 1.* quæ posterior est supradicta *leg. 54.* duo tantum requiruntur ibi. *Otrosi no vale la carta publica, en que no sea escrito el mes, y el dia e la hora en que fue fecha, e los nomes de dos testigos.* Et licet hæc lex solum à contrario sensu probabitionem faciat, quæ probatio non est satis efficax, cum contrarium alia in lege disponatur sit. At quia in *leg. 114. eiusd. tit.*, expressè decidit duos testes sufficienter probare, ibi *Eun deçimos que toda carta, que sea fecha por mano de escribano publico, en que aya escrito los nomes de dos testigos alo menos, e el dia, el mes, e la hora, e el lugar, en que fue fecha, assi como de suso mostramos, que vale para probar lo que en ella dixere*; ideo huic decisioni standum est, & tradit expressè Gregor. Lopez *dicta leg. 54. verbo tres.* Ioann. Gutier. *lib. pract. quæst. 140.* Burgos de Paz. *in leg 3. Tauri 1 p. num. 124. & seqq.* & alii quos refert, & sequitur Garcia. *8. p. de benefic. cap. 4. num. 31.* Neque obstat supradicta *lex. 54.* requirens tres testes, quia non requiruntur necessariò, sed ad abundantiam. ibi : *e abonda en toda carta publica.* Item dici potest requisitos esse tres testes, vel ad minus duos, vt benè Greg. Lopez, & Ioann. Gutier. explicuerunt, & latius Burgos de Paz, *leg. 3. Tauri. 1. p. à num. 124. & seqq.*

PVNCTVM XIV.

An cum Pontifex beneficia vacãtia in mensibus ordinarij prouidet, debeat expressè huic iuri derogare, vt eius concessio teneat.

1 *Cum Pontifex in 4. mensibus ordinario concessis beneficia vacantia proteidet, non tenetur huic iuri derogare.*

2 *An idem sit dicendum, cum ordinario est gratia alternatiua concessa ? Affirmat Garcia.*

3 *Probabilius*

3 *Probabilius est oppositum. Et sit satis contrariis.*
4 *Quid in indulto Cardinalium? Idem sentit Garcia.*
5 *Probabilius est esse necessariam derogationem.*

1 NOn tenetur Pontifex iuri ordinariorum expresè derogare, cum beneficia vacantia in 4. mensibus a iure ordinariis concessis prouidet. Tum quia ipse Pontifex est ordinarius ordinariorum, ac proinde est locus præuentioni, neque ordinariis est concessa facultas prouidendi priuatiuè comparatione Pontificis, sed cumulatiuè. Tum & præcipuè, quia Pontifex conferens beneficium, notitiam habet temporis vacationis, & non obstante hac notitia confert. Ergo intendit præuenire. Ergo non est opus alia derogatione, & ita tradit, & pluribus decisionibus Rotæ comprobat Garc. 5. *p. de benefic. cap. 1. num. 9.* & faciunt ea quæ tradit Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. § 4 præmial. à num. 67.* Verum si absque hac notitia beneficia conferret, credendum est illa conferre, quia existimat non ordinariis, sed sibi iure reseruationis competere, & tunc nulla est collatio Pontificis; quia in casu dubio nunquam Pontifex censetur velle ordinarios in collatione illis competente præuenire, vt multis relatis docet Gonzalez *§. 4. proœm. à num. 6. ad reg. Cancell. & gloss. 51. n. 45.*

2 Audiendum est dicendum, cum ordinario est gratia alternatiua concessa, & Pontifex prouidet beneficium vacans in mensibus alternatiuæ. Affirmat Garcia *supra. à num. 9.* & adducit plures Rotæ decisiones in sui fauorem. Idem docet Aloysius Riccius *in collectan. decis. part. 5. collect. 1595.* Augustinus Barbosa *3. part. de potest. Episcop. alleg. 57. num. 16.* Mouentur; quia alternatiua nihil aliud facit, quam tollere reseruationem illorum sex mensium, & reliquere ordinariis potestatem expeditam in illis mensibus prouidendi; sicut relinquit, cum 4. menses concedit. Sed ex concessione 4. mensium non infertur Pontificem arctatum esse ad derogandum, cum beneficium vacans illis mensibus concedit. Ergo neque arctatur cum beneficium concedit vacans mensibus alternatiuæ. Et ratio est, quia concedit gratiam, vt accumulatiuè prouidere ipse possit, & locus detur præuentioni. Quod si dicas huic præuentioni obstare decretum irritans cuiusuis alterius prouisionis ab ordinario in alternatiua contentum: respondeti potest, obstare prouisioni cuiusuis alterius à Pontifice, non autem prouisioni Pontificis. Alias in ipso decreto irritante adderet clausulam, *per nos successoresque nostros.* Ergo dum se, & successores non obligauit expresè, non debent censeri obligati.

3 Cæterum spectato iuris rigore credo probabilius non valere prouisionem Pontificis factam de beneficio vacante mensibus alternatiuæ, nisi expresè deroget supradictæ gratiæ. Quod nisi Pontifex id exprimat, non censendus est velle gratiæ alternatiuæ derogare. Tum quia hæc concessa est ordinariis, & ab ipsis acceptata sub onere residendi. Ergo posita residentia iniustè illis gratia derogaretur. Tum quia nulla facta derogatione credendum est Pontificem intelligere beneficia vacare in mensibus sibi reseruatis, vel saltem in mensibus à iure ordinariis concessis, non in concessa speciali gratia, qualis est alternatiua. Præterea, quia decretum irritans aditum alternatiuæ ad prouisionem Pontificis [illegible]rur extendi, vtpote qui ordinariorum prouisioni frequentius derogare posset; alias ferè nullius esset vtilitatis, cum raro alteri à Pontifice concessa sit facultas prouidendi beneficia accumulatiuè cum ordinariis; & ita tenet Mohedan. *decis. 1 n. 4 de concess. præbenda.* Puteus *decis. 492. n. 2. in fine, lib. 1.* Felin. *in cap. cum ex officio. n. 36. in fine. vers. quod autem de præscriptionib.* quos refert & consequitur Gonz. *ad reg. mens. § 4. proœm. à num. 20. & seqq.*

Neque obstant contraria superius adducta. Concedo per gratiam alternatiuæ tolli obstacula, & remoueri reseruationem, & ordinarios illam habentes manere expeditos ad prouidenda beneficia illis mensibus vacantia; nego tamen inde inferri censeri Pontificem sibi reliquisse potestatem illa iure ordinario conferendi, sed solum iure extraordinario, & facta derogatione. Tum ob specialitatem gratiæ sub onere residendi concessæ. Tum ob decretum irritans, quod non inuenitur in concessione facta à iure pro quatuor mensibus. Et licet in ipso decreto non addatur clausula, *per nos successoresque nostros*, non tollit quominus de Pontificis prouisione veniat intelligendum. Tum quia alternatiua est specialis gratia derogans communi iuri, cui non censetur Pontifex, nisi exprimat, derogare. Tum quia, nisi Pontificis prouisionem impediret, ferè nullius esset vtilitatis talis alternatiuæ concessio.

4 Sed quid dicendum de indulto Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ concesso, vt possint omnia beneficia suæ diœcesis prouidere, ita vt omnes aliæ prouisiones, etiam per sedem Apostolicam factæ, irritæ sint, & inanes; an inquam Pontifice præueniente prouisionem Cardinalium, teneat eius prouisio, quin expresè deroget supradicto indulto?

Affirmat Garcia 5. *part. de benefic. cap. 1. à num. 33.* Mouetur; quia hoc indultum conceditur Cardinalibus ad remouendum obstaculum reseruationis. Ergo solum comprehendit illa beneficia, quæ specialiter Cardinalibus reseruata sunt: cum autem Cancellaria de mensibus Apostolicis non comprehendat Cardinales, sed potius eos excipiat, vt multis allegatis probat Gonzalez *ad reg. mensium. gloss. 24. num. 1.* efficitur sanè de horum prouisione supradictum indultum non intelligi, sed Cardinales iure ordinario prouideri cumulatiuè cum Pontifice, & fauent aliquot Rotæ decisiones à Garcia relatæ.

5 At verius mihi apparet indigere Pontificem derogatione supradicti indulti Cardinalibus concessi; vt censeatur velle eorum prouisioni derogare. Concedo namque in reseruatione mensium non comprehendi Cardinales ordinarios collatores, sed potius iuri ordinario relinqui, vt in quibuslibet mensibus possint omnia beneficia prouidere. At huic ordinariæ potestati superadditur indultum, ne alius in illorum prouisione se intromittat, neve alterius prouisio etiam per sedem Apostolicam facta valeat. Ergo censendum est ex vi illius indulti manus ordinarias Pontificis ligatas esse. Tum quia illud indultum vltra concessionem iuris aliquid operari debebat. Tum quia de omnibus beneficiis indistinctè loquitur. Neque decisiones Rotæ dicunt, contrarium, solum enim affirmant non obstare decretum irritans Cardinalibus concessum, quominus Pontifex prouisionem beneficiorum ad Cardinales pertinentium facere possit; sed hoc non iure ordinario, sed extraordinario derogando scilicet gratiæ illis factæ, secus absque tali derogatione. Addes; esto Rota aliquando tenuerit non esse necessariam derogationem expressam indulti Cardinalium in prouisione Pontificia. At re benè perpensa necessitatem derogationis firmarunt, vt optimè aduertit Gonzalez *ad reg. mens. gloss. 5. § 9. num. 12.* cum Puteo *decis. 479. lib. 2.* Rota *decis. 46. lib. 1. par. 3. diuers. & decis. 10. per totam. part. 3. lib. 3. diuers.* Flamin. Paris. *lib. 6 de resignat. quæst. 5. num. 69. & 70.* Mandos. *de signatura gratiæ tit. coadiutoria. col. 3. vers. clausulam.* Idem tradit Gonzalez *gloss. 52. numero 55.*

PVNCTVM. XV.

Quæ beneficia generali, vel speciali reseruatione Pontifici reseruentur, & quid, qualisque sit reseruatio.

1 *Quid reseruatio sit.*
2 *Est duplex, alia generalis, alia specialis; alia in corpore iuris contenta, alia extra.*
3 *An plures, an vnica sit in iure reseruatio? Probabilius est vnicam esse.*
4 *Beneficia affecta propriè reseruata non sunt.*
5 *An reseruatio odiosa sit, vel fauorabilis? Resoluitur vt probabilius odiosam esse.*

1 VErum, vt clarè constet quæ beneficia possit Pontifex conferre absque vlla derogatione iuris alteri quæsiti videndum est, quæ sibi vel speciali, vel generali iure reseruauerit. Nam cessante reseruatione quilibet Episcopus in suo Episcopatu conferre omnia beneficia potest, vt constat ex *cap. omnes basilicæ, cap. nullum. 16. quæst. 7. cap. conquerente. de offic. ordin. cap. ex frequentibus. de institut. & p. cum. ex iniuncto. in fine. de hæreticis,* & tradunt pluribus relatis Flamin. *de resignat. lib. 1. quæst. 10. à num. 49. & lib. 7. quæst. 4. num. 2.* Nicol. Garcia 4. *part. de benefic. cap. 1 n. 52.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. § 1. proœm. num. 21. & 22. & gloss. 11. num. 38.* Augustinus Barbosa 3. *part. alleg. 37 num. 1.* At posita reseruatione Episcopi manus ligatæ sunt, & solus Pontifex se intromittere potest in talibus beneficiis conferendis: Quia reseruatio nihil aliud est, quam beneficij vacaturi ad se auocatio, vt ex Ænea de Folc. tradit Azor. 2. *p. lib. 6. cap. 34. q. 1.* Quod ita verum est, vt si fortè ordinarius contrarium attentauerit, nullius valoris sit eius prouisio, vt colligitur ex *c. dudum. c. multum stupeo. 3. q. 6. cap. si eo tempore. de electione. in 6. & cap. licet de præbendis in 6.* & expressit Nicolaus V. in sua constitutione 6. incipiente. *Ad sacram Petri sedem.* Clem. VII. in constit. 45. incipiente. *Admonet.* anno 1534. & Gregor. XIII. in constit. 42. incipiente. *Quæ in Ecclesia Dei.* anno 1576. & notauit Barbosa *d. allegat. 57. num 18.*

2 Duplex est reseruatio; alia specialis; alia generalis, quas diuersimodè doctores explicant; frequentius tamen, & meo iudicio verius, cum dicunt generales reseruationes eas esse, quibus plura beneficia sub aliqua vna ratione reseruantur, vt cum reseruantur, omnia Ecclesiæ cathedralis. Abbatiæ, vel prioratus, vel beneficia in curia vacantia, vel vacantia talibus mensibus, vel quæ fuerint collectorum, subcollectorum, aut familiarium Pontificis, & similia. Et speciales reseruationes eas esse, quibus certa beneficia vel pro certis personis reseruantur, sic ex pluribus firmat Garcia 5 *p. de benefic cap. 1. à num. 58* Barbosa *allegat. 57. num. 18.* Gonzalez *gloss. 30. præcipuè num. 12.* Azor. 2. *p. instit. lib. 6. cap. 34. quæst. 3.* Rursus reseruatio alia est in corpore iuris contenta, alia extra corpus iuris habetur; cuius notitia, vt benè aduertit Azor. *q. 4.* non parum vtilis est, cum sæpe legatis, & aliis facultas sit conferendi beneficia extra corpus iuris reseruata. Illam ergo existimo esse in iure contentam, quæ in aliquo ex sex libris decretalium, vel elementinarum

continetur; quia hæc omnia ius commune constituunt, & ad corpus iuris dicuntur pertinere. Econtra vero extra corpus iuris habentur, quæ in aliis constitutionibus extrauagantibus, decretis, & regulis Cancellariæ continentur; sicut probabilius defendit Azor. *dicta q.4.* Garc. *5.p. de benefic. cap.1.n.130.*

3 Quod si inquiras quot sint reseruationes in corpore iuris contentæ, an plures, an vna tantum? Nicolaus Miles *in verbo reseruatio.§.2. ad finem,* & Æneas de Falconibus *tit. de reseruat. q.2. principali. n.2.* Affirmant plures esse reseruationes. Prima; quæ habetur in *extrauag. ex debito. de elect.* & in *extrauag. ad regimen. de prabend. & dignitatib. inter communes.* Secunda, quæ habetur in *extrauag. execrabilis. de prabendis.* Tertia, de beneficiis deuolutis ob negligentiam ordinariorum collatorum, Quarta, de beneficio litigatoris, iuxta *text. in cap.1. & 2. vt lite pendente.* Quinta, de beneficiis exemptis, & Papæ subiectis; iuxta *text. in cap. mutationes 7. q.1. cap. licet. cap. inter corporalia. de translat. episcopi, & clement. in plerisque. de elect.* Sexta, de beneficiis acceptis, iuxta *extrauag. ad Roman. §. Romani. de prabend. inter comm.* vbi tanti valoris, & efficaciæ est manus Pontificis appositio, vt esto effectum non sortiatur ob incapacitatem prouisi, adhuc non possit ordinarius in illius beneficij prouisione se intromittere, sed ad Pontificem pertinet.

Verum probabilius est solam vnicam esse reservationem in corpore iuris clausam, quæ habetur *cap.2. & 6 p. præsenti. de prabendis in 6.* tradit Glossator *in reg. Cancell. reg. 35. vers. item quæritur, & reg. 62. ad finem.* Azor. *2 p. instit. moral. lib. 6.c.34. q.4.* Garc. *de benefic. 5.p. cap.1.n.142.* Nam reseruationes, quæ habentur in extrauagantibus, reputantur extra corpus iuris. Adde reseruationem in *extrauag. ex debito, & ad regimen,* temporariam fuisse pro vita Pontificis statuentis. Reseruatio contenta in *extrauag. execrabilis*, non est nuda reseruatio, sed beneficij priuatio, & illius reseruatio ob delictum. Et idem est de beneficiis deuolutis, quæ non tam iure reseruationis, quam deuolutionis prouidentur. Beneficia vero litigiosa propriè reseruata non sunt, cum finita lite ea possint ordinarij prouidere, sed durante lite suspenditur illorum prouisio. Item beneficia exempta, & Papæ subiecta non iure reseruationis, sed iure ordinario Pontifici competunt, sicuti illi competunt beneficia in Romana vrbe consistentia, & etiam tanquam pastori vniuersali excitationes, vniones, translationes ecclesiarum cathedralium, & similia. Quæ quia ab aliis à Pontifice prouideri non possunt, non est opus reseruatione: hæc enim solum est ad excludendam aliorum prouisionem anticipatam, vt benè dicit Gonzalez *ad reg.8. Cancell. glos. 13.n.8.*

4 Tandem beneficia affecta, propriè reseruata non sunt. Tum quia reseruatio verbis, non factis fit. Econtra affectio factis constituitur, scilicet prouisione Pontificis, vel mandato de prouidendo; sic Gonzalez *ad reg. mensium glos. 52. num.4.* Tum quia reseruatio est perpetua; quia in perpetuum adimit ordinariis potestatem beneficia reseruata conferendi, at affectio solum pro tempore limitato, scilicet pro prouisione illa subsequenti: nam si illa prouisio, ad cuius finem Pontifex manum apposuit, effectum sortita est, cessat affectio, & reseruatio beneficij, vt aliis relatis docet Gonzalez *supra.* Azor. *1.p. instit. moral. lib. cap.34. quæst. 5.* Sed aduerte huiusmodi affectionem, seu diminutam reseruationem solummodo contingere, cum Pontifex manum apponit in beneficiis conferendis ad effectum, vt illa conferat. Sic Garcia *5. p. de benefic. cap.1. num.150.* Gonzalez *glos. 52.n.38.* Quapropter si manum Pontifex apponit, non præcisè ad effectum conferendi beneficia, sed ob aliam causam, scilicet vt resignatio in fauorem, vel cum pensione effectum habeat; non obinde beneficium manet affectum, seu Pontifici reseruatum, si aliàs reseruatum non sit. Sic Garcia & Gonzalez *supra.* Minusque manet affectum beneficium, si illud procurat Pontifex prouidere ex falsa relatione sibi facta, quod beneficium illud sit ei reseruatum, cum tamen non sit; vel sit liberum, cum tamen sit de iure patronatus laicalis; vel sit seculare, cum tamen sit regulare; vel sit perpetuum, cum tamen sit manuale. Hæc enim omnia faciunt, vt Pontificiæ manus appositio non fuerit ad effectum illud conferendi, cum nunquam tale beneficium conferre intenderit. Sic Gonzalez *à n.48. & seqq.* vbi optimè hanc materiam de beneficio affecto pertractat.

5 Sed inquires; an reseruatio censenda sit odiosa, an fauorabilis? quam quæstionem latissimè pertractat Gonzalez *§. 6. procem. de mensibus, & alternatiuis. per totum,* & concludit reseruationem pro singularibus personis, vel de singulari beneficio factam odiosam esse. At reseruationem, quæ sit per modum legis, quæque reducit res ad suum primæuum statum, & institutionem, & inducta est ad vitandas fraudes, & in fauorem clericorum pauperum, & personarum bene meritarum esse fauorabilem, & ampliandam: talis autem est reseruatio clausa in corpore iuris, & contenta in regulis Cancellariæ; siquidem fertur per modum legis, vt de se constat, & reducit prouisionem beneficiorum ad suam primæuam naturam, quæ est, vt Pontifex solus illam haberet, & ex eius concessione omnes prælati inferiores, iuxta *textum in cap. de cætero,* ibi, *qua vices suas. & cap. qui se scit. in prin. 2.q. 6.* & ex alia parte fit ad vitandas fraudes, quæ in promotione ordinariorum solent facilius contingere. Itémque expeditur in fauorem pauperum clericorum, & personarum bene meritarum, quibus Pontifex beneficia reseruata conferre intendit. Ergo absolutè est constitutio fauorabilis.

Cæterum mihi probabilius apparet omnem reseruationem tam in corpore iuris clausam, quam extra esse odiosam, & restringendam. Sic Glossa *in cap. præsenti verbo finitur. de officio legat. in 6.* Nau. *cap. accepta. de restit. spoliat. solut. to. num 42.* & alij plures, quos refert, & sequitur Garcia *5. p. de benefic. c. 1. n.67.* & adducit Gonzalez *ad reg. mensium. d.§.6 procem. num.6.* Ratio præcipua est, quia concessio facta ordinariis de beneficiis suæ diœcesis conferendis est fauorabilis, & ampliandа. Tum quia est potestas à principe data non cuilibet personæ particulari, sed omnibus ratione officij, & munerис, quod exercent. Ergo derogatio huius debitæ potestatis, & quasi naturalis odiosa censeri debet. Et confirmo. Si reseruatio fauorabilis esset alternatiua episcopis concessa in fauorem ecclesiarum, odiosa esset, quia destruit reseruationem. At ipsemet Gonzalez *supra. § 6 procem. num.42.* negat alternatiuam censendam esse odiosam, sed potius affirmat esse fauorabilem. Ergo reseruatio illi contraria odiosa est, & restringenda. Item ipsemet Gonzalez *§.5 procem num.1; 9.* affirmat constitutionem *cap. si apostolica. 35 de prabendis. in 6* fauorabilem esse, quia minuit reseruationem. *cap. licet. eodem tit & lib.* Ergo censet quamlibet reseruationem absolute esse odiosam. Neque obstant contraria superius adducta. Fateor reseruationem non esse pro aliqua singulari persona, & singulari beneficio, sed pro pluribus personis, & pro pluribus beneficiis. Sed hoc non tollit, quominus odiosa sit, cum deroget potestati ordinariæ. Minus obstat, quod sit per modum legis, nam etiam lex odiosa esse potest, si ius alteri quæsitum diminuit, vt contingit in reseruatione, quæ ius, & potestatem ordinariorum ratione sui officij competentem diminuit. Neque viget latam esse reseruationem ad vitandas fraudes, personasque pauperes, & bene meritas prouidendas, quia legis rigor, vel fauor non desumitur ex fine legislatoris, cum is semper debeat esse vtilis reipublicæ; & conueniens, sed ex fine intrinseco ipsius legis: seu, vt clarius dicam, ex materia ipsius legis, quæ si in obligatis illam seruare odium, & rigorem contineat, absolutè odiosa est, & non fauorabilis.

PVNCTVM XVI.

Expenditur reseruatio clausa in corpore iuris, quæ est de beneficiis vacantibus apud sedem.

1 *Adducuntur textus, in quibus hæc reseruatio continetur.*
2 *Quid nomine sedis Apostolicæ, curiæ Romanæ, & curialis intelligatur.*
3 *An Pontifex se recreationis causa alio transferente, non translata curia, beneficiarius si interim moriatur, vacet eius beneficium apud Sedem? Remittur dubitandi ratio.*
4 *Resoluitur quid sentiendum sit.*
5 *An cap. statutum, reuocatum sit per extrauag. piæ sollicitudinis. de præbend. Resoluitur, vt probabilius esse reuocatum.*
6 *Quæ beneficia vacantia apud Sedem comprehendantur in cap. licet.*

1 Hæc reseuatio statuitur *in cap. licet. de prabendis in 6.* à Clement. V. in hæc verba. *Nos antiquam, & laudabilem consuetudinem approbantes, statuimus dignitates, personatus, & beneficia, quæ apud sedem Apostolicam deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem, cuiuscumque super hoc sit authoritate munitus, siue iure ordinario potestatis ipsorum electio, prouisio, seu collatio ad eum pertineat, siue litteras super aliquorum prouisionem generales, vel etiam speciales, sub quacunq; verborum forma receperit, nisi ei sit super conferendis eisdem in curia Romana vacantibus specialis, & expressa ab ipso Pontifice summa authoritate attributa, conferre alicui, seu aliquibus non præsumat. Nos enim si secus actum fuerit decernimus irritum, & inane.* Supradictum decretum Bonifac. VIII. *in c. præsenti. 34. eodem tit & lib.* declarauit in hæc verba. *Præsenti declaramus edicto statutum fœlicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri de beneficiis apud sedem Apostolicam vacantibus per alia quam per Romanum Pontificem minimè conferendis, locum habere in beneficiis, quæ Legati, aut Nuntij Sedis eiusdē vel quiuis alij ad Romanam curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa obtinere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi curia mori contingat, quemadmodū si in loco, vbi eadem curia residet morerentur. Idem est si aliquis curialis etiā ecclesia Romana vacāte peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quauis causa ad locum curiæ vicinū secedens in huiusmodi loco vicino decedat dum ibi etiamsi erat ad ipsam curiam reuersurus, eius domicilium seu*

domus

domus propria non existat. Loca vero intelligantur vicina eidem curiæ in præmissi, quæ remota vltra duas diætas legales, (quas hoc casu sic specialiter volumus cõputari) à loco vbi moratur ipsa curia, non existunt. Sanè si quis in loco, vbi degit curia suæ originis domũ habens, diem claudat extremum in ea, ipsius beneficia sub prædicto non aliter includantur statuto, quam si curialis esset ante ea, & ibidem occasione curiæ moraretur. Porro cũ curiã de loco ad locum transferri contigerit, si curiales initinere dum curiam sequuntur eandem, vel in loco, vbi recedit ipsa curia forsitã remanentes infirmi rebus inibi eximantur humanis, præmissum statutũ quantumcunque locus vbi decedunt ab ipsa curia sit remotus, ad illorum beneficia se extendit. Porro Gregor. X. *in c. statutum, de prabendis. in 6.* suprædictum decretum temperauit, vt suprædicta reseruatio locum haberet intra mensem à die vacationis apud Sedem computandum; nam illo mense transacto; si Pontifex non prouiderit, poterunt ad quos de iure prouisio pertinebat prouidere. Deinde suprædictum decretum Clement. temperauit Bonifac 8. *in cap. si apostolica sede vacante*, vt non comprehendat ecclesias parochiales vacantes apud sedem, si ibidem vacauerint tempore quo sedes ipsa Apostolica vacet; tunc enim ne periculum afferat animarum diutina vacatio, poterunt per eos, ad quos de iure prouisio pertinet, prouideri. Et idem est de illis, quæ ibidem ipso Romano Pontifice viuente vacabunt, si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum.

2 Pro explicatione suprædictæ reseruationis præmittendum est, quid nomine sedis Apostolicæ, curiæ Romanæ, & curialis intelligatur; vt inde cognosci possit quæ beneficia apud sedem vacent, quæ apud curiam, & quæ sint curialium, ac tandem quæ sint reseruata in *suprad. cap. licet*. Sedes inquam Apostolica est, vbi Pontifex sedet, & assistit Ecclesiam gubernaturus: curia vero Romana videtur esse idem ac sedes Apostolica, vt benè explicat Gonzalez. *gloss. 5. §. 1. à. num. 1 & seqq.* Sed non inde sit idem esse vacare beneficium apud Sedem Apostolicam, aut vacare in curia. Nam beneficium apud sedem Apostolicam, vacare tantum dicitur, iuxtà *textum in cap. præsenti, de prabẽdis. in 6.* quoties vacat in Romana curia, vel in locis illi vicinis per duas diætas legales, hoc est, vt explicat ibi glossa, *per 20. leucas*, nam diæta legalis continet 20. milliaria, iuxta *leg. vicena millia ff. si quis cautionib.* per mortem possidentis illud. Hæc enim sola vacatio est, quæ reseruatur in *cap. præsenti. de prabendis. in 6.* vt constat ex ipso textu, qui solum de vacane per mortem loquitur. Quapropter si beneficium non per mortem beneficiati, sed per illius resignationem, permutationem, priuationem; aut alium similem modum vacet, non vacat apud sedem ex vacatione suprædicti textus, esto in curia vacare censeatur aliis modis. Beneficia enim vacantia apud sedem in curia vacant, sed non econtra, quæ vacant in curia, vacant apud sedem, cum sint plura vacantia in cutia, quæ apud sedem non censentur vacare, vt in beneficiis permutatis, resignatis, & priuatione affectis videri potest, & benè explicat Ludouic. Gomez *reg. de triennali, quæst. 31. post principium. num. 2. & 3. &* 5. Puteus *decis. 36. num. 1. & per totum lib. 2.* Couarruu*ias q. 36. num. 4. vers. caterum.* Gonzalez *de mensib. & alt*[illegible]*ius. gloss. 13. à n. 48.* Nomine curialium intelliguntur fam[illegible] seruientes Pontifici, & Cardinalibus, iudices, notarij, aduocati, procuratores, & sollicitatores causarum Romanæ curiæ. Sic Mandos. *reg. 5. Cancell. q. 1. n. 18. & q. 3. num. 5. in fine.* Gonzalez *de mensib. & alternatius. gloss. 13. §. 1. in fine.* Hoc posito.

3 Dubium est, si Pontifex non translata curia Romana alio se transferat recreationis, vel alterius negotij causa, vt sæpè contingit, cum Neapolin, Siciliam, vel Ferrariam pergit, quo in loco decedens debeat beneficiatus, vt censeatur beneficium apud sedem vacare, an inquam vbi est litterarum Apostolicarum, & alia[illegible] causarum audientia, & expeditio, an vbi Pontifex resi[illegible] in vtrobique? Ratio dubitandi est; quia vbi Pontifex non [illegible]est, sedes Apostolica non esse potest, vt multis allegatis probat Gonzalez *gloss. 13. §. 1. à. n. 1. &* Mandos. *reg. 5. Cancell. q. 1. n. 1.* Rebuff. *in concordat. tit. de forma mandati, verbo extra Romanã curiam, vers. & aduerte quod ibi est curia.* Ergo si beneficiatus moriatur Romæ, vbi tunc non adest Pontifex, sed solum eius audientia, & causarum expeditio, tale beneficium non vacat apud sedem Apostolicam, sed solum apud curiam. Ex alia etiam parte non videtur vacare apud sedem Apostolicam ex eo quod vacet in loco, vbi Pontifex non permanenter, sed transeunter existit. Tum quia ibi non sedet gubernaturus. Cum quia ibi non est eius curia. Ergo neque etiam censendum est ibi sedem existere. Alias quoties Pontifex recreationis causa alio se transferret, diceretur sedem Pontificium transtulisse, quod est contra expressum textum in clement. *ne Romani. §. sanc. de electione.*

4 In hac re dicendum est si solum spectemus *textum in cap. licet, & cap. præsenti*, solum beneficium vacans Romæ, vbi Cancellaria existit, & Pontifex domicilium habet, reseruatum esse, at non esse reseruatum ex eo quod vacat in loco, vbi Pontifex transeunter existit. Probo. Nam vbi Cancellaria existit, & Pontifex domicilium habet, ibi adest sedes Apostolica; quia ibi Pontifex censetur adesse. Absentia enim breuis non impedit præsentiam permanentem. At vbi Pontifex transeunter adest absque Cancellaria, & audientia, eius curia sedesque Pontificia non existit, sicut neque curia regia existit, nisi vbi adsunt consiliarij Regis vt benè aliis relatis docet Couarruu. *pract. q. cap. 4. num. 10.* Gregor. Lop. *leg. 27. verbo corte. tit. 9. par. 2.* Ioann. Garcia *de expensis. cap. 12. num. 25.* Ergo beneficium vacans vbi non est sedes Pontificia, esto Pontifex personaliter adsit, non vacat apud sedem Apostolicam, esto vacet apud Pontificem. Ergo non est reseruatum ex *text. in cap. licet. & cap. præsenti. de prabendis. in 6.* Verum etsi hoc beneficium reseruatum non sit spectatis suprædictis textibus, at posita constitutione Pauli III. quæ est in ordine illius Pontificis 36. & constit. Clement. VIII. 54. quæ est in bullario nouo *t. 3. fol. 70.* negari non potest beneficium vacans, vbi Pontifex etiam transeuntur existit, reputari vacans, apud sedem, & eodem modo, ac si Pontifex Romæ existeret, esse reseruatum, quia vna, & eadem curia Romana reputatur in Vrbe, & vbi est Papa, vt notauit Garcia. 5. *p. de benefic. cap. 1. n. 395. &* 396. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg. 5. num. 128.*

5 Secundo dubitabis, an *cap. statutum* temperans prædictum *cap. licet*, reuocatum sit per *extrauag. pia sollicitudinis 1. de prabendis. inter communes*? Et videtur reuocatum non esse; quia correctio iuris vitanda est quoad fieri possit, at in præsenti vitari potest correctio, quin textibus violentia inferatur. Nam *textus in cap. pia sollicitudinis*, reseruat omnia beneficia cum cura, & sine cura apud sedem vacantia intra vnum mensem à data præsentium; qui textus optimè concordari potest cum *cap. statutum 3. de prabendis. in 6.* dicens hoc esse intelligendum, dummodo Pontifex beneficia prouideat intra mensem à die vacationis, secus si prouisionem omiserit, nam per hanc omissionem sublata censetur reseruatio. Præterea *suprædicta extrauag. pia sollicitudinis*, non est reuocatus *textus in cap. si Apostolica. de prabendis. in 6.* vt multis relatis docet Gonzalez *de mensib. & alternatiuis. §. 5. proœm. à num. 128.* Esto in suprad. extrauag. generaliter reseruentur omnia beneficia cum cura, & sine cura, quæ in posterum vacauerint; quia hoc intelligendum est, dummodo non vacent tempore sedis vacantis. Ergo etiam similiter intelligi potest supradicta extrauagans; reseruata inquam esse beneficia per mensem à die vacationis, secus illo transacto, si Pontifex non prouidit. Item si *dictum. cap. statutum*, esset reuocatum per *extrauag. pia sollicitudinis*, vt quid ipsemet Bonifac. qui author fuit suprædictæ extrauag. & compilator libri 6. decretalium hunc textum in illo lib. inseruit? Et ita non esse huiusmodi textum reuocatum inclinat Æneas de Falconibus *de reseruat. q. 4. princ. effectu 6. n. 2.* & tradere videtur Barbosa 8. *allegat. 57. num. p. 24.*

Nihilominus verius mihi videtur reuocatum esse. Sic Gonzalez *de mensib. & alternatiuis § 5. proœm. à num. 148.* Garcia 5. *p. de benefic. c. 1. num. 198.* Mouetur quia consuetudine, & stylo curiæ sic firmatum est, vt beneficia vacantia in curia etiam post lapsum mensis, non permittantur ab ordinariis prouideri. Ergo signum est concessionem *dicti cap. statutum*, cessasse. Alias ordinarij cum in suo iure conseruando vigilantissimi existant, non cessarent ab huiusmodi beneficiorum vacantium prouisione. Neque obstat *extrauag. pia sollicitudinis* compati posse cum cõcessione *cap. statutum*. Nam hoc verum est, nisi aliud stylus, & consuetudo declarasset; quod non declarauit de concessione facta *in cap. si Apostolica*. Addo; esto caput *statutum*, reuocatum non esset *dicta extrauag. pia sollicitudinis*. At negari potest reuocatum esse per *extrauag. ad regimen de prabend. inter communes* quæ per *reg. 1. Cancell.* vt dicemus §. *sequenti* quotidie renouatur. *Sic.* Garc. 5. *p. de benefic. cap. 1. num. 100.*

6 Tertio dubitabis, quæ beneficia vacantia apud sedem comprehendantur in reseruatione *dicti cap. licet*. Respondeo omnia beneficia quæ vacant apud sedem seu in curia per mortem beneficiati, aliquibus tamen exceptis. Excipiuntur namque primo beneficia iuris patronatus laicalis; quia his numquam censetur derogatum, nisi verbis expressis derogatio fiat: sic Gloss. *in cap. licet. de prabendis. in* 6. vbi Geminian. *n. 12.* Decius *cons. 249. n. 6.* Gonzalez *gloss. 18. n. 2. & seqq.* Garcia 5. *p. de benefic. cap. 1. à. n. 561.* Barbosa *alleg. 57. n. 26.* Sed an intelligantur hæc de patronatu competente ex priuilegio, consuetudine, aut præscriptione. Item de patronatu mixto laicorum, & clericorum, ac tandem de patronatu ecclesiast, satis supra dictum est, cum de patronatu sermonem fecimus. Secundo excipiuntur beneficia regularia; quia in suprad. textu non exprimuntur, & sub nomine beneficij in odiosis non censentur comprehensa, nisi expressa sint. Gonzalez *gloss. 8. num. 11.* Barbosa *alleg. 57. num. 29.* Tertio excipiuntur beneficia parochialia, si vacent sede Pontificia vacante. Et idem est, si viuo Pontifice vacauerint, neque Pontifex illorum fecerit prouisionem, ex textu expresso *in cap. si Apostolica. de prabendis. in 6.* nullis extrauagantibus reuocato. Gonzalez *ad reg. cancell. §. 5. proœm. n. 125. & gloss. 24. n. 111. &* 117. Barbosa 3 *p. de potest. episc. alleg. 57. n. 30.* Garcia 5. *p. de benefic. c. 1. n. 108.* Nam licet *in extrauag. Ad Romanos, quæ est vlr. de prabend. inter communes*, dicatur beneficia semel affecta, & Pontifici reseruata semper reseruata manere, limitandum est, vt non intelligatur de beneficiis parochialibus quæ viuo Pontifice prouisa non fuere. Lex enim generaliter

loquen-

loquens restringi debet per specialem, præcipuè cum specialis multum fauorabilis sit. Quod non solum verum habet in beneficiis vacantibus in curia, sed etiam si vacent extra cutiam in mense Apostolico, aut quocunque alio modo reseruati sint. Quia est eadem, imo efficacior ratio. Reseruatio namque ob vacationem in curia est omnium efficacior, vtpote perpetua, & in corpore iuris clausa. Si ergo in fauorem ecclesiarum tollitur hæc reseruatio. Sede Pontificia vacante, & quælibet alia reseruatio tolli debet. Gonzalez *de mensibus, & alternat.* §. 5. *proœm. à n.* 138. Garcia *de benefic. 5. p. cap. 2. num.* 104. Non tamen habet locum concessio *dicti cap. si apostolica*, in beneficiis douolutis. Tum quia hæc reseruata non sunt. Tum & præcipuè quia deuolutio fit ob culpam inferiorem. Non igitur erat æquum, vt ad illos iterum prouisio rediret: & ita notauit Gonzalez *supra. num.* 141. Garcia *num.* 105. Quarto excipiuntur à reseruatione *dicti cap. licet*, beneficia illorum, qui originem, seu domicilium, imo domum conductam ibi habent, quorum beneficia, nisi curiales, seu cortesani sint, non manent Pontifici reseruata. Aliàs, vt benè dicit Glossa *cap. præsenti de præbendis. in 6. verbo moraretur*, non leue præiudicium Romanæ curiæ proueniret, si omnium ibi degentium beneficia solus Papa prouidere posset, cessaret enim concursus curiæ, sic expresè Simoneta *de reseruatis. q.* 30. *num.* 3. Farinac. *id decisionib. nouissimis. decis. 6.* 16. Garcia 5. *p de benefic. cap.* 1. *num.* 83. August. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg.* 57. *num.* 31. & habetur expresè *supra. cap. præsenti.* ibi. *Sane si quis in loco vbi degit curia, suæ originis domum habens diem claudat extremum, in ea ipsius beneficia sub prædicto non aliter includantur statuto, quam si curialis esset antea, & ibidem occasione curiæ moraretur*, & vide Glossam *ibi*. Quinto excipiuntur à supradicta reseruatione *cap. licet*, beneficia Vrbis. Quia horum prouisio non iure reseruationis, sed iure ordinario Pontifici competit: reseruans namque impedit, seu priuat, ne alius beneficium sic reseruatum prouideat. Si ergo nullus alius à Pontifice prouidere beneficia Vrbis potest, quid reseruat? Gonzalez *ad reg. 8. Cancell glos.* 13. *à n.* 14. August. Barbosa 3 *p. de potest. episc. alleg.* 57. *n.* 31.

Punctum XVII.

Explicatur prima reseruatio contenta in prima regula Cancellariæ.

1 *Quid sonent regulæ Cancellariæ.*
2 *Adducitur prima regula iuxta nouissimum tenorem.*
3 *Quæ in hac regula reseruentur, latè explicatur.*

1 Sciendum quemlibet Pontificem initio sui Pontificatus regulas Cancellariæ publicare iuxta stylum suorum prædecessorum aliquid addendo, vel mutando, prout negotiorum cursus expostulat. Hæ regulæ sunt quædam quasi generales leges de beneficiis disponentes, ad quarum valorem nulla alia solemni publicatione indigent, quam quod sunt publicè constitutæ, ita vt à puncto constitutionis earum effectum habeant quoad nullitatem prouisionis in contrarium, esto non habeant effectum, quoad pœnas ibidem positas. Quapropter prouisio beneficiorum in contrarium facta, esto bona fide facta fuerit, nullius erit vtilitas. ob decretum irritans in illis regulis contentum, & quia Pontifex disponit de re propria sibique competenti. Sic Gonzalez *de regul. mens. §. 5. proœm. à num.* 53. August. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg.* 57. *n.* 62.

2 Prima regula Cancellariæ à Paulo V. Gregorio XV. & Vrbano VIII. constituta renouat omnes reseruationes contentas in *extrauag. Benedicti XII.* quæ incipit *Ad regimen. de præbendis inter communes.* cuius reseruationes temporatiæ erant pro vita Pontificis, vt constat ex illis verbis; *donec miserationis diuinæ clementia nos vniuersali ecclesiæ præsidere concesserit.* At per has regulas Cancellariæ continuo renouatas fiunt illæ reseruationes perpetuæ. Insuperque in supradicta prima regula additur, vt reseruatio procedat quoad beneficia officialium Sedis Apostolicæ, esto tempore obitus officiales esse desierint. Et esto beneficia non fuerint tempore officij assecuti, sed post dimissum officium, & quandocunque ea assecuti fuerint. Nam esto quoad participationem, & numerum non reputentur officiales Pontificis. v. g. Notarij, seu Protonotarij, postquam officia dimiserunt: at quoad reseruationem tales reputantur, vt benè comprobat Garcic 5. *p. de benefic. cap.* 1. *à num.* 200. *& seqq.* Præterea reseruat beneficia, quæ iuxta constitutionem Ioannis XXII. quæ incipit *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerit. Ac tandem reseruat beneficia omnia, de quibus ordinarij, ac alij collatores contra Concilij Trident. decreta disposuerunt & disponent in futurum.

3 Pro explicatione huius regulæ aduerte, reseruari primo omnes Patriarchiales, Archiepiscopales, & Episcopales ecclesias, & etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus, & officia, nec non canonicatus, & præbendas, ecclesias, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & regularia quæcumque, & qualiacunque fuerint, etiam si, ad illa personæ consueuerint, seu debuerint per electionem seu quemuis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam quocunque modo vacantia, & in posterum vacatura.

Sed hæc reseruatio eadem est cum reseruatione facta in *cap. licet. de præbendis in 6.* ac proinde explicatione non indiget, sicut neque etiam illa reseruatio beneficiorum, quæ de curialibus loquitur intra duas diætas à curia decedentibus.

Secundo reseruantur beneficia vacantia, aut vacatura per depositionem, aut priuationem, seu translationem, aut muneris consecrationis suspensionem factas, vel faciendas authoritate Apostolica. Gonzalez *glos.* 51. *num.* 32. Aug. Barbosa 3. *p. de potest. episcop. alleg.* 57. *num.* 65. Hæc tamen priuatio, depositio, seu suspensio sententiam saltem declaratoriam criminis requirit; aliàs vacare beneficia non censentur, ita vt prouideri possint; vt latius diximus, cum de pœnis hæreticorum loquemur.

Tertio reseruantur beneficia illorum, qui in concordia vel discordia electi, vel postulati fuerint, quorumque electio cassata fuit vel postulatio repulsa; vt habetur in *suprad. extrauag. Ad regimen. §. necnon.* & in *extrauag. ex debito. de elect. inter communes. §. huiusmodi*, & notauit Gonzal. *supra. n.* 14.

Quarto reseruantur beneficia quæcunque vacatura per obitum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & officialium sedis Apostolicæ, videlicet Camerarij Vicecancellarij Notariorum, Auditorum, litterarum contradictorum, & apostolici palatij causarum Auditorem, Correctorum. & Scriptorum litterarum apostolicarum, ac Pœnitentiarij præfatæ sedis, & Abbreuiatorum, necnon commensalium, & aliorum, quorumlibet Capellanorum sedis eiusdem, & etiam quorumcunque. Legatorum, siue Nuntiorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum, & Thesaurariorum per dictum Ioannem prædecessorem, vel nos specialiter deputatorum, seu missorum hactenus, vel à nobis deputandorum, aut mittendorum in posterum nunc vacantia, & in antea vacatura, vbicunque dictos Legatos, vel Nuntios, seu Rectores, aut Thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint, seu venerint; rebus eximi contingat ab humanis. Nec non quorumlibet, pro quibuscumque negotiis ad Romanam curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia, vltra duas diætas legales non distantibus iam forsan obierint, vel eos in antea transire contigerit de hac luce. Sic habetur in *suprad. extrauag. ad regimen. §. ac etiam.* Sub nomine officialium etiam Acolythi, & Cantores Papæ sunt comprehensi, & iudicat Gonzalez, *glos.* 51. *numero* 13. & 14 & *seqq.*

Quinto reseruat beneficia quæcunque siue regularia, siue sæcularia cum cura, vel sine cura, quocunque modo etiam per electionem concessa, vacantia per promotionem Pontificum ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum, vel monasteriorum regiminas: sic in *suprad. extrauag. ad regim. §. rursus.* & tradit Gonzalez *num.* 35. Barbosa *alleg.* 57. *num.* 66. Garcia *de beneficis.* 11. *p. cap.* 6. *numero.* 36. Et licet beneficia ipso iure non vacent, quousque episcopatus pacifice possideatur, at reseruationi sunt subiecta à tempore prouisionis Pontificiæ, ita vt renunciari nullatenus possint: sic ex stylo curiæ, testatur Flamin. *lib.* 3. *de resignat. quæst.* 1. *num.* 77. Azor. 1. *p. lib.* 7. *cap.* 16. *quæst.* 12. Vgolin. *de officio, & potest. episc. cap.* 1. §. 2. *num.* 3. Anastas. German. *de indultis Cardinal.* §. *si vero num.* 21. Aug. Barbosa 3. *p. de potest. episc. allegat.* 57. *num.* 68. Supradicta reseruatio intelligenda est de episcopatu vtili; secus de prouisione in episcopatum titularem, hæc enim prouisio non infert beneficiorum obtentorum vacationem, nec reseruationem. Flamin. *supra num* 89. Anastas. Germon. *n.* 26. Barbosa *n.* 74. Quod si alicui ex priuilegio sedis Apostolicæ concedatur retentio beneficiorum simul cum episcopatu, poterit huiusmodi beneficia resignare, quia iam reseruatio suspenditur, & de beneficiis tanquam de re propria disponit. At si moriatur, Episcopus etiam in partibus post concessam hanc retentionem. Affirmat Simoneta *tract. de reseruat. benef. quæst.* 27. *num.* 5. esse reseruata, & consentit Barbosa *alleg.* 57. *num.* 76. quia illa reseruatio videtur intelligenda de beneficiis quocunque tempore vacent. Mihi tamen probabilius est non comprehendi sub hac reseruatione; quia tunc illa beneficia non vacant per promotionem episcopatus, cum potius episcopatus vacet, sed vacant per obitum episcopi. Ergo in reseruatione ob promotionem ad episcopatum comprehendi non possunt.

Sexto reseruat beneficia vacantia, & vacatura per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, & aliorum beneficiorum authoritate Apostolica prouisorum, seu prouidendorum: sic in *suprad. extrauag. ad regimen prope finem versic. necnon*, & in *extrauag. ex debito. §. huiusmodi. de elect. inter communes.* & notauit Gonzalez *glos.* 51. *num.* 36. & 38. Barbosa *dicta alleg.* 57. *num.* 77. Sed est notandum secundum beneficium, per quod vacat primum, debere authoritate Apostolica prouisum esse. Nam si per ordinarium conferatur primum beneficium vacans, non manet reseruatum, vt benè aduertit Gonzalez *supra.* Solet tamen aliquibus prouisis à Sede Apostolica ficti gratia, vt intra duos menses post adeptam possessionem beneficij obtenti, aut si per ipsos non steterit, quominus obtineantur, teneatur

teneantur prius habitum in manibus sanctissimi liberè dimittere, alioquin vtrumque vacet, & dispositioni tantum Sedis Apostolicæ reseruentur. Qua gratia facta nequit impetrans resignare, nec permutare, nec in manibus ordinarij liberè dimittere, sed necessario in manibus sanctissimi, aut notarij cameræ Apostolicæ, (quod idem est) debet beneficium dimittere; alioquin, vt diximus, vacant, & Pontifici reseruantur: sic Barbosa *alleg.87.num.78.* Garcia. 11. *p.de benefic. cap. 5. à numer 55.*

Septimo reseruantur in supra licta regula beneficia vacantia iuxta constitutionem Ioann. XXII. quæ incipit *Execrabilis de prabendis.* Nempe quando quis obtinuit secundum beneficium incompatibile cum primo, & adhuc primum beneficium retinere prætendit, tunc hoc secundum beneficium propter indebitam retentionem prioris vacat, & est Pontifici reseruatum. Garcia 11.*p. de benefic. cap 45. à num. 5.* Gonzalez *glos. 15. num.41. & glos.51.num 38.* Barbosa *alleg.58.num.9.* Primum beneficium iam dixi reseruatum esse, si secundum à Pontifice fuit obtentum, secus si ab ordinario, & ita reseruatum est, vt intra tempus prouisionis, & obtentionis secundi nequaquam resignare, aut permutare possit, vt latius declarauit in sua constitut. Paul. V. & Gregor. XV. prout refert Barbosa *3.p.alleg.57. sub.n.81.* Garcia 11.*p.de benef.cap.5 n.64.*

Octauo reseruantur beneficia, quæ ordinarij, vel alij collatores contra formam Trident. contulerint, veluti si beneficia contulerint ætatibus ætate requisita, iuxta decretum Trident. *sess.8.cap.3. & sess.22.cap.4. & sess.23.cap. 6. & sess. 24. cap. 8. & 12.* aut illa contulerint non habentibus qualitates, & habilitates à concilio expostulatas, vt *in sess.14.cap.10. & sess. 22. cap.4 & sess.28. cap.17 & sess.24.cap.8. & 12. & sess.25.cap.5. de reformat.* aut illa contulerint non seruata forma præscripta à concilio, vt in *sess.7.cap.18. & sess. 24. cap. 18. de reformat.* aut illa conferunt contra dispositionem dicti concilij. *sess. 25. cap.15. de reformat.* In qua reseruatione duo aduertit Garcia & bene, *5.p.de benefic.cap.1. num.120. & 211.* nempe non procedere in beneficiis iuris patronatus, & ab ordinario institutis, esto fuerint contra concilium instituta, Sed in beneficiis collatis ab ordinario; quia regula solum de collatione loquitur, non & institutione. Item debent ordinarij militiosè procedere in horum collatione; quia in pœnam delicti commissi priuantur pro illa vice iure conferendi.

PVNCTVM XVIII.

Explicatur reseruatio secundæ regulæ Cancellariæ.

1 *Adducitur regula.*
2 *Reseruantur ecclesia cathedrales.*
3 *Item monasteria virorum, ac mulierum ducentorum florenorum auri valorem excedentia.*
4 *Item beneficia vacantia tempore quo vacat episcopatus.*
5 *Quid si beneficia essent simultanea collationis [illegible], & capituli, & pertinerent ad turnum episcopi?*
6 *Item beneficia vacantia post renunciationem episcopatus à Pontifice admissam.*
7 *Comprehenduntur item beneficia, qua iure deuoluto episcopum pertinent.*
8 *An comprehendantur pertinentia ad collationem alicuius dignitatis? Subdistinctione respondetur.*

1 SEcunda regula Cancellariæ reseruat omnes ecclesias, Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, & Episcopales; necnon omnia monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia nunc quomodocunque vacantia, & in posterum vacatura, & voluit quod excessus huius modi in litteris exprimatur. Ac etiam reseruauit dignitates, & beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem Patriarchatum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporũ, Abbatum, ac aliorum, & aliorum quorumcunque collatorum, & collatricum secularium, & regularium quomodoliber (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem) pertinentia, quæ post illorum obitum, aut ecclesiarum, seu monasteriorum, vel aliarum suarum dignitatum dimissionem, seu amissionem, vel priuationem, seu translationem, vel aliàs quomodocunque vacauerint vsque ad prouisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria, vel dignitates apostolicas authoritate faciendam, & adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem quomodocunque vacant, & vacabunt in futurum.

2 Supradicta regula reseruat primò ecclesias cathedrales, vt vitaret discordias, contentiones, & lites, quæ ex electione canonicorum oriebantur. Et licet in *extrauag. ad regimen, & supradicta reg. 1. Cancellariæ*, essent huiusmodi ecclesiæ reseruatæ, non tamen cum hac amplitudine. Nam in *prima regula* solum erant reseruatæ, si apud sedem vacauerint. At in hac secunda regula reseruatæ sunt quomodocunque vacauerint, vt benè aduertit Azor. *2. part.instit. lib.6. cap. 30. quæst. 10. vers. sed cur. hæc.* Non tamen ex hac reseruatione priuantur Reges, aliique principes iure sibi concesso præsentandi, esto ex priuilegio, vel consuetudine ius patronatus illis competat; sed Rex præsentat, & Pontifex instituit præsentatum. Conarruuias *pract. cap.36.à n.2. & 6.* Gonzalez *glos. 1. num.49.* Nicolaus Garcia *5.par. de benefic. c.1.num.219.* Augustt. Barbosa *3. p. alleg. 57. num. 85.*

3 Secundo reseruat hæc regula monasteria virorum valorem ducentorum florenorum auri excedentia. Monasteria inquam monachis destituta, vel quæ solita sunt commendari; vel vt clarius dicam, quæ consistorialiter per viam cedulæ prouideri solent. Sic Mandos. *in hac reg. 2.quæst. 3. & tract. designatur.gratia.in Rub.de prouisionib.vers. monasteria.* Azor. *2. part. lib.6.cap.vlt.quæst.10* Gonzalez *glos.51 num. 30. & 59.* Item monasteria virorum non monialium habentium iurisdictionem, esto electiua sint Barbosa *alleg.57. num. 91.* Debent tamen excedere illum valorem ducentorum florenorum auri, & tales excessus in litteris exprimi, vt in dicta reg. cauetur.

4 Tertio reseruantur beneficia vacantia, tempore quo vacat episcopatus, & successor de nouo prouisus illius non capit possessionem. Excipe nisi talis prouisus fuerit Cardinalis, quia ratione huius supremæ dignitatis potest absque possessione capta, & litteris ostensis beneficia prouidere, eo præcisè quod à Pontifice prouisus sit dignitate Cardinalatus insignitus, vt tradit Gonzalez variis decisionibus comprobans super *reg. 8. Cancell. glos. 24. à num. 6.* Dixi beneficia reseruari vacantia tempore quo vacat episcopatus. Quod procedit, dummodo ad episcopum pertineat integrè eorum electio, nominatio, seu collatio. Nam si ad alium pertinet electio, vel nominatio, esto ad episcopum pertineat institutio, seu confirmatio; non reseruatur. Cum quia prima dispositio beneficij attenditur. Tum quia solum voluit Pontifex ius quod ordinariis competebat sibi auocare. Quapropter si simul cum episcopo alius prouidet beneficia, ne iuri alterius derogetur, cessat reseruatio, & ille alius deficiente episcopo confert beneficia iure proprio, vt deciditur in *cap.vn.ne sede vacante.in 6.* & ita tradunt Garcia *5. part.de benefic. cap 1. à num. 229.* Augustinus Barbosa *3. p. de potestat.episcop. alleg. 57. num. 90.* Quod si prouisio beneficiorum ex concordia diuisa est inter episcopum, & capitulum per turnum, ita vt vno mense prouideat episcopus, alio capitulum.

5 Dubium est; an vacante episcopatu sit tale beneficium reseruatum? Et quidem si turnus pertinet ad capitulum, nemini potest esse dubium cessare reseruationem. At si turnus ad episcopum pertineat, videtur esse beneficium reseruatum, quia talis prouisio ad episcopum integrè pertinebat, si viuerer, & Pontifex prouisiones episcopo competentes sibi auocat. Item quia in tali reseruatione nulli iuri alterius ab episcopo derogatur. Verum longè probabilius est hæc beneficia reseruata non esse, quia deficiente episcopo succedit capitulum iure proprio beneficia conferens, vt deciditur *capite vnico ne sede vacante. in 6.* Tum quia ius conferendi beneficium ex iure communi episcopo, & capitulo conferens vnicum est, & indiuisum, & solũ ex concordia exercitium diuiditur per turnos ob tollendas dissensiones. Ergo deficiente episcopo ius integrum in capitulo radicatur. Ergo in reseruatione beneficiorum pertinentium ad prouisionem episcopi, hæc comprehendi non possunt; & ita tenet Garc. *5.p.de benef. cap. 1. à num. 235.* Gonzalez *de mensib. & alternatiuis glos. 45 §.3.num.49.* Augustt. Barbosa *3.p. alleg. 57.num.90.* Cæterum si non solum exercitium conferendi, sed etiam ipsum ius esset ita diuisum inter episcopum, & capitulum, vt nequaquam deficiente episcopo posset capitulum beneficia prouidere, sed futuro episcopo essent reseruanda, iuxta *textum in cap.2.ne sede vacante aliquid innouetur.* (quod ratò contingit) in tali casu reseruatio intraret. Gonzalez *n.50.* Garc. *n.244.* Barbosa *n.90 fine.*

6 Quarto reseruantur beneficia vacantia post renunciationem episcopatus à Pontifice admissam, vel post translationem ad alium episcopatum, etiam antequam episcopus admissionis, renunciationis, vel translationis notitiam habeat. Nam esto possit episcopus episcopatum administrare, dum supradictæ admissionis vel translationis non habet notitiam: at beneficia prouidere nequaquam potest; quia hæc inter fructus episcopatus computantur, qui à die admissæ renunciationis, vel translationis episcopo debentur. Sic Garcia *5. part.de benefic. cap. 1. num.245* Augustt. Barbosa *3. p.de potest. episc. alleg. 57. num.92.*

7 Duplex restat examinanda difficultas. Prima, an comprehendantur beneficia, quæ iure deuoluto ad episcopatum pertinent? Secunda, an comprehendantur beneficia aliqua pertinentia ad collationem alicuius dignitatis non reseruatæ Pontifici? Et primæ difficultati breuiter respondeo, vetius videri comprehendi; siquidem in supradicta regula reseruantur beneficia ad collationem episcopi quomodolibet pertinentia. Verbum enim *quomodolibet*, videtur non solum comprehendere pertinentia ex iure proprio, sed etiam ex deuoluto, & tradit Garcia *5.p.de benefic.c.1.n.256.*

8 Ad

8 Ad secundam difficultatem dico, si dignitas, ad quam pertinet beneficiorum vacantium collatio, non est reseruata Pontifici, eo quod nec sit prima post Pontificalem, neque vacauit mensibus reseruatis, credo nullo modo beneficia suæ prouisionis reseruata esse; quia notanda sunt illa verba regulæ, *vsque ad prouisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria, vel dignitates* & idem est de quolibet alio beneficio, vt benè aduertit Garcia supra) *Apostolica authoritate faciendam.* Ergo prouisio, quæ non authoritate Apostolica, sed ordinaria facienda est, sub hac reseruatione non cadit, & consequenter nec beneficia, quæ de illius prouisione sunt.

PVNCTVM. XIX.

Explicatur reseruatio regulæ tertiæ Cancellariæ.

1 *Adducuntur verba regulæ.*
2 *Qualiter intelligatur debere esse dignitates maiores in cathedralibus, & præcipuè in collegiatis vt sub hac reseruatione contineantur.*
3 *Vnicam tantum in qualibet ecclesia reseruat.*
4 *Si vnica solum sit in ecclesia, illa manet reseruata.*
5 *Si prima dignitas capitulo vnita sit, non reseruatur, sed reseruatur sequens.*
6 *Reseruantur prioratus, præpositura, & aliæ dignitates, &c. exceptis ordinum militarium.*
7 *Reseruantur per hanc regulam beneficia familiarium Papæ, ac Cardinalium, & quæ sint.*
8 *An familiares familiarium comprehendantur? Sub distinctione respondetur.*
9 *Qui sint familiares Cardinalium ad effectum huius reseruationis.*
10 *An comprehendantur vicarij, visitatores, aliique iudices à Cardinalibus designati? Sub hac ratione resoluitur non comprehendi.*
11 *Non est necesse familiaritatem durare semper, sufficit, si aliquando fuerit, cum beneficium obtinetur.*
12 *Quæ beneficia sub hac regula comprehendantur.*
13 *An ob familiaritatem impediatur optare in ecclesiis, in quibus est ius optandi? Resoluitur non impediri.*

1 TErtia regula reseruat omnes dignitates maiores post Pontificales in cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes principales in collegiatis ecclesiis Reseruat etiam Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias dignitates conuentuales, & præceptorias generales ordinum quorumcunque, sed non militarium. Item reseruat quæcunque beneficia, quæ sui etiam dum Cardinalatus fungebantur honore existentes, ac S.R.E. viuentium nunc & qui erunt suo tempore Cardinalium familiares, continui commensales obtinent, & in posterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ ius competit, aut competierit, etiam si ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem, vel aliàs recesserint, declarans dignitates, quæ in cathedralibus etiam metropolitanis, post Pontificales non maiores existunt, & quæ ex apostolicæ sedis indulgentia, vel ordinaria authoritate, aut consuetudine præscripta, vel aliàs quouis modo in collegiatis ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur sub reseruatione prædicta comprehendi debe re.

2 Primo in hac regula reseruantur omnes dignitates maiores in cathedralibus post Pontificalem, & in collegiatis ecclesiis principales dignitates. Quæ autem sit dignitas maior in cathedralibus, quæ præcipua in collegiatis, ex consuetudine prouinciarum colligendum est. In Gallia, & Hispania decanatus est maior dignitas, in aliis solet esse Præpositatus. In collegiatis qui tori canonicorum collegio præest; ille præcipuam habet dignitatem, quique vocatur Abbas. & aliquando Prior: sic relata *glossa in cap. de liberatione, de officio legati, in 6. ante finem:* tradit Azor. 2. *p. instit. moral. lib. 6. cap. 34. quæst. 10. vers. item dignitates principales.* Flamin. *de resignat. lib. 2. quæst. 1. num. 83. & 84.* August. Barbosa 3. *p. allegat. 57. num. 95.* Debet tamen dignitas cum vacat actu esse maior, vt locum habeat reseruatio, neque sufficit maiorem esse in potentia; quia ea quæ solum in potentia maior est, absolutè maior non est, esto esse possit. Sic Garc. 5. *part. de benefic. cap. 1. à num. 256.* Gonzalez *glos. 51. n. 58.* Barbosa 3. *p. de potest. episc. allegat. 57. num. 98.* Quapropter si aliqua dignitas esset erecta in primam sub conditione aliqua, quæ tempore vacationis non fuit purificata, non manet reseruata, quia actu maior non est, sed erit, tametsi in erectione adiecta sit clausula, *ex nunc, prout ex tunc*, quia hæc causa esto efficax sit ad retrotrahendum effectum à die datæ, hoc intelligendum est in casu, quo conditio purificata esset, secus illa perseuerante: nam dum illa perseuerat, omnem dispositionem suspendit; purificata vero conditione, retrotrahitur eius efficacia ad diem datæ, quoad effectus iuri alterius quæsito non præiudicantes, quales sunt antiquitatis, erectionis, & aliarum prærogatiuarum non autem quoad collationem medio tempore factam inualidandam, cum legitimè facta sit vtpote de beneficio non reseruatos sic aliis relatis Barbosa *n. 99.* & expressè contigit in decanatu ecclesiæ Vallisoletanæ, nunc cathedralis, antea collegiatæ, qui in primam dignitatem fuit erectus post cessum, vel decessum, aut aliam quamlibet amissionem, vel dimissionem prioris, vel illius coadiutoris, cum clausula *ex nunc, prout ex tunc*, quæ conditio purificata fuit tempore quo vacauit decanatus eaque de causa non fuit reseruatus, & cum mense ordinarij vacauerit, ab alio fuit prouisus, vt latius referunt Garcia, Gonzalez, & Barbosa *supra* à Rota decisum fuisse 11. Decemb. anno 1600.

Præterea contingere potest aliquam dignitatem ecclesiæ cathedralis non esse maiorem, habere tamen præeminentiam in collegiata, & ratione huius præeminentiæ sub hac reseruatione comprehendi, quia absolutè illa dignitas est prima in collegiata, esto in cathedrali non sit maior, & constat ex fine supradictæ regulæ, & notauit Garcia 5. *p. de benefic. c. 1. num. 260.* Barbosa *n. 98.*

3 Rursus cum regula reseruat omnes dignitates maiores in cathedralibus, & præcipuas in collegiatis, vnicam tamen in qualibet ecclesia reseruat, esto in ea plures sint. quia ille terminus vniuersalis *omnis*, appositus est, vt dignitates omnes omnium Ecclesiarum comprehenderet, non vt comprehenderet cuiuslibet singularis ecclesiæ omnes illius dignitates, sic Mandos. *reg. 3. Cancell. quæst. 3. per totam.* Gonzal. *glos. 21. n. 7.* Garc. 5. *p. de benefic. cap. 2. num. 262.* August. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg. 57. num. 100.* Verum si in vna ecclesia duæ, vel plures sint æquè præcipuè, affirmandum est omnes reseruatas esse. Nam cum reseruatio supradicta effectum habere debeat, & nulla appareat specialis ratio, ob quam potius vnam dignitatem, quam aliam afficiat; omnes comprehendere debet; præcipuè cum verba legis omnibus aptari possint, & ita tenet, & decisionibus Rotæ comprobat Garcia *dicta. 5. p. de benefic. cap. 1. num. 265.* Mandosius *in hac reg. quæst. 4.* Barbosa *n. 101.* Azor. 2. *p. lib. 6. c. 34. q. 10. vers. quares deinde.* Aloysius Riccius *collect. 1670. ampliat. 1.*

4 Sed quid si in ecclesia solum adsit vnica dignitas, manebitne hæc reseruata? Videtur manere non posse, quia de illa non verificatur, quod sit maior, nec principalis, cum non sit alia, cuius comparatione maioritatem habere possit: & ita tenet Gomez *de expectatiuis, num. 46.* Zerola 1. *p. verbo dignitas §. 1.* Cardinalis *ibi. 30. quod incipit in hoc dubio. sub num. 7. vers. sed adhuc pro medium. & n. 8.* Æneas de Falconibus *in tract. de reseruat. q. 1. principali, n. 32. ad finem.*

At contrarium tenendum est cum Garc. *supra. num. 267.* Barbosa *num. 102.* Gonzalez *glos. 9. §. 4. à num. 18.* Simoncel *tract. de reseruat. q. 85. num. 4.* & decisum fuisse à Rota in vna Turritana Archipresbyteratus 7. Maij 1574. coram Montisfalconem. refert Aloysius Riccius *collect. 1670. ampliat. 1.* Garcia *num. 16[illegible]* Mihi certe, quia esto verbum *maiores*, quod comparationem positiuum sæpè supponat; at sæpè pro positiuo tantum accipitur, vt contingit in his terminis, *optimus maximus, supremus proximus*, qui licet superlatiui sint, & positiua supponant ex natura suas sæpè tamen pro positiuis tantum accipiuntur, iuxta *leg. illa verba. & leg. proximus. de verbor. signific.* & tradit Alciat. ibi, & pluribus exornat Palador. *lib. 1. rerum quotid. cap. 7. per totum*: sicuti contingit in hoc verbo *primogenitus*, quod licet comparatione aliorum, qui post nascuntur dicatur: sæpè tamen de filio vnico dicitur. Et ratio omnium est: quia omnia hæc verba non tam positiuè, quam negatiuè sumuntur, & præstant hunc sensum: ille est optimus, maximus, supremus, quo nullus alius superior est: sic in præsenti illa dignitas dicitur maior post Pontificalem, quia nulla maior est. Et hic sensus colligitur ex verbis finalibus supradictæ regulæ: ibi reseruatur illa dignitas, quæ præeminentiam habet in collegiata, esto in ecclesia cathedrali maior non sit. Ergo ad reseruationem dignitatis in collegiatis ecclesiis non est opus esse plures dignitates principales: nam si solum illa dignitas adesset, illa sola reseruaretur. Ergo similiter ad reseruationem dignitatum ecclesiæ cathedralis non est opus plures dignitates adesse, sufficit si adsit vna, qua nulla maior sit, illa enim erit reseruata.

5 Quod si prima dignitas post Pontificalem capitulo vnita sit, respectu illius non intrat reseruatio. Quia ratione vnionis quasi extinguitur, & consopitur, & reputanda est, ac si non esset; ac proinde illa dignitas quæ in ordine succedit, prima nuncupanda est, & huic reseruationi subiecta. Sic Garcia 5. *p. de benefic. cap. 1. num. 269.* Barbosa *alleg. 57. n. 102.* Aloysius Riccius *collect. 1670. ampliat. 3.* & à Rota in causa Virdunen. decanatus 9. Martij 1580. testatur Riccius, & Garcia fuisse decisum.

6 Secundo reseruat supradicta regula Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias dignitates conuentuales, & præceptorias generales quorumcunque ordinum, sed non militarium. Reseruat inquam Prioratus, Præposituras, &c. non militares, sed conuentuales perpetuas, quæque dari solent in commendam,

mendam, & quarum electio non fit à religiosis simul congregatis. Azor. 1. *p. instit. moral. lib. 6. cap. 34. q. 10. vers. queres tertio.* Aug. Barbosa 3. *p. de potest. epis. alleg. 57. num* 103. Gonzalez *glos. 51. num. 59.* Garcia 5. *part. de benefic. cap. 1. n. m. 271* Dixi reseruati conuentuales perpetuas, nam temporales ordinum mendicantium nequaquam sub reseruationem cadunt, & notauit Mandos. *de reseruat. q.* 10. & Garc. *num.* 272. Gonzalez *n.* 60. Barbosa *nnm.* 104. Cum autem reseruatio excipit prioratus ordinum militarium, sciendum est cum Glossa *verbo militarib. in clem. quia contingit. de Religiosis domib* Azor. & Barbosa *supra* esse alios ordines, qui ex proprio instituto non militiæ, sed hospitalitati adscribentur, cuiusmodi sunt, Ordo sancti Spiritus in Saxia, Ordo Cruciferorum in Vrbe, Ordo S. Antonij Viennensis in Gallia, & de horum ordinum prioratibus reseruatio intelligitur. Non autem de prioratibus ordinum militarium, quales sunt Ordo S. Ioannis Hierosolymitani, sanctæ Mariæ Teuthonicorum sancti Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ in Hispania, Christi Domini in Lusitania, sancti Stephani in ducatu Florentiæ. Horum enim prioratus, & commendæ à reseruatione excluduntur, eo quod milites horum ordinum sint maximè de ecclesia benemeriti.

7 Tertio reseruat supradicta regula beneficia familiarium Papæ, ac Cardinalium continuorum commensalium. Quæ reseruatio declaratur sufficienter, si declaremus, qui sint familiares Papæ, & Cardinalium continui commensales, quæque benefic a illorum reseruentur per hanc regulam. Familiares igitur Papæ, illiusque continui commensales ad effectum reseruationis dicuntur officiales, seu scriptores Archiui Romanæ curiæ, iuxta constitutionem Iulij II. editam 7. Kalend. Decemb. anno 1550. quæque confirmata, & declarata fuit constitutione Leonis X. quæ incipit, *Lex ministerij pastoralis*, & est in bullario 6. eiusdem Pontificis, & constit. 18. Pauli III. incipiente, *Romani Pontificis*, & constitut. 89. Pij V. incipiente, *Pridem*. Item sunt familiares cubicularij, & scutiferi ex constitut. 14. Leonis X. incipiente, *Romanus*, & ex constitut. 3. Pauli III. icipiente, *Prouidentia*. Item Milites S. Petri, ex constitut. Leonis X. incipiente, *Sicut prudens*. & constitut. 3. Pauli III. ac constitut. 46. Pij IV. Milites S. Pauli ex constitut. 23. Pauli III. incipiente, *Romanus Pontifex*, & ex constitut. 4. Iulij III. Milites Pij, ex constitut. 5. & 16. Pij IV. Milites Lauretani, ex constitut. 16. Sixti V. incipiente, *Postquam commissarius cameræ*, ex constitut. 44. Sixti, incipiente, *Ad excelsum*. Thesaurarius dataríæ, ex constitut. 45. Sixti V. incipiente. *Vt ingens*. Auditor cameræ confidentiar. ex constitut. Sixti V. incipiente, *Diuina Dei prouidentia*. Conclauiltæ. ex constitut. 32. Sixti V. Denique Paulus III. in sua constitut. 78. & 79. & Iulius III. constitut. 44. declaratunt vetos familiares, & continuos commensales reputandos esse ad effectum reseruationis; Referendarios, & alios officiales ex palatio apostolico panem habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotæ, Acolytos, scutiferos, secretarios, litterarum apostolicarum scriptores, cubicularios, reliquosque officiales Romano Pontifici pro tempore existenti in palatio deseruientes, aut custodiam facientes, licet ibi non habitauerint, nec in tinello commederint, aut panem receperint. Nam esto ij non sint realiter commensales, tamen eo ipso, quo Pontifex vult, vt tales verè, & propriè reputentur, & non per fictionem, omnia priuilegia veris, & realibus commensalibus competentia illis competunt: & notauit Gonzalez *glos. 51. à num. 16.* Augustl. Barbosa *de potest. epis. alleg. 57. num. 106* Garcia 5. *p. de benefic. cap. 1. à num. 273.* Simoneta *de reseruat. quæst. 35.* Fatinac. *decis. 691. num. 3. in nouis.*

8 Dubium tamen est, an familiares familiarium Pontificis sub hanc cadant reseruationem? Videtur non cadere, quia reseruatio est stricti iuris. *cap. præsenti, verbo finitur. de officio legat. in 6.* Cassador. *decis. 4. num. 6. de reseruat.* ac proinde quo ad fieri possit limitanda est. Ergo familiares familiarium comprehendere non potest. Pro contraria parte stat communis sententia hos familiares familiarium comprehendi, quia seruiendo familiaribus Papæ, Papæ videntur seruire. Et fauet *lex quæsitum. §. sed an instituent. ff. de fundo instruct.* & tradit, alios referens Menoch. *de arbitr. casu 201. numer. 120.* Mandos. *super reg. 3. Cancellar. quæst. 17.* Garc. *de benef. 5. p. cap. 1. num. 326.*

In hoc dubio distinguendum censeo, si subfamiliares designati sint à Pontifice, vt eius expensis alantur, credo sub reseruatione comprehendi; quia verè, & propriè, Pontifici inseruiunt, & illius sunt commensales. Barbosa 3. *p. alleg. 57. num. 107.* At si absque vlla assignatione Pontificia expensis familiares alantur, sub reseruatione non comprehenduntur; quia verè, & propriè Pontifici non inseruiunt, sed eius famulis. Vnum tamen crederem esse certum, si Pontifex suo familiari designaret alimenta pro se, & duobus subfamiliaribus absolutè sumptis absque expressa illorum nominatione, ipsique familiaris plures quam duos subfamiliares haberet, nullius horum subfamiliarium beneficia manebunt reseruata ob incertitudinem designationis, & tradit Garcia *de benefic. 5. p. cap. 1. n. 330.* & colligitur ex *leg. duo sunt Titij. ff. de testamentaria tutela. & leg. si fuerit. ff. de rebus dubiis.* Ex quo non leue argumentum sumitur ad probandum nullam esse reseruationem quando non adest designatio Pontificia.

9 Familiares Cardinalium, illorumque commensales ad effectum reseruationis sunt, qui Cardinalibus tanquam famuli deseruiunt, & ob eam causam eorum expensis aluntur; colligitur ex *cap. fin. de verbor. significat. in 6.* & tradit Simoneta *de reseruat. quæst. 85. num. 2.* Flamin. *de resignat. lib. 5. quæst vlt. num. 196.* Azor. *lib. 5. cap. 23. quæst. 8.* Augustl. Barbosa 2. *par. de potest. epis. alleg. 57. num. 108.* Garcia 5 *p. de benefic. cap. 1. num. 315.*

Notanter dixi, qui tanquam famuli deseruiunt, vt excluderem ab hac familiaritate, & consequenter à reseruatione fratres, & nepotes Cardinalium in eorum domibus commorantes, eorumque expensis alitos; quia non ibi assistunt, vt famuli, & seruitores, vt variis decisionibus Rotæ comprobat Garc. 5. *de benefic. cap. 1. n. 317.* Et idem est de omnibus illis, qui non vt familiares, & seruitores, sed vt amici, & consanguinei ex eleemosyna, aliâve causa in domibus Caruinalium aluntur. Garcia *supra.* Barbosa 3. *p. de potest. epis. allegat. 57. n. 111.* Mascard. *de probationib. concl. 755. n. 3.*

10 Solum de vicarijs, visitatoribus, aliisque iudicibus à Cardinali designatis, est dubium; an sub familiaribus comprehendantur? Et comprehendi affirmat Sarmiento *select. lib. 7. cap. vlt.* Segura de Aulos *in direct. iudicum ecclesiast. 1. p. cap. 14. n. 38.* quem sequitur Sbroz *de vicario episcopi in additionib. ad quæst. 147. lib. 2.* Mouentur; quia si verè Cardinali deseruiunt, & in communi modo loquendi seruitores (vulgo *criados*) nuncupantur. Nihilominus probabilius est, hos sub titulo familiarium non comprehendi. Tum quia hi non tam personæ, quam dignitati deseruiunt. Tum quia non famuli, sed officiales, & iudices appellantur, & titulo officij salarium accipiunt. Quod à fortiori verum habet, si absque salario, aut expensis essent vicarij, aut officiales constituti, Garcia *dicto cap. 1. sub num. 318.* Barbosa *alleg. 57. num. 111.* At si tempore quo ij sunt vicarij constituti erant ex continuis commensalibus Cardinalium, ob vicariatum non videntur familiaritatem amittere, sed potius illam continuare, cum eius expensis viuant, & Cardinalibus in nobiliori munere inseruiant. Gonzalez *glos. 51. num. 66.* Quintil. Mandos. *reg. 3. Cancell. q. 19.* Garcia *n. 322.* Barbosa *num. 312.*

11 Vt autem hæc reseruatio ob familiaritatem Pontificis vel Cardinalis locum habeat, non est necesse familiaritatem dutare aliquo determinato tempore. Quocunque enim tempore etiam breui duret, si eo durante receptum, vel habitum sit beneficium sufficit, vt reseruatum maneat. Sic Garcia *d. 5. p. c. 1. n. 266.* Barbosa *alleg. 57. n. 113.* Debet tamen probari qualitas familiaritatis, vt dicta reseruatio locum habeat. Alias ordinarius prouidebit, vtpote qui habet intentionem fundatam. Flamin. *lib. 10. de resignat. q. 3. n. 21.* Barbosa *n. 110.* vbi bene aduertit hanc familiaritatem ad effectum reseruationis non probari ex eo quod probetur fede vacante in familiarem Cardinalis fuisse receptum, quia toto illo tempore nulla est regularum Cancellariæ reseruatio, cum morte Pontificis extinguantur: probari enim debet durasse familiaritatem tempore quo regulæ Cancellariæ locum habent.

12 Restat, vt de beneficiis comprehensis sub hac regula dicamus. Et breuiter respondeo comprehendi omnia beneficia, quæ durante familiaritate habuisti, tametsi ad illa ius solum ad rem habuisses, si quidem in supradicta regula dicitur. *In quibus* (id est beneficiis) *seu ad quæ ius eis competit, seu competierit.* & notauit Garcia 5. *p. de benefic. c. 1. n. 278.* Neque ab hac reseruatione liberantur beneficia esto per obitum Cardinalis, vel Pontificis, aut alia via ab eorum familiaritate discesseris; quia ita cauetur in supradicta reg. ibi. *etiam si ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem, vel aliàs recesserint*, vt bene Menoch. *de arbitr. casu 201 n. 113. cum seqq.* Barbosa 3. *p. alleg. 57. n. 113.* beneficium enim semel reseruatum, semper reseruatum manet. Dixi, te debere durante familiaritate ius saltem ad beneficium habere, quod de iure proprio intelligitur, iuxta dicta in princ. huius disput. Hoc tamen eius subsequi debet ius in beneficium: aliàs si nunquam in beneficium ius habuisti non ratione tui, sed alterius vacabit. Vt igitur reseruatio intret ratione tui, vacare beneficium debet.

13 Ex supradictis videtur inferri pro ecclesiis, in quibus est ius optandi, familiarem Pontificis, seu Cardinalis hoc iure priuatum esse; si quidem non potest nouam præbendam obtinere, quin præhabitam dimittat ab inferiori possidendam. At si dimissa præbenda reseruata est ratione familiaritatis, non potest illam dimittere, vt inferior possideat. Ergo neque ipse poterit nouam obtinere. Hoc autem videtur cedere in graue præiudicium ipsorum familiarium, imo & Pontificis reseruantis. Ergo dicendum est ad reseruationem non sufficere obtinere beneficium tempore familiaritatis, sed necessarium esse obtinere illud in perpetuum.

Dicendum tamen est, neminem ob familiaritatem Pontificis impeditum esse optare (nisi consuetudo in contrarium

præscripta sit.) Quia non est æquum ob qualitatem speciali honore dignam ptiuari aliquem iure aliis illa qualitate carentibus concesso, & tradit Cardin. *cons.126. incipiente, vacauerunt in fin.* Gonzalez *glos.* 34. *num.* 42. Garc. 5. *p. de benef. c.1. num.*335. Barbosa *alleg.* 57. *num.* 114. Sed an optatum, an dimissum maneat reseruatum? non constat apud doctores. Et quidem si per optionem titulus beneficij non mutatur, sed locus in choro, sedes in capitulo, aliæque qualitates extrinsecæ mutantur, certum est reseruatum esse beneficium præhabitum nouis illis qualitatibus affectum. At si titulus mutatur, existimat Garcia *num.* 340. nequaquam optatum reseruatum manere, si tempore optionis non adest in optante qualitas inductiua reseruationis, scilicet familiaritas subcollectoria, Protonotaria, &c. Et ratio esse potest; quia nouum illud beneficium, neque ius ad illud determinatum acquisitum est durante qualitate inductiua reseruationis. Ex quo ergo capite ei potest reseruatio prouenire? Quod si dicas, quia loco dimissi subrogatur, & ob hanc subrogationem cessat reseruatio respectu prioris beneficij dimissi, & succedit in obtento, vt dixit Cardinal. *cons.126 ad finem.* Rebuff. *in additionib. ad reg. 3. Cancell. verbo obtinet.* Paulus Granatens. *ad Simonetam. quæst.* 35. *num.*42. Gonzalez *glos.* 34. *num* 42. Barbosa *alleg.* 57. *num.* 114. Contra est, quia subrogatio reseruationem inducere non potest, alias resignare, vel permutare liberè possent habentes beneficia reseruata, cum possent dicere loco beneficij reseruati aliud subrogatum esse. Item neque verum esset beneficium semel reseruatum semper manere reseruatum; si quidem in optione mutaretur reseruatio ex vno in aliud beneficium, quod certè non est dicendum. Existimo ergo probabilius beneficium familiaris quod in optione dimittit, reseruatum esse, neque in illo dari optionem: beneficium vero optatum à reseruatione esse liberum, nisi tempore optionis habeat optans qualitatem reseruationis inductiuam.

Punctvm. XX.

Explicatur reseruatio quartæ regulæ Cancellariæ.

1 *Apponitur regula.*
2 *Vltra generalem collectorem vnicus subcollector in qualibet diœcesi est constituendus.*
3 *Si subcollector alium subcollectorem specialem designaret, huius non manerent beneficia reseruata.*
4 *Non est necesse, vt subcollector officium subcollectoris actu exerceat, vt eius beneficia reseruata maneant.*
5 *Probabilius est non sufficere designationem subcollectoris, sed esse necessariam subcollectoriæ acceptationem.*
6 *Qualiter constare debet collectorem, vel subcollectorem esse deputatum, cum ad reseruationem, tum ad fructus colligendos.*
7 *Quæ beneficia sub hac regula comprehendantur.*

1 QVarta regula reseruat omnia beneficia ecclesiastica quoramcunque collectorum, & subcollectorum vnicorum in quacunque ciuitate, vel diœcesi, qui suo tempore officia exercuerint subcollectorum, fructuum, & prouentuum eam ræ Apostolicæ debi orum, illa videlicet beneficia duintaxat, quæ durante eorum officio obtinebant. & in quibus, seu ad quæ ius eis competebat.

2 Pro huius regulæ explicatione aduertendum est vltra generalem collectorem vnicum subcollectorem, & non plures in qualibet diœcesi esse constituendum, vt reseruatio locum habere possit. Quapropter si vnicus in ciuitate, & alius in diœcesi constituatur, neutrius beneficia reseruata erunt, quia non vnicus subcollector, sed plures in diœcesi existent contra supradictam regulam, & non est specialis ratio, quare magis vnius quam alterius beneficia reseruentur. Garc. 5. *p. de benefic. c. 1. n.* 367. Gonzal. *glos.* 51. *à n.*71 Barbosa 3. *p. alleg.* 57. *n.* 119. Quod procedet casu quo collector plures subcollectores generales designare posset, illosque simul resignaret. Nam si vnicum tantum designare posset, & illo resignato alium designaret, tacite primum reuocaret, & generaliter quoties quis secundum subcollectorem deputat primum reuocare censetur. Quia credendum est iuxta formam iuris designationem facere voluisse. Mandos. *in hac regula, q.* 10, *n.*2. Garc. *dicto c.*1. *n.*366. Aloys. Ricc. *collect.* 1647. *ampliat.* 5. Barbos. 3. *p. de potest. episc. allegat.* 57. *num.* 122. Quod si non obstante prioris designatione designaret quis secundum subcollectorem intendens primum non reuocare, beneficia acquisita à prioti tempore quo vnicus fuit, manebit reseruata. secus vero si socium habet. Excipe, nisi designatio socij nulla esset: eo quod collectori potestas limitata sit, vt non possit nisi vnicum subcollectorem designare Garc. *supra n.*370.

3 Sed quid si subcollector alium subcollectorem particularem designaret, vt nomine ipsius fructus Pontifici debitos colligeret, quod non inficior præstare posse, eo quod sit delegatus ad vniuersitatem causarum, iuxta ea quæ tradit Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 31. *à num.* 4. In tali casu huius subcollectoris particularis beneficia reseruata non erunt. Quæ regula reseruat beneficia vnici subcollectoris, & sic non est vnicus, cum socium habeat. Beneficia vero primi, & præcipui subcollectoris hunc secundum designantis credo reseruata esse. Quia ab eo designatus non tam debet dici subcollector, quam commissarius subcollectoris. Et regula reseruans beneficia subcollectoris, de vero, & proprio, & ad vniuersitatem causarum designato intelligenda est. Garc. 5. *part. de benefic. cap.*1. *num.*374. & 375. Barbosa 3. *part. allegat.* 57. *num.* 123. Deinde subcollector, cum sit à Pontifice delegatus, & iurisdictionem habeat, debet esse persona qualificata iuxta formam *textus in cap. statutum. in princ. & in cap. in nullo. in fine. de rescript. ib.*6. Alias nulla erit deputatio. Debet ergo esse canonicus ecclesiæ cathedralis, vel alias persona in dignitate ecclesiastica constituta, tempore inquam dupurationis, tametsi postea non sit. Gonzalez *glos.* 51. *n.*79. Garcia *cap.*1. *n.*385. Barbosa *num.*126.

4 Dubium tamen est, & satis inter doctores controuersum; an subcollector officium subcollectoris exercere debeat, vt eius beneficia sub reseruationem cadant? Rationem dubitandi fecerunt verba illa regulæ: *Qui suo tempore officia exercuerint.* Quæ non debent esse inutiliter appositа. Ergo qui nunquam subcollectoris officium exercuit, eius beneficia sub reseruationem cadere non possunt. Et ita tenet Crescent. *decis.* 17. *de prabend.* Rota teste Puteo, *decis.* 305. *quæ incipit licet Rota, lib.* 1. & *decis.* 1846. *incipit Ioannes Paulus. lib.* 3. *part.* 3. *diuers.* Mascard. *de probat. concl.* 317. *n.*17.

Nihilominus communis est sententia non requiri exercitium actu, sed sufficere in potentia, ita vt potens sit officium subcollectoris exercere, neque per ipsum stet, quominus illud exerceat. Mandos. pluribus comprobans *super hanc reg. quæst.* 4. Flamin. *lib.* 2. *de resignat. quæst.* 16. *num.*26. Gonzalez *glos.* 52. *num.*71. Garcia 5. *part. de benefic. cap.*1. *num.*345. & 351. Barbosa 3. *part. de potest. episc. alleg.* 57. *num.*116 Riccius *in collect.* 5. *p. coll.* 61. 1647. quique testantur sæpe à Rota decisum esse. Ratio ea esse potest; quia conditio ab aliquo expostulata, cuius executio per ipsum non stat, est perinde ac si executioni mandata esset. *cap. cum non stat.* 66. *de Regul. iuris in* 6. & *leg. in iure ciuili.* 21. *ff. de condit. & demonstrat.* & pluribus exornat. Mol. *de Hispan. primogen. lib.* 2. *cap.*13. *à num.*14. Ergo exercitium subcollectoris, quod est in subcollectore expostulatum, si per ipsum non stet, quominus fit, reputandum est, ac si verè esset.

5 Rursus fit difficultas; an sufficiat esse aliquem subcollectorem deputatum, tametsi subcollectoriam non acceptauerit, vt eius beneficia reseruata censeantur? Affirmat Rota *decis.* 12. *de prabendis. in nouis.* Mandos. *in hac regula, quæstion.* 4. Garcia 5. *part. cap.*1. *num.*347. Barbosa *alleg.* 57. *num.*116. Mouentur, quia iurisdictio delegata transfertur in delegatum à tempore datæ quoad habitum; esto quoad exercitium præsentationem litterarum requirat, vt tradit, aliis relatis. Aloysius Riccius *collect.* 1647. *vers. amplia tertio.* Molina *de Hispanor. primogen. lib.* 2. *cap.*7. *num.*58. Garcia 5 *part. de benefic. cap.*1. *numer.*349. Mandos. *reg.*27. *quæst.*17. *num.*4. & *reg.*31. *q.*1. Barbosa *alleg.* 57. *n.*116.

Verum mihi probabilius apparet necessariam esse acceptationem vt eius beneficia reseruata censeantur. Moueor; quia ante notitiam designationis, illiusque affignationem nequit subcollector officium subcollectoris exercere, tametsi fructus colligendi existant. Sed in supradicta regula hæc potentia actualis, & expedita requiritur, vt ex supradicto dubio constat, vt eius beneficia reseruentur. Ergo cum subcollector ante acceptationem hac potentia careat, nequeunt eius beneficia reseruata esse. Neque obstat ante acceptationem habere iurisdictionem in habitu (quod sub lite est) sufficit quod non habeat illam expeditam. Et ita requiri acceptationem docet Gonzalez *glos* 51. *à n.*70.

6 Præterea dubitare potes, quomodo constare debeat collectorem, vel subcollectorem esse deputatum, vt eius beneficia reseruationi subsint. Cui dubitationi respondeo, debere constare per litteras patentes supradictæ deputationis, *cap. cum in iure peritus. de officio delegati. & leg. vnica. Cod. de mandatis princip.* vel saltem constare debet per testes deponentes se vidisse litteras commissionis, vel commissioni, & deputationi interfuisse. Bellenzinus *de charitativo subsidio, quæst.* 112. Garcia 5. *part. de benefic. cap.*1. *à num.*376. Imo vaicus solus testis aliquibus admiculis adiutus sic deponens sufficit, vt beneficia reseruata censeantur, sic Aloysius Riccius *collect.* 1647. *ampliat.* 6. vbi refert à Rota decisum esse. Barbosa *alleg.* 57. *numer.* 124. At si testes solum deponerent collectorem, vel subcollectorem sic reputatum esse publica voce, & fama, nequaquam probarent sufficienter ad effectum reseruationis, quia hoc testimonium inducit solum præsumptionem, non veritatem. Bellenzinus *tract. de charitativo subsidio, quæst.* 111. & 112 Aloysius Riccius *collect.* 1647. *ampliat.* 6. Nicol Garcia 5. *part. de benefic. cap.*1. *num.*378. Barbosa *alleg.* 57. *num.*115. Probato tamen aliquem esse collectorem, non est opus probare esse vnicum, vt illius beneficia impertentur; quia

Pro

pro vnicitate est à iure præsumptio, & contradicenti incumbit contrarium probare, sic ex decisionibus Rotæ comprobat Mandos. *super hanc regulam. quæst.* 1. Garcia 5. *part. de benefic. capit.* 1. *num.* 356. Barbosa *allegat.* 57. *n.* 117. Aloysius Riccius *collect.* 1647. *versic. notandum est secundo.* Excipe, nisi impetrans allegaret in impetratione vnicum esse; quia ob expressionem assumit onus probandi, cum teneatur narratiuam verificare. sic supradicti doctores.

Diximus de probatione collectoriæ, seu subcollectoriæ ad effectum reseruationis. At si loquamur de probatione illius ad effectum colligendi fructus, nequaquam soluturi tenentur ei soluere; neque securè soluent, nisi ex litteris depurationis constet eius officium. Garc. 5. *part. de benefic. cap.* 1. *num* 377. Augustus Barbosa 3 *par. de potest. Episc. alleg.* 57. *n.* 124. vbi addit cum Simone *de reseru.* 934. Moneta *de decim. s. c.* 9. *q.* 5. *n.* 212. non sufficere transumptum, nisi sumptum fuerit nulla lite pendente, seruata forma. *c. fin. de fide instrum.* vel sumptum fuerit ex regestris bullar. Papæ.

7 Beneficia sub hac regula comprehensa sunt sicut in præcedenti regula omnia illa, quæ collector, seu subcollector habuit tempore quo officium exercuit; esto ante officium illa obtinuerit; quia verè durante officio illa obtinet, vt dicitur in supradicta regula, hoc est possidet, & retinet, iuxta *leg. clam. possidere. vers. is autem, & ibi gloss. verbo obtinendæ ff. de causa possess. & proprie.* Imo si solum durante officio collectoriæ ius ad beneficia ei competit, sufficiens est vt sub reseruationem cadant; si quidem in ipsa regula dicitur. *Et in quibus beneficiis, seu ad quæ ius eis competebat.* & tradit Bellenzin. *tract. de charit. subsid. q.* 110. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *n.* 352. Barbosa *alleg.* 57. *n.* 123.

Punctum XXI.

Explicatur reseruatio quintæ, sextæ, & septimæ regulæ Cancell.

1 *Explicatur quinta regula, & quæ in illa reseruantur.*
2 *Quæ per regulam sextam reseruentur.*
3 *Apponuntur verba regulæ septimæ.*
4 *Reseruantur primo per dictam regulam canonicatus, præbendæ, dignitates, & officia trium Ecclesiarum.*
5 *Item reseruantur beneficia ad prouisionem Cardinalium Episcoporum à Romana vltrà absentium.*
6 *De quibus Cardinalibus hoc intelligatur.*
7 *Attentata contra supradictas regulas omnia irritantur.*

1 QVinta regula reseruat omnia, & singula beneficia quorumcunque curialium, quos dum curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quouis loco, quantumcunque etiam à dicta curia remoto.

Hæc reseruatio in corpore iuris contenta est in *cap. præsenti*, *de prabendii. in 6. vers. porrò*: & tradit Rebuff. *hic*, & Garcia *cap.* 1. *n.* 366. Debuit tamen expediri, vt clarius constaret supradicta iuris reseruatio: quid nomine curialis intelligatur. §. 2. *huius puncti* explicauimus, ibique diximus cutiam Romanam transferri, cum Pontifex cum sua Cancellaria, & Audientia transfertur, secus cum ipse solus mutatur. Sed quia ex constitution. Pauli III. & Clement. VIII. eadem reputatur curia Romana in Vrbe, ac in loco vbi Pontifex existit, esto ibi cum Cancellaria non adsit, beneficia curialium sequentium Pontificem manent reseruata, si inibi decedunt, & probat exemplum curialium sequentium Clement. VIII. cum Ferrariam se contulit, & ibi decedentium, quorum beneficia testatur Gonzal. *gloss.* 51. *n.* 84. prouisa fuisse vt reseruata.

Notanda sunt verba illa, *curiam sequendo decedere contigerit.* Nam si curialis decedat, cum curia transfertur, non curiam sequens, sed potius ab ea recedens, nequaquam sub hac reseruatione eius beneficia comprehenduntur. Comprehenduntur autem sub reseruatione. *cap. licet. cap. præsenti. de prabendis. in 6.* si intra duas diætas legales mortuus fuerit, secus si extra. Et idem est si curia non transfertur, sed ipse valetudinis, vel recreationis causa mutatur, & extra duas diætas à curia obiit, non manebunt eius beneficia reseruata, secus si intra duas diætas: sic, aliis relatis, docuit Gonzalez *gloss.* 51. *à n.* 86. *& seqq.*

2 Sexta regula reseruat omnia beneficia cubicularium, & cursorum suorum. Circa quam regulam non leuis dubitatio orta fuit, de quibus cubicularijs esset intelligenda? Et quidem si ante Gregor. XV. loquamur, probabilius erat solum cubicularios officialis à Leone X. in suo collegio constitutos esse intelligendos: quia in sua constit. quæ est 14. in bullario, edita anno 1515. *ne Apostolicorum.* expressè prohibuit, ne alij præter supradictos nomen, & dignitatem cubicularium vsurpent. Neque obstat hos sub nomine officialium sedis Apostolicæ comprehensos esse in reg. 3. Cancell. quominus in præsenti illorum fieret reseruatio, quia claritatis gratia exprimuntur: & ita notauit Gonzalez *gloss.* 51. *num.* 91. Verum loquendo à tempore Gregor. XV. clarum est, comprehendi in hac reseruatione non solum cubicularios collegij Leon's X. sed etiam illos qui sunt extra muros, seu honoris causa cubicularij nuncupati, quia supradictus Gregor. & Leo XI. & Vrbanus VIII. expedientes regulas Cancellariæ sic supradictam regulam declarauerunt. Barbosa 3. *par. de potest. Episc. allegat.* 57. *num.* 129. *& seq.* Cursores vocantur, vt benè explicat Mandos. *hic quæst.* 2. *num.* 5. & Barbosa *num.* 131. qui sunt in bancho cursorum, quique de capellis, & consistoriis Papæ, & similibus Cardinales monent; quique à mandatariis distinguuntur, & colligitur ex constitutione Pauli V. quæ est in bullario nouo 71. *tom.* 3. *fol.* 282.

3 Septima regula reseruat quoscunque canonicatus, ac præbendas, & dignitates, personatus, & officia in Sancti Ioann. Lateranen & Principis Apostolorum, ac B. Mariæ Maioris de Vrbe Ecclesiis, nec non ad collationem, prouisionem, & præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Romana curia absentium ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum, & diaconiarum spectantia, quandiu absentia sua durauerit, canonicatus, & præbendas, dignitates, personatus, administrationes, & officia cæteráque beneficia cum cura, vel sine cura vacantia, & in antea vacatura, tam in eadem Vrbe, quam in Ecclesiis, ciuitatibus, & diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia. Ac decreuit irritum, &c.

4 Primo in hac regula reseruantur canonicatus, præbendæ, dignitates, & personatus, & officia trium Ecclesiarum Vrbis S. Ioannis Lateran. S. Petri, ac B. Mariæ Maioris. Neque obstat huic reseruationi hæc beneficia iure ordinario Pontifici tanquam Vrbis Episcopo competere: quia forte Archipresbyteri illarum Ecclesiarum, quia Cardinales erant, prætendebant sibi competere illorum prouisionem, & ad tollendam hanc apparentem prætentionem expedita fuit reseruatio. Azorius 2. *part. institut. moral. lib. 6. cap.* 34. *quæstion.* 10. *vers. per septimam regulam.* Gonzalez *gloss.* 13. *à num.* 22. Mandos. *his quæst.* 1. *sub numer.* 3. Garcia 5. *par. de benefi. cap.* 1. *à numer.* 400. Barbosa 3. *de potest. Episcop. allegat.* 57. *num.* 133. Neque ex eo quod in supradicta regula facta sit mentio tantum canonicatuum, præbendatum, dignitatum, & personatuum, & officiorum illarum Ecclesiarum, & non aliorum inferiorum beneficiorum, capellaniarum, scilicet & portionum, ac similium; inferri potest illa inferiora beneficia non esse de prouisione Pontificis. Sunt enim si Archipresbiteri, & capitula dictarum Ecclesiarum priuilegium non habent illa inferiora beneficia prouidendi. An vero illa habeant, & ad quæ beneficia extendantur, ipsi videre debent. Respectu enim horum inferiorum beneficiorum intacta reliquit Pontifex priuilegia à Pontificibus prædecessoribus concessa. Gonzalez *dicta gloss.* 13. *numer.* 26. Garcia *suprà.* Farinac. *decis.* 616. Barbosa *numer.* 134.

5 Secundo reseruantur beneficia ad prouisionem Cardinalium Episcoporum à Romana cutia absentium spectantia, ratione Episcopatus, Cardinalatus, aut ipsius Cardinalis tituli, seu diaconiæ. Absentium inquam à Romana curia sine legitima causa. Nam quando absunt ob residentiam in sua diœcesi, Ecclesiaque Cathedrali; iuxta decretum Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* non reseruantur beneficia, quia talis absentia legitima est, & à concilio approbata, & tradit Azorius 2. *p. inst. mor. lib.* 6. *c.* 34. *q.* 10. *in fine.* Gonzalez *gloss.* 24. *n.* 146. Barbosa 3. *part. alleg.* 57. *n.* 136.

6 Sed est dubium de quibus Cardinalibus Episcopis supradicta regula loquatur; an de omnibus, an solum de illis quibus Episcopatus est annexus, quales sunt Episcopatus Hostiensis, Portuen. Prænesten. Tusculan. Sabinen. & Albanen. Hi enim Episcopatus annexi sunt sex Cardinalibus antiquioribus presbyteris, qui tempore vacationis fuerint in Vrbe reperti. Ratio dubitandi est; quia hi Cardinales maiori prærogatiua digni sunt quam cæteri, at cæterorum beneficia non reseruantur quocunque mense vacent, esto à curia absentes sint, vt constat ex seq. reg. 8. Ergo neque horum beneficia reseruari debent, aut si horum beneficia reseruentur, & omnium debent reseruari. Dicendum tamen est de sex illis Cardinalibus, quibus ratione Cardinalatus est Episcopatus annexus, supradictam regulam intelligi. Quia hac reseruatione voluit Pontifex eos mouere, vt eius semper lateri assisterent. Tum quia sunt præcipui. Tum quia à Romana curia eorum Episcopatus non multum distat. Mandos. *hic quæst.* 3. Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 1. *numer.* 404. Gonzalez *gloss.* 14. *n.* 142. Barbosa 3. *part. allegat.* 57. *num.* 135.

Neque ratio dubitandi vrget. Admitto per reg. 8. Cancellariæ omnes Cardinales indistinctè à reseruatione ibidem contenta excludi, sed inde non infertur, in reg. 7. non esse comprehensos hos Cardinales Episcopos Romæ vicinos. Nam esto digniores sint, & aliis præferri debeant, hoc tamen non obstat, quominus ob bonum Ecclesiæ in aliquo specialiter grauentur, si grauamen nuncupari potest hæc beneficiorum reseruatio. Quapropter cum in reg. 8. omnes indistinctè excipiantur, subintelligendum est ab illa reseruatione. At si reliqui in alia reseruatione sunt inclusi, ii quidem non manent excepti.

Neque enim credendum est regulam septimam reseruatoriam ita incontinenti correctam esse. Vt quid enim expediebatur, si per reg. 8. corrigenda erat?

7 Tandem subdit Pontifex decretum irritans omnium quæ in contrarium huius regulæ, & præcedentium fuerint attentata, sic Aloysius Riccius *coll. Ianu. decis. 5. part. collectan. 1672.* August. Barbosa 3. *part. de potest. Episc. alleg. 57. n. 138.* Gonzalez *glos. 1. à n. 10. & tota glos. vlt.* Garcia 5. *part. de benefic. c. 1. n. 407.* Quod procedit, esto cum ignorantia, & absque culpa attentata fuerint. Lancellot. *de attentatis, 2. part. c. 12. limitat. 3. n. 27.* Aloysius Riccius, & Barbosa *suprà.* Garcia *n.* 409. de efficacia huius decreti irritantis videri potest Gonzalez *dicta glos. vlt. per totam.* Garcia 5. *part. de benefic. c. 1. à n. 409.* Mandos. *hic q. 4.* est enim ita efficax, vt inficiat, & annullet non solum titulum, sed etiam possessionem in contrarium, ita vt possessor defendi non possit aliquo ex remediis possessoriis, quia est nulla, & iniusta talis possessio. Mand. *reg. 1. Cancell. q. 3. per totam.* Gonzalez *glos. 31. n. 8. & glos. 66. n. 29.* Garcia 5. *part. de ben fic. c. 1 n. 417. & seqq.* & alij apud ipsos. Hoc autem sub intelligitur, dummodo de reseruatione, & decreto irritante constet, secus verò si non bene probaretur; quia in casu dubio non est possessor spoliandus, vt aliis relatis docet Gonzalez *gl. 31. n. 14. & 20. & Glos. 66. n. 39.* Garcia 5. *part. de benefic. c. 1. n. 417. & 430.*

PVNCTVM XXII.

Explicatur præcipua Cancellariæ reseruatio contenta in reg. 8. quæ nuncupatur regula de mensibus, & alternatiua.

HÆc regula in hæc verba statuitur. *Cupiens D.N. Papa pauperibus clericis, & aliis bene meritis personis prouidere, omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & quorumuis ordinum regularia, qualitercunq; qualificata, & vbicunque existentia in singulis Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Augusti, Octobris, & Nouembris, mensibus vsque ad suæ voluntatis beneplacium extra Romanam curiam, aliàs quam per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quamuis aliam dispositionem quorumcunque collatorum, & collatricum secularium, & quorũuis ordinum regularium (non tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter sedem Apostolicam, & quoscunque alios initis, & per eos qui illa acceptare, & obseruare debuerant acceptatis, & obseruatis, quæ ladere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suæ generaliter reseruauit; volens in supplicationibus seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio fient, de mense in quo vacauerint dispositiue mentionē fieri, alioquin gratias nullas esse, ac consuetudines etiã immemoriales optandi maiores, & pinguiores prebendas, nec non priuilegia, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de huiusmodi beneficiis, aut quod illa sub huiusmodi reseruationibus numquam comprehenduntur, etiam cum quibuscunq; derogatoriarum derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis quibuscunq; personis, & collegiis, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa aduersus reseruationem huiusmodi minimè suffragari. Insuper sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta ipsis quandiu apud Ecclesias, aut diœceses suas verè, ac personaliter residerint, dumtaxat de omnibus, & quibuscunque beneficiis cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interuentu capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus, quæ antea in mensibus Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris extra curiam ipsam vacare contigerit (dummodo aliàs dispositioni Apostolicæ reseruata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem concessit; ac etiam voluit, vt si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, vt præfertur, reseruauit) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ sedis aliàs quomodolibet reseruatorum, aut affectorum se intromiserint, aut quominus prouisiones, & gratia sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquo modo præstiterint, vsu, & beneficio prædictæ facultatis eo ipso priuati existant, ac collationes, & aliæ dispositiones de beneficiis illius pretextu deinceps faciendæ nullius essent roboris, & momenti. Illi vero qui gratiam alternatiuæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem huiusmodi per patentes litteras manu propria subsignatas, suoque sigillo munitas, & in sua quisque ciuitate, vel diœcesi datas declarare, & litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demum, & non antea vti incipiant gratia supradicta: decernens sic in prædictis omnibus per quoscunque, & iudicari debere, ac irritum, &c.*

§. I.

Quæ beneficia in hac regul. §. reseruentur.

1 *Reseruat quacunque beneficia tam secularia, quam regularia. Intelligendum est de beneficiis, quæ propriè beneficia sunt.*
2 *Item reseruat beneficia qualitercunque qualificata, & vbicunque existentia, & quomodocunque vacantia, aliter quam per resignationem.*
3 *An beneficia patrimonialia sub hac regula comprehendantur? Arguitur pro, & contra.*
4 *Resoluitur quæstio.*
5 *Beneficia electiua sub hac regula comprehenduntur, sed non electiones canonicatuum, Magistrales, & doctorales ecclesiarum Cathedralium, Regni Castellæ, & Legionis.*
6 *Beneficia iuris patronatus qualiter comprehenduntur, remissiue respondetur.*
7 *Non comprehenduntur beneficia consistentia in Ecclesia non numerata, seu receptitia.*
8 *Beneficia monocularia probabilius est comprehendi.*
9 *Beneficia nouiter erecta post regulam comprehenduntur.*
10 *Non extenditur in iis beneficiis ad primam beneficij collationem, quidquid dicat Gonzal.*

1 DVas supradicta regula habet partes. Prima loquitur de reseruatione. Secunda quæ incipit à §. *insuper*, loquitur de beneficio alternatiuæ Episcopis residentibus concesso. Vtramque ea breuitate qua potero perstringam.

In prima parte dispositioni suæ Pontifex reseruat quæcunque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & regularia, beneficia inquam quæ propriè beneficia sint. Quapropter beneficia manualia, siue vicariæ ad nutum, pensiones, & similia, de quibus *in princ. huius tractatus* diximus, beneficia propriè non esse, nequaquam sub reseruationem cadunt. Tum quia spectato iuris rigore beneficia non sunt. Tum quia Pontifex non reseruat nisi beneficia vacantia, quæ autem perpetua non sunt, non vacant: sic pluribus comprobat Gonzalez *glos. 5. §. 6. à num. 9.* Garcia 5. *part. de benefi. cap. 1. à num. 510.* Barbosa 3. *p. de potest. Episcop. allegat. 57. à numer. 141.* Dixi quæcunque beneficia regularia, quæ perpetua sint. Excipe, nisi fiat ordinum militarium. Nam esto in hac regula nulla illorum beneficiorum facta sit exceptio; at quæ in reg. 3. excepta sunt prioratus, præposituræ, personatus, & comendæ horum ordinum, non est dicendum in hac regula comprehendi, quia sub generali reseruatione comprehendi non debent, quæ in speciali excipiuntur. Neque ita incontinenti credendum est fieri derogationem priuilegij concessi, si fructa, & inutiliter concederetur. Posito autem illa beneficia superiora illorum ordinum à reseruatione excludi, & reliqua beneficia illorum ordinum inferiora exclusa esse videntur, quia reseruatio semper maiora afficit. Sic Garcia 5. *p. cap. 1. num. 513.* quamuis contrarium non sine fundamento defendat Gonzal. *glos. 8. n. 70.*

2 Subdit vero Pontifex se reseruare quæcunque beneficia, qualitercunque qualificata, & vbicunque existentia, quocunque modo vacatura alias per resignationem, quæ ad cuiusuis collationem, præsentationem, electionem, vel quamuis aliam dispositionem quomodolibet pertinuerint. Per quæ verba tolluntur dubitationes, quæ oriri possent circa beneficia qualificata, & in Metropolitanis, Patriarchalibus, aliisve Ecclesiis existentia, an essent comprehensa. Nam esto ex reseruatione generali beneficiorum comprehensa non essent. argum. text. in *cap licet eamen. 14. iuncto cap. statutum 22. de elect. lib. 6 & c. quamuis. de prebend. in 6. cuius ceptum. de rescript. eodem lib.* At ex his verbis nemini dubium esse potest comprehendi.

3 Difficultas est, an patrimonialia beneficia sub iis verbis comprehendantur? Patrimonialia voco, quæ ex fundatione, vel priuilegio Pontificis conferenda sunt natis, incolis, vel oriundis alicuius oppidi, pattiæ, vel parochiæ, cuiusmodi sunt beneficia diœcesis Burgensis, Placentinæ, & Calagurritanæ. Videtur enim hæc beneficia sub reseruatione prædicta non comprehendi. Primo, quia de his non fit specifica, & expressa mentio, quæ tamen videbatur requiri, *argum. cap. 18. sess. 24. Trident.* vbi expressit concursum faciendum in beneficiis patrimonialibus, tametsi generalibus verbis diuerat in omnibus beneficiis parochialibus, exceptis iis quæ sunt de præsentatione laicali concursum esse faciendum. Secundo hæc beneficia patrimonialia, vt constat ex vsu, & consuetudine, nec resignantur, neque impetrantur, neque pensione grauantur, sed potius per concursum prouidentur, vt constat *ex leg. 21. 22. & 23. tit. 3. lib. 1. recopil.* & tradit Couarruuias *præd. cap. 36. à num. 4.* Ergo non cadunt sub reseruationem. Alias resignatio, permutatio, & pensionis impositio, & sine concursu prouisio illis competeret, cum hæc beneficiis reseruatis regulariter competant. Tertio hæc beneficia non cadunt sub reseruationem

reseruationem iuris factam in *cap. licet. de prabendis in 6.* si quidem beneficiato decedente in curia ordinarius prouidet beneficium, ac si extra, & in suo mense vacaret, vt testatur Couarruuias *supra*. Ergo neque cadit sub hac reseruatione, quæ minor est ea, quæ à iure est statuta, & ita tenet Zerola *in praxi Episcop. 1. part. verbo beneficia.* § 3. *dicto* 8. Summa bullar. Quaranta *verbo beneficiorum reseruatio.* Perez de Lara *de anniuersar. & capellan. lib. 2. cap. 10. num. 9.* Ceuallos *lib. 4. quæst. 1. seu. quæst. 897. num. 458. & præcipuè n. 479. & à num 523.* inclinat Cou. *pract. q. c. 36. à n. 6. vers. similiter.* Menoch. *lib. 3. cons. 194. num. 18.*

Cæterum sub prædicta reseruatione beneficia patrimonialia comprehendi fortiter vrgent verba regulæ, *quæcunque beneficia qualitercunque qualificata, vbicunque existentia, & ad cuiusuis prouisionem pertinentia cum clausulis derogatariarum derogatoriis, &c.* Quæ certè videntur patrimonialia comprehendere: & ita tenet vt probabilius Gonzalez *gloss. 9. § 1. specialiter num. 59.* Garcia 5. *par. de benefic. cap. 1. num. 562.* quibus in locis hanc sententiam variis decisionibus Rotæ comprobant. Neque obstant superius adducta. Ad primum dico Tridentinum expressisse patrimonialia pro concursu faciendo, quia solum dixerat in beneficiis parochialibus concursum faciendum esse, neque addidit in quibuscumque parochialibus qualificatis, & vbicumque existentibus, sicut in nostra regula. Ad 2. concedimus talia beneficia nec resignari, nec permutari, neque pensione grauari, non quia id fieri non possit, sed quia sic obtinentes beneficia ob pragmaticas regias timent litibus involui, & molestari, & vix effectum obtinere. Adde si aliquando impretrarentur, solum pro naturalibus deberet fieri impetratio, non pro exteris. Ad 3. nego sub reseruatione facta in *c. licet*, supradicta beneficia non contineri, neque Couarr. de illa reseruatione loquens contrarium asseuerauit, sed solum dixit non facilè admitti derogationem priuilegij, vt filiis naturalibus hæc beneficia conferantur.

Ego vero dicendum existimo supradictam regulam comprehendere quælibet patrimonialia beneficia ob dictam clausulam generalem cum derogatoriarum derogatoriis; nisi fortè in priuilegio filiis patrimonialibus concesso tales clausulæ contineantur, quibus derogatum minimè censeatur supradicta regula Cancellariæ. Esse autem tale priuilegium concessum diœcesi Calagurritanæ à Clem. VIII. refert Gonzalez *supra. num. 72.* Garcia *num. 566.* Ceuallos *num. 523.* Quod priuilegium affirmant nequaquam derogari per regulam Cancellariæ de nouo editam derogantem quæcumque indulta quibuscuis personis, & collegiis concessa. Tum quia diœcesis non est in rigore collegium. Tum quia indultum diœcesis Calagurritanæ non est concessum in fauorem eligentium, sed eligendorum; & regula Cancellariæ solum videtur derogare indultis collegiis, & quibusuis personis prouidentibus concessis in eorum fauorem.

5 Secundo dubitatur, an beneficia electiua sub hanc reseruationem cadant. Et cadere sub hanc reseruationem constans est doctorum sententia ex illis verbis *ad cuiuscumque electionem*, & tradit, vt indubitatum, Gonzalez *gloss. 19.*

Solum est difficultas de canonicatibus doctoralibus, & magistralibus Ecclesiarum Cathedralium regni Castellæ, & Legionis, qui per concursum, & electionem capituli prouidentur, iuxta constitutiones Sixti IV. & Leonis X. qui comprehendi sub hac reseruatione videntur, cum quælibet beneficia, qualitercunque qualificata, ad cuiuscunque prouisionem comprehendantur, priuilegiis & indultis Apostolicis in contrarium quibuscuis personis, & collegiis concessis derogatis.

Cæterum tenendum est in supradicta reseruatione minimè comprehendi; quia in constitutione Sixti IV. & Leonis X. cauetur ne sub vlla reseruatione etiam per regulas Cancellariæ hi canonicatus comprehendantur. Ergo signum est Pontificem voluisse illos à reseruationibus liberari. Dices verum esse, cum illam constitutionem edidit, secus vero cum nouas regulas Cancellariæ publicauit cum clausulis derogatoriarum derogatoriis cuiuscunque indulti, &c. Sed contra, quia supradicta regula Cancellariæ solum derogat indulta quibuscuis personis, aut collegiis concessa, quod intelligendum est de indultis, quæ vere indulta, & priuilegia sunt, secus vero quæ per modum legis, & statuti conceduntur, quale est concessum in horum canonicatuum prouisione. Tum quia loquitur de forma, & modo prouidendi hos canonicatus. Tum & præcipuè quia in Trident. *sess. 25. cap. 5. de reformat.* statuitur nihil esse detrahendum ex his, quæ in prouisione horum canonicatuum statuta sunt. Cum autem decreto Sixti IV. & Leonis X. statuerit hos canonicatus per concursum graduatis in vniuersitatibus Castellæ, & Legionis, & in aliis prouidere debere, sit sanè regulis Cancellariæ nihil illis in hac parte esse derogatum: & ita tenet, pluribusque exornat Gonzalez *gloss. 9. § 2. per totum, specialiter n. 63.* Garcia 5. *part. de benefic. c. 1. n. 679. & 680.*

6 Tertio dubitatur de beneficiis iuris patronatus, qua ratione per hanc regulam reseruata censeantur? Cui dubitationi, cum de derogatione iuris patronatus in hac disputatione locuti fuimus pro tenuitate nostra satisfecimus. Neque aliquid speciale addendum occurrit.

7 Quarto dubitatur de beneficiis consistentibus in Ecclesia non numerata, seu receptiua; vbi scilicet non adest certus numerus canonicorum, seu aliorum beneficiatorum, sed iuxta quantitatem fructuum præbendæ decrescunt, vel augentur. Videntur quidem comprehendi primo; quia sunt vere beneficia Ecclesiastica. *cap. ex parte. de conceff. prabenda.* At regula hæc omnia beneficia qualitercumque qualificata, & vbicumque existentia reseruat. Secundo hæc beneficia resignari, permutarique possunt, vt tradit Flamin. Paris. *lib. 2. de resignat. q. 13. n. 1. & 2.* Ergo etiam possunt reseruari. Tertio dari potest mandatum alicui de prouidendo in prima præbenda vacatura in Ecclesia non numerata, sed ex vi talis mandati iam prima præbenda reseruata manet. Ergo etiam potest reseruata manere ex vi generalis reseruationis, cuiuscumque præbendæ octo mensibus vacaturæ.

Nihilominus omnino tenendum est in hac, & in qualibet alia generali reseruatione non comprehendi hæc beneficia; eo quod morte beneficiati non vacant, sed extinguuntur, & supprimuntur, quousque per electionem canonicorum, vel aliorum quorum interest erigantur, vt expressè decidit in *cap. delicto. 25. vers. præterea. de prabendis.* ibi: *Præterea licet in Ecclesia, in qua non est certus numerus præbendarum, nulla etiam vacante in canonicum quis possit assumi, cum intelligatur ad quoddam ius eligi, quod ex electorum assensu de nouo creatur, & cum electo in canonicum nascitur, & desinit esse cum defuncto.* At hæc regula, & quælibet alia generalis reseruatio est pro beneficiis vacaturis. Ergo iis beneficiis competere non potest: sic variis decisionibus Rotæ comprobat Gonzalez *gloss. 9. § 3. à numer. 9.* Garcia 5. *part. de benefic. cap. 1. num. 550.* Barbosa *de potest. Episc. 3. par. alleg. 57. num. 178.* Neque obstant contraria. Nam ad primum respondeo concedendo esse beneficia, sed quia non quælibet beneficia reseruantur, sed beneficia vacatura, & hæc non vacent, ea de causa sub reseruationem non cadunt. Ad secundum nego hæc beneficia impetrari, resignari, aut permutari posse ob supradictam rationem, quia numquam vacant; & docent supradicti doctores: si tamen aliquando illorum facta est impetratio, resignatio, aut permutatio sciente, & consentiente Pontifice, hoc inquam extraordinarium est, & præter ius, & ideo in consequentiam trahi non potest. Et eodem modo respondemus ad tertium, dari inquam posse à Pontifice mandatum de prouidendo in prima præbenda vacatura in Ecclesia non numerata, non quia propriè vacet, sed quia Pontifex illam ac si vacaret prouidere intendit, remouens omnia, quæ tali prouisioni obstant.

8 Quinto dubitatur de beneficiis monocularibus, hoc est vnius, an cadant sub prædictam reseruationem? Dupliciter esse potest beneficium, vel comparatione Ecclesiæ in qua vnicum est, vel comparatione prouidentis illud, quia solum potestatem habet ad vnicum beneficium prouidendum. Et in vtroque sensu non defuerunt doctores sententes sub reseruationem non cadere: sic Gloss. *in clem. 1. de prabendis. verbo incerta.* Æneas de Falconibus. *tract. de reseruat. quæst. 3. princip. num. 32.* Selua *tract. de benefic. lib. 3. quæst. 11. num. 71. 72. & 73.* Gomezius *tract. de expectat. iuris. n. 46.* Mouentur, quia non est verisimile voluisse Pontificem priuare Ecclesiam, vel ordinarium collatorem potestate vnica, quam habet iuxta *clem. 1. de sentent. excommunicat. ad finem.* Quapropter in mandato de prouidendo certæ personæ de primo beneficio vacaturo, non comprehenditur beneficium monoculare, siue mandatum de prouidendo sit in forma pauperum, siue in forma speciali, vt relato Archidiac. Ioan. Andr. & aliis tradit Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 201. n. 94.*

Verius tamen est ad omnia hæc beneficia se extendere reseruationem. Tum quia hæc reseruatio habet verba prægnantia, & potentissima, vt quælibet beneficia quantumuis qualificata valeat comprehendere. Ergo valebit comprehendere, etiamsi qualitate monoculari affecta sint. Tum quia hæc reseruatio non absolutè priuat ordinarium collatorem potestate vnica quam habet prouidendi, sed illam restringit pro aliquibus mensibus. Tum quia ferè omnia beneficia curata sunt monocularia, ac proinde si hæc à reseruatione essent libera, multum detraheretur regulæ supradictæ. Et ita comprehendi tenet Gonzalez *gloss. 9 §. 4. sub num. 14.* Garcia *d. cap. 1. numer. 518.* Barbosa 3. *part. de potest. Episcop. allegat. 57. num. 180.* Ad fundamentum contrarium negamus non esse vtissimile voluisse Pontificem hæc beneficia comprehendere, cum reseruationem per modum legis, & verbis ita generalibus, & efficacibus statuerit. Concedo tamen in mandato de prouidendo non contineri hæc beneficia, nisi exprimantur. Tum quia hoc mandatum cum sit in materia ambitiosa, & odiosa. *cap. quamuis pactum. de prabendis, in 6.* strictè est interpretanda. Tum quia continet absolutam reseruationem, & integrè priuat ordinarium potestate, quam habet conferendi, quæ in præsenti non concurrunt, cum hæc reseruatio sit per modum legis, & non in fauorem alicuius determinatæ personæ, sed in fauorem pauperum clericorum; ac proinde ea ex parte fauorabilis est, & amplè

interpretanda. Tum quia non pro omni tempore, sed pro mensibus Apostolicis fertur.

9 Sexto dubitatur de beneficiis nouiter erectis post publicationem supradictæ regulæ, an sub illa comprehendantur? In qua dubitatione Gonzalez *gloss. 9. §. 5.* plura adducit in fauorem partis negantis, sed illis non obstantibus *à n. 45.* concludit, & benè, sub reseruationem comprehendi. Quia hæc reseruatio est per modum legis, & cum lex semper loquatur. *l. Arriani. C. de Hæreticis*, ad beneficia nouiter erecta extenditur. Item, quia reseruat omnia beneficia qualitercunque qualificata, & vbique existentia, & quomodolibet vacatura, quæ verba ita sunt amplissima, vt nullus sit locus excipiendi beneficia nouiter erecta. Fateor tamen in reseruationibus, gratisque specialibus, quia odiosæ sunt, & omnino restringendæ; beneficia nouiter erecta venire, iuxta *textum in clem. fin. de rescriptis*, ibi. *Litteras nostras super conferendo tibi beneficio vacaturo directas, ad beneficium post datam ipsorum creatum statuimus non extendi*; & consentiunt doctores ibi. Dixi *ad beneficium nouiter erectum*, nam si erectum erat, sed non cum qualitate in rescripto apposita tempore datæ, habuit tamen illam tempore vacationis, vt si datum fuit rescriptum ad beneficium curatum primo vacaturum, quod beneficium tempore datæ erat simplex, at tempore vacationis curatum erat, valet rescriptum, & virtute illius illud obtinere potes. Et idem est si impetrantes rescriptum ad beneficium pertinens ad collationem alicuius, & beneficium tempore datæ non spectabat ad collationem illius, vt tempore vacationis spectat, tibi debetur, vt latius tradit Gloss. *d. clement. verbo statuimus.*

10 Ampliat Gonzalez *n. 50.* dictam reseruationem, vt procedat in prima beneficij erectione, eo quod beneficium cum primo erigitur, vacare censetur, ex dicto *text. in clem. fin. de rescript.* & ibi Gloss. *verbo statuimus.* Bonifac. Vitalin. *num. 18.* & Cardinal *n. 4.* Sed regula Cancellariæ reseruat omnia beneficia quomodolibet vacatura alias, quam per resignationem. Ergo hæc reseruat. Mihi tamen probabilius videtur primam huius beneficij collationem non reseruari Pontifici, sed erigenti beneficium relinqui. sic Garcia *5. part. de benefic. cap. 1. num. 520.* & videtur approbare Barbosa *3. par. allegat. 57. n. 181.* Moueor, quia esto in rigore beneficium vacare censeatur eo ipso quo erectum sit, antequam alicui sit collatum, at cum collatio ita immediatè erectionem sequatur, vt vix contingat ab illa disiungi, non computatur hæc vacatio in reseruatione beneficij vacaturi.

§. II.

Pro quibus mensibus reseruatio sit constituta.

1 *Expenduntur menses reseruationis, & à quo tempore incipiant numerari, & finiantur.*
2 *Sed quid si dubium est, quo mense beneficium vacauerit, neque facta diligentia vinci dubium potest? Pro ordinario est præsumendum, si præuenit.*
3 *At si non constat quis præuenerit, neque vllus prouisus est in possessione. Probabilius etiam est pro ordinario esse præsumendum.*
4 *At si Pontifex præuenit, affirmant plures sustinendam esse eius prouisionem aduersus prouisionem ordinarij, maximè si prouisus Apostolicus est in possessione.*
5 *Contrarium est verius.*
6 *Fit satis oppositis argumentis.*

1 REseruatio hæc supradictorum beneficiorum non est absoluta pro omni tempore, sicuti sunt prædictæ regulæ antecedentes: sed est pro vacatione contingenti in mensibus Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Augusti, Octobris, & Nouembris: nam vacatio contingens reliquis mensibus ordinario collatori remittitur. Huiusmodi menses incipiunt à media nocte præcedentis diei, v. g. à primo pulsu, quo horologium duodecimam horam noctis signauit; quia ibi terminatur dies, & nouus succedit, *leg. more Romano. ff. de Feriis, cap. consuluit. 24. de offic. delegati.* Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 11. num. 7.* Sanchez *lib. 2. de matr. disp. 41. num. 40.* Garcia *5. part. de benefic. c. 1. num. 523. & seqq.* Barbosa *allegat. 57. n. 183.* Gonzalez *gloss. 11. num. 10.* & alij. Cum plura sunt horologia regulanda est hora iuxta horologium parochiæ defuncti, vel secundum illud, per quod populus communiter regitur, secluſa fraude, vel notabili horogij deordinatione; quia tunc ipsi standum non est, cum sit signum fallax. Garcia *5. part. de benefic. cap. 1. num. 523. & seq.* & Barbosa *suprà*, approbantque doctrinam Bobadillæ *in sua polit. lib. 5. cap. 2. num. 25.* dicentis sequendum esse horologium propitium, si res de qua agitur fauore digna sit: secus vero si odio sit digna; quamque verissimam esse putat Pallador. *lib. 3. quæst. 9. num. 10.* quando duo tantum extant horologia, secus quando plura sunt; quia tunc existimat adhærendum esse numero pluribus, & communiter certioribus, vt in testibus contingit. Si vero horologium non est in populo, aut deordinatum esse probatur, vel non est auditum, desumenda est media nox tum ex cursu syderum, tum ex iudicio hominum de hoc experientiam habentium, tum ex communiter accidentibus: sic Garcia *num. 526.* Barbosa *num. 187.* An vero ex galli cantu præsumptio sumatur esse diem inchoatum, non constat inter doctores, cum diu noctúque gallus cantare soleat. Sed quia versus diem frequentius canit; aliquam præsumptionem facit esse diem cœptum; aliquam inquam præsumptionem non firmam, sed leuem, nisi sit pro sustinenda ordinarij prouisione. Quia tunc prouisionem firmam reddit, dum contrarium aduersarius non probauerit, vt à Rota bis decisum fuisse tradit Gonzalez *gloss. 11. num. 16.* Garcia *n. 526.* Barbosa *num. 187.*

2 Sed quid si dubium est quo mense beneficium vacauerit, an mense Apostolico, an ordinario, & facta diligentia vinci dubium non potest; eo quod beneficiatus reperiatur mortuus in agro, vel in fluuio, & nescitur quo die, aut mense contigerit, vel reperiatur manè prima die Ianuarij in lecto mortuus, nescitur tamen, an ante mediam noctem, an post decesserit, cui ergo tunc competit prouisio an Pontifici, an ordinario?

In hac dubitatione certum est; si de facto ordinarius prius contulit beneficium, esto illius possessionem non acceperit, hanc collationem sustinendam esse aduersus prouisionem Apostolicam. Tum quia ordinarius, & ab illo prouisus habet suam intentionem fundatam omnia beneficia suæ diœcesis prouidendi: *cap. regenda. 10. quæst. 1. cap. nullus omnino. 16. quæst. 7. cap. ex frequentibus. de institutionibus. cap. conquerente. de officio ord. & alia.* Ergo dum non fuerit probata reseruatio, eius prouisio sustinenda est. Deinde in casu dubio reseruationis negari non potest ordinarium saltem æquale ius cum pontifice habere, ad beneficium prouidendum. Ergo si huic æquali iuri addit præuentionem, vincet ratione præuentionis. Et ita sentiunt ferè omnes doctores statim referendi.

3 Verum si non constat quisnam prius prouiderit, an ordinarius, an Pontifex, neuterque sit in possessione, non caret difficultate quisnam sit præferendus? Videtur namque præferendum esse à Pontifice prouisum *arg. cap. si à sede 31. de prabendis. lib. 6.* vbi decidit in casu dubio anteriotitatis prouisionis Apostolicæ, an ordinariæ, Apostolicam præferendam esse propter authoritatis prærogatiuam. Idemque colligitur *ex clement. prima. §. neutro. & lite pendente.*

Nihilominus tenendum est præferendum esse prouisum ab ordinario, sic aliis relatis docet Gonzalez *gloss. 11. num. 37.* Ratio est superius dicta; quia ordinarius habet suam intentionem fundatam à iure communi prouidendi omnia beneficia suæ diœcesis, dum reseruata non sunt. Ergo in casu dubio in fauorem eius iudicandum est; quia semper fauendum est ei, qui pro se habet iuris præsumptionem. Neque aduersus hanc doctrinam procedit *c. si à sede*: loquitur enim, cum æquanimiter Pontifici, & ordinario competit prouisio, ipseque Pontifex tanquam ordinarius ordinariorum præuenire illius prouisionem intendit. Secus verò cum solo iure reseruationis intendit prouidere; quia tunc nisi de reseruatione constet, eius prouisio sustinenda non est. Minus etiam obstat *clem. 1. vt lite pend.* quia tunc constabat de lite, ac proinde de impedimento, quod Episcopus habebat ad prouidendum, *c. 1. & 2. vt lite pend.* Non ergo est mirum, vt prouisio Apostolica præferatur, si quidem Pontifex habet intentionem suam fundatam. Secus vero in nostro casu, vbi ex parte ordinarij est iuris præsumptio.

4 Difficultas vero grauis est, an si prouisio Apostolica fuerit anterior prouisione ordinarij, & virtute illius prouisus possessionem acceperit, defendendus sit aduersus prouisum ordinarij? Affirmat Gonzalez *gloss. 11. num. 26.* Mouetur primo, quia ratione possessionis præsumit ius possidentem beneficium habere dominium illius *1. §. quod si vnum, & ibi gloss. verbo possidebat.* Ergo aduersus hanc præsumptionem prætalere non potest ordinarij prouisus, dum negatiuam reseruationis claré non probat. Secundo probatio reseruationis non videtur possidenti competere, cum ipse non sit actor, sed reus; potius enim competit ei, qui illum à possessione deturbare intendit. Ergo hoc non probante possessor absoluendus est, & in possessione conseruandus. *argum. leg. qui accusare. Cod. de edendo. & cap. cum Ecclesiast. benefic. sine diminut. conferant.* Tertio in casu dubio fauendum est potius reo, quam actori; & possessori, quam possessione carenti. *§. retinenda. vers. commodum. instit. de interdictis. c. 2. de probationib.* & pluribus exornat Mascard. *de probat. concl. 1200. per totam.*

5 Cæterum mihi contrarium probabilius videtur, affirmo namque prouisum Apostolicum repellendum esse à possessione, & prouisum ordinarij admittendum, dum prouisus Apostolicus non probauerit beneficium sedi Apostolicæ reseruatum esse. Neque ab hoc probationis onere ob possessionem liberatur. Ratio est; quia prouisus Apostolicus in tantum ius acquirit in beneficium, in quantum beneficium est reseruatum; quia solum iure reseruationis Pontifex illud prouidere intendit. Sed in præsenti casu nullo modo constat de reseruatione. Ergo nec constare potest de iure acquisito. Dices, sufficere, quod non constat carere reseruatione, vt possit Pontifex, vt reseruatum prouidere, & ordinarium dubium de reseruatione præmuire.

Sed

Sed contra, quia eo ipso, quod de reseruatione non constat, non est dubius ordinarius, sed certus reseruatum non esse, saltem ex præsumptione iutis. Tum quia reseruatio est odiosa. Tum quia est quid facti. Tum quia ordinario competit beneficiorum suæ diœcesis prouisio, dum non probatur reseruatio, ex dicto *cap. ex frequentibus. de institutionibus*, Ergo nequaquam in hoc dubio Pontifici competit prouisio iure reseruationis. Ergo si prouisus, tanquam prouisus, sine vero titulo repellendus est. Et confirmo, cum pontifex supradictam beneficium prouidet vel illud prouidet vt reseruatum, vel vt non reseruatum; Vt non reseruatum nunquam fuit eius animus prouidere; vt reseruatum verò prouidere non potest; quia prius reseruationem, debebat cognoscere. Ergo si absque tali cognitione prouidet, nulla est eius prouisio, & prouisus nullum ius ex vi illius acquirit, quamcumuis possessionem acceperit: sic docet Garcia 5. *par. de benefic. cap. 1. à num.* 528.

6 Neque vrgent fundamenta pro contraria parte adducta. Ad primum admitto ex possessione beneficii dominiũ illius præsumi, dum ignoratur illegitimo titulo esse acquisitum. Secus si de illegitimo titulo constaret, vt contingit in præsenti; quando possidens beneficium possidet illud vt sibi datum iure reseruationis, cum tamen reseruatum non sit, ac proinde iam constat de illegitimo titulo. Non ergo est mirum quod prouisus ab ordinario, aduersus illam præualeat. Ad secundum nego probationem reseruationis non competere sic possidenti: competit namque cum sit fundamentum suæ intentionis, prouiso ab ordinario competere non potest, quia dum reseruatio non probatur, habet pro se iuris præsumptionem. Qui autem iuris præsumptionem habet, sic habet suam intentionem fundatam, vt transferat in aduersarium etiam possidentem onus probandi. Couarru. *lib. 2. var. cap. 6. num.* 1. Mascard. *quæst.* 17. *à num.* 6. Alciat. *de præsumpt. 3. p. num.* 2. Pacian. *tract. de probat. lib. 1. cap.* 12. Menoch *de præsumpt. lib. 11. quæst.* 33. *à num.* 2. Garcia *sub. num.* 30. Imo ita habet suam intentionem fundatam vt ab ea dimoueri non possit, dum ei aliqua exceptio plene probata non obiicitur, vt relato Bart. Ripa., & aliis tradit ipsemet Gonzalez *glos.* 11. *num.* 47. Possessio autem huius prouisi Apostolici non est exceptio aduersus prouisum ab ordinario, quia est illegitimè accepta & quia habet contra se iuris præsumptionem. Ad tertium concedo in casu dubio, & cum partium sunt iura obscura, fauendum esse potius reo quam actori, & possidenti, quam carenti possessione. At in præsenti neque est casus dubius, neque partium iura sunt obscura. Nam esto dubium sit, & obscurum, an beneficium mense Apostolico, an ordinario vacauerit, at non est dubium, neque obscurum ordinario competere eius prouisionem, dum non apparet menſe Apostolico vacasse, neque etiam est dubium, aut obscurum Pontifici non competere eius prouisionem iure reseruationis, dum non apparet reseruatio.

§. III.

Quas limitationes vltra supradictã limitationem mensium dicta reg. 8. patiatur.

1 *Hæc reseruatio limitatur, vt solum habeat locum pro vita Pontificis*
2 *Non extenditur hæc reseruatio ad beneficia vacantia in curia.*
3 *Neque extenditur ad beneficia alias reseruata, quidquid dicat Garcia.*
4 *Reseruantur beneficia vacantia quocunque modo aliàs quam per resignationem.*
5 *De qua resignatione regula loquatur.*
6 *Sub resignatione intelligitur permutatio.*
7 *Quilibet menſe resignare potes beneficium, vel permutare in manibus ordinarij,*
8 *Quodcunque ius in supradictis beneficiis habeas, censetur reseruatum.*

1 NOn solum hæc regula adstringit reseruationẽ pro mensibus octo, sed etiam pro vita ipsius Pontificis, pro locis extra curiam, & pro vacationis modo à resignatione distincto: si quidem dicit Pontifex omnia supradicta beneficia reseruare vsque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam curiam alias quam per resignationem quomodolibet vacatura, ad collationem, Præsentationem, electionem, & quamuis aliam dispositionem quorumcumque collatorum.

Ex quibus verbis constat hanc reseruationem solum pro vita Pontificis durare, quia solum durante eius vita, stare eius beneplacitum potest. *cap. gratiosè de rescrip. in 6. & ibi glos. l. 4. ff. locati.* Cou. *lib. 3. var. c. 15. à num.* 2. Mol. *de Hispan. primogen. lib. 2. c. 25. à num.* 4. Mol. Iesuita *de iust. tr. 2. disp.* 298. *& tr. 5. disp. 20. num.* 5. Thom. Sanch. *lib. 8. de matr. disp.* 28 *à num.* 49. Gonzal. *ad reg. 8 Cancell. §. 5. proœm. à num.* 8. *& glos.* 12. *à n.* 1. Garcia 5. *par. de benefic. cap. 1. n.* 643.

2 Secundò constat non extendi hanc reseruationem ad beneficia vacantia in curia, & meritò quia hæc reseruata erant reseruatione fortiori, & efficaciori in corpore iuris clausa. *c. 2. de præbend. in* 6. Non igitur indigebant hac regulæ reseruatione.

3 An vero extendatur ad beneficia alias reseruata. Affirmat Garc. 5. *p. de benef. c. 1. sub num.* 540. ea motus ratione, quia hæc regula solum excipit beneficia vacantia in curia; hoc est apud sedem, iuxta *cap. licet de præbend. in* 6. reliqua verò reseruata propriè non vacant in curia, sed impropriè, quatenus à curia prouidentur. Put. *decis.* 36. *lib. 2. à n.* 1 Ergo cadunt sub hac reseruatione

Contrarium mihi probabilius videtur cum Gonzalez *reg. 8. Cancell. glos. 13. à num.* 65 Puteo *decis.* 125. *lib.* 3. Quia hæc regula solum reseruat beneficia, quæ alias ordinarij prouidere poterant. Tum quia ad octo menses reseruationem limitat, & quatuor liberos ordinariis relinquit, quod in beneficiis reseruatis nequaquam locum habere potest: horum enim prouisio est omni tempore ordinariis interdicta: quia omni tempore reseruata sunt. Tum quia loquens regula de alternatiua episcopis concessa, expresè dicit esse pro beneficiis aliàs dispositioni Apostolicæ non reseruatis, vel affectis. Ergo de eisdem beneficiis procedere debebat reseruatio, vt vna pars regulæ cum alia conuenientiam haberet. Tum quia in supradicta regula cauetur impertantem à sede Apostolica aliquod beneficium vacans in menſe apostolico, ac proinde ex vi huius regulæ reseruatum debere mensionem facere menſe vacationis, ne ordinario præiudicetur in collatione. Sed in beneficiis alias reseruatis (esto vacent in menſe Apostolico) non est necesse huius mensis facere mentionem, vt expresè tradit Puteus *decis.* 25. *lib.* 3. Mandos. *de signatura grat. tit de prouis. vers. an autem in imperatione*, Rota *decis.* 122. *lib.* 1 *par.* 3. *diuers.* Garcia 5. *p. c.* 1. *num.* 666. Ergo regula hæc de beneficiis alias reseruatis non loquitur. Neque obstat quod hæc beneficia aliàs reseruata proprie non vacent in curia, seu apud sedem; quia non omnia, quæ extra curiam vacant, hac regula reseruantur, sed ea tantum quæ aliàs ordinariis collatoribus competere poterant; quia hæc regula ad restingendam ordinariorum potestatem expedita fuit, vt constat ex eius procœmio.

4 Tertiò infertur reseruari beneficia quocunque modo vacatura, aliàs quam per resignationem. Vnde si vacent per obitum, siue per imcompatibilitatem, siue alio quovis modo excepto per resignationem, sub hac reseruatione comprehenduntur, sic Gonzalez *glos.* 15. *num.* 1. & 2. Garcia *de benefic. 5. p. c. 1. num.* 547. Barbosa 3. *par. de potest. episc. alleg.* 57. *num.* 195. Et procedit regula non solum in vacatione de iure, & de facto, de quo non est dubium, cum tunc plene beneficium vacet, sed etiam in vacatione de iure tantum, aut de facto tantum: sic Garcia, Barbosa, & Gonzalez, *supra toto* §. 1 Et quidem quando de iure vacat beneficium, verè vacare dicitur; si quidem amittitur ius plenum, & perfectum, quod in beneficio habebatur. *cap. si gratiosè. de rescript. in 6 & cap. si tibi absenti, vers. licet ibi ius in ipso beneficio, vt tuum dici possit. de præbendis in 6. cap. vnico iuncta glos. verbo obtinendis, de eo qui mittitur in possessionẽ in 6. regul. beneficium de reg. Iuris in 6.* & est expressus textus *in Clemen. 1. §. neutro vt lite pendente.* & tradit, pluribusque exornat Gonzalez *glos.* 15. §. 1. *à num.* 14. Barbosa *alleg.* 57. *num.* 95. Garcia 5. *p. de benefic. cap. 1. num.* 548. Si autem de solo facto beneficium vacat, etiam verè vacare dicitur, satis eruditè probat Gonz. *à num.* 42 *& seqq.* ea præcipuè ratione, quia possessio ius in beneficium confert, & dominium illius præsumere facit, dum contrarium non probatur, quod non leuiter colligitur ex *Clem. 5. §. quod si vnum, vt lite pendente*, vbi ad iudicandum an in curia vel extra, beneficium vacauerit, spectatur vacatio per possessorem illius.

5 Excipitur vacatio per resignationem. Sed de qua resignatione intelligatur, de tacita, an de expressa; de simplici an conditionali, dubium est. Expressam resignationem voco, quæ verbis expressis fit, vt si beneficium à te habitum in manibus superioris relinquas ab illo prouidendum. Tacitam appello, quæ ex à te factis iure ipso inducitur, vt si secundum beneficium obtineas cum primo habito incompatibile, si contrahas matrimonium, si professionem in religione approbata emittas; si militiæ nomen dederis, &c. iis, & aliis modis de quibus latè Flamin *de resign. lib. 1. quæst. 1. à num. 9. & seqq.* tacitè cẽseris beneficio habito renunciare. Simplex vero resignatio est, quæ purè simpliciter & absque vlla conditione fit. Conditionalis, quæ sub aliqua conditione fit, vt si resignes beneficium ea conditione, vt Petro conferatur reseruata aliqua pensione, vel non reseruata. Flamin. *de resign. lib. 1 quæst 2 per totam.*

Et quidem supradictam reg. 8. Cancellariæ solum excipere resignationem expressam, & non tacitam pro certo affirmandum est cum Gonzalez *glos. 14. num.* 65. Garcia. 5. *p. de benefic. c. 1 num.* 544. eo quod resignatio tacita non est proprie resignatio, sed beneficij habiti amissio à iure inducta & verba legis non debent absque manifesta ratione ad improprias significationes declinari. Sed an excipiat resignationem expressam, simplicem, aut conditionalem, an vtramque? non ita certum est Vtramque resignationem excipere affirmat. Gonzalez *glos. 14. num.* 29. ea motus ratione, quia generaliter, & indistinctè lo-

quitur. Ergo de omni resignatione pro ria intelligi debet. Cum autem resignatio tam simplex, quàm in fauoré propria resignatio sit; de vtraque hęc regula debet intelligi. Mihi dicendum videtur cum Garcia 5. *de benefic. cap.* 1. *à num.* 542. solum resignationem simplicem, quæque in manibus ordinarij fieri potest excipere. Mouetur, quia ex subiecta materia colligitur de sola hac resignatione regulam loqui. Nam reseruat beneficia quocunque modo vacatura extra Romanam curiam aliàs quam per resignationem. Sed extra Romanam curiam vacare non potest beneficium per resignationem conditionalem, vt est expressa constitutio Pij V. 58. & tradit Glossa *in cap. ex parte de officio delegati.* Sed solum per resignationem simplicem, quia hanc solum ordinarius admittere potest, & beneficium ex vi illius vacans prouidere. Ergo de sola illa regula intelligitur. Item regula præcendit facultatem ordinariorum de beneficiis prouidendis correctare, sed ordinarii non habet facultatem prouidendi vacantia per resignationem in fauorem, cum hæc vacent in curia, & sint Pontifici affecta. Ergo de iis beneficiis regula non intelligitur. Neque inde sit hæc beneficia vacantia per resignationem conditionatam ex vi huius regulæ reseruata esse: siquidem solum à reseruatione excipiuntur vacantia per resignationem simplicem. Quia esto ex illis verbis *alias quam per resignat.* non excipiantur ab hac reseruatione vacantia per resignationem conditionatam: excipiuntur tamen ex illis verbis extra Romanam curiam, cum hæc non extra curiam, sed in curia vacent, & notauit Garcia *d. cap.* 1. *num.* 542.

Verum etsi supradicta regula solum excipiat beneficia vacantia per resignationem simplicem, neque excipiat, neque comprehendat vacantia per resignationem conditionatam. At sub exceptione simplicis resignationis comprehendit resignationem ex causa permutationis factam. Cum quia permutatio est vera resignatio, *cap vnico. de rerum permut. in 6. & clem.* 1. *eodem tit.* & non est propriè resignatio in fauorem cum loco fauoris resignatorio facti alium æqualem ab ipso recipiat. Tum quia ordinarius has resignationes, seu permutationes admittere potest; vt expressè habetur in dicta constit. 58. Pij V. & ita has resignationes ex causa permutationis exceptas esse ab hac regula docet Gonzalez *gloss.* 14. *à num.* 32. Garcia 3. *p. cap.* 1. *à numero* 543.

7 Hinc fit te posse quolibet mense beneficium aliàs non reseruatum in manibus ordinarij resignare simpliciciter vel ex causa permutationis, siquidem vacans ex hoc titulo non reseruatur, Gonzalez, & Garcia *supra*, Piasecus *in praxi Episcop.* 2. *p. cap.* 5. *num.* 9 Gracian. *discept. forens. cap.* 159. *num.* 4.

8 Quarto ex supradictis verbis *ad collationem, præsentationem,* &c. infertur quomodocumque in supradicta beneficia ius habeas, siue ius præsentandi, siue eligendi, siue conferendi, esse sedi Apostolicæ reseruata, si hoc ius tibi competat ex officio, vt Episcopis; siue ex priuilegio, siue ex fundatione, siue ex præscriptione, nisi sit ius patronatus laicale, aut mixtum. Imo etiamsi in fundatione diceretur, quod non intret reseruatio, adhuc intrare debet, quia legis efficacia impediri non potest. Gonzalez *gloss.* 21 *num.* 39. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *num.* 620. Barbosa 3. *p. de potest. episcop alleg.* 57. *in fine.* Solum videtur excipiendum ius conferendi beneficium non perpetuum, sed temporale, hoc est ex aliquo indulto concessum pro limitato temporale, seu ad vitam. Quia hoc non videtur sub reseruationem cadere. Nam ex tali concessione beneficii prouisio contingens in omnibus mensibus illius temporis tibi priuilegiato adiudicatur. Non igitur ex reseruatione mensium huic indulto censendum est derogari; cum potius ipsum indultum sit reseruationis derogatio, seu dispensatio. Gonzalez *gloss.* 21. *à num.* 19. & 29. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *à num* 619. Barbosa 3. *p. alleg* 57. *in fine.* subditur vero *quorumcunque collatorum* quorumcunque inquam, siue ordinarii, vt Episcopi, aliqui habentes beneficia cum collatione *extranag. execrabilis. § caterum ordinarios de prab. cap. in cui* 42. *elect.* siue extraordinarii sint, hoc est priuilegio, alioque iure speciali: omnia enim hæc beneficia reseruantur. Gonzalez *gloss.* 21. *num.* 35. Garcia *num.* 620. Sub nomine collatorum præsentatores, electores, aliique dispositores intelliguntur; siquidem regula nostra præmittens reseruationem beneficiorum pertinentium ad collationem, præsentationem, electionem, &c. non dixit quorumcunque præsentatorum, electorum, prouisorum, sed tantum *collatorum*; indicans sub hoc verbo præsentatores, electores, & quoslibet dispositores comprehendi, vt benè notauit Gonzalez *gloss.* 16. *numer.* 11. Garcia *d. cap.* 1. *num.* 621. Additur *collatricum* & merito quia licet regulariter masculinum concipiat in se fœminum *l.* 1. *ff. de verb. signific. l. si quis id. ff. de iurisd. omnium iudicum.* & tradit Socin. *reg.* 252. Tiraq. *de retract. lignager. gloss.* 9. *num* 177. Gasp. Bæza. *tract. de non meliorand. filiab. ratione dotis. cap.* 11. *ex n.* 11. *& seqq.* tamen hoc non propriè sit, sed extensione desumpta ex mente disponentis. Gloss. & doctores *in d. l.* 1. *ff. de verb. signif.* quæ mens colligi non poterat in correctoriis iuris communis, vt benè tradit Socin. *sup. fall.* 9. & Tiraquel. *à num.* 179. Sed hæc regula reseruatoria corrigit ius commune, ordinariis collatoribus facultatem conferendi limitans. Ergo de fœminis intelligi non poterat. Quod à fortiori procedit si verbum *collatorum* comprehendat non solum præsentatores, sed electores, confirmatores, & proprios collatores. Nam fœminis iure interdictum est beneficia ecclesiastica conferre, & solum ex priuilegio sedis Apostolicæ, vel personali, vel reali annexo alicui dignitati eis competenti, competere potest. *cap. dilect. de maiorit. & obedient. & ibi gloss.* Sed ea quæ sunt extraordinaria, & à iure aliena, non videntur communi, & ordinaria regula comprehendi. Ergo non debebant censeri comprehensæ mulieres conferentes beneficia sub nomine collatorum. Merito ergo additum est *collatricum*, vt omnis dubitatio auferatur: sic Gonzalez *tota gloss.* 22. Ponitur autem verbum *collatorum, & collatricum*, in numero plurali, quia sub numero plurali de beneficiis locutus Pontifex fuerat, vt sic verba inter se aptius conuenirent. Sed non inde infertur beneficium pertinens ad vnius collationem, præsentationem, electionem, &c. non reseruatur vtique; quia pluralitas resoluitur in singularia. *leg. falsa* 33. *§. fi. ff. de condition. & demonstr. l. Lucius.* 78. *§. Caio Sexto. ff. ad Trebel.* & docet Simoneta *de reseruat. q.* 9. Garcia 5 *par. de benefic. c.* 1. *n.* 618. & pluribus exornat Gonzalez 21. *à n.* 1.

§. IV.

De exceptione Cardinalium, & beneficiorum concordatorum, apposita in hac regula.

1 *Explicatur exceptio.*
2 *De solis Cardinalibus ordinariis collatoribus hac regula exceptio intelligitur.*
3 *Beneficia simultanea collationis Episcopi & capituli vacantia in mense Apostolico à Cardinali simul cum capitulo prouidentur.*
4 *Quid in beneficiis aliàs reseruatis? Probabilius videtur solum Cardinalem prouidere posse. esto contra sentiat Gonzal.*
5 *Quæ beneficia indulta Cardinalium comprehendant. Remissiuè respondetur.*
6 *Si contingat Cardinalem Episcopum negligentem esse in prouisione, deuolutio fit ad eum, ad quem de iure alium pertinebat, & non ad Pontificem.*
7 *Cardinalis Episcopus non potest prouidere beneficia reseruata vacantia tempore sui antecessoris, nisi speciale indultum habeat.*
8 *Beneficium vacans in mense reseruato tempore quo erat Cardinalis Episcopus, neque fuit ab illo prouisum, potest à successore Episcopi prouideri.*
9 *An hæc regula excipiens Cardinales excipiat Cardinales absentes à curia? Affirmatiuè respondetur.*
10 *Reges, & principes ob eorum altitudinem non comprehenduntur in generali reseruatione.*
11 *Beneficia concordata excipiuntur, & quæ hac sint.*

1 A Supradicta reseruatione excipit Pontifex tum beneficia pertinentia ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Tum quæ sub concordia concessa à Sede Apostolica, & à parte acceptata, & obseruata prouidentur. Inquit enim regula, Omnia beneficia ad dispositionem quorumcunque collatorum quomodoliber pertinentia dispositioni suæ Pontifex generaliter reseruauit; non tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium aut aliorum sub concordatis inter sedem apostol. & quoscunque alios initis, & per eos qui illa acceptare, & obseruare debuerant acceptatis, & obseruatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum

Ex quibus verbis liquido constat Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ comprehensos non esse in hac mensium reseruatione, ac proinde relinqui liberos ab hac reseruatione.

2 Sed est dubium de quibus Cardinalibus loquatur regula, an de omnibus, an de solum ordinariis collatoribus? Affirmandum est de solis ordinariis collatoribus loqui. Quia solum in fauore Pontifex intendit. Quod satis insinuauit Pontifex ad lum signum vniuersale apponens, cum de hac exceptione Cardinalium loqueretur; cum tamen illud apposuerit, cum de collatoribus sermonem faceret. Dixit enim *quorumcunque collatorum*, vt ex hac diuersitate colligeres quoscunque collatores siue ordinarios siue extraordinarios comprehendi, non tamen in exceptione comprehendi omnes Cardinales, sed solum ordinarios; quia horum prouisio fauorabilior est, eàque de causa in derogatione indultorum Cardin. indulta Cardinalibus ordinariis collatoribus concessa censentur reseruata, teste Achil. *d. cis.* 348. *aliàs* 2. *num.* 1. *& per tot. de priuileg.* Put. *decis.* 421. *l. b.* 2. *& decis.* 93. *lib.* 3. Aliàs si Card. extraordinarij collatores, vt est legatus in sua prouincia, comprehenderentur in exceptione huius regulæ, non indigerent indulto ad prouidendum beneficia vacantia in mense Apost. reseruato, vt verè indigent & passim illis conceditur. Dicendum ergo est solos Cardin. ordinarios collatores, & non extraordinarios, & ex priuilegio excipi. Rota apud Crescent. *decis.* 217. *alias* 20. *de prab.* Gonz. pluribus comprobans *gloss.* 24. *à num.* 38. Garc. 5. *p. de benefic. c.* 1. *n.* 624. & *c.* 3. *n.* 53.

3 Secundò

3 Secundò dubitat Gonzalez. *d. gloss. 24. à num. 47.* an hæc exceptio locum habeat in beneficiis, quæ sunt simultaneæ collationis Episcopi, & capituli, ita vt hæc si vacent in mense Apostolico, possint ab Episcopo Card. simul cum capitulo prouideri, vel à solo Episcopo, vel à neutro. Et affirmandum est à Card. simul cum capitulo prouidenda esse. Nam licet pro capitulo non fuerit facta exceptio, sed solum pro Card. ac eo ipso, quo Card. à reseruatione excluditur & iure ordinario beneficia quo ibet mense vacantia prouidet, capitul. comitari illum debet cum ius habeat concurrendi cum Episcopo in prouisionibus, quæ iure ordinario illi competunt, & sic ob exceptionem factã Card. & capitulum per consequentiam manet exceptum. *arg. l. si communem fundum. 10. ff. quemadmodum seruitutes amittant.* Et confirmari potest, quia hæc exceptio tollit, ne Cardin. ordinarij collatores sub dicta reseruatione comprehendantur, atque adeo sint & iudicentur, ac si nulla esset lata reseruatio. Sed nulla facta reseruatione capitul. cum Card. in prouisione illorum beneficiorum concurrere debebat. Ergo etiã facta hac reseruatione debet concurrere cum reseruatio nihil Cardin obsit? sed illos intactos relinquat, & tradit Gonzalez *d. gloss. 24. à num. 52.* Garcia *5. p. de benefic. num. 35.* vbi adducit Rotæ decisionem expressam *& num. 626.*

4 Tertio dubitat Gonzalez *num. 61.* An idem dicendum sit in beneficiis simultaneæ collationis alias reseruatis, ad quorum prouisionem Cardin. Episcopus indultum à sede Apostolica obtinet; Et præmissa ratione dubitandi pro parte negante tandem concludit sibi verius videri idem esse dicendum in hoc casu, ac in præcedenti. Mouetur, quia indultum non ampliat facultatem conferendi, sed solum remouet obstaculum reseruationis; qua remota Cardinalis iure ordinario prouidet, sed in prouisione ordinaria capitulum concurrit, vt suppono. Ergo posito hoc indulto concurrere debet. Item secluso reseruatione non est dubium capitulum cum Cardinali habere simultaneam collationem, sed per indultum reseruatio remouetur, & reducuntur res in pristinum statum, vt tenuit Rota in vna Hispalen portionis. 19. Ian. 1594. coram D. Pamphilio, quam ad longum refert Garcia *dicto cap. 1. num. 35.*

Nihilominus contrarium mihi probabilius apparet, cum Garcia *5. p. de benefic. cap. 1. num. 628.* scilicet solum Cardinalem virtute indulti beneficia alias reseruata prouidere posse, & non capitulum, quia virtute indulti non cessat reseruatio, esto in ea dispensetur. Reseruatio namque horum beneficiorum est lex omnes Cardinales adstringens, à cuius legis obligatione Cardinales priuilegiati eximuntur, eximuntur inquam vi Priuilegij manente reseruatione, sicuti cum tempore interdicti conceditur tibi potestas audiendi sacrum ob priuilegium bullæ, priuilegium inquam bullæ non tollit interdictum, sed illo manente tibi facultatem concedit sacrum audiendi, ac si interdictum non esset, sic in hoc indulto prouidendi beneficia reseruata, perseuerante enim reseruatione, concedit indultum Cardinalibus facultatem prouidendi beneficia, ac si reseruatio non esset. Ex quo fit Cardinales non iure ordinario, sed virtute indulti, & vt à sede Apostolica delegatos hæc beneficia prouidere.

Ad rationem contrariam respondeo, indultum non ampliare facultatem Cardinalium ad prouisionem aliorum beneficiorum, quæ secluso reseruatione posset prouidere; ampliat tamen, vt prouidere ea solus posset, quæ secluso reseruatione non posset nisi cum capitulo. Cum vero vigetur, indultum non præstare facultatem prouidendi, sed remouere obstaculum reseruationis, negandum est. Dupliciter enim hoc obstaculum remoueri potest abrogatione, vel dispensatione. Indultum namque non abrogat reseruationem; si quidem illam non tollit, dispensat tamen in illa, ac proinde remouet obstaculum dispensatiuè, non abrogatiuè, quoties autem obstaculum legis priuilegio, seu dispensatione remouetur, non tollitur lex, sed illa durante facultas conceditur procedendi, ac si lex non existeret.

5 Quod si scire velis ad quæ beneficia se extendant indulta Cardinalium, quæque limitationes habeant, consule perdoctum tractatum de hac re Anastasij Germonij. Ego vero ea omitto quia vniformia non sunt, sed aliquando ampliora, aliquando restrictiora pro affectu Pontificis concedentis, & meritis illius, cui indultum conceditur. Quapropter cum casus dubius contigerit, semper indultum inspiciendum est, & illius verba ponderanda. Vnum tamen est certum ex vi huius indulti, seu potius exceptionis in hac regula mensium contentæ, non posse Cardinales ordinarios collatores beneficia prouidere, in quorum possessione conferendi alius existit, tametsi de iure, quia erant in diœcesi, ad ipsum pertinerent, Item nec posse beneficia alias reseruata prouidere; quia hoc indultum non auget, ordinariorum potestatem, sed remouet obstaculum reseruationis mensium tantum Garcia *5. p. de benefic. cap. 5. num. 5. & segq.*

6 Quarto dubitat Gonzalez *d. gloss. 24. num. 78* si contingat Cardinalem Episcopum negligentem esse per sex menses in prouidendo beneficio sibi competenti, ob quam negligentiam deuolutio fit ad superiorem, iuxta *cap. 2. de concessione præb.* ad quem hæc deuolutio fiat, an ad Archiepiscop. seu illum ad quem de iure deuolutio competit, an ad solum Papam tanquam de beneficio reseruato; Et adductis pluribus pro vtraque parte, tandem concludit ad Archiepiscop. seu alias ad quem de iure deuolutio pertinebat, fieri deuolutionem. Et placet Garciæ *5. p. de benef. cap. 1. num. 631.* hæc resolutio, quamque Rota *decis. 774. lib. 3 p. 3. diuers.* pro maiori parte approbauit, & mihi etiam probatur. Et ratio videtur manifesta; quia talis beneficii prouisio competit Cardinali iure ordinario, & non vigore alicuius indulti; sed quoties alicui prouisio competit iure ordinario, si in ea negligens fuerit, deuoluitur ad illius superiorem, iuxta *cap. 2. de concessione prabend. & totum tit. de supplenda negligentia prælat.* Ergo hæc prouisio competens Cardinali Episcopo ad Archiepiscopum deuoluetur. Nam licet Cardinalis in Cardinalatus dignitate superior Archiepiscopo videatur; quia tamen non iure Cardinalatus, sed iure Episcoparus hæc beneficiorum prouisio competebat, esto dignitas Cardinalatus occasio fuerit, ne illi beneficia reseruarentur, ideo ad Archiepiscopum deuoluuntur.

hæc procedunt de beneficiis aliàs non reseruatis. Nam si beneficia reseruata sunt, & virtute indulti, & non ex potestate ordinaria illa confert, non Archiepiscopo, sed Pontifici sit deuolutio, vtpote de beneficio reseruato, in quo nullus se intromittere potest nisi ex facultate à Pontifice concessa Cassad. *decis. 8. de præb.* Crescent *decis. 15. eodem tit.* Mand. *de signat. gratia. tit. de prouision. vers. in beneficiis reseruatis.* Anastasius Germon. *de indultis Cardinalium §. volum. num. 56.* quos sequitur Garcia *5. p. de benefic. cap. 1 sub num. 6. 8. & 632.*

7 Quinto dubitat Gonzalez *d. gloss. 24. à num. 108.* an Cardinalis Episcopus possit prouidere beneficium, quod tempore sui antecessoris non Cardinalis vacauit mense reseruato; Cui dubitationi bene respondet, nequaquam posse cessante indulto; eo quod illud beneficium à puncto vacationis fuit sedi Apostolicæ reseruatum, sed quod semel reseruatum est, semper reseruatum perseuerat: licet causa reseruationis cesset, Rota *decis. 12. & 13. de prabend. in nouis.* Gomezius *in reg. de infirmis resignant. quæst. 32. post. princ. num. 3* & alii relati à Gonzalez *supra.* Ergo. At si Cardinalis haberet indultum solitum ad conferenda beneficia illud beneficium conferre posset, si tale indultum extenderetur ad beneficia iam vacantia, aliàs secus: consentit iis omnibus Garc *5. p. de benefic. cap. 1. num. 635.*

8 Sexto è conuerso dubitat Gonzal. *d. gloss. 24. num. 110.* an vacante beneficio in mense aliàs reseruato tempore quo Cardinalis erat episcopus, quod durante vita Cardinalis non fuit prouisum, possit eius successor episcopus non Cardinalis prouidere? Rationem dubitandi fecit reg. 2. Cancell. reseruans beneficia omnia quæ post obitum episcoporum, &c. vacant, & vacabunt in futurum. Sed supradictum beneficium vere vacat post obitum episcopi, vt tradit Simoneta *de reseruat. quæst. 74.* Franciscus Paulnus *de officio, & potestate capituli sede vacante. 2. p. quæst. 10. num. 23. ante medium*: ibi *etiam si vacasset, viuente prælato, quia verum est dicere, quod etiam vacet eo mortuo ex quo non prouidet, donec vixit.* Ergo nequit episcopus successor illud prouidere ob reseruationem dictæ reg. 2 & ita pro certo affirmat Garcia, vt contrarium procul dubio falsum esse dicat *5. p. de benefic. cap. 1. n. 633.*

Mihi tamen probabilius apparet cum Gonz. *sup. à num. 114.* posse successorem illud beneficium prouidere, non obstante reg. 2. Cancell. illa enim secluso ipsemet Garc. affirmat fieri posse. Tum quia modernus episcopus succedit in locum defuncti; eiusque iure tali vti debet. *l. qui in ius ff. de reg. iur.* Tum quia tale beneficium cum vacauit, nulla fuit reseruatione affectum, quia nulli erant menses apostolici. Ergo ita debet semper remanere, nisi de noua reseruatione expresse constet. Tum quia beneficium, quod tempore Episcopi non Cardinalis vacauit mense Apostolico excluditur à prouisione Cardin. ob reseruationem, nisi habeat indultum. Ergo beneficium vacans tempore Episcopi Cardin. prouideri debet à successore non Cardinali ob libertatem, quam tempore vacationis obtinuit; quia contrariorum eadem debet esse ratio, & decisio. §. 1. *inst. de tutel.* Quod vero reg. 2. Cancell. non obstet sic probo, quia vt ex eius contextu constat, solum reseruat beneficia, quæ tempore datæ ipsius regulæ vacant, & vacabunt, post obitum inquam Episcoporum, Archiepiscoporum, &c. Cum autem illud beneficium non vacet post obitum, sed ante obitum, esto duret eius vacatio post obitum, efficitur sanè sub prædicta reg. 2. non contineri. Et confirmo Aliud est beneficium vacare, aliud durare vacationem, & esse vacans. Vacat quidem beneficium propriè, & in rigore. cum illius possessor decedit: Est tamen vacans, & eius vacatio durat. quoties non prouidetur. Cum autem supradictum beneficium non vacauerit sede Episcopali vacante esto eius vacatio pro illo tempore duret, fit sub regula secunda non comprehendi. Addes; reseruatio vt pote odiosa, non est extendenda ad casum dubium, seu non satis expressum. Negari autem non potest. esse satis dubium; an verba supradictæ reg. 2. comprehendant beneficia vacantia sede Episcopali plena quorum vacatio sede Episcopali non plena duraverit. Ergo ad hæc beneficia reseruatio extendenda non est.

9 Septimo dubitat Gonz *d. gloss. 14. à num. 122.* An hæc regula

gula excipiens Cardinales, excipiat Cardinales absentes à curia; Cui dubitationi vt respondeat, plura hinc inde adducit, & tandem resoluit excipere omnes Cardinales ordinarios collatores, quamtumuis à curia absentes, exceptis illis sex Cardinalibus titularibus de Vrbe quorum Cardinalatibus Episcopatus annexus est. Nam horum beneficia, si vacent in absentia, sedi apostolicæ reseruantur per reg. 7. Cancell. Fateor per reg. 7. Cancell. horum beneficia sic vacantia in absentia reseruari. Sed hoc non obstat quominus hæc reg. 8. quæ est de mensibus, nullum Cardinalem comprehenderit: stat enim optime quod nullus Cardinalis sit comprehensus in reseruatione mensium, & quod aliqui Cardinales sint comprehensi in reseruatione facta pro beneficiis vacantibus tempore quo à curia fuerint absentes, consentit Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *à num.* 638.

10 Octauo dubitat Gonzalez *à num.* 153 an sicut regula hæc excipit Cardinales collatores, excipiat etiam reges, & principes, qui ex priuilegio sedis Apostolicæ beneficia conferunt. Et breuiter concludit, benè exceptos esse ob eorum altitudinem, & supremam dignitatem, ob quam non comprehenduntur in generalibus reseruationibus, sed oportere illorum fieri expressam mentionem. Consentit Garcia *num.* 639.

Nono dubitat Gonzalez *à num.* 161 cur regula dixerit *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, siquidem videbatur sufficere dixisse *Cardinales*. Et respondet id factum esse ad distinctionem aliorum Cardinalium, qui sunt in Ecclesia Compostell. Aurien. Rauennat. Mediol. Sed mihi verius videtur id factum esse ad commendandam eorum dignitatem, & excellentiam, & non ob distinctionem ab illis Cardinalib. Compost. Aurien. &c. nam ij solum abusuè, & improprie seu nomine tenus tales nuncupantur. Quapropter ex appositione solius verbi *Cardinalis*, absolutè prolati, sufficienter Cardinales Romanæ Ecclesiæ ab aliis distinguerentur? cum tale nomen sic prolatum solos veros, & proprios Cardinales comprehenderet, & pro illis tantum supponeret: sic Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *à* 540.

11 Præter exceptionem Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ excipit Pontifex beneficia concordata, hoc est quæ ex conuenientia cum sede Apostolica liberè prouidentur, qualiter sunt plura in Germ. & Francia. Huic enim concordiæ nunquam censetur Pontifex derogare; quia transit in contractum; eaque de causa vt firma sit, & locum habeat debet esse acceptata ab illis quorum interest, vt contingit in omni contractu, qui acceptatione perficitur. *l. absenti. ff. de donationib. l. si ergo. ff. de negotiis gestis l. qui absenti. ff. de acquir. possess. & aliis.* Vide Gonzalez *glos.* 25. 26. 27. & 28. vbi latè hanc materiam tractat.

§. V.

In impetratione beneficiorum mentio mẽsis, in quo vacatio contingit, facienda est.

1 *Nulla est gratia, in qua non exprimitur mensis vacationis beneficij.*
2 *Modus seruandus in mensis expressione qui sit.*
3 *An sufficiat narrare vacasse beneficium in vno ex mensibus reseruatis; Sufficit, tametsi contra sentiat Garc.*
4 *Sed cuius mensis an ordinarij, an reseruati est mentio facienda, Variant doctores.*
5 *Probabilius est pro solis mensibus reseruatis esse intelligendum.*
6 *Fit satis oppositis fundamentis.*
7 *Exprimendus est mensis, quoties beneficium obtinetur, si in prima gratia expressus non fuit.*
8 *Exprimendus est in gratia, si neutri.*
9 *Item si beneficium vacauerit de iure, siue de facto.*
10 *Item in beneficiis quomodocumque vacent, quæ aliàs non fuerint reseruata.*
11 *Non est necessaria expressio mensis in beneficiis aliàs reseruatis, neque in vacãtibus per resignationem, neque in beneficiis iuris patronatus, neque in subrogationibus ad litẽ, neque in prouisionibus ordinariorum, neque in beneficiis ob deuolutionem impetratis.*

1 INsuper Pontifex supradicta beneficia ita reseruat, vt velit in eorum impetratione fieri mensionem mensis, in quo tale beneficium vacauit; alioquin inquit gratias nullas esse. Prætendit enim Pontifex non præiudicare ordinariis in collatione horum beneficiorum, ideóque expostulat sibi de mense vacationis dari notitiam: sic Put. *decis.* 54. *num.* 5. *lib.* 2. & *decis.* 25. *num* 1. *lib.* 3. Rota *decis.* 724. *num.* 6. *p.* 3. *diuers.* & *decis.* 9 *num.* 22. *p.* 2. *diuers.* Gonz. *reg.* 8. *Cancell.* §. 4. *proœm. à n.* 7. & *glos.* 32. *num.* 2. Hæc autem notitia danda est in qualibet beneficij reseruati supplicatione, seu concessione, etiam motu proprio facta, vt expresse in dict. reg. cauetur. Quia motus proprius, tollit subreptionem, sed non supplet intentionem concedentis. nec substantialem defectum, qui committitur in taciturnitate mensis, cuius expressionem expostulat Pontifex pro valore gratiæ: sic Anton. Gabr. *tit. de clausul. concl. n.* 18 & *seqq.* Rebuff. *in concord. super forma mandat. apostol. in glossa verbo motu proprio.*

2 Modus seruandus in expressione mensis debet esse certus & absolutus; si quidem ita cauetur in regula: ibi; *dispositiuè mentionem fieri*; verbum enim *dispositiuè*, est idem ac affirmatiuè, absolutè, & certo Mand. *de signat. grat. tit. de prouisionib. col.* 8. *vers. mensis mentionem dispositiuè.* Garc. 5. *p. de benef. cap.* 1. *num.* 656. Gonzalez *glos.* 32. *num.* 7. Quapropter non sufficit narrare mensem dubitatiuè, dicendo forsan vacauit in mense reseruato, vel vt asseritur in mense reseruato vacauit, Garc. *sub.* Gonzalez *à num.* 10. Quia si ex vi huius narrationis tantum Pontifex prouideret, periculo exponeretur derogandi ordinariorum prouisioni, & cuius derogationem ipse vitare intendit. Item non esset cogendus impetrans probare reseruationem, vt gratia sibi facta subsisteret, cum non in reseruatione certa, sed dubia, & sub opinione posita fundaret impetrationem: quod nullomodo est admittendum, cum plenè & concludenter probanda sit reseruatio ab impetrante, vtpote fundamentum suæ intentionis, & gratiæ obtentæ, vt multis allegatis probat Gonzalez *glos.* 11. *à num.* 98. Et hæc ratio probat non esse narratiuam faciendam per clausulas generales conditionales, vt si à pontifice peteres beneficium, quod credis vacasse tali mense, vel si fortè in alio vacauit. Quia his verbis non clarè, & firmiter manifestas vacationem in mense reseruato, vt illam tenearis probare, Ergo non satisfacis supradictæ regulæ, & consequenter gratia facta nulla est: nisi fortè clare colligatur voluisse Pontificem, non obstante prædicta narratiua minus legitima tibi gratiam conferre; vt notauit Gonzal. *d. glos.* 32. *num.* 15. & 16. & fauet Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 1. *num.* 666. *fine.*

3 Solum est dubium, an sufficiat narrare vacasse beneficium in vno ex mensibus reseruatis, vel vacasse in mense reseruato, quin exprimatur mensis in particulari. Garcia *d.* 5. *p. de benefic. cap.* 1. *num.* 656. negat, neque adducit rationem: ea tamen esse potest, quia hæc generalis expressio non videtur sufficere regulæ disponenti dispositiuè mentionem fieri mensis, in quo beneficium vacauit. Tum quia hæc non est determinata, clara, & absoluta expressio mensis. Tum quia ex illa non cogitur probare quo mense vacatio contigerit.

Cæterum mihi probabilius apparet supradictam narratiuam sufficere. Quia ex illa iam pontifici constat nullum præiudicium ordinario prouenire; quæ fuit ratio motiua, vt mensis exprimeretur. Deinde cognoscit Pontifex iure reseruationis sibi competere illius beneficij prouisionem, cum eius vacatio contigerit in vno ex mensibus reseruatis, quod vero potius Ianuario, quam Februario fuerit, per accidens est ad finem intentum. Ergo plenè fit regulæ satisfactio ex huiusmodi narratiua, & ita fuit decisum in vna Abulen. præltimon. 18. Iunij 1610. coram D. Manzanedo. vt testatur ipsemet Garc. *sup.* Neque ratio contraria vrget. Nego, namque hanc narratiuam non esse claram, absoluram, & determinatam expressionem mensis reseruati, in quo beneficium vacauit: est enim determinata mensis in ratione reseruationis, esto non fuerit absoluta, clara & determinata mensis numerici, & temporalis. Sed hæc determinatio numerica non videtur necessaria. Nam per aliam determinationem specificam mensis quoad reseruationem sufficienter cognoscit Pontifex: an in suo, vel in ordinarii mense beneficium vacauerit. Probatio autem quam tenetur impetrans facere de mense non est de mense numerico, & singulari, hoc enim parum vtile est, sed de mense reseruato, vel non reseruato.

4 Sed hucusque videmur supponere mentionem mensis faciendam esse de vacatione contingente in mensibus reseruatis, cum tamen plures contrarium sentiant, vt videre est apud Gonzalez *glos.* 39 *à num.* 49. Alii namque affirmant, quibus Gonzalez adhæret, solius mensis ordinarii mensionem faciendam esse. Quia solum ex vacatione contingente in hoc mense potest ordinario fieri præiudicium, cum solum pro hoc mense prouidere beneficium possit. Nam ex prouisione beneficii vacantis in mense reseruato, nullum illi præiudicium irrogari potest, cum in eius prouisione non se possit intromittere. At ratio ob quam mensis cauetur exprimi, est ne ordinarius in eorum prouisione præiudicetur. Ergo cum hoc præiudicium solum contingere possit in vacatione mensis ordinarii, illius tantum mentio facienda erit, & adducit pro se nouissimam decis. Turason. can. 24. Maii. 1602. coram D. Pamph. & decis. Acaramboni. 70. alias 59. lib. 2. & Mand. *de signat. grat. tit. de prouisionib. vers. an autem in impetrat.* Alii dicunt vtriusque mensis, & reseruati, & ordinarii mentionem esse faciendam reseruati, quia de illo expresse cauetur in supradicta reg. ordinario: ob rationem supradictam, & quia reseruando octo menses, tacitè quatuor ordinariis relinquit, & cum statim subiungatur de dictis beneficiis tunc vacantibus mentionem mensis fieri debere, ad beneficia vacantia tam in mensibus expressis, & reseruatis quam tacitis, & ordinariis referenda sunt. Adde mentionem mensis expostulatam esse, vt sciat Pontifex, an ordinario præiudicet, vel non præiudicet in prouisione vt constat ex decis. Putei 53. *num.* 4. & 5. *lib.* 2. & *decis.* 25. *lib.* 3. & approbatur in quadam

quadam decis. pro Tolet. parochiali de Huerta 22. Maij, 1589. cotam D. Mantica, quam refert Garcia 5. p. de benefic. cap. 1. num. 663. Sed ad hanc notitiam cuiuslibet mensis est mentio necessaria facienda. Ergo, &c.

5 Nihilominus probabilius existimo solum pro beneficiis vacantibus in mense reseruato esse mentionem mensis faciendam; quia solum de hac vacatione mentio in dicta reg. cauetur, vt consideranti constabit. Præmiserat enim Pontifex reseruationem beneficiorum omnium, quorum vacatio illis octo mensibus contigerit, & nulla facta mentione de vacatione contingente in mensibus ordinariis, subiungit de dictis beneficiis tunc vacantibus dispositiuè mentionem fieri de mense in quo vacauerint. Ergo solum præcipit mentionem faciendam mensis pro beneficiis vacantibus in illis octo mensibus reseruatis, & non pro beneficiis vacantibus in mensibus ordinariis, quorum vacationis nullam fecerat mentionem: sic pro maiori parte firmarunt Rotæ auditores apud Puteum *decis.* 53. *lib.* 2. & tradit Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 1. *num.* 657. & testatur pluries à Rota fuisse decisum.

6 Neque vrgent fundamenta contraria. Ad fundamentum primæ sententiæ admitto expressionem mensis caueri, ne ordinario præiudicium inferatur, quod præiudicium esto non inferatur, si supponamus beneficium vacasse in mense reseruato, at cum hæc suppositio non constet, si solum beneficij vacantis mentio fiat, absque expressione mensis in quo vacauit, manifestè præiudicium ordinario inferri potest ex tali prouisione. Decisio veto Tirason. Acaramb. non fauent Gonzalez cum non loquamur de beneficiis vacantibus in mense reseruato, sed de beneficiis alias reseruatis, vt ipsemet dixerat *dict. gloss. num.* 39. & notauit bene Garcia *sup. num.* 657. *si.* Ad secundæ sententiæ fundamentum, quatenus est nobis oppositum, respondeo admittendo ex reseruatione octo mensium tacitè quatuor ordinariis relinqui, sed nego inde inferri de iis relictis, & ordinariis concessis mentionem fieri præcipi, imo potius contrarium infertur, siquidem dicit Pontifex *de dict. beneficiis tunc vacantib. mentionem mensis fieri debere.* cum autem solum dixerat de beneficiis vacantibus in mensibus reseruatis, nequaquam de ordinariis intelligi potest. Alias si de omnibus beneficiis omni mense vacantibus vellet Pontifex fieri mentionem, non apponeret participium illud restrictiuum *dictis benefic.* neque aduerbium illud *tunc* vacantibus, sed absolutè diceret de beneficiis quocunque mense vacantibus mentionem dispositiue fieri debere. Neque etiam vrget vltima ratio desumpta ex fine expressionis mensis. Nam illa facienda est, ne Pontifex ordinariis præiudicet in prouisione, qui finis sufficienter obtinetur, si vacatio in mense reseruato exprimatur. Nam inde clarè infertur, cum non exprimitur, non esse beneficium reseruatum.

7 Rursus est difficultas in quibus impetrationibus, concessionibus, & gratiis facienda est huius mensis expressio, & in quibus non est necessaria.

8 Breuiter respondeo faciendam esse, quoties beneficium vacans in mense reseruato obtinetur, vt dicit prædicta regula. ibi; *in supplicationib. & concessionib. gratiarum.* Vnde si prima prouisio nulla fuit, eo quod mensis expressus non fuerit, & denuo secunda obtinetur, in ea debet mensis exprimi. Quia illa est vera beneficij prouisio, & Pontifex cauet in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum mentionem mensis dispositiuè fieri. Puteus *decis.* 44. *lib.* 1. Rota *decis.* 476 *num.* 4. *lib.* 3. *part.* 3. *diuers.* Gonzalez *gloss* 32. *num.* 20. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *num.* 660. Notanter dixi exprimendum esse mensem in obtentione secundæ gratiæ, quando in prima non fuit expressus: nam in prima etsi nullus mensis expressus fuit, non est opus in hac secunda, quæ est reformatoria primæ, mentionem mensis fieri, quia hæc secunda solum est ad reformandos defectus primæsic aliis relatis docet Gonzalez *num.* 41. & 42. Garcia *num.* 672.

8 Secundo exprimendus est mensis in gratia, si neutri; quia est vera gratia, & beneficij concessio ad vitandas lites. Puteus *decis.* 48 *num.* 5. *lib.* 1. Gonzalez *num.* 21. Garcia *num.* 659. & testantur sic fuisse à Rota decisum.

9 Tertio exprimi debet, siue beneficium vacauerit de iure, siue de facto; quia quocunque modo vacet, est vera vacatio, & vera beneficij concessio, vt superius diximus. Gonzalez *n.* 25. Garcia *n.* 661.

10 Quarto debet exprimi non solum in beneficiis vacantibus per obitum, sed quomocunque vacent, si ob modum vacationis aliàs non sunt reseruata, quia Pontifex præcipit mentionem facere de mense, in quo beneficia, de quibus locutus prius fuerat, vacauerint, vt constat ex illis verbis. *Volens in supplicationibus de dictis beneficiis,* &c. At loquutus fuerat de beneficiis quomodocunque vacantibus. Ergo quomodocunque vacent, est mentio necessario facienda. Gonzalez *gloss.* 32. *à num.* 26. *& seqq.* Garcia 5 *part. de benefic. cap.* 1. *num.* 665. & tenuit Rota in vna Tirasonen. canonicatus Maij 24. 1602. coram illustrissimo Cardinali Pamphilio, cuius meminerunt Gonzalez & Garcia *supra.* At supradicti doctores aduertunt, esto ex iure dicta vera sint; ex stylo tamen datariæ verius esse contrarium, cum in ea solius beneficij vacantis per obitum mentio mensis fiat, non autem si vacet per assecutionem alterius, per matrimonij contractum, per ingressum religionis, per priuationem, &c. & cum Pontifex absque hac mensis expressione sic vacans supplicanti confert, ordinario censetur velle in collatione præuenire, si fortè in mense ordinario vacauit.

11 Non est autem necessaria expressio mensis in beneficiis aliàs reseruatis, quia hæc sub hac regula non continentur, neque eorum prouisio ordinario præiudicare potest. Puteus *decis.* 25. *lib.* 3. Rota *decis.* 122. *lib.* 1. *par.* 3. *diuers.* Mandos. *de signatura grat. tit. de prouisionib. vers. an autem in impetratione.* Gonzalez *gloss.* 32. *à num.* 39. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *num.* 668. Secundo non est necessaria in beneficiis vacantibus per resignationem, siue resignatio sit conditionalis, siue pura, & simplex. Quia de iis non loquitur regula. Nam si beneficia vacant per resignationem conditionalem, vacant in curia, & sic non potest ordinario eorum prouisio competere; & ex alia parte Pontifex ignorare non potest, quando eorum vacatio contingat, cum sit in illa hora, & puncto quo resignationem admittit, & gratiam signat, vt benè notauit Garcia *num.* 667. Gonzalez *num.* 45. Si vero vacant per simplicem resignationem, excluduntur à regula, ibi: *alias quam per resignationem.* Tertio non est necessaria in beneficiis iuris patronatus laicorum; quia hæc non sunt Pontifici reseruata, sed quolibet mense ordinarius collator institutionem facere potest. Adde regulam non de institutione, quæ necessaria est, sed de electione, præsentatione Ecclesiastica, & collatione loqui. Garcia *num.* 669. & 670. Quarto non est necessaria in subrogationibus quoad beneficium litigiosum. Tum quia hæc subrogatio non potest ordinario præiudicare, cum ipse impeditus sit ab illa facienda quolibet mense *cap.* 1. & 2. *vt lite pendente. in* 6. & *clement.* 1. *eodem titulo,* ac proinde regulanda est, sicuti beneficium aliàs reseruatum. Tum quia subrogatio quoad beneficium litigiosum in locum defuncti non est beneficij vacantis absoluta collatio, sed est quædam iuris, quod defunctus habet translatio. Sic Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *num.* 672. Quinto non est necessaria hæc mensis expressio in prouisionibus, & gratiis ab Episcopis, aliisque ordinariis factis. Tum quia hi præsumuntur notitiam mensis habere. Tum & præcipuè quia regula loquitur de narratiua facienda Pontifici, ne ordinarius in prouisione præiudicet. Gonzalez *gloss.* 32. *à num.* 46 Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *num.* 674. Sexto non est necessaria in beneficiis ob deuolutionem impetratis; quia horum prouisio ordinario competere non potest, cum ob eius negligentiam superiori sit aduocata, & sic cessat finis, & causa exprimendi mensem: deinde beneficia deuoluta non vacant de nouo, sed retenta priori vacatione impeditur ordinarius ob negligentiam ab illorum prouisione, & succedit loco illius superior, sed quoties beneficium non vacat in mense reseruato, non est necessatio mentio mensis facienda. Ergo neque in beneficiis deuolutis erit necessaria, cum illa Pontifex non prouideat ob vacationem, sed ob subrogationem. Gonzalez *gloss.* 32. *in fine.* Vt autem hæc mensis expressio nunquam omittatur, annullauit Pontifex gratias aliter factas ibi, *alioquin gratias nullas esse,* nullas inquam esse ipso iure, quia hoc indicat verbum *esse,* quod est de præsenti; aliàs diceret annullandas, & tradit Tiraquel. *in leg. si vnquam. verbo reuertatur. de reuocandis donat. num.* 180. *cum seqq. & in præsenti.* Gonzalez *dicta gloss.* 52. *num.* 35.

§. VI.

Qua ratione derogantur obstacula reseruationis.

1 *Expenduntur verba regulæ derogantis obstacula, & impedimenta reseruationis.*
2 *Primo derogatur consuetudo optandi, ne obstet reseruationi. Et quæ sit hæc consuetudo.*
3 *Duplex est ius optandi, præter ius, & contra ius. Et quæ horum sit differentia.*
4 *Quod tempus ad optionem requiratur.*
5 *Quibus personis competat optio, quique censeatur antiquior ad effectum optionis.*
6 *Omnes consuetudines optandi de medio tollit regula.*
7 *An impedita optione de beneficiis reseruatis impediatur in præbendis, & præstimoniis annexis. Subdistinctione respondetur.*
8 *Non datur optio in præbendis doctoribus, magistralibus, & pœnitentiariæ.*
9 *Si optasti beneficium, quod optare non poteras, obligaris illud dimittere. Et qualiter possis ad dimissum redire.*
10 *Derogantur priuilegia, & indulta Apostolico contraria supradictæ reseruationi mensium.*
11 *Qua verba addat Pontifex ad maiorem reseruationis firmitatem.*

1 DEnique volens Pontifex hanc suam reseruationem ab omnibus impedientibus liberare, statuit minimè aduersus

sus eam suffragari consuetudines etiam immemoriales optandi maiores, & pinguiores præbendas, nec non priuilegia etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea; ac etiam disponendi de huiusmodi beneficiis; aut quod illa sub huiusmodi reseruationibus minimè comprehendantur, etiam cum quibusuis derogatoriatum derogatoriis, &c.

2 Circa prædicta verba sciendum est optionem in præsenti esse facultatem, & ius ascendendi ad maiorem, & pinguiorem præbendam virtute primæ præbendæ habitæ *cap. fin. de consuetud. in 6.* Quod ius, & facultas ante vacationem præbendæ non sunt consideratione digna; eaque de causa non obstante consuetudine optandi alicuius Ecclesiæ, possunt præbendati suas præbendas resignare in fauorem. Quia per hanc resignationem non tollunt inferioribus præbendatis ius aliquod quæsitum. Gonzalez *gloss. 34. num. 25 iuncto num. 126. & 127.* Dixi optionem esse facultatem, & ius ascendendi ad maiorem, pinguioremque præbendam, non descendendi ad minorem, quia æquum non est, vt ad minora deueniat, qui maioribus est potitus, vt traditur *leg. maioribus Cod. quemadmod. ciuilia munera indict.* (esto contra teneat Glossa *in cap. fin. de consuetud. 6. verbo meliores.*) Quapropter in Ecclesia, vbi beneficia, & præbendæ æquales fuerint, optio esse non potest. Quia non potest esse ascensus, potest tamen esse optio quoad sedem in choro, & vocem in capitulo, & alia in quibus inæqualitas cernitur, Gonzalez *num. 28. & 124.* Garcia *1. p. de benefic. cap. 1. num. 459. circa finem.* & tradit Rota *decis. 6. de consuetud. in nouis. vers. aliquæ sunt præbendæ.*

3 Sed quia dupliciter quis ascendere potest ad pinguiorem præbendam, ver retento titulo præbendæ prioris, & minoris, vel illo dimisso, ideo duplex est optio, alia quæ vocatur præter ius, alia contra ius. Optio præter ius est, cum retento titulo optatur noua sedes, noua prærogatiua, nouaque portio temporalis, huic enim optioni ius non resistit, sed potius fauet. *cap. fin. de consuetudine. in 6.* Contra ius est, quando nouus titulus, nouumque beneficium obtinetur antiquo dimisso. est quidem contra ius; quia optans authoritate proprio nouum titulum, nouumque beneficium consequitur contra textum, in *cap. 2. de concessione præbendæ. & cap. detestanda. eodem. tit. in 6.* Est autem inter has optiones magna diuersitas: nam optio præter ius statui potest voluntate Episcopi, & Ecclesiæ, vt est omnium sententia. Gigas *de pensionib. quæst. 6. num. 4.* Alexand. Monetta *de optionib. cap. 12 quæst. 3. à num. 49.* Garcia *5. p. de benefic. cap. 1. à num. 459.* Secus tamen optio contra ius; quia inferiori non est datum contra leges superioris statuere. *cap. quod super his. de maiorit. & obedien. & clement. ne Romani. de elect.* Quod si dicas, prælatus potest præiudicare Ecclesiæ in iure quærendo, ergo in iure quæsito præiudicare non possit. *cap. cum dilectus. de consuetud.* Potest item leges, & statuta condere circa eas res, de quibus consuetudo introduci potest. *cap. ex parte. 3. de verbor. significat. iuncto cap. certificari. de sepulturis.* Ergo potest statuere optionem iuri contrariam. Facilè respondetur Episcopum nequaquam posse per statutum generale præiudicare Ecclesiæ in iure quærendo, quia id est contra ius, bene tamen posse statuto speciali in fundatione Ecclesiæ facto, alioue casu particulari, de quo loquitur textus in *dicto cap. cum dilectus.* quia id non est à iure reprobatum, neque illud est censendum Ecclesiæ præiudicium, cum Ecclesia nunquam habuerit ius contrarium tali dispositioni. Neque est verum inferiorem condere posse reges, & statuta circa illas res, de quibus introduci potest consuetudo; quia consuetudo vim habet non ab introducentibus, sed ex tacito consensu principis, cum rationabilis est, & legitimè præscripta; at leges, & statuta omnem efficaciam habent ab ipsis statuentibus, & cum statuentes inferiores sint Pontifice, non possunt aduersus eius leges vllam efficaciam habere.

Secunda differentia harum optionum est; nam optio præter ius consuetudine decennali introduci potest, vtpote, cui ius non resistit. Glossa *in d. cap. fin. de consuetud. in 6. verbo consuetudo, & ibi* Anchatran. Dominic. Francus, & alij, Gonzalez *gloss. 34. num. 14.* Garcia *5. p. de benef. cap. 1. sub num. 459. vers. quando vero.* At optio contra ius quia ius resistit, requirit quadragenarium tempus, vt legitimè sit præscripta, vt multis probat Garc. & Gonzalez *supra.*

Tertia differentia est, quod beneficiatus grauatus pensione illam retinet in optione prætet ius quia retinet titulum, cui pensio annexa est. Secus contingit in optione contra ius. Nam dimittens beneficium liberatur ab onere soluendi pensionem illi annexam, illudque subit qui beneficium pensione grauatum obtinet, vt aliis relatis tradit Garcia *1. p. de benefic. cap. 5. sub. n. 183. & 5. p. de benefic. cap. 1. à num. 459. & seq.* & benè Gonz. *gloss. 34. à num. 45 & seqq.*

Quarta differentia est, quod in optione contra ius excluditur excommunicatus, & irregularis vtpote qui beneficij acquirendi incapax est; at non excluditur optione nouum titulum non acquirente. Gonzalez *gloss. 34. quæst. 9. specialiter n. 72. & seqq.*

4 Tempus requisitum ad optionem non solum pro primo optante, sed pro reliquis succedentibus, sunt viginti dies, vt expressè habetur in *dicto cap. fine de consuetud. in 6.* & notat ibi Glossa. Hi dies debent numerari non à die vacationis, sed à die verisimilis notitiæ; quia sine hac notitia impotens est ad optandum. Gonzalez *supra num. 75.*

5 Personæ, quibus optio competere potest, sunt antiquiores in Ecclesia, vt expressè dicit Pontifex in *d. c. fin.* & Glossa *ibi verbo antiquiores.*

Sed est graue dubium, quis censeatur antiquior ad effectum optionis, an qui prior fuit in possessione, esto posterior fuerit in prouisione: an econtra qui prior fuit prouisus, esto posterior possessionem acceperit? Respondeo cum Glossa *in supra. cap. fin.* esse iudicandum antiquiorem, qui prior est in possessione. Tum quia prior Ecclesiæ seruitio est maniparus, ob quod seruitium hoc ius optandi, aliæque prærogatiuæ concedutur. *argum. leg. 2. in fine. Cod. de officio magistri officiorum.* ibi, *vt is gradu cæteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixus fecit anteire.* Tum quia prius obtinuit ius perfectum in beneficio, ratione cuius fructus beneficij debentur; & inter fructus beneficij optio, vt sentit Cassador. *decis. 3. de pensionib. num. 6.* Glossa *cap. cum olim, verbo capitulo. de maiorit. & obedient.* & ita tradit, pluribusque exornat Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. §. 3 proœm. à num. 23 & gloss. 34. num. 49.* Excipiendus tamen est casus, quo prior in possessione impedimento malitiosè fuerit prius prouiso, ne possessionem acceperit. Quia tunc æquum non est, vt ex sua iniquitate commodum reportet, *cap. ex tenore, de rescriptis*, & tradit alios referens Gonzalez *d. §. 3. proœm. num. 38.* His præmissis.

6 Nostra regula 8. de medio toliit has consuetudines etiam immemoriales optandi in mensibus reseruatis, ita vt iam non sit locus dubitationi, neque allegari possit vlla consuetudo in contrarium, cum per hanc nostram regulam etiam consuetudini immemoriali derogatum sit, & cum hæc regula à quolibet Pontifice initio sui Pontificatus renouetur, non potest vlla consuetudo aduersus illam præualere: multis relatis docet Garcia *5. p. de benefic. c. 1. à n. 452. & specialiter 454.*

7 Sed est dubium; an impedita optione in beneficiis reseruatis; impediatur etiam in præbendis, & præstimoniis annexis; Contingit enim in Ecclesia Cordubn, aliisque Hispaniæ Ecclesiis tot esse præbendas temporales, portiones, seu præstimonia, quot sunt canonicatus. Dubium ergo est, an vacante canonicatu in mense apostolico præbenda temporalis, quæ ei fuit annexa, possit optari, vel potius maneat cum canonicatu reseruata? Cui dubitationi distinctione sit satis. Si præbenda sit perpetuo, & inseparabiliter canonicatui annexa (quod ex practica colligendum est) non erit locus optioni, sed cum ipso canonicatu reseruata manebit. Quia accessorium sequitur naturam principalis. At si præbenda non sit canonicatui annexa, sed canonico annectitur ad vitam, vt in Ecclesia Cordubn. practicatur, locus esse potest optioni; & non reseruationi. Sic Gonzalez *gloss. 34. à n. 32.* Garcia *5 p. de benefic. c. 1. n. 457. & seqq.*

8 Hinc sit in præbendis doctoralibus, magistralibus, & pœnitentiariæ non dari posse optionem. Quia officiis iis sunt perpetuo præbendæ annexæ. Vnde non potest quis iis officiis cedere retinens præbendam eis annexam, nec econtra retinere præbendam potest, officia dimittens. Vtrumque autem dimittere, & loco illius aliam pinguiorem præbendam optare, non est concessum. Quia hæ præbendæ exigunt specialem formam in prouisione, & speciales qualitates in persona prouisa, ob quæ optari nulla ratione possunt, neque optatæ dimitti, vt loco illarum aliæ subrogentur. sic Nauarr. *cons. 22. sub. tit. de præbendis. & dignitatib. in antiquis. & cons. 14. sub tit. de rebus Eccles. non alien. in nouis.* Garcia *3. p. de benefic. cap. 4. à num. 130. & seqq.* Gonzalez *de regulis mensium. gloss. 34 num. 78. & seqq.* Barbosa *3 p. de potest. epis. alleg. 5. &* plurib. decisionibus Rotæ confirmant.

9 Sed quid si optasti aliquod beneficium, cum non posses optare, vel quia beneficium erat reseruatum, vel tu impeditus eras alio titulo? Respondeo te obligatum esse beneficium optatum dimittere, cum primum agnoscis impedimentum, vt de se constat. Ad beneficium dimissum redire poteris, si nullam in optione, aut beneficij optati retentione culpam commisisti, secus si in his culpabilis extitisti: habetur expressè *cap. si beneficia. 20. de præbend. in 6.* Gonzalez plures refert *gloss. 34. num. 84.* Verum si impedimentum optandi nascitur ex eo quod beneficium à te possessum non rectè possideatur, ob quam causam illo priuaris, beneficium optatum retinere non poteris (nisi iure triennalis possessionis defendaris) quia cessat titulus optionis, & omnes illi qui ratione tui priuilegio optandi vsi fuerunt, illud amittere debent, & ad sua pristina beneficia redire. Quod sublato fundamento totum ædificium corruit. *leg. egi tecum 26. ff. de except. rei iudicatæ. leg. vectigal. ff. de pignorib.* & pluribus exornat Gonzalez *gloss. 31 à n. 28. & gloss. 34. à n. 92.*

10 Deinde vt reseruatio firma persistat, derogat Pontifex vltra consuetudines immemoriales optandi priuilegia etiam in limine erectionis concessa, & indulta apostolica circa ea. Quæ verba credo idem significare, sed maioris claritatis gratia

appositi

appositа esse. Nam Gonzalez *gloss. 35. à num. 10.* dicit priuilegium distingui ab indulto, ex eo quod priuilegium sit noua contra iuris communis regulas specialis concessio, competens personis, quæ aliàs iure ordinario beneficia conferre non poterant. Indultum verò sit impedimenti beneficium conferendi remotio absque vlla facultatis concessione, cum detur personis aliàs habentibus facultatem; mihi non probatur; quia existimo reseruationem concessione indulti nequaquam tolli, vt pote quæ est lex genetalis, sed illa reseruatione perseuerante facultatem concedi beneficia prouidendi, ac si reseruatio non adesset. Sed quidquid sit de hac distinctione, omnino certum est, quodcunque priuilegium, seu indultum Apostolicum datum, vt beneficia reseruata optati possit, ex vi huius regulæ tolli, penitusque derogari. Iusuperque derogantur quælibet consuetudines etiam immemoriales, & quæliber priuilegia, seu indulta Apostolica de supradictis beneficiis reseruatis disponendi. Quia illa dictio coniunctiua *ac*, non solum refertur ad indulta, & priuilegia, sed etiam ad consuetudines immemoriales. Tum quia tali dictioni adiungeretur illud verbum *etiam* quod dispositionem auget. *leg. si quis seruum. ff. de peculio.* Tum & præcipuè quia eadem ratio militat in derogandis consuetudinibus, ac in derogandis priuilegiis, & indultis Apostolicis. Gonzalez *gloss. 35. quæst. 2. à num. 24.* Garcia. *5. p. de benefic. c. 1. num. 667.* Aduerto tamen sub hac derogatione priuilegiorum, & indultorum non comprehendi priuilegia concessa disponendi de beneficiis, ac si iure fundationis verè illis dispositio competeret, qualiter fuerunt concessa Marchioni Astoricensi, & Duci de Alua. Nam cum ius patronatus ex fundatione competens hac regula non derogetur, neque etiam priuilegium illius natutam sequens. Idem credo de priuilegiis pro limitato tempore concessis; quia hæc reputantur gratiæ modici præiudicij, & sub derogatione generali non continentur.

11 Additur insuper ad maiorem reseruationis firmitatem, tum derogatoriarum derogatoriis, & in olitis clausulis, quibuscunque personis, & collegiis concessa, &c. De quorum verborum efficacia optimè tractat Gonzalez *à gloss. 35. & seqq.* illum videas. Ea nunc omitto, quia quæ aliquam difficultatem habent, *tract. de legib. disp. de illius derogatione. & disp. de priuilegiis*, explicata sunt.

PVNCTVM XXIII.

Explicatur gratia alternatiua in reg. 8. Cancellariæ concessa.

SVccedit secunda pars nostræ regulæ, quæ de gratia alternatiua loquitur. Voco gratiam alternatiuam facultatem Episcopis concessam prouidendi de beneficiis alternatim cum Pontifice, ita vt Pontifex sex menses habeat sibi reseruatos, sed discretos, & totidem ordinariis relinquat. Pontifici namque in alternatiua reseruata sunt. Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, September, Nouember. Ordinariis conceduntur Februarius, Aprilis, Iunius, Augustus, October, December. Pro huius gratiæ explicatione quinque examinanda sunt. Primò, quibus, & quæ gratia concessa sit. Secundò, sub quibus conditionibus sit concessa. Tertiò, quæ beneficia comprehendat. Quartò, à quo tempore effectum habeat. Quintò, quando gratia alternatiuæ cesset.

§. I.

Quibus hæc gratia alternatiuæ concessa sit.

1 *Solis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis hæc gratia concessa est.*
2 *Qualis sit hæc gratia alternatiua.*
3 *An Iunius & December censeantur concessi in alternatiua: Probabilius est non concedi.*
4 *Ordinarius siue resideat, siue non, in supradictis duobus mensibus prouidere potest.*

1 CIrca primum certum est solis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis hanc gratiam concedi, quia ipsi tantum exprimuntur sub dictione taxatiua *dumtaxat*. ibi. *Insuper Sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis quamdiu apud Ecclesias, & diœceses suas verè & personaliter residerint dumtaxat.* &c. Dictio enim *dumtaxat*, non solum ad residentiam, sed potius ad personas, quæ obligantur residere, quibus gratia concessa est, refertur. Ergo non licet gratiam extendere ad non expressos. Præterea quia solum concedit alternatiuam pro beneficiis, quæ sunt de libera Episcopi collatione. Ergo quæ ad alios pertinent, sub hac concessione non comprehenduntur: & vt indubitatum supponunt doctores: Gonzalez *ad reg. mens. gloss. 42. à num. 1.* Garcia *de benefic. 5. p. cap. 1. num. 683.* Ex quibus fit, nec capitulum sede vacante, neque alios ordinarios collatores hac gratia alternatiuæ vti posse, vt in vna Segobien. canonicat. 24. Nouemb. 1588. coram illustrissimo Cardinali Plato refert Garcia *supra n. 685*; decisum esse.

2 Quanta sit hæc gratia, seu qualis sit constat ex verbis regulæ. Cum enim ordinariis seclusa hac gratia solum relicti essent liberi quatuor menses, Martius, Iunius, September, & December, in quibus de beneficiis aliàs non reseruatis liberè prouidere possint, per hanc gratiam sex conceduntur, Iunius, Augustus, Februarius, Aprilis, October, & December, conceduntur ex mensibus Pontificiis, Februarius, Aprilis, Augustus, & October, aduocat tamen Pontifex, & sibi reseruat Martium, & Septembrem, qui à Prima reseruatione liberi erant, & ordinariis concessi. Hæc gratia alternatiuæ non tollit primam reseruationem octo mensium, sed illa durante aperit viam prouidendi de reseruatis sub illa conditione, & qualitate residendi. Qua cessante & vsus alternatiuæ cessat, & intrat reseruatio. Aliàs non iure reseruationis, sed iure deuolutionis Pontifex beneficia prouideret, quod non est admittendum, vt ex Cassadoro *decis. 8. num. 10. de præbend.* & ex stylo Cancellariæ comprobat Barbosa *3. p. alleg. 53. num. 50.* Quod si dicas superfluere reseruationem sex mensium in concessione alternatiuæ factam, si prima reseruatio octo mensium perseuerat. Facilè respondetur additam esse, quia duo menses, scilicet Martius, & September, denuo reseruantur.

3 Difficultas est, an Iunius, & December, qui tam in generali reseruatione, quam in alternatiua competunt ordinariis; eaque de causa vocantur menses fixi; censeantur concessi in gratia alternatiuæ; Nam si in ea conceduntur, non videtur posse ordinarius beneficia illis duobus mensibus vacantia prouidere, nisi verè, & personaliter resideat. Quia hæc est conditio (vt dicemus) pro vsu alternatiuæ requisita. Quod verò in facultate alternatiuæ concedantur, & sub eisdem conditionibus, videtur manifestum, cum sub eadem clausula, tenoreque verborum, qua Februarius, Augustus, Aprilis, & October conceduntur, & Iunius, & December concessi sint. Adde si Iunius, & December per facultatem alternatiuæ non concederentur, vt quid ibi cum aliis fuerunt expressi: Quod verò seclusa alternatiua ordinariis competant, non tollit quominus per alternatiuam concedantur; conceduntur namque sub onere residendi, quod onus rectè illis mensibus imponi poterat; quia denuo duo concedebantur, & lucro duorum mensium compensabatur obligatio residendi in omnibus sex mensibus, & pœna imposita amittendi ius conferendi, si non resideant; cui obligationi ipsi ordinarij voluntariè consentiunt acceptando alternatiuam: & ita tenet Gonzalez *gloss. 43. n. 116.*

Contrarium defendit Garcia *5. part. de benefic. cap. 1. n. 560.* affirmatque supradictos duos menses, Iunium, & Decembrem, non concedi in alternatiua, esto ibi apponantur quasi per accidens, & gratia solum demonstrationis, non gratia nouæ concessionis, cum iam fuerint concessi iure ordinario, neque obligationem residendi per alternatiuam petiam illis impositam esse: quia hæc obligatio solum annectitur mensibus per alternatiuam de nouo concessis, non illis, qui iure ordinario competunt; quod verò per alternatiuam non concedantur, ea potest esse ratio, quia alternatiua remouet obstaculum reseruationis. Cassador. *decis. 8. num. 6. & 10. de præbend. & decis. 4. num. 2. de priuilegiis*, & multis allegatis docet Gonzalez *gloss. 42. num. 13.* Sed in illis duobus mensibus nunquam intrauit reseruatio. Ergo illi duo menses in alternatiua concessione non intrant. Adde in illis duobus mensibus poterat ordinarius ex facultate à iure communi sibi concessa prouidere beneficia illis duobus mensibus vacantia, quia reseruata non erant. At hæc facultas acceptatione alternatiuæ non videtur impedita, cum per alternatiuam reseruentur. Et hæc sententia mihi verior apparet, quam etiam approbat Barbosa *3. p. alleg. 53. num. 44.*

4 Ex quo infero ordinarium siue residеat, siue non residеat, posse prouidere beneficia vacantia mensibus Iunij, & Decembris. Quia non prouidet vigore alternatiuæ, sed ex iure ordinario per alternatiuam non derogato. Nam licet in alternatiua illi duo menses simul cum aliis conceadantur, illisque annectatur obligatio residendi, vt alternatiuæ locus sit; non inde cogitur ordinarius facultate alternatiuæ vti, cum possit vti ea, quæ sibi à iure conceditur. *argum. textus in cap. licet. in corrigendis. 12. de officio iudicis ordinarij. & cap. cum aliquib. 4. de rescript. lib. 6.* Denique in concessione alternatiuæ reseruauit Pontifex ex octo mesibus sibi alioquin competentibus quatuor, quos nullo modo ordinariis quantumuis residentibus communicauit, videlicet Ianuarium, Maium, Iulium, & Nouembrem. Quid ergo mirum quod ordinariis ex quatuor sibi competentibus duo reseruentur absque residentiæ obligatione?

* *
*

Ferd. de castro Sum. Mor. Pars II.

§. II.

Sub quibus conditionibus gratia alternatiuæ concedatur.

1 *Vnica est conditio, sub qua conceditur, nempe residentia apud Ecclesias, seu diœceses suas.*
2 *Episcopus absens à diœcesi, etiam si prope sit, & cito reuersurus vti alternatiua non potest.*
3 *Si timore mortis, vel violentia à residentia impediaris non impediris ab vsu alternatiuæ, aliqui sentiunt. Sed contrarium est probabilius.*
4 *Episcopus acceptans alternatiuam non potest postea prouidere beneficia vacantia mense Martij, & Septembris.*
5 *Proponitur quædam obiectio, & fit illi satis.*
6 *Episcopus residens in fine Februarij, esto à principio non residisset, potest beneficium prouidere vacans tempore quo resedit.*
7 *Acceptans alternatiuam illa vti potest à puncto acceptationis recognitæ.*
8 *Episcopus residens transeuntes, & cum animo diuertendi, vti potest alternatiua.*
9 *An residens in loco exempto intra diœcesim contento, censeatur in diœcesi residere ad effectum alternatiuæ. Proponitur affirmatiua pars.*
10 *Negatiua est probabilior.*
11 *Existens in loco suæ diœcesis contento intra terminos alterius diœcesis satisfacit obligationi residentiæ per hanc regulam expostulatæ.*
12 *Prouisus ab ordinario vigore alternatiuæ tenetur probare non solum alternatiuam, sed etiam residentiam.*

1 CIrca secundum, sub quibus conditionibus hæc gratia alternatiua concessa Episcopis sit. Respondeo vnicam esse, scilicet veram, & personalem residentiam apud Ecclesias, seu diœceses suas.

2 Ex qua conditione infertur Episcopum absentem à sua Ecclesia, vel diœcesi, cum beneficium vacat, vti non posse alternatiua; eo quod solum pro tempore veræ, & personalis residentiæ concedatur. Quod verum est, etiamsi prope habeat diœcesim, & cito sit ad eam reuersurus, & ex causa legitima abfuerit. Nam hæc non inferunt vetam, & personalem residentiam, sed solum moralem, fictam, & à iure approbatam, iuxta Trident. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* ibi. *quoniam autem aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videtur abesse, quia statim reuersuri sunt, & cap. ex parte. cap. ad audientiam de clericis non residentibus*, & ita tenent, alios referentes, Garc. *de benefic. 5. p. c. 1. à num. 446.* Gonzalez *gloss. 43. à num. 11.* Barbosa *3. de potest. episc. alleg. 53. num. 54.* referuntque casum singulatem contingentem in Ecclesia Segobiensi. Nam anno 1603. aderat ibi Maximilianus de Austria eius Episcopus gaudens alternatiua, qui profectus est in domum Scurial. ad visitandum Regem Philippum. III. Tum quia cognatum, tum vt gratias ageret, quia eum ad Episcopatum Compostellanum elegerat: duobus tantum diebus, videlicet 13. & 14. Aprilis, ex hac tam vrgenti occasione à sua diœcesi, & Ecclesia abfuit, quo tempore beneficium vacauit, & reputans prouisionem sibi competere, contulit D. Hieronymo de Padilla suo vicario generali, postea à Pontifice alteri prouisum est vti reseruatum; quia vacauerat in dicta absentia. Hinc orta fuit controuersia, & perducta ad Rotam, ibique discussa, & tandem resolutum fuit pro maiori parte dominorum 26. Martij 1604. non esse locum alternatiuæ, sed potius reseruationi. Neque obstare illa verba regulæ *apud Ecclesias, seu diœceses suas*, quæ videntur indicare sufficiens esse prope Ecclesiam, vel diœcesim existere; quia illa propositio *apud*, non pro *propè*, sed pro *in*, vel *intra* est desumenda.

3 Quid si coactus timore mortis, vel violentia impeditus à tua Ecclesia, vel diœcesi abfueris? Respondet Gonzalez *in præsenti gloss. 43. num. 200.* alternatiuam non impediri? quia non est iustum, vt alternatiua priueris ob non residentiam, quæ tibi est impossibilis: fauetque *textus in clement. 1. de foro comper.* ibi. *Episcopo malitiosè impedito diœcesim propriam ingredi, conceditur potestas exercendi Pontificalia, aliaque ad iurisdictionem pertinentia in loco securo viciniori suæ diœcesi.* A fortiori ergo debet concedi potestas beneficia conferendi. Sed contrarium probabilius apparet. Quia negari non potest re in supradicto casu vere, & personaliter à tua diœcesi abesse, sed alternatiua conceditur, quamdiu ab ea non absis. Ergo in supradicto casu cessat concessio. Neque obstat tibi esse impossibile personaliter residere. Nam esto impossibile sit, illud sufficit: quominus alternatiuam sub conditione personalis residentiæ concessam non consequaris. Neque vrget *textus in clement. 1. de foro competenti*, imo potius ex eo desumi potest argumentum ad nostram sententiam confirmandam, siquidem secluso illo textu non tibi esset licitum iurisdictionem contentiosam in aliena diœcesi exercere contra voluntatem diœcesani, quantumuis impeditus esses propriam diœcesim ingredi; quia à iure impediebaris, necessariaque fuit facultas in supradicto textu concessa, vt ea iurisdictione vti possis. Cum ergo nullibi habeatur posse facultate alternatiua vti absentem à diœcesi etiam inuolitariè, sit sane in hoc casu non esse locum alternatiuæ, Garcia *5. p. de benefic. c. 1. n. 473.*

4 Secundo infertur Episcopum acceptationem alternatiuam non posse post illius acceptationem prouidere beneficia vacantia in mense Martij & Septembris, siue resideat, siue non resideat. Quia illi menses esto ordinario competerent secluso alternatiua, at illa acceptata sunt Pontificis; nequit ergo ordinarius se in illis intromittere, præcipuè cum in eius voluntate suum non sit alternatiuam acceptatam dimittere, vt latè tradit Mandos. *cons. 18. n. 8. ad medium, & seqq.* Puteus *decis. 88. n. 2. lib. 3.* Achil. *decis. 2. n. 3. super reg. de modificandis indultis*, & aliàs posset episcopus prouidere in mense Februarij, & Augusti virtute alternatiuæ, & in mense Martij, & Septembris ob illius quasi dimissionem, & sic alternatiua occasio esset non residendi, & prouisiones apostolicas defraudandi, quod nequaquam est concedendum, vt benè probat Gonzalez *gloss. 43. à n. 106. & 134.* Aloysius Riccius *in praxi fori ecclesiast. decis. 634. in 1. edit. & resolut. 682. in 2.* Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 53. num. 36.*

5 Dices, mensem Martium, & Septembrem esse Pontificium, & reseruatum durante alternatiua; at cum hæc cesset, ex quo Episcopus verè, & personaliter non resident, intrat regula reseruatoria 8. mensium, in qua regula Martius, & Septemb. reseruari non sunt. Ergo poterit in illis prouidere, sic docuit Rota in vna Salmonen. canonicatus coram D. Cantucio 4 Martij. 1583. quam refert, & sequitur Garcia *5. p. de benefic. cap. 1. num. 688.* Anastas. Germon. *de indultis Cardinalium. §. volumus, num. 18.* Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiast. cap. 16. num. 4.* Limitat autem Garcia, vt procedat casu, quo mense Februarij, & Augusti Episcopus alternatiua vti non posset: nam si illa vti potest, non poterit absens in mensibus Martij, & Septembris prouidere.

Sed facilè supradictæ obiectioni respondetur. Et in primis limitatio Garciæ est sine fundamento, & solum excogitata ad euitandum absurdum, quod ex eius sententia infertur. Nam si alternatiua cessat ex qua Episcopus vero, & personaliter non residet, quo textu, aut qua ratione hæc cessatio impeditur ob residentiam mensis anterioris? Dicendum ergo est alternatiuam quoad proprietatem nequaquam cessare ob non residentiam; esto cesset quoad illius vsum; quia vsus illius non conceditur, nisi dum est residentia, ex cessatione tamen vsus alternatiuæ, cum ipsa non cesset, non intrat regula reseruatoria 8. mensium. Ergo non potest ordinarius in illis mensibus prouidere. Neque obstat decisio Salmon. allegata à Garcia, quia ab illa decisione recessit Rota in alia Salmon. alternatiuæ. 14. Maij. 1610. coram D. Lancell. quam, & alias decisiones addunt Aloysius Ricc. & Gonzalez *vbi sup.* Item neque obstat alternatiuam in gratiam Episcopi concessam redundare in eius dispendium absque eius culpa. Et quidem contingere potest, vt ex causa vrgenti absens sit à diœcesi per totum annum. Si igitur in illo prouidere non potest beneficia vacantia in 4. mensibus alias non reseruatis, sicuti possunt alij non gaudentes alternatiua, cum non possit vigore alternatiuæ in aliquo mense prouidere; efficitur sanè gratiam alternatiuæ illi fore damnosam. Non inquam obstat; quia iis conditionibus illam voluntariè acceptauit.

6 Tertiò infero episcopum residentem in fine mensis Februarij, esto absens fuerit in principio illius, posse vigore alternatiuæ prouidere beneficium vacans tempore quo resedit. Quia vsus alternatiuæ concessus est quamdiu resederit, quod ad diem, & horam referendum est. Aliàs si residentia integri mensis necessaria esset, vt facultate alternatiuæ episcopus vti posset, sequeretur beneficium vacans in principio mensis Februarij, in quo episcopus residet, non posse ab ordinario conferri, sed necessario debere expectare, an fortè eius præsentia toto integro mense duraverit, quidem ab illa præsentia pendet an beneficium reseruatum, vel non reseruatum sit. Quod si dicas benè posse ordinarium tale beneficium conferre, & collationem validam esse, nec rescindendam, quia fuit de tempore habili & est ius alteri quæsitum, vt ex decessione Papiensi 10. Aprilis. 1517. dicit Barbosa *allegat. 53. num. 55.* Hinc manifestè infertur, tale beneficium liberum esse, neque eius libertatem pendentem esse ex futuro euentu residentiæ, vel non residentiæ; sed punctum vacationis spectandum esse pro eius reseruatione, vel libertate, vt ita aliis relatis probat Gonzalez *in præsenti gloss. 43. quæst. 5. num. 41.* Garcia *5. part. de benefic. c. 1. num. 695.*

Neque obest quod Rota in vna Fauentina canonicatus, 16. Decembris 1585. quam supradicti doctres referunt, explicuerit aduerbium illud *quandiu*, non diebus mensis, sed mense integrali referendum esse, quia loquitur de mense Septembris, qui statue alternatiua integraliter est reseruatus.

7 Quartò infero acceptantem alternatiuam in mense Februarij, posse illa vti à puncto acceptationis recognitæ; quia ab

ab eo tempore gratiâ conceditur, & constat ex illis verbis regulæ. *Quibus ab eo receptis, & recognitis tunc demum, & non antea vti incipiant gratia supradicta.* Neque obstat alternatiuam non esse concessam in principio mensis, ac proinde mensem esse reseruatum; quia est reseruatus quoad dies, in quibus alternatiua non erat concessa, caruit tamen reseruatione à puncto acceptationis, & recognitionis. Et non est inconueniens aliquem mensem reseruatum esse, & non reseruatum secundum diuersos dies, vt patet manifestè in mense, in quo moritur Pontifex. & alius non eligitur; quia tunc à puncto mortis cessat reseruatio, esto mensis in principio reseruatus fuerit. Et idem est si ordinarius eligeretur in Cardinalem in medio mensis, cessaret à puncto electionis reseruatio, consentiunt Garcia. & Gonzalez *supra*.

8 Quintò infero Episcopum residentem verè, & personaliter mense Februarij, Aprilis, seu alio per alternatiuam concesso, esto resideat transeunter, & cum animo diuertendi, gaudere alternatiua illo tempore, & beneficia tunc vacantia prouidere posse; quia alternatiua conceditur, quamdiu est vera, & personalis residentia, quæ certè non tollitur ex animo citò reuertendi: si enim absentia breuissima à diœcesi sufficiens est alternatiuæ vsum impedire; quia verè, & personaliter abes à diœcesi, cur non præsentia breuissima sufficiens erit alternatiuæ vsum concedere; si quidem sola vera, & personalis præsentia expostulatur; Allegare autem esse expostulatam præsentiam continuam procedentem ex animo permanendi, videtur sine fundamento. Tum quia regulæ verba id non indicant. Tum quia alternatiua, quæ reseruationem tollit, & res ad terminos iuris communis reducit, fauorabilis est, & amplianda: & ita absolutè tenet Garcia 5. *p. de ben. eſic. cap.* 1. *num.*701 & in eam propendet Gonzalez *gloſſ.* 41. *num.*173. & 178. Solum obstat, quod sæpe à Rota contrarium fuerit decisum, vt ex multis decisionibus Rotæ, quas suptadicti doctores referunt, videri potest. At vt ipsimet doctores notant, iam Rota incœpit ab ea sententia recedere contenta vera, & personali præsentia, siue permanens fuerit, siue non.

Denique pro explicatione huius conditionis triplex restat difficultas examinanda. Prima; an Episcopus residens in loco exempto intra diœcesim contento censeatur in diœcesi residere ad effectum alternatiuæ; Secunda, an è contra existentia in loco suæ diœcesis contento intra terminos alterius sufficiat pro residentia? Tertia, an prouisus ab ordinario vigore alternatiuæ in mensibus aliàs reseruatis, teneatur contra prouisum Apostolicum probare non solum acceptationem alternatiuæ, sed etiam Episcopi residentiam in diœcesi?

9 Circa primam difficultatem Gonzalez *gloſſ.* 43. *quæſt.* 7. *n.* 187. affirmatiuam partem tuetur ea motus ratione; quia locus sic exemptus est à diœcesi, & ad diœcesim pertinet, vt probat *text. in cap. cum Epiſcopus, de officio ordinar. lib.* 6. *& clement.* 2. *§. ſimili modo, de priuilegiis*, dicitur enim in iis textibus posse Episcopum in quouis loco suæ diœcesis pro tribunali sedere, excepto loco exempto. Ergo locus exemptus ad diœcesim pertinet. Aliàs non exciperet à regula primo posita, & tradit Glossa *in clem.* 1. *de foro compet. verb. aut earum parti, verſ. quod ſi in aliquo loco diœceſis ſuæ tamen exempto*, Roland. *conſ* 53. *num.* 7. *vol.* 3. & alij. Præterea in hæc loca, & personas exemptas suæ diœcesis potest Episcopus iurisdictionem in pluribus casibus exercere, vt constat ex *cap.* 1. *de priuileg. lib.* 6. & ex Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *& ſeſſ.* 21. *cap.* 8. *& ſeſſ* 24. *cap.* 9. *&* 11. *de reformat.* Ergo locus exemptus non solum materialiter, & quoad situm est de diœcesi, sed etiam formaliter quoad illius iurisdictionem. Adde residentiam petitam in alternatiua odiosam esse, & restringendam, quia est grauamen à iure communi alienum, Ergo qualiscumque residentia in diœcesi sufficiens esse debet, sed locus exemptus est in diœcesi quoad situm, & quoad iurisdictionem sæpè. Ergo sufficit residentia in illo quoad hunc effectum gaudendi alternatiua.

10 Verum probabilius censeo oppositum cum Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *num.* 704. Quia locus exemptus ideo vocatur exemptus, quia exemptus est à iurisdictione, & potestate diœcesani, intra cuius diœcesim continetur, ita vt ibidem existens neque ligare legibus, & statutis possit, neque ibi delinquentes, commorantes punire, reputantur namque quoad gubernationem, ac si extra diœcesim existerent, vt pluribus firmat Felin. *in cap. graue, num.* 2. *de officio ordinarij.* Rot. *conſ* 54. *à num.* 23. *vol.* 3. Ludouic. Gomez *in §. ſtatut. cap.* 2. *de conſtitut. in* 6. *num.* 84. *& alij.* Sed residentia in diœcesi ea de causa expostulatur in alternatiua, vt Episcopus tamquam pastor oues proprias suis legibus, & statutis regat, illisque assistat. Cum ergo existentes in loco exempto oues propriæ non sint, neque illas regere possit; efficitur sanè illam residentiam non esse in alternatiua expostulatam. Neque obstat in aliquibus casibus esse diœcesano commissam potestatem in locum, & personas exemptas, quo minus locus exemptus, & personæ illius verè, & absolutè exempti dicantur; quia illa subiectio rata est, & singularis, & leges frequentes contingentia, & modum ordinatium procedendi respiciunt, illo tamen casu occurrente si ad exercendam suam iurisdictionem in illo loco exempto existeret, credo sufficienter tunc in diœcesi residere, quia iam residet iurisdictionem exercens, & consequenter, vt superior regens subditos, & tanquam pastor proprias oues agnoscens.

11 In secunda difficultate alicui videri posset residentem in loco illo intra alienam diœcesim existente non satisfacere residentiæ in hac regula expostulatæ. Quia residentia, quæ ibidem expostulatur, est ad minus illa, qua fit satis obligationi impositæ ratione officij residendi, de qua Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 1. *de reform.* Sed negari non potest huic obligationi non fieri satis residentia in loco ita remoto à diœcesi, si quidem diœcesis inde rectè gubernari non potest. Ergo.

Nihilominus ad effectum alternatiuæ credo talem residentiam sufficientem esse, tradit Garcia 5. *part. de benefic c.* 1. *n.* 704. & testatur à sacra congregatione sic declaratum esse in fauorem Maximil. de Austria Archiepiscopi Compostellani, qui aliquo tempore in quadam parochia Zamorem. ciuitatis resedit, ob quam residentiã non fuit priuatus alternatiua. Ratio esse potest, quia alternatiua conceditur Episcopo verè, & personaliter in sua ecclesia, vel diœcesi residenti tempore quo beneficium vacat. vt dictum est, sed sic residens, verè in diœcesi residet sua quando beneficium vacat, cum resideat in loco illius, in quo iurisdictionem contentiosam exercere potest. Ergo. Neque obstat hac residentia non satisfacere obligationi residendi, si longo tempore continuetur, hoc enim non restatur quominus verè, & personaliter in diœcesi resideat, & vsum alternatiuæ habere possit, alias residens in loco remoto, continuo tamen suæ diœcesis, & in commodo regimini non gauderet alternatiua, quod sine fundamento diceretur. Stat enim optimè aliqua residentia, si continua sit, non satisfacere Episcopum obligationi residendi ad effectum gubernandi Episcopatum, satisfacere tamen obligationi residendi ad effectum gaudendi alternatiua. Quia ad effectum gubernandi Episcopatum opus est permanenti residentia in Ecclesia cathedrali, & in locis præcipuis; ad effectum vero gaudendi alternatiua sufficit breuis, & momentanea residentia in qualibet diœcesis parte tempore vacationis contingens.

12 Pro tertia difficultate, an prouisus ab ordinario obligationem habeat probandi non tantum alternatiuam, sed residentiam in diœcesi, est aliqua ratio dubitandi, quæ à tali obligatione eum videtur excusare. Cum enim Episcopus in sua Ecclesia, vel diœcesi debeat existere ratione officij, & munetis sibi impensi, & nemo præsumendus sit à sua obligatione deficere, sed potius præsumitur satisfacere, efficitur sanè Episcopum præsumendum esse in sua Ecclesia, vel diœcesi existere; quia ibi præsumitur quis residere, vbi residentiæ habet obligationem, vt aliis relatis tradit Menoch. *de præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 16. *n* 4. & 5. Mascard. *de probat. concl.* 5. *num.* 5. & *concl.* 127. *num* 1. & 2. Tiraquel. *in leg. connubiali gloſſ.* 8. *num.* 30 & 31. Ergo prouisus ordinarius obligationem non habet probandi residentiam sui Episcopi tempore vacationis; si quidem pro se habet iuris præsumptionem quæ est liquidissima probatio.

Nihilominus tenendum omnino est obligatum esse prouisum ordinarium probare non solum alternatiuam, sed etiam residentiam veram, & personalem Episcopi tempore vacationis. Gonzalez *gloſſa* 43. *num.* 52. *& ſeqq.* Garcia 5 *par. de benefic. cap.* 1. *num.* 502. & testatur, sic sæpe à Rota fuisse decisum. Ratio ea est, quia vt Episcopus vti possit alternatiua, non solum illam acceptare debet, sed etiam in diœcesi residere tempore vacationis beneficij. Ergo fundans se in alternatiua non solum illam, sed residentiam probare tenetur, cum absque residentia nullius vtilitatis sit alternatiua. Neq; ab hac probatione excusatur ex præsumptione iuris residentiæ, quia ius non absolute præsumit Episcopum semper, & quolibet momento temporis verè, & personaliter in diœcesi residere, cum potius supponat plures causas vrgentes occurrere, quæ ab residentia excusant, & per aliquot menses licentiam concedat, vt à diœcesi absit, solum enim præsumit regulariter ibi adesse. At hæc regularis, & communis residentia non sufficit ad vsum alternatiuæ, cum in ea requiratur expresè vera, & personalis residentia de tempore vacationis. Ergo hæc personalis residentia necessariò probanda est. Fateor tamen huius personalis residentiæ non semper exactam probationem requiri, sed aliqualem sufficere, vt si plenè probares tempore proximo antecedenti vacationi Episcopum in diœcesi residere, ex illa probatione censendus es probare residentiam tempore vacationis, eo quod non præsumatur mutatio.

§ III.

Ad quæ beneficia se extendit alternatiua.

1 *Comprehenduntur beneficia de Epiſcopi libera collatione.*
2 *In beneficiis, quæ ſunt de prouiſione Epiſcopi, & capituli, poſſitne alternatiua intrare? Prop onitur dubitandi ratio.*
3 *Si prouiſio diuiſa eſt per vices, & beneficium vacat in menſibus alternatis, Epiſcopo competit illius prouiſio, ſi eſt turnus Epiſcopi.*
4 *Si diuiſio facta eſt per choros, Epiſcopus gaudet alternatiua in ſex menſibus.*

5 *Quid si diuisio facta sit per menses?*
6 *Quid per annos?*
7 *Quid per hebdomadas?*
8 *Valet pactum, & concordia prouidendi beneficia per supradictos turnos.*
9 *Quæ beneficia censeantur esse liberæ collationis episcopi.*
10 *In his non tam proprietas, quam possessio spectanda est.*

1 TErtium, quod examinandum proposuimus, est, quæ beneficia alternatiua comprehendit. Et dicendum est comprehendere omnia beneficia cum cura, & sine cura, regularia, & sæcularia ad liberam ipsorum episcopotum dumtaxat, & non aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem. Illa dicuntur ad liberam episcoporum dispositionem pertinere, quæ episcopi absque alterius dispositione, electione, præsentatione, consilio, consensu, vel interuentu, aut alias prouidere potest, vt dicit Regula, & notat Gonzalez *gloss.* 45. *num.* 10. Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 1. *num.* 475. Quapropter beneficia, quæ episcopus conferre non potest, quia capitulum eligat, præsentet, vel aliquo modo cum illo disponat, non comprehenduntur in alternatiua. Quia non sunt de libera eius collatione: libera enim collatio dicitur, quæ solum à voluntate conferentis pendet, contingere tamen potest, vt beneficij collatio ad episcopum, & capitulum vel alium inferiorem insimul pertineat, electio vero, seu præsentatio soli episcopo competat: at ex tali concurrentia non impeditur alternatiua, quia prima beneficij prouisio, quæ attenditur libera est, alia ex illa necessario sequitur, & notauit Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 1. *num.* 733

2 Difficultas ergo est, an in beneficiis quæ sunt de prouisione episcopi, & capituli possit alternatiua intrare, stante concordia inter episcopum, & capitulum quod prouisio sit per turnos, iuxta *cap. vltim. de præbendis. in 6. & element. 1. de iure patronat.* Et ratio difficultatis est, quia episcopus tunc non prouidet iure proprio, sed iure indiuiduo, & communi competenti sibi, & capitulo. Ergo illud beneficium non est de sua libera collatione.

3 Pro resolutione præmittendum est, multipliciter hinc concordiam fieri posse inter episcopum & capitulum. Primò namque diuidere possunt prouisionem per vices. Secundò, per choros, seu latera. Tertiò, per menses. Quartò per annos. Sextò, per hebdomadas. Si prouisio diuisa sit per vices, hoc est vt vna vice prouideat episcopus, alia prouideat capitulum, & beneficium vacet in mensibus alternatis, episcopo competit illius prouisio, si tempore vacationis est turnus episcopi. Gonzalez *gloss.* 45. §. 1. *num.* 13. Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 1 *n.* 709. referuntque sæpè à Rota decisum esse. Ratio est quia illo casu episcopus absque interuentu capituli prouidet beneficium. Ergo est de eius libera collatione. Neque tunc dicendum est de iure communi conferre: siquidem confert iure proprio vigore concordiæ. Nam esto radicale ius conferendi commune sit Episcopo, & capitulo, at facta concordia quoad exercitium, & vsum qui attenditur, diuisum est, ita vt integrè, & solidum vnicuique competat in suo turno absque vllo alterius interuentu. Notanter dixi, *si tempore vacationis est turnus Episcopi.* Nam si est turnus capituli, cum capitulum alternatiua gaudere non possit, non poterit prouidere, nisi vacatio contingat illis 4 mensibus ordinariis Martij, Iulij, Septembr. & Decembris. Quapropter si vacatio contingat mense Februarij, qui est alternatus, & Episcopus sit in turno, ad eum pertinebit prouisio. Si autem capitulum est in turno, Papa prouidebit: quia sibi est reseruatum, eo quod beneficium tunc non sit de libera Episcopi collatione. Duo ergo ad horum beneficiorum prouisionem concurrere debent, & quod prouidens sit in turno, & quod beneficium vacet in mense sibi competente.

4 Si autem diuisio facta sit per choros, seu latera, ita vt beneficia vacantia ex choro dextro pertineant ad episcopum, & vacantia ex sinistro ad capitulum. Certum est Episcopum gaudere alternatiua omnibus sex mensibus sibi concessis, si in illis beneficia ex choro dextro vacauerint. Capitulum autem prouidet, si ex sinistro choro vacauerint in 4 mensibus à iure concessis. Gonzalez *gloss.* 45. §. 1. *num.* 36. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 1. *num.* 710.

5 Verum diuisione facta per menses ita vt vnus mensis competat Episcopo, alius capitulo, cum hæc diuisio solum fieri possit circa illos 4. menses, ordinarios Maium, Iulium, Septembr. & Decembrem, quia reliqui sunt reseruati, vt alternatiua intret, necessario in hac diuisione competere debent Episcopo Martius, & September, vt loco illorum illi Pontifex concedat Februarium, Aprilem, Augustum, & Octobrem. Nam si Iunius, & December competerent, cum hi menses non permutentur, sed fixi perseuerent, Episcopus gaudere non poterit alternatiua, aliàs capitulum perderet prouisionem sibi competentem in mensibus Martij & Septembris, qui sunt per alternationem reseruati. Gonzalez *à num.* 38. Garcia *à num.* 711.

6 In diuisione per annos facta clarum est alternatiuam intrare posse illo anno, qui est de turno Episcopi, cum pro illo anno sit de libera illius collatione beneficium vacans, secus de illo anno, qui est de turno capituli, cum tunc ad Episcopum non pertineat prouisio. Gonzalez *num.* 55. Garcia *num.* 714.

7 At si diuisio facta sit per hebdomadas, aut dies nequaquam alternatiua intrare potest, etiam comparatione Episcopi. Quia hæc diuisio diuisioni alternatiuæ obstat. Diuisio namque alternatiuæ est per menses, sed duplex mensis Apostolicus, & ordinarius in eadem hebdomada concurrere possunt. Ergo diuisio per hebdomadas obstat alternatiuæ. Gonzalez & Garcia *supra.* Quod si inquiras, quando turnus vnius censeatur consumptus, vt alius succedat? Respondeo tunc censeri consumptum, quando effectum habuit, v. g. quando præsentatus institutus est, quando electus fuit confirmatus, quando prouisus prouisionem acceptauit, quia ante institutionem, confirmationem, collationis acceptationem ius in beneficium non acquiritur. Secundo censetur turnus consumptus si, culpa ipsius prouisio effectum non habuit, vt quia culpabiliter inhabilem prouidit, vel morosus fuit in prouidendo, ob cuius causam fuit facta ad superiorem deuolutio: quia æquum non est, vt negligentia vnius alteri sit damnosa. *cap. damnum. 86. de Reg. iuris. in 6.* & latè hæc omnia prosequitur Gonz. *gloss.* 45. §. 3. *per totum.*

8 Sed est dubium, an valeat pactum, vel concordia prouidendi beneficia per supradictos turnos post acceptatam alternatiuam, vel tempore quo tractatur de eius acceptatione. Et ratio dubitandi est; quia licet valida sit hæc concordia causa vitandi lites, vti dicitur in *clem. 1. de iure patron. & cap. fin. de præbendis, in 6.* at in derogationem, & fraudem sedis Apostolicæ & reseruationum illius non videtur valere posse. Tum quia dolus, & fraus nemini patrocinari debet. Tum quia inferior non valet iurib. superioris præiudicare, aut aliquo modo diminuere, *cap. cum inferior, cap. quod super his, de maiorit. & obedientia, clem. ne Romani. de electione.* Quando autem concordia sit post concessam alternatiuam, vel tempore quo de illa tractatur, præsumitur Episcopum velle iura Pontificis, & illius reseruationes diminuere; si quidem beneficia reseruata ob regulam 8. mensium, facta concordia efficiuntur libera ab illa reseruatione ob priuilegium alternatiuæ & iustum non est, vt talis concordia valeat ad effectum gaudendi alternatiua, nisi ex certa scientia à sede Apostolica confirmata sit; docet Gonz. *reg. 8. mensium gloss.* 45. §. *num.* 72. Verius tamen est validam esse supradictam concordiam; eo quod Episcopis, aliisque præsentatoribus illam facere sit permissum. Neque derogatio reseruationis ei obstare potest: quia est per accidens, & in consequentiam vsus iuris proprij, ac proinde non fraudulenta, nec dolosa. *leg. nullus. 56. ff. de Reg. iuris. & ibi glossa.*

9 Insuper regula alternatiua explicans beneficia liberæ collationis, ea dicit esse, quæ absque consensu, consilio, & interuentu capituli Episcopus prouidere potest. Vnde è contrario beneficia, quæ prouidere Episcopus non potest absque alterius consensu, consilio, alióve requisito, non sunt liberæ collationis, si quidem pendent ab aliorum actione, & licet aliquando abbis non penderent quoad valorem collationis, hoc non tollit liberæ collationis impedimentum, sufficit namque vt pendeant quoad debitum modum procedendi, vt latius Gonzalez *gloss.* 46, 47, 48 & 49, vbi benè explicat differentiam consensus, consilij, interuentus, licentiæ, mandati, & similium, & qua ratione ad valorem actus esse possint requisita.

10 Aduerto tamen in his non tam proprietatem, quam possessionem spectandam esse, si enim quis sit in quasi possessione præsentandi, consentiendi, consulendi, assistendi, aliamve actionem efficiendi ad prouisionem requisitam; tametsi quoad proprietatem legitimo iure careat, hoc sufficit, vt beneficium liberæ collationis non dicatur. Quia in iure conferendi potius attenditur possessio, quam proprietas, ex *textu expressa in c. cum olim. c. cum Ecclesia Sutrina. de causa possess. & proprietatis*, & eruditè tradit Gonzalez *gloss.* 45. §. 3. *per totum.* Garcia 5. *part. de benef. cap.* 1. *n.* 478. plurimusque Rotæ decisionibus comprobant. Et Addunt non requiri in his plenam, & integram probationem, sed semiplenam sufficere, quia non agitur directè de pertinentia collationis, sed indirectè ad effectum alternatiuæ.

§. IV.

A quo tempore incipiat gratia alternatiuæ effectum habere.

1 *Incipit à puncto quo acceptatio alternatiua à datario fuerit recognita.*
2 *Qui modus seruandus est in acceptatione huius alternatiua.*
3 *An absque notitia alternatiuæ possis validè, & licitè illa vti? Proponitur dubitandi ratio.*
4 *Validè potes alternatiua vti.*
5 *Illicitè tamen vteris, nisi moraliter tibi constet recognitam esse.*
6 *Stante verisimili notitia potes beneficium sub conditione prouidere.*
7 *Satisfit rationibus dubitandi num. 3. adductis.*
8 *Qualiter acceptationem alternatiuæ probare teneatur ordinarius, vel prouisus ab illo.*

9 *An*

9 *An facta acceptatione alternatiuæ possit illius pœnitere? Proponitur dubitandi ratio.*

10 *Pro decisione præmittitur quædam distinctio.*

11 *Ante recognitionem pœnitere potes, sed teneris monere datarium.*

12 *Si nuncius, vel datarius de reuocatione monitus non est, firma persistit acceptatio alternatiuæ.*

1 SI de puncto, à quo incipit gratia alternatiua effectum habere, loquamur, dicendum est, illum habere, à puncto quo acceptatio alternatiuæ per ipsum facta, recognita à Datario fuerit. Hanc acceptationem alternatiuæ episcopus facere debet per patentes litteras manu propria subscriptas, suóque sigillo munitas. & in sua quisque ciuitate, vel diœcesi datas.

2 Primo fieri debet ab episcopo libere, quia nemo cogendus est gratiam acceptare, *argument. legis, inuito, 69. ff. de Regul. iuris.* Modus acceptationis est per patentes litteras, hoc est per litteras apertas, & de se manifestas, iuxta *textum in cap. patentibus litteris, de priuilegiis, & cap. primo de temporib. ordination. in 6. & cap. 1. de officio ordinarij. in 6. & Clement. 1. §. nos itaque, de iureiurando.* Illæ igitur patentes litteræ dicuntur, quæ legi aperitique possunt absque sigilli, clausuræque illarum violatione. Cui qualitati non obstat, quod nodatæ, plicatæque sint, aliquaque charta coopertæ, colligitur ex *leg. hac consultissima. Codice. de testamentis. & leg. 1. & sequent. ff. quemadmodum testamenta aperiant.* Et notauit in præsenti Gonzalez *glos. 59. in fine.* Garcia 5. *part. de benefic. cap. primo. num.* 488.

Præterea hæ patentes litteræ debent esse manu Episcopi subscriptæ, quia subscriptione approbat acceptationem. §. 1. *institut. de emptione, & vendit. & leg. si ita stipulatus, 126. §. Chrysogonus. ff. de verbor. obligatione.* Probabile tamen est sufficere literas acceptationis manu propria scribere, si in ipsa scriptura dicatur manu propria scriptas esse esto subscriptæ non sint, quia hæc descriptio sic expressa subscriptioni æquialet, præcipuè in causa fauorabili, qualis est hæc de causa alternatiua; vt expresse probat *textus in leg. cum antiquitas. Codic. de testament.* Quod secus dicendum est de notario instrumentum conficiente, in quo necessaria est subscriptio, tum ex stylo, tum ob vitandam falsitatem, tertiique præiudicium, sic pluribus exornans Gonzalez *glos. 60. à num.* 34. Hoc intelligendum est, casu quo Episcopus subscribere posset: nam si daretur casus quo omnino impeditus esset manu alterius posset subscribere. *argum. leg. Diuus. ff. de in integrum restit.* & tradit Rebuff. *tract. de nominationib. quæst. 10. n. 15. & seqq.*

Vltra subscriptionem, vt omnis fraudis occasio vitetur, debent litteræ supradictæ sigillo proprio muniri. Illud autem dicitur sigillum proprium, ex quo sigillans cognoscitur, *cap. inter dilectos. de fide instrumentor. & cap. significauit. de appellationib.* Alias, si ex sigilli impressione non est satis cognitus sigillans, nullius effectus erit, vt bene dicit Abbas *in dicto cap. inter dilectos. in 4.* Felin. *n. 5.* Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præs. 57. n. 3. & de arbitrar. casu 118. num. 12.* Quod vero hæ litteræ patentes sigillo episcopi magno, vel paruo sigillatæ sint parum interest, cum regula solum expostulet esse sigillo proprio munitas. Et hinc constat præsentiam testium, & subscriptionem notarij necessariam non esse, vtpote quæ à regula non expostulantur, tametsi conuenientissima sint, vt omnis fraudis occasio vitetur, & facilius à Datario recognoscantur. Item subscribi, & sigillari debent hæ litteræ in propria ciuitate, vel diœcesi, vt sic residentia expostulata in alternatiua ab acceptatione incipiat.

Litteras vero sic subscriptas, & sigillatas transmittere episcopus tenetur ad Datarium Pontificis, ad cuius transmissionem necessarius non est specialis nuntius sed sufficit ordinarius, & generalis, quia ipse non acceptat, sed acceptationem defert, & ideo in regula nihil de modo transmissionis præscribitur. Et eadem ratione non requiritur, vt nuntius deferens has litteras Datario, illique nomine episcopi præsentans habeat speciale mandatum, ex eo enim, quod illi fuerint transmissæ, de mandato præsumitur, & hoc sufficit.

Datarius vero receptas litteras recognoscit; recognoscit namque an fuerint conditiones supradictæ in illis seruatæ: cum enim omnes illæ sint pro forma requisitæ, & cuiuslibet illarum defectus totum rescriptum vitiet, *cap. cum dilecta. de rescriptis*, exactè Datarius recognitionem facere tenetur. Modus autem faciendi hanc recognitionem est per testes à parte episcopi, seu illius qui litteras refert, Datario productos, qui deponere debent illam esse subscriptionem, & sigillum illius episcopi, qui litteras patentes transmittit. Aliquando hæc diligentia necessaria non est, si ex aliis instrumentis, & litteris, subscriptio, & sigillum episcopi satis cognitum sit. De hac recognitione solet Datarius fidem facere, & merito, vt clarius de recognitione constet, & lites vitentur. Facta recognitione nihil amplius requiritur, sed ab illo puncto, quo litteræ patentes sub prædicta forma receptæ, & recognitæ sunt à Datario, episcopus gaudet alternatiua, quia sic in supradicta regula cauetur. Quapropter, vt supra dixi contingere potest, vt vnus, & idem mensis, & vna, & eadem dies sit reseruata, & non reseruata secundùm diuersa tempora. Nam ante recognitionem acceptationis alternatiuæ reseruata erat, facta recognitione tollitur reseruatio. Hæc omnia, quia difficultate carent, breuiter perstrinxi, latius tradita à Gonzalez à *glos. 59. & seqq.*

3 Difficultas ergo est, an absque notitia alternatiuæ recognitæ, possis alternatiuæ beneficio vti? Videris nec valide, nec licitè vti posse. Non validè, quia alternatiua est beneficium, & gratia, quæ firma non est, quousque notitiam illius habeas, vt tradit Bartol. *in leg. fin. numero quarto. ff. de constitutionib. princip.* & plutibus exornat Menoch. *de arbitrar. casu 185. num. 30. & seqq.* Thom. Sanchez *lib. 3. disputat. 36. numero secundo.* Molina *de Hispanor. primogenit. libro secundo, cap. 2. num. 98.* & alij. Item per alternatiuam conceditur episcopo potestas de beneficiis alias reseruatis prouidendi: nam alternatiua (vt sæpedictum est) non remouet reseruationem abrogando, sed potius in ea dispensando, sed potestas, & iurisdictio de beneficiis prouidendi effectum non habet ante notitiam, vt docet Mandosius *reg. 52. quæst. 25. numero quinto*, cum aliis. Ergo neque alternatiua. Deinde nec licitè alternatiua vti potes, antequam moraliter tibi constet acceptationem illius recognitam esse à Datario. Nam vsque ad illam recognitionem lege reseruationis adstringeris, sed contra legem certam præualere non potest alternatiua dubia. Ergo licitè illa vteris, dum tibi non constat de acceptationis recognitione. Adde in vacatione beneficiorum non esse permissum vti verisimili notitia vacationis; quia certa moraliter requiritur ex *reg. 27. Cancell.* Ergo similiter non erit tibi licitum vti facultate beneficia prouidendi ob verisimilem notitiam recognitionis alternatiuæ.

4 Dicendum est primo valide te posse alternatiua vti, antequam recognitionis illius habeas notitiam. Gonzalez *glos. 65. num. 20.* Garcia 5. *p. de benefic. cap. 1. num. 764.* & referunt à Rota aliquoties fuisse decisum. Ratio desumitur ex ipsis verbis regulæ, quæ manifestè indicant alternatiuam competere episcopo cum effectu à puncto recognitionis: inquit enim regula, *quibus*, id est litteris, *à Datario receptis, & recognitis tunc demum & non antea vti incipiant gratia supradicta*, Ergo ad vsum supradictæ gratiæ sola recognitio Datarij requiritur absque scientia recognitionis, alias Pontifex hanc scientiam esse necessariam exprimeret.

5 Dico secundo illicite alternatiua vteris, si ex coniecturis tibi moraliter non constat esse Romæ acceptatam ob rationem dictam. Quia cum sis certus de lege reseruationis, ab illa te eximere non potes, nisi de exceptione etiam certus sis. Nam in casu æqualis dubij lex reseruationis cum possideat, præualere debet. Garcia 5. *part. de benefic. cap. primo n. 777.*

6 Dico tertio, si verosimiliter præsumis Romæ esse receptam, & recognitam alternatiuam, aut de recognitione dubitas, poteris beneficium vacans prouidere, sub conditione, si de facto Romanæ recognita sit acceptatio. Quia ex hac prouisione nullum præiudicium Pontifici accrescit, & ex alia parte iure tibi per alternatiuam concesso vteris: collatio tamen habebit effectum, si vera fuerit conditio, secus si vera non fuerit. Prouisus vero possessionem capere non potest, quousque conditionem appositam veram esse cognouerit ob periculum intrusionis, & ita cauere debet ordinarius in litteris collationis. Garcia *supra num. 778. & 779.*

7 Ex his facile erit rationes dubitandi soluere. Ad primam admitto alternatiuam esse beneficium, & gratiam, nego tamen non valere ante notitiam illius; valet quidem; esto illo vti licitè non possis; sufficit quod tuo nomine sit Romæ acceptatum, vt de facto fit cum nuntius tuas patentes litteras Datario præsentat. Thom. Sanchez *lib. 3. disput. 36. num. 6.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 25. num. 10. & 15.* Valq. 1. 2. *disput. 156. à n. 30.* Secundo respondeo alternatiuam non tibi concedi per recognitionem litterarum illarum acceptantium, quia per legem est iam concessa iis, quorum litteræ fuerint recognitæ. Cum ergo recognitio non sit alternatiuæ concessio, sed conditio, vt concessio habeat effectum, posita illa conditione effectum habebit, tametsi illius non habeas notitiam; quia iam habes notitiam concessionis. Et hinc soluitur secunda ratio. Concedo potestatem prouidendi de beneficiis exerceri non posse nec licitè, nec validè ante notitiam illius: nego tamen ante recognitionem acceptationis te non habere notitiam huius facultatis per alternatiuam concessæ: habes equidem: nam si alternatiua est solum remotio reseruationis, iam habes notitiam ordinariæ potestatis, virtute cuius beneficium prouides. Si autem alternatiua aperit viam resignationi, concedens facultatem de beneficiis prouidendi, cum hæc facultas detur per legem sub conditione recognitionis, iam illius habes notitiam, esto notitiam conditionis non habeas. Ad tertiam rationem de illicito vsu, constat ex 2. & 3. conclusione. Ad quartam admitto antecedens, non posse prouideri beneficium, nisi constet vacans esse, quia ita cauetur, & merito in supradicta regula de verisimili notitia ne detur locus captandæ mortis. At in præsenti hæc ratio non militat, cum iam constet de vacatione, & solum controuersia sit de competentia prouisionis.

8 Secunda difficultas circa hanc acceptationem alternatiuæ,

est qua ratione illam probare teneatur tam ordinarius illa vtens quam prouisus ab illo ? Esse necessariam probationem certum est. Tum quia alternativa est facultas, & priuilegium. Priuilegium autem non præsumitur. Tum quia expostulat plures solemnitates, & conditiones, quæ ad factum pertinent, quæ certè non præsumuntur, vt late Menochius *de præsumpt. lib.6.præsumpt.14 per totam.* Probanda ergo est alternativa primò per testimonium datum à Datario de litterarum recognitione: hoc enim plenissimam fidem facit; nam ad hunc effectum præstari solet. Secundo probatur per librum Datariæ; quia in ipso huiusmodi acceptationes describuntur. Tertio Romæ probatur per fidem cuiuslibet notarij testantis in libro Datariæ acceptationem esse descriptam, quia non præsumitur fallere. Quarto probatur per testes, si deponant de recognitione acceptationis. Item si deponant episcopum esse in quasi possessione conferendi vigore alternativæ. Nam esto hæc testificatio, sicut & illa quæ de publica voce, & fama deponetur, solum constituat semiplenam probationem, sufficit, vt prouisus ab ordinario prævaleat, quia pro illo est præsumptio. Sic Garcia 5. *de benefic.cap.1. num.499.* Gonzalez *glos.62.n.28.* & conducunt quæ tradit *glos.45.§.2.n.49.*

9 Tertia difficultas est, an facti acceptatione alternativæ possit episcopus pœnitere, & se ad commune ius reducere? Ratio dubitandi est; quia est gratia, & beneficium, vt constat ex verbis regulæ, ibi *qui gratiam alternativæ*, &c. Sed nullus tenetur gratia sibi concessa vti, sed illi cedere potest. Ergo nec tenetur vti alternativa.

10 Pro huius difficultatis decisione distinguenda sunt quo tempore, in quibus hæc cessio, & renunciatio esse potest. Primum est ante recognitionem, & approbationem Datarij. Secundum post illius recognitionem.

11 Et quidem ante recognitionem Datarij certum est te pœnitere posse: quia ante illius recognitionem nihil tibi est concessum, sed tu procuras, concedatur: desistere ergo potes à procuratione, & tradit expressè Gonzalez *glossa 63. à num.21.*

Solum est dubium, an de hac pœnitentia, & de acceptationis reuocatione tenearis Datarium, vel nuncium monere, ne litteræ à te missæ etiam reuocatæ recognoscantur, & approbentur.

Non desunt doctores, qui sentiant te nullam huius reuocationis obligatum esse dare notitiam, sed eo ipso, quo acceptationem reuocas, manere cum effectu reuocatam. Quia iam non est voluntaria illa acceptatio, vel vt melius dicam, iam non est acceptatio, quæ cognoscatur, esto fuerit ante reuocationem.

Dicendum tamen est, te obligatum esse in conscientia huius reuocationis dare notitiam, Quia satis probabile est ex vi reuocationis noa intimatæ cessare acceptationem factam: cessante autem acceptatione, si nuncius, vel Datarius non monetur, periculum est, vt litteræ nullæ acceptentur, & Pontifex irrideatur, & in suis prouisionibus pariatur detrimentum. Ergo ob vitanda hæc damna, obligatus es nuncium, vel Datarium de reuocatione monere.

12 Verum si antequam nuncium, vel Datarium de reuocatione moneas, ipse Datarius litteras à te missas recognoscit, & approbat: censeo recognitionem, & approbationem acceptationis validam esse, non obstante reuocatione non intimata: sic optimè, & eruditè firmat Gonzal. *gl.63.n.48.* motus ratione decidendi *textus in clem. 1. de renunciat.* vbi statuitur cessionem beneficij tenere, quousque reuocatio illius fuerit intimata, vt illusio, & variatio in personis ecclesiasticis vitetur. Cum igitur ex non intimata reuocatione acceptationis alternativæ sequatur illusio Datarij, & non leue Pontifici in beneficiis prouidendis præiudicium, dicendum est acceptationem alternativæ firmam esse, quousque reuocationis illius fuerit data notitia. Cum vero vrges, facta reuocatione non intimata, non est acceptatio, esto fuerit; negandum est; quia acceptatio firma persistit, neque valet ab acceptante reuocari, quousque reuocationem notificet.

§. V.

Quando cesset gratia alternativæ.

1 *Cessat, si ad alium episcopatum translatus sit.*
2 *Cessat morte Pontificis.*
3 *Cessat renunciatione illius, si à Pontifice acceptetur.*
4 *Cessat denique si in prouisione beneficiorum ad Pontificem pertinentium te intromittas.*
5 *Ad hanc amissionem requiritur sententia declaratoria criminis.*
6 *An ad hanc amissionem alternativæ requiratur quod Pontifex, vel eius Datarius amissionem acceptet? Proponitur affirmativa pars.*
7 *Negativa est verior.*
8 *Sic amittitur alternativam tenetur Pontificem monere.*
9 *Quoties ex ignorantia probabili beneficia reservata prouidet, non amittis alternativam.*

1 VLtimum quod circa hanc gratiam alternativæ & explicationem regulæ 8. Cancellariæ explicandum proposuimus, est quando gratia alternativæ acceptata, & recognita cesset? Qua in re certū est cessare, si ad alium episcopatum translatus sit, quia solum pro illo acceptasti. Garcia 5.*part.de benefic.cap.1.n.* 484. Gonzalez 58.*à n.*18.

2 Secundo est certum cessare alternativam morte Pontificis; quia alternativa est quidam personalis contractus, & mutua obligatio inter Pontificem, & episcopum; idcóque quolibet pereunte extinguitur. Item morte Pontificis regulæ Cancellariæ cessant, vt dictum est, & specialiter de hac regula 8. constat ex illis verbis, *ad sua voluntatis beneplacitum.* Ergo cessat alternativa. Gonzalez *supra n.*17. cum Nauarr. *consil.31.n.2.de prabend.*

3 Tertiò cessat alternativa renunciatione illius, si à Pontifice acceptetur; quia cum ex mutuo Episcopi, & Pontificis consensu habita est, ex eisdem causis cessare debet, *leg. nihil est tam naturale. ff.de Reg. iuris.* At Pontifex, seu Datarius non tenetur hanc renunciationem acceptare, sed illam reiicere poterit, si causæ legitimæ huius renunciationis non proponantur. Quia potius ex voluntate Pontificis, quam ex tua alternativæ extinctio, & dissolutio pendet: est enim per alternativam ius Pontifici quæsitum, quod tu tollere, aut diminuere nequis illo repugnante. Extincta vero alternativa, eo quod Pontifex, vel Datarius renunciationem illius à te factam admiserit in libro Datariæ, vbi episcopi acceptantes alternativam describuntur ad marginem illius partis, vbi tu eras scriptus, cessatio, seu renunciatio apponitur manu Datarij subscripta. Gonzalez *gl.58.à num.14 & seqq.* Garcia 5.*p.de benefic.cap.1.num.*484.

4 Quarto & præcipuè cessat ipso iure alternativa, si episcopus se intromiserit in prouisione beneficiorum, quæ per hanc regulam, vel alias sedi Apostolicæ reservata sunt, aut illorum prouisioni impedimentum quoquo modo præstiterit, ne debitum effectum consequantur, sic expressè in supradicta regula.

5 Circa hanc cessationem, quæ est in pœnam delicti commissi, est grauis inter doctores controuersia, an episcopus culpabiliter se intromittens in prouisione beneficiorum reservatorum, ita alternativam amittat ante sententiam declaratoriam criminis, vt non possit virtute illius beneficia in mensibus alternatis vacantia prouidere? Et omissis variis opinionibus, de quibus late egimus. *Tract.de legib. disput. delege pœnali, & irritante, & tract.de fide. disp. de pœnis temporalibus hæreticorum,* dicendum est ex doctrina ibidem fundata prouidere episcopum posse beneficia; quia nullus tenetur esse executor gratiis pœnæ sibi impositæ; si autem ob delictum commissum obligaretur ab vsu alternativæ abstinere, obligaretur sanè pœnam promeritam in se exequi, quod est durissimum. Item in pœnis benignior interpretatio, quoad fieri potest, facienda est. *Leg. interpretatione 42. & ff.de pœnis. c.in pœnis de regulis iuris in 6.* Ergo priuatio alternativæ imposita ipso iure delicto, explicari debet de delicto per sententiam declarato, & tradit Rota in vna præcentoria, Vicen. 14. Decemb. 1592. coram D. Bancero relata à Garcia 5.*part de benefic.cap.1.num.*741. Neque obstat, quod ibidem regula subiungit collationes virtute alternativæ factas nullius esse roboris, & momenti: quia eodem modo explicandum est, nullius inquam esse momenti, post delicti declarationem, secus ante illam.

6 Facta declaratione adhuc est dubium, an ad amissionem alternativæ requiratur, quod Pontifex, vel eius Datarius amissionem approbet, & acceptet. Et ratio dubij est; quia ea quæ in fauorem alicuius ipso iure annullantur, & irritantur, effectum non habent, quousque ipse annuat irritationi, vt videre est in contractu pupilli absque authoritate tutoris, in alienatione rerum Ecclesiæ absque debita solemnitate, in emphyteuta committente caducitatem, & aliis pluribus exemplis congestis à Gonzalez *gloss. 56. à num.*48. Sed hæc alternativæ priuatio inducta est tum in odium Episcopi, contrauenientis reservationi, tum in fauorem sedis Apostolicæ. Ergo absque huius consensu effectum habere non debet. Deinde si ex sola contrauentione per iudicem declarata amitteres alternativam, facile tibi esset ab ea recedere, & ad menses ordinarios redire prouidendo de reservatis, & sic Pontificem illuderes, & ius illi quæsitum derogares, & ex tua malitia commodum reportares. Præterea, si absque Pontificis, vel Datarij scientia, & approbatione amitteres alternativam, & ea amissa ad menses ordinarios redires, Pontifex defraudaretur in prouisione sibi debita; quia non prouideret in mensibus alternatis, eo quod ignoraret sibi competere, & deinde prouideret in mensibus ordinariis Martij, & Septembris, putans sibi pertinere. Ne igitur hæc inconuenientia sequantur, dicendum videtur, amissionem alternativæ non esse effectum habituram, quousque Pontifex, vel Datarius amissionem approbet. Et ex hac doctrina iuxtaque prouisum ab ordinario in mensibus Martij, vel Septemb. alienare non posse pro iustificanda sua gratia ordinarium amisisse alternativam, ob contrauentionem reservationis, neque ipsum ordinarium

ordinarium id ipsum allegare posse, quia non amittitur, quousque Pontifex, vel Datarius annuant amissioni.

7 Cæterum verius existimo hanc approbationem non esse necessariam, sed eo ipso quo declaratus est reseruationem violasse, alternatiua priuaris cum effectu à puncto delicti commissi; sic docet Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 56. num. 124.* Garcia. *5. p. de benefic. cap. 1. num. 746.* Ratio est, quia satis hæc voluntas Pontificis declarata est per legem: cum enim in præsenti regula dixerit episcopum reseruationi contrauenientem eo ipso priuatum existere gratia, & beneficio alternatiuæ, satis suam voluntatem declarauit. Vt quid ergo noua declaratione opus est; secus vero procedit, cum in fauorem alterius à legislatore annullatio est per legem inducta, quia tunc eius consensus prærequiritur, cum per legem expressus non sit.

8 Aduerto tamen sic amittentem alternatiuam obligatum esse Pontificem, vel eius Datarium de amissione monere, ne inconuenientia in ratione dubitandi proposita inferantur. Interim autem quod non mones, censeo te non posse in Mensibus Martij, & Septembris alias ordinariis prouidere, quia cum Pontifex ignarus sit amissionis alternatiuæ, priuari non debet facultate prouidendi sibi competente iure reseruationis. Garcia 5. *p. de benef cap. 1. n. 749.*

9 Secundo aduerto, quoties ex ignorantia probabili reseruationis te intromittis in beneficiorum reseruatorum prouisione, à supradicta pœna amissionis alternatiuæ excusaris, quia hæc pœna grauem culpam supponit. Glossa *in cap. si beneficia de præbendis. lib. 6. verbo si culpa. & in cap. cum venerabilis. de consuetud. in princ.* Gonzalez *gloss. 56. à n. 128.* Garc. *5. p. de benef. cap. 1. n. 752.*

Punctum XXIV.

Quæ beneficia vltra supradictas regulas reseruationi subsint

1 *Nulla est alia reseruatio, nisi imposita in pœnam aliquorum delictorum, & quæ hæc sit.*
2 *Hæc beneficiorum vacatio indiget delicti declaratione*
3 *Beneficia deuoluta, seu litigiosa non sunt propriè reseruata.*

1 PRæter supradictas reseruationes nullam aliam inuenio per legem sanctam, nisi illas, quæ apponuntur in pœnam alicuius delicti commissi. Ob crimen enim hæresis vacat ipso iure beneficium, & sedi Apostolicæ reseruatur ex const. Pij. V. quæ incipit, *Cum ex Apostolatus. data Romæ 6. Kalend. Februarij 1566.* Item vacat beneficium ipso iure, & sedi Apostolicæ reseruatur ob crimen simoniæ ex constitutione Pauli III. quæ incipit *San. Pissimus.* Quod à fortiori procedit in simonia confidentiali, ob quam non solum beneficium sic obtentum, sed etiam omnia illa quæ confidentiarius obtinebat tempore commissi delicti reseruantur, iuxta constitutionem Pij. IV. incipientem *Romanus Pontifex*, & constitutionem Pij. V. incipientem, *Intolerabilis.* Præterea beneficia parochialia, in quorum collatione seruata non fuerit forma præscripta à concilio sedi Apostolicæ reseruantur ex constitut. Pij V. incipiente, *In conferendis.* Deinde reseruantur beneficia ob non factam publicationem resignationum iuxta formam præscriptam in constitut. Greg. XIII. incipiente; *Humano vitæ iudicio.* Item reseruantur beneficia offendentis litigantes in curia Romana, & eorum iudices, aduocatos, notarios, testes, & procuratores, ex constitut. Alexand. VI. quæ incipit, *In eminentia.* Item reseruantur beneficia collata personis inhabilibus, ex aliquo priuilegio à sede Apostolica concesso, vel ex statuto à Pontifice confirmato, vt si esset statutum à Sede Apostolica confirmatum, excludens à beneficiis descendentes ex sanguine infecto, vel ex hæresis condemnato, tu vero illis beneficium aliquod prouideres, nulla esset prouisio, & beneficium maneret Pontifici reseruatum: habetur in constitut. 66. Greg. XIII. incipiente *in ecclesia*, sub data idibus Nouembris anno 1580. Item reseruantur beneficia illorum, qui pro ipsos pro aliis examinandos supponunt, vel pro consequendis beneficiis annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro aliis, vt ab eis aliquid consequantur, vel quando pro se ipsis impetrant beneficia cum intentione illa resignandi, constat ex bulla 33. Pauli IV. quæ incipit. *Inter cætera*, data 27. Nouemb. 1557. Deinde vacant beneficia, & Pontifici reseruantur ob non delationem habitus clericalis, iuxta extrauag. Sixti V. quæ est 92. in bullario nouo, *tom. 2. pag. 693.* Item vacant ipso iure beneficia, & sedi Apostolicæ reseruantur, quæ Cardinales vigore suorum indultorum contulerunt, si ipsi beneficiati cittamontani intra quatuor menses & vltramontani intra octo nouas prouisiones à sede Apostolica non obtinuerint, litteræque Apostolicas non expedierint; quia sic indultis Cardinalium habetur.

2 Aduertendum est horum beneficiorum vacationem, quia est in pœnam delicti commissi, locum non habere, quousque delictum declaretur, quia vt *tract. de legib.* latè diximus, solum censuræ, vtpote pœnæ medicinales absque vlla declaratione indictis contrahuntur, reliquæ aliæ pœnæ etiam priuatiuæ hanc declarationem prærequirunt, quæ retrotrahitur à puncto commissi delicti.

3 Dixi nullam aliam generalem reseruationem à lege sanctam esse. Nam illa, quæ solet enumerari de beneficis deuolutis, & de litigiosis, reseruatio propria non est. Nam prouidens beneficia ob negligentiam primi collatoris ad se deuoluta non iure reseruationis, sed iure deuolutionis, & supplens vices primi collatoris prouidet. Beneficia item litigiosa, esto tempore litis impediti sint ordinarij prouidere, lite vero finita prouident. Vide Gonzalez hæc omnia latius expendentem. *gloss. 51. per totam.* Aug. Barbos. *in 3. p. de potest. episc. alleg. 57. à n. 36.* Azor. *2. p. instit. mor. lib. 6. cap. 34 post. medium.* Aloysium Riccium *resolut. 333.*

Punctum. XXV.

De potestate legati à latere in beneficiorum collatione

1 *Triplex legatus distinguitur.*
2 *Qualiter omnibus commissa sit potestas beneficia prouidendi.*
3 *Legatus à latere omnia beneficia sua prouincia de prouisione ordinarij prouidere potest.*
4 *Beneficium monoculare de prouisione ordinarij collatoris potest legatus à latere prouidere.*
5 *An beneficia deuoluta ad prælatum possit legatus prouidere? proponuntur duæ sententiæ.*
6 *Resoluitur distinctione apposita.*
7 *Beneficia deuoluta ad episcopum ob negligentiam prælati exempti prouidere legatus potest, si sunt in prouincia.*
8 *Beneficia sua prouincia deuoluta ad Sedem Apostolicam prouidere legatus potest.*
9 *Legato non currit tempus ad prouidendum.*
10 *Non potest conferre beneficia vacantia in mensibus ordinarij alternatiua gaudentis*
11 *Nec beneficia iuris patronatus laici, aut ecclesiastici, mixti, secus ecclesiastici.*
12 *Qualiter potest legatus à latere canonicum supernumerarium creare.*
13 *Spectato Trident. creari non potest canonicus supernumerarius.*
14 *Non potest legatus beneficia reseruata prouidere.*
15 *Neque beneficia electiua.*
16 *Beneficia vacatura reseruare potest, etiam in fauorem certæ personæ, spectato iure antiquo, secus Trid.*

1 POtestate Pontificis explicata subsequitur explicanda legati potestas: quia eius vices gerit. Triplex genus legatorum doctore assignant. cum glossa *in cap. 1. de officio legati in 6.* Alij sunt legati à latere, alij nati, alij nuncij seu missi. Legati à latere, qui semper Cardinales sunt, dicuntur; quia ex latere Pontificis, cui assistunt, mittuntur ad aliquam prouinciam nomine ipsius gubernandam, vel aliqua gratia negotia tractanda: legati nati sunt quidam Præsules, qui ratione ecclesiarum, quibus præsunt, munus & officium legati obtinent, eâque de causa dicuntur nati; quia cum ecclesiæ præfectura nascuntur. Hi sunt Archiepiscopus Cantuariensis, Rhemensis, Taliburgensis, Toletanus, & alii qui in suis prouinciis primates existunt, Legati Nuncii seu missi dicuntur Antistites, qui ob aliqua negotia gerenda, vel causas aliquas decidendas ad curias principum mittuntur: sic communis sententia cum Glossa *in cap. 1. de officio legati in 6.*

2 Omnes hi legati proptiè legati sunt; quia nomine Pontificis legatione funguntur. Glossa *in cap. statutum. verbo à sede Apostolica. de reseriptis. in 6. & cap. priuilegium. de verborum significat. eodem lib.* Sed eorum iurisdictio & potestas diuersissima est, præcipuè in ordine ad beneficiorum collationem. Nam legati à latere potestatem habent beneficia suæ prouinciæ ad quam mittuntur conferendi, eo ipso, quo legati erigantur. *cap. 1. de officio legati in 6. cap. si sede de præbendis. in 6. cap. dilectus. de officio legati. cap. dilectus. de iurè patronat. & alii.* Cæteri vero legati ex vi legationis hac potestate carent, nisi aliunde eis specialiter committatur, *cap. 1. de officio legati. in 6. cap. litteras. de supplenda negligent. prælat.* eâque de causa hæc potestas, quam habent legati à latere, est potestas ordinaria; quia eorum officio, & legationi præcellenti annexa est à iure communi. Sic Gambar. *lib. 3. de potest. legati. num. 31.* Gigas *de pensionib. quæst. 5. num. 18. & 21.* Garcia *5. p. de benefic. 3. à. num. 5.* Sed esto hæc potestas ordinaria sit quia tamen naturalis non est, sed naturali superaddita, ideo non est extendenda, sed limitanda. Glossa, *clem. 2. de officio ordinar.* Cassador. *decis. 5. n. 3. & n. 11. decretis. & resequatis.* Garcia *supra. num. 9.* Econtra potestas aliis legatis, qui non sunt à latere, commissa; quia ex speciali commissione, & non à iure, neque ex virtute officii & legationis habitura delegata, & non ordinaria nuncupati debet.

3 Sed inquires, ad quæ beneficia legati à latere potestas extenditur? Respondeo ad omnia beneficia vacantia in sua pro-

uincia legationis, quæ ordinarius conferre potest, constat ex *dicto cap.1.de officio legati. in 6.* Eaque de causa sicut Pontifex cum ordinario concurrit, & datur locus præuentioni, sic legatus concurrere Potest.sic Garcia 5.*p.de benef.cap.3. num.*40. Azor.2. *p.lib.5.cap.28.quæst.*24. Praterius *in praxi episcop.2.p.cap.5. n. 9. & alij.* Hinc fit posse legatum à latere instituere, à patronis nominatos, confirmare electos, & conferre beneficia ad exemptorum collationem spectantia. Quia hæc omnia sunt beneficia vacantia in prouincia delegationis, nec Pontifici reseruata. Garcia 5 *p.de benefic.c.3.n.*19.

4 Sed restant aliquæ difficultates examinandæ. Prima, an legatus possit conferre beneficia monocularia; (hoc est, quæ ad vnius collationem pertinent. Respondeo posse, si ad ipsum pertineant tanquam ordinarium collatorem. Tum quia legatus cum ordinario concurrit. Tum quia horum beneficiorum nulla in iure inuenitur exceptio. Gambar.*de officio. legati.lib. 3.n.* 512. Azor.2.*part.institut. moral. lib* 5. *cap.*28. *quæst.*5. Neque obstat mandatum Apostolicum de prouidendo non comprehendere beneficium monoculare; quia hoc mandatum, quia impedit prouisionem ordinarii, non extenditur ad prouisionem, quæ vnica est; at potestas legati non impedit ordinarii prouisionem, sed cum illo concurrit; eâque de causa ad beneficia monocularia extendi potest. Dixi quando beneficium monoculare est de prouisione ordinarij collatoris: nam si sit de prouisione delegati seu Apostolici, credo potestatem legati ad illud non extendi. Nam quoties alicui potestas conceditur ad aliqua certa beneficia conferenda, non valet legatus se in illorum prouisione intromittere: eo quod specialis prouisio derogat generali, *cap.2.de officio legati, & cap.dudum. de prabendis.in 6.* & tradit Abbas *in cap.dilectus,de officio legati. ad finem.* Garc.5.*part. de benef.c.3.n.*75.

5 Secunda difficultas est, an beneficia deuoluta ad prælatum ordinarium suæ prouinciæ ob negligentiam primi collatoris, possit legatus conferre?

Variæ sunt sententiæ. Prima generaliter affirmat posse legatum conferre beneficia omnia, quæ potest, ordinarius suæ delegatæ prouinciæ conferre; quia cum ordinario concurrit: sic relato Gambar.& Selua docet Azor. 2. *p. lib.* 5. *cap.* 28. *quæst.*12.

Secunda sententia limitat supradictam vt procedat, cum beneficium per negligentiam prælati existentis intra prouinciam deuolutum est, secus si ob negligentiam prælati alterius prouinciæ; sic Laurentin. & Dominic.*in cap.deliberatione. de officio legati.in 6.* Mouentur, quia legatis à latere concessum est ius quod ordinariis suæ prouinciæ delegationis competit, quia sunt ordinarij, & cum ordinariis concurrunt. Sed quoties alicui conceditur ius quod ordinarij habent, subintelligitur concessum ius quod ordinariis iure ordinario: & non iure deuolutionis competit. *argum. textus inclement. si de beneficio. de prabendis.* Ergo delegatis non competit ius prouidendi beneficia, quæ ordinarii solum iure deuolutionis habent.

6 Tertia sententia quæ mihi probabilior est distinguit inter beneficia vacantia in prouincia delegationis, vel extra. Si beneficia vacent extra prouinciam delegationis, nequaquam legatus ea prouidere potest; quia legato à latere conceduntur beneficia suæ prouinciæ: siue ecliator in prouincia sit, siue non; quia in beneficiorum collatione potius spectatur locus vbi situm est beneficium, quam locus, vbi residet collator, vt colligitur *ex cap.1.cap.deliberatione.§. prohibemus. de officio legati in 6.* At si beneficia sunt extra prouinciam, etto collator in prouincia sit, non poterit legatus illa prouidere, quia sunt extra eius iurisdictionem. Quocirca ad explorandam potestatem legati circa beneficia, non debet attendi cui prælato, an exempto, an ordinario, an de prouincia, an extra, an iure ordinario, an deuoluto competat: sed an beneficia sint extra prouinciam delegationis, an de prouincia. Nam si beneficia sint de prouincia, ea prouidere poterit. Secus si sint extra prouinciam. Et ita tenet Rebuff. Imola Gambara & alii quos refert. & sequitur Garcia *5.part.de benefic. cap. tertio à n.* 27. Azorius *secunda parte lib.*5.*c.*28.*q.*13.

7 Hinc constat qua ratione possit legatus è latere prouidere beneficia deuoluta ad Episcopum ex negligentia prælati regularis exempti. Si enim beneficia sita sunt in prouincia delegationis, poterit prouidere, secus si sint extra prouinciam: ob deuolutionem enim ius legato competens non immutatur. Neque obstat episcopum hæc beneficia prouidere tanquam sedis Apostolicæ delegatum quominus legatus se in illis intromittere possit; quia se intromittit ex iure sibi competente independenter à deuolutione, & delegatione Episcopi. Adde illam regulam, quod delegatus non se possit intromittere in his, quæ Episcopus non vt ordinarius; sed vt delegatus exequitur, iuxta *cap.studuisti. de officio legati. cap. dudum. cap. quamuis.de prabendis.in 6.* & tradit Glossa *clement.si de beneficio de prabendis verbo siue ad nos. ad finem*, habet verum quoad priuationem, non quoad præuentionem: hoc est non se poterit intromittere priuatiue, benè tamen cumulatiue. Item habet verum in delegatione facta ab homine non à iure.

8 Sed quid si beneficia suæ prouinciæ ad sedem Apostolicam deuoluta sint; Respondeo ea prouidere legatum posse; quia potest beneficia suæ prouinciæ, & ob deuolutionem non sunt specialiter reseruata; colligitur *ex cap. venerabilis de prabendis* & tradit Abbas *ibi numero secundo.* Glossa *in capite primo de officio legati.in 6. in verbo ampliori, & clement.si de beneficiis.verbo siue ad nos de prabendis.in fine.* Siluest.*verbo delegatus, quæstione* 13. *vers.quarit tamen.* Azorius *secunda parte lib.* 5. *cap.* 28. *quæstione* 14. Garcia 5.*parte de benefic.capite tertio, numer.*20.

9 Hinc deciditur quæstio an legato currat tempus semestre ad prouidendum, sicut ordinariis; Et dicendum est nequaquam currere. Tum quia tempus semestre pro ordinariis collatoribus est signatum, non pro ordinariis superinductis. Tum est præcipuè quia, si legato semestre esset concessum illo transacto, cessaret eius potestas, & deuoluereturbeneficium ad sedem Apostolicam. At beneficia ad sedem Apostolicam deuoluta ipse prouidere potest, vt dictum est. Ergo non potest eius potestas determinato semestri coarctari. Garcia *supra num.*26.

10 Tertia difficultas est; an possit conferre beneficia vacantia in mensibus ordinarii alternatiua gaudentis; Et ratio difficultatis est: quia illa beneficia (vt suppono) sunt de prouincia delegationis, & non reseruata Pontifici, sed ordinario, quatenus talis est competentia. Ergo competere possunt legato, qui in illa prouincia ordinarius est, & videtur tenere Azorius *secunda parte institut.moral. lib.*5.*cap.*28.*q.*24.

Cæterum affirmandum est nequaquam posse. Tum quia conceduntur illi sex menses ordinariis sub onere personalis residentiæ, cui concessioniæquum non erat præiudicari. Tum & præcipuè: quia gratia alternatiuæ Episcopis conceditur cum decreto irritante quamlibet aliam prouisionem per quoscumque, etiam per sedem Apostolicam, factam. Cum ergo legatus iure communi potestatem non habeat derogandi huic decreto, nequit habere potestatem prouidendi beneficia vacantia in mensibus alternatiuæ: & ita tenet Garcia. 5. *parte de benefic. cap. tertio à n.*45. referens sæpe à Rota fuisse decisum

Notanter dixi legarum à latere non habere ex iure communi potestatem derogandi supradicto decreto irritanti in alternatiua inserto, vt tacitè insinuarem sæpè ex speciali gratia & fauore à Pontifice concedi, vt de facultate concessa Nuntiis Hispaniæ testatur Garcia *dicta* 5.*p.cap.*4 *num.* 134. Quapropter cum legatus à latere vtitur facultate maiore ea, quæ aliis legatis à iure conceditur, vel quæ concedi solet debet necessario ostendere litteras, quibus talis potestas committitur, alias ei non creditur: quia stat in contrarium præsumptio quod Pontifex à communi, frequenti, & ordinario stylo non discedit. Azorius 2. *part.institut.moral.lib.*5.*c.*27.*quæstione* 8.

11 Quarta difficultas procedit de beneficiis iurispatronatus. An inquam hæc beneficia inconsulto patrono, & absque eius consensu prouidere possit. Et dicendum est, si patronatus sit ecclesiasticus, rectè posse etiam absquè illius mentione, quia huic iuri facilè derogatur constat ex *cap.cum dilectus. de iure patronatus. cap. dilectus.de officio legati*; & traduntaliis relatis Lambertinus 1.*part.lib.*1.*quæstion.*1.*art.*6. *num.* 4. & 5.*p.lib.* 2. *quæstion.*8.*art.*1. *& quæstion.*9. *art.*1. *num.*2. Gigas *de pensionibus, quæstion.*24. *num.*1 Garcia. *de benefic.*5. *par.cap.*3. *num.*17. Azorius 2 *part.lib.*5.*cap.*28.*quæst.*2. *& lib.*6.*cap.*25.*quæst.*7. Tuschus *verbo legatus. concl.* 172. Idem dicendum est de patronatu laicorum ex priuilegio, præscriptione, aut consuetudine obtento. Quia ex huius derogatione non retrahuntur homines ab ecclesiarum ædificatione, & constructione. Couarruuias *pract.cap.*36. *num.*6. Azorius, & Tuschus *supra.* & Garcia, plures referens, *num.*72. Secus vero dicendum si ex fundatione, constructione aut dotatione sit patronatus acquisitus: huic enim nunquam Pontifex derogat; quomodo ergo credendum est legato facultatem concedere derogandi? Azorius *supra* Garcia. *num.* 63. Et hoc verum est, etiamsi ex parte sit ecclesiasticus, ac proinde mixtus; quia ob illam coniunctionem iura patronatus laici immutata manent, ne à fundandis ecclesiis terrahantur: sic relati doctores, specialiter Garcia *num.* 69. & latius diximus *hac disp.*

12 Quinta difficultas est de beneficiatis supernumerariis possitne legatus à latere canonicum supernumerarium in Ecclesia cathedrali, vel collegiata creare; Ratio dubitandi est? quia alius à Pontifice potestatem non habet concedendi ius ad beneficium vacaturum *cap.* 2. *de concessione prabenda.in 6.* At eo ipso? quo quis in canonicum supernumerarium admittitur, ius habere videtur ad præbendam primò vacaturam nequit ergo legatus illum creare.

Dicendum tamen est posse legatum à latere tibi hunc titulum ventosum conferre nisi authoritate Romani Pontificis certus numerus canonicorum statutus sit: sic Glossa & Abbas *in cap. pro illorum.de prabendis,verbo recepisse.* Idem Abbas. *in cap. cum M.Ferrarienſis de constitutionibus.* & alii, quos refert, & sequitur Azorius 2.*part. lib.*3. *cap.* 11. *quæstion.*3. *& sequentibus &* Azorius 2.*part. lib.*3. *cap.* 11. *quæstion.*8. Ratio est manifesta? quia hic titulus *lib.* 5.*cap.*28.*quæstion.*8. Ratio est manifesta? quia hic titulus largo modo beneficium dicitur, & legatus omnia suæ prouinciæ beneficia aliàs non reseruata conferre potest? quod autem hoc beneficium

beneficium quasi de nouo creetur, in causa esse non potest, quominus legatus illud creare, & prouidere possit. Tum quia illius creatio aliena non est à iure communi, sed potius illi conformis, *cap. cum Ferrariensis, de constitutionibus. cap. relatum. cap. dilectus. cap. directo, de prabendis.* Tum quia collegium canonicorũ, & Episcopus ad id authoritatem habent. Ergo à fortiori illam legatus habere debet.

Hic canonicus supernumerarius, cum sit canonicus solo titulo fructus non percipit, alias re ipsa haberet præbendam. Gloss. Abbas & alij *in c. dilecti. 2. de præbend. & c. relat. eod. tit.* Distributiones vero quotidianas probabilius est obtinere posse, nisi obstet consuetudo, quia sic colligitur ex *cap. pro illorum. c. dilectus. 1. de prabendis.* & tradit ibi Abbas *& cap. cum M. de constitut.* Azorius *2. par. lib. 3. cap. 11. quæst. 5. & 13. & lib. 5. cap. 28. quæst. 8.*

Respectu vacaturæ præbendæ nullum ius habet, nisi ei fuerit expresse à Pontifice concessum, vt satis colligitur ex *c. 2. de concessione prabenda. in 6.* potest tamen iudicis officium implorare, vacante præbenda, vt sibi concedatur, vt bene probat Abbas *c. dilectus. 1. c. relatum. n. 7. de prabend.* ipse vero iudex non tenetur petitioni annuere, esto conueniens sit, quia ex nullo capite obligatur.

13 Cæterum hæc procedunt ex iure commni. At spectato Trid. *sess. 24. c. 19.* verius existimo canonicum supernumerarium creari non posse. Nam esto ius strictè non habeat ad præbendam vacaturam, hab. t tamen aliquale ius. Sed ex supradicto tractatu omnes expectatiuæ, & gratiæ ad vacatura beneficia irritantur. Ergo hanc legatus concedere non poterit. Item congregatio concilij ibidem declarauit canonicum supernumerarium creari non posse; sic refert Barbosa *in remission. concilij.* & tradit Gonzal. *reg. 8. mensium. §. 1. num. 64.*

14 Sexta difficultas est de beneficiis reseruatis, an ea legatus prouidere possit? Et respondendum est negatiue ex *cap. quoad translationem. de officio legati, & ex c. licet. de prabend. in 6.* & tradunt omnes: legatus namque solum habet facultatem generalem conferendi beneficia vacantia in prouincia suæ delegationis; sub qua generali facultate non comprehenduntur reseruata generali, aut speciali reseruatione, vt tradit Mandos. *de signatura gratiæ. tit. de indulto conferendi beneficia reseruata, in prine.* & aliis relatis Garcia *5. p. c. 3. n. 44.* imo etiamsi facultatem generalem haberet prouidendi reseruata, non comprehenderet vacantia apud sedem; quia hæc reseruatio est clausa in corpore iuris, & ob eam causam priuilegiata, ne sub generali concessione reseruatorum intelligatur, sicuti in concessione absoluendi à reseruatis non veniunt contenta in bulla cœnæ. sic aliis relatis Garc. *num. 55.*

15 Ex quo sit non posse legatum à latere prouidere beneficia, quæ proprie electiua sunt; quia eligentibus à iure conceditur semestre, vt liberè eligere possint, *cap. nulla. c. quia diuersitatem. de concessione prabend.* Non igitur debet à legato impediri; & probat *text. in cap. deliberatione. de officio legati. in 6.* Nam licet ibi solum dicatur, non posse reseruare legatum ecclesias cathedrales, regulares, aut collegiatas, dignitatesque maiores ecclesiarum cathedralium, sub nomine reseruationis, & prouisio quælibet intelligitur. Non enim reseruantur, nisi in ordine ad prouisionem, & licet de illis tantum sit factus sermo, ad omnia electiua beneficia, si quæ fuerint, est prohibitio extenda: quia eadem est ratio, nempe ne eligentibus eorum libera electio impediatur. Adde, nominari illa specialiter, quia solum in illis versatur electio. Adde in supradicta reg. 3. Cancell. ecclesias cathedrales, regulares, & collegiatas, dignitatesque maiores post Pontificalem, siue electiuæ sint, siue non, reseruati. Ergo vt aliquid operetur reseruatio contenta *in c. deliberatione.* De omnibus beneficiis electiuis debet intelligi.

Secundo fit beneficia litigiosa conferre nullatenus posse, quia esto propriè reseruata non sint, impeditur tamen eorum prouisio durante litigio, ex *text. in c. 1 & 2. vt lite pendente, in 6.* & tradit Garcia *n. 56.*

16 Septima difficultas procedit de beneficiis vacaturis, an ea reseruare legatus possit? Et dicendum est posse, ita tamen vt pendente vna reseruatione in aliqua Ecclesia, aliam non faciat in eadem: nec pendente reseruatione vnius beneficij ad collationem cuiuscunque pertinentis, reseruationem alterius beneficij ad illius etiam collationem pertinentis faciat, habetur expresse. *cap. præsenti. §. 1. & cap. deliberatione. de officio legati in 6.* Dicitur autem reseruationem pendere, dum reseruatum beneficium collatum non est. Quocirca si secundam reseruationem facere voluerit pendente prima; primam derogare debet, alias nullius effectus erit secunda reseruatio, vtpote facta contra formam potestatis commissæ: ita aliis relatis docent Azor. *2. p. institut. moral. lib. 5. c. 29. q. 1. & 5.* Garcia *5. part. de benefic. c. 3. n. 36.*

Sed dubium est; an hæc reseruatio fieri possit in fauorem certæ personæ? Ratio dubitandi est; quia inutilis esse videtur talis reseruatio, cum nullum ius personæ, pro qua fit reseruatio, concedatur, iuxta *textum in cap. dilectus 1. de prabendis.* Cæterum dicendum est, posse legatum in fauorem certæ personæ beneficium vacaturum reseruare; quia ita habetur in *cap. cum dilectus. de iure patronatus.* Ex vi autem huius reseruationis non arctatur legatus, nisi ex quadam decentia beneficium conferre ei in cuius fauorem reseruauit, sed potest alteri prouidere. Sed non inde fit inutilem esse hanc reseruationem, si quidem per illam ordinarius impeditur, ne alteri beneficium prouideat.

Hæc spectato iure communi procedunt, at attenta dispositione Trident. *sess. 24. cap. 19.* dicendum omnino est legatum non posse reseruare beneficia vacatura, & præcipuè in fauorem certæ personæ; quia omnes reseruationes, expectatiuæ, & gratiæ quæcunque ad beneficia vacatura interdictæ sunt, ne aliqua occasio captandæ mortis habeatur: & tradit Gonzalez *regul. 8. Cancellar. § 1. proœm. n. 80.*

PVNCTVM XXVI.

De potestate legati nati, & missi in beneficiorum collatione.

1 *Ex litteris commissionis hæc potestas colligenda est. Tenorque potestatis in actis produci debet, cum de valore prouisionis agitur.*
2 *Expenditur potestas, qua Nuntio Hispaniæ solet concedi.*
3 *Sub eius potestate non comprehenduntur canonicatus, nec præbendæ cathedralium & collegiatarum.*
4 *Neque item beneficia, quæ simplicia non fuerint. Et quid de curatis habitu, sed non actu?*
5 *Archipresbyteratus ruralis sub nomine beneficij simplicis comprehenditur.*
6 *Non comprehenduntur beneficia excedentia valorem 24. ducatorum de camera.*
7 *An sub hoc valore veniat emolumentum, quod beneficiatus obtinere potest intrando in capitulum beneficiatorum? Resolvitur, negatiuè.*
8 *Non comprehenduntur sub hoc valore tertiaria.*
9 *An deducenda sint de valore beneficij stipendia missarum? Subdistinctione respondetur.*
10 *Subsidium, & excusatum deducendum videtur ex beneficij valore.*
11 *Quid dicendum de pensione, an deducenda sit de beneficij valore.*
12 *Debet ante prouisionem Nuntio constare beneficium taxam supradictam non excedere.*
13 *Qualiter constare potest beneficium non excedere dictam taxam.*
14 *Penes prouisum à Nuntio est obligatio probandi beneficij valorem.*
15 *Proponitur duplex obiectio, & sit illi satis.*
16 *Non potest Nuntius prouidere alia beneficia, nisi quæ per obitum vltimi possessoris vacauerint.*
17 *Si beneficium vacat in mensibus ordinarij alternatiua gaudentis, non videtur posse à Nuntio prouideri.*
18 *Impetrans à Nuntio beneficium, non videtur obligatus exprimere mensem vacationis.*
19 *Nuntius, & legatus à latere iurisdictionem voluntariam exercere possunt à die quo vrbem fuerint exgressi.*
20 *Qualiter ex tunc possint beneficia conferre.*

1 SVpra diximus legatum natum, & missum nullam habere potestatem in beneficiorum collatione, nisi eis specialiter fuerit concessa. Quapropter examinandæ sunt litteræ concessionis, vt inde eorum potestas cognoscatur. Nam licet soleat Pontifex illis concedere potestatem legati à latere, & virtute huius cõcessionis possint tanquam legatus à latere beneficia conferre, vt docent Gigas *de pensionibus. quæst. 6. n. 19.* Gonzalez *reg. 8. Cancell. §. 2 proœm. num. 54.* Mandos. *reg. 13. Cancell. q 6. num. 4. & de monitorius. quæst. 60. num. 41.* Garcia *5. p. de benefic. c. 3. n. 82.* At quia hæc potestas quoad beneficiorum collationem illis specialiter restringitur, vt testatur Gonzalez, & Garcia *supra*, in Nuntiis Hispaniæ, ideo tenor huius facultatis, & restrictionis inspici ante omnia debet. *cap. porro. cap. recepimus. de priuilegiis. & leg. diligenter. ff. mandati.* Debetque huiusmodi tenor in actis produci, cum de valore prouisionis factæ à Nuntio agitur, quia est fundamentum illius, sic Rota *decis. 73. l. 3. par. 3 diuers.* Gonzalez *num. 64* Garcia *num. 84.* Neque obstat Nuntio concedi, ne obligatus sit in suis litteris, gratiis, & dispositionibus facultatem inserere, aut testibus, vel notario comprobare, quominus in contradictorio iudicio eam facultatem exhibere teneatur; quia illa prærogatiua non inserendi, nec comprobandi facultatem, intelligitur in illis gratiis, concessionibus, & dispositionibus iure delegationis Nuntio competentibus, non de illis quæ iure speciali competunt, qualis est hæc facultas beneficia prouidendi. Deinde intelligitur, dum non est qui prouisioni factæ contradicat, Garcia, *supra.*

2 Facultas ergo, quæ Nuntio Hispaniæ solet concedi in ordine ad beneficiorum collationem est vt quæcunque beneficia Ecclesiastica simplicia in Hispania consistentia extra Metropolitanas, & alias cathedrales, & alias collegiatas Ecclesias per

per obitum illorum vltimorum possessorum extra Romanam curiam vacatura, dummodo illa, quæ, quam ratione mensium Apostolicorum reseruata non fuerint. & cuiuslibet eorum fructus, redditus, & prouentus etiam ratione personalis residentiæ percipi soliti, ac distributiones quotidianæ 24. ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedant, pro tempore vacantia personis idoneis prouidere possit, ita tamen vt non prius prouisionem huiusmodi beneficiorum facere debeat, quam sibi fide dignorum testimonio constiterit fructus prædictos ipsum valorem annuum non excedere, alioquin prouisiones factæ nullius sint roboris, & momenti.

3 Ex qua facultate constat primo non posse Nuntium prouidere dignitates, canonicatus, nec præbendas cathedralium, & collegiatarum Ecclesiarum, quamtumuis valorem 24. ducatorum cameræ non excedant, quia in supradicta facultate expresse excluduntur. Gonzalez §. 2. *proœm. n.* 58. Garcia 5. *part. de benefic. c.* 3. *n.* 86.

4 Secundo sit, non posse beneficia, quæ simplicia non fuerint, conferre; quia solum pro beneficiis simplicibus facultas conceditur. Quapropter dignitates, personatus, officia, & beneficia curam animarum habentia ab hac facultate excluduntur.

Solum est dubium; an beneficia habitu curata, & non actu, eo quod actu parochianis carent, sub nomine simplicis beneficij veniant? Et dicendum est, si carentia est per accidens; quia parochiani ob incursiones latronum, & inundationes fluminum abfuerunt, sperantúrque cito reuersuri, non comprehendi; quia verè illa beneficia actu curata dici debent, quia non debet attendi id quod est per accidens, sed quod est per se. Gutierr. *allegat.* 8. *num.* 8. Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 3. § 1. *à num.* 112. *sed præcipuè num.* 120. At si vicinitas destructa sit absque vlla spe reparationis, quia fortè iam 40. anni lapsi sunt, quin ibi parochiani assistant, sub beneficio simplici comprehendi debent. Nam licet antea curata fuerint, eorum status mutatus est, & ex curato in simplex conuersus. Cum enim curatum beneficium ex cura fidelium dictum sit, & tale beneficium nullam curam habeat, neque illius probabilem spem, cessat esse curatum, & transmutatur in simplex, & omnes qualitates simplicis sortiri debet: sic aliis relatis docet Garcia *supra*, & Gutierr. *tota alleg.* 8.

5 Deinde est dubium, an Archipresbyteratus ruralis sub nomine beneficij simplicis comprehendatur? Et dicendum est comprehendi. Nam licet tempore antiquo Archipresbyteris data esset iurisdictio fori externi, eaque de causa sub nomine dignitatis intelligebantur, ac hoc tempore cum nulla ferè illis iurisdictio concedatur, à dignitate ceciderunt. Solum enim Archipresbyteri habent eminentiorem sedem in conclaui sacerdotum; computa, & rationes ab œconomis Ecclesiarum recipere, sacrum chrisma per Ecclesias sui districtus singulis annis distribuere, earumque rectam administrationem procurare, monendo scilicet ordinarium, si aliquis in supradictis sit defectus absque aliqua censurarum impositione, carcerisve reclusione; quæ certè beneficij simplicis naturam non egrediuntur; & ita tenet, pluribusque decisionibus, & sacræ congregationis declarationibus comprobat Garcia 5. *p. de benefic. c.* 4. *à n.* 94. Gonzalez *gloss.* 6. *n.* 64.

6 Tertio sit sub prædicta facultate Nuntij non comprehendi beneficia simplicia excedentia valorem 24. ducatorum auri de camera, computatis distributionibus quotidianis, aliisque emolumentis certis. Ducatus autem de camera continet vnum scutum aureum Hispanum, & vnum argenteum, ac proinde valet 474 marapetinos secundum pragmaticam Hispaniæ. Dixi, *computatis distributionibus quotidianis, aliisque emolumentis certis*, qualia sunt anniuersaria fundata, & oblationes fidelium consuetæ, quia isti sunt beneficij fructus, & prouentus. Secus vero dicendum est de oblationibus voluntariis funeralium, anniuersariorumque emolumentis liberis, aliisque eleemosynis intertiis, quæque ad certam summam reduci non possunt. Quia hæc annexa non sunt beneficio, ac proinde neque illius fructus, sed sunt annexa concedentium voluntati: sic ex decisionibus Rotæ firmat Garcia 5. *p. de benefic. cap.* 34. *n.* 153.

7 Sed est dubium, an sub valore beneficij computetur emolumentum, quod obtinere potest beneficiatus intrando in capitulum beneficiatorum? Solent enim in pluribus Hispaniæ ciuitatibus esse aliqua capitula clericorum, quibus annexa sunt plura funeralium emolumenta, plutesque missarum eleemosynæ, quæque inter omnes capitulares clericos diuinis assistentes diuiduntur, & quilibet beneficiatus eo ipso quo in illa ciuitate beneficium obtinet, est de capitulo, & ius habet hæc emolumenta obtinendi; quæ si diuinis assistat, negari ei non possunt. Dubium ergo est, an hæc inter fructus beneficij, & sub eius valore computentur? Et ratio dubij est; quia hæc ob beneficium beneficiato personaliter residenti conceduntur, sicuti conceduntur in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis distributiones quotidianæ canonicis residentibus, & sicut hæ distributiones computarentur in valore præbendæ, esto annexæ essent mensæ capitulari: sic illa emolumenta funeralium, & anniuersariorum computari debent in valore beneficij, esto capitulo annexa sint. Adde, capitulum clericorum nihil aliud est, quàm omnes beneficiati. Ergo si capitulo illa emolumenta annexa sunt, omnibus beneficiatis annexa dici debent.

Nihilominus verius est hæc in valore beneficij computanda non esse; quia hæc non videntur beneficiatis concedi ob beneficium, sed ob personalem residentiam, esto beneficium conditio sit, vt personalis illorum residentia capax sit obtinendi illa emolumenta. Secus vero est in distributionibus quotidianis inter canonicos diuidendis; hæc enim quia ex canonicatibus extractæ sunt, illorum sunt fructus, & residentiam tamquam conditionem requirunt, vt habeantur. Quod euidentius procedit, si beneficiatus ratione beneficij solum habet ius, vt in capitulum admittatur, & ex amissione capax fiat omnium illorum emolumentorum. Nam tunc clarum est beneficium non concedere ius ad illa emolumenta, sed solum concedere aptitudinem, & capacitatem ad illa: ac proinde non debent sub valore beneficij computari: & ita tenet Garcia 5. *par. de benefic. c.* 3. *n.* 150.

8 Hinc à fortiori constat, non esse dicendos fructus, & prouentus beneficij tertiarias, hoc est fructus qui tertio, vel quarto anno per turnum beneficiato competunt ob laborem colligendi decimas. Nam licet soli beneficiati ius habeant ad illos fructus percipiendos, quia solis illis concessum est decimas colligere. At cum si fructus non ex beneficio sint extracti, neque ob beneficium dentur, sed ob laborem temporalem, qui laico competere posset, nequaquam inter fructus, & prouentus beneficij computati debent. Et qua doctrina colligit Garcia, & benè 5. *p. de benefic. cap.* 3. *n.* 162. inquisitoribus priuilegium habentibus percipiendi in absentia omnes fructus, prouentus, & emolumenta beneficiorum; hæc percipere non posse, quia non sunt beneficiorum prouentus, sed personalis residentiæ, & laboris.

9 Secundo dubitatur, an deducenda sint de valore beneficij stipendia missarum? Et quidem si beneficiatus obligatus est per se missas dicere, quia capellania est sacerdotalis personalem residentiam requirens, nequaquam huiusmodi stipendia deducenda sunt. quia sunt prouentus beneficij beneficiato residenti competentes, sicut sunt distributiones quotidianæ canonico residenti competentes, & sicut residentia non diuitur onus beneficij, sed beneficij seruitium, sic hæ missæ dici debent. Cassador. *decis.* 19. *de præbendis. in princ.* quem sequitur Garcia 5. *part. de benefic. cap.* 3. §. 1. *num.* 169. At si beneficiatus obligatus non est per se missas dicere, sed potest cuilibet alteri dicendas committere, non videtur probabilitate carere stipendia illarum missarum ducenda esse de valore beneficij; quia satis est recepta sententia illa, tantum esse in valore beneficij computanda, quæ in absentia ab Ecclesia beneficiatus obtinere libere potest, vt tradit Ioann. Gutierr. *lib.* 1. *canon. quæst. cap.* 33. *num.* 68. Cæsar de Graffis *decis.* 118. & 120. Garcia, *num.* 146. & licet illa stipendia obtinere beneficiatus possit missis dicendo, sicuti obtinet distributiones quotidianas residendo; quia tamen obligatus non est missas dicere, sicuti obligatus est residere, sed potest alteri committere dicendas ideo non debent tanquam prouentus beneficij, sed potius tanquam fructus residentiæ, & laboris personalis liberi computari. Adde hanc facultatem Nuntij, cum sit priuilegium à principe concessum, neque iuri communi derogans, sed potius illi affine, latè explicari debere. Ergo restrictio illi opposita de excessu valoris 24. ducatorum de camera, intelligenda est de excessu, qui per se beneficio annexus est secus de excessu, quin voluntate beneficiati constituitur.

10 Tertio dubitatur, an subsidium, & excusatum, quod ex priuilegio Pontificis ex quolibet beneficio extrahitur in gratiam Regis, deducendum sit ex beneficij valore? Et ratio dubitandi est, quia non est onus beneficio in perpetuum annexum, sed pro limitato tempore, scilicet quinquennio. Non enim pro longiori tempore concedi solet. Sed valor beneficij ex his quæ competunt per se desumi debet, non ex his quæ per accidens competunt, vt tradit Puteus *decis.* 202. *lib.* 3. Belenden. *de charitatiuo subsidio. quæst.* 37. Gambar. *de officio legati. lib.* 4. *num.* 169. Gomez. *in reg. de exprimendo valore. quæst.* 1. & 3. Ergo ex subsidio, & excusato non est minuendus beneficij valor. Ergo si beneficium excedit valorem 24. ducatorum de camera computato subsidio, non poterit Nuntius illud prouidere, & in hanc partem inclinat Garcia 5. *p. de benefic. cap* 4. *num.* 178. Cæterum verius existimo hoc subsidium, & excusatum ex valore beneficij tam quoad regulam de exprimendo valore, quam quoad facultatem. Nuntij deducendum esse. Quia spectato stylo, & communi rerum cursu, est onus perpetuo beneficio annexum; siquidem concessiones quinquennales in perpetuum continuantur, & vna finita, alia, & alia succedit absque spe vllæ reuocationis, sed onus perpetuum deducendum est, vt de se constat. Ergo deducendum est subsidium, & excusatum: & ita firmauit Rota in vna Burgens. pensionis 7. Iunij 1585. coram D. Gyptio, prout refert Garcia *supra n.* 176.

11 Hinc constat quid dicendum sit de pensione, qua beneficium grauatum est, an debeat deduci in computatione valoris.

vt possit Nuntius illud prouidere? Et quidem si pensio annexa est in perpetuum beneficio, nulla est dubitatio deducendam esse. Difficultas est, an pensio, quæ pro vita pensionarij, vel pro vita beneficiati beneficio imponitur, debeat dici onus perpetuo beneficio annexum, vt possit deduci. Garc. 5. p. *de benef. cap* 3. n. 171. negatiue respondet cum Puteo *decis.* 202. *lib.* 3. Belenzio, *de charitatiuo subsidio q.* 37. Rota *decis.* 184. *lib.* 3. *par.* 3. *diuers.* Ratio ea esse potest: nam mortuo pensionario, vel beneficiato pensio extinguitur. Ergo pensio onus est temporale, non perpetuum. Ergo non est ex valore beneficij deducendum. Nihilominus satis probabile iudicatem hanc pensionem reputari onus perpetuum, & ex valore beneficij deducendam esse, ac proinde si illa deducta non excedit beneficium valorem 24. ducatorum de camera, sub facultate Nuntij contineri. Mouetor; quia satis perpetuum est, quod non habet terminum alium à vita, *leg. iurisperitus, in princ. ff. de excusat. tutor. & leg. sufficit. ff. de conditione indeb.* Tiraquell. *de retract. conuentionat.* §. 2. *glos.* 1. *num.* 39. Item concessio facta ad beneplacitum concedentis, perpetua dicitur, *leg. principalibus. in fine. ff. si cert. petatur.* & tamen vita ipsius finitur. Ergo pensio pro vita pensionarij, vel beneficiati beneficio imposita, perpetua dici debet. Deinde valor beneficij comparatione beneficiati sumendus est, ita vt tantum censeatur beneficium valere, quantum remanet beneficiato deductis oneribus: at cum pensio imposita est ad vitam beneficiarij, non potest quod de pensione soluit illi manere. Ergo talis pensio in valore computanda non est. Quando vero pensio imposita est ad pensionarij vitam, esto contingens sit, quod beneficiato possit remanere, si pensionarius prius illo moriatur: at oppositum etiam contingere potest. Ergo in hoc dubio non est censendum beneficium valere, nisi quod valet deducta pensione. Ergo pensio in valore beneficij computanda non est: & ita tenet Gigas *de pensionib. q.* 89 *n.* 1.

12 Quarto ex tenore suprадictæ facultatis infertur debere Nuntium, priusquam beneficium prouideat, esse certum, saltem fide dignorum testimonio, beneficij fructus suprадictum valorem, 24. ducatorum auri de camera non excedere. Alias si absque hac certitudine prouisionem faciat, nullius erit momenti. Ex sola autem relatione impetrantis sufficiens certitudo haberi non potest: quia impetrans ob vtilitatem propriam decipere posse præsumitur. At erit sufficiens certitudo desumpta ex publica voce, & fama duplici teste comprobata, aut si vnico teste de certa scientia valor beneficij comprobetur. Quia licet hæc solum semiplenam probationem constituant, hæc sufficit, vt quis in vsu suæ facultatis, dum non contradicitur, securè procedat, & prudenter operetur, Plena vero probatio relinquitur faciendo prouiso, si contradictorem habeat. Garcia 5. p. *de benef. c.* 3. *n.* 92. *in fine.* Difficultas autem est, an possit Nuntius committere tibi vices suas, vt prouideas Petrum de beneficio vacante, constito prius beneficium non excedere taxatum valorem? Cui difficultati respondeo nequaquam posse, si vices tibi committuntur cum obligatione prouidendi Petrum. Quia in illo casu non prouides, sed prouisionem factam à Nuntio exequeris & cum Nuntio prius non constet de valore beneficii, nulla est eius prouisio. At si Nuntius non te obligat Petrum prouidere, sed liber tu relinqueris, ex illa commissione, cum nulla sit gratia facta à Nuntio, sed à te facienda, rectè fieri hæc commissio potest. Garc. *supra.*

13 Quod si inquiras, quomodo constare possit beneficium valorem 24. ducatorum auri de camera non excedere, vt possit à Nuntio prouideri; si quidem annis singulis est fructuum variatio, & beneficium, quod vno anno longè superat valorem 24. ducatorum, alio anno illum valorem non attingit? Aliqui respondent ex tribus annis proximis præcedentibus sumi argument. *leg. quicumque*, 4. *Cod. de Apochis publicis. lib.* 10. vbi qui tribus annis proximis soluit, soluisse semper præsumitur. Ergo valor contingens tribus proximis annis semper contingere est præsumendus; & ita tradit Pinel. *in leg.* 2. *Cod. de rescindenda vendit.* 3. *p. cap. vlt. n.* 30. Alij dicunt ex quinque annis ante, & post prouisionem beneficij valorem desumendum esse: sic Flamin. Patrilius *de resignat. lib.* 10. *q.* 2. *n.* 55. Ioan. Gutier. *lib.* 1. *canon. quæst. cap.* 39. *n.* 68. Leo *in thesauro fori Ecclesiast. cap.* 22. *n.* 71. Ludouic. Gomez. *in reg. de valore. q. vlt.* Et ratio esse videtur, quia nulla aptior regula designari potest. Alij docent ex solo quinquennio antecedenti prouisionem desumi debere. Mandos. *reg.* 22. *question.* 5. *num.* 2. Mascard. *de probat. concl.* 1403. *num.* 48.

Cæterum suprадictæ sententiæ non satisfaciunt. Non prima, nec tertia, quia spatium trium, vel quinque annorum satis limitatum est, vt valor beneficij inde colligi possit, cum frequenter contingat in tam breui spatio nullam fieri considerabilem mutationem in fructibus. Secunda vero sententia clarius conuincitur falsitatis; si quidem ex illa sequitur gratiam à Nuntio factam esse in pendenti ex futuro euentu. Neque posse ei constare cum prouisionem facit, beneficium valorem 24. ducatorum auri de camera non excedere: non igitur ex quinquennio post gratiam sequuto valor beneficij desumendus est: quod à fortiori procedit, cum statim post factam gratiam lis moueretur ad illam affirmandam, quia tunc absurdissimum esset quinquennium expectare ad explorandum gratiæ valorem. Quocirca existimo dicendum valorem beneficij ex decem annis proximis præcedentibus gratiam, computato sterili cum fertili, desumendum esse; quia ita ex stylo curiæ legem in hac parte constituente obseruatum est: sic variis decisionibus Rotæ comprobat Garcia 5. *p. de benef. c.* 3. *à n.* 229.

14 Secundò inquires, penes quem sit obligatio probandi beneficij valorem, an penes prouisum à Nuntio, an penes prouisum apostolicum, cum vnus aduersus alterum litigat? Et breuiter dicendum est penes prouisum à Nuntio obligationem esse; tametsi sit prius prouisus, & possideat. Quia prouisus apostolicus cum sit prouisus à Pontifice, cui iure ordinario, vel iure reseruationis, omnium beneficiorum prouisiones competunt, habet à iure suam intentionem fundatam: prouisus vero à Nuntio econtra; cum Nuntius sit extraordinarius, & delegatus collator; suam intentionem à iure fundatam non habet. Debet ergo prouisus illam fundare, quod alia via effici non potest, nisi probando sub facultate delegata Nuntij contineri. Ergo probare debet beneficium non excedere valorem 24. ducatorum auri de camera, alias succumbet, & deponetur. Item prouisus à Nuntio, cum gratiam impetrat, narrat beneficium suprадictum valorem non excedere, & in hac narratiua fundatur gratia à Nuntio facta. Ergo tenetur illam verificare, præcipuè cum contradictorem habet, si quidem est fundamentum suæ gratiæ: & ita tenet Anastas. Germ. *de indultis Cardinal. §. ac irritum à n.* 27. Garcia 5. *p. de benefic. c.* 3. *n.* 188. & alij apud ipsos.

15 Sed obiicies; cum Nuntius prouidet, obligatus est prius valorem beneficij explorare, vt gratia facta teneat. Ergo cum ipse Nuntius de valore beneficij testatur, ei credendum est, dum non fuerit contrarium probatum. Tum quia præsumi debet, Nuntium se rectè informasse, ne delictum in prouisione committeret. Tum quia pro valore actus præcipuè à superiore facti est sumenda præsumptio. Ergo prouisus à Nuntio, cùm de eius intentione constet, habet suam intentionem fundatam. Ergo prouisus apostolicus, illum excipiens, contrarium probare debet. Respondeo concedendo prouisum à Nuntio habere suam intentionem fundatam, dum non excipitur, nec contradicitur ab aliquo prouiso apostolico, aut ordinario, at stante tali exceptione indiget nouo fundamento; eo quod concurrat cum prouiso apostolico, vel ordinario, qui habent à iure suam intentionem fundatam: & cum hoc fundamentum, vtpote à iure communi inductum, fortius sit, & efficacius, præualet aduersus fundamentum, quod habet Nuntij prouisus.

Obiicies secundo. Prouisus Apostolicus verificare tenetur valorem beneficij: quia est suæ gratiæ fundamentum: cum enim iuxta *reg.* 21. *&* 61. *de valore.* exprimi debeat in supplicatione valor beneficiorum, probandus postea est, vt gratia iustificetur. Ergo dum prouisus apostolicus non probauerit valorem, quem de beneficio expressit, non iustificat suam gratiam: illa ergo non iustificata prouisus à Nuntio firmus existit.

Respondeo dupliciter posse prouisum apostolicum exprimere valorem in beneficij impetratione; primo negando beneficium valorem tantum excedere, nempe centum ducatorum; secundò affirmando excedere illum valorem, satisfacis regulæ Cancellariæ. At diuersam obligationem contrahis quoad probationem valoris ex vno modo expressionis, quam ex alio. Nam cum per negationem procedis, non es obligatus probare quanti determinatè valeat beneficium, sed solum quanti non valeat, ac proinde ex hac probatione non excusatur prouisus à Nuntio suam facere probationem; si quidem ex illa colligi non potest, an beneficium excedat hunc, vel alium valorem. Verum cum affirmatiuè procedis, affirmando scilicet beneficium excedere valorem, 24. ducatorum auri de camera, & ob hanc causam petis tibi conferri, obligatus es plenè probare excessum, quia est fundamentum tuæ gratiæ, interimque prouisus à Nuntio remoueri non potest; imo neque obligari fundare suam intentionem, & probare beneficium non excedere valorem taxatum; sic Garcia 5. *par. de benef. cap.* 3. *num.* 196. Aduerto excessum minimum in valore 24. ducatorum auri de camera sufficientem esse ad annullandam Nuntii prouisionem. Quia est beneficium extra Nuntii iurisdictionem. Nuntio namque beneficium committitur sub illa forma, & conditione, ne suprадictum valorem excedat. At posito quod excedat, etiamsi excessus minimus sit, forma, & conditio commissæ iurisdictionis non seruatur. Ergo nulla est prouisio: sic Garcia *numer.* 182. & decisionibus Rotæ comprobat.

16 Quinto infertur ex tenore suprадictæ facultatis, non posse Nuntium alia beneficia simplicia prouidere, nisi quæ per obitum vltimi possessoris vacauerint, & quæ aliàs reseruata non sint, excepta reseruatione mensium, esto suprадictum valorem 24. ducatorum auri de camera non excedant. Quocirca prouidere non potest Nuntius beneficia vacantia per resignationem, per priuationem, per incompatibilitatem, aut alio quouis modo quam per obitum: si autem per obitum vacauerit de facto, esto de iure non vacet, sufficiens erit, vt Nuntius prouideat. Garcia aliis relatis 5. *part. de benefi. cap.* 3. § 1. *numer.* 88. Item prouidere non potest beneficia vacantia in curia, neque quæ vacant Episcopali sede vacante, neque quæ reseruata sunt

ex

ex regulis Cancellariæ vltra regulam mensium, quia hæc à iurisdictione Nuntij excluduntur.

17 Solum est dubium, an si beneficium vacet in mensibus ordinarij, præcipuè si alternatiua gaudeat, possit à Nuntio prouideri. Gonzalez *reg. 8. Cancellar. §. 2. procem. num. 55.* credit non posse, quia existimat cum ordinariis in eorum mensibus non concurrere. At dicendum est cum ordinariis alternatiua non gaudentibus concurrere posse; quia eius facultas non apparet in hac parte limitata: & ita tenet Rota apud Crescens. *decis. 8. de Priuilegiis.* Anastas. Germon. *de indultis Cardinal. §. ac irritum. n. 42.* Garcia *5. p. de benefic. cap. 3. §. 1. n. 132.* Verum si ordinarius alternatiua gaudeat, esto Garcia *n. 134.* existimet non ob inde impediri Nuntium à prouisione facienda, probabilius credo impediri propter decretum irritans contentum in gratia alternatiua, annullans quamcunque prouisionem à quocunque, etiam à sede Apostolica, factam. Neque obstat Nuntio concessam esse facultatem apponendi in suis facultatibus, & concessionibus clausulam necessariam, & opportunam, ac in litteris Apostolicis concedi, & extendi solitam, qua derogetur cuilibet contrariæ dispositioni, vt inde inferatur posse alternatiuæ Episcoporum derogari: est enim hæc gratia alternatiua ita excellens, tum quia in fauorem residentiæ conceditur. Tum quia conceditur Episcopis eum decreto irritante quamlibet aliam dispositionem. Tum quia expostulat ad sui derogationem fieri illius mentionem expressam, vt merito præsumi non possit facultatem Nuntij extendi ad prædictæ gratiæ derogationem.

18 Deinde dubitatur; an impetrans à Nuntio beneficium obligatus sit mensem vacationis exprimere? Affirmat Garcia *5. par. de benef. cap. 1. num. 138.* Mouetur, quia regula 8. Cancellariæ præcipiens hanc expressionem in prouisione Apostolica, procedit in prouisione facta à Nuntio: ideo enim in prouisione Apostolica mensis exprimitur, ne Pontifex ordinarius præiudicet: at hæc ratio enim videtur procedere in prouisione Nuntij. Ergo etiam respectu illius mensis est exprimendus. Cæterum verius credo nullam esse huius expressionis obligationem, esto conueniens sit. Quia in facultate Nuntij hoc onus non imponitur, & licet impositum sit in prouisione Apostolica, non inde ad prouisionem Nuntij extendendum est. Non enim lex, & præcipuè irritatoria, qualis est hæc, extendi debet ad casum non comprehensum ob similitudinem rationis. Adde neque esse eandem rationem: nam Pontifex præiudicare potest ordinariis gaudentibus alternatiua, prouidendo beneficia in eorum mensibus. At Nuntius, vt nuper diximus, his ordinariis præiudicare non potest. Item Nuntius, quia est in prouincia, facilius cognoscit quo mense contigerit vacatio, quam Pontifex: habetur enim tanquam ordinarius, sed ordinario diximus non esse necessario faciendam mentionem mensis, in quo beneficium vacauit. Ergo neque comparatione Nuntij facienda est.

19 Denique aduertendum est, Nuntium, & à fortiori legatum à latere iurisdictionem voluntariam exercere posse à die quo vrbem egressus est, & in eam redit. Quia toto illo tempore legatus est, legationeque fungitur. *argum. leg. vero. ff. de officio Proconsulis*, vbi Proconsul, cui legatus comparatur, proconsularia insignia habet statim atque vrbem egressus est, & in *l. g. sequenti*, dicitur ab eo puncto habere iurisdictionem voluntariam, licet non contentiosam: Azor. *2. part. instit. moral. lib. 5. c. 27. q. 6.*

20 Ex quo fit posse illo tempore beneficia conferre; quia collatio beneficiorum iurisdictionis contentiosæ exercitium non requirit. An vero idem sit de confirmatione, & institutione, negat Azor. *2. part. lib. 6. c. 25. quæst. 12.* quia hæc fieri non possunt absque causæ cognitione: instituens enim nominatos à patronis, vel confirmans electos à clericis obligatus est explorare mores, vitam, & litteraturam illorum, quæ sine causæ cognitione fieri nullatenus possunt. Cæterum cum huiusmodi cognitio, & exploratio fieri possit absque iudiciali strepitu ad sui plenam informationem, nullo contradicente, non est in causa, quare institutio, & confirmatio non possit extra prouinciam fieri. Adde informationem fieri posse in prouincia; & institutionem, & confirmationem extra. Garcia aliis relatis loquens de Vicario Episcopi, *5. p. c. 8. à n. 141.*

Punctum XXVII.

De potestate ordinarij collatoris in beneficiis conferendis.

1 *Quis ordinarius collator nuncupetur.*
2 *Quæ beneficia conferre ordinarij collatores possint, potius ex consuetudine, quam ex iure desumitur.*
3 *Quod tempus ad præscriptionem requiratur.*
4 *Episcopis ante litteras expeditas, & capitulo ostensas non competit potestas beneficia prouidendi.*
5 *An Episcopus, cui datus est coadiutor, possit beneficia conferre? Subdistinctione respondetur.*
6 *Prælatus reputatus à populo, potestatem habet beneficia conferendi.*
7 *Limitatur doctrina in conferente priuato, & particulari. Sed non approbatur.*
8 *Secundo limitatur in eo, qui titulū habet à legitimo superiore.*
9 *Reprobant plures hanc limitationem.*
10 *Quid sentiendum sit.*
11 *Limitatur tertio, vt non procedat in habente beneficium reseruatum, cui est annexa potestas beneficia conferendi. Sed non approbatur limitatio.*
12 *Quarto limitatur in eo, qui ipso iure priuatus est beneficia conferre ob delictum. At hoc intelligitur facta declaratione.*
13 *Quinto limitatur, vt non procedat in eo, in cuius electione substantialis defectus commissus est. Sed non approbatur.*

TRia sunt in hoc puncto explicanda; qui sint ordinarij collatores: quæ beneficia conferre possint: & quando competat eis hæc potestas.

1 Dicendum ergo est ordinarium collatorem esse, qui iure proprio beneficia confert, tametsi iurisdictionem non habeat: colligitur ex *cap. ordinarij. de officio ordinar. in 6. & ex c. si fuit. de concess. prabenda. in 6. glossa verbo ordinarium. in clem. vt lite pendente.* Neque enim ad collationem requiritur iurisdictionis potestas. Inter ordinarios collatores primum locum obtinet Episcopus in sua diœcesi. Huic enim ex iure communi, & tatione Episcopatus concessa est potestas beneficia suæ diœcesis conferendi. *c. omnes basilicæ, c. nullus omnino. 16. quæst. 7. c. conquerente, de officio ordinar. cap. ex frequentibus. de instit.* & pluribus exornat Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. §. 1. procem. n. 21. & 22. & glos. 11. n. 38. & glos. 21 n. 33.* Garcia *5. part. de benefic. c. 1. n. 51 & cap 4. n. 1. & 2.* Augustl. Barbosa *3. par. de potest. Episc. alleg. 57. n. 1.* Illi vero collatores, quales sunt Abbates, & Priores, *cap. vlt. de instit. & clem. 1. de supplenda neglig. prælat.* & canonicorum collegium. *cap. proposuit. de concess. prabenda. in 6.* ex consuetudine, præscriptione, aut priuilegio, potius quam à iure, conferendi potestatem habent, vt benè notauit Azor. *2. instit. mor. lib. 6. c. 25. quæst. 8.*

2 Quæ beneficia conferre ordinarij collatores possint; potius ex consuetudine, quam ex iure desumendum est: si enim ius commune spectetur, communior sententia affirmat dignitates, canonicatus, & præbendas Ecclesiæ Cathedralis, maximè si ex bonis communibus erectæ sunt, ad Episcopum, & capitulum simul pertinere, ita vt Episcopus æqualem vocem cum capitulo habeat: *cap. cum Ecclesia Vulterrana. in fine. de obitu ne, cap. postulastis. de concess. prabenda. cap. 1.* Ne sede vacante. *lib. 6.* & plutibus exornant Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 45. num. 36.* Garcia *5. p. de benef. cap. 4. num. 17. imo 2. num. 13.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. cap. 25. quæst. 9.* reliqua vero beneficia inferiora in ipsis Ecclesiis Cathedralibus consistentia, vt portiones, & dimidiæ portiones, si sunt de gremio capituli ex aliqua consuetudine, iureve speciali, saltem quoad mensæ communem participationem, eodem modo ad simultaneam Episcopi, & capituli prouisionem pertinent. At si sunt extranea à capitulo, & ab ipso Episcopo absque capituli consensu, vel capitulo prouideri possunt. Garc. *cap. 4. num. 257.* Gonzal. *supra à num. 38.* Azor. *supra.* Quod à fortiori in capellaniis ibidem existentibus dicendum est: & docent supradicti doctores. Si verò de præbendis Ecclesiæ collegiatæ loquamur, earum electio capitulo Ecclesiæ collegiatæ, & eius prælato immediato, si habeat, competit, confirmatio autem Episcopo. Gonzal. plures referens *n. 47.* Garcia *num. 64. & seqq.* Azor. *supra.* Alias totius diœcesis beneficia solus Episcopus prouidere libere poterit. Azor, Garcia, Gonzal. *supra.*

3 Hæc procedunt spectato iure communi. At ex consuetudine, seu præscriptione aliud sæpè obseruatur. Nam capitulum suo Episcopo prouidere præbendas solet. *cap. ex parte. de consuetud. prabenda.* Econtra Episcopus sine capitulo. *cap. ex frequentibus. de institutionib.* & tradit Gloss. *cap. Cumana. verbo consuetudine. de electione. per textum.* ibi, *& cap. cum Ecclesia Sutrina, verbo temporis. de concess. prabenda.* Gonzal. *gl. 45. n. 71.* pluribusque Rotæ decisionibus comprobat.

Difficultas autem est, quod tempus ad hanc præscriptionem ius commune derogantem requiratur. Et breuiter dicendum existimo, requiri immemoriale tempus sine titulo, & quadragenarium cum titulo, si Episcopus à prouisione beneficiorum excludendus sit, *cap. 1. de præscriptione. in 6.* & tradit cum Abbate *in cap. cum Ecclesia Vulterrana in 6. de electione.* Garcia *de benefic. cap. 4. num. 90.* Nam cum Episcopus de iure fundum habeat suam intentionem prouidendi omnia beneficia suæ diœcesis, si ab hac possessione excludatur, immemoriale tempus sine titulo, & quadragenarium cum titulo requiri debet. Alias bona fides, quæ in præscriptione requisita est, præsumi non potest. Verum si præscriptio sit in fauorem Episcopi, vt possit ipse absque consensu, vel consilio capituli prouidere; credo decennium sufficere ad præscribendum, quia huic præscriptioni ius clarum, & certum non resistit. Et ex alia parte est præscriptio tum inter præsentes, tum inter personas Ecclesiasticas, tum in fauorem dignitatis Episcopalis.

4 Quod

4. Quoad tertium attinet, quando competat episcopis potestas beneficia conferendi, est prima difficultas, an competat eis facta electione, & confirmatione ante adeptam possessionem, vel necessario possessio requiratur. Qua in re dicendum est non posse episcopum electum, & confirmatum beneficia conferre, neque vllam in suo episcopatu administrationem habere absque litteris Apostolicis expeditis, & ostensis capitulo: sic expresse decidit in *extravag. iniuncta. de electione.* ibi *Præsenti perpetuo valitura constitutione sancimus, vt qui apud Apostolicam sedem promouentur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias absque Apostolicæ sedis litteris huiusmodi eorum promotionem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant, nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant.* Et ratio est clara, quia capitulum, cui iure conuenit deficiente episcopo episcopatus administratio, abstinere ab ea administratione non tenetur; quin sibi constet episcopum electum, & confirmatum esse; tenetur ergo episcopus hanc electionem, & confirmationem capitulo ostendere, vt desistat, quod nulla alia via clarior efficitur, quam litterarum Apostolicarum ostensione.

Hinc peterebuit consuetudo, vt non possit episcopus ante captam possessionem beneficia conferre, neque vllam in episcopatu administrationem habere: quia cum ostensione litterarum facilè possessio coniungi poterat, & sic de facto semper coniuncta est: sic Azeuedo *in curia Pisana. lib. 1. cap. 13. à num. 12.* Vgolin. *de officio episc. cap. 50 §. 15 n. 3.* Azor. *2. part. instit. mor. lib. 3. cap. 29. q. 9. & lib. 6. cap. 25. q. 11.* Garc. *5 p. de benef. cap. 4. num. 258 & seqq.*

Secunda difficultas est, an episcopus, cui datus est coadiutor, habeat potestatem beneficia conferendi? Ob duplicem causam coadiutor episcopo assignari potest, vel ob senectutem, imbecillitatem, nimiámve occupationem, vel ob amentiam. Si ob amentiam designetur coadiutor, habet potestatem conferendi beneficia, & episcopus illa caret. Non enim illam habere potest, cum non sit sui compos: conceditur tamen coadiutori, quia ei conceditur administratio episcopatus, ab episcopo independens. Patrisius *de resignat. benefic. lib. 7. quæst. 20. à num. 15.* Azor. *2. part. instit. moral. lib. 6. cap. 25. quæst. 15.* Garcia *5. p. de benef. cap. 4. n. 270.* Si autem coadiutor episcopo sanæ mentis designatus sit, episcopus retinet potestatem beneficia conferendi, illaque caret coadiutor. Quia ex coadiutoris designatione amittere illam episcopus non potest, cum non detur coadiutor, nisi ad ea quæ ipse coadiuturus præstare per se non possit: & fauet regula iuris. Id quod nostrum est, sine facto, & consensu nostro tacito, vel expresso auferri non debet. *de Regul. iuris. in 6.* sic Azor. *2. part. lib. 6. cap. 25. quæst. 15.* Petr. Gregor. *de benefic. cap. 39. num. 20.* Nauart. *cons. 3. de clerico ægrot. num. 4.* Garcia *de benef. 5. p. cap. 4. num. 265. & seqq.*

Aduerto tamen, si coadiutor datus sit episcopo ob malum beneficiorum prouisionem, non posse episcopus absque consensu, & concilio coadiutoris beneficia prouidere. Quia hoc necessarium est, vt tanto malo præcaueatur. Oldradus *cons. 44.* Garcia *n. 273.* & colligitur manifestè *in cap. veneralibi. de officio deleg.* vbi annullatur alienatio bonorum facta ab episcopo sine consensu coadiutoris, qui ei ob dilapidationem bonorum assignatus erat.

6 Tertia difficultas est de prælato putatiuo, qui verè prælatus non est, attamen sic reputatur, an inquam habeat potestatem beneficia conferendi?

Resolutio huius difficultatis pendet ex illa celebri quæstione, an error populi concedat iurisdictionem aliàs non habenti? Et posito à iure concedi ob vtilitatem publicam, *argum. leg. Barbar.* Philippus. *ff. de officio prætoris.* cui consonat. *lex. 2. ff. de sententiis, & interlocutionib. & lex 4 tit. 4. p. 3. & lex 8. tit. 9. lib. 3. compilat.* & ex iure canonico *textus in cap. infamis. 3. q. 7.* & multis allegatis docent Garc. *5. p. de benef. c. 4. n. 277.* Thom. Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 22. n. 1.* Lessius *de iustit. cap. 29. dub. 8. n. 65.* Basil. de Leon. *lib. 5. de matrim. cap. 19. n. 3.* Dicendum est prælatum sic à populo reputatum potestatem habere beneficia conferendi. Nam hæc potestas non ex iure diuino, sed ex iure positiuo ortum habet. Potest ergo ius inhabilitatem conferentis supplere, & firmam collationem facere, ne grauia inconuenientia sequantur, sic supradicti doctores non solum generaliter, sed specialiter de collatione loquentes.

Dixi *reputatum à populo*, vt indicarem errorem conferentis, vel cuiusuis alterius singularis insufficientem esse, vt ius iurisdictionem concedat alias non habenti. Quia hanc ius concedit ob vtilitatem publicam, ne scilicet populus errans detrimentum patiatur, si rescindantur, & annullentur gesta à suo prælato, quod in vno, vel altero errante procedere non potest, & colligitur satis ex *supra d. leg. Barbarius*, ibi, *quandiu latuit*, indicans populum latere debere defectum, & ex cap. infamis, ibi, *si seruus dum putaretur liber*, scilicet à populo, & *ex leg. 4.* ibi: *taly erro como este facieße algun pueblo comunalmente*, & notauit Sanchez *d. disputat. 22. num. 6. 7. & 8.* Basil. *num. 4.*

7 Supradicta tamen doctrina limitatur primo, vt non procedat in conferente priuato, & singulari, quales sunt canonici de capitulo, & scholares suffragia ferentes in cathedris, & aliis huiusmodi. His enim error communis non prodest. Quia cessat ratio vtilitatis publicæ, quæ cernitur in iis, quibus ratione officij competit potestas beneficij conferendi: sic Garc. *5 p. de benefic. cap. 4. num. 314.* vbi plures refert. Sed hæc limitatio nequaquam probanda est. Nam esto conferens persona priuata sit, & ex speciali delegatione conferat: at confert nomine ecclesiæ, & in fauorem publicum: publicus enim fauor cernitur in eo quod beneficij collatio firma persistat. Item testis inhabilis, reputatus tamen habilis, si inducatur in testamento, non vitiat dispositionem *§. sed aliquis. instit. de testament. & leg. 1. Cod. eodem.* ibi, *Testes serui, an liberi fuerint non tractari oportet, cum eo tempore quo testamentum signabatur omnium consensu liberorum loco habiti sunt.* Sed testis non est persona publica, sed priuata. Ergo licet conferens persona priuata sit, valebit eius collatio, præcipuè cum in ratione conferentis non vt priuatus, sed vt publicus ecclesiæ ministet se gerat: & ita tenet loquès generaliter Thom. Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 22. n. 16.* Basil. *lib. 5. cap. 11. n. 11.*

8 Secundo limitatur, vt procedat in eo, qui titulum habet à legitimo superiore collatum, esto inualidus sit ob occultum impedimentum: sic Thom. Sanchez *dicta disp. 22. sub num. 49.* vbi contrarium reputat improbabile. Lessius *cap. 29. dub. 8. num. 65.* Garcia *5 p. de benef. cap. 4. n. 281. & seqq.* & alij innumeri apud ipsos. Fundamentum sumitur ex textibus in quibus fundatur hæc potestas: omnes enim indicant hunc titulum esse requisitum. Nam in *leg. Barbarius*, vt satis significaretur illum seruum à populo Romano habuisse titulum, dicitur, & verum puto nihil eorum reprobari: hoc enim humanius est, cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem. Idem colligitur ex *textu in cap. infamia. 3 q 7.* ibi si seruus dum putaretur liber ex delegatione sententiam daret. Concurrit ergo non solum error populi, sed titulus delegationis, vt ius iurisdictionem concedat aliàs non habenti.

9 Hanc limitationem aliqui reprobant pront refert Tiraquel. *post leges connub. gloss. 8. n. 153.* Thom. Sanch. *supra num. 48.* & expresse eam reprobat Morla *in emporio iuris. tit. 11. q. 2.* Basil. Legion. *lib. 3. de matr. cap. 20. n. 2.* & consentit Genuens. *in praxi. cap. 61. in annotat.* Mouentur quia præscriptione iurisdictio acquiritur. *cap. duo simul. de officio ordinar.* & ibi Panormit. *n. 2. e. cum contingat. de præscriptionib. & ibi* Gloss & Panormit. *n. 5. & 6.* Sed ad præscriptionem non semper titulus requiritur, sed tempore, & antiquitate obtinetur. Ergo optimè poterit obtineri iurisdictio absque superioris titulo. Secundò consuetudine iurisdictio comparatur. *cap. cum contingat. de foro compet. cap. Romana. de offic. ordin. cap. Romana. de foro compet. in 6. cap. Romana. de offic. ordinar. in 6. & cap. Romana. de sentent. excommunicat. eodem lib.* Tertio ex sola quasi possessione ius præsentandi, & eligendi obtinentur *cap. querelam. vers. nos igitur. & cap. consultationibus. de iure patron.* Quartò, quia eadem fere inconuenientia sequuntur ex eo quod carens titulo legitimi superioris iurisdictionem non habeat stante communi errore, ac sequuntur ex eo, quod illam non habeat, qui habet titulum superioris legitimi, si quidem eodem modo populus decipitur. Sed ne populus detrimentum patiatur ex putatiuo superiore titulum habente, concedit ius potestatem. Ergo etiam debet eam concedere putatiuo superiori carenti titulo. Quintum sumitur ex *Authent. de tabellion. nouella 44. cap. 1.* vbi instrumenta facta à tabellione officium amittente ob delictum valida sunt stante communi errore. Item valida sunt instrumenta facta à delegato, licet ipsi notario deleganti interdicta esset delegatio. Sed cum alicui interdicta est potestas delegandi, delegatio non subsistit, & delegatus non habet titulum à legitimo superiore. Ergo absq; hoc titulo dari potest iurisdictio. Hoc argumentum, quod est Thom. Sanch. collegit Basilius, ita ipse magni facit vt audeat dicere Thom. Sanch. illius vim non percepisse. Nam cum in supradicta Nouella interdictum sit tabellioni delegare; & ita interdictum, vt omnino priuatus sit potestate delegandi, eius delegatio nullius est momenti, sed de ea idem est iudicium faciendum, ac si intrusus delegaret. Ergo delegatus titulo caret legitimi superioris: si quidem delegans quoad delegationem reputatur ac quidam alius de populo. Deinde carpit Thom. Sanch. inconsequentiæ eo quod dixerit *disp. illa 22. n. 51.* superiore delegante, casu quo verè delegare non posset, gesta per delegatum, non obstante communi errore, esse inualide, eo quod deficiat titulus collatus ab habente potestatem, & in *n. 54.* respondens ad confirmationem, subiunxerit delegatum à tabellione, cui instrumentorum delegatio interdicta est, habuisse veram authoritatem, validamque esse delegationem. Sed immerito Basil. doctissimum Sanch. carpit, & inconsequentiæ arguit: debebat enim prius probare, quod ipse supponit ex textu satis constare, ita esse tabellioni interdictam delegationem, vt & potestate delegandi priuatus sit, cum tamen ex textu hæc rigida priuatio non colligatur, sed solum prohibitio. Deinde debebat aduertere quod subiungit, disparem esse rationem notarij, & aliorum iudicum. Nam notarius iurisdictionem non habet, sed testis est iure approbatus, ideo titulus in eo non requiritur, secus in aliis officiis iurisdictionem habentibus.

10 Ego vero distinguendum censeo de conferente beneficia ratione officij publici iurisdictionem habentis, vel de conferente beneficia ob aliquod officium speciale sibi competens. Conferens namque beneficia ratione officij publici iurisdictionem habentis, debet titulum à legitimo superiore collatum habere, vt ius ei iurisdictionem concedat. Tum quia de iis iudicibus, & prælatis iurisdictionem habentibus loquuntur *textus in leg. Barbarius. & cap. infamis.* Tum quia pro hac parte est communis omnium consensus, vno, vel altero excepto. At vero conferens ob aliquam prærogatiuam specialem fundationis, priuilegij, præscriptionis aut consuetudinis non indiget titulo ad hanc potestatem, sed ex sola quasi possessione obtinetur, vt satis probatur ex *suprad. c. querelam. de elect. c. consultationibus, de iure patron.*

Neque aduersus hanc doctrinam procedunt rationes, quibus supradicta limitatio reprobatur. Fateor namque præscriptione, & consuetudine iurisdictionem acquiri; at inde non infertur titulum non requiri, quia præscriptio, & consuetudo legitimatitulus est à iure approbatus. Item conducunt, quæ tradit Garcia. 5. *p. de benefic. cap. 4. n. 298. & textus in cap. querelam, & c. consultationibus*, probant nostram doctrinam. Quartum argumentum etsi probet eadem inconuenientia sequi, ex eo quod carens titulo careat iurisdictione; ac sequuntur ex eo quod habens titulum inualidum illa careat. At cum in iure non inueniatur fundamentum ad concedendam iurisdictionem carenti titulo, ac illum habenti; ea de causa concedenda non est. Adde non sequi eadem inconuenientia, cum in habente titulum facilius possit populus decipi, quam in carente illo. Quinto argumento iam satisfactum est, admittimus namque in notatio, sicut in teste, sufficere quasi possessionem absque titulo, ob ea quæ diximus *n. præcedenti*: & de teste probat *lex. 1. C. de testam.* Secus in aliis iudicibus iurisdictionem habentibus.

11 Tertio limitatur, vt non procedat in habente dignitatem, & beneficium reseruatum, cui est annexa potestas beneficia conferendi: hic enim quia intrusus est, & caret titulo, videtur etiam hac potestate carere, & præterea cum reseruatio ob decretum irritans inficiat titulum, & possessionem, & ea quæ ex iis sequuntur inficere debet. Adde collationem beneficij esse quandam donationem, & gratiam, cap. fin. de officio Vicarij. in 6. ex cuius nullitate non sequuntur ea inconuenientia, quæ sequuntur ex nullitate sententiarum pertinentium ad materiam iustitiæ: sic alios referens limitat Garc. 5. *p. de benefic. c. 4. n. 278. & c. 5. n. 21.* Gonz. *gl. 15. §. 1. n. 95. & gl. 31. n. 28. & gl. 45. §. 2. n. 44.* Cæterum mihi hæc limitatio non probatur. Fatear namque intrusum in dignitatem, & beneficium reseruatum carere titulo, & possessione legitima, esseque priuatum à iure beneficiorum collatione, At credo ob vtilitatem publicam ex æquitate illi hanc potestatem concedi, sicuti conceditur ad omnes alios actus non solum iustitiæ, sed etiam gratiæ, vt tradunt absque vlla distinctione reliqui doctores. Nam licet intruso negentur omnes fructus beneficij cedentes in vtilitatem beneficiati, at non debent negari fructus beneficij in vtilitatem communem cedentes, quales sunt electio, collatio, præsentatioque beneficiorum. Adde collationem beneficiorum, gratiam, & liberalitatem esse respectu illius, cui beneficia conferuntur, non in se: nam vt bene dicit Gloss. *in suprad. c. fin. verbo littera*, datio beneficiorum libera est in cui dando, sed non in dando.

12 Quarto limitatur, vt non procedat in eo, qui ipso iure priuatus est potestate conferendi: qualis est hæreticus, & excommunicatus, aut suspensus. Sed hoc intelligendum est, quando sic est per sententiam declaratus: nam interim quod quis declaratus non est, valent gesta per ipsum, vt latius *tract. de legib. & de fide*, diximus: quia quoad exercitium potestate non priuatur. Ex quo fit falsum esse, quod docet Garcia 5. *p. de benefic. c. 4. n. 324.* nempe collationem factam ab excommunicato occulto nullam esse, quia in hac collatione (inquit) cum sit quædam gratia, & donatio, procedit conferens ex officio & non ad instantiam partis, ac proinde nulla gratia, aut fauor ei competit, ex *extrauag. ad euitanda scandala*. Hoc inquam falsum est: nam esto concedamus conferentem beneficia ex officio procedere: at necessario affirmandum est obligatum esse illud officium exercere, dum in possessione conferendi beneficia persistit, valereq; collationem, non tam esse fauorem conferentis, quam illorum, quib. beneficia conferuntur. Adde neminem potestate habita priuari ob delictum vllum, quin sententia declaratoria criminis accedat.

13 Quinto limitatur, vt non procedat in eo, in cuius electione substantialis defectus formæ commissus est, quia tunc deficit titulus: sic Thom. Sanch. *dict. disp. 22. n. 53.* Subdit tamen hoc esse intelligendum, dummodo non adsit legitima superioris confirmatio: quia hæc coloratum titulum præbet. Hæc tamen limitatio mihi non probatur. Nam quoties inhabilis ad officium, & beneficium eligitur, substantialis defectus in electione committitur, & tamen hic defectus sufficiens non est impedire iurisdictionem, & constat ex *leg. Barbarius, & ex dicto cap. infamis.* & tradit ipse Sanch. *n. 19.* & Basil. *c. 19. n. 13.* Ergo substantialis defectus formæ non impedit iurisdictionem. Item parochus obtinens simoniacè beneficium, vel per subreptionem à Romano Pontifice, vel non seruata forma Trident. & constitutionis Pij. V. nullam iurisdictionem haberet, quod certè durissimum est, & contra praxim receptam. Quapropter affirmandum est solum titulum coloratum sufficere, tametsi in commissione substantialis defectus commissus sit, eo quod persona inhabilis sit electa, vel forma electionis seruata non sit, & ita, vt probabile, defendit Garcia 5. *p. de benefic. c. 4. n. 293.*

PVNCTVM XXVIII.

An ratione possessionis ius conferendi, eligendi, vel præsentandi prælatis competere possit? Et quid dicendum ratione sequestri?

1 *Possidens bona fide licitè, & validè beneficia prouidet. Et quando hæc præsumatur.*
2 *Si constet non habere verum titulum non est remouendus institutus, si institutus est, antequam id constet, imo etiam si electus, vel præsentatus solum fuerit.*
3 *Quid si ante præsentationem, electionem, seu beneficij prouisionem moueatur lis inter præsentatores, electores, seu prouisores? Sub distinctione respondetur.*
4 *Sententia data contra prouisores beneficiorum neque prodest, neque nocet prouisis.*
5 *Sequester, an beneficia prouidere possit. Propunitur triplex sententia, & tertia affirmans sequestrum villæ, cui est annexa beneficiorum prouisio, posse beneficia prouidere, vt probabiliter eligitur.*
6 *Fit satis oppositis rationibus.*
7 *Sequester, cui beneficiorum prouisio competere potest, debet esse clericus.*
8 *Conductor non videtur posse beneficia prouidere.*

1 CErta est resolutio licitè, & validè beneficia conferre posse prælatum, qui est in possessione iuris conferendi, eligendi, vel præsentandi: habetur expresse *cap. cum olim, cap. cum Ecclesia Sutrina, de causa poss. & propriet.* & tradit Gloss. *ibi*: & doctores omnes, vt testatur Gonz. *gl. 45. §. 2. à n. 4.* Garcia 5. *p. de benef. c. 5. à n. 1.* & diximus *supra hac disp. par. 3.* ea moti ratione; quia est fructus debitus possessori: debet autem in possessione habere bonam fidem. *reg. possessor. de Reg. iuru. in 6. cap. fin. de præscription.* Couar. *reg. possessor. 2. p. §. 6. n. 1.* Lamb. *de iure patron. lib. 2. p. 1. q. 3. ar. 10. num. 3.* Hæc bona fides præsumitur, quoties iusto titulo, probabilibusve rationibus, aut Garcia *num. 87.* possessione acquisita sit, vt aliis allegatis docet Garcia *num. 87.* Acquiritur tamen, si acquisitum sit castrum, villa, dignitas, beneficium, cui est annexum ius præsentandi, eligendi, vel conferendi; quia acquisito principali, & accessoria acquiuntur, sic Nauarrus *cons. 2. de iure patron.* Garc. 5. *p. de benefic. c. 9. & seqq.* Secundò acquiritur, si hæres sis defuncti quem constat in possessione fuisse conferendi; quia iura defuncti transeunt in hæredem, etiam absque noua apprehensione, seu exercitio. Gut. *cons. 3. n. 2.* Garc. *n. 37.* & colligitur ex *l. cum hæredes. ff. de acquir. possess.* Tertio acquiritur ex vnico actu collationis, electionis, vel præsentationis ad effectum perducto, ita vt præsentatus ex vi illius fuerit institutus, electus fuerit confirmatus & is, cui beneficium est collatum, possessionem acceperit, fructusque perceperit. Cou. *pract. cap. 14. n. 2.* Gonz. *n. 37.* Garc. *n. 67. & 99. & seqq.* Quod si possessio conferendi aliis contraria sit actus ex quibus intelligitur acquisitio, debent esse cum scientia, & patientia illorum, quibus præiudicatur, vt clarè probat *lex. 2. C. de seruitutibus, & aqua* & multis allegatis docent Garc. 5. *p. de benef. c. 5. n. 109.* Gonzal. *gloss. 45. §. 2. n. 32.*

2 Sed quid si constet hunc prælatum, qui est in possessione iuris conferendi, non habere verum ius, sed penes alium proprietatem existere, remouendusne est à præsentatione, electione, collatione is qui fuit a possidente electus, præsentatus, vel institutus? Qua in re certum est, institutio, confirmatio, vel collatio facta est, antequam declaretur proprietatem ad alterum pertinere, nequaquam remoueri posse, quia ex institutione, confirmatione, vel collatione ius perpetuum in beneficio acquiritur. *si tibi absenti. de prab. in 6.* & notauit Garcia 5. *p. de benef. c. 5. n. 57. & c. 6. n. 31.*

At si declaratio facta est post præsentationem, vel electionem factam, ante institutionem, confirmationem, vel collationem, commnnis sententia tenet cassandam esse præsentationem, vel electionem, neq; institutionem, confirmationemve sequi posse. Abbas *in c. consultationib. de iure patron. n. 9.* Lambert. *de iur. patron. 1. p. lib. 2. q. 2. ar. 6.* Ioan. Gut. *cons. 4. in fine.* & alij relati à Garc. *c. 5. n. 45* & à Cou. *pract. c. 14. n. 2. in fi.* eo quod electio, vel præsentatio facta ab eo, qui tempore præsentationis, vel electionis est in possessione præsentandi, vel eligendi, valida est & ius electo, vel præsentato confert, non igitur ex subsequente sententia infirmari debet. Neque obstat, fructus extantes restituendos esse proprietario, qui vincit possessorem. Quia respondeo, post factam electionem, vel præsentionem iam non extare hos fructus penes possessorem, sed respectu illius esse consumptos. Neque item obstat proprietatem absorbere possessionem-

4. Quoad tertium attinet, quando competat episcopis potestas beneficia conferendi, est prima difficultas, an competat eis facta electione, & confirmatione ante adeptam possessionem, vel necessario possessio requiratur. Qua in re dicendum est non posse episcopum electum, & confirmatum beneficia conferre, neque vllam in suo episcopatu administrationem habere absque litteris Apostolicis expeditis, & ostensis capitulo: sic expresse decidit in *extravag. iniuncta. de electione.* ibi *Præsenti perpetuo valitura constitutione sancimus, vt qui apud Apostolicam sedem promouentur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias absque Apostolicæ sedis litteris huiusmodi eorum promotionem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant, nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant.* Et ratio est clara, quia capitulum, cui iure conuenit deficiente episcopo episcopatus administratio, abstinere ab ea administratione non tenetur; quin sibi constet episcopum electum, & confirmatum esse; tenetur ergo episcopus hanc electionem, & confirmationem capitulo ostendere, vt desistat, quod nulla alia via clarior efficitur, quam litterarum Apostolicarum ostensione.

Hinc peterebuit consuetudo, vt non possit episcopus ante captam possessionem beneficia conferre, neque vllam in episcopatu administrationem habere: quia cum ostensione litterarum facilè possessio coniungi poterat, & sic de facto semper coniuncta est: sic Azeuedo *in curia Pisana. lib. 1. cap. 13. à num. 12.* Vgolin. *de officio episc. cap. 50 §. 15 n. 3.* Azor. *2. part. instit. mor. lib. 3. cap. 29. q. 9. & lib. 6. cap. 25. q. 11.* Garc. *5 p. de benef. cap. 4. num. 258 & seqq.*

Secunda difficultas est, an episcopus, cui datus est coadiutor, habeat potestatem beneficia conferendi? Ob duplicem causam coadiutor episcopo assignari potest, vel ob senectutem, imbecillitatem, nimiámve occupationem, vel ob amentiam. Si ob amentiam designetur coadiutor, habet potestatem conferendi beneficia, & episcopus illa caret. Non enim illam habere potest, cum non sit sui compos: conceditur tamen coadiutori, quia ei conceditur administratio episcopatus, ab episcopo independens. Patrisius *de resignat. benefic. lib. 7. quæst. 20. à num. 15.* Azor. *2. part. instit. moral. lib. 6. cap. 25. quæst. 15.* Garcia *5. p. de benef. cap. 4. n. 270.* Si autem coadiutor episcopo sanæ mentis designatus sit, episcopus retinet potestatem beneficia conferendi, illaque caret coadiutor. Quia ex coadiutoris designatione amittere illam episcopus non potest, cum non detur coadiutor, nisi ad ea quæ ipse coadiuturus præstare per se non possit: & fauet regula iuris. Id quod nostrum est, sine facto, & consensu nostro tacito, vel expresso auferri non debet. *de Regul. iuris. in 6.* sic Azor. *2. part. lib. 6. cap. 25. quæst. 15.* Petr. Gregor. *de benefic. cap. 39. num. 20.* Nauart. *cons. 3. de clerico ægrot. num. 4.* Garcia *de benef. 5. p. cap. 4. num. 265. & seqq.*

Aduerto tamen, si coadiutor datus sit episcopo ob malum beneficiorum prouisionem, non posse episcopus absque consensu, & concilio coadiutoris beneficia prouidere. Quia hoc necessarium est, vt tanto malo præcaueatur. Oldradus *cons. 44.* Garcia *n. 273.* & colligitur manifestè *in cap. veneralibi. de officio deleg.* vbi annullatur alienatio bonorum facta ab episcopo sine consensu coadiutoris, qui ei ob dilapidationem bonorum assignatus erat.

6 Tertia difficultas est de prælato putatiuo, qui verè prælatus non est, attamen sic reputatur, an inquam habeat potestatem beneficia conferendi?

Resolutio huius difficultatis pendet ex illa celebri quæstione, an error populi concedat iurisdictionem aliàs non habenti? Et posito à iure concedi ob vtilitatem publicam, *argum. leg. Barbar.* Philippus. *ff. de officio prætoris.* cui consonat. *lex. 2. ff. de sententiis, & interlocutionib. & lex 4 tit. 4. p. 3. & lex 8. tit. 9. lib. 3. compilat.* & ex iure canonico *textus in cap. infamis. 3. q. 7.* & multis allegatis docent Garc. *5. p. de benef. c. 4. n. 277.* Thom. Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 22. n. 1.* Lessius *de iustit. cap. 29. dub. 8. n. 65.* Basil. de Leon. *lib. 5. de matrim. cap. 19. n. 3.* Dicendum est prælatum sic à populo reputatum potestatem habere beneficia conferendi. Nam hæc potestas non ex iure diuino, sed ex iure positiuo ortum habet. Potest ergo ius inhabilitatem conferentis supplere, & firmam collationem facere, ne grauia inconuenientia sequantur, sic supradicti doctores non solum generaliter, sed specialiter de collatione loquentes.

Dixi *reputatum à populo*, vt indicarem errorem conferentis, vel cuiusuis alterius singularis insufficientem esse, vt ius iurisdictionem concedat alias non habenti. Quia hanc ius concedit ob vtilitatem publicam, ne scilicet populus errans detrimentum patiatur, si rescindantur, & annullentur gesta à suo prælato, quod in vno, vel altero errante procedere non potest, & colligitur satis ex *supra d. leg. Barbarius*, ibi, *quandiu latuit*, indicans populum latere debere defectum, & ex cap. infamis, ibi, *si seruus dum putaretur liber*, scilicet à populo, & *ex leg. 4.* ibi: *taly erro como este facieße algun pueblo comunalmente*, & notauit Sanchez *d. disputat. 22. num. 6. 7. & 8.* Basil. *num. 4.*

7 Supradicta tamen doctrina limitatur primo, vt non procedat in conferente priuato, & singulari, quales sunt canonici de capitulo, & scholares suffragia ferentes in cathedris, & aliis huiusmodi. His enim error communis non prodest. Quia cessat ratio vtilitatis publicæ, quæ cernitur in iis, quibus ratione officij competit potestas beneficij conferendi: sic Garc. *5 p. de benefic. cap. 4. num. 314.* vbi plures refert. Sed hæc limitatio nequaquam probanda est. Nam esto conferens persona priuata sit, & ex speciali delegatione conferat: at confert nomine ecclesiæ, & in fauorem publicum: publicus enim fauor cernitur in eo quod beneficij collatio firma persistat. Item testis inhabilis, reputatus tamen habilis, si inducatur in testamento, non vitiat dispositionem *§. sed aliquis. instit. de testament. & leg. 1. Cod. eodem.* ibi, *Testes serui, an liberi fuerint non tractari oportet, cum eo tempore quo testamentum signabatur omnium consensu liberorum loco habiti sunt.* Sed testis non est persona publica, sed priuata. Ergo licet conferens persona priuata sit, valebit eius collatio, præcipuè cum in ratione conferentis non vt priuatus, sed vt publicus ecclesiæ ministet se gerat: & ita tenet loquès generaliter Thom. Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 22. n. 16.* Basil. *lib. 5. cap. 11. n. 11.*

8 Secundo limitatur, vt procedat in eo, qui titulum habet à legitimo superiore collatum, esto inualidus sit ob occultum impedimentum: sic Thom. Sanchez *dicta disp. 22. sub num. 49.* vbi contrarium reputat improbabile. Lessius *cap. 29. dub. 8. num. 65.* Garcia *5 p. de benef. cap. 4. n. 281. & seqq.* & alij innumeri apud ipsos. Fundamentum sumitur ex textibus in quibus fundatur hæc potestas: omnes enim indicant hunc titulum esse requisitum. Nam in *leg. Barbarius*, vt satis significaretur illum seruum à populo Romano habuisse titulum, dicitur, & verum puto nihil eorum reprobari: hoc enim humanius est, cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem. Idem colligitur ex *textu in cap. infamia. 3 q 7.* ibi si seruus dum putaretur liber ex delegatione sententiam daret. Concurrit ergo non solum error populi, sed titulus delegationis, vt ius iurisdictionem concedat aliàs non habenti.

9 Hanc limitationem aliqui reprobant pront refert Tiraquel. *post leges connub. gloss. 8. n. 153.* Thom. Sanch. *supra num. 48.* & expresse eam reprobat Morla *in emporio iuris. tit. 11. q. 2.* Basil. Legion. *lib. 3. de matr. cap. 20. n. 2.* & consentit Genuens. *in praxi. cap. 61. in annotat.* Mouentur quia præscriptione iurisdictio acquiritur. *cap. duo simul. de officio ordinar.* & ibi Panormit. *n. 2. e. cum contingat. de præscriptionib. & ibi* Gloss & Panormit. *n. 5. & 6.* Sed ad præscriptionem non semper titulus requiritur, sed tempore, & antiquitate obtinetur. Ergo optimè poterit obtineri iurisdictio absque superioris titulo. Secundò consuetudine iurisdictio comparatur. *cap. cum contingat. de foro compet. cap. Romana. de offic. ordin. cap. Romana. de foro compet. in 6. cap. Romana. de offic. ordinar. in 6. & cap. Romana. de sentent. excommunicat. eodem lib.* Tertio ex sola quasi possessione ius præsentandi, & eligendi obtinentur *cap. querelam. vers. nos igitur. & cap. consultationibus. de iure patron.* Quartò, quia eadem fere inconuenientia sequuntur ex eo quod carens titulo legitimi superioris iurisdictionem non habeat stante communi errore, ac sequuntur ex eo, quod illam non habeat, qui habet titulum superioris legitimi, si quidem eodem modo populus decipitur. Sed ne populus detrimentum patiatur ex putatiuo superiore titulum habente, concedit ius potestatem. Ergo etiam debet eam concedere putatiuo superiori carenti titulo. Quintum sumitur ex *Authent. de tabellion. nouella 44. cap. 1.* vbi instrumenta facta à tabellione officium amittente ob delictum valida sunt stante communi errore. Item valida sunt instrumenta facta à delegato, licet ipsi notario deleganti interdicta esset delegatio. Sed cum alicui interdicta est potestas delegandi, delegatio non subsistit, & delegatus non habet titulum à legitimo superiore. Ergo absq; hoc titulo dari potest iurisdictio. Hoc argumentum, quod est Thom. Sanch. collegit Basilius, ita ipse magni facit vt audeat dicere Thom. Sanch. illius vim non percepisse. Nam cum in supradicta Nouella interdictum sit tabellioni delegare; & ita interdictum, vt omnino priuatus sit potestate delegandi, eius delegatio nullius est momenti, sed de ea idem est iudicium faciendum, ac si intrusus delegaret. Ergo delegatus titulo caret legitimi superioris: si quidem delegans quoad delegationem reputatur ac quidam alius de populo. Deinde carpit Thom. Sanch. inconsequentiæ eo quod dixerit *disp. illa 22. n. 51.* superiore delegante, casu quo verè delegare non posset, gesta per delegatum, non obstante communi errore, esse inualide, eo quod deficiat titulus collatus ab habente potestatem, & in *n. 54.* respondens ad confirmationem, subiunxerit delegatum à tabellione, cui instrumentorum delegatio interdicta est, habuisse veram authoritatem, validamque esse delegationem. Sed immerito Basil. doctissimum Sanch. carpit, & inconsequentiæ arguit: debebat enim prius probare, quod ipse supponit ex textu satis constare, ita esse tabellioni interdictam delegationem, vt & potestate delegandi priuatus sit, cum tamen ex textu hæc rigida priuatio non colligatur, sed solum prohibitio. Deinde debebat aduertere quod subiungit, disparem esse rationem notarij, & aliorum iudicum. Nam notarius iurisdictionem non habet, sed testis est iure approbatus, ideo titulus in eo non requiritur, secus in aliis officiis iurisdictionem habentibus.

10 Ego vero distinguendum censeo de conferente beneficia ratione officij publici iurisdictionem habentis, vel de conferente beneficia ob aliquod officium speciale sibi competens. Conferens namque beneficia ratione officij publici iurisdictionem habentis, debet titulum à legitimo superiore collatum habere, vt ius ei iurisdictionem concedat. Tum quia de iis iudicibus, & prælatis iurisdictionem habentibus loquuntur *textus in leg. Barbarius. & cap. infamis.* Tum quia pro hac parte est communis omnium consensus, vno, vel altero excepto. At vero conferens ob aliquam prærogatiuam specialem fundationis, priuilegij, præscriptionis aut consuetudinis non indiget titulo ad hanc potestatem, sed ex sola quasi possessione obtinetur, vt satis probatur ex *suprad. c. querelam. de elect. c. consultationibus, de iure patron.*

Neque aduersus hanc doctrinam procedunt rationes, quibus supradicta limitatio reprobatur. Fateor namque præscriptione, & consuetudine iurisdictionem acquiri; at inde non infertur titulum non requiri, quia præscriptio, & consuetudo legitimatitulus est à iure approbatus. Item conducunt, quæ tradit Garcia. 5. *p. de benefic. cap. 4. n. 298. & textus in cap. querelam, & c. consultationibus*, probant nostram doctrinam. Quartum argumentum etsi probet eadem inconuenientia sequi, ex eo quod carens titulo careat iurisdictione; ac sequuntur ex eo quod habens titulum inualidum illa careat. At cum in iure non inueniatur fundamentum ad concedendam iurisdictionem carenti titulo, ac illum habenti; ea de causa concedenda non est. Adde non sequi eadem inconuenientia, cum in habente titulum facilius possit populus decipi, quam in carente illo. Quinto argumento iam satisfactum est, admittimus namque in notatio, sicut in teste, sufficere quasi possessionem absque titulo, ob ea quæ diximus *n. præcedenti*: & de teste probat *lex. 1. C. de testam.* Secus in aliis iudicibus iurisdictionem habentibus.

11 Tertio limitatur, vt non procedat in habente dignitatem, & beneficium reseruatum, cui est annexa potestas beneficia conferendi: hic enim quia intrusus est, & caret titulo, videtur etiam hac potestate carere, & præterea cum reseruatio ob decretum irritans inficiat titulum, & possessionem, & ea quæ ex iis sequuntur inficere debet. Adde collationem beneficij esse quandam donationem, & gratiam, cap. fin. de officio Vicarij. in 6. ex cuius nullitate non sequuntur ea inconuenientia, quæ sequuntur ex nullitate sententiarum pertinentium ad materiam iustitiæ: sic alios referens limitat Garc. 5. *p. de benefic. c. 4. n. 278. & c. 5. n. 21.* Gonz. *gl. 15. §. 1. n. 95. & gl. 31. n. 28. & gl. 45. §. 2. n. 44.* Cæterum mihi hæc limitatio non probatur. Fatear namque intrusum in dignitatem, & beneficium reseruatum carere titulo, & possessione legitima, esseque priuatum à iure beneficiorum collatione, At credo ob vtilitatem publicam ex æquitate illi hanc potestatem concedi, sicuti conceditur ad omnes alios actus non solum iustitiæ, sed etiam gratiæ, vt tradunt absque vlla distinctione reliqui doctores. Nam licet intruso negentur omnes fructus beneficij cedentes in vtilitatem beneficiati, at non debent negari fructus beneficij in vtilitatem communem cedentes, quales sunt electio, collatio, præsentatioque beneficiorum. Adde collationem beneficiorum, gratiam, & liberalitatem esse respectu illius, cui beneficia conferuntur, non in se: nam vt bene dicit Gloss. *in suprad. c. fin. verbo littera*, datio beneficiorum libera est in cui dando, sed non in dando.

12 Quarto limitatur, vt non procedat in eo, qui ipso iure priuatus est potestate conferendi: qualis est hæreticus, & excommunicatus, aut suspensus. Sed hoc intelligendum est, quando sic est per sententiam declaratus: nam interim quod quis declaratus non est, valent gesta per ipsum, vt latius *tract. de legib. & de fide*, diximus: quia quoad exercitium potestate non priuatur. Ex quo fit falsum esse, quod docet Garcia 5. *p. de benefic. c. 4. n. 324.* nempe collationem factam ab excommunicato occulto nullam esse, quia in hac collatione (inquit) cum sit quædam gratia, & donatio, procedit conferens ex officio & non ad instantiam partis, ac proinde nulla gratia, aut fauor ei competit, ex *extrauag. ad euitanda scandala*. Hoc inquam falsum est: nam esto concedamus conferentem beneficia ex officio procedere: at necessario affirmandum est obligatum esse illud officium exercere, dum in possessione conferendi beneficia persistit, valereq; collationem, non tam esse fauorem conferentis, quam illorum, quib. beneficia conferuntur. Adde neminem potestate habita priuari ob delictum vllum, quin sententia declaratoria criminis accedat.

13 Quinto limitatur, vt non procedat in eo, in cuius electione substantialis defectus formæ commissus est, quia tunc deficit titulus: sic Thom. Sanch. *dict. disp. 22. n. 53.* Subdit tamen hoc esse intelligendum, dummodo non adsit legitima superioris confirmatio: quia hæc coloratum titulum præbet. Hæc tamen limitatio mihi non probatur. Nam quoties inhabilis ad officium, & beneficium eligitur, substantialis defectus in electione committitur, & tamen hic defectus sufficiens non est impedire iurisdictionem, & constat ex *leg. Barbarius, & ex dicto cap. infamis.* & tradit ipse Sanch. *n. 19.* & Basil. *c. 19. n. 13.* Ergo substantialis defectus formæ non impedit iurisdictionem. Item parochus obtinens simoniacè beneficium, vel per subreptionem à Romano Pontifice, vel non seruata forma Trident. & constitutionis Pij. V. nullam iurisdictionem haberet, quod certè durissimum est, & contra praxim receptam. Quapropter affirmandum est solum titulum coloratum sufficere, tametsi in commissione substantialis defectus commissus sit, eo quod persona inhabilis sit electa, vel forma electionis seruata non sit, & ita, vt probabile, defendit Garcia 5. *p. de benefic. c. 4. n. 293.*

PVNCTVM XXVIII.

An ratione possessionis ius conferendi, eligendi, vel præsentandi prælatis competere possit? Et quid dicendum ratione sequestri?

1 *Possidens bona fide licitè, & validè beneficia prouidet. Et quando hæc præsumatur.*
2 *Si constet non habere verum titulum non est remouendus institutus, si institutus est, antequam id constet, imo etiam si electus, vel præsentatus solum fuerit.*
3 *Quid si ante præsentationem, electionem, seu beneficij prouisionem moueatur lis inter præsentatores, electores, seu prouisores? Sub distinctione respondetur.*
4 *Sententia data contra prouisores beneficiorum neque prodest, neque nocet prouisis.*
5 *Sequester, an beneficia prouidere possit. Propunitur triplex sententia, & tertia affirmans sequestrum villæ, cui est annexa beneficiorum prouisio, posse beneficia prouidere, vt probabiliter eligitur.*
6 *Fit satis oppositis rationibus.*
7 *Sequester, cui beneficiorum prouisio competere potest, debet esse clericus.*
8 *Conductor non videtur posse beneficia prouidere.*

1 CErta est resolutio licitè, & validè beneficia conferre posse prælatum, qui est in possessione iuris conferendi, eligendi, vel præsentandi: habetur expresse *cap. cum olim, cap. cum Ecclesia Sutrina, de causa poss. & propriet.* & tradit Gloss. *ibi*: & doctores omnes, vt testatur Gonz. *gl. 45. §. 2. à n. 4.* Garcia 5. *p. de benef. c. 5. à n. 1.* & diximus *supra hac disp. par. 3.* ea moti ratione; quia est fructus debitus possessori: debet autem in possessione habere bonam fidem. *reg. possessor. de Reg. iuru. in 6. cap. fin. de præscription.* Couar. *reg. possessor. 2. p. §. 6. n. 1.* Lamb. *de iure patron. lib. 2. p. 1. q. 3. ar. 10. num. 3.* Hæc bona fides præsumitur, quoties iusto titulo, probabilibusve rationibus, aut Garcia *num. 87.* possessione acquisita sit, vt aliis allegatis docet Garcia *num. 87.* Acquiritur tamen, si acquisitum sit castrum, villa, dignitas, beneficium, cui est annexum ius præsentandi, eligendi, vel conferendi; quia acquisito principali, & accessoria acquiuntur, sic Nauarrus *cons. 2. de iure patron.* Garc. 5. *p. de benefic. c. 9. & seqq.* Secundò acquiritur, si hæres sis defuncti quem constat in possessione fuisse conferendi; quia iura defuncti transeunt in hæredem, etiam absque noua apprehensione, seu exercitio. Gut. *cons. 3. n. 2.* Garc. *n. 37.* & colligitur ex *l. cum hæredes. ff. de acquir. possess.* Tertio acquiritur ex vnico actu collationis, electionis, vel præsentationis ad effectum perducto, ita vt præsentatus ex vi illius fuerit institutus, electus fuerit confirmatus & is, cui beneficium est collatum, possessionem acceperit, fructusque perceperit. Cou. *pract. cap. 14. n. 2.* Gonz. *n. 37.* Garc. *n. 67. & 99. & seqq.* Quod si possessio conferendi aliis contraria sit actus ex quibus intelligitur acquisitio, debent esse cum scientia, & patientia illorum, quibus præiudicatur, vt clarè probat *lex. 2. C. de seruitutibus, & aqua* & multis allegatis docent Garc. 5. *p. de benef. c. 5. n. 109.* Gonzal. *gloss. 45. §. 2. n. 32.*

2 Sed quid si constet hunc prælatum, qui est in possessione iuris conferendi, non habere verum ius, sed penes alium proprietatem existere, remouendusne est à præsentatione, electione, collatione is qui fuit a possidente electus, præsentatus, vel institutus? Qua in re certum est, institutio, confirmatio, vel collatio facta est, antequam declaretur proprietatem ad alterum pertinere, nequaquam remoueri posse, quia ex institutione, confirmatione, vel collatione ius perpetuum in beneficio acquiritur. *si tibi absenti. de prab. in 6.* & notauit Garcia 5. *p. de benef. c. 5. n. 57. & c. 6. n. 31.*

At si declaratio facta est post præsentationem, vel electionem factam, ante institutionem, confirmationem, vel collationem, commnnis sententia tenet cassandam esse præsentationem, vel electionem, neq; institutionem, confirmationemve sequi posse. Abbas *in c. consultationib. de iure patron. n. 9.* Lambert. *de iur. patron. 1. p. lib. 2. q. 2. ar. 6.* Ioan. Gut. *cons. 4. in fine.* & alij relati à Garc. *c. 5. n. 45* & à Cou. *pract. c. 14. n. 2. in fi.* eo quod electio, vel præsentatio facta ab eo, qui tempore præsentationis, vel electionis est in possessione præsentandi, vel eligendi, valida est & ius electo, vel præsentato confert, non igitur ex subsequente sententia infirmari debet. Neque obstat, fructus extantes restituendos esse proprietario, qui vincit possessorem. Quia respondeo, post factam electionem, vel præsentionem iam non extare hos fructus penes possessorem, sed respectu illius esse consumptos. Neque item obstat proprietatem absorbere possessionem-

gationem, cùm clarè de proprietate constat. *c. cum dilect. de causa possess. & proprietate.* Quia id intelligitur respectu futurorum euentuum, non præteritorum; ac proinde respectu electionum, & præsentationum subsequentium, non illarum, quæ factæ sunt.

15 Quid si ante præsentationem, electionem, aut beneficij prouisionem mota sit lis inter præsentatores, electores, aut prouisores de iure conferendi; Distinguendum est si lis moueatur super possessione; quia dum non constat quis eorum possideat, nullus sibi possessionem arrogare poterit, quousque lis finiatur, alias vnus alteri contrarius esset, & vnusquisque sibi ius in propria causa diceret. Et idem est si lis moueatur super proprietate nemine existente in possessione. Quia cum omnibus æquale ius dubium competat, & omnes prouidere in solidum non possint? efficitur sanè expectandum esse litis euentum. Quod si intra semestre, vel quadrimestre non decidatur, deuoluitur prouisio ad superiorem *cap. quoniam. cap. si verò. c. cum propter. de iur. patr* At si aliquis illorum in possessione existit, & causa agitur super proprietate, ius conferendi ad possessionem pertinet: neque ex lite attentata amittere debet possessionis fructus. iuxta *text. in c. 1. vt lite pendente. in 6.* sic Garc. aliis relatis. *5. par. de benefic. c. 6. num. 22.*

Neque obstat *tex. in c. Cumana de elect.* vbi cappellani erant in possessione eligendi & vacante Ecclesia mota fuit eis quæstio super ius eligendi, & non valuit eorum vox, quia non docuerunt de iure proprio. Non in quam obstat, quia vt dicit Ioan. And. ibi & Gloss. marginalis *in c. ex litteris. de iur patron.* fuit facta protestatio contra capellanos, cui protestationi ipsi consenserunt. Præterea non fuit certum esse in possessione legitima. Adde irritam fuisse eorum electionem, quia non fuit à maiore parte, & quia fuit contra constitutionem concili generalis relati in *cap. quia propter. de elect.*

4 Aduerto tamen cum Cou. *c. illo 14. n. 2.* sententiam latam contra electores, vel præsentatores aut prouisores beneficiorum neque nocere, neque prodesse electis præsentatis, aut prouisis siue ignorauerint, siue sciuerint, quia est res inter alios acta. Vt autem prouisis noceat, debent ipsi vocari in iudicium, & ibi pronunciari non esse legitimè prouisos, eo quod prouidentes non fuerint in possessione cõferendi. Nam esto constet proprietatem non habuisse, eaque de causa possessione excludantur: si tamen tempore prouisionis fuerunt in possessione, electio, præsentatio, collatio, & institutio firma persistit. Quia fuit legitimè facta, & videtur tenere Garcia 5 *p. de benef. c. 6. n. 32.*

5 Rursus de sequestre dubium est, an beneficia conferre possit? Sequestrem voco eum apud quem res litigiosa deponitur seruanda ei qui lite vicerit. *l. sequester. de verb. signific. l. ei apud quem. & l. proprie. & l. licet. ff. depositi* Duplex est sequester, alter voluntarius, alter necessarius. Voluntarius est, qui ex voluntate litigantium designatur à iudice. Necessarius. qui contra voluntatem litigantium à iudice constituitur *l. licet. ff. de posit.* de hoc ergo sequestre voluntario, & necessario controuertitur, an beneficia prouidere possit.

Quia in re triplex est sententia. Prima negat de vtroque sequestre, Quia sequester non possidet rem sequestratam, neque illam nomine proprio administrat, sed alieno, vt constat ex *l. interesse. ff. de acquir. possess. l. 1. Cod. de sequestrat. possession.* Sed in præsenti nomine alieno fieri prouisio beneficij non potest; quia dum est sequestrum non constat, cui competat ius prouidendi. Secundo sequester fructus rei sequestratæ obligatus est seruare victori, *cap. cum Bertoldus de sentent. & re iudic. cap. 1. de sequestrat. possess. clem. 1. eodem tit.* Sed prouisio beneficij est fructus rei sequestratæ. Ergo seruanda est victori. Tertio sequester comparatur creditori habenti pignus, cui est annexum ius prouidendi, sed huic creditori nequit ius prouidendi competere. *cap. cum Bertoldus de re iudicata.* Ergo neque sequester; & ita tenet Hostiens. Butrius, Abbas *in cap. examinata, de iudiciis.* Bacza *de decima tutori præstanda. cap. 10. numer. 17.* Ceuallos *quæst. 740.*

Secunda sententia distinguit de sequestre voluntario, & necessario. Et sequestrem voluntarium affirmat prouidere beneficia posse, secus necessarium: sic Ioann. Selua *de benef. 2. cap. 9.* Rebuff. *de nominat. q. 14. num. 117. & 128. alias 76.* Petr. Gregor. *de benefic. cap. 38. n. 18.* Mouentur, quia sequestri voluntario competit rei sequestratæ possessio, secus necessario, vt tenet communis sententia cum Bartol. *in l. interesse puto. ff. de acquir. possess.* Abbas *in clem. 1. de sequestrat. possess. num. 13.* Gregor. Lopez. *leg. 1. tit. 9 part. 3. verbo auenencia.* & alii relati à Garcia 4 *p. de benef. c. 6. n. 18.*

Tertia sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, affirmat sequestrem villæ, castri, dignitatis, beneficii, quibus est annexa alicuius beneficii prouisio, beneficium prouidere posse: sic pluribus firmat Azor. 2. *p. instit. mor. lib. 6. cap. 25. q. 17. fin.* Ioann. Gutierrez *de tutelis. 3. part. cap. 7. num. 17. & 18.* Gonzalez *gloss. 13. num. 17.* Nicol. Garcia 5 *part. de benef. cap. 6. à n. 1 & seqq.* Ratio est, quia sequester rei sequestratæ ad ministrationem habet, non solum quoad temporalia sed etiam quoad spiritualia *clem. 1. de sequestrat. possess. & fructuum*: sed ad tectam illius administrationem pertinet, vt iura illius exequatur, vt tradit Gloss. *in supra. clement.* Ergo ad sequestrem pertinet beneficij prouisio rei sequestratæ annexa.

6 Neque obstant contraria. Ad primum primæ sententiæ concedo sequestrem rem sequestratam administrare non posse nomine illius, qui in causa victurus est, eo quod sub lite est, & prorsus ignoratur, quis sit victurus. Administrat tamen nomine iudicis, & superioris, qui illum verum administratorem constituit. Ad secundum fateor, sequestrem obligatum esse seruare victori fructus rei sequestratæ, qui seruari possunt. & ex quorum consumptione redditur ditior sequester, at beneficij prouisio non est fructus qui seruari potest: cederet enim in graue Ecclesiæ damnum, si reseruaretur prouisio beneficii vsque ad litis decisionem. Neque est fructus, qui sequestrem ditiorem reddat. Ergo non est seruanda victori. Ad tertium nego, sequestrem esse omnino similem creditori pignoris: nam pignus certum dominum habet, secus vero sequestrum; eáque de causa creditori pignoris non conceditur beneficia prouidere; quia est dominus certus, qui prouidere possit; conceditur tamen sequestri quia non adest certus dominus, sed dubius.

7 Notandum tamen est sequestrem, vt possit beneficiorum prouisiones annexas rei sequestratæ facere, debere esse clericum, & non laicum, quia laicus incapax est iuris spiritualis Quod intelligendum est de iure spirituali proprio, & per se, quale est electio, institutio, confirmatio, collatio; & præsentatio Ecclesiastica: hæc enim in laicum cadere non possunt *cap. causam. de præscript. c. 2. de iudiciis.* Quocirca si apud laicum sequestraretur Ecclesia prælatura, dignitas, beneficium, quibus ius præsentandi, conferendi, eligendi annexum est, nequaquam posset ipse laicus tale ius exequi? quia non censetur sequester in spiritualibus constitutus, sed solum in temporalibus: sic Azor. 2. *part. instit. moral. lib. 6. cap. 25. q. 17. in fine.* Garcia 5 *part. de benefic. cap. 6. à num. 13.* Dixi laicum incapacem esse iuris spiritualis proprie, & per se, vt tacitè insinuatem iuris spiritualis rei temporali annexi capacem esse. Quapropter si apud laicum sequestraretur villa, castrum, seu alia bona, quibus ius præsentandi annexum est pro certo existimo præsentare posse, sicuti lite finita dominus villæ poterit, esto laicus sit, præsentare. Et idem est si ius præsentandi laicale de per se sequestraretur. Garcia *supra n. 15.*

8 Tandem de conductore dubitari potest, an beneficia possit conferre? Ratio dubitandi sumitur ex *cap. ex litteris. de iurepatronat.* vbi conductoris præsentatio valet. Sed dicendum est conductorem propriè nequaquam posse beneficia conferre? quia adest dominus qui conferat; & in conductione non intelliguntur fructus spirituales concedi: sic Azor. 2. 2. *part. institut. moral. lib. 6. cap. 25. quæst. 18.* Greg. Lop. *leg. 9. tit. 15. part. 1. in prine.* Ioann. Gutierr. 3. *part. de tutelis. cap. 29. n. 16.* Garc. 5 *part. de benef. c. 6. n. 16.* Neque obstat *c. ex. litteris*, quia ille miles non erat propriè conductor villæ, sed emphyteuta. cui vtile dominium rei emphyteuticæ competit, & consequenter ius præsentandi, nisi in contractu exceptum fuerit.

Punctum XXIX.

Qua ratione capitulo sede vacante competat beneficiorum collatio.

1 *Tenetur intrà octo dies eligere vicarium; alias deuoluitur electio.*
2 *Potest vnum, vel duos designare.*
3 *Non est necesse. quod sit de capitulo.*
4 *Qualis eligendus sit.*
5 *An in vicarium designatum transferat capitulum omnem iurisdictionem? Probabilius est non habere ampliorem iurisdictionem, quam vicarius Episcopi.*
6 *Si intra octo dies non designatur vicarius, potest capitulum moram purgare. si is ad quem sit deuolutio, non designauerit.*
7 *Constitutum vicarium probabilius est absque legitima causa reuocari non posse.*
8 *Capitulum in collatione beneficiorum pertinentium Episcopo nullam potestatem habet; exceptis casibus à iure expressis*
6 *Quæ in iure excipiantur.*
10 *Beneficia, quæ iure deuoluto ad Episcopum pertinent, esto aliqui affirment competere capitulo; verius est oppositum.*
11 *Quid de beneficiis parochialibus, quæ per cõcursum prouidentur; proponitur affirmatiua pars.*
12 *Sed contrarium est dicendum.*
13 *Beneficia patrimonialia non possunt à capitulo prouideri.*
14 *Satisfit difficultati n. 11. relatæ.*
15 *Beneficia resignata nequaquam capitulũ prouidere potest. esto possit admittere resignationes.*
16 *Proponitur quædam obiectio. Et sit illi satis.*
17 *Beneficia permutata aliqui affirmant posse capitulum prouidere.*
18 *Probabilius est oppositum.*
19 *Fit satis contrariis rationi.*

20 *Excipitur ab aliquibus permutatio, quæ viuente Episcopo admissa est. Sed non approbatur.*

21 *Qualiter capitulum beneficia commendare possit.*

1 PRæmitto capitulum sede vacante obligatum esse intra octo dies à notitia vacationis eligere vicarium, vel existentem confirmare, qui saltem in iure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri possit idoneus, in quem iurisdictionem sibi datam transferat. Alioquin si suffraganea sit Ecclesia, devolvitur electio Metropolitano Episcopo. Si vero Metropolitana sit, aut exempta, antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior in exempta poterit vicarium idoneum constituere: sic Concilium Trident. *sess. 24. cap. 19. de reformat.*

2 Tenetur capitulum designare vicarium vnum, an vero possit duos, vel plures designare. Non decidit à concilio. Relinquitur ergo dispositioni iuris communis, ac proinde potest, maximè si viuente Episcopo consuetudo præscripta erat, quod duo essent vicarij: & ita in praxi vidi receptum in pluribus Ecclesiis in quibus sede vacante designabantur duo vicarij, cum tamen sede plena vnus tantum designatus esset. Sic Francisc. Pauin. *tract. de potest. capit. sede vacante, 2. part. q. 10. num. 6.* Azor. *2. part. lib. 3. cap. 37. quæst. 18.* Ludouic. Mol. *tract. 5. de iust. disput. 11. num. 1.* Quiranta *sum. bullar. verbo capitulum sede vacante, n. 9.* Garcia *4. part. de benef. cap. 7. n. 36.* Barbosa *de potest. episc. alleg. 54. n. 165.*

3 Non est necessarium, quod designatus vicarius sit de capitulo: quia nullibi capitulo tale onus imponitur, sicuti neque Episcopo, & sæpe ita fieri conuenit ad liberius iustitiam administrandam; imò aliquando est necessarium, si fortè in capitulo non reperiatur idoneus. August Barbosa *in declarat. concil. ad prad. cap. 17. num. 2. & dicta 3. part. allegat. 54. num. 195.* Anton. Genuens. 85. *alias* 86. Quarant. *sum. bullar. verbo capitulum sede vacante, num. 6.* Garc. *dicto. cap. 7. num. 13.* Mol. *tract. 5. disp. 11. n. 1.*

4 Debet tamen esse doctor, vel licenciatus in iure canonico si inueniri potest: alias eligatur quantum fieri potest idoneus. Quod si omittatur graduatus, cum facilè haberi possit, & eligatur carens eo titulo, credo probabilius nullam electionem, vtpotè factum contra formam à concilio præscriptam, & superiori deuolui. Sic Genuens. Barbosa, Quaranta *supra* & Garcia *à num. 6.* qui *num. 14. & seqq.* optimè aduertit reprobandum esse abusum aliquarum Ecclesiarum eligentium sede vacante duos vicarios, vnum in iure canonico doctorem, vel licentiatum, qui causas expedire possit: alium theologum, seu non graduatum ad expeditionem ineptum, qui medietatem emolumentorum officij recipiat: est enim talis theologi in vicarium designatio iniqua, & nulla; neque theologus habet titulum ad recipienda illa emolumenta: imponere autem legitimo vicario onus diuidendi lucrum cum vicario præsumpto, vel cum aliis est iniustitia, & simonia. Deinde non est opus in huius vicarii electione, quod seruetur forma electionis, præscripta in *cap. Quia propter. de electione.* sed quomodocunque fiat siue publicè, siue per vota secreta tenet. Quaranta *sum. bullar. d. verbo capitulum sede vacante. circa finem* Garc. *5. p. de benef. cap. num. 21.* referque sic declarasse sacram concilii congregationem. Verum si detur casus (qui moraliter est impossibilis) vt non inueniatur neque in capitulo, neque extra, qui munus vicarii per se rectè obire possit, debet capitulum ei consultorem doctorem designare, aut ipse designatus vicarius illum assumere partibus non suspectum, vt sic suo muneri satisfaciat; Barbosa *in remission. concily. sess. 24. cap. 16.*

5 Huic vicario designato committit capitulum iurisdictionem, quia illam per se exercere non potest. Sed an omnem iurisdictionem, quam habet transferat in vicarium ex sola designatione, an solum respectu illarum rerum, quæ speciale mandatum non requirunt, non est constans sententia. Aliqui affirmant omnem iurisdictionem capituli translatam esse in vicarium? quia capitulum solum habet designare vicarium; at concilium transfert in vicarium designatum iurisdictionem absque vlla limitatione: sic Marc. Anton. Genuen. *in praxi. cap. 84. alias 86. n. 3. & 5.* & indicat Vgolin. *de censur. tab. 1. c. 10. §. 2. n. 4.*

At probabilius est ex sola designatione non habere vicarium capituli ampliorem iurisdictionem, quam habet vicarius Episcopi, sed indigere speciali commissione ad ea quæ requirunt speciale mandatum: sic Quaranta *sum. bullar. verbo capitulum sede vacante. quæst. 2. & num. 15. vers. circa quam commissionem.* Pauin. *de potest. capit. 2. part. quæst. 10. num. 17.* Garc. *5. parte de benef. cap. 7. à num. 29* Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 54 num. 158. in fine, & num. 175.* Ratio est, quia concilium solum statuit eligendum esse vicarium à capitulo: quod autem debeat omnem capituli iurisdictionem habere, non decidit. Ergo sine fundamento affirmatur. Adde consilium permittens vicario ab Episcopo electum confirmare, tacite insinuat facta confirmatione eandem iurisdictionem habere ac antea, & non ampliorem: quia confirmatio nihil de nouo tribuit, sed quod antea erat firmat, & roborat *leg. Aurelius §. in testamento ff. de liber. & legat.* & docet Rota apud Falinac. *in nouissimar. decisione. 199 num. 10. & decis. 592. num. 3.* Neque est verum à concilio datam esse vicario iurisdictionem. Quia concilium nec minuit nec mutauit capituli iurisdictionem, sed solum statuit modum quo illa vti deberet, scilicet per vicarium designatum. Quapropter solum præcepit capitulo designationem vicarij? quoad autem iurisdictionis vicario esset tradenda, capitulo liberum relinquit. Alias si vicarius capituli à concilio, & non à capitulo haberet iurisdictionem, nequaquam vicarius capituli duci posset, neque illius vices gerere, sed concilij; vel Ecclesiæ. Suar. *tom. 5. in 3. part. disput. 7. sect. 3. num. 13.* Garc. *5 part de benef. cap 7. à num. 32.* Barbosa *3 part. de potest. episc. allegat. 4. n. 180.* Quod non solum in vicario designato à capitulo procedit, sed etiam in vicario designato à Metropolitano ob negligentiam capituli. Quia ob huius negligentiam solum habet vicarium designare Metropolitanus & iurisdictionem communem, & sollitam concedi à capitulo illi concedere independentem à capituli voluntate. At non aliam iurisdictionem concedit, nisi iurisdictionem capituli; quia ad ipsum non deuoluitur capituli iurisdictio, sed vicarii designatio. Quare suspenso capitulo & vicarius suspensus erit; vt tradunt Quaranta, Garcia, Suar. Barbosa *supra.* Formam commissionis, quæ solet vicario à capitulo concedi, tradit Quaranta *supra vers. duodecimo.* Barbosa *num. 159.* apud quos eam videre potes

6 Dixi capitulum obligatum esse intra octo dies, quo notitiam habuerit vacationis Ecclesiæ, vicarium designare: alias Metropolitano designatio deuoluitur. Sed an hæc deuolutio impediat, ne capitulum possit moram purgare, & vicarium designare. Affirmat Quaranta *in sum. bullar. verbo capitulum sede vacante n. 4.* Suar *tom. 5. de censur. disput. 28. sect. 3. n. 3.* Quia posita negligentia capituli conceditur à concilio, Metropolitano ius nominandi vicarium. Ergo priuari à capitulo illo iure non potest; si autem capitulum adhuc posset vicarium nominare, priuare capitulum posset iure quæsito. Item ob negligentiam capituli transfert concilium eius potestatem in Metropolitanum. Ergo nulla ratione potest nominare, quia priuatum est.

Cæterum probabilius credo nominare posse: sic Garcia *5. p. de benefic. cap. 7. n. 7.* Ratio ea est, quia ad Metropolitanum non deuoluitur ius nominandi priuatiuè, sed cumulatiuè, Tum quia hæc deuolutio non est alicuius beneficii Ecclesiastici, sed officii: ac proinde non est necesse, quod naturam deuolutionis beneficiorum sequatur, præcipuè cum sit constitutio pœnalis. Tum quia ipsum concilium ob negligentiam Ecclesiæ Metropolitanæ, vel exemptæ solum dicit, vt antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta œconomum, & vicarios idoneos possit constituere. Cum autem nihil dicat de priuatione capituli, efficitur capitulum priuatum non esse potestate nominandi vicarium, esto ob eius negligentiam aliis hæc potestas concessa sit.

7 Maior dubitatio est; an constituto vicario possit ad nutum capituli reuocari? Plures doctores censent reuocari posse: sic aliis relatis Barbosa *3. de potest. episc. alleg. 54. num. 170. & in declarat. concily ad cap. 16. sess. 24.* vbi refert à sacra congregatione sic declaratum esse Molina *de iustit. tract. 5. disp. 11. n. 1.* Azor. *2. part. instit. moral. lib. 3. cap. 37. quæst. 18.* Ratio est, quia vicarius gerit vices capituli; & nomine ipsius iurisdictionem exercet. Ergo conueniens est vt à capitulo pendeat in eo exercitio. Et confirmo. Capitulum, cum vicarium designat, tredendum est designare ad suum beneplacitum: quia hic modus designationis illi conuenientior est, vtpotè, à sua voluntate magis pendens. Ergo mutato suo bene placito cessit designatio, & consequenter vicarii iurisdictio, sicuti si vicarius designatus esset ad certum tempus, scilicet pro sex mensibus, illis transactis, cessaret vicarius, nisi denuo confirmaretur.

Nil ilo minus censeo verius. vicarium designatum ad beneplacitum capituli non posse absque legitima causa à capitulo remoueri, neque designatum pro limitato tempore illo durante. Moueor; quia beneplacitum, sub cuius conditione designatur vicarius, debet esse rationabile, iurique conforme. Sed in officiis iurisdictionem continentibus sic non est, quoniquidem causa legitima reuocationis constet, vt comptobat Guillelm. Benedict. *in cap. Raynutius. de testament. verbo duas habens filias, n. 39.* Boërius *decis. 149.* Burgos de Paz. *cons. 21. n. 5. & seqq.* Pelaez. *de maioratib. 4. p. q. 10. n. 3. & seqq.* Ergo vicarius designatus à capitulo, sub capituli beneplacito reuocari nullatenus potest absque causæ cognitione. Præterea designatus à Metropolitano ob negligentiam suffraganei nequit reuocari, alias inutilis esset Metropolitani designatio? si quidem ea facta reuocari à capitulo posset. Ergo neque designatus à suffraganeo poterit ab ipso reuocari pro libito? cum ab vtroque eadem iurisdictio concedatur. Deinde hæc impotentia reuocationis recto Ecclesiæ regimini conueniens est; si enim vicarius pro libito capituli reuocari posset vix capitulares auderet ob excessus punire, & suo officio satisfacere. Ne igitur hoc in conueniens sequatur, dicendum est constituto vicario reuocari nullatenus posse durante constitutionis tempore: & ita tenet Marc. Anton. Genuen. *cap. 48. alias 86 n. 4.* Quaranta *sum. bullar. verbo capitulum sede vacante n. 3.* Garcia *5. p. de benef. cap. 7. n. 21.* referque ex Genuen. à sacra congregatione sic decisum esse: conducere

que

quæ tradit Matienzo *leg.6.tit.*10.*lib.*5.*compilat.gloss.*2.& Guttier. *lib.*3.*pract.q.c.*11.*n.*2.& 25. affirmantes officiales creatos ad beneplacitum censeri perpetuos, neque posse absque causæ cognitione reuocari. *argum.leg.iur isperitos. in princ.ff.de excusat.tutor.* His positis.

8 Quæstio est, quam potestatem habeat capitulum in collatione beneficiorum? Et dicendum est in beneficiis, quæ sunt de collatione Episcopi; esto capituli consensus, vel consilium requiratur, nullam potestatem habere, exceptis aliquibus casibus à iure expressis: sic doctores omnes statim referendi. Nam licet verum sit capitulum succedere Episcopo in iis, quæ Episcopo iure ordinario competunt: *cap. cum olim. de maiorit. & obedient. & c. unico. eodem titulo. in 6. cap. ad abolendam. de Hæreticis. c. penult. & fin. de supplenda neglig.prælat. in 6. & extrauag.execrabilis. vers. cæterum. de præbendis.* At quia collatio beneficiorum ab hac regula excepta est, *cap 2. ne sede vacante. & cap. unico. eodem titul. in 6. & cap.1. de institutionib. eodem lib.* ea de causa nequit capitulum se in hac prouisione intromittere. Ratio huius prohibitionis ea est, quia beneficij prouisio, est illius liberalis donatio, saltem ea ex parte, qua huic potius, quam alteri fit, ideoque inter fructus Episcopalis dignitatis computatur, conuenit ergo vt successori reseruetur. Et hoc verum habet, esto beneficium viuente Episcopo in mense ipsius vacauerit, neque ab illo fuerit prouisum, vt benè aduertit Molina *tractat. 5. de iustit. disputat.* 11. *numer.* 11. *in fine.* Supradicta doctrina non solum de proptia collatione, sed etiam de electione, vel præsentatione ad Episcopum spectantibus intelligenda est: quia sunt fructus Episcopalis dignitatis, & prohibitio generalis est. Francisc. Pauin. 2. *part. de potest. capit. quæstion.* 5. *sub numero* 3. & 4. Lambert. *de iure patron. libro secundo; quæst.*2. *artic.*4. Azor. 2. *part. institut. moral. libro* 3. *cap.*38. *quæst.*10. Garcia 5. *part. de benefic. capit.*7. *numer.*52 Dixi in beneficiis, quæ sunt de collatione Episcopi. Nam sint simul de collatione capituli, poterit capitulum defuncto Episcopo, aut omnino impedito prouidere; quia tunc vtitur iure suo, & tota conferendi potestas ad capitulum transfertur: habetur *capite primo ne sede vacante. in 6.* & tradit Panormit. *cap. illa. eodem titul. num.*4. Azor. 2 *part. libro sexto. capit.*25. *quæstion.*13. Molina *tractat.*5. *de iust. disp.*11. *num.*13.

9 Præterea dixi exceptis aliquibus casibus à iure expressis. Nam expressum est in iure posse capitulum sede vacante electionem factam confirmare. *dicto cap. cum olim. de maiorit. & obedient.* Item posse instituere præsentatos à patronis. *capit. primo de institut. in 6.* & notauit Azor. *suprà quæstion.* 2. Molina *de iustitia tractat.*5. *disputat.*11. *num.*13. Garcia *num.*54 & alij apud ipsos, Institutio namque, & confirmatio non est tam donatio beneficiorum, quam donationis factæ necessaria confirmatio, & approbatio. Quod verum habet etiam casu quo eligerentur, vel præsentarentur plures æquè idonei, & locus esset gratificationi, adhuc poterit capitulum hanc confirmationem, vel institutionem facere. Quia absolutè necessaria est, & obligatoria, tametsi libera sit quoad personam electam: si quidem ea commissa alia eligi poterat, Francisc. Pauin. *de potest. capit. sede vacante* 2. *p.q.*4. *in fin. & quæst-*5. *num* 2. Garc 5. *p. de benef.c.*7. *num.*75.

10 Difficultas est, an beneficia, quæ iure deuoluto ad Episcopum pertinent, competant capitulo? Affirmant Ioann. Andr. Dominicus Franciscus *in capite quamquam. de elect. in 6.* Zerola *in praxi.*1. *part. verbo capitulum.* § 5. *&* 2. *part.* §.10. Zechus *de benefic. & pensionib. capite* 5. *numero quinto.* Molina *tract.*5. *de iust. disput.*11. *numer.*12. Rationem subdit Molina, quia prouidere beneficium deuolutum actus est Episcopalis iurisdictionis omnino necessarius ad rectam diœcesis administrationem, sed in iurisdictione necessaria Episcopi succedit capitulum sede vacante, vt tradit glossa communiter recepta in *clem.*1. § 1. *verbo capituli, de Hæretic.* Ergo succedit in hac beneficiorum prouisione.

Cæterum tenendum est contrarium. Quia Episcopus non arctatur aliquo speciali titulo beneficia deuoluta prouidere, quo non arctetur ad prouidenda ea, quæ iure ordinaria competunt. Sed quæ iure ordinario competunt Episcopo, non transeunt in capitulum. Ergo neque transire possunt deuoluta. Item Episcopus beneficia deuoluta non tam iure ordinario, quam iure delegationis prouidet: sed capitulum non succedit in iis, quæ competunt Episcopo iure delegationis etiam à iure communi inductæ. Abbas *in dicto cap. cum olim. quæstion.*5. Felin. *ad* 10. *quæstion.* & plurib. firmat Sanchez *lib.*8. *disputat.*2. *numer.*10. Garc. 5. *part. de benefic. cap.*7. *numer.* 42. Ergo neque succedit in beneficiorum deuolutorum prouisione. Deinde capitulo interdicta est beneficiorum prouisio Episcopo competens, à qua generali prohibitione non sunt excepta beneficia deuoluta. Denique explicantes secundam reg. Cancell. vt probabilius defendimus beneficia deuoluta, quæ Episcopus viuens non prouidit, sedi Apostolicæ, tanquam vacantia sede Episcopali vacante, reseruata esse. Ergo capitulum nequit illa prouidere: & ita tenet plures referens Garc. 5 *p. de benef. cap.*7. *n.*53. Azor. 2. *p. inst. lib.*3. *c.*38. *q.*6. *& lib.*6. *c.*27. *q.*9.

11 Secunda difficultas est, an beneficia parochialia, quæ iuxta Trident. *sess.*24. *c.*18. *de reform. & constitutionem Pij V.* debentur iis, qui in concursu magis idonei fuerint reperti, possint à capitulo prouideri? Ratio difficultatis est. Quia capitulum vacante Ecclesia parochiali apponere edicta potest, & ad concursum vocare, & concurrentes examinare, & ex approbatis digniorem eligere. Sed facta hac electione electo debetur beneficium, illudque iure exigere potest, & à contraria electione appellare, vtpote facta contra formam concilij. Ergo potest capitulum, & debet ei beneficium conferre. Probo consequentiam. Ideo capitulum potest beneficia conferre, quæ præmissa electione, vel præsentatione conferuntur: quia illorum collatio non est libera, sed obligatoria. At collatio dignioris ex approbatis non est Episcopo libera, sed obligatoria. Ergo capitulum succedens Episcopo in potestate conferendi beneficia, quæ non sunt liberæ collationis, succedit in collatione parochialium. Secundo probo eandem consequentiam, Beneficium, seu capellania ex fundatione conferendum propinquioti fundatoris, esto liberum sit à iure patronatus, potest, & debet à capitulo sede vacante prouideri: si secludamus reseruationem *reg.* 2. *Cancell.* & hoc nulla alia ratione, nisi quia illa collatio non est libera, sed obligatoria, & debita. Sed posito quod aliquis ex concurrentibus, & examinatis dignior sit, iam est obligatoria, & debita illi collatio. Ergo neque satisfacis, si dicas collationem dignioris non esse, neque vocari in iure debitam, & necessariam, sicuti collatio facienda electo, vel præsentato, aut à fundatore designato; quia ad collationem dignioris compelli non potest Episcopus, neque eius necessitas oritur ab aliquo tertio Secus vero in collatione facienda electo, vel præsentato, aut à patrono designato. Non inquam satisfacit; quia facta declaratione maioris dignitatis iam est ius quæsitum electo sic declarato: ac proinde à retardata collatione appellare potest. Neque hoc ius ex potestate Episcopi adæquatè procedit, sed ex electi dignitate, & ex constit. Trid. præcipiente ei fieri collationem.

12 Nihilominus tenendum est tanquam omnino certum, nequaquam posse capitulum sede vacante beneficia parochialia prouidere: sic docet aliis relatis Gonzalez *ad reg.*8. *Cancell. gloss.*9. §.1. *num.*76. Molina *tract.*5. *de iustit. disput.*11. Garcia 5 *p. de benefic. cap.*7. *num.*86. *& num.*90. & quidem stante reg.2. Cancell. reseruante omnia beneficia sede Episcopali vacante, nemini dubium esse potest. At illa secluса probari potest: quia omnis collatio beneficiorum prohibita est capitulo, exceptis casibus à iure expressis, vt dictum est: cum autem sola institutio & confirmatio ab hac regula excipiatur, quælibet alia beneficiorum collatio prohibita erit.

13 Hinc fit beneficia patrimonialia, quæque certo generi personarum debita sunt, non posse (etiam secluса reseruatione reg. 2. Cancell.) à capitulo prouideri, vt multis relatis docet Gonzalez *gloss.* 9. §.1. *num.*7. *& gloss.*45. *num.* 20. & adducit Rotæ decisionem in vna Calagurritana beneficij de Arcaya 26. Aprilis 1596. quam ad longum refert Garcia *supra num.*89. esto ipse *num.*90. contrarium sentiat. Moueor, quia beneficia esse debita certo generi personarum, non constituit collationem necessariam; sed liberam, & voluntariam relinquit: liberum enim est Episcopo, hanc collationem intra semestre omittere qua omissione facta deuoluitur ad superiorem collatio. Neque aduersus hoc procedit, quod propinquiori fundatoris, & aliàs digniori debeatur collatio: debetur namque, quoties collatio facienda est: sed quia non est debita fieri ab huiusmodi Episcopo, ideo respectu illius libera est. Durante namque semestri nullus cogere potest Episcopum hanc collationem facere; quia totum illud tempus est illi concessum à iure ad prouidendum: illo vero transacto iam cessat potestas in ordinatio collatore, & deuoluitur ad superiorem. Ergo nunquam ordinarius collator, potest cogi ad conferendum hæc beneficia. Ergo respectu illius sunt beneficia liberæ collationis, ac proinde non transeunt in capitulum.

14 Et ex his soluitur difficultas relata *num. tracedenti*: concedo namque sede vacante posse capitulum circa parochialium prouisionem omnia præstare vsque ad electionem dignioris inclusiue, quæ posset Episcopus si viueret. At ex hac electione nullum est ius considerabile quæsitum electo in beneficiis reseruatis: cum non teneatur Pontifex electum ab Episcopo prouidere. Secus vero dicendum videtur in beneficiis non reseruatis posita declaratione dignioris. Quia iuxta formam concilij digniori taliter declarato debentur. Adde esto daremus in beneficiis reseruatis digniori esse ius quæsitum ad beneficia, vt concedi debet in beneficiis, quæ ex fundatione debentur consanguineo fundatoris propinquiori, & constat aliquem talem esse. Quia tamen hoc ius ordinarius exequi non tenetur, neque ad id compelli potest; ea de causa eorum collatio comparatione ordinarij libera est. Verum in beneficiis, quæ præmissa electione, vel præsentatione conferuntur, aliter res se habet. quia in his compelli ordinarius potest tum à patrono, & electore, tum ab electo, & præsentato, vt, electum confirmet, & præsentatum instituat: neque ipse se defendere potest ex semestri concesso ad conferendum. Pro institutione namque, & confirmatione non est hoc semestre concessum, neque ob illius omissionem institutio, & confirmatio ad superiorem deuoluitur; quia in his, vt dicemus, non datur deuolutio.

15 Tertia difficultas est de beneficiis resignatis ad collationem Episcopi pertinentibus, an hæc capitulum sede vacante prouidere possit? Et ratio difficultatis est; quia hæc prouisio videtur necessaria admissa resignatione, & ad illam faciendam ordinarius compelli potest. Dicendum tamen est beneficia sic resignata nequaquam capitulum prouidere posse, quia ei interdictum est conferre beneficia ad liberam Episcopi prouisionem pertinentia, qualia hæc sunt, & notauit Azor. *suprà*. Et ad rationem dubitandi nego prouisionem esse necessariam, facta resignatione libera. Neque enim magis necessaria est huius beneficij prouisio, quam si vacaret beneficium morte beneficiati. Neque ordinarius ex tali resignatione arctatur beneficium resignatum alicui in particulari conferre, sed liberè, cui maluerit conferre potest. Verum etsi hoc ita sit, capitulum sede vacante admittere resignationes liberas beneficiorum potest, sicut potest Episcopus. Quia succedit Episcopo in iis, quæ ad iurisdictionem Episcopalem pertinent, & ad rectam Episcopatus administrationem, exceptis casibus à iure expressis, vt dictum est. At resignationum admissio non est in iure excepta. Ergo in illarum admissione succedit capitulum: sic Abbas *in cap. cum olim. de maiorit. & obedient. & ibi.* Felin. *num.* 4. Pauin. *de potest. c. 2. part. q. 2. n. 11. & 13.* Azor. 2. *part. lib. 3. c. 38. q. 3. & lib. 7. c. 19. q. 7.* Garc. 11. *p. de benef. c. 3. n. 256 & seqq.*

16 Quod si vrgeas: beneficiorum resignationes admittere ille superior potest, qui potest beneficia conferre, & collata remouere. Gloss. *in clem. vnica. de renuntiat.* Flamin. Paris. *lib. 7. de resignat. quæst. 10. & quæst. 15. & 16.* Garc. 11. *part. de benefic. capit. 3. numer. 251.* Azor. 2. *part. institut. moral. lib. 7. cap. 19. quæst. 7.* & alij apud ipsos. Cum ergo capitulum potestatem non habeat hæc beneficia resignata conferendi; sit neque habere potestatem admittendi resignationes. Resignatio namque ad collationem ordinatur. Responderi facilè potest, negando superiorem, qui admittere resignationes potest, debere esse necessario, qui beneficia illa potest conferre: sæpè enim ad inferiorem Episcopo beneficij resignati collatio pertinet, & non ad Episcopum, cum tamen ad Episcopum pertineat resignationem admittere, & non ad collatorem, vt benè notauit Azor. 1. *part. instit. moral. lib. 7. cap. 19. quæst. 7. fine.* Item sæpè ad ordinarium resignationes beneficiorum reseruatorum fiunt, cum tamen illa beneficia conferre nullateaus possit, vt multis allegatis resoluit Flamin. *lib. 1. de resignat. quæst. 14. numer. 6.* Barbosa 3. *part. de potest. Episc. alleg. 69. à num. 22 & seqq.* Quare ille superior potestatem habebit admittendi resignationes, qui alias potestatem habet instituendi, & destituendi, neque aliud dicunt doctores relati. Cum ergo capitulum sede vacante hanc potestatem habeat; efficitur resignationes liberas admittere posse.

17 Quarta difficultas est de beneficiis permutatis, an hæc conferri à capitulo sede vacante possint? Videtur affirmatiuè respondendum: quia permutantes compellere possunt superiorem admittentem permutationem, vt sibi beneficia permutata conferat; quia sub illo onere permutatio facta est. Cum ergo capitulum potestatem habeat collationes necessarias peragendi. *argum. cap. cum olim. de maiorit. & obedientia, & cap. 1. de institution. in 6.* poterit hæc beneficia permutata compermutantibus conferre. Quod vero ordinarius possit hanc permutationem admittere, tradit Pauin. *de potest. capit. part. 2. q. 3. n. 19.* Rebuff. *praxi. titulo de deuolut. n. 95.* Zerola *in praxi. 2. part. verbo capitulum. § 7.* Et probatur, quia potest resignationem simplicium admittere, ergo permutationem, quæ minus est. Tum quia admissio permutationis actus est iurisdictionis Episcopalis ad rectam diœcesis administrationem pertinens. Transit ergo in capitulum, cum non inueniatur in iure excepta. Tum quia ex admissione permutationis non infertur obligatum esse superiorem admittentem permutationem illa beneficia conferre, si quidem beneficiorum reseruatorum permutationem admittere ordinarius potest, vt tradit Flamin. multis relatis *lib. 2. de resignat. q. 16. in princip.* Barbosa *allg. 69. n. 25.* Ergo poterit capitulum hanc permutationem admittere, tamet si beneficia conferre non possit, & ita docet, relato Imola, Gloss. *in clement. 1. de rerum permutat.* Gregor. Lopez *leg. 2. titul. 6. part. 5. num. 6.* Petr. de Perusio *tractat. de permutat. benefic. 2. part. quæst. 6. num. 23. & 24. aliàs 41.* Zechus *de benefic. & pension. cap. 10. num. 2.* Azor. 1. *part. institut. moral. lib. 3. cap. 38. quæst. 4.* Subdunt veto hi doctores expectandum esse Episcopum, qui beneficia conferre possit. Quod si noluerit, posse permutantes ad propria beneficia redire.

18 Cæterum verius existimo, non posse capitulum resignationes ex causa permutationis admittere, tradit Garcia alios referens. 11. *part. cap. 4. num. 75.* Ratio ea est, quia has permutationes admittere necessario debet, qui habeat potestatem beneficia permutata conferendi, si quidem vnusquisque permutans hac intentione, & conditione proprium beneficium resignat, vt loco illius beneficium alterius sibi conferatur. Ergo admittens permutationem necessario habere debet potestatem beneficia conferendi. Cum ergo capitulo interdicta sit collatio beneficiorum ad ordinarium liberè spectantium, & hæc permutationis admissio interdicta erit. Ex quo constat, nequaquam posse capitulum sede vacante, neque Episcopum resignationes ex causa permutationis admittere de beneficiis reseruatis, quia nequit illa conferre, & tradit Puteus *decis. 162. lib. 2.* Mantica *de tacitis, & ambiguis conuent. lib. 25. titul. 9. à n. 12.* Azor. 2. *part. lib. 7. c. 29. q. 10.* Mandos. *reg. 1. Cancell. q. 13.* & pluribus Garcia 11. *part. de benefic. c. 4. n. 82.*

19 Neque obstant *num. præcedenti* adducta. Concedo namque permutantes compellere posse superiorem permutationem admittentem, vt illam perficiat, beneficiaque permutata conferat, & sic facta permutationis admissione collationem esse necessariam. Nego tamen inde inferri posse capitulum, & beneficiorum permutationem admittere, & beneficia permutata conferre; quia necessitas huius collationis non aliunde, quam ex libera permutationis admissione prouenit. Cum ergo dicitur capitulum conferre posse beneficia, quæ sunt necessariæ collationis Episcopi, intelligendum est, quando sunt necessitate absoluta, & ab aliis ipsi Episcopo imposita. Secus vero quando sunt necessaria ex suppositione; necessitate inquam, quam ipse Episcopus sibi imponit liberè admittens permutationem. Cum vero vrges admittere permutationem, esse actum iurisdictionis Episcopalis, quæ in capitulum transit. Respondeo, esse quidem actum iurisdictionis Episcopalis, sed capitulo interdictum; cum capitulo interdicta sit beneficiorum collatio, quam secum permutatio necessario inuoluit.

20 A supradicta doctrina excipit Garcia 11. *part. de benefic. cap. 4. num. 81.* permutationem illam beneficiorum, quæ viuente Episcopo admissa est, neque ad effectum fuit perducta: hanc enim permutationem posse capitulum perficere, & beneficia sic permutata conferre docet, ea motus ratione, quia permutationis admissio iam præcessit, & solum perfectio illius desideratur; at hæc posita admissione debita est permutantibus. Ergo poterit capitulum illam expedire, & beneficia compermutantibus conferre, cum succedat in iis, quæ sunt iurisdictionis necessaria. Verum hæc exceptio mihi non probatur: quia firmatam doctrinam destruit, ideo namque interdicta est capitulo permutationis beneficiorum admissio; quia beneficiorum collatio illi interdicta est. Ergo admissio permutationis non releuat collationis interdictum. Præterea hæc collatio libera, & voluntaria est, cum eius necessitas orta non sit ab aliquo distincto à collatore, non igitur capitulum in ea succedit. Adde vix huiusmodi casum contingere posse, cum admittens permutationem, eo ipso collationem beneficij præstet, & eodem contextu admittatur vtriusque renunciatio, & pariter fiat vtriusque collatio, vt aliis relatis docuit ipse Garcia 5. *par. c. 8. n. 104.*

21 Quinta difficultas est de beneficiis commendatis, an capitulum sede vacante ea commendare possit? Sub distinctione respondeo, si de propria commendatione loquamur, nequaquam id fieri potest, quia commendatio beneficiorum collationi æquiualet, quæ est capitulo interdicta. Adde omnem commendationem, parochialium à Tridentin. esse Episcopis, & à fortiori capitulis interdictam: sed loco commendationis vicarij designatio succedit. Trident. *sess. 24. cap. 18.* & diximus *diss. 1. punct. 8.* Verum si de commendatione ad tempus, seu vicaria sermo sit, bene potest capitulum beneficia commendare, seu in eis vicarios constituere. Sic Panormit. *in cap. cum olim. de maiorit. & obedient.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de deuolut. n. 77.* Azor. aliis relatis 3. *part. lib. 3. c. 38. 7. 8.* & colligitur ex dicto loco Trid. *sess. 24 c. 18.* Quia hæc vicarij designatio ad rectam diœcesis administrationem pertinet. Tempus autem, quo hæc commenda, seu vicaria durare potest, est dum beneficium à legitimo collatore non prouidetur, quia aliud necessarium non est, Azor. & Rebuff *suprà*.

Punctum XXX.

De potestate vicarij Episcopi in beneficiorum collatione.

1 *Triplex vicarius Episcopi distinguitur.*
2 *Vicarius tam foraneus, quam generalis potestatem non habet beneficia conferendi.*
3 *Excipe nisi habeat speciale mandatum.*
4 *Ex hoc generali mandato quid possit vicarius.*
5 *Concedi potest vicario generali potestas beneficia conferendi, sed an foraneo concedi possit examinatur.*
6 *Vicario in spiritualibus tantum constituto hæc potestas committi potest, tametsi plures censeant debere esse vicarium generalem in spiritualibus, & temporalibus.*
7 *Qua sit forma constitutionis vicarij, & an laïè interpretanda sit.*
8 *Censeaturne hæc potestas concessa per clausulam generalem, qua tuo vicario concederes liberam, vel plenam potestatem omnia administrandi? Affirmant plures, sed negatiua pars est probabilior.*
9 *Quid si vicarium constitueres cum clausula, vt omnia loco tui facere possit, excepta præsentatione beneficiorum, vel illorum vnione, aut suppressione, an possit beneficia conferre? Negatiua pars tenenda est.*

10 Ex

10 *Ex facultate concessa prouidendi beneficia quomodocúque vacauerint, potest prouidere beneficia vacantia ob resignationem. vel permutationem.*

11 *Ex facultate concessa vicario admittendi resignationes nō infertur potestas beneficia conferendi.*

12 *Neque ex facultate admittēdi resignationes simpliciter factas infertur potestas admittendi ex causa permutationis*

13 *Ex facultate admittēdi resignationes ex causa permutationis, potestas conferendi beneficia permutata colligitur, esto alij contra sentiant.*

14 *Ex facultate concessa omnia beneficia conferēdi potest vicarius conferre beneficia deuoluta.*

15 *Sub potestate absoluta conferendi beneficia, & eligendi, & præsentandi intelligitur, esto contrà alij sentiant.*

16 *Extra diœcesim exerceri hæc potestas potest*

17 *Extenditur doctrina non solum ad collationē, sed etiam ad institutionem, & confirmationem.*

18 *Vicarius non potest alium vicarium constituere, benè tamen potest vices suas ad breue tempus alteri committere.*

19 *Vicarius non potest Episcopo, neque eis à quo est designatus, beneficia prouidere.*

1 PRæmittimus triplicem esse vicarium Episcopi, natum, foraneum, & à lege constitutum. Natus vicarius est, qui cum officio, & dignitate nascitur, neque pendet ex Episcopi nominatione quales sunt Archidiaconi *cap. 1. de officio Archidiac.* & Archipresbyteri *cap. vt singuli de officio archipresbyteri.* Sed horum iurisdictio fere iam extincta est. Neque de illis agimus in præsenti, quia ex præcisa ratione archidiaconatus nullam in conferendis beneficiis habent iurisdictionem. Vicarius foraneus dicitur, vel quia extra fores, seu ciuitatem in qua episcopus residet constituitur, vel quia de foris venit, vel potius quia forum, & iudicium non generale, sed speciale tenet quare vicarius ab Episcopo constitutus pro aliquo oppido, seu oppidis, & non pro tota diœcesi vicarius foraneus nuncupandus est. Vicarius vero generalis, & à lege constitutus est, qui pro tota diœcesi ab Episcopo nominatur. Sed tam vicarius foraneus, quam generalis, clericus esse debet saltem primæ tonsuræ, quia laico iurisdictio spiritualis committi non potest. An vero hi vicarij iurisdictionem delegatam, vel ordinariam habeant est grauis inter doctores controuersia *in tract. de iurisdictione*, late examinanda. De vicario foraneo fere omnes affirmant delegatam habere iurisdictionem, ac proinde ab illo ad Episcopum dari appellationem, iuxta *textum in cap. super quæstionem. §. porro. de officio delegati.* At de vicario generali communior sententia negat esse delegatam. Tum quia ad idem tribunal pertinet, ita vt à vicario generali Episcopi ad Episcopum non sit appellatio *cap. Romana de appellationib. in 6.* Tum quia facti Episcopi nominatione iurisdictio vicarij ab ipsa lege conceditur; in his conueniunt doctores apud Azor. 2. *part. instit. mor. lib. 3. cap. 43. per totum.* Molina *tract. 5. de iustit. disp. 10* Nicol. Garcia. 3. *part. de benefic. cap. 8.* Augustt. Barbosa 1. *par. de potest. episc. alleg. 54 à num. 1. & seqq.* Thom. Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 29.*

2 Vicarius ergo tam foraneus, quam generalis ex ratione vicariatus potestatem non habent beneficia conferendi, nisi eis specialiter concedatur, probat expressè *textus in cap. vlt. de officio vicarij. lib. 6.* & tradunt omnes. Et rationem reddit textus, quia vicario ex ratione vicariatus solum est concessa Episcopatus administratio, in his quæ necessitatis sunt, & vtilitatis. Sed cui est concessa bonorum administratio etiam libera, non est concessa illorum donatio, vt tradit ipse textus, & probat *lex filius familias. ff. de donationib. leg. contra iure. ff. de pactis.* Ergo vicario ex generali mandato vicariatus non est concessa beneficiorum collatio: si quidem collatio beneficiorum quædam donatio est. *cap. relatum de prabendis. cap. post electionem. de concess. prabenda.*

Quod adeo verum est, vt etiam si ad solum Episcopum pertineat consensum præstare in collatione alicuius beneficij, nequaquam posset à vicario non habente speciale mandatum suppleri. Quia impotens ad donationem nequit donationi consentire. *leg. cum quis. ff. de Regul. iuris. leg. creditur. Cod. de donat. inter vir. & vxor.* & tradit Rebuff. *in praxi benef. tract. de vicario episc. num. 91.* Federicus *cons. 164.* Azor. 2. *par. lib. 3. cap. 44. quæst. 3.* Stephan. Gratian. *discep. forens. cap. 303. num. 1.* Barbosa 3. *part. alleg. 54. num 61.* Deinde ex hoc generali mandato non poterit vicarius resignationes etiam liberas beneficiorum admittere, & approbare & multo minus ex causa permutationis. Quia ille potest resignationem admittere, qui potest clericum in beneficio instituere, vel destituere. Glossa communiter recepta. in *clem. 1. de renunciat. verbo manibus:* cum autem sine speciali mandato non possit vicarius clericum à beneficio dimouere, neque poterit eius resignationem approbare: & ita tradunt Rebuff. *praxi beneficiar. tit. de vicario. num. 104.* Aloysius Riccius *in praxi aurea resolut. 471.* Azor. 1. *p. inst. mor. lib. 7. cap. 29. quæst. 4.* Nicol. Garcia 11. *p. de benefic. cap 4 num. 14.* Sbrotius *de vicario episc. lib. 2. quæst. 130* Flamin. *lib. 7. quæst. 24. n. 3. de resign.* Augustt. Barbosa 3 *par. de potest. episc. alleg. 54. n. 66*

4 Verum ex hoc generali mandato potest vicarius præsentatos à patronis. instituere, & electos confirmare, vt expressè probat *textus in cap. & sequentibus de instit. & ibi* Glossa, *& cap. fin. de officio vicarij. in 6. verbo non possunt. & cap. 5. de instit. in 6.* & tradunt alios referentes Conarru. *lib. 3. var. cap. 20. 7.* Sbrotius *de potest. vicar. lib. 2. quæst. 70. & 111.* Azor. 2. *p. inst. mor. lib. 3. cap. 44. quæst. 4 & 5. & lib. 6. cap. 22. quæst. 3 & cap. 25. quæst 14.* Augustt. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg. 54. num. 70.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 9. § 1. à num. 78.* Garcia 5. *p. de benefic. c. 8. num. 48. & p. 8. cap. 4. num. 10.* Et ratio est, quia vicario sic constituto competunt ea quæ sunt iustitiæ, & necessitatis. vt tradunt omnes. Instituere autem præsentatos à patronis vel electos confirmare, iustitiæ & necessitatis est; cum ad id compelli possit tum à patrono, & electoribus, cum à præsentatis electis. Quod procedit, esto sint plures electi, & præsentati æquè idonei. Nam licet in huiusmodi casu non teneatur vicarius hunc potius quam alium eligere, sed possit ex præsentatis, & electis eligere quem maluerit, & sic detur gratificationi locus. Quia tamen obligatus aliquem ex illis eligere neque ab electione abstinere potest, ideo non est mera gratia, sed potius est iustitia, & absoluta necessitas: ac proinde sub eius potestatem cadit: sic aliis relatis Garcia 5. *par. de benefic. cap. 8. n. 88.* & refert pro hac parte optimam Rotæ decisionem.

Insuper potest hic generalis vicarius interim dum beneficium vacat & non prouidetur de rectore, vel rector impeditus est, vicarium constituere, qui beneficium regat, & animarum salutis prospiciat; quia hæc designatio rectæ Episcopatus administrationi necessaria est. Deinde hæc vicarij designatio non est beneficij collatio. sed illius recta, & prouida administratio. At si ob imperitiam alicuius rectoris, & à fortiori ob eius depravatos mores vicarius esset constituendus: iuxta Trident. *sess. 22. cap. 6. de reformat.* non poterit vicarius ex generali mandato illum constituere; quia ex generali mandato non potest beneficiatos exercitio sui muneris priuare, & loco illorum alios subrogare: hæc enim grauiora sunt, & maiora, quam in generalem commissionem veniant. Couuarruuias 3. *var. cap. 20 num. 7.* Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg. 54. num. 73.* cum Puteo *decis. 239. n. 2.* Sbrotio *lib. 2. de vicario epis. quæst 112. à n. 2.* & probat textus *cap. licet. de officio vicar. lib. 6.*

5 Dixi *num. 2.* vicarium tam generalem quam foraneum non habere potestatem beneficia conferendi, nisi eis specialiter concedatur. Concedi namque potest, & ferè semper conceditur generali vicario foraneo, tamen nunquam conceditur, imo nec concedi posse alteri quam vicario generali affirmat communis sententia, cum Glos. *vlt. in cap. statutum. de prabendis in 6. & in cap. deliberatione. verbo cuicunque. de officio delegati eodem lib.* & plures referens Couarruu. 3. *var. cap. 20. ante. n. 7.* Rebuff. *praxi benef. tit. de vicario Episcopi. ex num. 15. & in forma vicariatus. num. 2.* Garcia 5. *p. de benefic. cap. 8. num. 120.* Mouentur ex eo, quod beneficiorum collatio sit res magni momenti, sedulamque, ac diligentem prouidendorum examinationem requirat, vt merito fieri non debeat ab alio, quam à persona qualificata, & quæ pro totius diœcesis gubernatione est constituta. Crederem tamen hoc intelligendum esse de potestate conferendi beneficia totius diœcesis. Nam de potestate conferendi beneficia alicuius loci, non video qua ratione committi non possit vicario foraneo illius, tametsi generalis non sit, & sic committi posse tradunt Rebuff. *titul. de vicariis. n. 23. & 24.* Sbrotius *de vicario episc. lib. 1. 7. 53. in 5.* quos refert, & sequitur Garcia *supra n. 125.*

6 Sed est dubium, an hic vicarius generalis, cui hæc potestas conferenda est, debeat esse generalis vicarius non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus; Affirmant Pauin. *de officio, & p. potest. cap. sede vacante. quæst. 10. n. 31* Rebuff. *tit. de vicariis. num 8. & in forma vicariatus. num. 1. & 16.* Sbrotius *de vicario episc. lib. 2. quæst. 90.* Azor. 2. *p. lib. 3. cap. 43. quæst. 7. & cap. 46. sub prima quæst.* Mouentur, quia solus ille dici debet generalis vicarius Episcopi; qui vices illius gerit in omni regimine Episcopo competenti: cum autem Episcopo competat rerum temporalium, & spiritualium administratio, *cap. si quis. 1. quæst. 3.* Idemque & ille erit vicarius generalis, qui vtriusque administrationem, & vices exercere potest. Et confirmo. Vicarius solum pro spiritualibus designatus nuncupari non potest generalis comparatione vicarij pro spiritualibus, & temporalibus designati, sicuti vicarius pro certa diœcesis parte designatus, non vocatur generalis comparatione vicarij designati pro tota diœcesi; quia ad hanc generalem requiritur vt non comprehendatur sub alio. Cum ergo ex communi sententia solum vicario generali concedi possit facultas prouidendi beneficia totius diœcesis, efficitur solum vicario pro spiritualibus, & temporalibus constituto concedi posse.

Nihilominus probabilius censeo vicario in spiritualibus tantum constituto committi posse hanc facultatem. hic Garcia. 5. *p. de benefic. cap. 8. num. 121.* Augustt. Barbosa *de potest episc. alleg. 54. num. 57.* Ratio est quia vicarius pro spiritualibus tantum constitutus absolutè vicarius generalis nuncupatur, vt ex bullis, & ex litteris Apostolicis testatur Flam. Parisi. *de resign. lib. 8. quæst. 7. num. 187.* & constat ex Trid. *sess. 13. de reformat. c. 2.* ubi *seu illius*

etiam vicario in spiritualibus generali, & ex *cap. cum nullus.* §. *Episcop. de temporib. ordinat. in 6*, ibi: *ipsius in spiritualibus vicarius generalis*, & tradunt Iacob. Sbrotius *de vicario Episc. lib. 1. q. 25. n. 4* Thom Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 29. n. 11.* Garc. & Barb. *supra*. Neque obstat vicarium pro spiritualibus, & temporalibus constitutum generaliorem esse quominus constitutus pro spiritualibus, vel temporalibus tantum generalis nuncupetur, est enim generalis, quia est pro tota diœcesi, & comparatione vnius generis vniuersalis causarum.

7 Formam autem, qua hæc potestas conceditur, & qua vicarij generales constituuntur, tradunt Azor. *2. p. inst. mor. lib. 3. c. 46. q. 1.* Iacob. Sbrot. *de potest. vicar. lib. 1. q. 70.* Aug. Barb. *3. p. de potest. Episc. alleg. 54. n. 56.* & alij. Ea vero debet latè quantum fieri potest explicari; quia est fauor, & beneficium cedens solum in detrimentum concedentis. Ex quo fit, si in forma dicatur, vt possit vicarius omnia beneficia, quæ ad Episcopum pertinent, conferre, poterit beneficia curam animarum habentia, & dignitates Ecclesiarum cathedralium prouidere, sic Azor. *2. part. inst. mor. lib. 3. cap. 44. quæst. 7. & 8.* Augst. Barbosa *3. part. de potest. Episc. alleg. 54. numer. 63.* Tum quia sub nomine beneficij in materia fauorabili hæc omnia continentur, vt tradit Gloss. *in cap. 1. de Reg. iuris. in 6.* Tum quia procurator datus ad præstandum consensum in beneficio collato, potest præstare consensum in dignitate, vt relato Felino *in cap. postulasti. de rescript.* tradit Azor. *dicta 2. part. lib. 3. cap 44 quæst. 7.* Ad beneficia vero post commissionem erecta, & instituta existimat Azor. & Barbosa nequaquam extendi; colliguntque *ex clement. litteras. de rescriptis*, ibi, *litteras nostras super conferendo tibi beneficio vacaturo directas ad beneficium post datam ipsarum creatum statuimus non extendi.* Sed contrarium credo probabilius ob rationem nuper dictam. Quia hæc potestas cum non sit odiosa, vel pœnalis, latè est interpretanda. Ergo comprehendere debet tam beneficia erecta, quam erigenda. Neque *clem. litteras*, contradicit; quia illud mandatum, vtpote certæ personæ de certo beneficio concessum, strictè est interpretandum, quia ambitiosum est; ac proinde non mirum, vt ad beneficia solum tempore commissionis existentia extendatur. Vt autem hæc potestas conferendi beneficia, quæ vicariis solet concedi, plenius intelligatur, aliquæ sunt difficultates enodandæ.

8 Prima, an sufficienter hæc potestas censeatur expressa per clausulam generalem, qua tuo vicario concederes liberam, vel plenam facultatem omnia administrandi, sicuti tu ipse habes? Vera videtur pars affirmans. Nam clausula cum libera, & plena potestate, inducit mandatum speciale, vt tradit Bartol. communiter receptus, *in leg. procurator, cui generaliter libera. ff. de procurator. & in leg. si procurator. C. eodem tit.* Sed vicarius habens speciale mandatum prouidendi beneficia illa conferre posset vt notum est. Ergo etiam conferre posset habens administrationem cum libera.

Cæterum tenenda est pars negans cum Flamin. *de resignat. libro nono, quæst. 7. num. 34.* Garcia *5. part. de benefic. cap. 8. n. 118.* Quia ex huiusmodi clausula solum infertur, posse vicarium ea præstare, quæ ad rectam Episcopatus administrationem pertinent, non tamen infertur, posse exercere ea quæ sunt meræ gratiæ, & donationis; qualia sunt beneficiorum collationes, saltem vt vni potius, quam alteri conferantur. Neque enim in administratione etiam libera conceditur donandi potestas, vt notat *textus in dicto cap. fin. de officio vicarij. in 6.* Adde hoc verum esse, esto vicarium constituetes, cum clausula vniuersali, vt omnia loco tui præstare possit, tametsi ea sint, quæ speciale mandatum requirunt. Nam si nihil in particulari exprimas, clausula illa habetur pro non adiecta, vt probat *textus in cap. qui ad agendum. de procur. lib. 6.* & tradit Molina *tract. 5. de iust. disp. 10. n. 9.* At si aliquid exigens speciale mandatum exprimeres, & simul adderes omnia alia quæ speciale mandatum requirunt, eo ipso omnia illa concedis ex *suprad. c. qui ad agendum.* & notat Molin. *suprà* Couarr. *lib. 1. var. cap 6. n. 3.* Sbrotius *de vicario Episc. lib. 1. q. 65. n. 5. & 7.* Garcia *5. part. de benefic. c. 8 n. 68.* Quod intelligendum est, dummodo illa omnia generaliter expressa grauiora, vel maiora non sint specialiter expressis. Sbrotius *n. 10.* Garc. *n. 69.* & colligitur *ex clem. 2. de procurat.*

9 Secunda, & maior difficultas est, si vicarium constituetes cum clausula generali, vt omnia loco tui facere possit, esto speciale mandatum requirant, excepta suppressione beneficiorum, illorum vnione, aut præsentatione, an ex vi huius exceptionis generali clausulæ appositæ habeat vicarius potestatem conferendi omnia beneficia, & reliqua omnia præstandi, quæ mandatum speciale requirunt? Latè, & eruditè hanc quæstionem disputat Couarr. *lib. 2. var. cap. 5. à num. 4 sed præcipuè n. 8. & 9.* eius resolutionem approbat noster Molina *tractat. 5. iustit. disput. 10. num. 9.* & mihi probanda videtur; nempe ex vi huius exceptionis non concedi vicario potestatem conferendi beneficia, neque aliquid aliud efficiendi speciale mandatum requirens: si enim per clausulam illam generalem, qua omnia concedis vicario, quæ ipse potes, &c. non censeris concedere quæ speciale mandatum requirunt, nisi ea in particulari exprimas iure sic disponente, per exceptionem factam id concedere nequaquam potes: exceptio namque non ad ampliandam concessionem, sed potius ad illius restrictionem apponitur. *leg. 1. ff. de regul. iuris.* Quod si obicias exceptionem firmare regulam in casibus non exceptis. *leg. nam quod liquide. §. fin. ff. de penu legat. & cap. 2. de coniugio leprosor.* Cum ergo sola suppressio beneficiorum, vel illorum vnio à potestate vicarij excludatur; firma censetur concessio in reliquis casibus speciale mandatum requirentibus. Facilè respondetur concedendo exceptionem firmare regulam in casibus non exceptis, comprehensis tamen sub concessione. Cum ergo iure sic disponente nullus casus speciale mandatum requirens sub illa concessione comprehendatur, nullus casus speciale mandatum requirens firmatus manebit ex tali exceptione. Quod si instes, ergo superfluè, & inutiliter est facta illa exceptio; si quidem in concessione comprehensa non erat. Respondeo spectato iuris rigore id verum esse. At quia non omnis callet iuris dispositionem, & in literali verborum sensu exceptio illa comprehensa erat, ideo dici potest non esse superfluè, & inutiliter exceptionem factam. Couarr. *dicto c. 5. n. 9. circa finem.*

10 Tertia difficultas est, an ex facultate concessa vicario conferendi beneficia quomodocunque vacauerint, possit ipse admittere resignationes beneficiorum, illaque beneficia confere? Crederem id fieri posse. Nam resignatio solum expostulat fieri coram superiore potente beneficium resignatum conferre, Gloss. *in clem. vnica de renuntiat. verbo manibus.* Cum autem supradictus vicarius hanc habeat facultatem, poterit beneficiorum resignationem admittere.

11 At econtra ex facultate concessa vicario admittendi resignationes absolutè, & simpliciter factas, non infertur potestatem habere beneficia resignata conferendi. Quia est actus omnino separatus, neque cum resignatione connexus; sic relato Rebuff. *in addit. ad reg. 13. Cancell. verbo, aut vicarius perpetuus, vers. item vicarius Episcopi & tit. de forma vicarij, n. 105.* docet Barbosa *dicta alleg. 54 n. 68.* Neque obstat impotentem beneficia conferre incapacem esse admittendæ resignationis. Quia intelligi debet incapacem esse ex se, & iure proprio, secus si ei spectaret committatur.

12 Rursus neque ex facultate concessa admittendi resignationes simpliciter factas infertur admittere posse resignationes ex causa permutationis, quia sunt resignationes conditionales quarum approbatio est virtualis beneficiorum collatio ipsis permutantibus facta, sic Rebuff. *praxi benef. tit. de forma vicariat. n. 104.* Garcia *5. p. de benef. c. 8. n. 110.*

13 Quarta difficultas est, an concessa vicario facultate approbandi, seu admittendi resignationes ex causa permutationis censearis concedere facultatem beneficia sic resignata conferendi? Negat Rebuff. *praxi benefic. titul. de forma vicarij. n. 104. & 106.* Augst. Barbosa *3. part. allegat. 54. num. 68.* Staphil. *de litteris gratia. titul. de variis modis vacat. §. resignationis modus. à n. 23.* Roman. *concil. 330. n. 5.* vbi Horatius Mandos. *lib. 1.* Felin. *in capit. auditis. numer. 3. de præscriptionib.* Moueri possunt, quia aliud est conferre beneficia permutantibus, aliud admittere permutationem. Ergo optimè potest dari facultas ad permutationem admittendam, quin detur ab beneficia permutata conferenda.

Alij econtra (quod mihi probabilius apparet) affirmant ex facultate concessa approbandi resignationes ex causa permutationis, datam esse facultatem beneficia resignata conferendi: sic Dominic. *in cap. fin. de officio vicarij in 6. n. 10.* Azor. *2. part. instit. moral. lib. 3. cap 44. q. 6.* Garcia *5. part. de benefic. c 8. n 114. & seqq.* & alij apud ipsos. Ratio est, quia esto conferre beneficia permutantibus distinguatur ab approbatione permutationis: at ita illi est connexum, vt necessario approbans permutationem obligatus sit beneficia permutantibus conferre, quia sub illa conditione permutatio fit. Ergo concessa facultate approbandi permutationem, conceditur facultas beneficia permutantibus conferendi: & hoc probat stylus communiter obseruatus, vt eodem tempore, & eodem contextu, quo admittantur resignationes ex causa permutationis, & ipsa beneficia resignata permutantibus conferantur.

14 Quinta difficultas est de beneficiis deuolutis, an in quam hæc conferri à vicario possint ex facultate concessa omnia ad Episcopi collationem pertinentia conferendi. Dicendum est conferri posse. Quia ea beneficia Episcopus confert iure ordinario, & commuti, ob negligentiam collatorum inferiorum. Ergo transit illa potestas in vicarium, præcipuè cum latè explicanda sit: & ita tenet relato Fauino, & Rebuff. Azor. *2. part. institut. moral. lib. 3. cap. 44 quæst.* 2. Augst. Barbosa *3. p. allegat. 54. num. 62.* Excipe, nisi beneficia sint deuoluta ad Episcopum, tanquam sedis Apostolicæ delegatum, vt contingit ob negligentiam regularium prælatorum, *clem. 1. de supplenda negligent. prælatorum.* Quia tunc non iure ordinario, sed delegato competit. Non igitur generalis potestas conferendi beneficia ad horum collationem extenditur; sic Azor. & Barbosa *suprà*. Quod à fortiori procedit, quoties collatio beneficiorum competit Episcopo iure speciali, aut priuilegio. Quia hæc aliis communicari non potest. Sic relati doctores.

15 Sexta difficultas, an ex facultate absoluta conferendi beneficia

beneficia, quæ ad Episcopum pertinent, possit vicarius electiones, & præsentationes beneficiorum Episcopo competentes facere? Negat alios referens Garcia 5. *par. de benefic. cap.* 8. *num.* 83. Quia aliud est conferre, & aliud præsentare, seu eligere, vt manifestè probat *textus in cap. cum in illis. 16. §. cum autem, de prabendis. in* 6. ibi, *cum autem inter collationem, institutionem, & præsentationem differentia magna esse noscatur.* Ergo sub potestate conferendi non comprehenditur potestas eligendi, & præsentandi.

Cæterum probabilius censeo sub hac potestate absoluta conferendi, & potestatem eligendi, & præsentandi comprehendi. Nam licet collatio, præsentatio, electio, & institutio distinguantur, neque sub verbo collationis illi prouisionis modi comprehendantur. At hoc intelligendum est (vt bene notat Gonzalez *reg.* 8. *Cancell. glos.* 16. *à num.* 8.) in mandatis ambitiosis, quæque restringenda sunt, de quibus loquitur *textus in cap. cum in illis.* sed non in mandatis, & facultatibus ordinariis, quæ latissimam habere debent significationem, qualis hæc potestas est: in his enim sub verbo conferendi omnes prouisionis modi claudi debent, vt satis colligitur ex *toto tit. vt Ecclesiast. benefic sine diminut. confrant. & ex clem. vnica iuncta glossa. verbo conferantur. in fine. de rerum permutat.* & ex aliis adductis à Gonzalez *supra*, & in præsenti docet Lambertin. *de iure patronat. 1. p. lib. 2. q. 4. artic. 4.* Azor. 2. *par. instit. moral. lib. 3. c. 44. q. 10.* Hinc fit posse vicarium ex supradicta facultate beneficia commendare in illis casibus, in quibus commendæ permittuntur. Quia commendatio vel est propria beneficij collatio, vel quid minus illa, sic Rebuff. *prax. benefic. part. 1. tit. forma vicariatus. num.* 119. Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 3. *cap.* 44. *q* 10 Barbosa 3. *p. alleg.* 54 *num.* 64. Et hæc à fortiori procedunt, si iub verbo *prouidendi* fuerit data vicario potestas. Quia vt optimè probat Gonzalez *supra glos.* 17. hoc verbum latiorem habet significationem, omnesque modos prouisionis propriissime comprehendit.

16 Septima difficultas est de loco, in quo possit vicarius hanc potestatem exercere, an inquam extra diœcesim possit? Negant plures. Quia iurisdictio vicarij in hac parte est delegata. Sed delegatus inferioris à principe nequit extra territorium delegantis iurisdictionem exercere, vt tradit Bart. *in leg.* 1. *C. de summa Trinit. num.* 40. *& leg.* 1. *num.* 2. *ff. de officio proconsulis. & ibi* Bald. & alij relati à Garcia & Sanch. & alij statim referendi. Et videtur probare *textus in leg.* 2 *ff. de officio proconsulis.* ibi. *omnes proconsules statim quod vrbem egressi fuerint, habent iurisdictionem, non tamen contentiosam, vt eis manumitti: apud legatum vero proconsulis nemo manumittere poterit quia non habet iurisdictionem talem.* Cum ergo vicarius iurisdictionem in conferendis beneficiis habeat, non à principe, sed ab Episcopo, sicut legatus à proconsule, extra diœcesim conferre beneficia non potest: sic Baldus *in dicta leg.* 1. *n.* 1. Francus *c. fin. n.* 3. *de officio vicarij. in* 6. Barbarius *c. nouit. de officio legati n.* 17. Anastas. Germon. *de indultis Cardin. §. tibi quod n.* 88. licet *n.* 89. dicat contrarium esse æquum.

Verum tenendum omnino est posse vicarium hanc potestatem extra diœcesim exercere, sicuti potest Episcopus: ideo namque Episcopo conceditur iurisdictionis voluntatiæ exercitium extra propriam diœcesim, quia ratione huius exercitij nullam Episcopo illius diœcesis irrogat iniuriam: sed eadem prorsus ratio militat in eius vicario: neque enim exercitium vicarij aliud est ab exercitio Episcopi: neque magis præiudicabile. Ergo concessa Episcopo potestate exercendi iurisdictionem voluntariam extra diœcesim, & vicario concedenda est: sic tradunt alios plures referentes Couarruu. *lib.* 3. *var. cap.* 10. *num.* 8. Thom. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 34. *num.* 2. Gonzalez *glos.* 62. *num.* 3. Azorius *lib.* 3. *cap.* 44. *quæst.* 9. *& lib.* 6. *c.* 25. *q.* 12. Garcia 5. *p. de benef. c.* 8. *n.* 126. August. Barbos. 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 54. *num.* 64.

Ad *leg.* 2. in contrarium adductam facilis est solutio. Concedimus namque legatum proconsulis non habere iurisdictionem à puncto quo proconsul vrbem egressus fuerit, neque intra, neque extra prouinciam, quia proconsul legato iurisdictionem date non potest, quousque prouinciam legationis fuerit ingressus, vt probat *textus in leg. obseruare. §. post hac ff. de officio proconsulis.* At ingresso proconsule in prouinciam, optime poterit eius legatus extra prouinciam iurisdictionem voluntariam exercere, sicut ipse proconsul. Cum ergo Episcopus post captam Episcopatus possessionem designare vicarium possit, & iurisdictionem illi committere conferendi beneficia, poterit extra prouinciam existens illa conferre.

17 Supradicta doctrina extendenda est non solum ad collationem rigorosam, sed etiam ad institutionem, & confirmationem. Nam esto necessarium sit vicario aptitudinem præsentati, & electi cognoscere, vt legitimè institutionem, & confirmationem facere possit. *c. fin. de elect. in* 6. At quia hæc cognitio extraiudicialis esse potest, ideo institutio, & confirmatio, sicut & collatio beneficiorum, extra diœcesim fieri potest. Gonzalez *glos.* 62. *n.* 8. Garc. 5. *part. de benefic. c.* 8. *n.* 142.

Octaua difficultas: quibus à vicario sint beneficia conferenda, an inquam possit vicarius, vel eius substitutus Episcopo aliàs habili, aut vicario substituenti beneficia conferre.

Præmitto ex communi sententia vicarium non posse alium vicarium designare, aliàs daretur processus sine termino, & probat expresse *textus in cap. clericos. de officio vicarij*: & tradit Glossa communiter recepta *in c.* 1. *eodem titul. in* 6. *verbo ipsius.* Benè tamen potest ad breue tempus causa iusta intercedente, infirmitatis, absentiæ, alteriusve impedimenti vices suas in totum alteri committere, iure, & consuetudine sic disponente. Hi autem vicarij substituti ex eodem tribunali cum substituente iudicant, & eodem modo iudices sunt ordinarij, vt tradit Glossa *clement.* 1. *de Regularib. verbo locum aliorum.* Maranta *de ord. iudiciar. 4. part. dist. 5. n.* 22. quos refert, & sequitur Molina *tract. 5. de iust. disp.* 10. *num.* 7. consentit Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 3. *cap.* 43. *quæst.* 3. Garcia 5. *par. de benefic. cap.* 8. *n.* 150. Verum etsi pro libito non possit vicarius alium vicarium constituere, potest tamen partem iurisdictionis committere. Tum quia delegatus ad vniuersitatem causarum, vnam vel alteram causam subdelegare potest, vt multis comprobat Thom. Sanchez *lib.* 3. *disput.* 31. *à num.* 2. idque admittit Basilius Legion. saltem ex consuetudine recepta. *lib.* 5. *de matr. disput.* 26. *num.* 12. Tum quia vicarius non tam est delegatus Episcopi, quam ordinarius ipsius, vnamque cum illo personam repræsentat. Sed an inter huiusmodi causas, quas vicarius alteri delegare potest, comprehendatur beneficiorum collatio, constat ex dictis in hoc puncto. Qui enim qualitatem vicariatus generalis expostulant pro commissione facultatis conferendi beneficia, consequenter affirmare debent non posse vicarium pro libito hanc potestatem alteri committere, cum non possit vicarium generalem pro libito constituere. At cum nobis placuerit vicario foraneo facultatem conferendi beneficia illius partis diœcesis, in qua est iudex committi posse: affirmamus ibidem posse vicarium illam dimidiatam potestatem illi communicare, cum possit hunc vicarium ipse pro libito constituere, his positis.

19 Dicendum est, nequaquam posse vicarium designatum ab Episcopo siue ab ipso vicario illius in casibus, in quibus vicarium designare potest, beneficia Episcopo aliàs habili, vel ipsi vicario designati conferre. Quia vterque vicarius cum Episcopo idem tribunal constituunt, eaque de causa à vicario negligente prouidere beneficia, vel inhabili prouidente, ad Episcopum non fit deuolutio. *cap.* 2. *de consuetud. in* 6. *& cap. Romana. de appellation. eodem lib.* Ergo cum Episcopus sibi ipsi prouidere beneficium non possit: quia inter dantem, & accipientem necessaria debet esse distinctio. *cap. fin. de instit. & cap. per nostras. de iure patronat.* neque vicarius, qui eadem persona cum Episcopo reputatur, ei prouidere beneficium potest: sic Rebuff. *in praxi benefic. tit. de forma vicariatus. num.* 82. Sbrotius *lib.* 2. *de vicario Episc. q.* 91. *&* 92. Azor. 2. *p. lib.* 3. *c.* 44. *q* 15 Garcia 5. *p. de benefic. c.* 8. *n.* 143.

Verum hæc ratio solum probat vicarium generalem Episcopi, cui potestas conferendi beneficia simul cum vicariatus designatione data sit, non posse beneficia Episcopo conferre. At non probat, si vicario data sit potestas conferendi beneficia seorsim à vicariatu, vt vere dari potest, non posse beneficia Episcopo conferre: quia eo casu non censetur idem sibi ipsi beneficium prouidere, cum vicarius procedat vt delegatus, *c. si compromissarius. de elect. in* 6. Atque ita posse talem vicarium Episcopo beneficia conferre docuit Garcia 5. *p. de benefic. c.* 8. *n.* 144.

Sed contrarium omnino dicendum est; nam esto illo casu vicarius procedat vt delegatus, cum hæc delegata potestas ab Episcopo proueniat, si virtute illius posset Episcopus beneficium acquirere, ipse sibi censeretur beneficium prouidere, quod alienum est ab vsu Ecclesiæ. Non enim prouisio beneficij à beneficiario ortum habere potest, ne locus ambitioni detur. Si autem Episcopus designando vicarium, illum designaret cum potestate substituendi alium vicarium, addita clausula, *quem nos vicarium nunc, prout ex tunc, cum eadem potestate substituimus*, crederem talem substitutum posse non Episcopo, sed vicario substituenti beneficia conferre. Quia illo casu non accepit substitutus potestatem à primo vicario, sed ab Episcopo. Vicarius namque designatus solum exercet nudum ministerium, & exercitium nominationis, non confert facultatem. Ergo sicut ipse vicarius ab Episcopo prouideri de beneficio potest, etiam potest prouideri à substituto, quia ex facultate ab Episcopo accepta confert: sic aliis relatis, Garcia 5. *p. de benefic. c.* 8. *n.* 145.

PVNCTVM XXXI.

De litteris apostolicis pro beneficiis vacantibus, & de potestate executoris illarum.

CVm Pontifex mediis suis litteris Pontificiis vocatis rescriptis, beneficia prouideat, & ad illorum prouisionem executores iudices designet: videndum est, quæ litteræ sint, & quæ executorum potestas, & quæ ad eorum processum requirantur.

§. I.

§. I.

Quæ sint litteræ Apostolicæ pro beneficiis vacantibus, & qualiter concedantur.

1 *Rescripta Pontificia alia sunt in forma gratiosa, alia in forma digni. Et quæ hæc sint.*
2 *Alia vocantur gratia, si neutri, si alteri, si nulli.*
3 *Alia dicuntur rescripta, Rationi congruit.*
4 *Alia nuncupantur nova prouisio, alia simplex prouisio.*

1 LItteræ Apostolicæ, seu pontificia rescripta de beneficiis vacantibus sunt in multiplici differentia. Alia expediuntur in forma pauperum, quia paupertate allegata de beneficio prouideris, quæque vocantur rescripta iustitiæ: non quia obligatus sit Pontifex ea concedere, cum ea gratis, & liberaliter præstet. Sed quia iustissimum, & æquissimum est, vt pauperi clerico, & ad ordines promoto beneficium concedatur. Itemque vocantur rescripta secundum Apostolicam; quia eorum initium est, cum secundum Apostolicam qui altari seruit, &c. Alia vocantur rescripta gratiæ, quia nulla paupertatis mentione facta beneficia conceduntur. Deinde aliæ ex supradictis litteris Apostolicis nuncupantur in forma gratiosa, aliæ in forma digni. In forma gratiosa sunt, quæ prouisum dignum beneficio supponunt. In forma digni, quæ dignum petunt post diligentem examinationem inueniti.

2 Præterea sunt alia rescripta, seu litteræ Apostolicæ, quæ vocantur, si alteri, si neutri, si nulli, eo quòd hanc clausulam contineant. Rescriptum namque si alteri est, cum super aliquod beneficium cum altero litigas, & mentione litis facta impetras à Pontifice, vt tibi beneficium conferatur: tale rescriptum, quia clausulam, & conditionem habet, si alteri ius in beneficio quæsitum non fuerit, confertur rescriptum, si alteri. Rescriptum si neutri, est cum sunt litigantes; & tertius impetrat à Pontifice, vt sibi beneficium conferatur ea conditione, si neutri litiganti ius quæsitum fuerit. Rescriptum vero si nulli, est cum plures litigant, tu vero impetras à Pontifice beneficium, si nulli eorum ius in beneficio competat. Hæc autem rescripta, si neutri, si nulli, si alteri litem in beneficio supponunt, vt de se constat, & illius mentio necessario facienda est, vt rescriptum impetrari possit. Azor. 2. *part. institut. moral. libro septimo, cap.* 32. *quæst.* 8. Item etsi durante lite impetrentur, at effectum sortiri non possunt, quousque lis finita fuerit, & declaratum ius in beneficio, vel ad beneficium non competere; Alteri, Neutri, vel Nulli. Nam durante hoc iure siue in beneficio, siue ad beneficium rescripta, impetrantibus non prosunt. Quia Pontifex non intendit iuri quæsito derogare. & beneficia cum aliorum damno prouidere, iuxta *reg. Cancell.* 16. *de non tollendo ius alteri quæsitum.* Rebuff. *in praxi benef. q.* 1. *tit. de rescriptis si Neutri, &c. n.* 20. Azor. *suprà.*

3 Rursus est aliud rescriptum Pontificium vocatum *Rationi congruit*, eo quod illa verba sint illius initium. Hoc autem rescriptum supponit Pontificem prædecessorem gratiam concessisse, per scripturam tantum ab ipso signatam, vel saltem per verbum *fiat*, neque illam gratiam extinctam esse, non tamen litteras expedisse: successor vero cognoscens testium probatione hanc gratiam esse factam; litteras expedit hoc tenore. *Rationi congruit, conuenit honestati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia, &c.* Rebuff. *prax. benefic. part.* 11. *titul. de gratia rationi congruit.* Azor. 2. *part. lib.* 7. *c.* 31. *q.* 7. Quocirca in impetratione huius rescripti ea omnia exprimenda sunt, quæ in prima impetratione necessario fuerunt expressa. Quia est rescriptum authoritatem præbens primæ concessioni, Rebuff. *n.* 22. Azor. *q.* 10. Dixi hoc rescriptum concedi à successore, quod non est ita intelligendum, vt necessario debeat esse immediatus: nam esto mediatus sit, concedere rescriptum potest, cum eadem sit ratio. Azor. *q.* 11.

4 Item est aliud rescriptum vocatum noua prouisio, aliud vocatum simplex prouisio. Rescriptum vocatum noua prouisio, est, quo Pontifex prouisionem ab inferiore factam confirmat, eo quod impetrans dubius aliqualiter est, an prima prouisio effectum habeat. Quocirca ad hoc rescriptum obtinendum necessarium est, vt impetrans ignarus sit nullitatis prioris prouisionis, imo potius requiritur, vt præsumat, esto dubitanter primam prouisionem validam esse, cuius apud Pontificem mentionem facere debet; quia in illius confirmationem rescriptum impetrat. At si successu temporis prima inferioris prouisio nulla esse declaratur, non obinde noua prouisio à Pontifice facta petit, quia est æquè principalis, ac prima quoad subsistentiam, esto quoad concessionem accessoria esse videatur. Hoc rescriptum nouæ prouisionis dari non solet frequenter, vt colligitur *ex textu in cap. quia. & cap. post electionem. de concess. præbenda.* Excipiuntur tres causæ, videlicet vnio beneficiorum, cum dubitatur, an legitimè fuerit facta ab inferiori beneficiorum, seu præceptoriarum S. Ioannis Hierosolymitani, & aliarum sactarum militiarum prouisio, & sanctimonialium electio: pro reliquis vero causis non solet hoc rescriptum concedi, vt latius hæc omnia prosequitur Rebuff. *praxi benefic.* 1. *part. titul. de nouæ prouisione & simplicit. à numero primo & seqq.* Azor. 2. *part. institt. moral. lib.* 7. *cap.* 31. *q.* 7. Simplex vero prouisio est, quæ nullam aliam validam prouisionem supponit, solumque relatione facta beneficij vacantis conceditur: sic Rebuff. & Azor. *suprà.*

Denique est rescriptum à Pontifice concessum vocatum, *perinde valere*, eo quod virtute illius concedit Pontifex, vt rescriptum à se concessum, quod ex aliquo capite nullum fuit, vires obtineat, & perinde valeat, ac si principio validè expeditum fuisset, nullusque in illius impetratione defectus commissus. Quapropter ea omnia, ob quæ primum rescriptum valore caruit, in hoc secundo rescripto nuncupato, *perinde valere*, exprimenda sunt, alioquin nullius effectus erit. Azor. 2. *part. institt. moral. lib.* 7. *cap.* 31. *quæst.* 1. 3. & 4. & *seqq.* Quod si insuper aliud impedimentum contraxit, eo quod conscius nullitatis prioris prouisionis possessionem accepit, fructusve beneficij in sui vtilitatem consumpsit, obligatus est huius intrusionis mentionem facere. Azor. *quæst.* 5.

§. II.

Qui sint executores litterarum Apostolicarum, & quæ eorum potestas.

1 *Qui soleant executores gratiarum designari.*
2 *Qualis sit hæc designatio.*
3 *Debent esse canonici Cathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate constituti.*
4 *Eligitur hic iudex per præsentationem authenticam litterarum originalium, vel alias authenticarum.*
5 *Si hic designatus iudex prouisionem facere omittat intra* 30. *dies designatos, potest prouisus ad secundum executorem recurrere.*
6 *Si iustè primus executor denegat prouisionem, non potest ad secundum recurri.*
7 *Quamdiu duret executorum potestas.*
8 *Prouisus si sentit se grauatum à primo executore, neque potest ad secundum recurrere, necessario ad Pontificem recurrere debet.*
9 *Excipit Garcia, si denegetur prouisio ob reprobationem examinatorum, sed non admittitur.*
10 *Si prouisus esses ab ordinario, & prouisus Apostolicus te perturbat, quid tibi faciendum est?*

1 INter prouisores beneficiorum non infirmum locum tenent ij, quibus à sede Apostolica committitur executio prouisionis alicuius beneficij vacantis. Pontifex namque prouidens aliquem de beneficio vacante, solet committere huius executionis prouisionem vel ordinario loci, vbi beneficium residet, vel quem prouisus petit, & designat. Quod si hic ordinarius designatus, & requisitus intra 30. dies prouisionem non exequatur, ne prouisio effectu careat, conceduntur litteræ executoriales Episcopo viciniori, seu eius vicario, cum integra totius causæ commissione.

2 Duplex est hæc executoris designatio iuxta diuersam beneficij prouisionem. Si enim prouisum approbauerit Pontifex, eique beneficium contulerit, quin executor tentatur dignitatem prouisi explorare, neque aliud facere, quam eum in possessionem mittere; est designatio nuncupata in forma gratiosa. Quia gratia collationis facta executori committitur illius executio. seu prouisi in possessionem immissio. At si à Pontifice non est adæquatè facta collatio, sed facienda executori remittitur, si prouisum dignum inueniat, designatio executoris nuncupatur in forma digni. Quia sub conditione, quod prouisum dignum inueniat, beneficij collatio facienda remittitur. Sed an hæ designationes sint gratia facta, vel facienda, perceptque mercede concedentis re integra. Itemque an commissæ vicario Episcopi possit ab Episcopo expediri, aut econtra, vel transeant in successorem, vel in capitulum sede vacante, latè diximus, *tract. de legib. disp.* 4. *punct.* 16.

3 Hi executores debent esse Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel aliàs in dignitate constituti, iuxta *textum in cap. statutum. de rescript. in* 6. Neque obstat ex forma mandati plures concedi tantum ad collationem faciendam, possessionemque concedendam, quæ nullam iudicialem cognitionem requirunt, quominus debeant supradictam qualitatem habere. Tum quia ita habet stylus Rotæ, & Cancellariæ. Tum quia ferè semper partes iudicis assumunt; eo quod regulariter adit intrusus, vel alius, qui executioni contradicat: ob quam causam non sunt mere executores, sed mixti cum potestate iudicandi, & cognoscendi de causa executionem impediente. Quoties autem executor partes iudicis assumere potest, eo ipso iudex delegatus est, tametsi in ipso mandato non exprimatur, & consequenter habere debet qualitates relatas in *cap. statutum*: & ita sentit, & latè probat Nauarr. *in cap. cum contingat. de rescript. in* 6. *n.* 3. *causa nullitatis.* Neque valet solutio Garciæ 6. *part. de benef. cap.* 2. *num.* 106. affirmantis iis executoribus solum secundario, &

& accessoriè competere iudicis partes assumere posse; non autem principaliter, cum non competat illis ex forma mandati. Quia esto solum secundario concessa illis sit iudicandi potestas, hoc sufficit, vt absolutè sint iudices delegati sedis Apostolicæ, & consequenter, vt in iniuriam,& opprobrium sedis Apostolicæ cedat,si personæ non qualificatæ ea potestas committatur vt benè expendit Nauarrus *supra*. Adde non quemlibet canonicum, neque in dignitate constitutum eligendum esse executorem harum litterarum,sed illum tantum, qui ab Episcopo fuerit iudex synodalis designatus: nisi aliud ex mandato expresse constet,aliàs censenda est commissio subreptitia, iuxta Trident. *sess. 25.cap.10.de reform.*

4 Modus eligendi hunc executorem est per præsentationem authenticam litterarum originalium, vel aliàs authenticarum: nam quousque hæ litteræ expeditæ sint & executori authenticè præsententur,hoc est per notarium coram testibus executor nec iurisdictionem habet,neque in causa procedere potest. Quia illi legitimè non constat de iurisdictione,vt aliis relatis probat D. Molina *de Hispan. primog. lib.2.cap.7.num.* 58. & noster Molina *de iustit.tract.2.vbi de maiorat. disputat.599.à num.2.& seqq.* Garcia *6.part.cap.1.num.349 & 6.part.cap.2.à num.7. præcipuè num.16.* Facta præsentatione tenetur ordinarius, cui litteræ sunt directæ, intra trigenta dies collationem facere, & prouisum in possessionem mittere, nisi obstet contradictor, quem audire debet, & terminos competentes ad allegandum concedere, & finaliter sententiare & interim non currit ei tempus, quia per ipsum non stat,quominus executioni prouiso demandetur,& idem est si alia via fuerit impeditus. Garcia *6. part.de benefic.cap.2.num.* 71.

5 Quod si malitiosè prouisionem facere omittat intra illos 38 dies designatos ad prouidendum, poterit prouisus Apostolicus virtute bullæ nuncupatæ executoria, quæ simul cum alia conceditur,alium iudicem adire, qui prouisum examinet, & digno reperto beneficium conferat, & in possessionem mittat. Dixi possit prouisum Apostolicum ad secundum executorem recurrere. Nam si velit instare primum, & expectare vt prouideat,poterit ipse primus executor moram purgare, & beneficium prouidere, quia recursus ad secundum executorem in casu negligentiæ primi concessus est in fauorem prouisi, cui ipse prouisus cedere potest: sic ex quadam Rotæ decisione firmat Garcia *6.part.de benefic.cap.2 num.90.* Sed antequam his secundus executor procedat; debet ei constare primum executorem negligentem fuisse in prouisione facienda, quia solum in casu probatæ negligentiæ, vel malitiæ primi executoris ei conceditur,iurisdictio, iuxta *textum in capit. si capitulo,de concessione prab.in 6.* Et licet in bulla executoria non sit expressus casus negligentiæ,vel malitiæ primi executoris, vt executor secundus procedere possit,sed absolutè dictum sit, vt possit procedere, si designatus executor intra 30. dies prouisionem non fecerit. At sub intelligendum est,si intra 20. dies prouisionem non fecerit culpabiliter, quia in odium suæ negligentiæ; & malitiæ potestas in alium transfertur, & absque culpa hæc translatio conueniens non etat.ibi Gratian. *disceptat. forens. cap. 92.num. 31.* Garcia *de benefic.6.part.cap.2.num.69* adducitque Rotæ decisiones.

Debet inquam hæc negligentiæ primi executoris secundo constare, vt licitè & validè prouidere possit, quia negligentia primi executoris est conditio requisita, vt secundo iurisdictio concedatur: cum autem nullus iudex vti iurisdictione possit, nisi sciat se iudicem esse,sic secundus executor vti non poterit iurisdictione delegati, nisi prius sciat primum executorem negligentem fuisse, Garcia aliis relatis. *dicta 6. part.capit. 2. numer.* 95. Hanc negligentiam probabit prouisus, si ex actis ostendat primum executorem requisitum esse, vt prouisionem faciat,ipse tamen nullam omissionis legitimam causam allegauerit.

6 Vnde è contrario, si ordinarius primus executor designatus denegat prouisionem, quia prouisus non verificat narrata,vel quia prouisione indignus est, non potest virtute bullæ executoris secundus executor aditi. Quia iam primus executor suo officio functus est,& bullæ satisfecit. Non igitur est locus bullæ executoriæ, quæ solum ad supplendam malitiosam prouisionis omissionem conceditur.Neque primus executor emendare sententiam potest, cum iam officio suo functus fuerit, sic relati doctores.

7 Hinc oritur difficultas, quamdiu duret executorum potestas, cum per ipsos non stat, quominus prouisum in possessionem mittant:Et quidem durare, quousque locus sit executioni,tametsi vltra annum differatur,videtur certum, quia hæc potestas datur ad exequendam gratiam beneficialem, & cum hæc terminum non habeat, sed de se perpetua sit, etiam potestas, quæ illi est accessoria, debet esse perpetua. Neque obstat textus *in cap. quærenti, de officio,& potest.iudicis delegati*, quo cauetur potestatem iudicis delegati ad exequendam sententiam nostram, non posse vltra annum extendi. Quia huiusmodi textus loquitur de iudice delegato principaliter ad iudicandum, secus de iudice delegato ad gratiam exequendam: hic enim in sententia data pro illius executione etiam vltra annum procedere poterit,& prouisum in possessionem mittere, & de fructibus integrè illi respondere: concessa vero possessione, & fructuum perceptione, si ita eis denuo inqueretur, aliquibus placet posse executorem defendere prouisum, coërcendo contradictores censuris, pœnis, aliisque iuris remediis. Quia in supradicto breui concedetur iis executoribus, vt prouisum in possessionem inducant, faciántque illi de fructibus respondere; & sic inductum defendant, tametsi non possint cognoscere, an legitima sit contradictio. Cæterum dicendum est executoris iurisdictionem spirare eo ipso, quo prouisus pacificè inductus fuerit in possessionem, fructúsque receperit.Quia functi sunt officio, ad quod fuerunt designati. Neque enim executoribus datum est pacificos possessores iam à se constitutos defendere. Nam cum ipsi cognoscere non possint, an contradictores iure, & legitimè contradicant, nequaquam hanc contradictionem impedire possunt. Item sentiens se grauatum ex prouisione Apostolica, recurrere ad ordinatium potest pro iure sibi debito recuperando Ergo executores nequeunt hunc recursum impedire. Ergo nequeunt à contradicentibus iuridicè defendere. Ergo cum in breui conceditur executoribus facultas defendendi prouisum, intelligi debet cum facto,& quasi violenter, & non iure à possessione remouetur, vel saltem cum in continenti post acceptam possessionem inquieretur,ita vt moraliter loquendo non videatur accepta possessio,Vide Abbatem *in c.pro illorum de præbendis.n.*10.Innoc.*ibi n* 3.Staphil.*de litteris gratia,tit.de vi, & effectu clausulæ,§. significatio clausulæ inducentis.num.*3.Rebuff. *in prax.in forma nouæ prouisionis.verbo & defendant inductum, & in concordat.in forma mandati,verbo defendentes,& in repet. c.2.de concess.præbendæ.num.*29.*& seqq. clausulis mandatorum.* Garcia. *6.p.de benefic. cap.2.num.* 146.

8 Sed est dubium ex parte prouisi, quid facere debeat,si sentit se grauatū,&iniustè prouisionem denegari, posito quod non potest ad secundum executorem recurrere? Dicendum est ad Summum Pontificem, & non ad Metropolitanum appellari debere,quia solus ille est executoris prouisionem denegantis superior.

9 Ab hac doctrina excipit Garcia *6 par.de benefic.cap.2.num.* 75.casum in quo ob examinatorum reprobationem executor prouisionem denegat: quia tunc (inquit Garcia) potest prouisus à malè examinatorum reprobatione ad Metropolitanum appellare, eo quod examinatores synodales non authoritate sedis Apostolicæ,sed propria,iuxta munus, & officium suum examen fecerint,& prouisum reprobauerint. Et licet congregatio Concilij, *sess.24.cap.18.de reformat.*declarauerit ab examinatorum reprobatione non dari appellationem, hoc intelligendum esse inquit de examine in concursu facto, secus de alio examine extra concursum.Metropolitanus vero,ad quem est appellatum, obligatus est prouisum examinare cum tribus examinatoribus synodalibus,si illos habet,aliàs à tribus à se electis, & dignum repertum remittere ordinario primo executori, vt prouisionem faciat. Quod si hic noluerit, poterit transactis 30.diebus secundus executor aditi.

Verum hæc exceptio mihi non probatur Non enim examinatores synodales illa in causa procedunt authoritate ordinaria, sed delegata à sede Apostolica; siquidem examen prouisi faciunt virtute electionis executoris Apostolici, Nam si executor Apostolicus eos non eligisset,ipsi in examen procedere non possent: examinant ergo prouisum ex facultate accepta ab executore,ac proinde,vt delegati sedis Apostolicæ.Non igitur ad alium, quam ad Pontificem dari potest appellatio. Adde examen dignitatis prouisi esse accessorium collationi, illiusque fundamentum,Sed ad Metropolitanum non potest pro collatione appellari:Ergo neque pro examine dignitatis prouisi: accessorium namque sequi debet naturam principalis.

10 Rursus dubitabis econtra,quid debeas facere si prouisus ab ordinario sis, vel alias præsumis ius ad beneficium habere? Breuiter respondeo,te debere coram executore Apostolico titulum ostendere, illúmque si negetur statim, & in continenti probare summatiè, iuxta ea quæ tradit Menoch.*de arbitr. lib. 2. casu 28.num.*5. ipsum vero executorem obligatum esse te audire,& interim executionem prouisionis suspendere, alias omnia essent attentata. Quod non solùm habet verum, cum litteræ conceduntur sub suppositio quod sit aliquis intrusus, vel cum clausula *vocatis vocandis*; sed etiam si absolutè concederentur remoto quoliber detentore, Quia iniustum esse videtur, si tu inauditus iure acquisito priueris, Gonzalez *gloss.9.annotat. contra nullit. & attenta. à num.* 20. *& seqq.* Garcia *6. part. de benefic.cap.2.num.* 140.Si verò comparens ad contradicendum, postquam prouisus missus esset in possessionem, nequaquam de tua iustitia coram executore allegare posset;quia iam expirauit eius potestas;sed coram ordinario litem intentare debes, vt benè notauit Garcia *supra.num.*145.

* *
*

§. III.

Quæ debeat executor Apostolicus verificare, priusquam gratiam exequ. tur.

1 *Veritatem narratorum explorare debet, esto litteræ in forma gratiosa expediantur.*
2 *Onus probandi narratiuam prouiso competit.*
3 *Si litteræ in forma digni expediantur, debet insuper verificare dignitatem prouisi.*
4 *Si noscaris idoneus, an debeat executor te examinare? Negat Sanch. Affirmat Garcia. Conciliantur hæ sententiæ.*
5 *Quid si examinatus reperia is indignus, an possit executor aliis examinis te subiicere? Subdistinctione respondetur.*

1 SI litteræ beneficiales expeditæ sint in forma gratiosa, obligatus non est executor verificationem aliquam iudicialem facere, sed extra iudicialiter se informare potest de veritate narratorum. Hanc informationem ante omnia præmittere debet, vt gratia executioni mandari possit; quia insuper gratia habet tacitam conditionē, si preces veritati nitantur. *c. 2. de rescript. leg. fin. in princip. Cod. de diuersis rescript.* Si autem adit contradictor, præmittere iudicialem informationem narratorum debet; quia partes iudicis assumit. Nunquam tamen tenetur explorare dignitatem prouisi, quia iam præsupponitur explorata ante gratiæ concessionem, ideoque vocatur prouiso in forma gratiosa. Neque in hac parte esse potest contradictor executionem impediens. Sic doctores referendi.

2 Onus probandi narratiuam competit prouiso, quia ipsi competit iustificare suam gratiam & probare veritatem dixisse in narratione. Cæsar de Graffis *decis. 7. num. 3.* Flamin. Parisius *l. 1. quæst. 2. num. 44. & l. 10. quæst. 3. a num 1.* Gonzalez *in annotat. ad nullis. & atient. glos. 9. num. 130.* Garcia *6. p. de benefic. num. 161. & 189.* Huic oneri satisfaciet semi plena probatione in his, quæ non sunt gratiæ fundamentum, sed illius causa motiua, & impulsiua, qualia sunt in hac ætate esse constitutum, his qualitatibus esse præditum, beneficium tanti valoris existere, & similia, secus vero in iis, quæ gratiæ fundamentum sunt quorumque in contrarium est iuris præsumptio, vt si impetrasset beneficium, eo quod seruatum sit, vel alteri collatum simoniacè, vel ante legitimam ætatem: tunc enim plenè probanda est narratiua, quia nec seruatio, nec delictum præsumitur, nisi probetur, & pro libertate beneficij, & pro possidente est iuris præsumptio. Garcia *num. 172. & latius num. 225. & seqq.* vbi variis decisionibus Rotæ comprobat.

3 Si autem litteræ beneficiales expeditæ sint in forma digni, tenetur executor vltra verificationem narratorum explorare dignitatem prouisi, scilicet te legitimum esse ordine Ecclesiastico insignitum, ætate competenti, bonis moribus, sufficienteque scientia præditum. Quod si hanc informationem omiserit, collatio facta nulla est, tametsi tu prouisus dignus existas, quia sub conditione, quod idoneus cognoscaris, collatio executori facienda conceditur, vt constat ex illis verbis, *si per diligentem examinationem illum idoneum esse repereris.* Ergo si ante collationem non reperit executor te idoneum, esto tu idoneus sis, nulla est collatio, vtpote contra formam facta. Sic Sanchez *de matr. lib. 3. disp. 33. n. 4. & l. 8. disp. 34 n. 26. & disp. 35. n. 16.* Garcia *6. p. de benefic. c. 2. n. 258.*

4 Difficultas est, an teneatur executor te examinare, si idoneus esse noscaris? Negat idem Sanch. loquens de dispensatione, *l. 8. disp. 17. num. 12. & disp. 34. num. 24. & disp. 35. num. 16.* Mouetur, quia in manifestis nulla est opus examinatione, *cap. manifesta 2. q. 1.* Sed non est credendum Pontificem velle actum inutilem fieri. Ergo cum præcipit examinationem præmittī vt, dignitas prouisi cognoscatur, intelligi debet cum alias nota non est.

Contrarium affirmat Garcia *supra num. 259. & seqq.* & ait collationem factam examine non præmisso, esse nullam. Mouetur, quia est facta contra formam mandati, quæ requirit te idoneum esse repertum per diligentem examinationem. Ergo si examinationem non præmittis, quantumuis te idoneum, esse cognoscat, non satisfacis formæ, seu conditioni in mandato contentæ: & à simili probari potest ex Trident. [decreto *sess. 24. cap. 18. de reform.*] vbi prouiso parochialium non præmisso examine annullatur quantumuis fiat de persona notoriè idonea.

Cæterum conciliari possunt hæ sententiæ: si media via procedamus. Existimo namque cognitionem priuatam tuæ dignitatis non excusare executorem ab examine præmittendo: quia executor obligatus est tuam dignitatem iudicè cognoscere, antequam de beneficio prouideat. Nam cum publicè constare debeat de potestate executoris, & de valore prouisionis, publicè etiam debet constare de tua habilitate, siquidem sub hac cognitione, & non aliter executori iurisdictio conceditur. At si tua dignitas publica, & notoria est, executorque comprobat notorietatem, non tenetur alio examine vti, quia satis examinatur tua dignitas illa notorietatis comprobatione: fauet Glossa *cap. Qui sine examinatione, verbo sine examinatione. diss. 81. c. fin. verbo qui concubinas. diss. 51.* vbi tanquam certum supponitur in notis nulla esse opus examinatione. Et confirmari potest ex doctrina ipsius Garciæ *6. part. de benefic. c. 3. n. 269.* dicentis executorem, si ie remittat examinādum alicui synodali examinatori, ipseque examinator, quia satis cognitam habet tuam idoneitatem, absque vllo examine schedulam approbationis concedat posse ad prouisionem procedere; quia satis per approbationem examinatoris ei constat de tua dignitate. Ergo ad legitimam prouisionem sufficit iudicia cognitio de idoneitate prouisi, tametsi examen proprie non procedat.

Neque obstat in parochialibus prouidendis per concursum examen esse requisitum, quatumuis prouidendus idoneus sit, & probetur, quia in supradicto decreto Trident. hæc forma examinis per concursum præscribitur. At in prouisionibus Apostolicis non præscribitur examen concursus, sed solum examen idoneitatis, cui sufficienter creditur satisfactum, si textibus dignitas prouisi comprobetur.

5 Sed quid si examinatus reperiatis indignus, poterine executor te iterum examini subiicere, & digno repetto beneficium conferre? Negat Garcia *d. 6. p. de benefic. cap. 2. num. 255.* & mouetur: quia executori conceditur potestas tibi conferendi beneficium, si per diligentem examinationem te idoneum esse reperiat. Ergo te idoneo non repetto cessat executoris iurisdictio. Verba namque illa *per diligentem examinationem*, de prima examinatione intelligi debent, ex *reg. leg. boues §. hoc sermone ff. de verb. signif.* alias per multum tempus expectari posset, vt habilis redderis, & pluries examinari, vt saltem aliqua vice sufficiens videaris, quod alienum est à ratione, præcipuè in parochialibus, vbi peracto examine tenentur examinatores denuntiare qui fuerint idonei reperti.

Placet mihi hæc doctrina, si supponamus te ab examinatoribus indignum esse iudicatum. Quia iam executori constat de tua inhabilitate per diligentem examinationem, & cessat executionis conditio. Sed quia examinatores declarationem, possunt supendere, & examen inchoatum relinquere in aliud tempus perficiendum si illo tempore, quo examen perficiendum est, te dignum inueniant, & sic declarent, poterit executor virtute huius declarationis te beneficio prouidere. Quia per diligentem examinationem dignus repertus es, & nunquam repertus indignus. Neque dici potest te bis esse examinatum cum priorem examinationem declaratio subsecuta non fuerit: solum enim semel examinatus es diligenter; esto duplici tempore examini fueris subiectus, integrant namque illæ vices vnicum examen.

§. IV.

Quæ beneficiorum conditiones exprimendæ sint in mandatis Apostolicis obtinendis.

1 *Plures exprimi debent.*
2 *Narrare debes esse clericum legitimum nullo modo impedimento affectum.*
3 *Narrare debes beneficia obtenta, si quæ habes.*
4 *Item quodlibet ius ad beneficium.*
5 *Aliqui censent pensionem habitam exprimendam esse. Sed non videtur certum.*
6 *Item debes dignitatem exprimere, si quam habeas.*
7 *beneficij per vim possessi non videtur mentio necessaria facienda.*
8 *Qualiter obligatus sis exprimere, si pluries fuisti dispensatus?*
9 *Qualiter patrimonium, & præsimonium laicale, & pensionem narrare debeas in impetratione beneficij.*
10 *Si qualitatem beneficij impetrati non exprimis, gratia vacat.*
11 *Vnde nulla est gratia beneficij curati, cura non expressa.*
12 *Item gratia beneficij iurispatronatus non expressa hac qualitate.*
13 *Et beneficij Ecclesiæ cathedralis tacita hac qualitate.*
14 *Et beneficij residentiam requirentis si illius residentia non facias mentionem.*
15 *Si beneficium tanquam curatum impetretur, cum tamen simplex sit, vitiatur gratia.*
16 *Subreptitia est gratia beneficij non expresso eius valore, vel falsè expresso.*
17 *An motus proprius excuset hoc vitium.*
18 *Si est beneficium electiuum, & taceas, vitiatur gratia.*
19 *Si sæcularis sit, beneficiū regulare impetres, nulla est impetratio.*
20 *Si sub nomine beneficij hospitalis impetres, quod beneficium non est.*
21 *Item est nulla gratia, si beneficium vnitum impetres tacita vnione.*
22 *Item si beneficium est monoculare, neque qualitatē manifestes.*
23 *Item si narres beneficium vacasse per obitum, cum vacet per resignationem.*
24 *Item si sit de beneficio affecto, neque affectionem declares.*
25 *Si beneficium à te occupatum sine titulo impetres tacita intrusione.*

26 *Si beneficium alteri æque principaliter vnitum impetres tacita vnione.*

27 *Quid si beneficium ecclesiæ inferioris impetres tacito sancto illius ecclesiæ?*

28 *Si est impetratio contra statutum, neque statutum manifestas, est nulla.*

29 *An vitietur rescriptum, si alterius colorati tituli mentionem non facias.*

30 *Vitiatur rescriptum, si omittas narrare alterum esse in beneficij possessione.*

31 *Annalis detentio in beneficio reservato non videtur necessario exprimenda.*

32 *Lis tamen si aliqua sit etiam super possessione, est exprimenda.*

33 *Supradicta procedunt in impetratione à Pontifice, secus ab ordinario.*

1

VT executor apostolicus munere suo rectè fungatur, explorare debet an expressèris conditiones necessario in mandatis apostolicis exprimendas, quia iis non expressis impetratio subreptitia censetur, aliquas attigimus §. 3. dicturi in præsenti quæ desiderantur. Has conditiones explicuit latè Felin. *in cap. in nostra, de rescript.* Ioan. Selua *tr. de benef. 3. p. q. 11.* quas ad tria capita reduxit Men. *lib. 2. de arbitr. casu 201. à n. 32.* Primum est ratione personæ impetrantis. Secundum est ratione qualitatis beneficij quod impetratur. Tertium ratione iuris, quod in beneficio impetrando alteri competit, quem ordinem sequemur.

1 Ex primo capite inquit Menoch. *num. 33.* narrare debes te electum esse legitimum, idoneum, nullóque vitio inuolutum. Sed licet hæc in impetrante necessaria sint, non tamen necessarium est, vt illorum factas mentionem; qui iure ipso supponuntur: *cap. cum adeo. de rescriptis. cap. causam quæ. de electione. & c. ex litteris. de transact. & ibi gloss.* & notauit Azor. *2. p. instit. mor. l. 6. c. 33. q. 1.*

3 Secundo (inquit Menoch. *num. 41.*) narrare debes beneficia obtenta si quæ habes. *cap. ad aures. cap. cum adeo. cap. postulasti. cap. audientiam. 2. cap. in nostram cap. si proponente, de rescriptis & cap. si motu proprio, de præbendis. in 6.* Ratio est, vt ambitionis via præcludatur, & ne aliis, vel ecclesiæ sequatur præiudicium, si plura beneficia vni conferantur. Quod procedit, etiam si beneficium habitum tenue sit, & insufficiens ad vitæ sustentationem, vt ex dictis iuribus clarè constat: & tradit Azor. *2. p. lib. 6. cap. 33. q. 3.* Nam licet in *cap. is cui, & cap. non potest. de præbendis. in 6.* dicatur mentionem faciendam esse beneficij ad vitam sufficientis, eum non negetur insufficientis faciendam esse mentionem, firma manere debet decisio *d. cap. si motu proprio, & cap. si proponente*, ex quibus colligitur cuiuslibet beneficij faciendam esse mentionem. Tenue namque erat beneficium, cuius mentio fit in *in cap. proponente, de rescriptis*; at quia dolo neguit se beneficium habere, nulla fuit gratia facta. Neque hæc obligatio cessat ex eo quod illo beneficio obtento spoliatus fuerimus eum per spoliationem titulum non amiseris, illius mentionem facere debes. Menoch. *dicto casu 201. num. 4.* Et idem est, esto beneficio habito renuntiasses, dummodo renuntiatio admissa à superiore non sit, quia adhuc retines titulum beneficij. Menoc. *n. 47.* Quod si solum promisisti renuntiare, existimat Menoch. *n. 48.* cum Felino non solum beneficij habiti, sed etiam huius promissionis te obligatum esse facere mentionem, quia potes beneficium, & possessionem illius obtinere, quibus locus non fit promissioni. Cæterum ego de hac extensione maximè dubito. Tum quia optimè potes beneficium secundum obtinere, & promissioni satisfacere, si ante captam secundi beneficij possessionem primo renuncies. Tum quia ex nullo textu colligitur huius promissionis faciendam esse mentionem. Neque valet dicere. Pontificem non concessurum secundum beneficium, si sciret factam esse promissionem renunciationis primi. Quia est qualitas extrinseca neque à iure præscripta, ideoque concessionem non immutat. Sicut si sciret Pontifex aliquos defectus, & peccata à te commissa, beneficium non conferret: at quia non teneris illos declarare, ex illorum taciturnitate non redditur collatio nulla. Hæc obligatio exprimendi beneficium habitum, non tollitur ex eo quod beneficium manuale sit. Nam textus in *cap. si proponente, de rescript.* generaliter loquitur de quolibet beneficio habito in titulum. Menoch. *n. 46.*

4 Imo non solum cuiuslibet beneficij habiti, sed etiam iuris ad illud obligatus es facere mentionem, vt satis colligitur ex *cap. ad audientiam, el. 2. cap. in nostra de rescriptis.* Quocirca si præsentatus, vel electus es ad aliquod beneficium, vel illius collationem habes, esto non acceptatam exprimere debes. Menochius *n. 43.* Azor. *2 p. lib. 6 c. 33. q. 5.* Hoc autem intelligi debet, nisi illius iuris probabilem ignorantiam haberes: hæc enim excusat gratiam à subreptione; vt expressè habetur *cap. gratia de rescript. in 6.* vbi. cum tempore impetrationis nescires; & multis allegatis docet. Menoch. *dicto casu 201. n. 52.* Azor. *2. p. l. 6. cap. 33. q. 5.* Ar. Basil. Legionem. *lib. 8. de matr. cap. 17. §. 3. n. 19.* affirmat non ob ignorantiam reddi gratiam validam. sed quia ante scientiam collationis, & illius acceptationem dici non potes beneficium habere. Verum, esto beneficium non habeas, habes tamen ius ad illud, cuius mentionem facere debes; aliàs dolo non ageres, si scienstibi factam esse collationem, nec repudiares, neque admitteres, vt secundum obtineres beneficium, quia dolo dici non potes agere, cum iure proprio vteris.

5 Supradictam doctrinam extendit Menoc. *casu 201. n. 51.* ad pensionem ecclesiasticam, quam si habeas, exprimere debes in impetratione cuiusl bet beneficij. Quia loco beneficij hæc pensio succedit, esto beneficium tigorosum non sit. Sed hæc extensio non est ita certa, cum obligationes extendendæ non sint vltra proprietatem verborum; & contrarium docet Basil. *supra num. 17.* Azor. *2. p. instit. mor. l. 8. c. 12. q. 14* nisi ad titulum paupertatis beneficia à Pontifice obtineres.

6 Tertio (inquit Menoch. *n. 40.*) narrare debes dignitatem, si in ea reperiaris, quia ita cauetur in *cap. ad aures. de rescript.* Quod non solum verum habet, cum minora beneficia impetras, vt dicit Menoch. sed etiamsi maiora obtineas. Nam esto textus *in cap. ad aures*, solum de obtentione minorum loquatur. At alij textus generaliter de qualibet beneficij obtentione loquuntur; ideoque in obtentione cuiuslibet beneficij etiam maioris mentio facienda est de dignitate. Adde *cap. ad aures*, solùm de beneficiorum minorum obtentione loqui, quia nullum beneficium maius dignitate est, esto inter ipsas dignitates vna sit maior altera.

7 Quarto inquit Menoch. *n. 45.* te debere mentionem facere beneficij per vim possessi. Mouetur, quia violentia commissa fortè retardabit Pontificem à beneficij concessione. Frustra enim legem implorat, qui in legem deliquit. Sed hæc ratio mihi non probatur, alias obligatus esses huius delicti mentionem facere, tametsi beneficium non possideres, sed ab illius possessione cessasses; quod nullo iure cautum videtur. Crederem tamen si beneficium de facto possideres, esto non de iure, te obligatum esse illam iniquam possessionem manifestare, quia absolutè beneficium habes. Adde si beneficium absque titulo legitimo possideres, vitium incurris intrusionis. Debes ergo ab hoc vitio absolui. vt capax beneficij censearis; at ab illo absolutus nescio quam ob causam in impetratione beneficiorum illius facere mentionem debeas.

8 Quinto inquit Menoch. *n. 39.* te obligatum narrare alias dispensationes, si pluries fuisti dispensatus ratione plurium defectuum. Sed hoc intelligendum est casu quo dispensationes inter se sint connexæ, & ad eundem finem ordinatæ, vt latius *tract. de reg. lib. vlt. §. 4.* diximus.

9 Sexto debes narrare patrimonium, si quod habes; præcipuè, si ad illius titulum fuisti ordinatus, quia videtur loco beneficij subrogari. Sed hoc intelligendum est, vt benè explicat Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. cap. 33. q. 8.* casu quo tibi beneficium conferatur titulo paupertatis. Quia cessat fundamentum concessionis, si patrimonium habes. Idem quod dictum est de patrimonio dici debet de præstimoniis, & pensionibus temporalibus seu laicis ad vitam concessis. Secus si solum pro limitato tempore concedantur: quia cum illa limitata concessio te à paupertate non liberet, illorum mentionem facere non teneris. Azor. *l. 8. vers. ex quo sit.* Aduerte supradicta intelligenda esse casu quo gratia beneficij proprio motu concessa non fuerit. Nam si mon proprio concedatur, valet gratia, tametsi de beneficiis obtents mentionem non facias. vt expresse habetur *cap. si motu proprio de præbend. in 6. & element. si Romanus, eodem tit. ibi si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio prouideat non habita mentione prouisionem, seu gratiam huiusmod. fore valid.m declaramus.* Quia cum hæc gratia ex mera principis liberalitate procedat, præsumitur concessurus, etiam si veritatem nosset, sic vniuersos doctores docere testatur Thom. Sanch *lib. 8. de matrim. disp. 21. num. 47.* Hæc ex primo capite.

10 Ex secundo capite, nempe ex beneficio impetrato, vitiatur gratia, si qualitas beneficij expressa non fuerit, eo quod gratia tunc voluntaria non est, cum illam Pontifex non cognoscat: sic doctoes referendi.

11 Ex quo fit primo gratiam vitiari beneficij curati, si curam animaum beneficio annexam non exprimas: quia sub nomine beneficij in mandatis apostolicis de prouidendo, simplex venit intelligendum, & non curatum. vt colligitur ex *cap. cum in illis de præend. in 6. cap pro illorum. eodem tit.* sic Menoch. multis relatis *l. 2. de arbitr. casu 201. n. 61.* Azor. *2 p. instit. mor. l. 6. cap. 32. q. & c. 33 q. 11.* Quod verum habet (inquit Menoch. *n. 63.*) esto beneficio curato non obligatus sis per teipsum deseruire, adhuc teneris illius curæ mentionem facere. Quia absolutè, beneficium curatum estimo esto motu proprio gratia concessa sit adhuc teneris curati facere mentionem. Quia motus proprius, tametsi subreptitionem tollat ex parte impetrantis. *cap. si motu proprio de præbendis. in 6.* non tamen tollit subreptionm quæ ex re ipsa, & ex parte concedentis prouenit, hoc est, ne firmat gratiam, quam concedens facere non intendit *cap. cum nullus. de præbendis. in 6. & cap. is cui eodem.* Menoch. *n. 54.* Azor. *q. 11.*

12 Secundo fit vitiari gratiam beneficij iuris patronatus, si tacitamc qualitate beneficium impetres. Quia non creditur Pontifcem præiudicare velle patronis. Menoch multis relatis

*n.*71. Azor. *supra. q.* 6. *&* q. 11. Excipit tamen Menoch. *n.* 72. beneficium patronatus vacans in curia super quo pendet lis inter patronos: quia de hoc patronatu, cum firmus non sit, & certus, non curat Pontifex.

13 Tertio fit vitiari gratiam beneficij ecclesiæ cathedralis, si huius qualitatis mentionem non facias. Quia sub nomine beneficij in mandatis ambitiosis non venit beneficium in cathedrali situm. *cap. quamuis, el.* 1 *de præbendis in* 6. Menoch. *n.* 73.

14 Quarto fit vitiari gratiam beneficij residentiam requirentis, si huius residentiæ non facias mentionem. Nam esto omnia beneficia residentiam requirant. *ex cap. vlt. de clericis non residëtib.* At consuetudine præscriptum est simplicia beneficia libera esse à residentia. *cap. gratia. de rescriptis. in* 6. Cum ergo sub nomine beneficij simplex intelligatur, efficitur sanè intelligi etiam à residentia exemptum. Ergo in concessione beneficij non venit beneficium residentiam requirens, & consequenter non venit concessio. Menoch. *n.* 74. Azor. *q.* 11. Excipit tamen Menoch. *n.* 77. aliis relatis, si motu proprio esset facta concessio, quia tûe (inquit) residentiæ qualitas non expressa non vitiat. At hæc exceptio mihi non probatur, cum qualitas residentiæ sit beneficio intrinseca, & illa non expressa non videtur beneficij concessi natura explicati. Quoties enim qualitas beneficio intrinseca tacetur, gratia etiam motu proprio concessa non subsistit, vt relato Abbate, & aliis, docet Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 21. *n.* 51. Deinde si motus proprius, vt nuper diximus ex ipso Menochio, non excusat expressionem qualitatis curæ, neque etiam excusare debet residentiæ expressionem; cum vtraque qualitas ad substantiam gratiæ pertineat.

15 Quinto fit vitiari gratiam si beneficium tanquam curatum, aut residentiam requirens conferatur, cum tamen simplex sit, quia ignorat Pontifex quam gratiam concedat. Menoch. *n.* 76. Neque obstat fore, vt facilius concederet, si sciret simplex esse. Nam esto hoc verum esset, quod non est certum, cum aliquas speciales rationes habere possit ad concedendum beneficium, residentiam expostulans, quæ in simplici non procederent. At cum non sciat naturam beneficij, quod confert, non potest talis collatio illi voluntaria esse, esto motu proprio fiat concessio.

16 Sexto fit vitiari gratiam beneficij, cuius valorem in impetratione non exprimis, aut falso exprimis, vel augendo, vel minuendo notabiliter. Nam esto ex iure communi non sit opus valoris expressione ad beneficij impetrationem, cum qualitas beneficij à valore non pendeat. At cum in regulis Cancellariæ statutum sit huius esse faciendam mentionem, aliàs impetrationem fore subreptitiam, efficitur hoc omnino seruandum esse: sic Menoch. *de arbit. d. lib.* 2. *casu* 201. *n.* 78. Thom. Sanch. *l.* 8. *de dispensat. disput.* 21. *n.* 4.

17 Sed an motus proprius excuset hanc taciturnitatem valoris, vel illius falsitatis expressionem? Menoch. *supra n.* 83. affirmat illius taciturnitatem excusare, secus falsitatem, quia quando valor tacetur, non mouet Pontificem ad concessionem, neque affirmari potest legitimè informatum denegaturum esse, imo oppositum debet præsumi. At cum falsus valor exprimitur, præsumi potest ex illius relatione notum esse, ac proinde ex falsa causa, & contra voluntatem ipsius: motus autem proprius nunquam supplet subreptionem commissam contra concedentis intentionem, vt multis docet Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 21. *numero* 52. Verum hæc distinctio probanda est in causis, quæ Pontificem nouent ad concedendum, quarum falsa expressio rescriptum vitiat etiam motu proprio concessum, vt multis probat Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 21. *num.* 51. At valor in beneficio neque est qualitas beneficio intrinseca, cum ius naturam non muet, siue augeatur, siue diminuatur: neque est causa, quæ Pontificem moueat ad concedendum: ad summum enim mouet ad faciliorem, vel difficiliorem concessionem. Ergo ex falsa valoris expressione rescriptum motu proprio concessum annulli non potest; si quidem falsi expressio, qua sublata non tollitur concessio, etiamsi difficilior reddatur, non reddit rescriptum subreptitium, vt multis allegatis probat Sanch. *disp.* 21. *num.* 52. *&* *num.* 51. & nos diximus *tract. de benefi. disp. de privileg. & disp. de dispensat.*

18 Septimo fit gratiam beneficij vitiari, etiam motu proprio concessam, si cum sit beneficium electiuum, taceas illius qualitatem. Quia nunquam censetur Pontifex iura electorum derogare, Menoch. plures referens *n.* 84. consentit Sanch. *lib.* 8. *disp.* 21. *n.* 50. & idem efficacius procedit in beneficio iuis patronatus laicorum quod nunquam solet Pontifex derogari Azor. *lib.* 6. *cap.* 32. *quæst.* 6. *&* *cap.* 33. *q.* 11. *in fin.* Sochez *supra.*

19 Octauo fit vitiari gratiam beneficij regularis, si cum sæcularis sis, illud impetres tacita beneficij qualitate; & econtra si regularis sis, impetres beneficium sæculare. Tum quia ignorat Pontifex, quam gratiam tibi concedat. Tum quia ad illam gratiam inhabilis es. Neque hic defectus excusatur ob clausulam motus proprij, quia hæc non supplet personæ impetrantis inhabilitatem, vt multis relatis docet Sanch. *supra. n.* 49.

20 Nono fit gratiam hospitalis etiam motu proprio concessam vitiari, si sub nomine beneficij impetres, quia regulariter beneficium non est cum laico concedi possit; & habetur expresse *clement. per litteras. de prebendis.* ibi, *Nulli posse decernimus prouideri: nisi hoc in apostolicis litteris caueatur expresse.* Est enim error commissus in gratiæ substantia, qui ex clausula motus proprij non reparatur Gonzalez *gloss.* 5. §. 4. *n.* 7 Menoch. aliis relatis, *dicto casu* 201 *n.* 88. Excipe tamen, nisi ex consuetudine, vel fundatione beneficium esset, vt plura hospitalia sunt, iuxta dicta *disp.* 1. *de hospitalibus.*

21 Decimo fit beneficium vnitum per se impetrari non posse tacita vnione, etiam ex clausula motus proprij. Tum quia per vnionem extinctum est. Tum quia non præsumitur velle Pontificem iura vnionis dissoluere, poteris tamen illud impetrare, si impetres principale; quia ad huius impetrationem accessoria veniunt. Menoch. *à n.* 91.

22 Vnde fit mandata de prouidendo, etiam motu proprio concessa, subreptitia esse, & nulla, si fuerint de beneficiis monocularibus, hoc est, ad collationem vnicè pertinentibus, tacita hac qualitate. Quia non est credendus Pontifex velle ordinarium collatorem vnica prouisione, quam habet, priuare, iuxta *clem. 1. de sentent. excommunic. ad finem.* & tradit alios referens Menoch. *lib.* 2. *de arbitrar. casu* 201. *num.* 94. Gonzalez *gloss.* 9. §. 4. *n.* 4. *&* 5. Azor. *l.* 6. *c.* 32. *q.* 6. Aduerto tamen cum Menoch. *vbi. n.* 95. *&* 96. Gonzalez *n.* 17. beneficium monoculare non dici, si collator illius tantum liberam collationem habet, habet tamen simultaneam cum aliis, vel ad alia beneficia præsentare, vel eligere potest. Quia cum competat illi aliorum beneficiorum prouisio, absolutè dici non potest vnicam illi competere, quod ad monocularis qualitatem requiritur.

23 Duodecimo fit, vitiari gratiam etiam motu proprio concessam, si narres beneficium vacasse per obitum, cum tamen vacet per resignationem; antè contra. *cap. susceptum. de rescriptis. in* 6. Ratio ea est, quia Pontifex præsumitur velle gratiam concedere sub illa conditione sibi narrata quod beneficium aliter vacet: sic relatis Felino, & Selua docet Menoch. *dicto casu* 201. *n.* 103 Azor. 1. *p. lib.* 6. *c.* 33. *q.* 16. *in fine.* Aliquas explicationes huic doctrinæ adhibet Menoch, quas ibi videte potes. Adde, non solum te obligatum esse narrare beneficij vacationis modum, sed etiam per cuius obitum vacauit, si ratione illius induxit reseruationem, vt contigit in beneficio vacante ob mortem familiaris Pontificis, vel Cardinalis, quod ob qualitatem personæ reseruatum est. Quia hoc beneficium nullatenus credetur Pontificem concessurum, nisi reseruatione cognita. Menochius, *supra à num.* 110. In impetratione vero canonicatus, & præbendæ existimat Menoch. *d. casu* 201. *n.* 185. exprimendum esse nomen canonici, ob cuius obitum vacat præbenda. Quia ita seruat stylus curiæ. Sed non credo ita necessariam esse hanc expressionem, vt si in nomine error commissus sit, rescriptum vitietur, cum neque ad substantiam gratiæ, neque ad facilitorem concessionem pertineat. Si autem impetres beneficium, nullo vacationis modo expresso, non est gratia subreptitia: quia omnis vacandi modus intelligitur. vt bene ipse Menoch. *n.* 100. notauit. Declarat tamen primò vt non procedat, cum impetratur rescriptum gratiæ *si neutri*; quia tunc exprimendus est vacationis modus, eo quod mouere potest Pontificem ad concedendum vel denegandam illam nouam gratiam super qualis agitatur. Declarat secundo, vt non procedat, cum electionis decretum superiori præsentatur ad confirmandum electionem, quia tunc vacationis modus exprimendus est. Ex ratio esse potest, quia alias no constabit de legitimatione actus.

24 Decimo tertio fit gratiam nullam esse, etiam motu proprio concessam, si sit de beneficio affecto, & qualitatem hanc non exprimas. Quia hac qualitate non expressa; cum Pontifex beneficium prouidet, censetur liberum prouidere. Men. *casu* 201. *n.* 128.

25 Decimoquarto fit, gratiam reddi subreptitiam, si impetres beneficium, quod sine legitimo titulo occupasti, tacita hac intrusa possessione; quia vitium intrusionis non excusat clausula motus proprij: sic aliis relatis, Menoch. *n.* 129.

26 Decimoquinto fit, reddi gratiam nullam, etiam motu proprio concessam, si beneficium alteri vnitum æquè principaliter impetres, non facta vnionis mentione; quia non est præsumendum velle Pontificem iura vnionis dissoluere, nisi id clare exprimeret si tamen conferens beneficium adderet clausulam cum annexis. & pertinentiis virtute huius additionis, valida esset impetratio: quia iam exprimit Pontifex se velle beneficia illa inter se vnita tibi conferre, neque vnum ab alio distungere. Menoch. *n.* 133.

27 Decimosexto (inquit Menoch. *n.* 134.) esse gratiam subreptitiam, si beneficium ecclesiæ inferioris impetres, & Sanctum illius ecclesiæ non exprimas; quia hæc expressio videtur necessaria, vt Pontifex intelligat quod beneficium conferat. Verum si aliunde de corpore beneficij constat, credo omissionem huius nominis, aut errorem in illo non vitiare gratiam. Illud tamen reputo certum, beneficium sit Ecclesiæ cathedralis, & tacita hac qualitate imperres, nullam esse impetrationem; quia in absoluta beneficij concessione qualificatum non comprehenditur, vt aliis relatis probat Gonzalez *gloss.* 10. *in prin.*

28 Decimo

28 Decimo septimo erit gratia nulla, si stante Ecclesiæ statuto impertationem impediente illius non facias mentionem, quia non est credendus Pontifex iuribus Ecclesiæ velle derogare, nisi id clarè exprimat Menoch. *dicto casu 201. n. 136.*

29 Ex tertio capite, nempe ex iure quod alteri in beneficio impettato competit, infert. Menoch. *dicto casu, 201. n. 148.* reseriptum vitiari, si alteri collatum sit beneficium, esto acceptatum non sit, tu verò in impetratione huius iuris, quod est ad beneficium, non meminisli: quia non est credendum pontificem velle tollere ius alteri quæsitum. Et idem est de electione, postulatione, aut præsentatione. Menoch. *num. 149.* Quocirca nisi dicat, *non obstante collatione, electione, præsentatione alteri facta*, huic iuri nullo modo credendum est derogari. Menoch. *n. 143.* imo, vt tradit Azor. *2. part. instit. moral. lib. 7. cap. 31. q. 2* clausula illa, *non obstãte iure alteri quæsito* debet intelligi de iure inualido, nisi aliud verbis expressis manifestet.

30 Secundo infert Menoch. *num. 139.* te debere narrare, si alter sitin beneficii possessione *cap. cum nostris. de concessione præbendæ*: quia satis habet ius quæsitum, dum de illegitimitate possessionis non constat. Verum si concedatur reseriptum cum clausula *vocatis vocandis*, vt regulariter concedi solet; tunc etsi non meminisses colorati possessoris, non esset vitiatum reseriptum? quia tacitè in reseripto supponitur ius possessoris examinandum, cum non possit executioni mandari reseriptum nisi prius citetur possessor, & ius illius decidatur. Quod à fortiori procedit, si reseriptum expediatur cum clausula, *amoto quolibet illicito detentore*, quia ex vi illius colorata possessio, si quæ est, exprimitur. Menoch. *dicto casu 201. num. 140. & 141.* Subdit tamen Menoch. *num. 144.* coloratæ possessionis tacitumitatem non obstare valori reseripti; si præsumatur Pontifex facilius fore concessurus, si possessionem illam coloratam sciret, vt contingit, si contra eius reseruationem esset possessio accepta. Quia nequaquam tali possessioni fauere intendit, tametsi possidens aliquo colorato titulo possidere præsumat. Et idem videtur esse, cum expeditur reseriptum sub clausula motus proprij: quia credendum non est hanc liberam concessionem denegandam fuisse ob illegitimam alterius possessionem esto coloratam.

31 Tertiò infert Menoch. *n. 147.* te debere narrare alterius solam beneficii detentionem, vt si beneficii reseruati per annum quis occupauit, esto postea dimiserit. Quia annalis detentio ius aliquod concedere videtur. Ceterum nescio quo fundamento hæc conditio firmari possit. Nam annualis possessio titulum coloratum confert, dum est, &, eius vitium ignoratur, sed cessante hac possessione non est locus huic colorato titulo, & ex eius dimissione satis colligitur illegitimam fuisse, non igitur opus erit eius mentionem facere.

32 Quarto infert Menoch. *num. 148.* te debere litem, & processum pendentem, & receptionem ad beneficium declarare, si quæ sint: Excipit tamen, nisi iis sit de possessione: quia tunc (inquit) non impeditur beneficii impetratio. Quod non credo: nam absolutè est beneficium litigiosum: neque credendum est, velle Pontificem derogare ius alterius, quod ad possessionem prætendit, illo non cognito.

33 Pro complemento huius doctrinæ aduertit optimè Menoch. *d. lib. 2. de arbitrar. casu 201. à num. 150.* supra dicta procedere, cum beneficium à Pontifice impetras? secus si ab ordinario. Nam cum ordinarius tum qualitates beneficiotum, tum impetrantium conditiones notas habere debeat, ne in visitandis Ecclesiis negligens reputetur, non videtur necessarium coram illo qualitatem beneficii imprtrati, eiusque valorem narrare, neque habitum beneficium exprimere, neque alterius coloratam possessionem: consentit Thom. Sanchez, *lib. 8. de matr. disp. 21. n. 4.* Secundo aduertit Menoch. quæ dicta sunt de impetratione beneficiorum, locum habere in beneficiorum pluralitate, itemque in illorum vnione, quia hæc in impetratione difficiliora sunt.

§. V.

Quæ facere debeant executores litterarũ apostolicarum in forma breuis de capienda possessione.

1 *Quando hæc breuia concedantur.*
2 *Ex vi horum breuium non derogatur Trident. decretum* Sess. 24 cap. 20. de reformat.
3 *Executio eorum committitur auditori cameræ apostolicæ, vel aliis personis in dignitate constitutionis, reseruatis, seu affectis.*
4 *Nunquam conceduntur, nisi pro beneficiis*
5 *Subreptitium est breue, si sit de beneficio litigioso, illiusque non sit facta mentio.*
6 *Hæc breuia sunt ad vtilitatem prouisi.*
7 *An possessio nomine cameræ, capta, possit in alium transferri? Affirmatiuè respondetur, neque ad hanc translationem requiritur illius à prouiso apprehensio.*
8 *Debet executor ãte executionẽ probare quæ in breui narrantur.*
9 *Item an debeat probare reseruationem, cum tamen expressè non dicatur esse beneficium reseruatum? Probabilior est pars affirmans.*
10 *Probatio narratiua debet esse perfecta.*
11 *Est perfecta probatio, si duplici teste probes obiisse beneficiatum in mense reseruato. & beneficium possedisse.*
12 *An executor quousque detentores, & intrusos citare, & audire teneatur? Proponitur pro & contra. Resolutur non esse audiendos nisi narratiuam infirment*
13 *Omnes fructus, redditus & prouentus dicti beneficij à die vocationis prouiso adiudicantur.*
14 *Appellatione postposita procedere potest hic executor, & qualiter hoc intelligatur.*
15 *Quid de illa commissione sub conditione, vt breui prius paritum sit.*
16 *Prouisus, ad cuius commodum nomine cameræ possessio capitur, obligatus est infra sex menses litteras sub plumbo expedire.*
17 *Quid si infra ses mensex non expedisti?*
18 *Beneficium vacans ob non expeditionem litterarum ad Pontificem pertinet.*

1 HÆc breuia de capienda possessione concedi solent primo, cum beneficia Pontifici reseruata, vel affecta sunt, & prouisus nondum litteras expediuit. Tunc inquam, ne eius possessio retarderur, expeditur breue, vt nomine cameræ possessio accipiatur. Secundo expeditur breue, cum litteræ expeditæ sunt & prouisus à capienda possessione impeditur, vt huiusmodi impedimentum tollatur. Tenorem huius breuis refert Garcia *6. p. de benefic. c. 3. n. 3.* circa cuius intelligentiam aliqua notanda sunt.

2 Primo notandum est, per illud non derogati decreto Trident *sess 24. cap. 20. de reformat.* vbi cauetur causas omnes, etiam beneficiales, in prima instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognosci debere, exceptis iis, quæ iuxta canonicas sanctiones apud sedem apostolicam sunt tractandæ, vel quas ex vrgenti, rationabilique causa iudicauerit summus Pontifex per speciale reseriptum, signaturæ sanctitatis suæ manu propria subscribendum, committere; aut auocare. Non, inquam, huic decreto per huiusmodi breue derogatur. Tum quia huiusmodi breue executiuum est, & summariam tantum cognitionem requirit, neque introducit causam, sed causam exequitur. Tum quia non minoris efficacitatis est, quam reseripta signaturæ manu Pontificis subscripta. Tum quia ita congregatio concilii declarauit; vt refert Augustt. Barbosa *in supradicto decreto*, his verbis: *Prouisi per sedem apostolicã de beneficiis reseruatis possunt virtute breuium in fauorem litterarum, seu nomine cameræ apostolicæ ad accipiendam possessionem cum auditore eiusdem cameræ directarũ citare & ad iudicium coram eodẽ auditore cameræ possessores talium beneficiorum occupantes, & detinentes, ac si coram ordinario super possessorio tantum causa ventilarentur & ꝑ sententia super eodem possessorio prolata fuerit, potest aduersa causam in curia committere.*

3 Secundo notandum est, huius breui, executionem committi tum generali auditori cameræ Apostolicæ, tum aliis personis in dignitate constitutis, iuxta *textum in cap. statutum. de reseript. in 6.*

4 Tertio nota, regulariter nunquam hæc breuia concedi, nisi super beneficia reseruata, seu affecta, & ad Romanum Pontifi em pertinentia. Qua hic modus prouisionis arguit hæc beneficia propriè esse Pontificis, neque illorum prouisionem aliis competere. Alias non intenderet, vt nomine suo possessio acciperetur. sic Garc *6. p. de benefic. cap. 3. n. 11.* consentit Gonzal. *reg. 8. Cancell. gloss. 9. annotat. contra nullit. & attent. n. 162.*

5 Ex quo fit, esse subreptitium breue, si sit de beneficio litigioso, & litis non fuerit mentio facta, sic Carcia *6. p. cap. 3. n. 14.* Gonzal. *annotat. contra nullit & attentata n. 272.* Et ratio esse potest, quia Pontifex non præsumitur velle iura litigantium derogare.

6 Quarto nota, breue de capienda possessione, etiam nomine cameræ, esse ad vtilitatem prouisi, & vt melius eius prouisio executioni demanderur: si quidem ipsa camera apostolica possessionem accepit, vt illam cedat in prouisum, & prouisus virtute illius cessionis gaudeat priuilegiis possessionis beneficii, ac si à Principio ipse per se possessionem accepisset. Gonz. *gl. 34. n. 111.* Garc. *6. p. cap. 3. n. 17.* vnde si prouisus incapax est beneficii, vel ob vitium personale, vel quia gratiam subreptitiè obtinuit, supradictum breue de capienda possessione, quod accessorium est, nullum est censendum. Gonz. *gloss. 9. annotat. contra nullit. n. 278.* Garc. *ꝑ. n. 18. & seqq.*

7 Ad quibus non leuem difficultatem ingerit, quod possit possessio nomine cameræ apostolicæ capta in alium transferri: quia possessio potius actum quam ius respicit: attamen dubitari non potest cum à Gregor. XIII. *in sua constitut. 24.* incipiente *ad Romani.* sub 10. Iulij 1575. sic statutum sit. An autem sufficiat quod solum camera apostolica possessionem consigner, &

cedat in prouisum, sub cuius nomine capta est, vel vltetius requiratur illius à prouiso apprehensio; Mihi probabilius videtur solam cessionem sufficere. Quia accipiens possessionem nomine cameræ, ad vtilitatem prouisi accepit, & cum potestate transferendi in illum. Ergo facta translatione iam possessor nuncupandus est. Vt quid ergo necessaria est noua possessionis apprehensio; Et ita videtur sentire Gonzalez *supra*. Verum si prouisus, ad cuius commodum possessio nomine cameræ capta est, moriatur antequam ipsi possessio à camera fuerit consignata, non poterit in alterum transferri: quia nomine ipsius capta non est. Sed ad hoc necessarium est, vt prius in locum defuncti subrogetur, & illius ius concedatur. Gare. *dicta 6. part. cap.* 3. *num.* 24.

8 Quinto aduerte, ad executionem huius breuis cameralis requiri necessario vt prius executor probet, quæ in breui narrantur, Garc. *supra n.* 25

9 At quia ex sola illius probatione non videtur inferri necessario beneficium reseruatum esse: si quidem in dicto breui solum dicitur *constituto quod N. de tali mense in possessione huiusmodi beneficii obierit*. At potest obire in mense, qui putatur reseruatus, cum tamen non sit ob priuilegium alternatiuæ. Itemque à reseruatione excludi potest, quia est beneficium pertinens ad præsentationem laicam, ideo est difficultas an si pars aduersa opponat non intrare reseruationem, teneatur executor verificare illam antequam prouiso executioni mandetur? Negat Garcia *supra à numer.* 25. *& seqq.* Mouetur, quia quando ex relatione non constat reseruatio, non videtur impetranti incumbere onus probandi reseruationem. Alias frustra adderet Pontifex in aliquibus breuibus qualitatem reseruationis, absque huiusmodi addito Plenè, & concludenter probanda est ab impetrante.

Cæterum verius est oppositum, quod probat Hieronym. Gonzalez *regul.* 8. *Cancellar. glos.* 9. *annotat. contra nullit. & attentata, præcipuè à num.* 263. Quia hæc bretia, vt dictum est, nunquam conceduntur nisi in beneficiis reseruatis, quare cessante reseruatione cessat concessio: sed quilibet impetrans tenetur fundamentum suæ gratiæ verificare. Ergo tenetur reseruationem probare.

Dices, verum esse cessante reseruatione, cessare gratiam, essequè illius fundamentum, non tamen inde inferri obligatum esse impetrantem illam probare: quia non omne fundamentum suæ gratiæ obligatur probare, sed illius tantum cuius sit expressa narratiua, alias obligaretur probare esse clericum ex legitimis natalibus ortum, nullóque vitio inuolutum. Quod non est dicendum, hæc enim relinquuntur iudicio petitorio, Cum autem in narratiua non fuerit facta expressa mentio reseruationis illa ab impetrante non videtur necessario probanda. Sed contra est: quia licet verbis expressis non fuerit facta mentio reseruationis, at tacitis, & virtute in expressis contentis facta est. Cum enim in narratiua signetur vacationis modus, vt inde constet Pontifici Prouisionem competere, sibique esse reseruatum negari non potest; reseruationem esse de mente breuis; ac proinde ab impetrante probandam. Aliæ autem qualitates impetrantis probari non debent in iis breuibus, quæ expediuntur in forma gratiosa, quia supponuntur probatæ, secus in breuibus quæ in forma digni expediuntur, quia virtute in narratiua continentur. Fateor tamen cum Gonz. *supra n.* 268. si probaretur beneficium vacasse in mense reseruato, aut sede episcopali vacante, sicuti in breui cauetur, nullusque esset contradictor qui coram executore reseruationem excluderet ob patronatum vel alias rationes, deberet executor ex sola illa verificatione possessionem accipere nomine cameræ, vel prouisum in possessionem immittere. Quia censetur sufficienter probasse reseruationem,

10 Sexto aduerto, probationem narratiuæ debere esse perfectam: sic Garc. *dicta 6. p. cap.* 3. *à n.* 94. Tum quia est gratiæ fundamentum, & conditio, sub qua reseriptum conceditur, Tum quia agitur de impedienda ordinatiorum prouisione, & de exclusione cuiuslibet alterius prouisi; consentit, & pluribus sitmat Gonzal. *glos.* 11. *num.* 68. Excipiunt tamen supradicti doctores, Garcia. *n.* 69. Gonzal. *n.* 104. casum quo non esset intrusus aliquis excludendus, vel contradictor: quia tunc videtur sufficere semiplena narratæ reseruationis probatio, eo quod prouiso Pontificis valde esse potest, non solum ex capite reseruationis, sed etiam ratione præuentionis. Sed hæc exceptio nullatenus admittenda est. Nam esto Pontifex ratione præuentionis prouidere beneficium possit, non tamen in præsenti valet vti illa potestate, sed solum ex capite reseruationis intendit beneficium prouidere. Ergo si reseruatio plenè probata non est gratia iustificata, non erit neque intentioni Pontificis satisfactum. Illud tamen est certum obligatum esse impetrantem ad excludendum spolium; & reuocationem sententiæ excusandam probare plenè; & concludenter beneficii possessi reseruationem. Garc. *dicto cap.* 3. *à n.* 53. 60. *& 61.*

11 Septimo aduerte, clausulam illam, *constituto quod N. defunctus in possessione beneficij de predicto mense reseruato obierit*, probari sufficienter si probes duplici teste N. possedisse beneficium, & in tali mense reseruato obiisse; tametsi non probes tempore obitus possedisse, quia dum contrarium non probatur, semper præsumitur possidere, qui semel in possessione fuit. Panormit. *in cap. cum ad sedem. de restitut. spoliat. n.* 16. Mascard. *de probat. concl.* 870. *numero* 17. Garc. *6. p. de benef. cap.* 3. *à num.* 70.

Octauo aduerte, qua ratione intelligenda sit illa clausula, *amotis inde, & expulsis quibuscunque detentoribus, & intrusis, non tamen à nobis prouisis*, an ex vi huius clausulæ teneatur executor quoscunque detentores, & intrusos citare, vel possit illis non citatis, & auditis à possessione amouere? Garcia *6 part. de benefic. cap.* 3. *à num.* 45. affirmat obligatum esse executorem citare detentorem, & intrusum, si forte aliquis existit. Mouetur, quia expelli non debet detentor, & intrusus, nisi ordine seruato, sed rectus ordo petit, vt audiatur. Ergo petit, vt citetur prius. Item si in supradicto breui diceretur, *amotis quibuslibet illicitis detentoribus*, necessario citandi forent, vt cognosceretur an illicitè beneficium obtinerent. Ergo similiter citandi sunt, cum dicitur *amotis quibuslibet detentoribus*. Non enim amouere Pontifex intendit, nisi illicitos, quod satis indicat verbum illud *intrusos*, quod solum illicitæ detentioni accommodari potest.

Contrarium videtur defendere Gonzalez *glos.* 9. *annot. contra nullit. & attent. & n.* 297. ea inquam ratione; quia aliàs executor nunquam merus executor esset, sed semper esset mixtus, cum partes iudicis assumere obligaretur, litteræque apostolicæ nunquam haberent paratam executionem.

Dicendum ergo existimo, obligatum esse executorem verificare narratiuam, scilicet vacationem de tali mense, quo reseruationem inducat; illa igitur verificata absque vlla citatione amouere poterit quemlibet beneficij detentorem, quia supponitur illicitè detinere, & in beneficio esse intrusum. Quod si ipse se executioni apponat, prætendens legitimè beneficium detinere, impedire non poterit executionem, nisi probationem narratiuæ infirmet. Ex alio namque capite in hoc iudicio executiuo audiendus non est, sed remittendus est iudicio petitorio, & ex his soluuntur fundamenta contraria. Subdit vero Pontifex, *non tamen à nobis prouisis*. Nam si detentores à Pontifice prouisi fuerint, siue benè, siue malè, cessat executio breuis; quia cessat conditio sub qua exequendum est. Neque executor potest illorum prouisionem examinare, sed iudicio petitorio remittenda est. Garcia *6. part. de benefic. cap.* 3. *numer.* 79.

13 Nono aduerte, quòd omnes fructus, redditus & prouentus dicti beneficij à die vacationis decursi prouiso adiudicantur, & per censuras Ecclesiasticas compelluntur reddere qui eos habuerint, vel consumpserint, si mala fide consumpti sunt. quæ semper præsumitur à die intimati monitorii. In beneficiis Ecclesiæ Cathedralis solet capitulum fructus percipere illo tempore quo lis pendet pro executione breuis, quia capitulo competunt per ius accrescendi, eo quod nullus resideat, iuxta *textum in cap. 1. de clerico non resident. in* 6. Neque aduersus hanc doctrinam obstat constitutio 67. Pij V. incipiens *Cordi nobis est*, sub 3. Kalend. Aprilis anno 1568. qua cauetur fructus sequestrandos esse, quoties inter prouisum à Sede Apostolica, & ordinarium litigatur super aliqua dignitate, præbenda, aut portione, siue alio beneficio Ecclesiastico in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel collegiata, ne capitulum occasione percipiendi fructus illum foueat, & prouisum, apostolicum impediat. Non inquam obstat; quia hæc constitutio, dicit Garcia *6. part. de benefic. n.* 113. *num.* 116. loquitur de fructibus, & prouentibus, quos capitulum percipit vigore alicuius specialis consuetudinis, vel constitutionis Ecclesiæ, non de fructibus, quia vigore iuris communis capitulo competunt. Item loquitur in casu, quo capitulum in culpa fuerit, quominus prouisus Apostolicus executionem suæ prouisionis obtineat, consentit Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell.* § 7. *præam. num.* 22.

Dixi executorem compellere posse censuris, priuatione beneficiorum, inhabilitate ad illa, aliisque pœnis detentorem beneficij, vt dimittat, fructusque perceptos restituat. Quod si ficta hac compulsione rebellis extiterit, esto postea à contumacia desistat, & breui pareat: non tenetur executor omnem pœnam remittere, sed aliquam exequi potest ob contumaciam. Excipiamen censuras, à quibus necessario absoluendus est, si obedientiam præstat. Regulariter tamen tam à censuris, quam aliis pœnis absoluitur, si à contumacia desistat: sic aliis relatis Garcia *6. p. de benef. c.* 3. *n.* 151.

14 Decimo aduerte, huiusmodi executori potestatem concedi procedendi appellatione postposita. Qua facultate executioni mandare poterit breue sibi commissum, non obstante appellatione, quæ effectum non habet suspensiuum, sed ad summum deuolutiuum, iuxta *textum in cap. pastoralis. § praterea de officio delegati. cap. tua nobis in fine de decimis*. Quod intelligendum est, executore procedente iuxta formam sibi commissam, & in præscriptam. Nam illa non seruata clarum est non posse breue executioni mandari, & appellationem suspensiuum effectum habere, vt latius Gonz. *reg.* 8. *Cancell. annotat. contra nullit. & attent. num.* 220.

Idem dicendum est de illa clausula, *sublata qualibet facultate alteri*

aliter iudicandi, & interpretandi, &c. quæ certè intelligitur probata narratiua & executore formam sibi præscriptam seruante, iuxta *textum in c. dilecta. de re iudicata.* & tradit Garc. *6. part. de benefic. cap. 3. n. 81. & seqq.*

15 Posita vero appellatione per intrusum datur à signatura Pontificis commissio, vt de executione breuis cognoscatur, sed cum illa conditione, vt prius breuio paritum sit. Quæ conditio quousque purgetur, suspendit commissionem. Ad illam tamen purgandam necesse est, vt intrusus possessionem demittat, hoc est patiatur, vt executor nomine cameræ apostolicæ illam accipiat, aut prouiso concedat, fructusque restituat & expensas soluat, si in illis condemnatus fuerit. Quod si fructus & expensæ soluendæ liquidatæ non fuerint, debet obligationem facere soluendi, quos constiterit debere liquidatione facta. Alias à censuris absolui non debet, vtpote parte non satisfacta. Interim tamen negotium principale sequi non potest, quia realiter, & cum effectu non est paritum breui. Vide Gonzalez *gl. 9. annotat. contra nullit. & attentat. n. 224. 247. & seqq.* Garc. *6. p. c. 3. a n. 129.*

Vndecimo nota illam clausulam, *dummodo vltra tres dietas aliquis authoritate præsentium ad iudicium non trahatur*; non intelligi respectu auditoris cameræ: quia comparatione huius non seruantur diætæ, vt ex stylo nouissimo curiæ constat; sed intelligi comparatione aliorum iudicum executorum, qui simul cum auditore cameræ constituuntur ad illius breuis expeditionem. Garcia. *6. part. de benefic. cap. 3. n. 12.*

16 Tandem aduerte, prouisum apostolicum, ad cuius commodum, & vtilitatem nomine cameræ possessio capitur, obligatum esse die à data infra sex menses litteras sub plumbo expedire, ac iura cameræ apostolicæ ac aliis propterea debita persoluere, alioquin elapsis dictis sex mensibus beneficium vacat ipso iure: sic habetur in supradicto breui, clausula finali. Et licet sex menses à die datæ, & non à die adeptæ possessionis numerentur, vt in ipso breui clatis verbis exprimitur; at requiritur, vt possessio pacifica nomine cameræ capta fuerit, vt huiusmodi menses à die datæ numerentur, vt bene aduertit Garc. *dicta 6. p. de benef. c. 3. n. 164.* Quia breue conceditur, vt virtute illius possessio acquiratur, & fructus beneficii prouiso adiudicentur. Ergo si possessio haberi non potuit, non debet gratia ad possessionem ordinata annullari,

17 Difficultas vero est, an transactis sex mensibus, in quibus tenebaris litteras expedire, neque expedisti, possis postea expedire, antequam sit ius alteri quæsitum? Ratio difficultatis est, quia expeditio litterarum supponit gratiam validam esse: at gratia ob tuam negligentiam irrita est, & nulla. Ergo litterarum expeditio esse non potest. Nihilominus verius existimo, te litteras expedire posse, sic Garc. *6. p. c. 3. n. 168.* & in simili tradit Anastas. Germ. *de indultis Cardin. 5. volumus à n. 36.* Monentur, quia pœna vacationis ipso iure imponitur, ne curia iuribus sibi debitis defraudetur. Non autem defraudantur, si litteræ tandem expediuntur in forma, *sane ratio.* Alias opus non erat terminum sex mensium designare, intra quem litteræ expediuntur: concedo namque expeditionem litterarum præcipi, ne curia iuribus debitis defraudetur, terminum autem sex mensium designari, ne horum iurium solutio differatur. Quapropter ea ratio mihi probatur. Quia hæc pœna esto sit ipso iure, at indiget sententia declaratoria negligentiæ habitæ; quia iure acquisito nemo priuari censendus est, nisi hæc sententia accedat; vt latè probauimus *tract. de legib. disp. 3. pun. 2. præcipuè n. 8.* Cum autem supponamus nec te declaratum esse, vt morosum expeditorem, nec alteri beneficium applicatum, efficitur firmam gratiam habere, & litteras expedire posse.

18 Deinde est alia difficultas, an beneficium vacans ob non expeditionem litterarum in mense ordinario pertineat ad ordinarium eius prouisio, vel ad Pontificem? Et videtur ad ordinarium pertinere, quia ponimus obligationem habere expediendi huiusmodi litteras extra curiam, ac proinde extra curiam commissam negligentiam fuisse, & consequenter beneficium extra curiam vacasse, & cum in mense ordinario contingat, ad ipsum prouisio pertinebit.

Nihilominus verius est de prouisione solius Pontificis esse, sic Mandos. *q. 60. de monitorijs sub. num. 51.* Garc. *6. p. c. 3. num. 171.* Monentur, quia Pontifex intendit officialium indemnitati prouidere, apponendo pœnam vacationis ipso facto, si litteræ infra sex menses non expediantur, quod nullatenus obtineretur, si ad ordinarium deueniret prouisio. Adde tale beneficium videri esse affectum Pontifici, dum litteræ non expediuntur ex illius manus appositione. Quia non censetur facta integra, & perfecta illius beneficij prouisio, quousque litteræ expediantur. Non enim expeditio litterarum est noua prouisio, sed prouisionis factæ authentica continuatio, testificatio, & publicatio. Quod secus est indulto Cardinalium, quo cauetur, vt prouisus ab eis de beneficiis reseruatis teneatur intra certum tempus nouam prouisionem à Pontifice obtinere, alioquin beneficium vacet: quia illa Cardinalis beneficij prouisio fuit in suo ordine perfecta & completa, & sic beneficium vacat de nouo ob non obtentam nouam prouisionem. At cum Pontifex beneficium prouidet, & præcipit intra tot menses litteras prouisionis expedite, alioquin beneficium vacet, non videtur beneficium denuo vacare, sed vacationem primam continuare, eo quod prouisio Pontificis non fuerit completa, & perfecta. Idem enim sonat illud verbum, *alioquin beneficium vacet*, ac si diceret, alioquin beneficij facta prouisio nulla sit.

§. VI.

Qua ratione subrogationis rescripto beneficia acquirantur.

1 *Subrogatio quid sit, & à quo concedatur.*
2 *An facta collitiganti infra mensem, vel post mensem vacationis omnibus aliis subrogatis præferatur.*
3 *Triplex conditio necessaria est, vt subrogatio locum habeat.*
4 *Qualibet impetratio beneficij viuente possessore impedit subrogationem.*
5 *Ad quæ subrogatio extendatur? Concessio spectanda est.*
6 *Ex vi subrogationis succedis in ius, & possessionem illius, in cuius locum subrogaris.*
7 *Qua in subrogatione verificare debeas, vt tibi possessio defuncti concedatur.*
8 *Quid si esset contradictor, nec defunctus esset in possessione.*

1 SVbrogatio est in alterius locum successio, iuxta *leg. proponebatur. de iudiciis.* Hinc subrogationis rescriptum dicitur quo Pontifex alicui concedit ius litigiosum, quod alius in beneficium habebat, illud tamen amisit ob mortem, vel cessionem voluntariam, vel priuationem. Dixi *litigiosum*, quia rescriptum subrogationis supponit litem, & lite suppositâ concedit ius demortui, priuati, vel cedentis. Supponit inquam litem legitimè intentatam. Nam si constaret de malitia litis, beneficium litigiosum dici non posset, neque in illo intratet subrogatio, Hæc enim ratione inquit Azor. *2. p. instit. moral. lib. 7. c. 32. q. 6.* litem intentatam vi rescripti subreptitij nullam esse. Quia rescriptum subreptitium nullius est momenti, & consequenter citatio processus, & acta inde procedentia.

Hoc ius solus Pontifex concedit, quia solus ille subrogare in litem potest. *c. 1 & 2. vt lite pendente, in 6.* & solus ille potest ius ad beneficia vacatura concedere. *c. ex tenore. de concess. prabenda. & c. 2. de concess. prabenda. in 6.* & tradit ex Mandosio Azor. *2. p. instit. moral. l. 7. c. 32. q. 4. & 7.* esto ordinarius possit constituere, vel admittere qui iura defuncti defendat, & beneficium ab intrusione liberet, vt constat *ex c. 2, vt lite pendente, in. 7.* Duplex est subrogatio, alia gratiosa, alia rigorosa. Gratiosa est, cum Pontifex ipse te subrogat in ius, quod defunctus habebat. Rigorosa, cum mandatum dat, vt te alius subrogęt, Mandos. *de signatura gratia, tit. de subrogationibus q. 1.*

2 Deinde subrogatus in litem, & iura defuncti potest esse collitigans, vel alius tertius. Si collitiganti concedatur subrogatio infra mensem, omnibus aliis concessionibus præferenda est, quia omnes aliæ annullantur, vt constat ex *reg. 29. Cancell.* de subrogandis collitigantibus sibi, *Aliorum quorumlibet de præmisso iure siue tunc vacet, vel cum vacauerit impetrationes, vel concessiones etiam motu proprio infra mensem ante concessionem huiusmodi facta nullius sint valoris, vel momenti.* Verum si collitiganti infra mensem non sit concessa subrogatio fuerit tamen alteri tertio, dubitant doctores, an effectum sortiatur hæc subrogatio alteri tertio facta? Affirmat Glossator *ibi*, & Gomezius; eo quod solum annullare videtur regula impetrationes aliorum à collitigante infra mensem factas ante concessionem factam infra mensem collitiganti: Ergo si nulla est collitiganti concessio infra mensem, cessat annullatio: causa enim annullationis illarum impetrationum videtur esse fauor impetrationis infra mensem à collitigante facta.

Contrarium defendit Mandos. *in præsenti. q. 2.* Azor. *2. p. instit. mor. l. 7. c. 31. q. 7. in fine.* Et videtur probabilius, eo quod causa annullandi subrogationes infra mensem factas alteria collitigantibus videatur esse, vt locus detur collitigantibus petendi subrogationem, illamque impetrandi: quæ ratio semper persistit, siue petatur, siue non. Adde regulam illam (si rectè expendatur,) annullare quaslibet impetrationes aliorum infra mensem ante concessionem factam collitiganti, ante concessionem inquam factam collitiganti; siue facta sit infra mensem, siue post mensem: hoc enim ibi non declaratur.

3 Vt autem hæc subrogatio locum habeat, triplex conditio in supradicta regula exprimitur. Prima, dummodo is qui subrogationem petit, in dicto beneficio intrusus non fuerit. Non enim meretur beneficium consequi, neque ius ad illud habere, qui absque legitimo titulo illius possessionem accepit, vel fructus recepit. Azor. *dicta 2. part. instit. moral. l. 7. cap. 32. q. 6. vers. primo quæritur.* Secunda dummodo contra possidentem pacificè per triennium non mouetur litem. An autem sufficiat ad hunc effectum possessio triennalis de facto, etiam absque colorato titulo non constat. Aliquibus placet non sufficere; quia hæc possessio, vt pote mala fide habita, & sine titulo, ius non concedit possidendi: Ergo lis intentata aduersus illam iustissima est, non igitur obstare potest subrogationi. Contrarium verius

videtur; eo quod dicta regula solum triennalis pacifica possessio requiratur absque vlla tituli mentione: & cum sit conditio fauorabilis ad euitandas lites, & calumnias, late est interpretanda, ita vt quamlibet possessionem pacificam siue non cum titulo, siue absque titulo comprehendat. Azor. *supra. vers. secundo quæritur.* Tertia conditio est, ne subrogatus in locum defuncti impetrationem beneficij fecerit, viuente illius possessore, maximè si senex, vel infirmus fuerit. Et idem est si impetrauerit ob priuationem, vel remotionem, antequam de criminibus fuerit sententia non solum definitiua, sed quæ transierit in rem iudicatam beneficij possessor condemnatus.

4 Mandos. *in præsenti. quæst. 6.* existimat non quamlibet impetrationem beneficij impedire subrogationem, sed illam solum, quæ fuerit de beneficio possesso à sene, vel infirmo, aut simili. Quia in hac datur locus malitiis, & calumniis, & occasio mortis captandæ, & præterea, quia si de quorumlibet viuentium beneficiis impetratio intelligeretur, vt quid regula expressit senis aut infirmi beneficij impetrationem? Item etsi Pontifex cuperet eorum, qui viuentium beneficia impetrans, fraudibus obuiare, de facto solum subrogationem prohibuit illius, qui beneficium impetrauit viuente possessore in casu senectutis, vel infirmitatis, aut similis impedimenti, vt colligitur ex illis verbis, *illo viuente in casibus promissis, vel similibus impetrauit*, & non sunt in regula alij casus præmissi, nisi senectutis, aut infirmitatis.

Cæterum hæc doctrina Mandosij admittenda non est, vtpote contra verba regulæ, & contra eius intentum. Regula namque quorumcunque viuentium impetrationem expressit illis verbis. *Cupiens* (scilicet Romanis Pontifex) *eorum fraudibus obuiare, qui viuentium beneficia, illorum præsertim, quibus propter senium, aut propter infirmitatem imminet vitæ periculum, impetrant, vt illis decentibus, tanquam collitigantes in illorum iuribus facilius subrogentur, voluit vt deinceps nullus in iure, vel ad ius beneficio defuncti, quod illo viuente in casibus premissis, vel similibus impetrauit, aliquo modo subrogetur.* Cum enim particula *præsertim*, implicauerit, casum expressit minus dubitabilem, & casus magis dubitales comprehendit, vt in *cap. cum contumacia. de hæreticis. in 6. & reg. 1. §. pater. vers. sed maximè. ff. de collatione bonorum.* & tradit Glossa *in leg. vlt. versic. præsertim. ff. de liber. hom. exhibend.* Menoch. *lib. 3. de arbitr. casu. 436. num. 19.* referens Decium *in leg. qui, se patris. num. 60. Cod. vnde liberi.* & Socin. Iunior. *consil. 30. num. 41. lib. 1.* Item non satis Pontifex obuiaret eorum fraudibus, qui viuentium beneficia impetrant, si solum impetrantes beneficia senum, & infirmorum priuatione subrogationis puniret. Deinde finis, ob quem subrogationem annullat illorum, qui beneficia senum, & infirmorum impetrant, est ne lites malitiosè excitentur, neve noui aduersarij collitigantibus dentur, vt constat ex initio regulæ. ibi: *Litium succedere cupiens anfractus, & ne noui collitigantibus aduersarij dentur* sed hæc ratio procedit in cuiuslibet viuentis beneficij impetratione. Ergo.

Neque obstant rationes pro Mandosio adductæ. Negamus namque solum in impetratione beneficiorum, senum, & infirmorum adesse fraudes, & malitias posse, cum in aliis adsint, esto non ita efficaciter; eaque de causa impetrationem beneficiorum, senam, & infirmorum expressit Pontifex, sicuti etiam expressit impetrationem beneficij illorum, qui de criminibus priuatione dignis perpetratis arguuntur.

5 Ad quæ vero subrogatio se extendat, pendet ex concessione, si enim subrogeris in litem, & ius defuncti, nulla mentione facta possessionis, non censeris in eius possessionem subrogatus. *argument. legis. Pomponius. §. quæsitum. & leg. cum hæredes. ff. de acquirend. possess.* Et ratio esse potest; quia hoc rescriptum non ambitiosum sit, strictam habere debet interpretationem. At si subrogeris in omne ius, quod defuncto quomodolibet conueniebat, in possessionem ipsius censeris subrogatus: quia verba illa generalia non solum ius proprietatis, sed possessioni comprehendunt: sic relatis Mandosio *q. 7.* & Gomezio *q. 9.* aliis tradit *institut. morali. l. 8. c. 32. circa sextum quæsitum, q. 4.* Tenor autem subrogationum nouarum, vt testatur Hieronym. Gonz. *ad reg. 8. Cancellariæ, §. 1. præmial. n. 59.* est, vt subrogeris litem, & ius defuncti, ad illius possessionem admittaris.

6 Ex vi huius subrogationis succedis in ius, & possessionem illius, cuius loco subrogaris, ita vt ius, & possessio prædecessoris in te translata sit à puncto subrogationis.

7 At si subrogatio gratiosa sit, vt in possessionem immittaris, non teneris gratiam verificare, sed solum te clericum esse beneficij litigium, illius vacationem, & defuncti possessionem; quia iis verificatis nemini fit iniuria, si tibi ius, & possessio defuncti concedatur. Et idem est si beneficium fuerit Pontifici reseruatum, vel affectum. Garcia plutibus Rotæ decisionibus comprobans, *6. part. de benefic. cap. 4. à num. 1 & seqq.* Gonz. *§. proœmiali. 7. à num. 211.* collitigantis enim parum interest cum vno, vel alio possessore causam expedire. Nulla igitur ei, neque alteri fit iniuria, si in possessionem defuncti mittaris, ex eo tantum quod de clericatu, litigio, vacatione, & defuncti possessione doceas absque alia verificatione.

8 Excipe tamen, nisi par titulus ab alio produceretur, hoc est, nisi alius concurreret à Pontifice subrogatus. Nam in illo casu impediris à possessionis immissione, & subrogatio executioni mandati non potest, sed iure ordinario procedendum est & gratiam tuam verificare teneris, vt inspici possit, an præualere debeat: sic aliis relatis docet Gonzalez *supra num. 243.* Garc. *n. 35.* ex doctrina Bart. *in leg. 1. C. de edicto D. Adriani tollendo, n. 21.*

Sublimitat vero hanc doctrinam Gonzalez aliis relatis, vt procedat, cum impediens veniret cum gratia obtenta ex eadem vacatione, secus ex diuersa; quia si diuersa est, non debet censeri par titulus. Verum, vt rectè Garcia *supra*, si procedens ex diuersa vacatione possessionem beneficij adeptus esset, necessario audiri debet, antequam tu virtute subrogationis gratiosæ in possessionem mittaris, quia est legitimus contradictor: & iniuria illi fieret, si inauditus expelleretur. Quod si is in cuius locum subrogatis, possessionem non habuit, nequaquam immitti potes in possessionem vigore subrogationis factæ. Aliàs subrogatus plus gratiæ consequeretur ex vi subrogationis factæ, quam habere is, in cuius locum subrogatur. Quod est absurdum, vt dicit Cassador. *decis. 1. vt lite pendente, Rota decis. 10. eodem tit. in nouis.* Quapropter in hoc casu debes iure ordinario, & non executiuo procedere. Achilles *decis. 2. de probat.* Mohedan. *decis. 106. & 304.* Et idem est, si defunctus spoliatus à possessione decesserit, tu vero subrogeris ad actionem, & prosecutionem spolij, nequaquam vi subrogationis obtinere possessionem posses; quia non est maior gratia tibi, quam authori concessa, sed ordinariè, & non executiuè procedere tenetis. Garcia *6. p. de benefic. c. 4. n. 36. circa finem.*

Verum si subrogatio rigorosa sit, cum hæc solum sit mandatum de subrogando, verificare gratiam teneris. Garcia *supra, n. um. 1.*

PVNCTVM XXXI.

Qualiter acceptione, & possessione iuridica beneficium acquiratur.

1 *Acceptio beneficij, qua ius in beneficium confert, fieri potest per procuratorem habentem speciale mandatum.*
2 *Quid dicendum de ratihabitione.*
3 *Mandatum de acceptando beneficia laicis dari potest.*
4 *An beneficiatus post acceptationem beneficij possit propria authoritate beneficij possessionem accipere? [Proponuntur varij casus.*
5 *Possessio beneficij accipi potest à beneficiato, & ab eius procuratore habente speciale mandatum ad beneficia*
6 *Procuratorem generaliter constitutum non videtur posse possessionem beneficij accipere.*
7 *Quomodo beneficij possessio acquiratur.*
8 *An per inuestituram in beneficij conspectu acquiratur beneficij possessio? Videtur acquiri.*
9 *Spectato iure nostri regni id certum est.*
10 *apprehensa possessione beneficij in Ecclesia, & omnium, quæ ad beneficium pertinent, censetur apprehensa.*

1 POnimus ex omnium sententia collationis acceptatione beneficij titulum acquiri, iuxta *textum in cap. vltim. de conces. præbenda. in 6. & cap. si tibi absenti. de præbendis. eodem lib.* Sed dubium est, qualitet hæc acceptatio fieri possit? Dicendum est fieri posse per procuratorem speciale mandatum habentem ad acceptanda beneficia, tametsi in particulari non nominetur beneficium, quod acceptandum est. Quia beneficium esto onerosum sit, tamen vtile beneficiato, Sufficit ergo hoc speciale mandatum, vt in collationem mandans censeatur consentire consentiente mandatario. Ioannes Andreas, Imola *in cap. accedens. de præbendis;* & alij plures, quos refert, & sequitur Couarruu. *libro tertio variar. cap. 16. num. 4.* Vasquez *epist. de benefic. cap. 4. §. 4. dub. 1.* Quod non solum habet vetum in acceptatione beneficij simplicis, sed etiam curati: sic Couarr. & Vasq. *supra.* At hoc intelligendum est casu, quo mandatum illud speciale esset sub signo vniuersali, nempe ad quæliber beneficia; quia signum illud vniuersale *omnia*, vel *qualibet*, distrahit mandatum, vt supponat pro beneficiis tam simplicibus, quam duplicibus, & qualificatis. *leg. omnes populi. ff. de iustitia, & iure. leg. testatorem. 58. ff. de legat. 3.* & pluribus exornat Gonzalez *ad regul. & cancell. glos. 6. à num. 20.* Neque obstat, *cap. cum in illis. de præbend. lib. 6.* vbi appellatione beneficiorum non veniunt curata in mandato de prouidendo, tametsi sub signo vniuersali concessum sit. Quia hoc mandatum ambitiosum est, & restringendum, secus mandatum procuratoris ad acceptandum.

2 Quod si aliquis sine tuo mandato speciali beneficium tibi absenti collatum acceptet, tuum non est, quousque ratam habeas acceptationem, quia illa acceptatio, vtpote facta à non habente potestatem, nullius est valoris. At posita ratihabitione beneficium tuum est, quia illa ratihabitio, est clara beneficij acceptatio:

ceptatio: imo plures doctores, quos Cou. *lib. 3. variar. c. 16. n. 5.* sequitur, affirmant ratihabitionem illam præstare, vt illud beneficium efficiatur tuum à puncto acceptationis. *ex reg. ratihabitionem. 10. de Regul. iuris, in 6.* quæ retrotrahitur, & mandato comparatur, confirmantque ex *cap. fi vltim. de iureiurando, in 6.* Verum hæc extensio mihi non probatur, sicut neque Abbati *in cap. accedens. de præbendis. colum. 2.* Vasq. *opusc. de benefic. cap. 4 §. 4. dub 3.* Quia ratihabitio non potest retrotrahi ad causandum effectum, tempore quo ipsa non est. Ergo non potest collationem firmam, & irrenocabilem facere, iusque beneficiato concedere pro tempore, quo fuit acceptatio sine mandato; quia pro illo tempore ipsa non erat. Neque est verum in omnibus ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, sed solum in aliquibus casibus, à præsenti instituto diuersis, vt expendit Gloss. *in supradicta reg.*

3 Deinde mandantum ad acceptanda beneficia dari potest laico, & aliàs beneficiorum incapaci: quia ipse non sibi, sed mandanti beneficium acceptat: sic alios referens Couarruu. *lib. 3. variar. capit. 16. sub num. 4.* Vasq. *opusc. de benefic. c. 4 § 4. dub. 2. fine.*

4 Posita legitima beneficij collati acceptatione est quæstio, an hic beneficiatus absque iudicis officio possit corporalem benefici possessionem apprehendere? Quam quæstionem eleganter dissoluit Couarr. *dicto lib. 3. var. cap. 16. à num. 7.* aliquibus casibus, quos breuiter compilat Vasq. *de benef. capit. 4 § 4. dub. 5.*

Primo namque affirmat Couarruu. si prælatus, qui tibi contulit beneficium, potestatem habet tradendi corporalem illius possessionem, & cum contulit beneficium, aliquo te signo inuestiuit, scilicet pileo: ergo videtur potestatem tibi concedere corporalem possessionem apprehendendi, modò beneficium occupatum non sit ab alio. Et ratio esse potest; quia illa inuestitura facta à potente tradere possessionem, censeri debet vel ipsius possessionis traditio, vel saltem facultas possessionem apprehendendi: si quidem ad perfectionem collationis necessaria non est. Dixi, si beneficium ab alio occupatum non sit; nam si beneficium occupatum esset, non est verisimile velle prælatum, vt illum inauditum à possessione remoueas. Quia id iure fieri non potest. *leg. si quis in tantum. Codic. vnde vi, & leg. extat. ff. quod vi, metusue causa fiat.* Exceptio, & defensio possessori deneganda non est, cum possit multis modis eam defendere, vt bene dicit Azor. *2. part. instit. mor. lib. 6. cap. 19. quæst. 9. circa finem, versic. aliter tamen.*

Secundo affirmat idem Couaruu. eum qui canonicam beneficij collationem obtinuit absque inuestitura, esto possessionem propria authoritate capere non possit beneficij vacantis, tamen si eam accipiat, non contrahere pœnas relatas *in cap. eum qui, de prebendis in 6.* Nam in prima parte illius capitis, vt legenti constabit; priuatur beneficio curato possessio, qui in simile intruditur, vel violenter occupat; qui autem cum legitima collatione possessionem beneficij vacantis, propria authoritate apprehendit, non est intrusus, neque est violentus occupator, vt *puncto seq. in fine*, dicemus. In secunda vero parte illius capitis violenti occupatores damnantur. Ergo vbi nulla est violentia, neque intrusio, locum non habet supradicti textus pœnalis dispositio.

Tertiò docet Couuarruu. spectata communi sententia, quam tradit Panormit. *in capit. transmissam de electione*, Rebuff. *tract. de benefic. Rub. de missione in possessionem, numero quinto*, supradictum habentem legitimum beneficij titulum, & propria authoritate possessionem beneficij à nemine occupatam apprehendentem non esse vlla pœna dignum. Nam in *dicto cap. transmissam*, decisum est post confirmationem, quæ titulum tribuit, posse confirmatum administrare, & officium dignitatis exercere: Neque ibi cauetur possessionem à iudice dandam fore. Verum etsi in *supradicto cap. transmissam*, nulla mentio possessionis fiat, id est, quia ad iurisdictionis exercitium, spectato iuris rigore, possessio non requirebatur; at inde non infertur confirmatum propria authoritate accipere possessionem posse. Quia in *cap. ad hæc. §. in quadam. de officio Archidiaconi*, decidit ad Archidiaconum pertinere mittere institutos ab Episcopo in beneficiorum possessionem. Et in *cap. licet Episcopus. de prabendis. in 6.* Episcopo conceditur, vt in possessionem mittat beneficiatos, sublata per consuetudinem Archidiaconorum in hac parte potestate. Ergo signum est institutis hanc potestatem datam non esse, & ita tradunt plures, quos supradicto loco refert Couarruu. Quocirca, vt benè ipse aduertit, potest prælatus possessionem propria authoritate accipientem beneficij vacantis punire, pœna quidem non admodum graui propter authoritatem communis sententiæ, quæ id permissum esse censuit. At possessio sic capta, esto illicitè capta fuerit, valida est, & iustitiæ, legitimæque possessionis effectus habet; quia est capta ab eo, qui legitimum titulum habet, & nullibi inuenitur irritata.

5 A quo autem possessio apprehendenda sit? Constat apprehendi posse non solum ab habente canonicum titulum, de quo clarum est; sed etiam ab eius procuratore speciale mandatum habente ad beneficia; quia si virtute illius mandati potest collatum beneficium acceptare, à fortiori poterit illius possessionem accipere; si quidem possessio ius non confert, sicuti confert acceptatio.

6 Difficultas est, an procurator generaliter constitutus possit possessionem beneficij acceptati apprehendere? Affirmat Couarr. *dicto lib. 3. var. cap 16. n. 9.* & Vasq. *de benef. cap. 4. §. 4. dub. 6.* eo quod talis possessio ad factum pertinet, & non ad ius. Non ergo mirum est, si à procuratore generale mandatum habente obtineri possit.

Verius tamen videtur speciale mandatum requiri. Nam esto possessio beneficij accepti ius non concedat in beneficio (quod certè sub lite est) est tamen acceptationi beneficij accessoria, & illius perfectio &, complementum. Ergo imitari debet naturam illius, cui accedit. Cum ergo ad acceptationem beneficij requisitum sit, vt procurator habeat speciale mandatum, etiam in possessione requirendum est: & ita tenet Gloss. *in c. si tibi absenti. de prabendis in 6. verbo habuerit* Imol. *in l. 1. §. per procuratorem. ff. de acquir. possess. & l. qui mihi donatum. ff. de donat.*

7 Sed quomodo beneficij possessio acquiratur? Respondet optimè Couarr. *d. cap. 16. n. 10.* necessario acquiri corporali inductione; traditionéve beneficij, neque sufficere inuestituram datam à potente tradere possessionem, signo aliquo manifestatam, scilicet pileo, libro, aut annulo: quia hæc inuestitura solum opere confirmat collationem, seu institutionem verbo factam, vel saltem dat licentiam, & facultatem ipsi instituto, vt beneficij vacantis possessionem apprehendat, non tamen est ipsa beneficij possessio, quæ corporalem traditionem beneficij expostulat; *c. vt nostram. c. ad hæc §. in quadam, de officio Archidiac.* & tradit Glossa in *c. cum nostris. de concessione prabenda. verb. plus habet. & in c. authoritate. de institut. & in c. ex ore de his quæ fiunt à maiore parte capituli. & in c. accedens, de prabendis.* & pluribus aliis firmat Couarr *supra.*

8 Ab hac doctrina excipit Couarr. casum, quo daretur inuestitura beneficij vacantis in beneficij conspectu; siue hæc inuestitura fieret, dato, traditóque annulo, libro, pileo, alióve signo, siue verbo tenus tradatur possessio, probátque duplici argumento, primo desumpto ex *l. quod meo. § si venditorem ff. de acq. poss.* vbi conceditur possessio rei emptæ, si in domo ementis deponatur, etiamsi ab emente tacta non fuerit, & possessio fundi vicini fundo ementis, si ex turre existente in fundo ementis aspiciatur. Ergo similiter dari poterit, & concedenda est beneficij vacantis possessio per inuestituram, seu traditionem beneficij vacantis absque corporali apprehensione. Secundo probat Couarr. *ex l. clauibus. ff. de contrahend. empt.* vbi traditio clauium in conspectu horreorum facit, vt possessio omnium illorum, quæ in horreis includuntur, acquiratur. Nam ad acquirendam possessionem horrei sufficiebat clauium traditio vbicunque fieret; quia est traditio instrumenti, quo res continentur, vt bene pluribus relatis firmat Tiraquel. *in libello de iure constituti 2. p. ampliat. 7.* Couarr. *dicto cap. 16. n. 11. vers. ceterum. iuncto num. 12. vers. id vero.* Sed ad acquirendam possessionem illorum, quæ in horreo continentur, oportebat apud horrea fieri clauium traditionem.

Verum hæc argumenta non probat Vasq. *de benefic. cap. 4. §. 4. dub. 7.* eo quod lex in eo non solum expostulet ad acquirendam possessionem fundi empti, quod emptoris conspectu emptio celebretur, sed etiam quod emptor illum habeat vicinum suo fundo, ita vt pedes figes in suo fundo, reputetur figere in fundo empto, qui suo est contiguus. Cæterum absque firmo fundamento communi sententiæ Vasq. cõtradicit. Nam *lex quod in eo §. venditorem*, non probat fundum emptum contiguum esse cum fundo emptoris, sed solum ex fundo emptoris prospici, eique vicinum esse, inquit enim lex, *aut si vicinum mihi fundum mercatum, venditor ex mea turre demonstret, & vacuam possessionem se tradere dicat, non minus possidere cœpi, quam si pedes finibus intulissem.* Potest autem fundus emptus vicinus esse, & prospici ex fundo emptoris, quin sit contiguus. Ergo sine fundamẽto asseritur debere esse contiguum fundum emptum, vt censeatur per emptionem factam in eius conspectu traditam, esse possessionem. Præterea, quia iurisconsultus non tam vim facit in eo, quod fundus emptus sit vicinus fundo emptoris, quam in eo, quod venditor illum emptori demonstret & vacuam possessionẽ se tradere dicat. Adde legi *clauibus*, non posse supradictam doctrinam Vasq. aptari: ibi enim traditur possessio mercium in horreis inclusarum, ex eo quod apud horrea claues tradantur, sed merces, & horrea non habent vllam contiguitatem cum bonis emptoris. Ergo hæc contiguitas non requiritur.

9 Sed quidquid sit de dispositione iuris communis ciuilis, spectato iure nostri regni, possessio cuiuslibet rei conceditur, tametsi illius traditio verbo tenus fiat modo fiat in conspectu eius: sic habetur in *l. 3. tit. 3. p. 3.* Quod idem in beneficiis dicẽdum est, vt notauit Vasq. *dub. 7. circa finem.*

Secundo excipit Couuarr. *d. c. 16. circa finem.* casum quo propter pestem, vel aliud impedimentum non sit libet accessus ad beneficium. Tunc inquit Couarr. per solam traditionem beneficij ab eo, qui possessionẽ concedere poterat, censetur facta possessionis realis traditio: probatque ex *leg. si finita 15. §. illud. ff. de dãno infecto. l. cum vnus. §. vlt. & l. quamuis. ff. de bonis author. iudicis*

possidentem, contigit, de dolo & contumacia quibus cauetur (inquit) executorem iudicis iubentis aliquem mitti in possessionem alicuius rei posse eandem possessionem tradere, vel in conspectu rei, vel extra ipsum conspectum, si non est tutus ad ipsam rem accessus ob potentiam, occupationem, & vires alterius, modo aduersus illum lata fuerit sententia iuris ordine seruato, cum alioquin possessione, quam habet, priuari non possit: consentit Vasq. *de benef. cap. 14. § 4. dub. 7. in fine.*

10 Aduertit tandem Couarr. aliis relatis *dicto lib. 3. var. c. 16. num. 13.* apprehensa possessione beneficij, aut dignitatis in ipsa Ecclesia, cuius titulum, & nomen dignitas, seu beneficium habet, censeri apprehensam possessionem omnium ad dignitatem, vel beneficium pertinentium. Nam licet Ecclesia pastore, aut beneficiario careat, continet tamen omnia ad beneficium, seu dignitatem pertinentia. Ergo apprehensa possessione beneficij in ipsa Ecclesia, censetur apprehensa omnium, quæ ad beneficium pertinent. Secus vero dicendum est, si apprehendatur possessio alicuius rei singularis ad beneficium pertinentis, non obinde sequitur reliquarum possessionem apprehendi, tametsi nomine aliarum rerum possideatur; quia vna res singularis cætera non continet: consentit Vasq. *supra. dub. 6. in fine.* & clarè colligitur ex *l. eum haredes. ff. de acquir. possess.*

PVNCTVM XXXIII.

Qualiter possessione de facto, licet non de iure, ius in beneficium acquiratur.

1 *Possessio ex mala fide nullum ius concedit.*
2 *Ex possessione bona fide absque legitimo titulo ius in beneficiis acquirere videris. Et expenduntur regulæ Cancellariæ.*
3 *Verius est neque annali, neque triennali possessori titulum in beneficio concedi.*
4 *Annalis & triennalis possessio exceptionem aduersus molestantem & beneficium impetrantem concedit.*
5 *Explicatur regula de annali possessore.*
6 *Defendit hæc regula possessorem alias inhabilem, & incapacem, dum inhabilitas non exprimitur.*
8 *Coram ordinario non sunt exprimendæ conditiones relatæ in reg. de annali possessore.*
8 *Explicatur regula triennalis possessoris.*
9 *Defendat ne hac regula triennales possessores pacificos aliàs inhabiles, præter inhabilitatem simoniæ, & intrusionis? Negant plures. Probabilius est oppositum.*
10 *Probabilius est ad hanc exceptionem non esse in possessoribus bonam fidem requisitam.*
11 *Explicantur exceptiones simoniæ & intrusionis.*

1 DVpliciter beneficium possidere de facto potes, mala, vel bona fide. Si mala fide possideas, certum esse debet nullum in beneficio te ius acquirere, quamtumuis longissimo tempore possideas. Tum quia malæ fidei possessor nullo tempore præscribit. *cap. possessor. de reg. iur. in 6.* Tum quia vitium intrusionis, & obinde pœnam inhabilitatis incurris. Tum quia non mereris ex delicto commodum reportare: & ita tenet expressè Rebuff. *tract. de pacificis possessorib. num. 18.* Nauarr. *l. 3. consil. tit. de præbendis. consil. 41. in fine. in 1. edit. & in 2. tit. de Parochis. consil. 2. fine.* Thom. Sanch. *l. 7. in decal. c. 29. n. 91.*

2 At si beneficium bona fide possideas, cum tamen legitimum titulum illius non habeas, est difficultas; an hæc possessio concedat tibi titulum: & ius ad beneficium, sicuti concedit possessio bonorum sæcularium legitimo tempore continuata? Videris namque titulum ex tali possessione habere, sic Pontifice concedente in regulis Cancellariæ, de annali, & triennali possessore. Nam in regula Cancellariæ de annali possessore dicitur. Sanctissimus. D. N. vt improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinauit, quod quicunque beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatum præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætendit, deinceps impetrauerit nomen, gradum, & nobilitatem possessoris eiusdem, quotannis ipse possedit, & specificam, & determinatam, ex qua clarè constare possit, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competat: causam in huiusmodi impetratione exprimere, & infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium euocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum vsque ad sententiam definitiuam inclusiuè prosequi debeat, & teneatur. Alioqui impetratio prædicta, & quæcunque inde secuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfacere. Et si possessorem ipsum friuolè, ac indebitè molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persoluere cameræ Apostolicæ sit adstrictus, nec alius, quam prædictæ vacationis modus etiam per litteras, si neutri, si nulli, aut subrogationis vel aliàs tibi quoad hæc, vt huiusmodi beneficium ea vice consequi, vel obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Hucusque regula de annali possessore. Ex qua videtur colligi pacificam possessionem bona fine per annum continuatam ibi concedere beneficij titulum, siquidem interdicitur impetranti, vt non possit tale beneficium impetrare, nisi ob specificam, & determinatam causam, ex quâ clarè constet, quod nullum dicto possessori ius in beneficio competat: quod non videtur cum possessione bona fide cohærere posse. Regula vero Cancellariæ de triennali possessore clarius hunc titulum concedit. Inquit enim: *Voluit, & ordinauit. Dominus Noster, quod si quæcunque Ecclesiastica beneficia, qualiacunque sint, absque simoniaco in egressu, ex Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis huiusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, prouisio, electio, & præsentatio, seu quasis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit, dummodo in beneficiis, si dispositioni Apostolicæ ex aliqua reseruatione generali in corpore iuris clausa reseruata fuerit se non intruserit, super huiusmodi beneficiis taliter possessis molestari nequeat, necnon impetrationes de beneficiis ipsis sic possessis factas irritas, & inanes censeri debere decreuit antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.* Cum igitur triennio pacificè possidentem prohibeat Pontifex molestari, & beneficia ab ipso possessa impetrare, videtur inferri ius ex tali possessione acquirere, ob quod iuste, & legitimè possit beneficium retinere. Adde hunc titulum conuenientem esse bono reipublicæ ad vitandas lites, & conscientias possidentium pacandas. Ergo censeri debet Pontifex illum concedere, ea, inquam, ratione, qua princeps sæcularis vsucapione dominia rerum confert: & ita tenet Azor. *in triennali possessore. 2. p. instit. moral. lib. 7. c. 35. quæst. & 9.* cum Rebuffo *tract. de pacificis possessorib. num. 22.* Nauar. *lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de præbendis. cons. 41. & 42. & in 2. edit. tit. de parochis. cons. 2. fine. & tit. de præbendis. cons. 30.* Thom. Sanchez *l. 7. in decal. c. 29. n. 80.* & alij apud ipsum.

3 Nihilominus verius est neque annali, neque triennali possessori pacifico, & bona fide titulum beneficij ex possessione concedi. Et quidem annali possessori titulum non concedi est omnium sententia, & tradit Azor. *2. p. lib. 7. cap. 37. quæst. 16.* Et ratio ea est; quia in regula de annali possessore, neque exceptio à lite conceditur, neque impetratio prohiberi allegata causa specifica, determinata, & clara nullitatis: quæ certè esse potest cum ignorantia probabili possidentis. Quid enim obstat, quominus ante legitimam ætatem beneficium affectus sis ignoranter, vel cum alio iuridico impedimento, quod collationem clarè annullet? Ergo tali impedimento suppositio, esto probabiliter ignorato, impetrari tibi beneficium potest. Ergo possessio annalis non concedit titulum.

Quod autem nec triennalis possessio titulum concedat aliis inhabili, & incapaci docet Rebuff. *tract. de pacific. possess. à numer. 206.* & videtur tenere Azor. *2. p. lib. 7. cap. 35. quæst. 1. in fine* quatenus dicit ex vi regulæ triennalis possessoris solum defendi triennalem possessorem habilem, & aptum ad beneficia obtinenda. Ergo inhabilis, & incapax non defenditur, & consequenter nec titulus ei conceditur. Aliàs spurius, hæreticus, infamis, suspensus, irregularis recipiens beneficium, & pacificè per triennium possidens, posset in conscientia beneficium retinere, quod est absurdum. Ratio est: quia impedimentum canonicum obstans beneficij receptioni, & collationem annullans obstare debet cuilibet beneficij continuationi, & illius firmitati. Ergo collatio beneficij, quæ ob impedimentum recipientis nulla fuit à principio, nullumque recipienti titulum concessit, stante supradicto impedimento semper erit nulla, nullumque titulum conceder. Ergo inhabili, & incapaci nunquam conceditur titulus, neque præscriptio.

Verum quia successu temporis potest tolli hæc inhabilitas, eo casu defendunt plures triennalem possessionem titulum concedere, quia est possessio cum titulo colorato, continuata per tempus ad præscribendum sufficiens. Sed mihi verius videtur ex tali possessione titulum non acquiri. Quia supradicta regula solum prohibet, ne possessor triennalis pacificus molestetur litibus ibi, *super huiusmodi litibus taliter possessis molestari nequit:* quod optimè fieri potest, esto ipse teneatur cognoscens vitium suæ promotionis, beneficium dimittere, aut dispensationem impetrare, sic Cosmas *pragmat. sanct. tit. de pacificis possessorib. verbo triennio, & verbo molestari.* Couarr. *reg. possessor. 2. p. §. 10. num. 10. concl. 6. & 7.* Azor. tibi non constans. *2. p. l. 7. c. 35. q. 3.* Et ratio, meo iudicio, est efficax; quia beneficij titulus acquiri non potest aliter quam canonica institutione. *cap. ex frequentibus, de institutionib. & cap. 1. de regul. iur. in 6.* Ergo præscriptione acquiri non potest. Ergo triennalis possessio titulum non concedit. Adde si triennalis possessio titulum concederet, & securum in conscientia redderet possessorem, non posset ordinarius à triennio possidente beneficium titulum exigere, & examinationi subiicere; cum tamen contrarium multis probetur, quos refert, & sequitur Couarr. *sup. n. 10. conclus. 8.*

4 Sed inquites, quem fructum annalis, & triennalis possessor ex annali, & triennali possessione consequatur? Respondeo hanc potissimum consequi, nempe exceptionem aduersus quemlibet molestantem, & beneficium impetrantem. At quia diuersimodè hic effectus obtinetur ex annali, quam triennali possessione, ea de causa placet vtramque regulam explicare.

5 Regula

5 Regula namque de annali possessore non prohibet absolute possessorem, molestare, neque eius beneficium impetrare, sed solum casu quo non seruentur conditiones in regula præscriptæ: illis tamen seruatis impertrationem concedit. Conditiones verò eæ sunt primæ, vt exprimas nomen, gradum, & nobilitatem possessoris, & quot annis possederit, vt inde melius Pontifex cognoscere possit, debeatne beneficium ab eo auferre, & tibi impetranti concedere. Nomen, inquam, debes exprimere. At cognomen non censeo necessario exprimendum; quia regula solum de nomine, non de cognomine mentionem fecit, & cum sit onus, non debet tibi absque manifesta ratione imponi; tametsi contrarium censeat Rebuff. *glos.* 9. Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 7. *cap.* 34. *quæst.* 8. Deinde gradum litterarum explicare teneris, scilicet esse doctorem, licentiatum, vel magistrum in theologia, iutéve canonico, aut ciuili. Non tamen credo, quod dicit Azor. *quæst.* 9. te obligatum esse explicare, an theologiæ, vel iuris canonici publicus professor sis; quia hæc professio munus est, & officium, non gradus, esto gradum supponat. Item exprimere debes nobilitatem possessoris, esse inquam, ex nobili genere natum, ac tandem quot annis beneficium possederit: quæ omnia referre debes iuxta communem populi opinionem: neque enim obligatus es ampliorem informationem facere. Secunda conditio est, vt in huiusmodi impetratione exprimas causam specificam, & determinatam, ex qua clarè constare possit nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competere, Specificam, inquam, & determinatam. Vnde non sufficit in genere allegare nullum possessori ius in beneficio competere, sed necessario debes causam determinatam, & specificam, hoc est, singularem, & indiuiduam proponere, ex qua clarè, & non sub dubio constet nullum possessori ius competere.

His conditionibus existentibus conceditur tibi beneficium, sed sub eo onere, si preces veritati nitantur. Ad quarum probationem infrà sex menses, à die impetrationis numerandos, ipsum possessorem ad iudicium debes euocare, ita vt per te ipsum non stet, quominus citetur; inuperque teneris causam intra annum à die citationis prosequi, vt quantum fieri possit definitiuè sententietur. Alioquin impetratio prædicta; & quæcunque inde secuta nullius existunt firmitatis; quia sub prædictis conditionibus impetrationis concessio facta est. Damnaque, & interesse possessori propterea contingentia satisfacere teneris, & si possessorem ipsum friuolè, ac indebitè molestasse repertus fueris, 50. florenos auri persoluere cameræ Apostolicæ adstringendus es, neque alius, quam prædictæ vacationis modus etiam per litteras, *si neutri, si nulli, aut surrogationis*, vel aliàs tibi quoad hæc vt huiusmodi beneficium ea vice consequi, vel obtinere valeas, quomodolibet suffragetur. Prohibet namque Pontifex, post litem contestatam quamlibet aliam impertrationem, vtpote dolosam, & fraudulentam, non aliter, ac si beneficium illud litigiosum esset, quod nullatenus ob huiusmodi repulsam, & reiectam impetrationem dicendum est.

6 Ex his infertur decisio illius quæstionis; an hæc annalis possessio defendat possessorem alias inhabilem, & incapacem? Respondeo defendere, si non exprimis specificè, & determinatè causam inhabilitatis. Non quia ex illa possessione ius aliquod in beneficio acquirat possessor; sed quia dum causam nullitatis non exprimis, virtute regulæ supradictæ ab impetratione excluderis. Rebuff. *in præsenti. glos.* 3. Azor. 2. *p. lib.* 7. *c.* 34. *quæst.* 5.

7 Aduerte tamen in impetratione coram ordinario facta necesse non esse supradictas conditiones exprimere; quia ordinario cognitum esse debet quis sit annalis possessor, & quem titulum habeat, & quot annis possederit, cum diœcesim visitare quotannis teneatur. *cap. decernimus.* 10. *quæst.* 1. *cap. conquerente. de officio ordin. in* 6. Solum comparatione Pontificis, hæc ad vnguem exprimenda sunt: quia non præsumitur possessorem cognoscere: sic Gomez. *quæst.* 9. Mandos. *quæst.* 50. Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 7. *cap.* 34. *q.* 11. An autem in impetratione à legato idem sit dicendum, quod in ordinario? Affirmat Gomez. *quæst.* 10. eo quod legatus in sua prouincia ordinarius censeatur. *cap.* 2. *de officio legat. in* 6. At probabilius negat Azor. cum Rebuff. & Mandos *supra quæst.* 12. eo quod legato æquè ac Pontifici possessores beneficiorum, & beneficia ipsa incognita sunt. Neque legatus propriè ordinarius, sed impropriè. & superinductus, vt bene Gonzalez *glos.* 21. *n.* 37. & 38. & *glos.* 24. *n.* 36 & 37.

8 Regula vero triennalis possessoris defendit possessorem triennalem pacificum, ne vlla ratione molestetur, néve eius beneficium impetretur, nisi fortè per simoniam beneficium obtinuerit, aut in illud se intruserit. Pacificus possessor est, qui triennio beneficium aliquod absque vlla lite possidet ex probabili, verisimilique titulo. Nam licet ad priuilegium annalis possessionis, iuxta regulam de annali, sufficiat sola beneficij corporalis detentio; at ad triennalis possessionis gratiam habendam titulus saltem coloratus requiritur, vt patet ex illis verbis. *Ex Apostolica sede, vel ordinaria collatione*, &c. & notauit Azor. 2 *p. lib.* 7. *cap.* 34. *quæst.* 5. Dixi, quiet iennio continuo beneficium possidet absque vlla lite. Ad cuius triennij computationem nequaquam deseruire potest possessio antecessoris. Nam licet in præscriptione, & vsucapione rerum ciuilium, & profanarum possessio antecessoris successori adiudicetur, illique prosit, ac si ab ipso haberetur. *l. Pomponius. ff. de acquir. possess. & l. iam tempus. ff. de vsucapionib.* At in beneficiorum possessione locum non habet. Quia nullibi cautum est hanc fictionem iuris continuationem deseruire. Deinde cessu vel decessu beneficiarij titulus beneficij extinguitur. Ergo ipsa possessio, quæ illi accessoria est, extingui debet: sic aliis relatis Azor. 3. 5. *q.* 5. & sequens de annali possessore, *c.* 3. *a.* 7.

9 Sed dubium est, an hæc regula defendat possessores triennales pacificos alias inhabiles, & incapaces, modo non sint incapaces ex simonia, vel intrusione: Negat Glossæ author, & Rebuff. *de pacific. possessor. à num.* 106. Azor. 2. *p. instit. lib.* 7. 35. *quæst.* 1. *in fine.* & ex parte consentit Sanch. *lib.* 7. *in decal. cap.* 29. *num.* 86. & 91. Moueri possunt, quia non est credendum Pontificem fauere velle iis, qui beneficia retinere nequaquam possunt, præcipue si aliquo modo constet de mala fide, quæ certè præsumi debet, quoties inhabilitas ex iure prouenit; quia ignorantia iuris non præsumitur.

Verum probabilius censeo, quoslibet possessores triennales pacificos, simoniacis, & intrusis exceptis, hac regula defendi, ne aduersus illos intentari actio possit, neve beneficium impetrari: sic Ludouic. Gomezius *reg. de triennali. quæst.* 26. 27. & 28. Paris. *cons.* 96. *n.* 1. *vol.* 4. Nauarr. *cap si quando. de rescript. excepta.* 6. *num.* 9. Ratio ea est, quia excludens regula simoniacos, & intrusos tacitè comprehendit omnes alios qui ex aliis capitibus inhabiles sunt. Vt quid enim hos excluserit, si omnes inhabiles excluserat? Neque inde fit Pontificem velle, vt inhabiles, & incapaces beneficia retineant: sed ne litibus ad petitionem partis imperantur; ordinariis tamen relinquit possessorem examinandum, qua ratione, & quo titulo beneficium possideat, iuxta text. *in cap. graue, de præbendis.* 1. *vt Ecclesiast. benef. cap. ordinarij de officio ordinar. in* 6. & tradit pluribus relatis Couarru. *reg. possessor.* 1. *p.* §. 10. *concl.* 8.

10 An autem hi possessores bonam fidem habere debeant, vt possint tibi contradicentes excipere? Affirmat Rebuff. *de pacific. possessorib. num.* 28. Nauarr. *lib.* 3. *cons. tit. de præbendis. cons.* 41. *in fine. in* 1. *edit. & cons.* 2 *fin. tit. de parochis. in* 2. *edit.* Thom. Sanch. *lib* 7. *cap.* 29. *n.* 91. Mouetur, quia cum mala fide non detur præscriptio, Neque erat conueniens Pontificem velle fauere peccantibus.

Sed verius est bonam fidem requisitam non esse, vt tradit Ludouic. Gomezius *reg. de triennali possessore. quæst.* 42. Couarr. *reg. possessor.* 2. *p.* §. 10. *num.* 10. *conclus.* 4. Ratio est; quia ex vi huius possessionis non præscribitur titulus in beneficio, sed probatur possidentis molestatio, & beneficij impetratio. Hic autem effectus obtineri non potest, si regula solum possessoribus ex bona fide faueret; siquidem impetrans beneficium obtinere poterat possidentem bona fide carere, quod facilè probare posset, probando contra iuris ordinem beneficium possidere. Item lites, quas ex vno capite hæc regula vitare intendit, ex alio nascerentur. Nam si hæc regula solum vitat lites in possessore bonæ fidei, necessario possessor probare debet bonæ fidei possessorem esse, sicut probare debet triennalem possessor m, vt se defendat. Cum autem difficillimum sit bonam fidem probare, præcipuè cum beneficium possidet contra iuris ordinem lites nequaquam euitabuntur. Neque Pontifex fauere peccantibus intendit, ex eo quod hac regula possessores malæ fidei defendat; sed solum intendit fauere reipublicæ lites ab ea remouendo, esto per accidens inde sequatur fauor aliquis malæ fidei possessoribus.

11 Ab hac defensione (vt dictum est) excluduntur qui beneficia simoniacè fuerint ingressi. Quod intelligendum est de iis, qui scientes commisisse simoniam beneficia ingrediuntur. Nam si illis ignorantibus simonia commissa est, non credo à fauore huius regulæ excludi; quia cum sit pœna, extendi non debet ad simoniam, in qua beneficiati culpabiles non sunt, sic Rebuff. *de pacific. possess. num.* 242. *aliàs* 193. Vgolin. *tab.* 4 *c.* 6. §. 4. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 140. Garcia aliis relatis. 8. *part. de benef. cap.* 1. *num.* 15. Deinde excluduntur, qui in beneficia reseruata, reseruatione clausa in corpore iuris se intruserint. Quod si inquiras, qui dicantur se in beneficia intrudere? optimè explicauerunt Dominic. *cap. propter. de simon.* 19. Felin. *cap. veniens. num.* 1. & 3. *de rescriptis.* Ioann. Selua *de benef. 1. part. quæst.* 1. *num.* 9. & 10. Rebuff. *in prax. ben. fi. part.* 11. *in regulis de subrogandis collit. gl. glos.* 4. Gomezius *in reg. de triennali possessor. quæst.* 47. quos refert Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 7. *cap.* 35. *quæst.* 10. Couarru. *Libro relato var. cap.* 16. *pract. num.* 7. vbi alios refert. Ex his ergo doctoribus colligitur, illum esse intrusum, qui accipit, vel retinet beneficium cum nullum ius perfectum ei competere, quia definitionem decretum ex *cap. ad aures. de excessib. prælat. cap. quia diu. sist. tenda. concess. præbend. cap. cum iam dudum. de præbendis. cap. quia præbend. in* 6. & *aliis.* Vnde si beneficium accipias ab eo, quem scis carere potestate conferendi, vel quia excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus declaratus sit, vel ex alio capite priuatus sit potestate, intrusus es. *cap. tanta de excessib. prælator.*

Item

Item, si propria authoritate te in illud ingeris, *ex dicto cap. ad aures. cas. cum iam dudum.* Item si post electionem ante confirmationem beneficium administras quia iam te ingeris in beneficium absque iusto titulo, præcipuè cum ob hanc intrusionem ius tibi competens ex electione amiseris. *c. auarit. de elect. in 6.* Eridem est, si absque legitima institutione fructus beneficij percipis, *ex dicto cap. auaritia.* Item si detineas beneficium, quo ipso iure priuatus es; quia iam te in beneficium ingeris sine titulo. Felin. *in cap. 1. nostra. de rescript. corol. 2.* Quod est intelligendum, vt benè aduertit Couarru. *2. part. de sponsal. cap. 6. §. 8. num. 8.* si accedat sententia saltem declaratoria criminis. Quia quousque hæc sententia accedat, imo illius executio, titulum, & possessionem beneficij non perdis. Item si possessionem beneficij à Romano Pontifice concessi accipias litteris non expeditis, quamuis supplicatio signata sit. Quia quousque litteræ expediantur, non habes legitimum titulum possessionem accipiendi: ex dispositione facta à Iulio II. quæ est in ordine 33. cuius meminit Garcia 4. *part. cap. 2. num 47.* & docet Azor. *dict. cap. 35. quæst. 10. circa finem.* Præterea aliquibus placet te intrusum esse, si violenter beneficium occupes, tametsi ad beneficium legitimum titulum haberes. *ex dicto cap. eum qui. de præbendis. in 6.* Azor. *supra. quæst. 10.* Ludouic. Gomezius *in reg. de triennali possessore quæst. 48.* violentus enim beneficij occupator ius in beneficium acquisitum amittit ipso iure. Ergo sine iure se in beneficium ingerit. Ergo est intrusus. Cæterum credo probabilius te intrusum non esse, si legitimum titulum habeas. Nam esto ob violentam occupationem perdas ipso iure titulum, vt hæc amissio effectum habeat, debet sententia saltem declaratoria criminis accedere. Ergo dum hæc non accedit, non debes censeri titulo priuatus: sic aliis relatis Couarruu. *lib. 3. var. cap. 16. sub num. 7. vers. illud prætermittendum non est.* Vasquez *de benefic. cap. 4. § 4. dub. 5. à num 252.* Violentum occupatorem voco eum, qui beneficium occupat, etiamsi canonicum titulum habeat inuitis possessoribus, & eis contradicentibus, licet resistere conati non fuerint. Couarruu. alios referens, *versic. oportet.* Vasq. *de benef. cap. 4. § 4. dub. 5. à num. 251.* Aduerto violentum beneficij occupatorem priuandum venire beneficiis obtentis. *ex dicto cap. eum qui*: intrusum vero inhabilem esse factum ad beneficia, quæ per intrusionem tentat acquirere: sic relati doctores.

PVNCTVM. XXXIV.

Qualiter deuolutione beneficium acquiri possit, & prouideri.

1 *Quid sit deuolutio.*
2 *Qualiter deuolutio fiat, & ad quos.*
3 *Deuolutio fit cum qualitatibus beneficio annexis.*
4 *Ab vno remouet potestatem, alteri confert.*
5 *Contingit deuolutio non solum ob negligentiam prouidendi tempore designato, sed quia inhabilem scienter prouideris.*
6 *Quid si iure deuoluto scienter indignum prouidisses, an reuertatur prouisio ad inferiorem?*
7 *Apposita distinctione sit satis.*

1 CErtum est potestatem prouidendi beneficium deuolutione acquiri. Deuolutio namque est iuris conferendi in alium translatio; ob culpam, & negligentiam primi collatoris in prouidendo. Cum enim omnibus collatoribus tempus signatum sit, intra quod de beneficiis prouidere debeant, ne diu manerent in suspenso, ipsique sæpè in executione huius sanctissimi statuti negligentes forent. Pontifex volens huic tanto malo prouidere, statuit, vt elapso termino deuolueretur potestas ad superiorem, qui negligentiam inferioris suppleret; sic habetur *c. 2. de concess. prabenda. cap. licet. de supplend. neglig. prælat.* Rebuff. *post regulam Cancellariæ, de verisimili notitia tit. de deuolutione.* Azor. *2. p. inst. moral. lib. 6. c. 27. in prin. q. 1.* Garcia 10 *p. de benefic. c. 3. à n. 1.*

2 Hæc autem deuotio gradatim fit ab inferiori collatore ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad primatem, si illi subiectus est, & tandem ad Pontificem: colligitur ex *dicto cap. nulla, de concess. prabenda. & d. cap. licet. de supplenda neglig. prælat.* & tradunt Rebuff. & Garcia *supra.* Ab Episcopo ad capitulum numquam fit deuolutio proprie; quia capitulum non est Episcopo superius, & deuolutio semper fit ad superiorem, vt inferioris negligentiam suppleat, tametsi iure antiquo propter magnam communicationem Episcopi cum capitulo, & econtra, ab Episcopo ad capitulum, & econtra fieret deuolutio. *cap. 7. de concess. prabenda. cap. cum in cunctis. §. fin. de electione.* At iam consuetudine introductum est à capitulo fieri deuolutionem ad Episcopum, & non econtra. Item ab Episcopo ad Archiepiscopum, & ab Archiepiscopo ad Pontificem. Quod si Episcopus, & capitulum inter se prouisionem beneficiorum, quæ ad ipsos insimul pertinebant, per turnos diuiserint, & capitulum negligens fuerit in prouisione, vel sciens prouiderit indignum, nequaquam deuolutio fit ad Episcopum, sed ad Episcopi, & capituli superiorem, quia in illa prouisione Episcopus non est capitulo superior, sed æqualis, & deuolutio nunquam fit ad æqualem, sed ad superiorem, vt benè notauit Garc. 10. *p. de benef. c. 3. n. 35.*

3 Rursus deuolutio semper fit cum qualitatibus beneficio annexis in prima prouisione: quia est prioris prouisionis omissæ subrogatio, & consequenter illius conditionem subire debet. *argum. leg. 1. ff. de solut. & leg. si eum. §. iniuriarum. ff. si quis cautionib.* & tradit Gonzalez *glos. 46. num. 33.* Azor. *2. p. lib. 6 cap. 27. quæst. 8.* Garcia 10 *p. de benef. c. 3. n. 42.* Barbosa *3. p. de potest. Episc. alleg. 58. n. 11.*

4 Deinde deuolutio ab vno remouet potestatem, & alteri confert: remouet, inquam, à negligente collatore, & superiori confert. Quapropter facta deuolutione ab ordinario collatore ad superiorem, ordinarius collator nullam habet potestatem pro illa vice beneficium conferendi. Quia ratione suæ negligentiæ ea priuatus est: sic Gloss. *in cap. 2. de concess. prabenda.* Azor. *2. p. lib 6. cap. 27. q. 16.* Neque obstat regulariter cuilibet datum à iure esse moram purgare. *cap. potuit. de locato. & leg. si quis post. ff. si quis cautionib. & leg. insulam. ff. de verb. oblig.* Quia hoc intelligendum est casu quo per legem non impediatur. In præsenti autem impeditur moræ purgatio ab ipsa lege, priuante negligentem collatorem potestate conferendi. Ergo non potest moram purgare; & ita tradit Glossa fin. plures textus allegans *in reg. moral. 25. de regul. iuris, in 6. & cap. 3. de supplend. negligent. Prælat.* Tiraq. *in leg. si vnquam. verbo reuertatur n. 310.* Azor. *2 p. lib. 6. c. 27. q. 16.* Barbosa *de potest. Episc. 3 p. alleg. 72. n. 169.*

5 Sed est dubium, an deuolutio contingat, non solum ob negligentiam prouidendi tempore designato: sed quia illo tempore inhabilem prouidisti? Respondeo contingere, si scienter inhabilem prouidisses. Quia idem est inhabilem prouidere, ac neminem prouidere. imo grauius delinquis inhabilem prouidendo: & ita tradit Zechus *de benef. & pensionib. cap. 5. n. 5.* Garcia *de benef. 10. p. c. 1. à n. 2.* & colligitur apertè ex *c. cum in cunctis. §. fin. & c. scripsum. §. si vero. de electione. & c. si compromissarius, eod. tit. in 6.* Dixi, si scienter inhabilem prouidisti: nam si ignorans feceris, priuari non debes potestate, vt tradit Glossa *in supradictis, & aliis illo tit. de elect.*

6 Sed quid si iure deuoluto indignum prouidisti scienter, vel ignoranter, reuertitur, nec prouisio ad inferiorem primum collatorem, vel transfertur ad superiorem, ac si nullam prouisionem fecisses? Ioann. Selua *Benefic. par. 3. q. 3.* & Azor. *2. p. instit. moral. lib 6. cap. 27. q. 7. & 24.* sentiunt ad inferiorem collatorem redire prouisionem. Mouentur authoritate Glossæ *in cap. si electio. de electione. in 6.* ibi: si electio ex eo non sortiatur effectum, quia electus consentire recusat; vel post consensum renuntiat iuri suo, aut fortè diem claudit extremum; seu propter occultum eius vitium irritatur: electores (quitum fecerunt, quod spectabat ad ipsos infra iuris terminum eligendo) habebunt à dissensu, renunciatione, morte, vel irritatione prædictis, ac si vocatio noua esset, tempus integrum ad electionem aliam, celebrandam, dummodo nihil fraudulenter egerint in præmissis: & addit glossa *verbo aliam*; hoc non solum in prima, sed in secunda, tertia, vel quarta electione locum habere, & non solum in ordinariis collatoribus, sed in illis qui iure deuoluto prouident.

7 Sed in hac parte cum distinctione est procedendum: si enim scienter prouides taliter indignum, vt ipsa prouisio nulla sit, non reuertitur prouisio ad inferiorem, sed ad superiorem transfertur. Quia inferior emendare non potest superioris vitium. Sic enim cum esses ordinarius collator, & scienter indignum prouideres, deuolueretur prouisio ad tui superiorem, *c. cum in cunctis. de elect.* Quare si iure deuoluto prouides, non debet eadem fieri deuolutio. At si ignoranter processisti, iustum non est, vt potestate priueris, sicuti de ordinario collatore ignoranter indignum prouidente nuper diximus, nullam fieri deuolutionem. Verum si non ipso iure inhabilem prouidisti, sed qui per sententiam postea inhabilis factus est, & cuius electio irritatur, existimo prouisionem reuerti ad primum ordinarium collatorem. Mouetur: quia facta prouisione valida cessante deuolutio, & si postea ob vitium electi irritetur, denuo beneficium vacat, & tanquam denuo vacans prouideri debet.

DISPVTATIO III.

De forma, & conditionibus seruandis in beneficiorum prouisione.

NOn est facile in prouisione beneficiorum discernere, quæ requirantur vt forma, quæ vt conditiones. Requisita vt forma, ita seruari debent, vt nec minimum omittatur, aliàs actus corruit. *cap. cum dilecta. de rescriptis.* & pluribus exornat Gonzalez *glos. 4. num. 137.* Quia forma dat esse rei. *leg. Diuus. ff. de in integr. restit. leg. Meminisse*

de constitutionib.& demonstrat. Conditiones verò, quæ propriè conditiones sunt, non ita sunt ad actum requisitæ, vt ex illarum omissione actus corruat, quia adiacent actui. At regulariter conditiones in beneficiorum prouisione requisitæ hunc effectum præstant & formæ naturam induunt. Videndum ergo est in sequentibus, quid in prouisione beneficiorum requisitum sit, tanquam forma, & conditio, cuius omisso prouisionem annullet, vel tanquam conditio omnino extrinseca, & accidentalis.

Punctum I.

Quæ conditiones seruandæ sunt in prouisione cuiuslibet beneficij.

1 *Gratis fieri debet prouisio.*
2 *Deinde purè, & absque conditione.*
3 *In præsentatione non reprobatur conditio.*
4 *Neque reprobatur in collatione, si sit conditio, quæ beneficio insit, aut si sit conditio de præsenti, vel præterito.*
5 *Idem dicendum est in electione, tametsi alij contrarium sentiant.*
6 *Qualiter electio, seu collatio facta beneficij sub conditione, vt obtentum dimittas, vitietur.*
7 *Quid dicendum de conditionibus de præsenti, & de præterito extraneis, à beneficio?*
8 *Prouisio beneficij debet esse libera.*
9 *Item debet fieri palam, & non clandestinè.*
10 *Item certa, non vaga, & dubia.*
11 *Item absque vlla diminutione.*
12 *Denique in perpetuum, & non pro limitato tempore.*

1 Plures conditiones prouisio beneficiorum requirit, fieri namque debet gratis, purè, liberè, palàm, certò, & absque vlla diminutione, & in perpetuum.

Primo debet gratis fieri, hoc est, nullo pretio, præmio, seu mercede. *cap. si quis obiecerit. cap. saluator 1. q. 3. e. quam pio 1. q. 1.* Alias simonia committetur, quæ si ex vtraque parte completa sit collationem annullat, vt latius dicemus *disput. vltim. de simon. punct. 15.*

2 Secundo debet fieri purè, hoc est, non conditionatè, iuxta *text. in cap. in electionibus, de electione, in 6.* ibi, *in electionibus, & postulationibus, ac scrutiniis, ex quibus ius oritur eligendi, vota conditionalia, alternatiua, vel incerta, penitus reprobamus.*

Sed est dubium; an non solum in electione, & postulatione, sed etiam in collatione, & præsentatione conditio reprobetur, & quæ sit conditio, quæ reprobatur?

3 Et dicendum est in præsentatione supradictam decisionem non habere locum, siue conditio sit de præsenti, siue de futuro, modo purgetur intra tempus signatum ad præsentandum. Quia patroni solum sunt obligati intra tempus à iure concessum habilem præsentare. Ergo si intra illud tempus purgatur conditio, sub qua præsentatio facta est, præsentatio tenet; quia iam dici non potest præsentatio conditionata, sed absoluta, si quidem conditio cessauit. Quod non solum in patrono laico, sed etiam Ecclesiastico procedit. Lambertin. *de iure patron. 2. p. lib. 2. quæst. 3. art. 5. num. 5.* Garcia 8. *p. de benef. cap. 2. num. 3.*

4 In collatione item plures doctores affirmant comparatione conditionis de præsenti beneficio annexæ, dispositionem supradicti capitis locum non habere, sed fieri posse collationem beneficij sub qualibet conditione, quæ beneficio insit, vt si dicas confero tibi beneficium si vacat, si habilis es. Tum quia hæc conditio cuilibet collationi annexa est, tametsi non exprimatur. Ergo illius expressio vitiare collationem non potest. Tum quia textus *in cap. in electionibus*, non loquitur de collatione, & cum sit dispositio irritatoria, non debet extendi: sic docent aliis relatis Couarr. 3. *var. cap. 15. num. 2.* Vasq. *de benefic. cap. 4. §. 4. dub 1. num. 141.* Azor. 2. *p. instit. moral. lib. 6. cap. 26. quæst. 3.* Extenditur hæc doctrina non solum ad conditionem, quæ de facto beneficio insit, sed etiam ad quamlibet conditionem de præsenti, aut de præterito. Quia hæc conditio non facit collationem conditionalem, neque illam suspendit. *argum. l. 3. ff. de legat. 1. leg. cum ad præsens. ff. si certum petatur. leg. aliquando ff. de conditionib & demonstr.* sic Garcia *de benefic. 8. p. cap. 2. num. 9.* Secus vero loquitur Couarr. *supra. cum glossa in d. cap. 2. de electione. in 6.* Archidiac. Dominic. *ibi. num. 10. & 11.* Franco. *num. 5. & alijs* in electione, quia in hac quælibet conditionis appositio, etiam si iure beneficio inlit, reprobari videtur, & de conditionibus de præsenti, & de præterito, quæ beneficio non insunt, docet Garcia *supra. num. 9.*

Cæterum dicendum existimo non solum collationem, sed neque electionem vitiari ex expressione illorum, quæ beneficio insunt, etiam si in modum conditionis exprimantur, si exptimantur eodem modo, quo insunt; neque in hac parte constituenda est differentia inter electionem, & collationem: sic Corrasius 4. *p. de benef. cap. 3. num. 24.* Lambertin. *de iure patronat. 2. p. lib. 2. quæst. 3. art. 9. num. 2.* Garcia 8 *p. de benef. cap. 2 num. 5.* Ratio, meo iudicio, est euidens. Quia eligens ad beneficium tacitè eligendum onerat omnibus conditionibus, quæ iure ipsi beneficio insunt; quia has à beneficio separare non potest. Ergo quamuis illas conditiones exprimat, non potest inde electio detrimentum pati. Neque ex appositione harum conditionum redditur electio conditionalis, vt de se constat; neque etiam obscura, & incerta; cum supponamus fieri de persona certa, & determinata, & de beneficio vacante. Ergo ex nullo capite vitiari poterit.

6 Ex his infertur electionem, seu collationem factam de beneficio sub ea conditione, vt dimittas habitum, non vitiari, si à te petatur eo modo, quo iure ipso inest, scilicet post pacificam possessionem secundi obtenti, cum primo incomparabilis. Secus vero si à te peteretur dimissio habiti ante obtentam possessionem, aut iuramentum de illo dimittendo, aut promissio non dimittendi cum pensione illud quod obtines. Quia hæc non iure ipso insunt. Idem est si à te peteretur in beneficij electione, aut collatione obligatio aliqua specialis, nempe iuramentum, vel fideiussio soluendi pensionem, quam soluere debes, vel residendi, vel promouendi ad ordines. Nam licet soluere pensionem, residere, & ad ordines promoueri debeas; non tamen debes specialem obligationem horum subire ob beneficij collationem, quia beneficio annexa non est. Vide quæ dicemus *tract. de vitiis relig. opposit, disp. vlt. de simon. p. 3. numer. 6.*

7 Maiorem mihi difficultatem ingerunt conditiones de præsenti, vel de præterito alienæ à beneficio, an inquam, hæ appositæ vitient electionem, & collationem: v. g. si dicas, eligo Petrum, si nobilis existit, si dives est, si sit principis consanguineus? In qua difficultate censeo, hunc modum electionis & collationis illicitum esse, & nullum; quia hæ conditiones cum sint beneficio, & electioni extrinsecæ, non præsupponuntur cognitæ à conferente, & consequenter conferens videtur intendere, vt electio, & collatio effectum habeat, si Petrus nobilis, dives, consanguineusque principis probatus fuerit, & non aliter: ac proinde etsi videantur conditiones de præsenti, ob probationem, & verificationem illarum sunt de futuro. Secus vero est de conditionibus, quæ beneficio insunt, nempe si vacat, si prouidendus viuit, si obligatur onera beneficij subire; quia hæc supponuntur à conferente cognita, & ipsius beneficij electioni, seu collationi annectuntur.

Quocirca concludo conditionem, quæ vitiat electionem, vitiare etiam collationem, & econtra conditionem, quæ collationem non vitiat, neque electionem vitiare. Nam licet in *cap. 2. de electione. in 6.* non fuerit facta mentio expressa de collatione sed solum de electione, expostulatione, & scrutinijs, ex quibus oritur ius eligendi: id factum est, quia de electione, & postulatione magis dubitari poterat, quam de collatione; & institutione; si quidem ex collatione & institutione fortius ius nascitur, quam ex electione, & postulatione, quæ fuit ratio ob quam conditionata electio, & postulatio reprobatur.

8 Tertia esse debet quæcumque beneficij prouisio libera, id est, absque vlla coactione, aliàs nulla erit. *cap. 2. de his quæ vi, metusve. &c.* Et ratio est manifesta: nam beneficij prouisio est quædam liberalis donatio, quæ cum coactione stare nullo modo potest. Azor. 2. *p. inst. moral. lib. 6. cap. 26. quæst. 2.* Ad hanc conditionem reduci debet, ne prouisio subreptitia sit; quia subreptio tollit liberum consensum, ac proinde gratiam vitiat *cap. constitutus. c. ad aures de rescr. c. si motu proprio. de prabend. in 6.* Sed quæ subreptio debeat esse, & an non solum respectu Pontificis, sed etiam ordinarij, & legati locum habeat, explicuimus *disp. præced. punct. pen.*

9 Quarto debet beneficiorum prouisio fieri *palam*: hoc est, præsentibus saltem duobus testibus, qui de prouisione testari possint. ne prouisio fraudi, & litib, subiiciatur. At facta secretè, & clandestinè esto suspicionem fraudis habeat; ac proinde omnino vitanda, valida est, & subsistit; vt manifestè colligitur ex *c. 1. vt Ecclesiast. beneficia, &c.* & tradit Glossa *ibi, verbo occulta*, & pluribus relatis Azor. 2. *p. inst. lib. 6. cap. 26. quæst. 4.* Garc. 8. *p. de benef. cap. 4. à num. 2.* Mascard. *de probat. concl. 176 num. 7.* Excipe electionem factam iuxta formam relatam in *cap. quia propter. de electione*, quæ si clandestinè, fiat, hoc est, per secreta conuenticula, omnino irritatur, vt notant supradicti doctores ex *d. cap. quia propter.* ibi, *electiones clandestinas penitus reprobamus.* Verum etti ad valorem prouisionis testes requisiti non sint, at ad illius probationem testes requiruntur, vel saltem requiritur, vt conferens litteras prouisionis suo sigillo munitas concedat. Hæ namque litteræ aduersus conferentem sufficienter probant, non tamen aduersus prouisum apostolicum. Nam tunc debent à notario signatæ esse testibus præsentibus, vt latius *disp. præced.* diximus. Scriptura autem requisita non est ad validam prouisionem ordinarij, at in prouisione Pontificis requisita est, vt possessio accipiatur; aliàs nulla erit litteris non expeditis, seu plumbatis, iuxta *text. in extraug. iniunctæ. de electione.* & notauit in præsenti Azor. 2. *p. lib. 6. capit. 26. quæst. 5.*

10 Quinto

10 Quinto fieri debet beneficiorum prouisio certa, non vaga, & dubia, qualis esset, si sub disiunctione prouideres Petrum scilicet, vel Franciscum, quia ex tali prouisione nullus prouisus maneret; eo quod voluntas conferentis, ex quo determinatio pendet, indeterminata sit. *cap.2. de electione. in 6.* Azor. *supra. quæst. 6.* Ad idem reducitur, si coniuncta duos in eodem beneficio prouideres; quia interdictum est vnicum ius duobus accommodare. *cap. tuæ fraternitatis. de præbendis.*

11 Sexto prouisio beneficiorum facienda est absque vlla diminutione, vt expresse habetur *c. vnic. vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Quapropter non licet tibi beneficia conferre reseruando fructus, vel pensionem alteri, neque vni concedere vnam partem beneficij, alteri alteram, neque vni beneficium, alteri ius ad illud: est enim hæc prouisio contra iuris ordinem, vt *suprad. c. vnic. & ex c. tuæ fraternitatis 26. de præbend.* colligitur. Azor. 2. *p. lib. 6. c. 16. q. 2. & q. 6.* Adde nemini à Pontifice datum est ius ad beneficium vacaturum concedere, ne occasio detur captandæ mortis: habetur expresse *cap. nullus. cap. relatum. c. ex tenore. de concess. præbendæ. cap. dilectus. 1. & 2. c. tuæ fraternitatis. de præbend.* Azor 2. *p. instit. moral. lib. 6. c. 26. quæst. 8.*

12 Septimo nequeunt beneficiorum prouisiones pro determinato tempore fieri, sed necessario in perpetuum concedendæ sunt. Quia sunt contra naturam beneficij, quæ est ius perpetuum ad fructus, vt in prin. huius tract. d ximus: & licet aliqua beneficia manualia sint, & ad nutum conferentis amobilia, nunquam tamen pro certo tempore conferuntur, sed pro incerto, & indeterminato, ac proinde de se perpetuo, vt latius ibidem dictum est. Azor. 2. *p. instit. mor. lib. 6. c. 26. q. 7.*

Punctum II.

Quæ forma, & conditiones seruandæ sunt in beneficiorum parochialium prouisione.

TOta difficultas est in explicatione Trid. decreti *sess. 24 c. 18 de reform.* & bullæ Pij V. 32. quæ incipit, *in conferendis beneficiis*: quibus statutum, Ecclesia parochiali vacante, obligatum esse Episcopum, vel eius officialem constituere in ea vicarium cum congrua fructuum portione, vt Ecclesiæ onera sustineat: deinde signare tempus, intra quod competitores beneficij accedere possint examinandi: quo examine peracto ab examinatoribus synodalibus denuntientur quotquot sint idonei reperti, & ex his Episcopus eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, & huic, non alteri collatio fiat ab eo, ad quem de iure pertinet. Si vero beneficium iuris patronatus Ecclesiastici fuerit, & institutio ad Episcopum pertineat, obligatus est patronus quem digniorem iudicauerit, præsentare Episcopo instituendum. Si autem ad alium pertineat institutio, Episcopus solus digniorem eligat, quem patronus instituenti præsentare debet. Si autem sit patronatus laicorum, proponatur edictum, & quem patronus præsentauerit, examinetur, vt dictum est, & nisi idoneus fuerit repertus, nullo modo ei beneficium conferatur. Quæ omnia ita concilium, & Pius V. seruari voluerunt, vt prouisiones omnes, seu institutiones præter supradictam formam factæ subreptitiæ esse censeantur. Vt autem supradicta doctrina clarius eluceat, aliquot difficultates examinandæ sunt.

§. I.

Quibus competat vicarium in parochiali vacante constituere, edicto ad examen vocare, & de qualitate vicarij designati, & edicti propositi.

1 *Ab ordinario loci, in quo situm est beneficium, vicarius est constituendus.*
2 *Debet constitui, cum primum Ecclesia parochialis vacauerit.*
3 *Debet constitui designata congrua portione.*
4 *Item in qualibet Ecclesia patrimoniali, siue Pontifici reseruata.*
5 *Ob huiusmodi administrationem non priuatur potestate obtinendi beneficium.*
6 *Constituto vicario edictum proponitur, & qualiter.*
7 *Signato termino decem dierum non est licitum illi prorogare, postquam finitus est. si de facto plures subscripti sunt examinandi: secus econtra.*
8 *Si finito termino edicti vnus tantum idoneus reperiatur subscriptus, verius est non posse edictum prorogari.*
9 *Quid si Episcopus edictum proponat cum ampliori termino, quam sibi conceditur? Probabilius est validum esse, esto illiciè fiat.*

1 CVm primum Ecclesia parochialis vacauerit, vicarius constituendus est ab ordinario illius loci, iurisdictionem quasi Episcopalem habente, in quo beneficium situm est, tametsi beneficij collatio ad alium spectet. Et idem est de propositione edicti, & examine faciendo; est expressa decisio sacræ congregationis concilij *sessione 24. cap. 18.* quam adducit Barbosa *ibi. & 3 part. de potestate Episcop. alleg. 60. n. 2. & 44.* Gonzalez *glos. 10. numero 31.* Flamin. *de resignat. lib. 9. capit. 9. numer. 102.*

Dixi ab ordinario illius loci, vt comprehenderem, non solum Episcopum, sed etiam illius vicarium, seu officialem qui verè ordinarius est. Nam licet concilium in principio capitis mentionem fecerit Episcopi, & in medio illius dixerit examen faciendum esse ab Episcopo, & eo impedito ab eius vicario; inde tamen non infertur non posse vicarium supradicta munera obire, etiam Episcopo non impedito. Quia concilium quod erat conuenientius, & debebat frequenter contingere expressit. Non enim restrictionis causa, sed demonstrationis Episcopi mentio facta est. Garcia 9. *part. de benefic. cap. 2. num. 118. & seqq.* Barbosa *supra.* referuntque à sacra congregatione decisum. Dixi insuper ab ordinario iurisdictionem quasi Episcopalem habente, posse vicarium constitui, edictum proponi, & competitores examinari, vt inde intelligeres prælatos illos exemptos, qui proprium districtum habent, & iurisdictione quasi Episcopali gaudent, & potestate congregandi synodum; tametsi sint alicuius diœcesis, posse munera obire supradicta. Et ratio est; quia sub nomine Episcopi, in iis, quæ ad iurisdictionem pertinent omnes ij comprehenduntur, vt iæpè diximus; & tradit in præsenti Garcia 9. *part. de benefic cap. 1. à numer. 129.* Barbosa. *supradict. textu concilij. num. 8. & 38. & in remission. vers. porro Episcopus.* Hinc à. fortiori constat vicario capituli sede vacante hæc omnia munera competere; quia in his quæ iurisdictionis sunt, Episcopo succedit. Molin. *de iustit. tract. 5. disp. 11 n. 11.* Garcia optimam decisionem referens, 9. *part. de benef. cap. 2. num. 7.* Augustt. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg. 60 n. 3.*

2 Hic autem vicarius constituendus est, cum primum Ecclesia parochialis vacauerit; quia statim indiget Ecclesia sacrorum administratione. Excipe, nisi alij ministri ipsius Ecclesiæ, vel alij parochi vicini onera defuncti subirent, & conuenientius iudicaretur illis concedi: tunc enim non opus esset vicarium aliquem distinctum designare; eaque de causa dixit concilium debere Episcopum habita notitia vacationis vicarium (si opus fuerit) designare. Non enim semper est opus vicarium, qui solus vicarius sit, designare, cum possit occasio esse parochum vicinum, vel Ecclesiæ beneficiatum designandi. Garcia referens decisionem congregationis, 9. *part, de benefic. c. 2. num. 13.* Barbosa 3. *part. de potest. episc. allegat. 59. circa finem num. 25.*

3 Deinde hic vicarius constituendus est cum congrua fructuum portionis assignatione. Quia onera Ecclesiæ sustinere debet, donec de rectore prouideatur: conueniebat ergo de fructibus beneficij illi prouidere. Quota autem designanda, arbitrio designantis remittitur, spectata beneficij qualitate, eiusque oneribus. Quapropter continget aliquando beneficium ita tenue esse, vt omnes fructus colligendi pro congrua portione designari debeant. Garcia *supra numer. 17.* Barbosa *numer. 26.* Nauarr. *consil. 5. sub tit. de officio ordinarij, in 2. edit.*

4 Præterea constitui debet vicarius in qualibet Ecclesia parochiali etiam si cura Ecclesiæ Episcopo incumbere dicatur, & per vnum, vel plures administretur, & etiamsi sit Ecclesia patrimonialis, aut Pontifici reseruata, vel ei quomodoliber affecta. Quia quæcunque sit, indiget vicario, qui sacra ministret, dum de rectore prouiditur. Neque hanc designationem impedire potest beneficij litigium, neque alia quælibet occasio. Augustt. Barbosa 3. *p. alleg. 60. n. 2.*

5 Difficultas vero est, an hic vicarius constitutus eo ipso inhabilis efficiatur, vt se beneficio opponat, eique beneficium concedatur?

Et quidem indubitatum esse debet ob talem administrationem, priuandum non esse potestate se opponendi, obtinendique beneficium ab ipso ordinario: quia non se ingerit administrationi post electionem factam ante obtentam confirmationem: & constat ex Tridentino *sessione 24. cap. 18.* ibi, *ab eius Ecclesia custodia, seu administratione non amoueatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus fuerit, sit prouisum.* Supponit ergo vicarium eligi, & prouideri posse. At si facta oppositione eligitur ab ordinario, vt ei beneficium conferatur, & ante collationem factam à Pontifice, vel ab eo quem de iure pertinet, beneficium administrat, censet Garcia 9. *part. de benefic. cap. 2. n. 15. & 34.* nequaquam illi posse beneficium concedi; quia ex tali administratione, & fructuum perceptione inhabilis factus est, iuxta *textum in cap. auaritiæ. de electione. in 6.* vbi cauetur, neminem posse administrare dignitatem, seu quodlibet aliud beneficium ad quod electus est, prius quam eius electio confirmetur; alioquin iure, si quod per electionem quæsitum erat, eo ipso priuatur.

Cæterum acquiescere non possum huic sententiæ. Quia *textus in dicto capite, auaritiæ*, loquitur de iis, qui ratione electionis,

electionis, & iure sibi ex electione competente administrare Ecclesias procurant ante confirmationem factam, quod est illicitum *capite nosti. & capite qualiter de electione. & capite cum iam dudum, de prabendis.* Non autem loquitur de iis, qui titulo designationis ab ordinario Ecclesias administrant, quod est opus virtutis nullo iure prohibitum. Deinde electio, quam dignioris ordinarius facit, non est propria electio, ad quam confirmatio subsequatur. Ergo de horum electorum administratione non loquitur textus. Præterea iis electis ab ordinario non tenetur Pontifex beneficia conferre; sed potest alteri prouidere. Ergo eorum in beneficiis administratio obstare non potest prouisioni, cum non foueat auaritiam. Denique concilium supradicto loco clare innuat vicarium approbari, eligique posse, & facta electione administrare; si quidem dicit interposita appellatione non esse remouendum, quousque eidem, vel alteri, qui probatus, & electus fuerit, beneficium conferatur.

6 Facta constitutione vicarij episcopus, vel eius vicarius edictum proponit, quo omnes clericos volentes ad examen venire, conuocat signato termino decem dierum, qui à publicatione edicti, quæ ordinariè fit per affixionem illius ad valuas ecclesiæ cathedralis, & ecclesiæ, in qua situm est beneficium, computantur.

Hæc per edictum vocatio non est de substantia prouisionis; si quidem illam concilium arbitrio episcopi remittit ibi, *etsi Episcopo, aut synodo prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur*: & tradit Nauarr. *consil. 4. de prabendis.* Vgolin. *de offic. & potestat. Episc. cap. 50. §. 4. num. 3.* Nicol. Garcia 9. *part. de benefic. cap. 2. num. 36.* Dixi signato termino decem dierum: quia hic terminus concessus est à concilio, patrono, & Episcopo, ad nominandum, & loco nominationis hoc edictum succedit. Sed quia ibi concilium non arctat Episcopum, nec patronum, vt non possit tetminum decem dierum restringere, cum dixerit, *vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum*: ideo credo edictum propositum sub breuiori termino validum esse, modo terminus sufficiens sit, vt in notitiam illorum deueniat, qui ad concursum accedere possunt. Et idem est, si pro aliis decem diebus vellet terminum edicti prorogare potest namque, modo non proroget vltra. Non enim Episcopo datum est vltra viginti dies edictum proponere, vt constat ex constitutione Pij V. *versic. prohibentes*, Aloysius Riccius *resolut. 364. n. 2.* August. Barbosa *2. p. alleg. 60. n. 45.*

7 Aduerte signato termino decem dierum in edicto non esse licitum ordinario illum prorogare, postquam finitus est, si de facto plures subscripti sunt examinandi, quia ipsius tacitè est promissum per edictum non esse amplius expectandum. Secus vero dicendum, esset, si transacto termino nullus appareret subscripteus, aut ex subscriptis nullus dignus inueniretur; posset tunc ordinarius terminum aliorum decem dierum prorogare, sed non vltra. Quod si data prorogatione nullus apparet subscriptus, vel ex subscriptis nullus dignus, quærat absque concursu Episcopus, cui beneficium conferre possit. Non enim debet aliud edictum proponere, quia esset procedere in infinitum: colligitur ex Concilio *sess. 24. cap. 18. fine.*

8 Verum si in primo termino edicti vnus tantum subscriptus idoneus reperiatur, non tenetur Episcopus edictum prorogare, sed satisfaciet suo muneri, si huic digno reperto beneficium conferat, vt tradit Vgolinus *de potest. Episcop. cap. 50. §. 10. numero 4.* Barbosa 3. *part. de potestate Episcop. alleg. 60. numer. 51.* Garcia 9. *part. cap. 2. num. 218.* At dubium est, an possit pro aliis decem diebus edictum prorogari? Videtur posse. Quia in constitutione Pij V. solum prohibetur ne terminus præfixus decem dierum vltra alios decem dies prorogetur. Tacitè ergo indeatur pro aliis decem diebus fieri prorogationem posse. Neque ibi limitatur casu, quo terminus primus edicti finitus sit. Sed verius credo finito termino prorogari edictum non posse, si vnus subscriptus inueniatur, qui examinatus idoneus repertus sit. Quia ex appositione termini in edicto promissum est se subscribentibus non esse amplius expectandum, sed illo transacto examen faciendum esse. Ergo etiam si vnus tantum subscriptus inueniatur, examen de solo illo faciendum est, & beneficium illi, si dignus sit, prouidendum: sic Garcia 9. *p. de benef. cap. 2. n. 214.* Vgolin. *de potest. episc. cap. 50. §. 10. num. 4.* August. Barbosa 3. *p. allel. 60. n. 51.* referuntque à sacra congregatione decisum.

9 Quod si Episcopus contra prædictam prohibitionem edictum proponat, aut proroget cum ampliori termino, quam sibi conceditur, est difficultas; an tale edictum in totum vitietur, & nullum sit, an verò solum ea ex parte, qua terminum excedit? Et quidem si à principio cum termino competenti propositum fuit: verbi gratiâ, decem, vel viginti dierum: postea vero prorogatur vltra debitum terminum, edictum validum erit, esto subrogatio annulletur. At si à principio propositum est edictum cum ampliori termino, quam viginti dierum, vel proposito edicto decem dierum prorogatio fit pro viginti; alicui videbitur edictum, & prorogationem, non solum ex ea parte, qua excedit, sed etiam in totum esse nullum, spectato iuris rigore, & esto ex æquitate, & mente Pontificis solum quoad excessum annulletur: sic Garcia 9. *part. de benefic. cap. 2. num. 49.* Ratio ea est. Nam in supradicto Tridentini decreto, & constitutione Pij V. annullantur omnes prouisiones beneficiorum factæ contra formam ibidem præscriptam. Sed ibidem præscribit Pontifex, vt prouidendi vocentur per edictum cum termino decem dierum, prohibens ne vltra alios decem dies prorogatur. Ergo qui cum ampliori termino edictum proponit, nulliter proponit; ac proinde qui ex illo edicto prouidentur, reputandi sunt, ac si edicto non proposito prouisi essent.

Cæterum verius existimo supradictum edictum, & prorogationem validam esse, esto peccet sic proponens. Moueor; quia Episcopo, eiusque vicario competit iure ordinario edictum proponere, & ad examen vocare. At quoties habenti aliàs facultatem, præscribitur modus ea vtendi; talis modus non tollit facultatem, sed designat vsum, vt latius *tractatu de legib. disput. 2. punct. 9.* diximus. Ergo ex eo quod Pontifex designauerit dies, quibus edictum durare debet, non abstulit ab ordinario facultatem edicti proponendi. Quod non leuiter Pontifex indicauit, cum vsus fuerit verbo *prohibentes*, neque addidit *annullantes*, aut *irritantes*. Neque obstat concilium, & constitutionem Pij V. annullare omnes prouisiones factas contra formam ibidem præscriptam. Nam esse edictum indebitè extensum, non tollit formam ibidem in prouisionibus præscriptam. Hæc enim solum est, vt fiant prouisiones præcende edicto, seu Episcopi nominatione. Quod autem edictum indebitè Episcopus extendat, non ad formam prouisionis pertinet, sicuti non pertinet ad formam prouisionis, quod examinatores synodales occasione examinis aliquid recipiant contra prohibitionem ibidem factam, vel quod Episcopus vacante Ecclesia parochiali vicarium non designauerit. Adde ipsum Gartiam *dicto capite secundo, numero 206*, censere opponentem, se post terminum edicti, antequam examen peractum sit esse legitimum oppositorem. Ergo signum est edicti prorogatione oppositionem non vitiari.

§. II.

Qui possint se subscribere examinandos, ita vt teneatur ordinarius illos admittere.

1 *Omnes existimantes se habere qualitates ad beneficium requisitas subscribi possunt.*
2 *Finito termino edicti ante finitum examen oppositorum datus locus subscriptioni, & oppositioni in parochialibus.*
3 *Potes ad parochialem vacantem te opponere, esto parochus sis.*

1 OMnes illi, qui qualitates beneficio requisitas se habere existimant, possunt proposito edicto se subscribere examinandos. Neque ab hoc iure excluduntur, etiam si beneficium non sit per concursum prouidendum, vt satis constat ex illis verbis concilij *sessione 24. cap. 18.* liberum sit etiam aliis, qui aliquos ad id aptos nouerint, eorum nomina deferre, vt possit postea de cuiuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Quod si dicas vt quid ergo se subscribunt, & examinantur, si ipsis, quantumcunque dignis, beneficium nullatenus sit conferendum? Responderi potest id fieri, vt contingente vacatione beneficij per concursum prouidendi, notitia illorum habeatur, & præterea vt ipsi in illo beneficio prouideri possint, si fortè præsentatus, aut nominatus indignus repertus fuerit.

2 Solum est dubium, si finito edicti termino se subscribi petunt, an possit, vel teneatur Episcopus illos admittere? Videtur nec teneri, nec posse. Primò, quia terminus in edicto apponitur, vt intra illum sit oppositio, & extra fieri non possit; alias termini appositio inutilis esset. Secundò, ex edicti appositione obligatur ordinarius iis, qui se in illo termino scribunt, beneficium prouidere. Ergo contra iustitiam faciet, si alios ad prouisionem admittet. Tertiò, & præcipuè, quia concilium docet, transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint, examinentur. Ergo vt possint examinari, debent esse intra tempus constitutum descripti, sic Franciscus Leo *thesaur. fori Ecclesiast. cap. 18. n. 30.* Genuens. *prax. c. 66. in annot. n. 17. ad finem*, referunt sic declarasse congregationem concilij.

Cæterum etsi de rigore iuris hoc verum sit; at ex æquitate ob fauorem Ecclesiæ introductum est, vt terminus in edicto parochialium appositus, non sit appositus ad excludendam oppositionem illius, qui ante peractum examen oppositorum comparuerit examinandus, sed ne vltra illum terminum debeat ordinarius expectare, sed potius illo transacto debeat beneficium prouidere iis, qui descripti fuerint, nisi alij ante peractum examen digniores subscribantur: sic referunt decisum à sacra congregatione Gonzalez *gloss. 9. §. 1. num. 11.* Garcia 9. *part. de benefic. cap. 2. à num. 206.* August. Barbosa 3 *p. de potest. episc. alleg. 60. num. 46.* Neque obstant contraria. Fatemur namque, ipecto iuris rigore, nequaquam esse admittendos qui finito termino

edicti se subscriberent examinandos: at ex consuetudine admitti; idcoque in edicto hanc tacitam conditionem imbibi, dandum, inquam, esse beneficium iis, qui in termino edicti fuerint descripti, nisi ante peractum examen alij digniores præsentibantur.

3 Rursus dubitabis, an habens parochialem, possis te examinandum subscribere, & debeas ad concursum admitti? Ratio difficultatis est; quia beneficium parochiale assumitur cum intentione ibi perpetuo manendi: celebrat enim beneficiatus cum sua Ecclesia spirituales nuptias. Deinde vna parochialis cum alia compati non potest. At omnino tenendum est, te posse subscribere examinandum, admittique debere, & si cæteris dignior appareas, tibi beneficium prouideri. sic Garc. 9. p. de benefic. c. 2. n. 209 August Barb. *super decretum concilij. n.* 13. refert decisum à sacra congregatione, & ratio est, Quia ex beneficio habito non es redditus incapax aliud obtinendi, cum non assumpseris illud cum obligatione illud in perpetuum retinendi, sed solum dum aliud commodius se tibi non obtulerit. Neque incompatibilitas vnius beneficij cum alio probat te non posse illud obtinere, si illo obtento possessum dimittas, sed solum probat te non posse simul vtrumque retinere.

§. III.

Quales examinatores debeant esse ad supradictum examen peragendum.

1 *Expenditur Trident. decretum.*
2 *An si non eligantur sex, sed quatuor examinatores, vitietur electio? Affirmat Garc. Sed patitur eius resolutio difficultatem.*
3 *Quanto tempore duret horum examinatorum designatio.*
4 *Si intra annum senarius numerus non perseuerat, non spirat in reliquis officium.*
5 *Quid si vnus, vel duo tantum remaneant? in illis perseuerat.*
6 *Qualiter elapso anno designationis, & non celebrata synodo, possit Episcopus examinatores designare.*
7 *In particulari, & in genere designari examinatores possunt.*
8 *An si in genere & sub qualitate officij designenter, comprehendantur successores? Affirmant aliqui, Contrarium est verius.*

1 COnstat ex Trident. *dicto cap.* 18. *sess.* 24. examinatores parochialium debere esse magistros, seu doctores, aut licentiatos in theologia, aut iure canonico, vel alios cleticos, seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur idonei, electos tamen in synodo diœcesana, in qua ad minus sex eligendi sunt; licet non omnes simul ad examen concurrere debent, cum tres tantum sufficiant, omnes tamen iurare debent ad sancta Dei Euangelia, se quacunque humana affectione postposita fideliter munus executuros. Neque occasione huius examinis quidquam antè, vel post accipere possunt, aliàs simoniam incurrent, tant ipsi, quam dantes: neque ab ea absolui possunt, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles redduntur.

2 Verum, vt supradictum Trid. decretum clarius innotescat, aliquot difficultates proponendæ sunt. Prima, an si Episcopus in synodo diœcesana eligat solum quatuor, vel quinque examinatores, electio valida sit, & electi examinatores synodales reputentur, ita vt cum illis examen celebrari possit? Negat Garc 9. *p. de benef. cap.* 2. *num.* 64. & refert decisum à sacra congregatione: cum enim concilium statuat singulis annis in synodo diœcesana debere ad minus sex examinatores proponi, qui solum quatuor proponeret, formam propositionis non seruaret. Ergo est nulla propositio ex defectu formæ. Quod confirmari potest, ex eo quod eadem sacra congregatio decidit, vt refert Garc. *supra.* Aloysius Riccius *praxi fori Ecclesiast. resolut.* 361. Margarita casuum conscientiæ, *verbo examinatores. num.* 1. si anno transacto non supersunt sex examinatores ex designatis, non esse pro legitimis habendos. Ergo à fortiori non erunt legitimi, si à principio sex designati fuerint. Et ratio huius decisionis esse potest, vt facilius possit Episcopus examen peragere, eligens ex pluribus. Fateor ob authoritatem sacræ congregationis hanc sententiam amplectendam esse. Nam illa seclusa non leui ratione fulciri posset, designationem quatuor examinatorum valere, esto designans male faceret minus quam sex designando. Finis namque concilij solum est, vt examen coram tribus examinatoribus in synodo deputatis celebretur: qui finis obtineri potest, tametsi solum tres examinatores designentur. Quod vero horum trium examinatorum designationi, aliorum trium designatio coniungatur, per accidens esse videtur ad finem præcipuum concilij, & extra formam ab ipso præscriptam. Et confirmari potest Nam si anno durante, in quo fuerunt sex examinatores in synodo designati, aliqui moriantur, non ideo superstites, etiam si vnus sit, desinunt esse legitimi examinatores, Ergo signum est defectum in numero senario non esse de substantia. Hæc argumentationis gratia proposita sunt. Non tamen vt à sententia canonizata per sacram congregationem recedas.

3 Secunda difficultas est, quanto tempore dutet hæc examinatorum designatio? Videtur namque solum vnico anno durare: si quidem concilium decernit, vt examinatores singulis annis in synodo diœcesana designentur, tacitè indicans se nolle, vt vltra annum designatio prosit. Cæterum dicendum est, celebrata synodo singulis annis designationem examinatorum cum celebratione nouæ synodi cessare, vt ex dicto concilio constat. At si singulis annis synodus non celebretur, designatio examinatorum finito anno non spirat, sed durat quousque alia designatio in synodo succedat. Si quidem concilium solum dixit, vt singulis annis designatio in synodo fiat, supponens singulis annis synodum celebrari debere. Ergo synodo nõ celebrata, nec designatione facta, non cessat prima designatio, cum nihil de hac cessatione concilium dixerit; & ita tenent referentes à sacra congregatione decisum; Garcia 9. *p. de de benefic. cap.* 2. *à n.* 73. Francisc. Leo *in thesaur. fori Ecclesiast. par.* 2. *cap.* 3. *num.* 25. August. Barbosa *de potest. episc.* 3. *p. allegat.* 60. *num.* 40. *& in remission. concil. num.* 21. Quod centeo limitandum cum Garc. & Barbosa *suprà*: modò elapso anno sex supersint: nam si elapso anno hic numerus non perseuerat, omnium examinatorum officium spirat, vt dictum est *num præced.* Quia non est locus exequendi dispositionem concilij requirentis, vt ordinarius ex sex designatis examinatoribus tres ad minus eligat, cum non adsint sex designati, inter quos possit electio fieri.

Tertia difficultas est, an si intra annum designationis hic numerus senarius non perseuerat, spiret reliquorum examinatorum officium. Ratio difficultatis est nuper tacta; quia seruari non potest forma à concilio præscripta in electione examinatorum, quæ est vt ex sex in synodo designatis tres eligantur. Quod à fortiori procedit, si duo, vel vnus tantum remaneret. Dicendum tamen est, durante anno assignationis officium examinatoris in remanentibus non cessare. Quia æquum non erat, vt designatio prius facta spiraret, dum alia loco ipsius subrogari non potest; sed nullatenus subrogari potest intra annum alia designatio synodalis, cum synodus solum singulis annis celebranda sit. Concil. *cap.* 2. *sess.* 24. *de reformat.* Ergo designatio prius facta non spirat. Barbosa *allegat* 60. *n* 49 Garc. *de benef.* 9 *p. cap.* 2. *num.* 69 Neque obstat ratio contraria. Negati enim potest, non seruari formam à concilio præscriptam. Nam esto non remaneant sex examinatores, ex quibus tres eligi possunt, sufficit, quod remaneant tres eligendi ex sex, qui fuerunt in synodo designati.

5 Sed quid si vnus, vel duo tantum remaneant, censeo adhuc in illis officium examinatoris perseuerare ob rationem dictam. Quia non potest noua synodalis designatio fieri; & ita refert decisum Garc. *supra.* Neque obstat non posse ibi seruari formam præscriptam electionis, cum non dentur tres examinatores synodales, qui eligantur. Non, inquam, obstat; quia quando forma seruari non potest præcisè, vt dispositum est, sufficit si eo modo, quo fieri potest, seruetur. Tiraquel. *de legib. connubial. glos. 6. n. 6. 32. & 69.* Flamin. Paris. *de resignat. lib. 3. quæst. 5. num.* 19. Cum autem remanente vno, vel duobus examinatoribus saltem ex parte seruetur forma, dicendum est illos in officio remanere. Requiritur tamen, vt Episcopus cum consilio capituli loco mortuorum, vel absentium subroget alios ex antiquis examinatoribus, aut illis deficientibus, qui sibi melius vsi fuerint, saltem vsque ad numerum senarium; quia hæc designatio loco designationis synodalis, dum fieri non potest, succedit. Garcia *à num.* 70.

6 Quarta difficultas est, an elapso anno designationis; & synodo non celebrata possit Episcopus cum consilio capituli examinatores designare, quibus cum examen legitimè celebretur. Affirmat August. Barbosa 3 *p. de de potest. Episcop. allegat.* 60. *num.* 30. & fuit à Rota sæpè decisum, prout refert Aloysius Riccius *praxi, decis.* 418. *in* 1. *edit. & resolut* 353. *in* 2. *edit.* Garc 9. *p. de benefic. cap.* 2. *n.* 90 *& seqq.* Ratio est, quia Episcopo iure ordinario competit examinatores ad beneficia designare: *cap. accepimus*: & ibi Glossa *ætate & qualitate.* Quæ potestas per concilium sublata non est, sed solum præscriptus modus illa vendi, scilicet in synodo diœcesana, casu quo synodus diœcesana celebretur. Ergo non celebrata synodo potest Episcopus examinatores designare, sicut potest, quando intra annum deficiunt. Et confirmari potest à simili ex designatione iudicum synodalium, qui ad minus quatuor ex præscripto concilij *sess.* 25. *cap* 10. *de reformat.* designari debent in concilijs prouincialibus, aut diœcesanis; si de facto decesserint, potest ordinarius cum capituli consilio substituere alios vsque ad futuram prouincialem, aut diœcesanam synodum: neque ibi limitatur, vt sit intra annum designationis. Verum supradictam sententiam solum existimo veram casu quo Episcopo ob pestem, vel aliud impedimentum non liceret synodum congregare. Nam illo in casu credendum est eius designationem cum consilio capituli subrogari loco designationis synodalis, sicuti subrogatur designatio examinatorum, cum intra annum designationis designati moriuntur, eo quod synodus ex iure tunc congregari non possit. At casu quo Episcopus in

in culpa esset non congregandi synodum, nequaquam eius designatio extra synodum valeret. Quia esto essent examinatores signati à potente illos designare, quia tamen non designantur in synodo, quæ celebrari potest, non sunt examinatores, quales concilium ad parochiales requirit. Neque obstat argumentum desumptum ex iudicibus synodalibus. Quia eorum designationem non statuit concilium fieri singulis annis, neque in synodo, sicuti statuit de examinatoribus synodalibus: imo potius expresse ordinario facultatem concessit deficientibus designatis in synodo alios iudices subrogandi cum consilio capituli vsque ad futuram synodum. Adde, fortè esse probabilius non posse ordinarium lapso anno designationis in synodo iudices synodales designare, si per ipsum stat, quominus synodus celebretur. Garc. 9. *part. de benefic. cap.* 2. *numer.* 79.

7 Quinta difficultas est, qualiter hæc examinatorum designatio facienda est, an in particulari exprimendo personam, an sufficiat in genere exprimendo officium, vt si designaretur examinator synodalis canonicus magistralis, doctoralis, prior talis monasterij, &c. Certum est vtroque modo fieri posse: quia vtroque modo potest persona exprimi, & cognosci. Qui enim canonicum magistralem, & doctoralem in examinatores designaret, facis exprimeret possidentes de præsenti illas præbendas intelligendos esse.

8 Dubium tamen est, an etiam successores, & subrogati in illis præbendis intelligantur? Affirmat Petrus de Ledesm. *in sum. 2. p. tract. 7. c. 7. concl. 7. circa tertiam difficult.* & testatur sic visu, & consuetudine in Hispania esse receptum, & à viris doctis approbatum. Et ratio esse potest, quia illa verba generalia sunt, & sufficientia successores comprehendendi. Neque talis comprehensio videtur concilij dispositioni obstare, Nam esto successores in particulari approbari non possint à synodo, cum sint incogniti, approbantur tamen in genere titulo dignitatis, & officij, sicut sub eo titulo designantur. Et sicut Pontifex in suis rescriptis commissis vicario diœcesano, non solum approbat vicarium præsentem, & de illius probitate confidit, sed approbat futurum, & successorem, quia credit (moraliter loquendo) neminem in illo officio constituendum esse, qui aptus non sit ad munus sibi commissum obeundum: ita de examinatoribus synodalibus sub nomine dignitatis approbatis dicendum videtur.

Nihilominus verius est, hanc sub nomine dignitatis designationem successores, & in dignitate subrogatos nequaquam comprehendere: sic tradit Garcia 9. *p. de benefic. c. 2. à num.* 339. ibique plurib. Rotæ decisionibus comprobat. Ratio ea est, quia concilium illa generica propositione, & synodi approbatione contentum non est. Quod inde colligitur: quia petit, singulis annis examinatores designari, & supponit designatos non posse: quæ non cohærent cum designatione facta ratione dignitatis: si enim personæ ob dignitatem, & officium ad examen approbarentur, vt quid singulis annis denuo eligendi erant, & à synodo approbandi, cum ratio approbationis, & designationis eadem perseueret, neque designati morerentur; tamen si plures decederent, designatio non personam, sed dignitatem respicit, quod est contra communem stylum & contra verba concilij loquentis de iudicibus synodalibus, & idem est de examinatoribus. *sess. 25. c. 10. de ref.* ibi, *si aliquem interim ex designatis mori contigerit.* Supponit ergo concilium designationem cum persona debere coniungi, non cum dignitate. Vide *tract. de legib. disp.* 4. *punct.* 16. *§.* 7. *n.* 4.

§. IV.

Qualiter examen ad parochialem præstandum sit.

1 *Omnes subscripti peracto termino edicti examinandi sunt ab Episcopo, & peracto examine denunciandi qui fuerint idonei.*

2 *Examen factum ante finitum terminum (esto aliqui existiment valere) nullo modo sustinendum est.*

3 *Ob digniorem desistentium, vel non comparitionem non est examen impediendum.*

4 *Quid si electione facta electus desistat, vel decedat?*

5 *Examen factum ab Episcopo cum tribus examinatoribus synodalibus, & alio non synodali: affirmant aliqui fore irritum. Verius est oppositum.*

6 *Qualiter vota examinatorum paria, aut singularia debent esse, vt illis accedere possit Episcopus.*

7 *Examen factum ab examinatoribus, qui iuramentum non præstiterunt, vel seruatis commiserunt, negat aliqui valere, verius est validum esse.*

8 *Examinatores tenentur non solum de scientia, sed de ætate, & qualitate ad beneficium requisitis prouidendum examinare.*

9 *Aliquibus placet obligatum esse denunciare, qui sint digniores. Probabilius est hoc iudicium Episcopo remitti.*

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars II.

10 *Ab examine parochialium notoriè dignus non excusatur.*

1 CErtum est transacto constituto termino edicti, omnes qui descripti sunt examinandos esse ab Episcopo, seu eo impedito ab eius vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur; debentque supradicti examinatores iuramentum præstare fideliter suum munus exequendi, nihilque occasione huius examinis ante, vel post recipere. Peractóque examine denunciare debent, quos reperierint idoneos ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: sic Concilium Tridentinum *sess. 24. cap.* 18. *de reform.* Modus autem huius examinis præscriptus non est; sed ille erit obseruandus, qui in qualibet diœcesi receptus fuerit, quique aptior visus fuerit ad cognoscendam examinatorum aptitudinem summopere procurando, vt quantum fieri possit æqualitas inter examinandos obseruetur, aduertentes ad insigniores Ecclesias grauiora certamina fieri æquum esse.

2 Circa supradictam doctrinam dubitabis primo, an examen factum ante transactum terminum edicti nullum sit ipso iure, nullaque prouisio inde secuta? Rota apud Garciam 9 *p. de benefic. c. 2. n.* 326. & Lambert. *de iure patron. 2. p. l. 2. q. 6. art.* 25. affirmat esse nullum comparente aliquo ante transactum terminum edicti, *ex c fin. de elect. in 6.* At nullo comparente sustinendum esse: probantque à simili ex collatione facta ab Episcopo spreto patrono laico, qui si intra tempus sibi concessum ad præsentandum reclamauerit, non subsistit, at eo non reclamante firmitate habet.

Cæterum dicendum omnino est nullo casu valere: sic Garcia *supra num.* 327. Tum quia electiones factæ ante terminum edicti appositi omnino cessantur. *in dicto cap. fin. de electione, in 6.* nulla distinctione facta, an postea compareat, vel non compareat competitor. Ergo idem dicendum est de hoc examine, & prouisione facta. Quia militat eadem ratio, vt videbimus. Tum quia concilium designans tempus peragendi hoc examen vtitur ablatiuo absoluto: inquit enim *transacto constituto tempore*, qui modus loquendi in his, quæ de iure non insunt, inducit conditionem, & formam, *leg. à testatore. ff. de conditionib. & demonstr.* & pluribus comprobat Sanch. *lib.* 3. *de matr. disput.* 5. *num.* 2. *in* 2. *argumen. iuncto num.* 4. Tum quia concilium, & constitutio Pij V. annullat omnes prouisiones factas contra, vel præter formam à se constitutã. Constituit autè, vt transacto tempore edicti examen fiat. Ergo aliter factum nullum est, & consequèter prouisio inde resultans. Ratio vero, quare terminus edicti expectandus sit, traditur à Rota in vna Toletana parochialis de Alcaudete coram D. Seraphino 3. Iulij. 1595. & colligitur *cap. fin. de electione, in 6.* ne inquam per præuentionem vnius alij, qui se volunt opponere, supplantentur, & Ecclesia detrimentum patiatur, carens ministris dignioribus. Neque obstat exemplum de collatione facta spreto patrono. Nam esto concedamus valere ipso non reclamante, ideo est quia in fauorem ipsius annullatur; qui fauori ipse cedit, dum non reclamat: at prouisio parochialium sine examine, & examen ante finitum terminum edicti annullatur in fauorem Ecclesiarum, & oppositorum, qui esse possunt: quæ ratio, siue competitores compareant siue non, semper perseuerat.

3 Secundo dubitabis, an si ex descriptis desistant digniores, vel non compareant ad examen transacto prædicto termino edicti, possit ordinarius illis spretis reliquos examinare, & beneficium prouidere, vel teneatur nouum edictum cum nouo termino proponere?

Cæterum est ob nullius desistentiam, vel comparitionis nolitionem examen impediendum. Aliàs in cuiusque voluntate esset prouisionem beneficiorum impedire. Quapropter si semel descriptus desistit, quantumcunque dignissimus reputetur, vel termino signato non comparet nulla allegata causa, reliqui oppositores examinandi sunt, & illis beneficium prouidendum: sic à sacra congregatione decisum refert Garcia 9. *part. de benefic. cap.* 2. *num.* 216. Dixi nulla allegata causa: Nam si causam alleget, iudicio Episcopi legitimam, debet Episcopus aliquod tempus ad comparendum concedere, & interim prouisionem detinere. Quod si facto examine qui reputabatur dignior cedit, vel decedit, inter reliquos electio facienda est, neque vlla ratione nouum edictum proponendum. Quia cum ipse iuri, quod sibi poterat competere, cesserit, vel amiserit, reliquis oppositoribus accrescit.

4 Verum electione facta, si electus desistit, nouum electum proponendum videtur, quia prior causa, & oppositio electione finitur. Limitat autem Garc. *dicto cap.* 2. *num.* 224. vt procedat ante lapsum quadrimestre datum ex constitutione Pij V. ad significandum Papæ. Nam illo transacto non facta significatione, omnimoda dispositio ad Papam libere deuoluitur, etiamsi Episcopus dedisset literas electo. Sed mihi nullo modo hæc limitatio placet. Quia, hæc deuolutio, & auocatio transacto quadrimestri, est apposita in pœnam negligentiæ ordinarij, vt ex ipsa bulla constat. Cum ergo in supradicto casu nullam ordinarius negligentiam habuerit, neque per ipsum steterit, quominus electio Romæ fuerit præsentata, nequaquam deuolutio locũ habere

debet, neque ordinatius priuandus est potestate faciendi nouum examen, nouamque electionem. Nauarr. *t.1. consil. tit. de rescript. cons.* 11. *n.* 4. *in secunda edit.*

5 Tertio dubitabis, an examen factum ab Episcopo cum tribus examinatoribus synodalibus, alio non synodali concurrente irritum sit, & nullum? Affirmat Garcia 9. *p. de benefic. cap.* 2. *n.* 324. Mouetur ex quadam declaratione sacræ congregationis, & decisione Rotæ, quibus cauetur collationem factam ex vi huius examinis nullam esse. Ratio ea est, quia formæ nihil addi, nec diminui potest, *cap. cum dilecta, de rescript. & ibi* Felin. *n.* 6. Sed ad formam huius examinis pertinet, quod examinatores sint in synodo approbati. Ergo admissis non approbatis deficit forma.

Sed contrarium firmauit Rota in causa Dertusen, parochialis de Villafranca 18. Decembr. 1581. relata a Garcia *supra num.* 232. & à Genuen. *in praxi. cap.* 66. *n.* 18. *& reg. leg. testamentum. Codic. de testament.* Non enim superabundantia nocere potest, sicuti non vitiaretur testamentum, si septem testibus necessariis alij inutiles adderentur. Hanc sententiam approbat Genuens. ea conditione, vt maior pars votorum sit synodalis. Ego vero dicendum existimo, stantibus tribus examinatoribus synodalibus, quantumcunque alij addantur, non vitiari examen. Quia concilium solum requirit, vt examen fiat à tribus examinatoribus synodalibus Ergo illis stantibus seruatur præscriptum à concilio, tametsi alij non synodales concurrant. Concurrunt enim non vt examinatores legitimi, sed vt quidam testes, & inutiles exploratores aptitudinis examinandorum. Ex quo manifestè infertur, nequaquam posse episcopum prouidere beneficium in fauorem illius, qui non fuerit à maiore parte examinatorum synodalium approbatus: quia aliorum approbatio, vel approbatio vt potè ab illegitimis, nullius est effectus.

6 Quarto dubitabis, qua ratione vota examinatorum paria, aut singularia sint, vt illis accedere possit episcopus? Et quidem hæc dubitatio locum non habet, cum examinatores iuxta stylum Romanæ curiæ, de quo testatur Marc. Anton. Genuen. *praxi. cap. 66. num.* 17. August. Barbosa *in remission. concil. num.* 18. vota inter se conferunt, & resolutione accepta proferunt vnanimiter examinatum approbatum, vel reprobatum; quia tunc vota non sunt paria, nec singularia, sed vniformia. Deinde dubitatione caret non posse Episcopum, vel eius vicarium, etsi examini assistat, & cum examinatoribus prouidendum examinet, suffragium approbationis, vel reprobationis ferre, nisi in casu quo examinatores synodales in votis pares, aut singulares fuerint; quia sic cauetur à concilio; ibi: *quorum votis si pares, aut singulares fuerint accedere possit episcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur.* & tradit Flam. *l.* 8. *q.* 9. *n.* 105. *&* 106. Vgolin. *de officio episcop. c.* 50. §. 3. *n.* 1. *&* §. 12. *n.* 3. Gratian. *decis.* 97. *n.* 18. & alij quos sequitur Garcia 9. *part. de benefic. cap.* 2. *num.* 56. Pares in votis sunt examinatores, si quatuor sint, & duo reprobent Caium, alij eum approbent. At quibus tunc episcopus accederet, præstaret approbationem, vel reprobationem, maneretque approbatus, vel reprobatus examinatus; eaque de causa concilij congregatio dixit, facere posse episcopum ex non approbato approbatum. Singulares in votis sunt examinatores, cum vnus reprobat, alius approbat, tertius suffragium suspendit: si enim approbanti, vel reprobanti episcopus iungatur, approbatum, vel reprobatum efficiet. Hæc accessio episcopi in ipso examine, & coram examinatoribus facienda est, vt satis colligitur ex contextu concilij, vt notauit Garcia *sup. n.* 58.

7 Quinto dubitabis an valeat examen factum ab examinatoribus synodalibus, qui iuramentum non præstiterunt fideliter suum munus exequendi, quique occasione examinis aliquid receperunt? Negat Garc. 9. *part. de benefic. cap.* 2. *numer.* 355. loquens de iuramento, & idem diceret de vitio simoniæ. Mouetur tum ex decisione Rotæ in vna parochialis. 15. Ianuar. 1593. coram D. Mantica; vbi inter causas nullitatis prouisionis allegat Rota, quod examinatores iuramentum non præstiterint. Deinde mouetur: quia videtur hoc iuramentum ad formam prouisionis spectare. Cæterum verius censeo, omissionem iuramenti, & commissionem simoniæ non annullare examen, tametsi grauiter peccent examinatores omittentes iuramentum, & vitium simoniæ committentes. Quod omissio iuramenti examen non annullet, sic probo. Nam hoc iuramentum faciendum præcipitur, iis qui in synodo sunt electi, & approbati, & examinatores legitimi constituti. Ergo non pertinet ad formam examinis, sed ad rectum illius vsum, sicuti iuramentum, quod præstant iudices, & tabelliones ritè sua munera exercendi, & constat ex iis, quæ diximus, *tractat. de legib. disput.* 2. *punct.* 9.

De vitio simoniæ clarius constat, non reddere nullum examen. Quia hæc est pœna ob crimen commissum, quæ indiget sententia saltem declaratoria criminis, vt liget. Et præterea quia textus loquitur de simonia commissa tam ante, quam post examen factum. Non igitur ex illa simonia examen legitimè factum irritari ipso iure poterat. Quapropter censeo præceptum de iuramento omittendo & de simonia committenda non esse restrictiuum potestatis examinatorum sed, esse instructiuum, qualiter illa potestas exercenda sit. Hoc autem iuramentum faciendum est in ipsa synodo, quando eliguntur; quia ita est expediens, vt omnibus constet, etsi non sit necessarium, cum expressè illud tempus concilium non designauerit, debetque fieri tactis euangeliis. Garcia 9. *part. de benefic. c.* 2. *n.* 356. *& seqq.* De crimine simoniæ latè egimus *tract. de vitiis relig. oppos. disp. vlt.*

8 Sexto dubitabis an examinatores teneantur prouidendum examinare non solum de scientia, sed etiam de vita, moribus, ætate, & qualitatibus ad beneficium requisitis. Videtur obligatos non esse, vt probat praxis communis, horum informationem ordinario remittens, & examinatoribus solum de scientia concedens. Cæterum omnino tenendum est, debere de prædictis omnibus prouidendum examinare. Quia examinatores constituti sunt, vt prouidendum examinent, & declarent, sit ne idoneus ad vacantem Ecclesiam gubernandam. Sed hæc idoneitas, & aptitudo non sumitur ex sola litteratura, sed etiam ex moribus, vita, aliisque qualitatibus, vt de se constat, & multis comprobat Gonzalez *reg. 8. Cancellar. glos. 4. à n.* 107. Ergo de illis omnibus examinatores prouidendum examinare debent. Deinde hoc clarè indicauit concilium *dicto c.* 18. cum dixerit. *Peracto examine renuncientur, quotcunque ab eis idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis.* Sed hæc relatio supponit examinatores cognouisse examinandorum qualitates. Ergo & ita declarauit sacra concilij congregatio apud Garciam 6. *p. de benefic. c.* 1. *n.* 236. *& 9. p. c. secundo. n.* 107. Augustin. Barbosa *in declaratione concil. dicto c.* 18. *n.* 27. *& 3. p. de potest. episcop. allegat.* 60. *n.* 91. Aloysium Riccium *praxi fori ecclesiast. resolut.* 631. *in secunda edit.* Gonzalez *regul. 8. Cancell. glos. 4. n.* 110. Modus autem examinandi prouidendum de ætate, legitimitate, ordine, vita, moribus, & prudentia est per informationem, quæ paucis diebus fit, antequam ad examen litteraturæ veniatur. Nam si illa vita plenè examinatoribus satisfacit, & ex alia parte examinatus de litteratura sufficientiam ostendit, poterit idoneum esse absolutè renunciari.

9 Septimo dubitabis, debeantne examinatores renunciare non solum qui sibi idonei visi fuerint, sed etiam qui inter idoneos digniores sint? Affirmat Bartol. Med. *in sum. l. 1. c. 14. §. 32.* Ludouic. Lopez *instruct. conscient. l. 1. tom. 1. c* 127. Petr. Nauarra *l. 2. de restit. c. 2. n* 187. Petr. Ledesma *tractat. 7. c. 1. conclus. 7. difficult.* 13. Mouentur, quia episcopus tenetur digniorem eligere ex approbatis, quod non videtur fieri posse, nisi ex examinatorum relatione cognoscat quis dignior sit. Nam hoc iudicium non episcopo, sed examinatoribus videtur commissum; siquidem ipsi iudicant de aptitudine examinandorum; neque episcopus de hac aptitudine iudicat, nisi in casu quo examinatores pares, aut singulares in votis fuerint. Ergo extra hunc casum iudicare non potest Episcopus de maiori examinandorum aptitudine; quia comparatiuum iudicium positiuum supponit. Deinde si iudicio solius episcopi remittitur quis dignior sit ex approbatis, nunquam reiectus poterit legitimè appellare à mala episcopi electione contra constitutionem Pij V. quia nunquam supponi potest episcopum minus dignus elegisse, cum suo iudicio hoc remissum sit.

Tenendum tamen est, vt probabilius, examinatoribus solum competere iudicare qui examinati fuerint idonei, non autem qui digniores sint. Quia concilium solum hoc minus illis concilio dicens. *Peracto examine, quotcunque ab eis idonei iudicati fuerint renuncientur,* & cum non addideris, *qui digniores fuerint iudicati,* non est illis hoc iudicium committendum. Neque est censendum tacitè commissum, ex eo quod eligens cognoscere debeat ante electionem quis dignior sit ex approbatis potest namque hoc cognoscere non ex iudicio, & relatione examinatorum, sed ex proprio, & singulari iudicio, cum ipse examini præsens fuerit. Item interrogare potest priuatim vnum, vel alterum examinatorum, quos digniores iudicauerit. Minusque hæc tacita commissio infertur ex facultate appellandi à mala episcopi electione. Fateor namque constare non posse me amfuisse episcopi electionem, & reiectum legitimè appellasse ex actis præcise primæ instantiæ; eaque de causa talis appellatio executionem non suspendit, sed necessario constare debet ex actis secundæ, scilicet ex examine facto coram iudice ad quem appellatur, & ita tenent, & aliquibus decisionibus comprobat Garcia *9. p. de benefic. c.* 2. *à n* 108. Genuens. *in praxi. c.* 66. *in annotat. n.* 108.

10 Octauo dubitabis, an excusetur ab hoc examine notoriè dignus? Cui dubitationi *disp. præcedenti circa finem,* satisfecimus dicendo nequaquam excusari; quia concilium expostulat pro forma hoc examen, & prouisiones alias factas annullat. Vgolin. *de potest. episcop. c.* 50. §. 6. *n.* 6. *&* §. 10 *n.* 6. Flamin. Paris. *l.* 8. *de resignat. q.* 8. *à n.* 83. Garcia aliis relatis. 6. *p. de benef. c.* 2. *à n.* 265. *&* 9. *p. c.* 2. *n.* 101. Zenedo *collect.* 15. *ad decret. n.* 5. Gonzalez *glos.* 4. *num.* 89. *& seqq.* Augustin. Barbosa *in remiss. ad dictum locum concilij decis.* 1.

§. 5.

§. V.

In quibus beneficiis examen per concursum faciendum sit.

1 *In beneficiis parochialibus hoc examen faciendum est.*
2 *Cessat in beneficiis iuris patronatus laicalis.*
3 *Quid in beneficiis iuris patronatus mixti?*
4 *Cessat in beneficiis resignatis in fauorem.*
5 *Item in beneficiis vacantibus ex causa permutationis.*
6 *Deinde in beneficiis vnitis dignitati, aut canonicatui.*
7 *Item cum cura pertinet ad Ecclesiam cathedralem, vel collegiatam & per vnum, vel plures administratur.*
8 *Item in beneficiis litigiosis, & quid si Pontifex noluerit collitigantem subrogare?*
9 *Cessat concursus in beneficiis parochialibus monasterio subiectis.*
10 *Item cessat in vicariis perpetuis vnitis Ecclesiæ, vel beneficio saculari.*
11 *Deinde in beneficiis regularibus, quæ regularibus conferuntur.*
12 *Item cessat, esto hæc beneficia secularibus commendentur.*
13 *Item in parochialibus exigui redditus.*
14 *Cessat concursus in parochialibus vacantibus ob non seruatam formam à concilio præscriptam*

1 REgula generalis est in beneficiis parochialibus hoc examen faciendum esse, siue beneficia sint de collatione ordinarij, siue sint reseruata, siue Pontifici affecta, siue cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per vnum, vel plures administretur, constat ex Trident. *sess. 24. capit. 18. de reformat.* Aduertendum tamen est, sæpe Pontificem beneficia reseruata, seu affecta prouidere absque concursu, solo simplici examine ad cutam animarum. Quod contingit, cum electus ab ordinario non vult pensioni iustæ a Pontifice beneficio impositæ consentire. Cum enim Pontifex supremus legislator sit, habeatque iustam causam dispensandi in lege concilij, exigentis concursum in parochialium prouisione, si de facto sine concursu alicui confert, legitima est eius collatio. Debet tamen generaliter saltem decreto concilij derogare Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 6. à n. 116.* Barbosa *allegat. 60. n. 39.*

2 Supradicta regula de concursu in prouisione parochialium facienda plures patitur exceptiones. Prima, & præcipua est de beneficiis, quæ sunt iuris patronatus laicorum: hæc enim per concursum prouideri non debent: cum concilium loquens de iis beneficiis dixerit debere præsentatum à patrono examinari, & digno reperto ei beneficium conferri; tacitè insinuans concursu oppositorum opus non esse. sic tenent, & decisum à sacra congregatione referunt Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 6. num. 134.* Aloysius Riccius *praxi fori Ecclesiast. resolut. 358. num. 1.* Lessius *lib. instit. cap 34. dub. 12. num. 58. & dub 16. num 81.* Nicol. Garc. *9. part. de benefic. cap. 2. numer. 255.* Augustl. Barbosa *de potest. episc. allegat. num. 18. & supra. textu concilij. num. 14.* Quod verum habet casu quo vnus esset præsentatus, vel eius præsentatio omnibus aliis præferenda esset. Tunc enim hic examinari debet cæteris exclusis, & idoneo reperto ei beneficium conferri. At si plures sint æquanimiter præsentati, examen faciendum est per concursum, vt Episcopus ex approbatis eligat digniorem. Gonzalez *num. 138.* Garc. *n. 255.* Barbosa *n. 13. & in concilio. n. 34.* Riccius *num. 2.* Et idem est, si iure deuoluto prouisio ad Episcopum pertinet, quia cessat patroni præsentatio, ob quam examen per concursum non fit. Genuen. *in praxi. c. 66. n. 19* Garc. *dicto c. 2. n. 257.* Barbosa *3. p. allegat. 60. n. 18. fine.*

3 Difficultas vero est, an cesset examen per concursum in beneficiis patronatus mixti laicalis, & Ecclesiastici, casu quo pars laicalis præualeat in præsentatione; eo quod præcipua sit. Nam si non præualet, sed æquè patronatus laicus sit, ac Ecclesiasticus, clarum est, faciendum esse examen per concursum, cum talis patronatus Ecclesiasticus sit dicendus, præcipuè illis in casibus, in quibus Ecclesiæ, personisque Ecclesiasticis prodesse potest, neque laicis nocere. At si pars laicalis præualet, dubium est, an examen per concursum cesset? Negat in hoc casu cessare concursum aliis relatis Garcia *9. p. de benef. c. 2 num. 278.* Gonzalez *glos. 6. num. 135.* Aloysius Riccius *decis 420. in prima edit. & resolut. 357 n. 3 in secunda edit.* Augustini. Barbosa *3 p. alleg. 60 num. 27. & in remission. concilij, n. 31.* referuntque sacram congregationem in hæc verba decidisse. *in collatione Ecclesiæ parochialis, quæ sit iuris patronatus partim Ecclesiæ partim laici, seruanda forma est examinis per concursu, quam concilium præstitit in conferenda parochiali, quæ iuris patronatus sit mere Ecclesiastici.* Idem dicendum est, quando patronatus pro duabus partibus pertinet ad laicos, pro vna tantum ad Ecclesiasticum. Ratio vero huius decisionis est fauor Ecclesiæ, vt hac via melius prouideri possit.

Verum hæc sententia, etsi ob authoritatem sacræ congregationis ampiectenda sit, aliquam patitur difficultatem. Nam si pars laicalis in patronatu præualet, necessario ab ea præsentatus instituendus est, si idoneus fuerit repertus, iuxta *textum concilij.*

Quæ ergo vtilitas est, si in concursu cum præsentato à patrono, Ecclesiastico examinetur, cum hic præsentatus, etsi dignior, institui non possit? Adde etsi fauor Ecclesiæ sit, examen fieri per concursum, vt hac via de digniori ministro prouideatur, etiam fauor Ecclesiæ est patronis laicis fauere, & præsentatum ab eis, modo dignus sit, instituere: quia hac via ad fundandas Ecclesias excitantur.

4 Secunda exceptio est de beneficiis resignatis in fauorem in manibus Pontificis, hæc enim cum non sint aliis, quam designatis conferenda, intrare non potest; & ita tenent, & à sacra congregatione decisum referunt, Flamin. Patis. *lib. 10. de resignat. quæst. 7. à num. 13.* Gonzalez *glos. 6. à num. 122.* Garcia *de benefic. 9 part. cap. 2. num. 157.* Augustin. Barbosa *3. p. de potest. Episcop. alleg. 60. num. 11.* & in concilio *decis. 2.* Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis. 416. in prima edit. & in secunda resolut. 353.* & alij apud ipsos. Neque obstant verba concilij præcipientis fieri examen per concursum in quibusuis beneficiis parochialibus vacantibus etiam per resignationem in curia. Quia loquitur de vacantibus per resignationem simplicem, & non in fauorem. Quæ enim in fauorem resignantur, ab oluto non vacant, quousque resignatario fuerint acquisita, neque in illis interim apponitur vicatius, sed resignans, vtpote dominus administrat. Gonzalez *n. 112.* Barbosa *n. 2.* Riccius *resolut. 371. vers. amplia quinto.* Garc. *c. 158.*

5 Tertia exceptio est de beneficiis vacantibus ex causa permutationis, siue permutatio fiat parochialis cum parochiali, siue cum beneficio simplici. Quocunque modo fiat, examen per concursum necessarium non est ob prædictam rationem; quia alteri, quam permutatario acquiri beneficium non potest, neque vacat quousque ei fuerit acquisitum. Garcia referens à sacra congregatione decisum, *9. p. de benefic. cap. 2. num. 165.* Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis. 419. in prima edit. & resolut. 357. in secunda edit.* Barbosa *alleg. 60. num. 23 & suprad. loco concil. num. 16. & decis. 3.* Verum esto examen per concursum fieri non debeat, debet tamen relinquens simplex, & accipiens parochiale examinari à tribus saltem examinatoribus synodalibus. Et idem est, si permutaret beneficium parochiale inferius cum parochiali longe maiori, & pluribus parochianis abundante, quia ex aptitudine prioris beneficij non infertur aptitudo ad illud, quod de nouo habetur. Garcia, Barbosa, & Riccius, *supra.*

9 Quarta exceptio à concursu est de parochialibus vnitis perpetuò dignitati, aut canonicatui; quia neque dignitati aut, canonicatui debetur concursus, vt de se constat, neque parochiali vnitæ, cum ratione vnionis naturam propriam amiserit & qualitates illius cui vnitur acceperit, Gonzalez *glos. 6. n. 162 & glos. 5. & 7. num. 13.* Garcia *9. part. de benefic. cap. 2. num. 193* Barbosa *3. part. alleg. 60. num. 24. 25. 26. & in remissionib. concil. circa med.* Vnde dignitas, vel canonicatus, qui curam animarum annexam habet, nequaquam per examen concursus prouidetur; quia non est propriè beneficium parochiale Barbosa *num. 28 & 29. & in concil.* Gonzalez *glos. 6. num. 162.* tametsi contrarium videatur sentire Garcia *9. part. de benefic. cap. 2. n. 189.*

7 Sexto cessat concursus, cum cura pertinet Ecclesiam cathedralem, vel collegiatam, & per vnum, vel plures siue promiscuè, siue alternatiuè, & per hebdomadas administratur; quia ipsi adiministratores verè non sunt curati, neque ob obitum illorum cuta vacat, cum penes Ecclesiam cathedralem, vel collegiatam remaneat: sic pluribus decisionibus comprobat Garcia *9. par. de benefic. cap. 2. cum. 181.* Gonzalez *glos. 6. n. 158.* Augustin Barbosa *3. part. allegat. 60. num. 30.* Riccius *resolut. 358. vers. quarto,* & alij apud ipsos. Neque obstant verba concilij, dicentis examen per concursum requiri in Ecclesiis parochialibus vacantibus; etiam si cura Ecclesiæ vel Episcopo incumbere dicatur, & per vnum, vel plures administretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptiuis, in quibus consueuit Episcopus vni, vel pluribus curam animarum dare. Non inquam obstant: nam supradicta verba intelligenda sunt primo cum cura administratur per vnum, vel plures in perpetuum, quorum interitu cuta vacat. & denuo prouidetur, secus vero cum cuta illis committitur ad nutum amobilis; quia illorum interitu non vacat beneficium, & concilium agit de beneficiis vacantibus; ibi *cum parochialis Ecclesiæ vacatio,* &c. Secundo intelligenda sunt de parochialibus Ecclesiis, quæ sic propriè dicuntur, non de collegiatis, & cathedralibus, quæ ob earum dignitatem, nisi exprimantur, non debent intelligi, vt habetur expressè, *c. statutum de electione. in 6.*

8 Septimo concursus cessat in beneficiis litigiosis: nam durante lite beneficium non vacat, nec prouideri potest: *cap. 1. & 2. vt lite pendente. element. prima, eodem tit.* Sed concilium loquitur de parochialibus vacantibus, & quæ facto examine prouideri debent. Ergo. Gonzalez *ad reg. Cancellar. glos. 6. à n. 242.* Flamin. *de resignat. l. 2. q. 3. n. 97.* Riccius *resolut. 358. vers. tertio* Augustl. Barbosa *3. p. allegat. 60. n. 37.*

Verum si summus Pontifex noluerit collitigantem subrogare, vel ius demortui in alium transferre, affirmat Garcia 9. *part. de benefic. cap. 2. n.* 170. locum esse concursui, & sic decisum esse à sacra concilij congregatione; tametsi electo, & iudicato magis idoneo collatio facienda non sit, sed expectandus finis litis, vel recurrendum ad Papam: & licet intra quadrimestre non recurratur, non obinde fit deuolutio; quia parochialis ratione litis non erat Pontifici reseruata, Cæterum hoc dictum Garciæ mihi non probatur: nam vt benè Gonzalez *supradicto loco*, arguit: concilium de prouisione beneficij, non de subrogatione loquitur. At durante lite, vt ipsemet Garcia fatetur, non est locus prouisioni, sed solum subrogationi. Ergo examen concursus ad prouisionem ordinatum non potest in beneficio litigioso locum habere. Præterea ex constitutione Pij V. sæpè relata, constat facto examine parochiarum, quarum collatio ad Episcopum pertineat, debere intra semestre fieri, petinentium vero ad alios debere electionem dignioris intra quadrimestre fieri, illisque significari: Sed ipsemet Garcia concedit, & benè; in parochialibus litigiosis non posse electo beneficium ab ordinario concedi, neque obligatum esse electionem Pontifici intra quadrimestre significare. Ergo signum est, concilium non intendisse in iis litigiosis concursum fieri. Neque obstat decisio sacræ congregationi, quæ debet intelligi de litigio, non super beneficium, sed super ius præsentandi ad illud iuxta decisionem relatam ab ipso. Garc. *dicto cap. 2. num.* 159. quod litigium non impedit ordinarij examen, & prouisionem, si sit in possessione examinandi, & conferendi, quia non propriè facit beneficium litigiosum, cum non sit lis inter ipsos beneficiatos.

9 Octauo cessat concursus in beneficiis parochialibus monasterio subiectis, seu annexis, vel de eius mensa; tametsi per sæculares, & vicarios perpetuos administrentur; quia in iis beneficiis monasterium nominat æquè ac patronus laicus & Episcopo competit sine concursu nominatum approbare, vel reprobare, vt optimè tradit Rota apud Farinac. *in nouissimis. tom. 1. decis.* 102. Gonzal. *gloss. 6. n.* 162. Garcia 9. *p. de benef. c. 2. n.* 197. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg.* 90. *n.* 31. & colligitur clarè ex *c.* 1. *de capellis monach.*

10 Nono cessat concursus in vicaris perpetuis vnitiis Ecclesiæ, vel beneficio sæculari, quia ratione vnionis titulus extinguitur, & vicatio non comperit propriè cura, sed rectori Ecclesiæ, beneficij, cui est vicatia vnita. Secus vero dicendum esset, cum vicaria perpetua per se esset, & vicarius non solum exercitium, sed habitum curæ haberet: sic aliis relatis Garcia 9. *part. de benefic. c. 2. à num.* 289. Riccius *praxi fori Ecclesiast. resol.* 358. *n.* 1. *vers. secundo.* Barbosa *allegat. 60. num.* 32. Signum autem ad cognoscendum in vicatium transfatam esse omnem curam, tam quoad actum, quam quoad habitum, est, si vicatio omnes beneficij fructus applicati sint, tametsi sub onere soluendi pensionem. E contra dicendum est, si fructus beneficij alteri sint applicati, & vicatio datur pensio. Vide Rotam apud Farin. *in nouissimis. tom. 2. p. d. decis.* 710.

11 Decimo cessat concursus in beneficiis regulatibus, quæ regularibus conferuntur. Tum quia hæc non solent in perpetuum concedi, sed solum ad tempus. Tum quia ad nominationem monasterij conferuntur: sic tenent, decisumque referunt Gonzalez *gloss. 6. n.* 162. Garcia 9. *p. de benefic. c. 2. n.* 197. Aloysius Riccius *praxi fori Eccles. decis.* 421. *in* 1. *edit. & resol.* 358. *in* 2. *edit.* Barbosa *de potest. episc. allegat* 60. *n.* 33.

12 Vndecimo cessat concursus, etiamsi suprà dicta beneficia regularia solita sint sæcularibus commendari ob eandem rationem: & tradit decisum à sacra congregatione, Garc. *supra n* 199. Barbosa *n.* 34. *& in declarat. concl. ad dictum c.* 18. *versic. octauo.*

13 Duodecimo cessat concursus, si parochialis adeo ex gui redditus fuerit, vt totius huius examinationis operam non ferat; aut nemo sit qui se examini per concursum quærat subiicere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facilè graviores rixæ, ac tumultus possint excitari. Quia tali casu potest ordinarius, si pro sua conscientia, cum deputatorum consilio, ita expedire arbitretur, hac forma concursus omissa aliud examen, cæteris tamen seruatis, adhibere: sic concilium *dicto cap. 18. in fine.* Gonzalez *gloss. 6. n.* 139. Aloys. Riccius *resolut.* 358. *in fine.* Barbosa 3. *p. alleg. 60. n.* 38.

14 Decimo tertio cessat concursus in parochialibus, in quibus seruatus non est ordo examini, & aliorum, quæ à concilio *dicta sess. 24. c. 18. de reform.* præscribuntur. Quia ratione huius negligentiæ Pontifici reseruantur, ita vt Episcopus, & Archiepiscopus non se possint intromittere in eorum collatione, etiamsi si aliàs beneficia de ipsorum collatione essent; imo nec possunt examen peragere tanquam de aliàs reseruatis, quia non solum quoad collationem, sed etiam quoad examē Pontifici deuoluuntur, illique sunt reseruata: constat ex constitutione Pij V. 32. sæpè relata & notauit Gonz *gl. 6. n* 124. Quod si ad alios præter Episcopum, seu Archiepiscopum, quibus examen facere competebat, collatio beneficiorum pertinet, poterunt, omissa forma huius examinis, beneficia conferre; quia absque sua culpa non debent potestate conferendi priuari. colligitur ex dicta constitutione. *vers. seu eorum, quibus ius conferendi*, & notauit Gonzalez *sup. num.* 126. Garcia *de benefic. 9 part. c. 2. num.* 152.

§. VI.

Qualiter facto examine electio, collatio, seu institutio beneficiorum parochialium facienda sit.

1 *Quid statuerit concilium.*
2 *An repertis pluribus æquè dignis possit Episcopus eligere quem maluerit, vel an electio remittenda sit collatori? Verius est Episcopo competere,*
3 *Idem est seruandum in beneficiis patronatus Ecclesiastici, si institutio ab alio quam ab Episcopo est facienda.*
4 *Si patronatus Ecclesiasticus minus dignum eligat, non tenetur Episcopus eum instituere. Subintelligitur, si clarè constet, quod ante sententiam non est præsumendum.*
5 *Quid dicendum, cum electio non fuit facta legitimè, prouisione Apostolica subsistet? Negatiuè est respondendum.*
6 *Qualiter tibi prouidere poteris, si ab examinatoribus in reprobatione, vel ab ordinario in electione te sentias grauatum? A relatione examinatorum in beneficiis parochialibus nulla datur deuolutio, aut appellatio.*
7 *A relatione examinatorum in beneficiis simplicibus datur appellatio, deuolutiua, & suspensiua.*
8 *Interdicta est appellatio à relatione examinatorum in parochialibus, quæ per concursum prouidentur.*
9 *Ab electione mala ordinarij dari appellatio deuolutiua potest.*
10 *Quid faciendum, cum causa deuoluta est ad superiorem*

1 IN beneficiis à iure patronatus exemptis electio dignioris Episcopo competit, cui ipse, vel alius ad quem collatio pertinet, conferre beneficium debet. Si vero iuris patronatus Ecclesiastici fuerit, & institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is quem patronatus digniorem intet probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare tenetur, vt ab eo instituatur: cum, vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet ad quem institutio spectat. Quod si ius patronatus laicorum fuerit, debeat qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit admitti. Neq; cuiquā alteri, quam vni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, iuxta suprad. dictam regulam de Ecclesia prouideatur, nec prædictorum examinatorum relationem, quominus executionem habeat, vlla deuolutio, aut appellatio etiam ad sedem apostolicam, siue eiusdem sedis legatos aut vicelegatos, aut nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interposita impediat, aut suspendat. Alias prouisiones omnes, seu institutiones præter suprad dictam formam factæ subreptitiæ esse censeantur, non obstantibus, &c. Sic *concilium Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat.* cuius decretum Pius V. *in sua dicta constitut. 32.* quæ incipit *in conferendis*, confirmauit, & approbauit, additque eas prouisiones sibi sedique Apostolicæ, seu eis, quibus ius conferendi competit, reseruate. Ex quibus verbis manifestè constat in beneficiis exemptis à patronatu Episcopo competere ex approbatis eligere digniorem, cui ipse, vel Pontifex, vel alius ad quem de iure collatio pertinet, debet beneficium conferre,

2 Dubium tamen est; an repertis pluribus æquè idoneis possit Episcopus vnum ex illis eligere, cui sit necessario collatio facienda, vel potius debeat collatori omnes illos proponere, vt ipse cui maluerit conferat? Videtur collatori hoc remittendum esse; quia Episcopo solum conceditur à concilio, vt ex approbatis eligat digniorem. Ergo si plures reperiantur æquè digni, illos debet Episcopus eligere. Alias vno electo iniuriam facit reiectis, cum reiiciantur ab electione vt minus digni, cum tamen non sint, & electus eligatur vt dignior, cum tamen omnibus dignior non sit. Fauetque huic modo dicendi congregatio concilij. prout refert Garcia 9 *p. de benefic. c. 2. n.* 149. ibi; ordinarius debet eligere magis idoneos, ac postea Abbati relinquere, vt ex electis cui maluerit curam conferat. Expendo verbum, debet eligere magis idoneos, quasi iudicans non esse in potestate ordinarij vnum eligere, cum plures magis idonei reperiuntur.

Cæterum tenendum est cum ipso Garcia *dicta 9. p. de benefic. cap. 2. num* 150. posse Episcopum eligere ex duobus æquè idoneis, qui sibi placuerit. Et ratio videtur manifesta; quia Episcopo competit electio illius, cui beneficium conferri non potest, sed vni tantum. Ergo huius electio Episcopo competit. Ergo data paritate duorum penes Episcopum erit eligere, quem maluerit. Neque ille eligitur, vt dignior positiuè, sed negatiuè, hoc est, quo nullus alius dignior sit. Quod si aliquando plures æquè idonei reperiantur, & Episcopus omnes illos eligit, penes collatorem erit

conferre

conferre cui maluerit: & in hoc casu loquitur sacra concilij congregatio.

3 Idem seruandum est in beneficiis patronatus Ecclesiastici, si institutio ab alio, quam ab Episcopo sit facienda: cum enim Episcopo tantum competat ex dignis eligere digniorem, quem patronus ei præsentare debet, ad quem institutio spectat: si contingat duos æquè idoneos reperiri, Episcopus eligere poterit, quem maluerit. Quia est omnino eadem ratio, At si institutio Episcopo competit, & patronis Ecclesiasticis electio, ad patronos pertinet eligere ex duobus æquè idoneis, quis sit instituendus: sic Nauar. *consil. 6. de iure patron. in 1. edit.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. c. 22. q. 15.* Garc. *9. part. de benefic. c. 2. n. 266.* referque à sacra congregatione decisum.

4 Difficultas autem est, si contingat patronos Ecclesiasticos minus dignum ex approbatis eligere, teneatur Episcopus illum instituere? Negatiuè respondeo, si id manifestè constaret. Quia talis electio, vtpote contra formam à concilio præscriptam, nulla est, non igitur illam potest subsequi institutio. At quia id constare nequaquam potest, quousque per iudicem appellationis declaretur, existimo obligatum esse Episcopum quemcumque ex approbatis patronus elegerit instituere: quia ante sententiam semper præsumere debet patronum elegisse digniorem. Neque ex eo quod reiectus appellauerit à mala electione facta, impedire potest electi institutionem: quia non ob inde constat electum esse minus dignum: esto contra videatur tenere Garcia. *9. part. de benefic. cap. 2. n. 269.*

5 Sed quid dicendum, cum electio non fuit facta legitimè: eo quod examen non fuit cum tribus examinatoribus synodalibus, vel termino edicti transacto; & aliis qualitatibus necessariis prouisione Apostolica impetrata virtute huius electionis subsistet? Videtur subsistere posse. Quia Pontifex prouidet beneficium cum clausula, etiam si alias specialiter, vel generaliter reseruatum existat. Ergo prouidet beneficium, etiamsi ob malam electionem denuo sibi reseruatum esset; ac proinde impedimentum, quod prouenit ex non seruata forma concilij, virtute illius clausulæ sublatum videtur. Deinde Pontifex beneficium tibi confert contentus testimonio ordinarij declarantis seruatam fuisse formam concilij, & te vtpote digniorem inter approbatos elegisse. Ergo cum verum sit ordinarij testimonium, vera erit collatio in ipso fundata.

Cæterum tenendum est subreptitiam, & inualidam esse hanc collationem; quia Pontifex in tantum beneficium tibi confert, quatenus præsumit in tui electione formam concilij seruatam esse; eaque de causa ipse Pontifex in proœmio prouisionis hoc declarat dicens. Nos tibi, quia dilectis filiis examinatoribus in synodo diœcesana, iuxta formam concilij Tridentini deputatis seruata forma concilij huiusmodi in concursu aliorum examinatus & idoneus repertus, & testimonio ordinarij de vita, & moribus prædictis, ac idoneitate commendatis, &c. Si ergo concilij forma seruata non est, gratia Pontificis nulla erit. Deinde concilium omnes prouisiones, collationes, seu institutiones factas præter formam ibidem præscriptam, subreptitias esse declarat, sed locutum fuerat concilium de beneficiis tam reseruatis, quam non reseruatis, tam de prouisione ordinaria, quam Pontificia. Ergo prouisiones Pontificiæ, in quibus non fuit forma concilij seruata, subreptitiæ sunt, & ita tenet Garc. *9. p. de benef. c. 2. n. 367.*

Neque obstat ratio dubitandi. Non enim Pontifex prouidere tibi intendit beneficium reseruatum ex non seruata forma concilij: siquidem potius tibi prouidet, qui præsupponit seruatam esse, & testimonium ordinarij non solum verum esse, sed legitimè esse datum. Cum autem ponamus non fuisse legitimè datum, quia concilij forma seruata non fuit, contra voluntatem Pontificis erit talis prouisio, ac proinde subreptitia, & nulla.

6 Rursus inquires; qualiter tibi prouidere poteris, si te ab examinatoribus in reprobatione, vel ab ordinario in electione sententias grauatum?

Respondeo remedium esse appellationem interponere ad superiorem: illis in casibus, in quibus interponi potest. Quare videndum est qui hi sint. Constat ex Trident. *sess. 24. cap. 18.* à relatione examinatorum in beneficiis parochialibus nullam posse dari deuolutionem, aut appellationem; ibi; nec prædictorum examinatorum relationem, quominus executionem habeat, vlla deuolutio, aut apellatio etiam ad sedem apostolicam, &c. interposita impediat, aut suspendat. Expendo verbum deuolutio vlla, quod manifestè indicat non solum de appellatione suspensiua, sed etiam deuolutiua esse intelligendum: & ita tradit aliis relatis Garcia *9. p. de benefic. cap. 2. num. 241.* Et ratio videtur manifesta. Nam ex constitutione Pij V. sæpè relata, à mala ordinarij electione datur appellatio non suspensiua, sed deuolutiua. Ergo prohibens concilium appellationem à relatione examinatorum, de appellatione deuolutiua fuit locutum. Neque obstant aliquæ declarationes sacræ congregationis relatæ à Garcia *supra num. 245.* dicentes à reprobatione examinatorum dari appellationem ad effectum deuolutiuum, non suspensiuum. Nam vt benè ipse Garcia explicat, intelligendæ sunt quoad effectum tollendi infamiam, & notam, quæ ex reprobatione reprobato prouenit: ad hunc enim effectum potest reprobatus appellare. Non autem ad effectum infringendi electionem ordinarij, & obtinendi beneficij possessionem: imo Garciæ placet non solum posse interponere appellationem coram superiore ordinarij ad supradictum effectum, sed etiam coram ipso ordinario: si ipse examinatoribus in suffragio non accessit: quia appellat ab examinatoribus Episcopo inferioribus. Quod non credo; quia examinatores cum ordinario idem tribunal constituunt, & nomine ipsius ordinarij suffragia ferunt. Aliàs à reprobatione examinatorum in beneficiis simplicibus, & in beneficiis iuris patronatus dari posset appellatio ad ordinarium, quod est alienum à praxi recepta.

7 Dixi a relatione examinatorum quoad effectum infringendi electionem, & obtinendi beneficij prouisionem nullam dari posse appellationem etiam deuolutiuam in beneficiis parochialibus, vt tacitè insinuatem aliud esse dicendum de beneficiis simplicibus. Nam de iis non loquitur supradictus textus concilij. Quare si contingat ab examinatoribus de beneficio simplici prouisum examinari, & reprobari, ab hac reprobatione appellare potest, & habet hæc appellatio non solum effectum deuolutiuum, sed suspensiuum iuxta naturam appellationis, quia nullibi contrarium cauetur, & docet Gonzalez *gloss. 9. annotat. contra nullitatem, num. 184. 185. & 209.* Garcia *dicto cap. 2. n. 244.*

8 Sed an in omnibus parochialibus interdicta sit appellatio à relatione examinatorum, dubitatione non caret. Quia concilium postquam de parochialibus omnibus fuerat locutum, etiam de illis, quæ sunt iuris patronatus laicorum subdit. Nec prædictorum examinatorum relationem vlla deuolutio, aut appellatio interposita impediat, aut suspendat, quominus executionem habeat. Ergo æquè in omnibus parochialibus est appellatio à relatione examinatorum interdicta. Nihilominus verius videtur limitandum esse ad parochiales, quæ per concursum prouidentur. Quia in his solum potest appellatio impedire, & suspendere prouisionem cum iniuria, & damno competitorum, ad quod vitandum interdicitur appellatio. Quare in beneficiis patronatus laici vbi vnus est præsentatus, hæc ratio non procedit. Vnde potest appellatio interponi à reprobatione examinatorum. Nam cum præsentato ius sit quæsitum ex præsentatione, non debebat illud irreparabiliter pendere ex probatione examinatorum, præcipuè cum nulli alteri ius sit quæsitum. Garc. *9. p. de benef. c. 2. n. 245.*

9 Verum etsi à relatione examinatorum in beneficiis parochialibus per concursum prouisus nulla detur appellatio etiam deuolutiua; at ab electione mala ordinarij dari optimè potest, constat ex suprad. const. 32. Pij V. *vers. vt autem.* Quare si te sentis grauatum, eo quod ab examinatoribus absolutè approbatus, alius minus idoneus fuerit electus, poteris ab hac electione appellare, & electum ad nouum examen prouocare coram iudice appellationis; quæ appellatio est electionis executionem non suspendat, deuoluit tamen causam ad superiorem. Notanter dixi, cū fueris ab examinatoribus absolutè approbatus. Nam si reprobatus fuisti, nullum in habes appellandi, cum reiiciens nullam iniuriam ordinarius intulit. Non enim poterat te eligere. Quod electio ex approbatis esse debet. Quod vero ab omnibus examinatoribus concorditer fueris approbatus, necessarium non est, sicut non est necessarium ad electionem, vt tradit Garcia *d. 9. p. de benefic. c. 2. n. 247. in fine.*

10 Facta appellatione & causa ad superiorem deuoluta, superior examinatores synodales designat, qui appellantem & electum de litteratura, vita, moribus, aliisque qualitatibus ad beneficium requisitis examinant, iudicantque an electus fuerit minus dignus, vel æquè dignus, vel magis dignus. Nam huiusmodi examinatores non tam constituuntur ad examinandum dignitatem prouisi, quam ad examinandum, an iustè prælatus fuerit appellanti; siquidem hac via, non alia constare potest de irrationabili ordinarij iudicio, illiusque mala electione. Quapropter ante examen non tenetur appellans ex actis primæ instantiæ docere de irrationabili ordinarj iudicio, sed hoc ex examine coram examinatoribus secundæ instantiæ faciendo constare debet, vt latius probat Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 4. num. 144.* Vt autem appellans vincat, debent examinatores ipsum magis idoneum iudicare, nam si æquè dignum iudicant electum, conuincitur non fuisse malam electionem, sed bonam; ac proinde appellans repellendus est. Sed iudicato electo minus idoneo, non obinde infertur electum à possessione esse excludendum: quia tam ab hoc iudicio examinatorum, quam à sententia iudicis appellationis in ipso fundata, qua appellantem mandat mitti in possessionem, datur appellatio deuolutiua, & suspensiua, vt latius probauimus *disput. præced. punct. de electione. §. 3.* Quapropter vt electus à possessione excludatur, & appellans obtineat, debet electus per tres sententias conformes, vel per vnam quæ transeat in rem iudicatam condemnari vt minus idoneus: illo autem sic condemnato conferendum est beneficium appellanti per iudicem appellationis, si collatio ad Episcopum, à quo appellatum fuit, spectabat: sin minus remittitur ad eum, ad quem collatio, prouisio, vel institutio spectat, vt in relata constitutione Pij V. habetur: Solum po-

retur esse dubium de Auditore Rotæ, quem Pontifex designaret iudicem in hac causa; an inquam iudicans appellanti beneficium deberi, possit ei simul beneficium conferre. iuxta *Clement. Auditor. 3. de rescriptis.* vbi Pontifex inquit. *Auditor in Romana curia deputatus à nobis de beneficio, quod pronunciauit alicui fore debitum de iure, poterit tibi absque commissione alia, vt euitetur circuitus prouidere.* Sed hoc intelligendum est de beneficio ad collationem ordinariorum pertinente, secus de reseruato, quia auditor loco ordinarij subrogatur, vt tradit Cæsar de Graffis *decis. 14. de prebendis. num. 9.* & cum ordinarius in beneficiis reseruatis solum habeat electionem, item dicendum est de auditore. Alias si auditor beneficia hæc reseruata posset conferre, officiales Cancellariæ in suis stipendiis damnum paterentur. Non igitur credendum est collationem horum beneficiorum illis committi; & ita tradit Gonzalez *glos. 31. à n. 51.* cuius verba refert, & approbat Garcia *9. p. de benefic. cap. 2. num. 253.*

Punctum. III.

De forma seruanda in prouisione canonicatuum magistralis, & doctoralis.

1 *Quid in Hispania ex priuilegio Pontificis statutum sit*
2 *Graduatus extra vniuersitates Regni Castellæ, & Legionis, esto in his incorporetur, habilis non est ad obtinendas has prebendas.*
3 *Si gradum accipias post finitum terminū edicti, non fis habilis ad oppositionem.*
4 *Nulla est electio si electores iuramentum omittant de eligendo digniorem.*
5 *Vota secreto præstanda sunt in hac electione.*
6 *Si tuum votum manifestas, plures censent totam electionem esse irritam. Alij contra affirmant.*
7 *Quid sentiendum.*
8 *Quid si alteri vices tuas ad eligendum commitas? Sub distinctione respondetur.*
9 *Non perdis secretum, esto diceres pro quo suffragaturus es, vel reprobas schedulas postea ostendas.*
10 *An data æqualitate votorum sit standum ad sortes deueniendum?*
11 *Verius est prius examinandas esse oppositorum qualitates, & illis paribus repertis ad sortes deueniendum.*
12 *Penes ordinarium tantum est iudicare, an ad sortes deueniendum sit, an ad examen qualitatum;*
13 *Canonicus qui non fuit examini præsens suffragari potest, spectatis bullis Sixti IV. & Leonis X. tametsi alij contrarium sentiant.*
14 *Possitne electio à minore parte facta aliquando subsistere? præmittitur pro decisione distinctio.*
15 *Si maior pars scienter eligit indignum, minoris partis electio subsistit, secus si ignoranter processit.*
16 *Ex eo quod maior pars formam in electione præscriptam non seruarit, electio minoris non subsistit.*
17 *Nequaquam absque examine hæ prebendæ conferri possunt quantumuis idoneo.*
18 *Apponitur quædam limitatio.*
19 *Intra semestre facienda est hæc electio.*
20 *Si ad Metropolitanum ob negligentiam suffraganei deuoluatur electio, verius est non esse supradictam formam in prouisione seruandam necessario.*
21 *Si tempore semestris aliqui examinati sunt, & idonei reperti, ex illis Archiepiscopus, cui est facta deuolutio, debet electionem facere.*
22 *Qualiter hi canonici prebendis priuentur, si absque licentia sui capituli ab Ecclesia absint.*

1 COnstat ex bulla Sixti IV. & motu proprio Leonis X. in qualibet Ecclesia cathedrali regnorum Legionis, & Castellæ, Granatæ, & Nauatræ designatas esse duas præbendas, aliam magistralem pro exercitio concionandi, aliam doctoralem pro iuribus Ecclesiæ defendendis, vt quomodolibet vacantes prouideantur ab Episcopo, & capitulo in personis graduatis gradu doctoris, vel magistri, siue licenciati in vniuersitatibus regnorum Legionis, & Castellæ, graduatis, inquam, iuxta statuta illarum vniuersitatum præuio rigoroso examine. Itemq; collegialibus Hispanis collegii Sancti Clementis Bononiensis promotis, siue graduatis, iuxta eiusdem collegii ritus, mores, & statuta. Ad hanc ergo electionem Episcopus pro vno tantum voto cum capitulo concurrit, omnesque ante electionem tenentur se iuramento adstringere de eligendo magis idoneo habito respectu ad vtilitatem Ecclesiæ, & mores eligendæ personæ, votaque secreto præstare debent de necessitate, & qui pro maiori parte fuerit electus prebendam obtineat, & si nullus haberet maiorem partem votorum, duo habentes plura vota ad secundum scrutinium admitti debent, & si vnus habuerit plura vota, & alii habuerint paria, de illis paribus fit secundum scrutinium, quis illorum concurrit cum primo, & si vltimi duo habuerint paritatem etiam sorte diritimatur, & sors loco electionis, & prouisionis habeatur: sic Sixtus Quartus & Leo Decimus. Hæc gratia in pluribus Ecclesiis extensa est ad aliam prebendam doctoralem pro sacra Scriptura docenda. Insuperque fauore, & priuilegio Sanctissimi Vrbani Octaui, ad canonicatum pœnitentiariæ hæc gratia extensa fuit, sed sub onere nouam prouisionem obtinendi à Pontifice, quod tamen onus supradictis prebendis Sixtus Quartus imposuerat, sed non seruatur. Item licet Sixtus Quartus & Leo Decimus, solum de prebendis, & canonicatibus Ecclesiæ cathedralis locuti fuerint; ar consuetudine introductus est fauor, & gratia pro pluribus Ecclesiis collegiatis, in quibus video prebendam magistralem, & doctoralem hac forma oppositionis, & electionis prouideri. Quo autem iure fiat non constat. Videntur à Pontifice tacitè concessa, siquidem non contradicat, cum facilè possit. Gonzalez *glos. 9. § 2. à num. 80.* Garcia *5. part. debenefic cap. 4. n. 197* Verum etsi clarissimè Sixtus Quartus & Leo Decimus, formam prouisionis harum prebendarum tradiderint; aliqui tamen variis difficultatibus eam obscurare nixi sunt, quas placet in medium adducere, vt illis dissolutis clarius doctrina splendeat.

2 Primo dubitatur; an legitimus oppositor sis, & habilis ad has prebendas, si graduatus præuio rigoroso examine in vniuersitatibus Galliæ, Borgiæ, Aragoniæ incorporeris, & admitaris in aliqua vniuersitate Regni Castellæ, & Legionis; Videris habilis esse, quia graduatis alibi, & incorporatis in vniuersitatibus Castellæ conceduntur priuilegia, & facultates omnes, quæ graduatis in eisdem vniuersitatibus Castellæ competunt, vt constat ex statutis vniuersitatum priuilegia habentium ad incorporandum in se alibi graduatos: dicunt enim, vt incorporati eisdem priuilegiis, & facultatibus fruantur, ac si præuio rigoroso examine ibi essent graduati.

Cæterum verius est, nequaquam hanc incorporationem sufficere. Nam Sixtus Quartus & Leo Decimus postulant gradum in vniuersitatibus Castellæ, & Legionis præuio rigoroso examine. Ergo gradus incorporationis cum detur absque examine, insufficiens erit. Deinde graduatus per incorporationem, est graduatus per priuilegium: sed bulla Sixti, & motus Leonis Decimi veros graduatos expostulant. Ergo graduati per incorporationem non sunt sufficientes; quia vbi vera qualitas requiritur pro forma, non sufficit si per æquipollens impleatur, ex *leg. forma, Cod. de his qui veniam ætatis impetrauerunt*; ibi, *illam tantummodo ætatem intellectam videri volumus, qua & virgines quinque annorū circulis compleatur, non qua imperiali beneficio suppletur. leg. si forte, ff. de catrensi peculio.* ibi, *veritatem enim spectamus, non quod quis finxit, & de iure canonico est textus in cap. cui de non sacerdotali. 27 de prabendis. in 6.* ibi: *Non enim huiusmodi mandata, quorum finem diligenter seruari oportet debent ad alios casus, quam expressos extendi.* Neque obstat incorporatis concedere vniuersitatem omnia priuilegia, quæ vere, & rigorosè graduatis concedit, vt inde inferatur hoc iure vti posse, quia vniuersitas solum illis concedit priuilegia ipsius vniuersitatis, non quæ aliunde proueniunt. Alias si legatum relinqueretur graduatis dum taxat præuio rigoroso examine, possent incorporati illo frui contra expressam testatoris volumatem quod non est dicendum.

3 Secundo dubitatur: si durante termino edicti, & oppositionis non habeas gradum legitimum, & illum postea accipias, seu ante prouisionem habilis sis, vt tibi possit præbenda conferri? Videbitur alicui te habilem esse? quia etiam post terminum edicti admitti potes ad oppositionem. Quia in ecclesiæ vtilitatem cedit plures habere oppositores. Cæterum omnino tenendum est, te inhabilem esse, quia ex oppositione ius est oppositoribus quæsitum, vt ex ipsis habilibus tantum eligatur vnus, sed tempore oppositionis tu inhabilis es. Ergo nullum ius habes, vt eligaris. Ergo habilitas succedens non potest te habilem reddere, & habilibus personis præiudicare; & ita tenet Gutierr. *cons. 1. n. 11. & seqq. & cons. 44. n. 9.* Perez de Lara *lib. 1. cap. 10. n. 68. & lib. 2. cap. 9. n. 51.* Flamin. París. *de resignat. lib. 9. 1. n. 14.* Zeuallos *com. contra com. 9. 693. n. 16. & 9. 666. n. 6.* & alii.

4 Tertio dubitatur, an valeat electio non præstito iuramento de eligendo magis idoneo? Ratio difficultatis esse poterat, quia hæc qualitas videtur extrinseca, & accidentalis, sicut iuramentum tabellionis, & iudicis fideliter sua officia exercendi, quæ si omittantur, non vitiatur actus. Sed omnino dicendum est nullam esse prouisionem omisso iuramento; quia Sixtus IV. & Leo decimus addunt decretum irritans quamlibet prouisionem factam non seruata forma ibi præscripta; sed ibi præscribitur iuramentum electoribus, vt ad electionem procedere possint. Ergo illo omisso nulla erit prouisio. Eodem enim modo ex parte electorum expostulatur iuramentum sicut ex parte eligendorum expostulatur gradus: & ita, vt indubitatum, supponit Garcia *5. p. de benefic. cap. 4. à num. 270.* ita vt, consuetudo in contrarium prævalere nullatenus possit ob decretum irritans, quod non credo ob ea quæ diximus, *tract. de leg. disp. de consuetud.* Addit que Garcia, & bene hoc iuramentum tactis Euangeliis præstari debere, esto ne-

cessitatem

cessarium non sit, vt per propriam personam fiat; cum fieri possit per procuratorem ad id speciale mandatum habentem; cum enim alteri vices tuas dare possis, vt suffragium nomine tuo ferat, & iuramentum, quod suffragio est accessorium, potes illi committere.

5 Quarto dubitatur, qua ratione secreto vota præstanda sint? Dicendum est, ita secreto præstanda esse, vt nemini nota sint. Prætendit enim Pontifex lites, rixas, & inquietudines, quæ sæpè oriuntur ex manifestatione votorum, omnino vitare. Hinc sic te non posse alicui maximè ex eligentibus indicare, pro quo suffragium fers. Quia aliquo modo illum pertrahis ad tuam voluntatem, & occasiones æmulationis, & odij; si fortè socius, cui suffragium ostendum est, in alterius electionem est inclinatus.

6 Sed an ob hanc ostensionem annulletur electio; Affirmat Garcia 5. p. *de benefic. cap. 4. n.* 193. quia est contra formam, & adducit sacræ congregationis declarationem. Limitat tamen *n.* 194. vt non procedat casu quo in fraudem faceret ad annullandam electionem aliàs validam sine eius voto, ob rationem legis, ne dolus, & fraus alicui patrocinentur, néve ex sua iniquitate commodum reportet.

Sed Nauarr. *conf. 4. de elect. in* 1. *edit.* & Manuel Rodriguez *tom. 2. q. 18. regul. quæst.* 51. *art.* 9. absolutè negant. Primo, quia culpa vnius non debet toti capitulo illam ignoranti nocere, neque actui legitimè facto *cap. fin. cum annotatis ibi de procuratorib.* Secundo, quia alioquin sequeretur in potestate cuiusuis particularis esse capituli electionem cassam reddere, si illud eidem conueniret: posset namque socio suffragium suum clam manifestare, & electione facta dicere se non fuisse clam suffragatum. Tertio, quia cessare potest omnis fraus, & dolus, vt in casu relato à Nauarro contigit. Scriba enim, qui erat in illo consilio vnius ex eligentibus, & suffragium suum socio ostendit, id fecit, non vt sociam petraheret ad suffragandum pro quo ipse suffragabatur, sed vt constaret non sibi, sed alteri præbere suffragium. Quarto, quia mens Sixti IV. & Leonis X. præcipientium suffragia secretè fieri in his electionibus, est eadem, ac mens Concilij *sess.* 25. *c.* 6. de electione regularium, nempe ne capitula permittant fieri electionem publicè ob fraudes, & discordias, quæ ibi adesse possunt: quod non videtur sequi ex secreta vitus manifestatione.

7 Ego vero dicendum existimo suffragium tuum sic manifestatum esse nullum, vtpote contra formam expressam Bullæ Sixti, & motus Leonis X. Neque præbendam electo adiudicari, si vnico tantum voto reliquos excedit; quia non excedit in voto, quod verè votum sit. Verum si tuo voto seclusо electus maiorem partem habet, firma est eius electio; quia tua culpa suffragiis aliorum præiudicare non debet, cum aliorum suffragia præscriptam formam obseruauerint: & tradit Nauarrus *dicto cap. in fine.*

8 Hinc fit eodem modo esse nullum tuum suffragium, & electionem, si alteri vices tuas ad suffragandum committas ex conditione; vt suffragium pro determinata persona ferat; quia tam tuum suffragium est alteri manifestum. Garcia 5. *p. de benefic. cap. 4. num.* 198. Quod si solum voluntatem tuam, pro quo suffragium ferres, manifestares, dicens, ego illi suffragaret, si præsens essem, &c. non credo suffragium esse nullum, neque procuratorem peccare, esto pro alio à te indicato suffragium ferat; quia sic voluntatem tuam indicans, nullam obligationem procuratori imponis, vt suffragium pro indicato ferat, sed illum liberum relinquis. Alias si procurator sub peccato mortali, vt sentit Garcia *n.* 20. obligatus esset suffragium ferre pro indicato, suffragium datum non est censendum secretum, sed manifestum, cum iam tibi manifestum sit pro quo procurator suffragium est latutus, non enim præsumere potes, quod obligationem tibi impositam violabit.

9 Secundo dico, si antequam suffragium feras, alicui dixeres pro quo suffragaturus es, esto male facias, præbens inde occasionem discordiarum, & finem præcepti peruertens, non tamen annullas suffragium, postea secreto datum. Quia constitutio Sixti, & Leonis X. solum statuit, vt suffragium sit secretum, quod fieri optimè potest, tametsi antea dixeris pro quo suffragaturus esses; quia non inde constat te verè suffragati pro quo dixisti. Garcia 5. *p. de benefic. cap. 4. numer.* 196. Quod extendendum existimo ad casum; quo reptobas schedulas tecum deferres, vt inde ostenderes pro quo suffragium nulisti. Non enim hæc iniqua, & præiudicialis ostensio impedit votum secreto datum fuisse, ac proinde validè. Garcia *numer.* 197.

10 Quinto dubitatur, quando locum habeant sortes in hac electione, an inquam cum oppositores paria vota habent, an postquam qualitates illorum examinatæ sunt, & pares esse iudicantur? Garcia *dicta* 5. *part. de benefic. cap. 4. num.* 208. affirmat ad sortes deueniendum esse, eo ipso quo oppositores paria vota habuerint. Mouetur: quia esto Sixtus IV. in sua bulla nobiles ignobilibus, & qui sunt de gremio Ecclesiæ aliis exteris statuerit præferendos. At Leo X. expresè ad sortes tradit esse deueniendum, nulla de inuestigatione qualitatum mentione facta. Inquit enim Leo. *Si nullus haberet maiorem partem votorum; duo habentes plura vota ad secundum scrutinium admitti debent: & si vnus habuerit plura vota, & alij habuerint paria, de illis paribus fiat secundum scrutinium quis illorum concurrit cum primo, & istorum electus à maiore parte admittatur cum primo ad tertium scrutinium, & si iterum fuerint pares sorte dirimatur quis concurrit cum primo. Etsi vltimi duo habuerint paritatem, etiam sorte dirimatur, & sors loco electionis, & prouisionis habeatur.* Ecce qualiter Leo decimus decernit parium in votis sorte paritatem esse dirimendam. Neque obstat quod Sixtus IV. statuerit qualitates oppositorum esse examinandas, & Leo decimus confirmauerit, quæ Sixtus statuit; quia solum confirmauit, quæ suæ dispositioni contraria non erant. Alias neque collegialibus Hispanis D. Clementis Bononiensis hæ præbendæ conferri possent, neque necessarius esset concursus formalis ad illarum prouisionem; si quidem in bulla Sixti nulla de his collegialibus, neque de hoc concursu mentio facta est. Cæterum verius existimo, si factis omnibus scrutiniis duo solum oppositores remanent in votis pares, non esse statim sorte controuersiam dirimendam, nisi casu quo æquales, & pares sint in qualitatibus. Moueor; quia electio per sortes in officiis, & beneficiis Ecclesiasticis prohibita est, ex *c. fi. de sortil.* & ibi *omnes.* Non ergo credendum est velle Leonem decimum illam admittere, si alia via clariori, & æquiori definiri controuersia potest, præcipuè cum derogatione constitutionis Sixti, ad cuius confirmationem ipse motum propterea expediebat. Cum ergo iuxta constitutionem Sixti facta æqualitate votorum adiudicari præbenda debeat ei, qui qualitates potiores habet, & hoc æquitas, & iustitia postulet; efficitur sanè noluisse Pontificem hanc qualitatem examinationem tollere; sed illa supposita, & paritate in illis inter oppositores inuenta ad sortes esse deueniendum, & non antea: si enim cum nullus oppositorum maiorem partem votorum habet, & duo in votis pares sunt, fit secundum scrutinium antequam ad sortes deueniatur, quid mirum, si cum duo tantum concurrunt, & paritatem in votis habent, priusquam ad sortes deueniatur, eorum qualitates examinentur, & paritate inuenta quasi pro victimo remedio sortes mittantur? Confirmat hanc interpretationem vsus, & consuetudo plurium Ecclesiarum, in quibus hic casus contigit. Nunquam enim ad sortes, sed ad qualitatum examinationem est factus recursus data paritate votorum, vt constat ex casibus relatis per Nicol. Garciam *dict. 5. p. de benef. c. 4. n.* 207.

11 Sed inquires, penes quem sit potestas iudicandi, an deueniendum sit ad qualitates, an ad sortes?

Placet mihi resolutio Garciæ 5. *p. de benefic. cap. 4. num.* 216. penes ordinarium tantum esse; quia ille est actus iurisdictionis, & iudicij. Adde illam sententiam esse tacitam bullarum interpretationem, quæ solum ordinariis iurisdictionem habentibus conceditur, vt constat ex his quæ de interpretatione legis diximus. Et idem est dicendum, si controuersia sit super nullitate electionis ob omissum iuramentum, vel electi inhabilitatem; solum enim ordinarius iudex est in illa causa, & ita sæpe practicari vidi. At decisione facta, ad qualitatum examinationem prius esse deueniendum, quam ad sortes. Capitulum, & Episcopus vnicum votum habens extraiudicialiter cognoscunt, & causam suffragiis decidunt, quia illa decisio est virtualis ad præbendam electio.

12 Sexto dubitatur, an canonicus, qui examini eligendorum non fuit præsens, possit suffragari in hac electione? Negat Rota apud Farinac. *in decis. nouissim. dec. if.* 551. ea ratione; quia examen iudicium, vt de aptitudine examinati constet electoribus. Ergo electori, qui huic examini non assistit, non potest de aptitudine examinati constare. Ergo neque illum eligere. Examen enim est quidam quasi processus, & veritatis informatio, vt secuti electores sententiam ferant. Sicut ergo iudex non viso processu, non potest iudicare, neque etiam electores non viso examine eligendorum eligere poterunt. Adde quando collatio præbendæ lectoralis ad Episcopum pertinet, non potest Episcopus illam conferre, quin prius prouisum examinet, & examinatum approbet, vt tradit Concilium Trident. *sess.* 5. *c.* 1. *in fine.* Ergo neque capitulum, & Episcopus conferre has præbendas poterunt, nisi à se examinatis, & approbatis. Ergo debent examini interesse.

13 Nihilominus probabilius est, spectatis bullis Sixti IV. & Leonis X. posse canonicum absentem suffragari in harum præbendarum prouisione: sic docet Garc. 5. *p. de benefic. cap. 4. numer.* 213. Et ratio esse potest; quia in bulla Sixti IV. & motu Leonis X. non cauetur electores examini eligendorum debere esse personaliter præsentes, & ex alia parte potest elector ex relatione aliorum dignitatem oppositorum cognoscere, vt benè probat Gonzalez *glos. 4. num.* 106. Mascard. *de probat. concl.* 877. *numer.* 1. *& sequentib.* Ergo eius præsentia non requiritur. Et confirmo. Contingit sæpè plures electores examini eligendorum assistere, cum tamen ex tali assistentia nullo modo dignitatem eligendorum cognoscant; eo quod ipsi ex diuersa professione sint, ac est eligendus, vt si ipsi sint theologi, & eligendus est iurista, vel econtra. Sed non est credendum legem exposulare inutilem præsentiam; vtilis autem expostulari non

potest; quia moraliter est impossibilis in omnibus electoribus. Ergo dicendum est non esse præsentiam necessario expostulatam.

Neque obstat ratio contraria. Concedo electorem non assistentem examini non posse per examen immediatè de aptitudine electi iudicare. At si ab interessentibus peritis informetur, sufficienter iudicare potest de illius aptitudine, media inquam informatione, quod sufficit, vt securè possit in electione procedere, sicut potest iudex examinationem testium, & veritatis inuestigationem aliis committere, ex cuius informatione ipse informatus ad iudicandum procedit: & sicut potest Episcopus examen illius, qui sacram Scripturam docere intendit alteri committere, & ex huius relatione examinatum approbare; ita capitularis absens facere potest. Ad decisionem Rotæ respondet Gonzal. & ex illo Garc. *supra*; esse decisionem non carentem difficultate. & expeditam vna tantum parte informante; ac proinde non debet subsistere.

Dixi spectatis bullis Sixti IV. & Leonis X. non esse necessarium capitulari, vt suffragium ferat, examini oppositorum assistere, vt inde colligeres aliud esse dicendum ex statutis aliquarum Ecclesiarum, in quibus cauetur capitularem absentem ab examine, nequaquam posse suffragium ferre; quod obseruandum est.

Septimo dubitatur; an electio facta à minore parte capituli subsistat contra electionem factam à maiore? Videtur numquam subsistere posse; quia expresè dicitur in his bullis illam tantum electionem subsistere, quæ à maiore parte fuerit celebrata. Verum vt dubitationi faciamus satis, distinguo duplicem casum, in quo dubitari potest minoris partis electionem contra electionem maioris partis præualere. Primo, si maior pars capituli eligit indignum. Secundo, si eligit contra formam sibi in electione præscriptam: cum enim quilibet ex his defectus reddat electionem maioris partis nullam, electio minoris, quæ nullum defectum habet, præualere aduersus illam videtur.

15 Dicendum ergo est, si maior pars scienter processit eligens indignum, electio minoris partis subsistit: est expressa decisio textus in *in c. cum in cunctis. §. fin. c. dudum c. bone. c. cum Virtonien. cap. scriptum. c. congregato. de electione, cap. gratum. de postulat. pralat. & cap. quamquam. de elect. in 6.* & tradunt ferè omnes, vt videre est in curia Pisana *lib. 2. cap. 4. num. 16.* Garcia *de benefic. 5. part. cap. 4. 212. fine.* Ratio colligitur ex supradict. textu, quia culpa eligentium scienter indignum, illos inhabiles reddit ad electionem, & totam potestatem transtulit in eos qui dignum elegerunt. Ergo solus ille numerus eligentium dignum, vtpote in quo residet potestas eligendi, considerandus est; reliqui vero, etsi plures sint, reputandi sunt ac si non essent. Neque obstat supradictos textus loqui de electione diuersa ab ea, de qua in præsenti tractamus; loquuntur enim de electione prælati sub diuersa forma facienda ab ea qua cauetur fieri electio harum præbendarum. Non inquam, obstat quominus decisiones supradictorum textuum in præsenti locum habeant. Tum quia est eadem, & efficacior ratio, nempe culpa commissa in electione indigni. Tum quia decisiones sunt pro qualibet electione à pluribus facta; eáque de causa Compostellæ, anno 1613. Doctor Celdas collega ex insigni collegio Salmanticensi Archiepiscopi Fonsecæ, simúlque fuit electus D. Iulianus de Cangas Arrayo à minori parte. Nam Doctor Celdas habuit 18. vota, Doctor Iulianus 14. Sed quia Doctori Celdæ oppositum fuit non esse oppositorem legitimum, eo quod non fuerit graduatus in vniuersitatibus regni Valentiæ; & Legionis, sed in vniuersitate quadam regni Valentiæ; ea de causa Doctori Iuliano de Cangas adiudicata est præbenda, & per tres sententias obtinuit sibi deberi, & absque noua electione missus est in possessionem. Nam licet fuerit electus à minori parte; quia tamen illa minor pars solum fuit sana, & legitima, reputandus est electus non à minori, sed à maiori, imo à toto capitulo, eligentes enim indignum non reputantur de capitulo, comparatione illius electionis.

Dixi si scienter illa maior pars elegerit indignum: nam si ignoranter processit, esto illius electio non teneat, non tamen electio minoris partis subsistit, sed noua electio facienda est. Quia cùm illa maior pars culpam (vt suppono) in electione indigni non commiserit, æquum non erat priuari potestate eligendi, & in minorem partem omnino transferri. Garc. *dicta 5 p. de benefic. c. 4. n. 212.* & Glossa *in c. scriptum in fine. de elect. c. Cumana, c. cum in cunctis, eodem tit.*

16 Verum si maior pars formam sibi præscriptam in electione non seruauit, aliqui censent eodem modo potestate eligendi priuari, & in saniorem partem licet minorem deuolui, at quando eligit indignum; quia eligens contra formam indignè eligit, & eligens indignum contra formam eligit.

Cæterum si maior pars eligit aliàs dignum, omittens formam præscriptam, & minor pars illam seruauit, quod contingere potest casu quo maior pars palam, vel non facto iuramento suffragata est, vel non examinatum publico examine prouidit; esto electio maioris partis non subsistat, non inde fit electionem minoris validam esse. Quia eligentes alias dignum omittendo formam in electione, non sunt ipso iure priuati potestate eligendi, vt optimè expendit Glossa *in cap. Cumana. de elect. per textum*, ibi *verbo priuantes.* & tradit Bonifacius Octauus *in cap. quamquam. de electione. in 6.* ibi, *si electores in huiusmodi Ecclesia, vel ipso iure eum eligunt scienter indignum, vel per sententiam, cum formam traditam in generali concilio non obseruant, eligendi potestate priuentur.* Ergo ante sententiam non est translata potestas maioris partis in minorem. Ergo minoris partis electio non tenet, vtpote non facta à maiore parte illorum, qui actu habent potestatem eligendi: sic aliis relatis Garcia *5. part. de benef. c. 4. n. 235. in fine.*

Sed quia ad hanc sententiam ferendam, & inhabilitandos illos qui formam præscriptam electionis non seruarunt, necessarium est cognoscere qui fuerint: & hoc est impossibile, nisi defectus fuerit in omissione iuramenti, vel in publicitate voti. Ideo hi peccantes inhabilitari non possunt, nisi totum capitulum inhabilitetur, & consequenter innocentes inhabilitentur, quod fieri iustè potest; eo quod à maiore parte capituli culpa commissa sit. At dum hæc condemnatio non succedit, potest capitulum, si transactum non sit semestre, ad nouam prouisionem procedere de oppositoribus habilibus. Quod si vnus tantum fuit oppositor habilis, ille solus sine noui concursus admissione est eligendus, quia ex oppositione ius considerabile obtinuit, nemini alteri competens. Garc. *supra.*

17 Octauo dubitatur; an conferri possint hæ præbendæ absque publico examine ei qui notoriè est benemeritus, præcipuè cum alij oppositores non sunt? Cui dubitationi respondet Garc. & bene *d. 5. p. de benefic. c. 4. n. 234.* ne quaquam fieri posse; quia in supradicta bulla Leonis Decimi expresse cauetur cum clausula irritante edictum esse apponendum, & lapso tempore edicti infra triduum proximè sequens ad prouisionem, seu electionem huiusmodi de persona idonea publico examine præuio deueniendum esse. Ergo si edictum non apponatur, vel examen publicum non fiat, nulla erit prouisio. Neque ab hoc examine vllus excusatur ob impedimentum infirmitatis. Quia pertinet ad formam, si tamen breui speratur salutem recuperaturus, & ipse petat, expectandus est, & interim prouisio suspendenda, alioquin omnia reuocabuntur, vt attentata.

18 Aduerto tamen, si transacto tempore edicti, & interim de bono prorogato, non appareat vllus, qui velit examen publicum subire, poterit capitulum has præbendas absque prædicto examine prouidere; quia est casus necessitatis, ac proinde à lege exceptus sicuti diximus in parochialibus, pro quarum collatione examen à synodalibus expostulatur.

19 Nono dubitatur, intra quod tempus electio harum præbendarum facienda est à capitulo, & Episcopo? Certum est intra semestre fieri debere. Quia ordinariis collatoribus semestre tantum concessum est. *cap. cum sit. de elect. in 6. cap. nulla. de concess. præbenda clem. 1. de supplend. neglig. pralat.* At capitula Ecclesiarum Cathedralium iure ordinario prouident has præbendas. Ergo intra semestre prouidere debent. Quod si negligentes fuerint, deuoluitur ad superiorem electio; ad superiorem inquam, capituli, & Episcopi; si quidem æquè capitulum, ac Episcopus negligentes fuerunt. Aduerto tamen prælatos Hispaniæ, & regium concilium hanc deuolutionem non permittere sub prætextu, ne dictum priuilegium aliqua ex parte minuatur.

20 Dubium tamen est, an facta deuolutione teneatur superior, v. g. Archiepiscopus ad quem fit deuolutio, prouidere dictis præbendas cum appositione edicti, & publico examine, & iuramento præstito, & voto secreto; sicuti obligatus erat Episcopus, & capitulum, quibus earum prouisio competebat? Videbatur sic faciendam esse prouisionem, quia quando beneficium ab inferiori ad superiorem deuoluitur, deuolutio fit cum eisdem qualitatibus & oneribus, cum quibus inferior prouidere tenebatur, vt multis relatis docet Gonzalez *gloss. 46. n. 33.*

At dicendum est obligatum non esse; quia illæ conditiones edicti; examinis publici, iuramenti, voti secreti, non sunt conditiones ipsis præbendis annexæ, sed annexæ prouisioni factæ à capitulo, & Episcopo: cum ergo per deuolutionem ille prouisionis modus cesset, cessare debent & conditiones eidem annexæ. Quando ergo dicitur beneficium deuolui ab inferiori ad superiorem cum eisdem qualitatibus, cum quibus inferior prouidere tenebatur; de qualitatibus, beneficio annexis intelligendum est, non de qualitatibus annexis prouisioni. Quod euidenter constat in qualitate secreto votandi, quæ solum obseruari potest, cum sunt plura suffragia, non autem cum vnicum est. Cum ergo facta deuolutione beneficium prouidendum sit à solo Archiepiscopo; quia ad solum illum fit deuolutio, nullum secretum in suo voto præstando seruari potest. Confirmoque ex doctrina Gonzalez *gloss. 46. num. 34.* dicentis: etsi regulariter prælatus teneatur requirere concilium capituli, *cap. nouit. cap. quanto. de his quæ fiunt à prælato*, tamen in his quæ spectant ad prælatum iure deuoluto, non esse obligatum capituli sui consilium requirere. Abbas *cap. ne pro defectu. n. 6. de electione. per textum, & gloss. ibi*, & Imol. *num. 2.* Ergo similiter licet Episcopus non possit iure ordinario has præbendas prouidere, nisi simul cum capitulo concurrat, & seruatis conditionibus in constitutione Sixti, & Leonis præscriptis. At cum iure deuoluto

deuoluto illas prouideat, neque sui capituli consensum, neque alias conditiones seruare tenetur.

21 Maior dubitatio est, an prælatus, cui est facta deuolutio, teneatur ex oppositotibus examinatis in tempore semestris ab ordinario, electionem facere. Garcia 5. *part. de benef. c.4. n.224.* negat; quia examen publicum solum pro electione ordinaria constitutum est, non pro electione facienda iure deuoluto. Affirmat tamen, si solum esset vnus oppositor repertus habilis in tempore, obligationem esse illum eligendi. Quia ratione oppositionis ius considerabile habet, iuxta decisionem Putei 253. *lib* 3. & consil. Mandosij 51.

Sed probabilius credo obligationem esse eligendi ex examinatis in tempore ob eandem rationem, ac est obligatus eligere oppositorem repertum idoneum in tempore, quando solus est. Nam qua ratione ipse oppositor ex oppositione ius habet, vt sibi beneficium concedatur, eadem ratione omnes ius considerabile acquirunt, vt digniori ex illis, & non alteri beneficium detur. Ergo illud ius amittere non debent ob negligentiam capituli, & Episcopi, qui electionem facere debebant. Ergo prælatus, ad quem fit deuolutio, non potest alium ab ipsis eligere: non quia publicum examen sit pro eius electione constitutum, sed quia ex illo pro electione ordinaria facto ius considerabile acquisierunt, ne alteri ab ipsis fieret prouisio: & fauet Azor. 2. *part. lib.6. c.17. q.8.*

22 Decimo dubitatur, qualiter hi canonici præbendis priuentur, si ab que licentia sui capituli ab Ecclesia absint? Respondeo in bulla Leonis decimi paulo post principium, statui, debere huiusmodi canonicos in suis Ecclesiis personaliter residere, & si absque ordinarij, vel capituli sui licentia vltra mensem se absentarent eo ipso collatis canonicatu, & præbenda huiusmodi priuari, & perpetuo ad illos inhabiles existerent, possetque & deberet de illis sic vacantibus aliis graduatis qui vellent, & valerent in ipsis Ecclesiis residere, alias iuxta prædictarum priorum litterarum tenorem prouideri. Neque obinde alij canonici eos canonicatibus priuant, nec se sentiunt ad hanc priuationem faciendam obligati. Sed admisso constitutionem hac parte seruandam esse, aduerto; qui ex causa à iure concessa se absentat, iam ex licentia ordinarij, scilicet Pontificis, se absentat. Ergo non violat hanc constitutionem. Cum ergo in omnibus Ecclesiis Hispaniæ tres menses recreationis, & quietis sint præbendatis concessi, qui se ob hanc causam absentaret, ex licentia ordinarij absens esset. Deinde aduerto absentiam vltra mensem debere esse à ciuitate. Nam dum quis in ciuitate residet, etiam si diuinis non assistat, non dicitur absens iuxta Gloss. *in cap. 1. vico. de clericis non residentib. in 6. verbo adfuerint.* Anchartan. Dominic. Franc. & alios. Cassador. *decis. vnic. eodem tit.* Cæsar. de Grassis *decis.* 116. Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 3. Monetam *de distribut. 1.p.q.4.n.18. & 2.p.q.5. à n.17. & q.* 14. *n.* 21. *&* 3. *p.q.* 8. *n.* 5. quos refert, & sequitur Garc. 5. *p. de benefic. cap.* 4. *n.* 229. Præterea nota licentiam dandam esse à capitulo qui hos canonicos eligit, vel ab ordinario, scilicet Episcopo, vel eius vicario generali; à quocunque enim detur, sufficit ad vitandam hanc priuationem. Sed an sufficiat ad hunc effectum licentia data absque legitima causa? Affirmat Garcia *supra*, quia non verificatur te abesse absque licentia. At mihi probabilius est non sufficere; quia data licentia absque causa legitima nulla est, cum neque ordinarius, neque capitulum potestatem habeant concedendi præbendatis facultatem se absentandi absque legitima causa. Sed qui nullam, & inualidam habet licentiam reputatur, ac si licentiam non haberet; quia idem est non habere licentiam, ac illam habere inualidam, vt pluribus comprobat Gonzalez *gloss.* 57. *à n.* 12. & consentit Garc. *dicta* 5. *part. de ben fic. cap.* 4. *num.* 228. Ergo licentia absque legitima causa data, priuationem non vitat. Et confirmatur ex doctrina ipsius Garciæ *n.* 227. ipse enim asserit licentiam nullam, vtpote non seruata forma statutorum, vel non seruato modo votandi, aut vocandi ad capitulum, non prodesse præbendato se absentanti ad vitandam canonicatus priuationem; quia inualida, & nulla licentia reputatur, ac si non esset. Sed data sine causa legitima etiam est nulla. Quia inferiori non est datum dispensare in lege superioris absque causa legitima. Ergo etiam reputari debet, ac si non esset.

PVNCTVM IV.

De forma, & conditionibus seruandis in prouisione beneficiorum simplicium.

1 *Requiritur, quod prouidens cognoscat prouidendum idoneum esse.*
2 *In aliquibus beneficiis concursus requiritur.*
3 *An examen pro beneficiis simplicibus sit necessarium? Proponitur dubitandi ratio.*
4 *Resolutur non esse necessarium in beneficiis quæ sunt de libera Episcopi collatione, si prouidendus notus sit.*
5 *Idem est dicendum in beneficiis simplicibus de iure patronatus.*
6 *In beneficiis, quorum institutio ad inferiores Episcopo pertinet, examen pro forma præmittendum est.*
7 *Vocandi sunt omnes patroni in beneficiis iuris patronatus.*
8 *Non est opus eos nominatim vocare, tametsi alij oppositum sentiant.*
9 *Non est in potestate instituentis peremptorium terminum apponere patronis ad præsentandum.*
10 *Institutio facienda non est durante termino concesso patronis ad præsentandum.*
11 *Collatione beneficij simplicis facta in contradictorio iudicio, non est tradenda possessio appellatione pendente, neque durante termino ad appellandum.*
12 *Limitatur, nisi consuetudo sit in contrarium.*
13 *Item nisi sit statutum aut constitutio synodalis.*
14 *Debet tamen esse à sede Apostolica confirmatum, alias executionem non suspendit, tametsi alij contrarium sentiant.*

1 HÆc beneficia dupliciter prouideri possunt; vel collatione, vel institutione, seu electionis confirmatione. Si per collationem prouidentur siue ab Episcopo, siue à prælatis inferioribus nulla alia conditio requisita est, nisi quod conferens cognoscat prouidendum habilem, & idoneum esse, iuxta Gloss. *in cap. monasterium 16. q. vlt. & cap. quoniam. de iure patronatus. verbo qui maioribus.* Cum ergo hæc habilitas cognosci possit absque examine per concursum, vel per examinatores synodales factum, ideo in prouisione horum beneficiorum neque concursus neque examen synodalium requiritur, non solum spectato iure communi antiquo, sed etiam nouo Tridentini, vt post alios relatos tradit Gonzalez *gloss. 6. à numero* 242. Garcia 9. *part. de benefic. cap.* 3. *num.* 4. Marc. Anton. Genuen. *praxi c.* 119. *num.* 5.

2 Excipienda tamen sunt aliqua beneficia simplicia, quæ per concursum prouidentur ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ, vt de canonicatibus doctoralibus, & magistralibus dictum est *punct. præc.* Et ex speciali constitutione aliquarum Ecclesiarum, vt constat in beneficiis patrimonialibus diœcesis Burgen. Calagurrit. & Palentin. quæ filiis patrimonialibus per concursum prouidentur. Gonzalez *gloss. 6. n.* 245. *&* 247.

3 Difficultas ergo est; an examen aliquod præmitti necessatio debeat in horum beneficiorum simplicium collatione, quantumuis tibi conferenti, vel instituenti nota sit persona quæ prouideri debet? Rationem difficultatis fecit decretum Trident. *sess. 7. cap.* 13. *de reformat.* ibi: *Præsentati, seu electi, vel nominati in quibuslibet Ecclesiasticis personis etiam sedis Apostolicæ nuntiis ad quauis Ecclesiastica beneficia non instituantur, neque confirmentur neque admittantur etiam pretextu cuiuslibet priuilegij, seu consuetudinis etiam ab immemorali tempore præscriptæ, nisi fuerint prius à locorum ordinariis examinati, & idonei reperti; & nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur. Præsentatis tamen electis, seu nominatis ab vniuersitatibus, seu collegiis generalium studiorum exceptis.* Ex quibus verbis colligitur institutionem, seu confirmationem faciendam non esse cuiuslibet Ecclesiastici beneficij, quin ab ordinario examinetur instituendus. Ad idem est decretum *sess. 25. c.9. de reform. circa medium.* ibi: *Ad hæc liceat Episcopo præsentatos à patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen, iuxta alia statuta ab hac sancta synodo, examinentur, alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit, & inanis.*

4 Pro resolutione dicendum est primò, si beneficium sit de libera Episcopi collatione, & Episcopo persona quæ prouideri debet nota est idonea, absque vllo examine illum prouidere potest; quia nullibi cauetur in his beneficiis simplicium examen esse pro forma præmittendum. Nam Tridentin. in supradictis textibus loquitur tantum de beneficiis iuris patronatus, & per institutionem acquisitis, non de beneficiis, quæ sunt de libera Episcopi collatione. Cum ergo ad horum beneficiorum prouisionem sola habilitas prouisi requiratur, si hæc nota est absque examine, examen necessarium non erit: & ita post alios plures relatos tradit Gonzal. *gloss. 4. n.* 86.

Quapropter examinatus & legitimè approbatus ad sacros ordines examinari non debet, vt ei beneficium simplex conferatur, vt probat *textus in cap. accepimus* 13. *de ætate, & qualit.* ibi, *quos à te, vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret, eo præsertim quo ad obtinendum beneficium debes idoneos reputare, quos ad ordines suscepisti.* Et ratio esse potest; quia eædem qualitates ad ordines, & ad beneficium simplex requiruntur. Gonzalez aliis relatis, *num.* 84. Excipe, nisi noua causa superueniat: qualis esset, si per longum tempus intermissionem ab studiis fecerit, quando tatione huius intermissionis prudenter præsumi potest litteraturæ necessariæ esse oblitum. Gonzalez *num.* 96. Secundo excipe, nisi beneficium haberet aliquam administrationem sacramentorum, vel curam animarum exercendam, quia tunc deberes prouidendum, etsi sacerdos sit, examinare, nisi aliunde quam ex ordinatione tibi constaret idoneum esse, colligitur ex Tridentin. *sess. 14. cap. 3. de reformat.* & notat Gonzalez *dicta gloss. 4. num.* 101. Tertio excipe beneficia simplicia qualificata, nempe dignitates, seu Canonicatus in Cathedralibus requisentia specialem industriam, & concilium, quæ tamen sacri ordines non requirunt. Gonzalez *num.* 102. Hinc à

fortiori constat te approbatum legitimè ad beneficium simplex, si illo dimisso aliud simile obtineas, non esse necessario denuo examinandum; nisi aliqua noua causa superueniat; quia præsumeris habilis, & idoneus: sic Barbosa *ex declarationibus concilij dicto cap.*13.

5 Dico secundo, in beneficiis simplicibus de iure patronatus laicorum idem esse dicendum, ac dictum est de beneficiis, quæ sunt de libera Episcopi collatione: non esse inquam examen necessarium, nisi vbi non constat instituenti de dignitate prouisi. Quia concilium *in d.cto c.*13. *sess.*7. non de iis beneficiis, sed de beneficiis patronatus Ecclesiastici loquitur: & licet *in sess.*25. *c.*9. generaliter loquatur de beneficiis iuris patronatus, non tamen dixit sic præsentatos examinandos esse, sed solum dixit licere Episcopo præsentatos à patronis, si idonei non fuerint, repellere; quod stare optime potest, quin obligetur examinare eum, quem idoneum esse cognoscit, poterit tamen si velit illum examinare. Garcia 9. *p. de benef.c.*3.*n.*9.

6 Dico tertio, in beneficiis, quæ sunt de præsentatione, electione, seu nominatione personarum Ecclesiasticarum, si institutio ad inferiores Episcopo pertineat, debet præsentatus, electus, seu nominatus, quantumuis notoriè idoneus, examinari ab Episcopo. Quia de his tantum beneficiis requisitum est examen pro forma, *in dicto cap.*13. *sess.*7. *& cap.* 9. *sess.*25. & tradit Garcia *d.* 9. *p. de benef. num.* 6. & August. Barbos. *in declar. concil. d.c.p.*13.

7 Præter supradictam conditionem idoneitatis vlterius requiritur in beneficiis de iure patronatus tam laici, quam Ecclesiastici citatio, & vocatio omnium patronorum, vt ex illorum præsentatione, & nominatione institutio fiat. Alias nulla erit institutio, vtpote in qua est omissus consensus illorum quorum interest: colligitur ex *cap.quoniam.fin.de elect.in* 6. qui licet de electione loquatur, ad nominationem, seu præsentationem doctores extendunt; quia est eadem ratio: Gloss. Anchatran. Dominic. & Franc.Ioann. Andr. *in supradicto textu.* Lambert. *de iure patron.*2.*p. lib.*2. *q.*6. *per totam.*Perez de Lara *de capell.lib.*2.*c.*10.*n.*32.*&* 39.Garc.9.*p.de benef.c.*4.*n.*1.

8 An autem patroni necessario citandi, & vocandi sint nominatim termino peremptorio appositò; vel sufficiat eos generaliter vocare per edictum? Communis sententia approbata à Rota, 8. Februar. 1599. vt refert Garcia *supra n.*8. defendit, si patroni sunt certi, esse citationem, & vocationem nominatim faciendam, alias sufficere generalem per edictum; quia in *d.cap.fin.* statuitur citationem nominatim faciendam esse, vbi est coelectus, vel apparet oppositor; alias sufficere generaliter in Ecclesia, in qua electio facta est, vt si qui sint, qui se velint opponere compareant assignato peremptorio termino competenti. Ergo idem erit dicendum in præsentatione & nominatione, non esse, inquam, institutionem faciendam, quin prius vocentur patroni si qui sint, & præsentati ab ipsis.

Cæterum dicendum existimo patronos, & electores non esse opus nominatim citare, sed sufficere, si generaliter per edictum citentur. Moueor, quia *textus in cap. fin.* non decidit electores nominatim esse vocandos, sed solum competitores. Ergo patroni non sunt nominatim vocandi, sed præsentati si aliqui sint, quibus peremptorius terminus ad comparendum, & se examinandum signandus est. Deinde quia ita praxis obtinuit in canonicatibus doctoralibus, & magistralibus, quorum electores per edictum vocantur, & in beneficiis curatis iuris patronatus apponitur edictum, vt si qui sint, quibus nominatio competit, accedant. Non ergo citatio specialis est necessario requirenda.

9 Præterea non videtur esse in potestate instituentis peremptorium terminum apponere patronis ad præsentandum, nam cum ipsis, si laici sint, concessum sit à iure quadrimestre, si Ecclesiastici sint, concessum sit semestre, non potest iudex inferior illud abbreuiare. Ergo vocatio apposita peremptorio termino comparatione præsentatorum intelligenda est, & non comparatione præsentantium.

10 Hinc infero institutionem beneficiorum iuris patronatus non esse faciendam durante termino concesso patronis ad præsentandum. Nam durante illo tempore poterit fortè alius patronus apparere, & præsentationem facere, cui iuri derogandum non est. Præterquam quod patroni, si laici sint, possunt durante quadrimestri variare. Quapropter si de facto contingeret præsentationem ante lapsum quadrimestre, vel semestre fieri, & illa facta nouus patronus appareret, & peteret reuocari, reuocanda esset.

11 Deinde si collatio simplicis beneficij facta est in conditorio iudicibus, fieri non potest, nec tradi illius possessio pendente termino ad appellandum, neque appellatione pendenti: aliàs omnia erunt nulla, & attentata, *cap. à collatione beneficij, iuncto cap. non solum. de appellat. lib.*6. *cap.*2. *vt lite pendente. in* 6. & multis exornat Gonzalez *de mensib. & alternatiuis. gloss.*9. §. *contra nullit. & attentata.n.*203. Garcia *de benef.*9.*p.c.*4.*n.*26. Lancell. *de attentat.*2.*p.c.*4.*n.*614. *&* 627. Quod non solum habet verum in collatione beneficij, sed etiam in illius institutione, & confirmatione, vt satis colligitur ex *cap. quoniam. fin. de elect. in* 6. tradunt doctores relati. Et ratio omnium est; quia appellatio est præcipua defensio à iure litigantibus concessa. Ergo impediri non potest, dum à iure conceditur. At conceditur appellatio à sententia collationis, seu institutionis, dum iudicialiter proceditur. Ergo pendente termino ad appellandum, aut appellatione interposita non debet executioni mandari. Dixi, si collatio, seu institutio facta est in contradictorio iudicio. Nam si iudicium cessauit, & in collatione, seu institutione non fuit iudicialiter processum, locus non est appellationi, sed illa non obstante procedi debet ad executionem collationis, seu institutionis. Quia appellatio extraiudicialis non suspendit executionem, neque causat attentata, ex *text. in cap. cum inter. de electione.* & in collatione beneficiorum videtur expressus *textus in cap. constitutis* 46. *ad finem de appellat.* & tradit Gouarr. *in pract.c.*24.*n.*5. Lancellot. *de attentatis.* 2. *part.c.*12.*limit* 3. *per totam.* Gonzalez *dicta glos.*9. *contra nullit. & attent. n.*27. *& seqq.* Censetur autem extraiudicialiter procedi in prouisione beneficiorum, dum oppositores coram iudice non firmant processum inter se contendentes. Secus est si iudex partes iudicis assumit, & oppositores actoris, & rei. Gonzalez *supra num.*38.

Cæterum quando iudicialiter proceditur in collatione, seu institutione beneficiorum, plures doctores limitant supradictam doctrinam de appellatione, vt locum non habeat stante consuetudine in contrarium; cum enim per legem introduci possit, vt durante termino ad appellandum, & pendente appellatione collatio, & institutio executioni mandetur, vt expresse decisum est à Trident. *in beneficiis parochialibus. sess.*24.*c.*18. etiam per consuetudinem in beneficiis simplicibus introduci potest. Quia, vt dictum est, *trad. de legib. disp. de consuet.* introduci consuetudine potest, quod potest lege sanciri; sic aliis relatis Lancell. *de attent.* 2.*p. c.*12. *limit.*49. Gonzal. *gloss.*9.§. *contra nullit. & attent.n.*211. Garcia 9. *part. benef.c.*4.*n.*29. An autem alicubi hæc consuetudo vigeat? Quæritio est de facto ex diligenti inuestigatione decidenda. Garcia namque *supra* testatur nullibi esse hanc consuetudinem toleratam. At Perez de Lara *de anniuers. & capell.lib.*2.*c.*11.*n.* 3.& Zeual. *comm. contra comm.lib.*4.*q.*1. *alias q.*897.*à n.*843. firmant hanc consuetudinem in tribunali Archiepiscopi Toletani, & certè defendenda est, quia fauet Ecclesiis, ne pastore diu destituantur, vt bene dixit Lancellot. *dicta limit.*48.& Gonz.*n.*212.

13 Secundo limitant alij, ne appellatio executionem suspendat, quando est statutum, seu constitutio synodalis, vt sententiæ definitiuæ latæ de collatione, seu institutione beneficiorum executioni demandentur, non obstante appellatione iudiciali interposita. sic Garcia 9. *p. de benef. cap.*4. *num.*34. Gonzalez *gloss.*9. §. *contra nullit. & attent.à n.*203. & alij apud ipsos. Sed an huiusmodi statutum vt vim habeat, debeat esse à Sede Apostolica confirmatum, & longo tempore obseruatum? Negat Garcia cum Zeuallos *dicta q.*897. *à n.* 853. Mouetur Garcia, quia esto inferior principe non possit appellationem tollere; potest tamen in aliquo casu ex rationabili causa eius effectum suspendere, vt scilicet appellatio interposita executionem collationis non impediat, esto causam ad superiorem deuoluat. Zeuallos vero mouetur quia hæc suspensio fit ex consensu illorum, quorum interest: nam cum in synodo omnes Ecclesiarum pastores simul cum suo præsato adsint, & statuant sententias diffinitiuas super collationes, & institutiones beneficiorum mandari executioni non obstante appellatione interposita, eo ipso consentiunt, vt appellatio effectu careat suspensiuo.

Sed verius mihi apparet debere statutum, seu constitutionem synodalem à Sede Apostolica confirmatam esse, aut ita longo tempore obseruatam, vt inducat consuetudinem. Aliàs vim non habebit impediendi effectum appellationis: sic Gonzalez *d. gloss.* 9. §. *contra nullit. & attentat. n.*214. Ratio est clara, quia à iure concessum est, cum iudicialiter proceditur, appellare à collatione, seu institutione; non solum ad effectum deuolutiuum, sed etiam suspensiuum; sed inferior mutare non potest quæ superioris lege sancita sunt, *cap. cum inferior cap. quod super his. de maiorit. & obedient. cap pastoralis. de appell.* Ergo synodus diœcesana impedire non potest appellationis effectum. Neque obstat, si dicas impediri ex consensu illorum, quorum interest. Quia pastorum, & Episcopi directe non interest, sed interest litigantium. Ergo dum litigantes appellationi non cedunt, impediri eius effectus non potest. vt benè ipse Garc. *n.*31. notauit. Quod si vrgeas, ex fundatione beneficij haberi posse, quod appellatio litiganti non prosit ad executionem collationis suspendendam, ergo etiam ex statuto. Neganda est consequentia. Nam fundatori à iure datum est, vt beneficio fundato eas conditiones, quæ sibi magis placuerint, apponat: *c. præterea, elect.*2. *de iure patron. c. quanto. de censibus.* & decidit Trident. *sess.*25. *c.*5. *de reformat.* quod tamen dictum non est iudicibus inferiorbus, & ita Gonzalez *dicta gloss.*9.*n.*219. cum Lancellotto 2. *p. de attent. c.*12. *lim.*8.*n.*7 affirmat fundatorem

in beneficij fundatione remouere appellationem posse,
quam tamen negat iudicem alium inferiorem Pontifice posse remouere.

PUNCTUM

PVNCTVM V.

Quando, & quo tempore prouideri beneficia possunt.

1 *Ante vacationem prouideri nullatenus possunt:*
2 *An concedi possit alicui potestas beneficia vacatura conferendi? proponitur dubitandi ratio.*
3 *Vicario generali optimè potest hæc potestas conferri: secus personæ particulari.*
4 *Potestas nominandi, eligendi ad beneficia vacatura cuilibet dare potest.*
5 *Facta vacatione patrono laico conceditur quadrimestre, Ecclesiastico semestre.*
6 *In beneficiis resignatis ex causa permutationis non est semestre, à iure designatum.*
7 *Neque in beneficiis resignatis in fauorem.*
8 *Neque in institutione beneficiorum de iure patronatus.*
9 *Neque ip prouisione facta à legato, & nuntio.*
10 *In cardinalibus habentibus facultatem conferendi currit tempus.*
11 *Currit item in beneficiis manualibus.*
12 *Item in deuolutis.*
13 *Si deuoluta sunt ex negligentia patroni laici, aliquibus placet quadrimestre Episcopo concedi. Verius est concedi semestre.*
14 *Hoc semestre computatur à die deuolutionis nota.*
15 *Qualiter presumatur deuolutionem notam esse.*

1 HVic puncto magna ex parte satisfecimus *disp. præced. punct. 5. & punct. 11. §. 6.* ex ibi enim dictis constat, antequam beneficium vacet, nullatenus prouideri posse, ne occasio detur alienæ mortis captandæ. Quod adeo verum est, vt nec promissio, quantumuis iuramento firmata, de beneficio vacaturo vllatenus obligatoria sit, iuxta *textum in cap. nulla. & cap. fin. de concess. præbenda.*

2 Solum est difficultas, an possis alicui antequam beneficium vacet delegare potestatem illud prouidendi? Rationem difficultatis fecit textus in *cap. deliberatione. §. prohibemus. de officio legati. in 6.* inquit enim Bonifac. VIII. *Prohibemus insuper, ne legatus ipse in genere, aut in specie cuicunq; concedat, vt ab his qui beneficia infra legationem eiusdem habentes, ea in illius manibus voluerint resignare liberè, ipsorum resignatione recepta, illa valeat idoneis conferre personis: cum per hoc aperiri posse via contra Lateranen. concilium ad beneficia vacatura.* Sed eadem ratio est de quolibet alio collatore, & de qualiber alia beneficij vacatione. Ergo nemini poteris potestatem concedere ad beneficia vacatura prouidenda.

3 Dicendum tamen est vicatio generali optimè posse Episcopum committere facultatem beneficia vacatura conferendi, siue vacent per obitum, siue ex causa resignationis, siue ex alia quæcunque *c. fin. de officio vicarij, in 6.* Quia ex concessione huius potestatis non infertur magis aperiri viam ad beneficia vacatura contra Lateranen. concilium, quam ex potestate ipsius Episcopi. Tum quia vicarius generalis constituit idem tribunal cum Episcopo. Tum quia est persona qualificata. Secus vero dicendum est de qualibet alia persona singulari, tum ob allegatum textum in ratione dubitandi, qui de persona singulari loquitur; tum ob excellentiam potestatis, quæ alteri, quam qualificatæ personæ non videtur posse committi. Glossa *in dicto cap. deliberatione in fine.* Flamin. Parisi. *lib. 7. quæst. vlt. n. 30.* Garc. *1. p. de benef. cap. 1. num 9.*

4 Si vero loquamur non de potestate conferendi, sed de potestate nominandi, & præsentandi, vel eligendi ad beneficia vacatura, cuicunque poteris in genere hanc potestatem concedere, siue beneficium vacet ex causa resignationis, siue per obitum. Quia ex vi huius concessionis non concedis procuratori potestatem constituendi in beneficiis vacationem; cum ipse ex vi huius potestatis admittere non possit resignationes, ac proinde non aperitur via contra Lateranen. concilium ad beneficia vacatura, Garcia, aliis relatis. *supra. num. 39.*

Quod adeo verum existimo, vt si vnici beneficij patronus exitas, possis alteri vices tuas committere, vt quandocunque per obitum, vel resignationem vacauerit, nomine tuo præsenter qui sibi placuerit. Quod enim inconueniens ex hac commissione infertur, aut quis est textus, qui illam prohibeat? certè ego nullum inuenio: si enim communis sententia cum Glossa *in dicto cap. deliberatione*, admittit legatum à latere posse diuisim concedere alicui potestatem admittendi resignationes beneficiorum, & beneficiis vacantibus potestatem illam conferendi. Quare non poteris non procuratori potestatem nominandi concedere casu quo beneficium vacet, cum non concedas potestatem, vt vacet? Præterea ipsemet Garcia plura referens, *num. 20. & 21.* sentit procuratori generali constituto ex iusta causa ante vacationem beneficij optimè posse præsentationem committi etiam ad vnicum beneficium. Ergo etiam poterit committi alteri, tametsi procurator generalis non sit constitutus: Et enim

qualitas non videtur esse alicuius considerationis ad euitandum periculum alienæ mortis captandæ. Nunquam tamen procuratori ad præsentandum constituto persona præsentanda designanda est, siue procuratot sit constitutus ad vnicum beneficium conferendum, siue ad plura; quia illa esset tacita beneficij vacaturi promissio, seu concessio, quæ per *textum in cap. nulla 2. cap. cum dilecta. fin. de concess. præbenda* prohibetur. Garcia *10 p. de benefic. cap. 1. num. 22.*

5 Facta vacatione beneficij si patronus es laicus, quadrimestre tibi conceditur: si Ecclesiasticus, semestre, quod tempus computandum est à die vacationis notæ, vt latius *dicto cap. §.* de tempore electionis faciendæ, & intra quod electus consentire debet. Vide dicto *punct. 11. §. 6.* Quapropter solum de tempore à iure collatoribus concesso restat dicendum. Et certa resolutio est, ordinariis collatoribus semestre datum esse; *cap. nulla Ecclesiastica, de concess. præbenda. cap. licet. de supplenda negligent. prælat. clem. 1. eodem tit. & leg. 8. titulo 16. part. 1.* Barbosa *3. p. allegat. 8. num. 1.* Extenditur hæc doctrina ad omnia beneficia vbicumque existentia, quia nullum in dictis textib. excipitur. Barbosa *num. 2.* Garc. *10. p. de benefic. cap. 1. num. 5.* Addo esto beneficia parochialia sint, si collatio ad Episcopum spectet, Barbosa *num. 3.* Garc. *num. 7.* si tamen collatio parochialium sedi Apostolicæ reseruata sit, aut alteri quam Episcopo competat, debet Episcopus intra quadrimestre edictum proponere, & oppositores examinare, & qui ex illis sibi magis idoneus visus fuerit eligere, & conferenti electionem significare iuxta constitutionem Pij V. 22. quæ incipit *in conferendis*, Garc. & Barbosa *supra.*

6 Limitanda est hæc doctrina in beneficiis reseruatis ex causa permutationis. Quia ad horum collationem non est semestre à iure designatum; eo quod hæc collatio obligatoria sit, non libera, & semestre concessum est collatoribus liberè conferentibus. Rebuff. *in praxi benef. tit. de deuolut. in 6. & tit. de permut. n. 39.* Garcia plures referens, *10. p. de benef. c. 4. n. 2. & 3.*

7 Secundo limita in beneficiis resignatis in fauorem; quia hæc solum à summo Pontifice prouideri possunt, cui non currit tempus ad conferendum. Mandos. *arg. 34. de annal. quæst. 90. num. 5.* Lambert. *de iure patron. 2. p. lib. 3. quæst. 2. art. 8. n. 9* Garcia *10. p. cap. 2. num. 12.*

8 Tertio limita in beneficiis de iure patronatus, quorum institutio non habet præfixum à iure terminum ob rationem dictam. Quia institutio non est voluntatis, sed necessitatis; pluribus fitmat Garcia *10. p. c. 4. n. 1.* quod si inquiras, quare ius determinauit tempus prouisioni voluntariæ; non tamen necessariæ? Respondeo, quia ad prouisionem necessariam compelli potes; secus vero ad prouisionem voluntariam; hanc enim si omittas facere intra tempus tibi à iure concessum, nulla tibi fit compulsio, sed prouisio ad superiorem deuoluitur; at si prouisionem necessariam omittas, compelli potes à superiore, scilicet ab Archiepiscopo, Legato, vel Nuntio, vt illam faciat: cui si non obedias, & intra terminum tibi præfixum beneficium non conferas, poterit ipse conferre, non tam ob deuolutionis titulum, quam ob titulum auocationis, & grauaminis iniusti tollendi.

9 Quarto limita in Legato a latere, & in Nuntio, comparatio beneficiorum, quæ ipsi conferre possunt. His enim non videtur currere tempus semestre ad conferendum, eo quod potestatem habeat à iure conferendi quælibet beneficia in sua prouincia existentia, tametsi ad sedem Apostolicam fuerint deuoluta: *cap. venerabilis. 37. de præbendis.* & tradit. Glossa *fin. in cap 1. de officio legat. in 6. & clement. si de beneficio. verbo siue ad nos, de præbendis ad finem*, & pluribus relatis Garc. *5. p. de benef. cap. 3. n. 20.* Cum ergo possint prouidere beneficia ad quemcunque fuerint deuoluta, non poterit illis currere tempus semestre ad conferendum; ponamus namque ob non prouisionem intra semestre beneficium deuolui ad sedem Apostolicam; ex tali tamen deuolutione non impeditur eorum potestas. Ergo non currit illis tempus semestre, neque vlla fit deuolutio. Sic Garcia *supra. num. 26. & num. 252.*

10 Quinto limitant alij in Cardinalibus habentibus à Pontifice indultum conferendi quælibet beneficia reseruata. Quia hi videntur nomine Pontificis conferre, cui non currit tempus ad conferendum. Sed reprobanda est hæc limitatio. Nam omnibus collatoribus siue ordinariis, siue iure delegationis semestre designatum est. *cap. nulla. de concess. præbenda.* Quapropter nisi ipsis Cardinalibus concessa sit potestas beneficia conferendi quocunque modo ad sedem Apostolicam deuoluta, nequaquam transacto semestri ea prouidere poterunt, quia indultum conferendi beneficia reseruata, non impedit deuolutionem, sicuti impedit indultum conferendi beneficia deuoluta; sic Cassador. *decis 8. de præbendis.* Anastas. Germon. *de indultis Cardinal. numer. 36.* Garcia *10. part. de benefic. capit. 2. numer. 10.*

11 Sexto limitant in beneficiis manualibus, quæ cum ad nutum sint amobilia; non videtur collatoribus currere tempus ad prouidendum. Sed neque hæc limitatio admittenda est, cum *textus in cap. nulla. de concess. præbenda.* generaliter loquatur, & ratio decidendi æquè in iis beneficiis procedit, nempe ne

Ecclesiæ maneant in suspenso. Quapropter quoad supplendam negligentiam collatoris ordinarij, sine dubio currit tempus semestre, & deuolutio ad superiorem fit, vt expresse decisum est in *clement. vnic. de supplenda negligent. prælat.* & tradit ibi Gloss. §. *præmissa verbo reuocari.* Bonifac. n. 8. Cardinal. *num.* 4. Gonzalez *gloss.* 5. §. 6. *n.* 55 Garcia 10. *p. de benefic. cap.* 3. *num.* 46. Dixi quoad supplendam negligentiam collatoris ordinarij. Nam ad impediendam illius prouisionem, dum beneficium manuale prouisum non fuerit, existimat Garcia *num.* 47. non esse concedendam deuolutionem. Quod non probo. Nam esto hæc beneficia sint manualia, non impedit quominus ad superiorem illorum prouisio deuoluatur. Ergo debet deuolui cum qualitatibus requisitis in *c.* 2. *de conces. præbenda.* Quarum vna est, vt facta deuolutione ordinarius inferior prouidere non possit. Neque inde fit facta prouisione per superiorem, non posse ab inferiori ex causa iusta remoueri. Potest equidem, quia superior prouidet beneficium cum qualitatibus, quibus negligens prouidere debebat, vt benè aduertit *gloss. fin. in dicta clem. vnica de supplenda negligen. prælat. verbo reuocari.*

12 Septimo limitant in beneficiis deuolutis, in quibus non videtur collatoribus currere tempus ad conferendum. Sed nullatenus est hæc limitatio admittenda; quia *in suprad. cap. nulla. de conces. præbenda.* gradatim fit deuolutio: idemque habetur in *cap. licet. de suplend. negligent. prælat.* Quapropter si ad Episcopum pertinet collatio, & infra semestre non prouidet, deuoluitur ad Metropolitanum, & deinde ad Primatem, & tandem ad Pontificem. Garcia aliis relatis, 10. *p. cap.* 3. *num.* 1. Quod fieri non posset, nisi quilibet ex his prælatis suum tempus signatum haberet ad conferendum; quod tempus æquale est in omnibus: cum enim primo collatori semestre concessum sit, etiam secundo collatori, cui fit deuolutio ob negligentiam primi, aliud semestre concedi debet, vt satis insinuatur in *suprad. cap.* 2. *de conces. præbenda:* vbi omnibus collatoribus semestre conceditur absque vlla distinctione, & capitulo conferenti iure deuoluto eundem terminum concedit, qui Episcopo competebat: ibi, *infra præscriptum terminum*, qui nullus alius est, nisi semestre. Adde nullibi inueniri aliquam restrictionem, neque conuenientem esse, cum sint collatores diuersi; & ita tradit, aliis relatis, Lambert. *de iure patron. lib.* 2 *part.* 3. *quæst.* 2. *art.* 8. Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 6. *cap.* 27. *quæst.* 12.

13 Solum de beneficiis deuolutis ex negligentia patroni laici est aliqualis difficultas; an Episcopo, cui institutio, seu collatio libera deuoluitur, competat semestre ad collationem faciendam? Videtur namque solum quadrimestre competere; quia succedit patrono, cui quadrimestre conceditur. Cæterum verius est semestre concedi; quia tunc illud beneficium alias de iure patronatus prouidet Episcopus, sicut alia beneficia, quæ de illius sunt libera collatione, siquidem ob negligentiam patroni in nominando cessat eius nominatio, & libera Episcopo prouisio conceditur. Ergo æquè ac in aliis beneficiis est semestre concedendum. Neque verum est in hoc casu Episcopum patrono proprie succedere, quia non præsentat personam alteri instituendam, sed potius excluso patrono ipsemet instituit, & ita tenet, aliis relatis Lambertin. *dicto art.* 8. Azor. *quæst.* 11. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg.* 58. *num.* 18.

14 Hoc semestre concessum superiori, cui fit deuolutio non computatur à die deuolutionis, sed à die deuolutionis notæ. Quia quousque deuolutionis notitiam habeat, vel eam habere possit, non potest beneficium prouidere. Ergo non potest esse negligens in prouisione. Ergo non est illi tempus computandum; quia non est habile ad prouisionem: sic Lambertin. & Azor. *supra, & quæst.* 10. & pluribus decisionibus Rotæ firmat Garcia 10. *p. de benef. cap.* 3. *num.* 9. Aloysius Riccius *praxi fori Eccesiast. resolut.* 155. August. Barbosa 3. *part. de potest. Episcopi. allegat.* 58. *num.* 18.

15 Sed qua ratione constare possit superiorem, cui fit deuolutio habere notitiam deuolutionis, vt illi currat tempus, difficile est. Nam esto in collatore ordinario maxime Episcopo, ex qualitate beneficij distantia locorum modo vacat, & econtra longitudine temporis præsumatur verisimilis vacationis notitia, præcipuè cum ipse teneatur diœcesim singulis annis visitare. At in superiore collatore, v. g. Archiepiscopo, vnde hæc notitia præsumenda est, cum ipse non teneatur prouinciam suffraganei visitare, nisi causa cognita, & approbata in concilio prouinciali, quod ad summum triennio est celebrandum iuxta Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. & 3. *de reformat.* & prouincia suffraganei longè à Metropoli distet? Quod vero tradit Abbas. *in cap. sicut. de accusationib. num.* 2. quem sequitur Ananias *ibi, num.* 4. Lambertin *dicto art.* 8. *n.* 2. Mascard. *de probat. concl.* 879. *n.* 10. Metropolitanum ignorare non posse negligentiam sui suffraganei in beneficiorum prouisione; eo quod in qualibet metropoli debeant esse duæ personæ designatæ à prouinciali concilio, quæ sequenti concilio referant correctione, & reformatione digna iuxta dictum textum. *in c. sicut. de accusationib.* verum non est. Nam ex harum personarum designatione ad summum inferri potest vacationem Ecclesiæ sui suffraganei longo tempore contingentem ante concilij celebrationem, transacto concilio iam ignorare non posse; non tamen infertur toto eo tempore, quo non celebratur concilium, vacationem ignorare non potuisse, cum ipsæ personæ solum in concilio notitiam illorum quæ reformatione digna sunt, tradere videantur obligari. Præterea plura celebrantur prouincialia concilia absque designatione harum personarum; quia non reputatur necessarium. Item nec celebrantur quolibet triennio. Ergo ex harum personarum designatione colligi non potest notitia deuolutionis. Quapropter existimo tuto hanc notitiam esse præsumendam, sed illam asserenti incumbere onus probandi. Sic Garcia 1. *p. de benef. cap.* 3. *à num.* 21. *& seqq.*

DISPVTATIO IV.

Quibus beneficia sunt conferenda, seu de qualitatibus requisitis ad beneficia ex parte suscipientium.

CAVTVM est dignis, & benemeritis beneficia esse conferenda, iuxta *text. in cap. graue. de præbendis, cap. nihil est. cap. causam. quæ de electione. cap. cum adeo. de rescript. cap. is cui de præbendis. in* 6. & alibi. Sed quia ad hanc dignitatem plura requiruntur; requisitur itaque legitimus torus, conueniens ætas, habilitas corporis, morum probitas, scientia debita, ordo, seu clericatus, intentio perseuerandi in illo, & ascendendi ad superiorem, carentia censuræ, vel irregularitatis, & cuiusuis alterius impedimenti; ideo sigillatim ea in præsenti disput. explicabimus.

PVNCTVM. I.

Qualiter legitimus torus ad beneficium obtinendum requiratur.

REgula certissima est, illegitimum iure canonico inhabilem, & irregularem esse ad ordines, & beneficia recipienda. *cap. innotuit. de electione. c. vt filij. de filiis præsbyteror. c.* 1. & 2. *eodem. tit. in* 6. *cap. nisi cum pridem. de renunciat. & alias.* Iure autem ciuili cõstat inhabilẽ esse ad successionem integram, aliaque reipublicæ munia, vt apertè cõstat ex *leg. vlt. & alijs. Cod. de naturalib. liberis. & Authent. quibus modis naturales efficiantur sui.* Videndum ergo est, quando hæc inhabilitas contrahatur, & qualiter cesset, & quia hæc aliis materiis deseruire possunt, placet in præsenti omnem de legitimate materiam explicare.

§. I.

Quando filij censeantur legitimi, vel illegitimi.

1 *Nati ex copula fornicaria sunt illegitimi.*
2 *Natum ex solutis parentibus voto simplici castitatis ligatis affirmant plures esse spurium. Probabilius est esse naturalem.*
3 *Idem dicendum de muliere desponsata sub verbis de futuro.*
4 *Ex contugibus impeditis petere, neque obligatis reddere, si filius nascatur est illegitimus.*
5 *Quid si vterque votum castitatis emiserit? Probabilius est non esse illegitimum.*
6 *Natus ex parentibus matrimonio inualido ligatis, si adsit in parentibus bona fides, legitimus est.*
7 *Quando ante copulam cessat bona fides, illegitimus & spurius est inde natus, & quando bona fides cessare censeatur.*
8 *De filiis expositis an sint legitimi? Alij affirmant, alij negant.*
9 *Quid dicendum?*

1 ILlegitimi censentur filij, eo ipso quo ex copula fornicatia nascantur. Est omnium sententia. Sed quia hæc copula fornicaria haberi potest inter personas habiles ad validè mattimonium contrahendum, vel inter personas impeditas; ideo duplex genus illegitimorum distinguendum est, spectato iure canonico; aliud illegitimorum naturalium, hoc est procedentium à parentibus solutis, habilibus tamen ad matrimonium contrahendum. Aliud est illorum, qui à parentibus impeditis procedunt, quique vocantur spurij.

2 Sed non est leue dubium; an filius natus ex solis parentibus, sed voto simplici castitatis ligatis, spurius censendus sit, vel naturalis? Sarmiento *lib.* 1. *select. interpret. cap.* 5. *num.* 5. Ceruantes *in leg.* 11. *tauri. num.* 145. affirmant spurium esse non solum quoad ordines, & beneficia, sed etiam quoad successiones: inclinat Azor. 2. *p. lib.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 7. Mouentur, tum quia procedit ex coitu sacrilego. Tum quia procedit, à parentibus impeditis ad contrahendum, saltem impedimento impediente, & exigente dispensationem. Tum quia in *leg.* 11. *tauri. qua est* 9. *tit.* 8.

tit.8.lib.5.compilat. dicitur *Entonces si digan ser los hijos naturales, quando al tiempo que nacieron eſueron concebidos, ſus padres podiam caſar con ſus madres ſin dispenſacion.* At in præſenti caſu non poterant parentes iuſtè abſque diſpenſatione matrimonium contrahere ob votum caſtitatis: ergo filius ſic natus non eſt naturalis, ſed ſpurius. Nihilominus probabilius eſt natural. m illegitimum eſſe cenſendum. Mouetur: quia eſto parentes voto caſtitatis legati ſint, ſunt habiles ad validè matrimonium contrahendum, ſed hoc videtur ſufficere, vt filij inde nati non cenſeantur ſpurij, iuxta *textum in capit. tanta. qui filij ſint legitimi*, vbi ſpurius eſt, qui à parentibus impeditis impedimento dirimente genitus eſt. Ergo filius ſic natus naturalis eſt, non ſpurius: & ita tradit Molina *tract. 2. diſput. 167. poſt. 4. concluſ.* Gutierrez *tract. de matrim. cap. 1. numer. 22. & 24.*

3 Idem dicendum eſt de filio nato ex matre, quæ alteri ſub verbis de futuro deſponſata erat quia ſponſalia de futuro ſolum impediunt, ne licitè matrimonium celebretur, at celebratum non annullant, & conſequenter filius procedit ex habilibus ad validè matrimonium contrahendum. Ergo eſt naturalis, & non ſpurius. Sic Couar. *2. p. de ſponſalib. cap. 1. num. 17.* Molina *dicta diſp. 177.* Thom. Sanch. *lib. 1. de matr. diſp. 2. num. 8.* Baſil. de Leon. *lib. 11. de matr. cap. num. 7.* Gutier. *ſupra.* Neque obſtant rationes contrariæ. Nam eſto ille filius ex coitu ſacrilego ſit genitus, & ex parentibus impeditis ad licitè contrahendum; quia tamen ſacrilegium illud, & illud impedimentum non annullant matrimonium contrahendum; ea de cauſa filius inde genitus non eſt ſpurius. Cum vero *lex tauri* diſponit filios naturales debere procedere à parentibus, inter quos iuſtè abſque diſpenſatione matrimonium eſſe poterat, verbum illud *iuſtè*, intelligi debet, id eſt validè.

4 Præterea non ſolum ex ſolutis, ſed etiam ex matrimonio ligatis poteſt filius illegitimus naſci: ſi enim parentes impediti eſſent petere, neque obligati reddere, vt contingere poſſet, cum alter illorum profeſſionem in religione emiſerit ex alterius conſenſu, & in illo ſtatu filium procreaſſent, illegitimus & ſpurius reputandus eſſet; quia procedit ex coitu ſacrilego & à perſonis aliàs inhabilibus ad validè contrahendum, ſi de facto matrimonium non eſſet contractum: ſic poſt alios antiquiores Azor. *2. p. inſtit. moral. lib. 2. c. 6. q. 8. circa finem.* Suar. *3. de irregularit. diſp. 50 ſect. 2. n. 5.* Sanch. aliis relatis, *lib. 9. de matr. diſp. 38. n. 7.*

5 Maius dubium eſt, ſi vterque ex alterius conſenſu votum ſimplex caſtitatis emiſerit, & illo non obſtante filium procreaſſent, an ſit filius ille illegitimus? Affirmat Gloſſa *in c. miniſtri. 81. diſt.* Abbas *in cap. chariſſimus. de conuerſ. coniugat.* Mouentur, quia ex copula illicita, & itteligioſa filius genitus eſt. Sed venius oppoſitum videtur. Nam eſto peccaminoſa ſit illa culpa, non tamen ob impedimentum, quod aliàs impediret matrimonium validè contrahere. Ergo non impedit, quin matrimonium prolem genitam legitimam reddat; ſi enim, vt ſtatim dicemus, vim habet matrimonium legitimandi prolem conceptam ab his, qui matrimonio ſoluti erant, & voto caſtitatis ligati, à fortiori vim habebit legitimandi prolem conceptam ab his, qui matrimonio iuncti ſunt, eſto ſint voto caſtitatis adſtricti. Adde, praxi receptum eſſe hos filios hæredes relinqui, & abſque vlla diſpenſatione ad beneficia, & ordines promouentur. Ergo reputantur, vt legitimi, & in hanc partem inclinat Azor. *2. p. inſtit. moral. l. 2. c. 6. q. 8.*

6 Verum contingit ſæpè, vt filius ex parentibus re ipſa ſolutis, matrimonio ſolum quoad apparentiam ligatis, procreetur, & tunc legitimus cenſendus eſt, ſi adſit bona fides, ſaltem ex parte vnius coniugis. Quia bona fides excuſat copulam fornicariam, ac proinde illegitimitatem, & eſt textus expreſſus *in cap. ex tenore. cap. cum inter. cap. perlatum. c. quod nobis. qui filij ſint legitimi*, Couar. *2. p. de matr. cap. 8. §. 1. num. 2. & §. 3. num. 6.* Maiol. *de irregular. lib. 1. cap. 5. num. 1.* Sayrus *lib. 6. de irregular. cap. 10.* Auila *7. p. de cenſur. d. ſp. 3. dub. 6 in princ.* Baſil. de Leon. *l. 11. de matr. cap. 8. num. 2.* pluribúſque firmat Gutierr. *tract. de matr. c. 72. num. 2.* Vt autem parentes bonam fidem habere cenſeantur in copula, debent præmiſſi denunciationibus, & non clandeſtinè contrahere; aliàs affectatores ignorantiæ præſumerentur ac proinde in mala fide, iuxta *textum in cap. cum inhibitio. §. fin. de clandeſtina reſponſat.* conſonat *lex 3. tit. 3. p. 4.* Sic Zeuallos *in pract. quæſt. 67. num 4. & ſeqq.* Sanch. *lib. 3. de matr. diſp. 42. à num. 1.* Gutierr. *tract. de matr. cap. 71 n 9.* & alij apud ipſos. Excipe tamen, niſi iuſtum cauſam haberent omittendi denunciationes; quia tunc cum non peccarent, non poſſent dici ignorantiæ affectatores. Sic aliis relatis Zeuallos. *n. 9* & 10. Gutierr. *n. 10.* Adde in foro externo, ex longa coniugum cohabitatione præſumptio oritur matrimonium legitimè celebratum eſſe, filioſque inde natos eſſe legitimos, ſic pluribus firmat Mascard. *de probat. concl. 102. & concl. 1316.* Gutierr *tract. de matr. c. 71. n. 11.* longum vero tempus alij affirmant eſſe decennium omnes triennium.

7 Quod ſi bona fides ante copulam ceſſet, filius inde genitus non ſolùm illegitimus, ſed etiam ſpurius cenſeri debet vtpote à parentibus inhabilibus ad contrahendum genitus: quando autem cenſeatur bona fides ceſſare in parentibus, non eſt huius loci, ſed petendum eſt ex his, quæ dicemus *tract. de matr.* & aliqua diximus *1. par. tract. de conſcient. diſp. 3. à punct. 5.* Certum enim eſt, neque ob litem motam de nullitate matrimonij, neque ob ſententiam, quæ non tranſit in rem iudicatam, bonam fidem ceſſare; quia poſſidens rem bona fide, ob ſuperueniens dubium non impeditur ab illius vſu: & tradit poſt alios Couar. *2. part. de ſponſalib. c. 8 §. 2. num. 7* Maiol. *de irregularit. lib. 1. cap. 5. num. 7 & 11* Baſil. de Leon. *lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 8. & 7.* Sed an ob adulterium vxoris filius inde natus conſtante matrimonio illegitimus cenſeatur? Dixi *tract. de conſcient. diſput. 3. punct. 5.* ibi enim reſpondi ob hanc cauſam non eſſe illegitimum cenſendum, ſi maritus ad eam tempore quo potuit concipi habuit acceſſum; quia ſemper in caſu dubij in fauorem filij & matrimonij declinandum eſt. Quapropter dum manifeſtè probatum non fuerit, non poſſe à marito eſſe genitum, ſemper pro legitimitate filij eſt iudicandum. Neque ex dicto ipſius vxoris negantis eſſe filium legitimum, & eſt integra probatio deſumenda, alias facile poſſent filios exhæredare; ſolum enim eius dictum aliquam præſumptionem facit, ob quam filius nec ſe priuare debet iure legitimitatis, neque per iudicem priuandus eſt, ſic Paleotus *de ſpuriis filiis. cap. 24.* Menoch. *de arbitr. caſu 89. à num. 24.* Baſil. de Leon. *lib. 11. de matrim. c. 9. num. 8.*

8 De filiis, quorum parentes ignorantes, vulgo expoſitiuis, eſt grauis inter doctores controuerſia, an ſint filij legitimi? Affirmant plures cum Menoch. *de arbitr. caſu 396. per totum.* Baſil. de Leon. *lib. 11. cap. 9. n. 4.* Salas *1. 2. tract. 8 diſp. vnica. ſect. 24. num. 246.* Gratian. *diſc. forenſ 355. à n. 31.* & alij relati à Garcia *7. p. de benefic. c. 2. num. 7.* Mouentur quia negari non poteſt plures ex eis filiis legitimos eſſe, & ex legitimo matrimonio natos, & ob inopiam parentem aliis alendos exponi. Ne igitur ij detrimendum patiantur, omnes iudicari debent legitimi. interpretatio enim facienda eſt in fauorem prolis, iuxta *textum in c. ex tenore. qui filij ſint legitimi.* ibi, *in fauorem prolis potius declinamus.*

Verum contrariam ſententiam plures, grauiſſimique doctores firmant & teſtantur in praxi eſſe receptam Couarr. *clement. ſi furioſus. in princ. 1. p. n. 9* Vaſq. *1. 2 diſp. 66. c. 8 n. 48.* Rebell. *de obligat. inſtit. 2 p. l. 1. quæſt. 2. n. 1.* Prateius *in praxi Epiſcop. 2. p. c. 1. n. 27* Garc *7. part. de benefic. c. p. 2. numer. 8 & 10.* Salzedo *in praxi. c. 14 & a* apud ipſos. Ratio eſt, quia præſumptio ſumenda eſt ex his, quæ frequenter contingunt. Cum ergo frequentiſſimum ſit hos filios expoſitos ex illicitis congreſſibus natos eſſe, & raro ſuccedat ex matrimonio eſſe generatos, abſolutè pro illegitimis habendi ſunt.

Ego vero exiſtimo hanc ſecundam ſententiam ſolum verum eſſe quoad præſumptionem, non quoad veritatem, eaque de cauſa quoad reputationem & quoad effectus à iure inductos. Primam ſententiam probo, pro legitimis, inquam, eſſe habendos. Quia adhoc ſufficere videtur, quod aliquando legitimi exponantur, & ne illis præiudicium fiat, omnibus à iure legitimitas conceditur. Adde neque quoad præſumptionem reputandos eſſe filios illegitimos; nam eſto concedamus frequentius contingere hos expoſitos ex ſolutis naſci; quia tamen hæc præſumptio ex frequentiùs contingentibus infamiam filiis irrogat. & in parentibus culpam ſupponit, ceſſit hæc præſumptio præſumptioni, quod ſint ex matrimonio generati, eſto non ita frequenter contingat. Quia cum dnæ præſumptiones in vno actu concurrunt, ſemper præualere debet quæ delictum excludit, & fauorem continet, vt tradit Menoch. *caſu 89. n. 23.*

§. II.

Qualiter filij illegitimi reddantur legitimi ſubſequenti matrimonio.

1 *Quid ſit legitimatio.*
2 *Matrimonio filij legitimantur.*
3 *Matrimonium non ſolum verum, ſed præſumptum, ab Eccleſia tamen approbatum valet legitimare prolem.*
4 *Hanc vim habet, eſto in mortis articulo contrahatur.*
5 *Item eſto non ſubſequatur immediatè, ſed aliud matrimonium intermediet.*
6 *Item eſto coniuges ſint diſpares.*
7 *Item etſi non interueniant nuptialia inſtrumenta.*
8 *Quid iure Cæſareo? Verius, eſt legitimare prolem.*
9 *Non obſtat huic legitimationi parentum contradictio.*
10 *Item neque filiorũ contradictio obeſſe huic legitimationi poteſt.*
11 *Item neque illorum ingratitudo.*
12 *Valet matrimonium ad legitimandum nepotem, etiam mortuo filio naturali.*
13 *Contrarium defendunt plures, & quibus probatur.*
14 *Diluuntur rationes præced. n. poſita.*
15 *Legitimati per matrimonium habiles ſunt ad ordines, & beneficia & ad omnia alia, ac ſi conſtante matrimonio nati eſſent.*
16 *An à puncto natiuitatis filiorum matrimonium ſubſequens*

reddat filios legitimos, ita vt aliis legitimis prius natis præferantur. Affirmant plures.

17 *Contrarium est verius.*

18 *Satisfit rationib. n. 16. adductis.*

19 *Si in odium substituti matrimonium contrahatur, plures censent non legitimari prolem.*

20 *Verius est oppositum.*

1 PRæmitto legitimationem esse natalium restitutionem quoad ea quæ positiuo iure filiis illegitimis denegata sunt; sic ex communi sententia definit Couarruu. 2. *p. de sponsal. c.* 8 §. 8. *n.* 1 Molin. *tract.* 2. *de iustit. disp.* 171. *in princ.* cum enim positiuo iure tam canonico, quam ciuili plura filiis illegitimis denegentur, quæ alioquin legitimis concessa sunt, si hæc illis restituantur, legitimi fient. At quia dupliciter hæc filiis illegitimis restitui possunt, vel matrimonio, vel rescripto, & indulgentia, duplex est legitimatio, alia à iure, alia à principe, seu alia per matrimonium, alia per rescriptum principis. Gutierr. *de matr. c.* 74. *n.* 24. Mol. *disp.* 171. & 173. Primo agemus de legitimatione per matrimonium, quia nobiliot est, deinde de legitimatione per rescriptum principis, iis præmissis.

2 Certum est apud omnes doctores hanc vim matrimonium habere, vt filios illegitimos procreatos, legitimos reddat. Fictione enim iuris in fauorem prolis retrotrahitur matrimonium ad tempus, quo ipsi filij fuerunt geniti. Et censentur, ac si constante matrimonio geniti essent; conclusio deciditur expresse, *cap. tanta. qui filij sint legitimi*: ibi: *tanta est vis matrimonij, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur*; consonat *lex.* 13. *tit.* 1. *part.* 4. ibi. *Camaguer que estos hijos a tales no sean legitimos quandonacen tan grande fuerça ha el matrimonio que luego que el padre, y la madre son casados, se facem porende los hijos legitimos.* Habet autem hanc vim matrimonium non à se, sed à iuris dispositione, & beneficio principis, vt bene Couuarr. 2. *p. de sponsal. cap.* 8. §. *n.* 18. Sed quod matrimonium hanc vim habeat, an verum, an etiam existimatum, an cum concubina domi retenta, an cum qualibet alia soluta, an stantibus filiis legitimis, an sine instrumento dotali, vel sine consensu parentum, vel filiorum? difficultate non caret.

3 Et quidem debere esse matrimonium verum, nec sufficere præsumptum docet Panormit. *in cap. tanta. qui filij sint legitimi. n.* 9. Sarmient. *lib.* 1. *select. cap.* 6. *n.* 2. Quia matrimonium præsumptum non est matrimonium, sed solum præsumitur esse. At Pontifex hanc efficaciam legitimandi prolem matrimonio concessit ibi: *tanta est vis matrimonij.* Ergo matrimonium præsumptum illam vim non habet. Et confirmatur. Verba legis non sunt ad improprios sensus, & significationes extendenda. Ergo non est extendendus hic fauor matrimonij ad matrimonium improprium, & nullum.

Cæterum verius est matrimonium præsumptum; si tamen ab Ecclesia, vt validum reputetur, legitimare prolem antea susceptam, sic Mol. *de Hispanor. primogen. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 11. Matienzo *leg.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5 *recopil. glos.* 1. *n.* 3. Suar. *de irregularit. disp.* 50. *sect.* 1. *n.* 11. Basil. de Leon *lib.* 11. *de matrim. cap* 1. §. 2. *num.* 13. Garc. 7. *p. de benef. cap.* 2. *n.* 30. Ratio desumitur ex *c. quod nobis, qui filij sint legitimi, & ex cap. tanta, iuncto cap. ex tenore. eodem tit.* vbi matrimonium cum impedimento dirimente contractum, sed ab Ecclesia approbatum, eo quod cum solemnitatibus ab ipsa præscriptis, & bona fide contrahentium celebratum fuerit, vim habet legitimandi prolem illo tempore susceptam. Ergo etiam vim habebit legitimandi prolem ante illud matrimonium generatam; quia in ordine ad legitimationem prolis matrimonium fictionis iuris retrotrahitur ad tempus, quo filij generati sunt, & præstat, ac si tunc matrimonium contractum esset. Et hinc soluitur ratio contraria. Conceditur enim hic fauor non solum matrimonio vero, sed præsumpto; quia esto regulariter verba legis improprianda non sint, at aliquando impropriantur, præcipuè si ex aliis legibus colligitur ad improprios sensus esse extendenda.

4 Hanc vim legitimandi prolem habet matrimonium, quocunque tempore contrahatur in articulo mortis; quia in illo articulo verum matrimonium contrahi potest. Nam licet in illo articulo propter extinctionem spirituum vitalium generare quis non possit, id est per accidens; ex se tamen potestatem habet ad copulam, quod sufficit ad verum matrimonium contrahendum. Et idem est de sene, & sterili alias potenti: sic post alios antiquiores Couarr. 2. *part. de sponsal. cap.* 8. §. 2. *num.* 10. Azor. 2. *part. lib.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 11. Mol. *lib.* 2. *de primogen capit.* 5. *num.* 25. noster Molina *tract. de iustit. disp.* 172. *vers. dubium præterea.* Basil. de Leone *lib.* 11. *de matr. capit.* 1. §. 1. *numero* 8.

5 Secundo habet hanc vim, quamuis non subsequatur immediate, sed aliud matrimonium intermediet; quia illud est per accidens, neque impedite potest matrimonij legitimationem, sicut neque impedit illius valorem: sic Couarr. *dicto* §. 2. *num.* 28. Sayrus *lib.* 6. *de irreg. c.* 10. *n.* 19. Azor. *tom.* 2. *l.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 5.

6 Tertio præstat legitimitatem, quamuis sint coniuges dispares in genere & diuitiis aliisque dotibus. Nam cum hæc disparitas valorem matrimonij non impediat, non potest impedire legitimitatem ab eo prouenientem: sic Couarr. *dicto c.* 8. §. 2. *n.* 9. Fachin. *lib.* 3. *controu. c.* 53. *Neque obstat.* §. *sed & aliud. in auth. quibus modis naturales efficiantur legitimi.* vbi conceptus ex meretrice non videtur matrimonio fieri legitimi, ibi: *neque dignum existimauit legitimo quodam nomine.* Non, inquam, obstat; nam vt bene Couarr. ex Iasone interpretatur, textus ille loquitur de meretrice, de qua non erat certum, à quonam viro concepe-rat; an à viro, quo cum contrahit matrimonium, an ab alio, & forte vxorato; eaque de causa eius filius legitimus esse non potest subsequenti matrimonio; quia forte non subsequitur matrimonium inter illos, à quibus genitus est. Adde iure ciuili plurimi impediti erant contrahere, vt expendit Basil. Legionem *l.* 11. *de matr. c.* 1. *n.* 2. quorum impedimenta iure Ecclesiastico. cui in hac parte standum est, sublata sunt.

7 Quarto legimos reddit filios matrimonium, etiamsi in illo non intercuiant nuptialia instrumenta, hoc est, scriptura dotis, aut donationis propter nuptias, aliaue nuptiarum solemnitas. Quia ab his valor matrimonij non pendet, saltem iure canonico spectato & consequenter neque legitimatio inde proueniens: sic omnes doctores.

8 Solum est dubium an non solum quoad forum Ecclesiæ, sed etiam quoad ius Cæsareum hoc verum habeat? Negant plures doctores relati à Couarr. 2 *p. de sponsal. cap.* 8. §. 2. *n.* 8. Azor. 2. *p. lib.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 4. & plures relati à Fachineo *l.* 3. *contro.* 51. Mouentur; quia esto iure Cæsareo contrahi possit matrimonium absque dotalibus instrumentis; vt in *l. fin. Cod. de donationib. ante nuptias, & aliis pluribus. ff. de donationib.* Ae cum ea, qua cum quis accessum habuit, iustè contrahi non potest, *nisi, de nuptiis. §. aliquando. & auth. quib. modis naturales efficiantur sui. §. vlt.* Ergo si contractum, non valebit ad prolem legitimandam. Et confirmo; quia secluſa scriptura dotis hi filij non vocantur ad successionem. Ergo non sunt legitimi.

Dicendum tamen est legitimos esse, etiam iure Cæsareo spectato. Quia finis ob quem legitimatio prolis, per subsequens matrimonium etiam à iure ciuili conceditur, est, vt contrahentes alias turpiter viuentes à turpitudine essent affectu legitimandi prolem. Sed huiusmodi effectus non pendet à promissione dotis, & solemnitate nuptiarum, sed à matrimonio inter ipsos contracto: ergo à solo matrimonio absque dotalibus instrumentis legitimatio pendet. Quod si specialiter leges expostulârunt in hoc matrimonio dotalia instrumenta, non fuit, quia sine ipsis matrimonium stare non posset; sed quia sine ipsis instrumentis raro poterat constare contractum esse; illis namque deficientibus præsumebatur simulatio, & concubinatus continuatio: sic ex Donello *lib.* 2. *comment. cap.* 21. *vers. nuptiis cum eadem muliere.* docet Basil. de Leon. *lib.* 11. *de matr. cap.* 1. §. 3. *n.* 20.

9 Quinto hæc vis legitimandi prolem continet matrimonio; tametsi parentes legitimationi contradicant. Quia cum contradictio parentum non impediat matrimonij valorem, neque legitimationem inde prouenientem impedire potest. Quod non solum verum habet spectato iure canonico, de quo est certissimum, sed etiam spectato iure ciuili; quia nullibi cautum est ad hanc legitimationem consensum parentum esse requisitum. Neque obstat, *text. in Authent. quib. modis naturales efficiantur sui. §. si vero is.* vbi fieri non potest filius legitimus, si parentes contradicant. Non, inquam, obstat; quia supradicta constitutio non loquitur de legitimatione facta per matrimonium, & ab ipso iure, sed de legitimatione ex rescripto principis: cui si parentes contradicant, nullius effectus est: sic alis relatis Couar. 1. *part. de sponsalib. c.* 8. §. 2. *num.* 11. Molina *tom.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 172. *num.* 5 Sayrus *lib.* 6. *de irregular. c.* 10. *num.* 21. Basil. de Leon. *l.* 11. *de matr. c.* 1. §. 3. *num.* 21. Azor. 2. *p. instit. moral. l.* 2. *c.* 13. *q.* 11.

10 Sexto neque filiorum contradictio impedire potest hanc matrimonij legitimationem: quia hic est fauor matrimonio concessus, illique annexus, cui nemo valet renunciare, *cap. si diligenti. de foro compet.* Quod certè spectato iure canonico (quidquid dicat Fachin. *lib.* 3. *controuers. c.* 54.) indubitatum esse debet, vt tradit aliis relatis Azor *p. instit. lib.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 11. Couar. 2. *p. de sponsalib. capit.* 8. §. 2. *n.* 16. Molin. *tom.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 172. *n.* 4. Basil. de Leon. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 1. §. 3 *n.* 12. At si ius ciuile spectemus, contradictio filiorum impedit legitimationem, constat ex §. *generaliter in Authent. quibus modis naturales efficiantur sui*; cuius hæc sunt verba. *Generaliter autem in omnibus, qui per prædictum modum deducuntur ad legitimum ius, tunc id volumus obtinere, cũ & filij hoc ratum habuerint. Nã si soluere ius patriæ potestatis inuitis filiis non permissũ est patribus multo magis sub potestatem redigere inuitum filium, & nolentem siue per obligationem ad curiam, siue per instrumentorum celebrationem, siue per aliam quamlib. machinationem, tanquam sortem metuentem paternam iustum non est, neque imperij & legislatoris ponimus proprium.* quæ verba clarissima sunt pro hac parte, vt tradit Couarruuias, Basilius, Fachineus *supra*, & alij apud ipsos. Sed quia in materia legitimationis prouenientis ex matrimonio ius canonicum ciuili præualere debet

debet; ea de causa etiam in tertis imperij contradictio filiorum legitimationi non obstat.

11 Septimo neque filiorum ingratitudo hanc legitimationem reuocare potest. Nam esto legitimatio inducta beneficio principis, ingratitudine reuocetur; quia libertati comparatur. At legitimatio per matrimonium, quæ legitimatio est naturalis, ingratitudine non reuocatur; vt benè aduertit Couarruu. 2. *p. de sponsal. cap.* 8. *n.* 14. Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 2. *c.* 13. *q.* 14. *in fine.*

12 Octauo valet matrimonium ad legitimandum nepotem, etiam mortuo filio naturali. v. g. habuisti filium naturalem, & ex eo nepotem legitimum. tu I s filij, qui nepos tibi succedere, non potest; quia non habet iura legitimi comparatione tui, vt in *leg. fin. cod. de naturalib. liberis.* At si mortuo tuo filio concubinam ducas; eo ipso nepos tibi legitimatus redditur. Quia ea est vis matrimonij, vt legitimos reddat omnes descendentes ante tale matrimonium genitos, vt satis indicat *textus in cap. tanta. qui filij sint legitimi. Tanta* (inquit textus) *est vis matrimonij, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi reddantur.* Notanter nomen filiorum non expressit, vt omnes descendentes comprehenderet. Item legitimatio nepotum non pendet ex legitimatione filiorum: sed filiis deficientibus ad nepotes legitimatio deriuatur; quia non fauore filiorum, sed ipsius matrimonij legitimatio fit. *ex dicto cap. tanta*, ibi *tanta est vis matrimonij.* Deinde valet argumentum de adoptione ad legitimationem, vt benè expendit Anton. Gomez, statim allegandus, sed mortuo filio benè potest auus aliquem adoptare in nepotem. *textus in leg. adoptare. ff. de adoptionib. textus in §. 1. instit. eodem. tit.* Ergo per matrimonium legitimari potest nepos, etiamsi filius mortuus sit. Item per rescriptum principis benè potest auus, qui non habet filios, legitimate nepotem spurium, vt tradit Bart. *in leg. Gallus §. tunc de lege Velleia fin. col. ven. q. ff. de liber. & posthum.* Ergo etiam per matrimonium id præstare poterit. Præterea probat *textus in leg. si filii. ff. de gradibus*: ibi, *si filio meo mortuo filiũ adoptauero, videri eum defuncti fratrem fuisse*, si adoptatus filius censetur frater filij iam mortui: sicut enim non requiritur, vt filius viuat, vt adoptatus censeatur frater defuncti, neque etiam requiri debet, vt nepos ab auo legitimetur. Non enim legitimatur mediante filio mortuo, sed immediatè ab auo per matrimonium subsecutum: & ita tradunt, aliis relatis, Ioan. Azor. 2. *p. instit. lib.* 2. *c.* 13. *q.* 13. Couarruu. 2. *p. de sponsal. c.* 8. *§.* 2. *n.* 19. *& seqq.* Fachineus *l.* 3. *controuers. c.* 56. Molina *de Hispanor. primogen. l.* 3. *c.* 1. *n.* 9. noster Moliua *dicta disput.* 172. *n.* 10. Basil. de Leon. *l.* 11. *c.* 1 *§* 3. *n.* 23. Anton. Gomez. *leg.* 9. *auri n.* 61. *& 62.*

13 Sed aduersus supradictam conclusionem graues doctores pugnant. Decius *cons.* 343. Gregor. Lopez *leg. tit.* 13. *part.* 4. *colum.* 2. *in fine.* Anton. Gabr *de legitimat. concl.* 1 *n.* 52. & alij relata à Fachineo, Couarruu. Anton. Gomez. Probant primo hac ratione, quia legitimatio ad nepotes deriuatur mediis filiis; quia legitimatio filiorum videtur esse fundamentum ligitimationis nepotum. Aliàs si independenter à filiis nepotes possent legitimari, etiamsi ex legitimo matrimonio nepotes nati non essent, matrimonio aui legitimarentur. Sed filij iam mortui legitimari non possunt. Ergo neque nepotes. Secundo nepos cum auo coniungitur medio filio ab auo genito, sed filius mortuus non potest auo coniungi. Ergo neque potest facere, quod nepos illi coniungatur: quia vbi medium est inhabile, impedit extrema coniungi. *textus in leg. qui sella. §. fin. ff. de seruitutib. rustic. prædior. textus. in leg. tria prædia eodem tit.* Tertio est *textus cum glossa in leg. is qui* 44. *ff. de adoptionib.* vbi non potest quis adoptari in nepotem ex filio mortuo. Ergo neque legitimari. Quarto adducitur *textus in leg. qui libertinus. §. hoc hunus. ff. de operis libertor.* vbi libertus promittens domino suo aliquas operas, ab illis liberatur, si habeat duos, vel plures filios. At si decesserit relicto posthumo in ventre vxoris, qui natus est post mortem patris, non liberantur hæredes ab obligatione; eo quod (inquit textus) proficisci liberatio à liberto debet. Neque quisquam post mortem liberari intelligi potest. Sed idem videtur dicendum in nepotibus comparatione aui, vt scilicet legitimari non possint, filiis aui non legitimatis.

14 Verum hæc non vrgent: & vno verbo illis satisfacere possumus, dicentes legitimationem nepotibus comparatione aui non communicari à filiis, sed ab ipso matrimonio inter auum, & concubinam eius celebrato. Quod inde constat: nam si hoc matrimonium celebratum non esset, nunquam nepotes comparatione aui manerent legitimati. Sed maioris claritatis gratia ad primum negamus legitimationem filiorum esse fundamentum legitimationis nepotum: non enim tale est, sed ex ipso matrimonio aui filij, & nepotes immediatè legitimantur. Neque reputo inconueniens nepotem illegitimum comparatione aui per matrimonium ipsius aui in nepotem legitimari. Ad 2. dico, nepotem coniungi coniunctione naturali cum auo medio filio per generationem: at illa coniunctione supposita coniungi potest in ratione legitimationis absque vllo medio. Ad 3. dico non posse quem adoptari in nepotem ex filio mortuo, nisi exprimatur, cuius filius sit. At facta illa expressione benè potest adoptari. Ad 4. ex *leg. qui libertinus*; respondeo esse longè diuersam rationem: ibi enim liberatio hæredum à liberto prouenit debebat: at in præsenti legitimatio nepotum (vt sæpè dictum est) non prouenit à filiis, sed à matrimonio tempore habili contracto. Ruisus si de modo legitimandi loquamur, ita matrimonium subsequens prolem antea susceptam legitimam reddit ad omnes iuris effectus; ac si veris coniugibus suscepta esset: sic Glossa ab omnibus recepta. *in dicto c. tanta. qui filij sint legitimi*: & probat *lex.* 11. *tauri. & lex.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5 *recopilat.* Sunt enim per omnia iuris fictione legitimi. *Authent. quibus modis natura, es efficiantur sui. §. si quis igitur dotalia. ibi, & filios, vel præcedentes* (nuptias scilicet) *vel conceptos legitimos esse sancimus.* sic Couarruu. 2 *p. de sponsalib. c.* 8 *§* 2. *n.* 11. Mol. *l.* 3. *de primogen. c.* 1. *à. n.* 6. noster Mol. *tract.* 2. *disp.* 172. *n.* 6. Basil. de Leon. *l.* 11. *c.* 11. *n.* 3.

15 Hinc fit sic legitimatos habiles esse ad ordines, & beneficia, etiam ad episcopatum, ac si constante matrimonio nati essent. Quia æquè ac illi ex iuris fauore sunt legitimi. sic Couarr. *n.* 25. Basil. de Leon. *n.* 5. Molina *dicta disp.* 172. *n.* 6. Azor. 2. *p. lib.* 2. *c.* 13. *q.* 14. Quod adeo verum est, vt si ante contractum matrimonium ordines susceperas, illo contracto poteris ordines exercere; quia tibi sublata est irregularitas, quæ solum ex illegitimitate pendebat. Basil. *supra.* cum Sayro *lib.* 6. *de irregular. c.* 10. *n.* 30. Fit secundo ex pacto legitimatos succedere patri in emphyteusi ecclesiastica, in feudo, in hæreditate, & maioratu, ac filios legitimos: quia per omnia habentur legitimi, imo ita succedunt, vt in successione præponantur filiis aliis ex tali matrimonio, vel ex alio posteriori genitis, tanquam maiores natu: sic Couarr. vterque. Molina. Basilius Azor. *supra.* Fit tertio ob eandem rationem hac legitimatione filiorum reuocari donationem factam à parentibus, sicut reuocatur natiuitate filiorum. Deinde reuocari etiam substitutum patri, vel matri sub ea conditione positum, si sine liberis legitimis decesserint, quia iam non decedũt sine filiis legitimis, cum verè hi legitimi sint; sic doctores relati. Fit quarto hos filios sic legitimatos habiles esse ad omnia, quæ legibus municipalibus filiis legitimis deferuntur. Quia verè subsecuto matrimonio sunt filij legitimi. Neque obstat quod *in cap. tanta. qui filij sint legitimi*, dicat Pontifex; *legitimi habeantur*; tacitè insinuans non esse legitimos, sed pro legitimis haberi, & reputari. Non, inquam obstat, quia verbũ illud *habeantur*, positum à potente filios legitimare, veritatem indicat, non fictionem; facitque hunc sensum, legitimi habeantur, & iudicentur; quia verè legitimi sunt: quod pluribus exornat Couarr. 2. *p. de sponsal. c.* 8. *§* 2. *n.* 26. Azor. 2. *p. l.* 2. *c.* 13. *q.* 14. Basil. *l.* 11. *de matr. c.* 11. *n.* 4. Fit quinto sic legitimatos admitti debere ad successionem hæreditatis, fidei commissi, feudi maioratus, & similium, quæ expressim filiis natis ex legitimo matrimonio deferuntur: sic Cou. *n.* 30. Basil. *n.* 10. Mol. *de primog. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 10. Molin. Iesuita *d. disp.* 172. *n.* 8. *vers. licet filij.* & alij apud ipsos. Ratio est, quia cum matrimonium fictione iuris retrotrahatur ad tempus conceptionis filiorum, filij antea geniti, illoq; matrimonio honestati, ex legitimo matrimonio nati dicuntur: confirmat optimè Couarr. *ex text. in c. cum in cunctis de electione*, vbi statuitur episcopum eligi debere ex legitimo matrimonio natum, & tamen in *c. innotuit. cuncta glossa* communiter recepta, admittitur legitimatus per subsequens matrimonium. Ergo sic legitimatus verè dicitur natus ex legitimo matrimonio. Aduerte in institutione maioratus posse hos legitimatos à successione excludi, vel minoribus natu legitimis, imo & transuersalibus postponi: quia cum in sua potestate situm sit vocare quos voluerit, poterit iis reiectis solum eligere illos, qui post contractum matrimonium geniti sint. Mol. *disp.* 172 *vers. licet.*

16 Sed vt vis, & efficacia huius legitimationis per subsequens matrimonium eluceat, duo restant examinanda. Primum est, an matrimonium ita legitimet filium antea genitum quoad successionem, vt à puncto natiui: atis, censeatur legitimus, tametsi aliud matrimonium intermediet? Verbi gratia, susceperis ex concubina filium, duxisti aliam, ex qua filios procreasti, ea mortua duxisti concubinam, filiusne ex concubina, qui est maior natu, præferri debet in successione filiis, qui prius fuerunt legitimi? Affirmant plures præferendum esse; sic citatis aliis Couarruu. 2. *part. de sponsalib. cap.* 8 *§.* 2. *numero* 28. Basil. de Leon. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 31. *num.* 9. Mouentur, quia matrimonium quoad legitimationem filiorum retrotrahitur ad tempus, quo fuerunt concepti: sed si illo tempore matrimonium contractum esset, ille filius concubinæ præferendus esset aliis filiis ex matrimonio postea genitis. Ergo etiam modo præferri debet. Quod si dicas matrimonium cum concubina retrotrahi ad tempus, quo filius ex ea fuit conceptus, casu quo nullum filiis legitimis præiudicium irrogatur, obstat: quia hæc limitatio videtur gratis apposita; cum enim *textus in cap. tanta, & ibi glossa* communiter recepta, absolutè dicant tales filios legitimos haberi. sine fundamento fauor hic per legem matrimonio factus restringeretur; præcipuè cum satis receptum sit, quoties à iure fit retrotractio alicuius actus, fieri cum omnibus illius qualitatibus. *arg. textus. in l. potior. ff. qui potiores in pignore habeantur.* Et præterea quia copula illa cum concubina subsecuto postea matrimonio, fingitur à iure, ac si copula matrimonialis fuisset quoad prolis legitimationem. Ergo habet

omnes qualitates, quas matrimonium legitimum haberet, quia supponitur à iure loco illius arg. *textus in leg. Cornelia, ff. de testam.* eaque de causa sic per matrimonium legitimatus habet omnes successiones, & suitates, quas haberet, si aliàs ſtâte matrimonio susceptus esset, quia per omnia legitimo æquiparatur, vt expressè probat *textus in Authent. quibus modis natural. efficiantur sui, §. reliqui, col. 7. & in §. adoptiones, in fine. eodem Authent.* Adde ex omnium sententia legitimas filiorum, qui constante matrimonio susceptis sunt diminui ex legitimatione facta subsecuto matrimonio cum concubina. Ergo præiudicium in iure quæsito filiis legitimis obstare non potest legitimationi filij concubinæ quoad prælationem in successione. Et ratio ea videtur esse; quia ius quod filiis legitimis constante matrimonio generatis acquiritur, est ius spe tantum, & sub conditione, ne filius concubinæ prius genitus legitimetur. Ergo illo legitimato per subsequens matrimonium, cessat ius in filiis legitimis; sicut etiam cessat integra portio legitimæ, quæ illis debita erat. Quod confirmari potest exemplo primogeniti mortui, & postea resurgentis. Nam esto ius esset quæsitum secundo genito, ab illo tolleretur, & rediret primogenito; quia solum sub conditione ne viuat primogenitus illi est concessum: sic videtur dicendum in præsenti, esse quidem ius legitimis acquisitum sub conditione, ne filius concubinæ legitimetur.

17 Cæterum etsi hæc sententia probabilis sit, tenenda tamen est in iudicando, & consulendo contratia. Tum quia communis. Tum quia fortioribus rationibus fulcitur. Tenet eam plures referens Tiraq. *de primog. q. 34. num. 5. & seqq. præcipuè num. 43.* Molina *de primog. lib. 3. cap. 1. num. 7.* Anton. Gomez. *l. 11. tauri. num. 64.* Azor. *2. p. lib. 2. c. 13. quæst. 15.* noster Molina *tom. 1. tract. 2. de iust. disp. 172. vers. merito.* & alij apud ipsos. Ratio fundamentalis est, quia filius constante matrimonio, & minoribus natu genitis ius prælationis absolutè quæsitum est, antequam filius concubinæ legitimaretur; quia prius fuerunt legitimi: sed subsequens matrimonium nequit hoc ius quæsitum tollere. Tum quia iuri quæsito nunquam intelligitur princeps velle derogare, nisi clarè exprimat. Tum quia legitimatio nunquam retrotrahitur in præiudicium alterius ex *text. in §. liceat igitur. & §. sit igitur licent. Authent. quib. mod. natural. efficiant. legitimi. collat. 6.* præcipuè cum cedit in præiudicium matrimonij antea contracti, & filiorum, qui inde sunt geniti. Ergo filius concubinæ non legitimatur quoad prælationem compatatione filiorum, qui ex priori matrimonio fuerunt geniti. Et confirmari potest aliquibus textibus adductis ab Antonio Gomez; qui satis verisimiliter hanc communem sententiam probant, primo ex *text. in cap. si prote. de rescriptis in 6.* vbi si alicui mandatur prouideri de beneficio vacaturo, & alteri purè beneficium prouidetur, qui pendente conditione primi receptus est, hic secundus præfertur primo, etiamsi postea purgetur conditio, & recipiatur, & hoc nulla alia ratione, nisi quia huic secundo est prius ius purè quæsitum: sed filiis constante matrimonio genitis est prius ius prælationis, & successionis in maioratu quæsitum quam filio concubinæ qui solum est ius concessum sub conditione, quod matrimonium cum concubina contrahatur. Ergo filij geniti constante matrimonio præferendi sunt filio concubinæ. Secundo ex *text. in cap. quamuis. eodem tit. de rescript. in 6.* vbi si alicui esset gratia concessa de beneficio vacaturo, & hæc esset reuocata, & alteri concessa, esto postea primus esset ad gratiam restitutus, non præfertur secundo, cui est ius acquisitum, quia debet intelligi restitutio sine præiudicio tertij; facitque *textus in c. si Apostolica. de præbend. in 6.* Sed legitimatio est quædam natalium restitutio ex *dicto §. liceat igitur. Authent. quibus modis naturales efficiantur legitimi. collat. 5.* Ergo non debet intelligi cum præiudicio illorum, quibus ius prælationis, & successionis est quæsitum. Tertio probat *ex textu in leg. quoties Cod. de rei vindicat.* vbi habetur illum esse præferendum, in quo prius concurrit traditio, & qualitas prælationis, sed in filiis constante matrimonio genitis prius concurrit qualitas legitimatis, & consequenter prælationis, & traditionis. Ergo tandem probant Antonius Gomez, noster Molin. & alij hanc sententiam ex ratione satis congruenti. Quia si filius illegitimus naturalis præferendus esset legitimis genitis, vxor prius legitima grauiter decepta esset, neque matrimonium celebraret, si id fieri posse intelligeret. Ne igitur in hoc inconueniens decidamus, affirmandum est filium illegitimum concubinæ, & subsequenti matrimonio legitimatum, à puncto conceptionis non legitimari quod prælationem comparatione filiorum prius legitimorum, ob ius prius illis quæsitum.

18 Ex his soluitur fundamentum contratiæ sententiæ. Concedo subsequuto matrimonio filiis naturalibus antea genitis omnes qualitates, & iutis effectus concedi, qui filiis legitimis conceduntur, nisi aliis fuerint concessi: At quando filius concubinæ legitimatur, iam est ius prælationis, & successionis concessum in maioratu filiis constante matrimonio genitis, non igitur illi concedi potest, sed habetur, ac si ex secundo matrimonio genitus esset. Quod autem adducitur de minoratione legitimæ, parum urget; tametsi Basilium Legionen. conuincat, Quia filiis maioribus ob legitimationem prius obtentam nulla specialis, & determinata quota portionis debetur, sicuti debetur prælatio successionis in maioratu. Sed illis debetur ea legitimas quæ ex hæreditate diuisa in omnes filios per æquales partes resultauerit. Vnde sicut filij postremo nati dici propriè non possunt præiudicare filiis prius natis in legitima; quia nunquam acquisierunt ius ad determinatam portionem: sic filius concubinæ subsecuto matrimonio legitimatus, dici non potest in legitimis præiudicare filiis prius legitimis. Quia ad hoc præiudicium sufficit, quod legitimus sit à puncto contracti matrimonij, esto eius legitimatio non retrotrahatur ad punctum conceptionis.

19 Secundum, quod restat examinandum, est, an si matrimonium contrahas cum concubina in odium subſtituti, cui maioratus est adiudicatus, casu quo sine liberis decesseris, filij concubinæ ita legitimentur, vt subſtitutum excludant? Negat communis sententia, quam refert & sequitur Molina *lib. 2. de primogen. cap. 5. num. 27.* Ant. Gomez. *l. 9. tauri. num. 58.* Mouentur, quia iustum non est, vt sic contrahens ex sua iniquitate, & malitia commodum reportet, & subſtituto damnum inferat, ob quam rationem monasterium, quod ob religiosi ingressum loco filij succedit, & subſtitutum excludit, vt probat Felin. *in cap. in præsentia, de probationib. num. 36.* Decius *ibid. num. 56.* Ant. Gomez *num. 59.* Molina *n. 28.* à successione excluditur, & subſtitutus præfertur, si constet in odium subſtituti ingressum factum esse, vt satis colligitur ex *cap. constituit. vlt. 20. quæst. 3.* vbi circumuenti promissionibus Episcopi, vel Abbatis tonsuram suscipientes, esto in illo ſtatu permanere debeant, res tamen eorum non conuentui, sed hæredibus restituuntur.

20 Cæterum verius est oppositum, vt optimè defendit noster Molin. *tract. 2. disp. 172. vers. contrariam sententiam.* Menchaca *lib. 3. controu. cap. 41. num. 5.* Francisc. Sarmient. *lib. 1. select. interpret. cap. 6.* Basil. de Leon. *lib. 11. de matr. cap. 11. num. 11.* Ratio ea est, quia sic contrahens peccat in motiuo & fine, quam matrimonio apponit, non tamen peccat in matrimonio contrahendo; cum talis contractus illi licitus sit, sed ex matrimonio prouenit legitimatio prolis, non ex fine, quem contrahens matrimonio apponit. Ergo ex illo matrimonio manet proles legitimata. Ergo excluſus subſtitutus. Neque verum est sic contrahentem ex sua iniquitate, & malitia commodum reportare, & damnum innocenti subſtituto inferre: siquidem excluſio subſtituti non ex malitia contrahentis, sed ex matrimonio contracto prouenit, in quo dici non potest contrahens malitiosè procedere, cum vtatur iure suo, eique licitum sit. Textus vero in *c. constituit*, loquitur de speciali, & diuerso casu in pœnam, inquam, prælatisqui turpe lucrum inducentes, aliquos ad religionem fallaciis, & deceptionibus permouent: in pœnam, inquam, huius delicti monasterium hæreditate priuatur, quæ pœna trahi non debet ad contrahentem matrimonium, vel ingredientem religionem ex odio subſtituti.

§. III.

Qui filij illegitimi subſequenti matrimonio legitimentur.

1 *Filij nati, & concepti ex parentibus, inter quos matrimonium esse non potest, non legitimantur.*
2 *Econtra filij ex habilibus ad contrahendum procreati legitimantur.*
3 *Si tempore copulæ parentes non fuerint inhabiles, esto fuerint tempore natiuitatis subsequenti matrimonio legitimantur filij.*
4 *Si tempore copulæ inhabiles extiterunt, esto tempore natiuitatis fuerint parentes habiles. Plures censent non legitimari filios.*
5 *Contrarium est probabilius.*
6 *Dissoluitur fundamentum oppositum.*
7 *Idem dicendum est de filio concepto, & nato tempore, quo parentes inhabiles extiterunt, si dum fuit in ventre, habiles extiterunt.*
8 *Si solum ab vno parente impedimentum fuerit cognitum, plures censent non posse legitimari.*
9 *Probabilius est legitimari posse.*

1 REgula est filios natos, & conceptos ex parentibus, inter quos validè matrimonium contrahi non potest, subsequenti matrimonio nō legitimari deciditur in *c. tãta. qui filij sint legitimi*; vbi suscepti filij ex concubina viuente propria vxore, tametsi postea vxore mortua concubinam duxeris, non legitimantur. Et idem est de quolibet alio impedimento, sic omnes doctores, & ratio est manifesta. Nam matrimonium subsequens extenus prolem antea susceptam legitimam reddit, quatenus ius fingit eo tempore, quo suscepta est, matrimonium esse contractum, at in impeditis impedimento ditimente id fingi non potest; quia matrimonium est illis impossibile. Ergo matrimonium subsequens non potest prolem susceptam ex impeditis impedimento ditimente legitimare.

2 Econtra

2 Econtra filij susceptiex habilibus ad contrahendum, quique vocantur filij naturales, & non spurij, subsequenti matrimonio legitimantur, vt deciditur in *dicto cap. tanta.* & tradunt omnes. Quapropter filius natus ex parente in minoribus ordinibus constituto, & beneficium habente, subsequenti matrimonio legitimatur; quia ordines minores, & beneficium non reddunt parentem inhabilem ad contrahendum, imo neque impedimum impedimento exigente dispensationem, cum in eius potestate sit se beneficio, & priuilegio ab ordinibus accepto priuare: sic aliis relatis, Couarr. 2. *p. de sponsal. cap.*8. § 2.*n.*5. Fachin. *lib.*3. *controuers.cap.*52. Sayrus *lib.*6. *de irregularit.c.*8. *num.*17. Basil. de Leon. *lib.*11. *de matrim. cap.*2.*num.*5. Deinde esto parentes voto simplici castitatis ligati essent, cum filium susceperunt, non inde impeditur filius à legitimatione subsequenti matrimonio; quia verè naturalis est,& non spurius, cum votum simplex castitatis non reddat inhabiles ad contrahendum: & ita præter relatos, §. 1. *num.*3. docet Basil. de Leon. *lib.*11. *de matrim. cap.*2.*n.*6. testaturque omnes doctores Salmanticenses consentire. Præterea ob eandem rationem filius susceptus ex parentibus, qui sponsalia de futuro contraxerunt, à legitimatione per subsequens matrimonium non excluditur, quia sponsalia non reddunt inhabiles ad matrimonium, vt supra dixi § 1.*n.*4.

3 Sed dubium est, an vt filius illegitimus à legitimatione per matrimonium impediatur, debeat esse conceptus, & natus eo tempore quo parentes sunt inhabiles ad matrimonium? Et quidem si tempore copulæ non fuerunt inhabiles, esto tempore natiuitatis inhabiles exiterint, filius inde natus subsequenti matrimonio legitimatur; quia absolutè non fuit ex inhabilibus, sed ex habilibus conceptus. Ergo matrimonium in illud tempus fictione iuris reiectum filium legitimum reddit, quodque satis colligitur ex *text. in dicto cap. tanta.* vbi ad impediendam legitimationem copula inter impeditos spectatur ibi: *si vir viuente vxore sua aliam cognouerit,*&c. Ergo stante copula libera ab impedimento filius subsequenti matrimonio legitimatur. Adde filium conceptum in iis quæ sua interfunt reputari natum. *l. qui in vtero.7.ff.de statu hominum.* Sed si conceptus, & natus esset ex habilibus ad contrahendum, nemini est dubium subsequenti matrimonio legitimari. Ergo etiam legitimatur, cum solum conceptus esse. sic multis relatis docet Garcia 7.*p.de benefic.cap.*2.*num.*38. Basil.de Leon. *lib.*11. *de matr. cap.*3.*n.*8.

4 At si tempore copulæ fuerunt inhabiles parentes, eo quod consanguinei essent, vel vxorati, alióve impedimento ligati ad contrahendum, quod impedimentum tempore natiuitatis filij cessauit, vel quia mortua est vxor, quia dispensatio impetrata est. Non desunt doctores, qui sentiant subsequenti matrimonio legitimari non posse. Sarmiento *lib.*1. *select.cap.*5. Garcia *de benefic.*7.*p.cap.*2.*à num.*38. & alij apud ipsos. Mouentur præcipuè ex *leg. Paulus* 11. *ff. de statu hominum.* vbi Iurisconsultus inquit, eum qui viuente patre, & ignorante de conceptione filiæ conceptus est, licet post mortem aui natus sit, iustum filium ei, ex quo conceptus est, esse non videri. Ecce qua ratione tempus conceptionis, & non natiuitatis inspicitur. Nam quia conceptionis tempore pater viuens in matrimonium filiæ non consensit, & iure ciuili matrimonium consistere non poterat; esto tamen tempore partus habilis filia fuerit ad contrahendum, vtpote sui iuris effecta, filius inde natus legitimus non videtur. Neque satisfacit solutio, quam tradit Couar.2.*p.de sponsalib.cap.*8.§.2.*à num.*2. & Fachin. *lib.*3. *controuers.cap.*50. *circa finem*, nempe illum filium legitimum non esse; quia non constat tempore natiuitatis fuisse inter eius parentes renouatum consensum, qui certè necessarius erat ad matrimonij valorem, cum præcedens consensus insufficiens fuisset ob ignorantiam patris. Non, inquam, satisfacit. Tum quia præsumitur adfuisse consensum post aui mortem. Tum quia si post aui mortem iste consensus non adfuit, nec fuit validum matrimonium, ridiculum erat Iurisconsulti responsum. Ergo dicendum tempus conceptionis spectari. Aliæ leges adducuntur in fauorem huius sententiæ, quas libens omitto; quia intentum non probant. Rationem vero subdit Sarmiento. Delictum (inquit) in coitu committitur, non in natiuitate. Ergo natiuitas inspicienda non est, præcipuè cum leges natiuitates filiorum spectantes, non tam pro illorum legitimitate, quam pro eorum libertate expediæ sint.

5 Cæterum mihi probabilius apparet, filium conceptum ex parentibus inhabilibus, natum vero ex habilibus legitimum reddi matrimonio subsequenti: sic aliis relatis Gregor. Lopez *l.*1 *tit.*13.*part.*4.*num.*3, Couarr. *cap.*8.§.2. *num.*2. Fachin. *lib.*3. *controu.cap.*50. Thom. Sanch. *lib.*8. *de matrim. disp.*7.*num.*19. & *disp.*35.*num.*47. Sayrus *lib.*6. *de irregular. cap.*10.*n.*19. Basil.de Leon *lib.*11. *de matr.cap.*3.*n.*2. Molina *tract.*2. *de iustit. disp.*172. *n.*2. Gutierr. *tract. de matrim.cap.*72.*à n.*6. Azor.2.*p.instit.mor. lib.*2.*cap.*13.*quæst.*8. & alij. Præcipuum fundamentum desumitur ex *textu in dicto cap.tanta. qui filij sint legitimi*, vbi non solum conceptionem, sed etiam natiuitatem filij ab impeditis videtur spectasse, ne filius subsequenti matrimonio legitimaretur, sed spurius remaneret. Inquit enim textus. *Si vir viuente vxore sua aliam cognouerit, & ex ea prolem susceperit,* &c. proles autem natiuitate suscipitur. Ergo non solum conceptio, sed natiuitas spectatur ad legitimum impedimentum. Deinde probari potest ex *l.*5.*ff. de statu hominum*: ibi, *ingenui sunt, qui ex matre libera nati sunt sufficit autem liberam fuisse eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit, è contrario si libera conceperit; deinde ancilla pariat, placuit eum qui nascitur liberum nasci.* Ad idem est *lex nuper. C. de naturalibus liberis*: ibi, *in huiusmodi quæstionibus, in quibus de statu liberorum est disputatio, non conceptionis, sed partus tempus inspiciatur, & hoc fauore facimus liberorum, vt editionis tempus statuamus esse spectandum, exceptis his tantummodo casibus, in quibus conceptionem magis approbari infantium conditionis vtilitas expostulat.* consentit iis *lex* 11. *Tauri, quæ est lex.*9. *tit.*8. *lib.*5. *recopil.* ibi: *Y porque no se pueda dudar quales son hijos naturales, ordenamos, y mandamos que entonces se digan ser los hijos naturales, quando al tiempo que nascieron, o fueron concebidos sus padres podian casar con sus madres iustamente sin dispensacion.* Ergo ex hac lege, & ex aliis relatis constat manifestè, vt filius spurius subsequenti matrimonio legitimari non possit, debere non solum concipi, sed nasci à parentibus toto illo tempore contrahere impeditis.

6 Fundamentum aduersæ partis facilè putat Basil. Legionen. *lib.*11. *cap.*3. *num.* 3. *fine*, dissoluere, dum dicit illam esse specialem iuris dispositionem in illo casu, quando matrimonium fit sine parentum consensu, vt filij inde susceptinunquam quoad successionem efficiantur iusti filij, licet matrimonium validum fuerit. Sed hoc dictum maiorem difficultatem ingerit. Nam admisso validum esse matrimonium, inspecto iure ciuili, absque consensu parentum celebrato (quod videtur esse contra communem sententiam,& contra expressum *textum in l.*2 *ff. de ritu nuptiar.*ibi: *Nuptiæ consistere non possunt,nisi consentiant omnes qui coeunt quorumque sunt in potestate.*) Vnde constat filios ad successionem inhabiles reddi, si quidem textus negantes filios illorum; qui sine parentum consensu matrimonium celebrarunt, iustos esse, nullam de successione specialem limitationem fecerunt. Quapropter retinenda est solutio Fachinei & Couarr. & ad eius impugnationem respondeo, illud matrimonium optime posse à filio mortuo parente nouo consensu celebrari. At quia de tali consensu non constitit; ea de causa dixit Iurisconsultus filium inde natum iustum non videri. Notanter dixit *iustum non videri*, quia non apparente nouo consensu non apparet iustum filium esse. Quod autem talis nouus consensus apparere non potuerit, inde colligitur. Tum quia constat post mortem parentes simul habitasse: bene enim poterat nasci filius absque cohabitatione; Tum quia nulla dotalia instrumenta adfuerunt, quæ ad nouum consensum, & valorem matrimonij, inspecto illo iure, videbantur requiri. Ad rationem respondeo, peccatum parentum adesse in copula, non in natiuitate filiorum. At quia legitimatio filiorum non est inducta in fauorem parentum, sed in fauorem ipsorum filiotem;& matrimonij,ea de causa quodlibet tempus, quod filiis vtilius sit,vel conceptionis,vel natiuitatis inspicitur. Neque verum est leges pro sola libertate,& non pro legitimatione loqui, cum dicat *lex nuper*, *& nostra lex Tauri*, expressè de legitimatione loquantur.

7 Sed quid si filius conceptus sit, & natus tempore quo parentes inhabiles ad contrahendum extiterunt, at aliquo intermedio tempore, quo in ventre extitit, habiles fuerunt? Casus est contingens. Potes namque viuente tua vxore concubinam cognoscere, moritur vxor, ecce habilis es ad contrahendum cum concubina; sed antequam filius nascatur, cognoscis eius consanguineam in secundo gradu, ob quod delictum impeditus es ad contrahendum. Filius ergo sic conceptus, & natus legitimabitur subsequenti matrimonio? Credo legitimari. Moueor ex *l. qui in vtero.ff.de statu hominum.* ibi,*qui in vtero est,perinde est,ac si in rebus humanis esset constitutus,quando de commodis eius agitur.* Sed si filius eo medio tempore, quo in vtero est, & parentes eius sunt habiles nasceretur, legitimus esset matrimonio subsequuto. Ergo etiam legitimus est censendus, esto tunc non nascatur. Deinde filius ancillæ libertatem obtinet, si eius mater tempore conceptionis, vel partus, vel dum illum in ventre habuit, libertatem obtinuit. §.1. *inst.de ingenuis.* Ergo idem dicendum est de legitimitate ob matrimonium subsecutum, cum sit eadem ratio, nempe fauor filiorum; & ita tenet Basil. Legion. *lib.*11. *de matr.c.*3.*n.*9.

8 Maior dubitatio videtur esse de filio concepto, & nato à parentibus impeditis contrahere, quod impedimentum ab vno saltem ex parentibus ignorabatur, an, inquam, talis filius subsequenti matrimonio legitimus reddatur? Negant grauissimi doctores, sic post alios antiquiores, quos referunt Couarr.2. *q. de sponsal.cap.*6.§.2.*num.*17. & 18. Francisc.Sarmient. *lib.*1. *select.cap.*6.Fachin.*lib.*3. *controuers. cap.*55. Garcia *de benefic.*7.*p. cap.*2.*num.*33. Molina *de Hispan. primogen.lib.*3.*cap.*1.*num.*11. noster Molina *tract.*2. *disp* 172. *in med. vers. dubium deinde est.* Ioann. Gutierr. *tract.lib.*2. *quæst.*105. *num.*9. & alij. Mouentur primo, quia in *cap. tanta. qui filij sint legitimi*, nulla fit distinctio de bona, vel mala fide, sed absolutè dicitur, non legitimari filium conceptum ex aliena, viuente vxore propria. Se-

cundo cum quis dat operam rei illicitæ, non inspicitur eius opinio, sed rei veritas. *leg. cum qui nocentem. §. si iniuria ff. de iniuriis. leg. aut qui aliter. §. si quis dum putat. ff. quod vi, aut clam. cap. inebriauerunt.* 15. *quæst.* 1. præcipuè cum non agitur de imputatione culpæ, aut pœnæ; sed de effectu inde subsecuto: sed mulier soluta dum se patitur cognosci, operam dat rei illicitæ. Ergo illius opinio, quod non adesset inter ipsam, & virum impedimentum, inspicienda non est, sed rei veritas, quod fuerint ad contrahendum impediti, & confirmat Fachineus ex *text. in cap. cum inhibitio. §. si quis vero. de clandestina desponsat.* vbi statuitur filios natos ex clandestino matrimonio in gradu prohibito contracto, licet ignoranter, legitimos non esse. *De parentum ignorantia* (inquit textus) *nullum habitura subsidium proles, dum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ esse videantur.* Ecce quia coniuges fuerunt in culpa clandestinè contrahendo, eorum ignorantia non inspicitur: sic in præsenti cum mulier se cognosci permittat contra canones, & diuinas leges, eius ignorantiæ de impedimento non est habenda ratio. Et hinc soluitur *textus in cap. ex tenore. qui filij sint legitimi*, qui in contrarium videtur facere, vbi filij nati ex matrimonio inualido, ab Ecclesia tamen approbato, legitimi sunt, quia ibi nullam culpam parentes commiserunt filios generantes; secus in nostro casu, vbi grauiter se cognoscendo peccauerunt.

9 Nihilominus contraria sententia, tanquam matrimonio, & filiis fauorabilior, amplectenda est; cum Glossa *in cap. tanta. qui filij sint legitimi. verbo aliam.* Surdo *cons.* 303. *num.* 20. *lib.* 2. Gratian. *discept. forens. cap.* 83. *num.* 22. Bassi. de Leon. *lib.* 11. *de matr. cap.* 2. *num.* 8. & aliis pluribus relatis ab Anton. Gabr. *de legitimat. cap.* 1. *concl.* 2. & Fachineo. & Couarr. *locis citatis.* Et probatur, quia posita ignorantia inuincibili impedimenti, saltem ex parte vnius coniugis, comparatione illius illa copula solum habet speciem intemperantiæ, non incestus, adulterij, aut sactilegij. Ergo comparatione illius filius genitus naturalis est, non spurius. Ergo legitimari matrimonio subsequenti poterit. Et licet in *cap. tanta*, nullam fecerit Pontifex expressam mentionem de mala fide parentum se coniungentium viuente propria vxore, id fuit, quia necessarium non erat; semper enim mala fides in tali copula præsumitur, dum contrarium non probatur. At si supponeret Pontifex bonam fidem, & ignorantiam impedimenti, aliud resolueret argum. *textus in cap. ex tenore, qui filij sint legitim.* vbi sola fides vnius coniugis contrahentis cum impedimento dirimente, sufficit, vt filij inde nati legitimi habeantur. Ergo etiam sufficiet ad prolem bona fide conceptam legitimandam. Nam si matrimonium illud contraheretur tempore quo copula illa fuit habita, bona fides vnius coniugis sufficeret ad legitimam reddendam prolem. Ergo etiam sufficere debet matrimonium postea contractum, quia fictione iuris, & in fauorem prolis retrotrahitur. Neque vlla habenda est consideratio, quod culpa in coniunctione fuerit commissa: quia non fuit commissa culpa in coniunctione impediente legitimitatem; siquidem nulla scientia impedimenti habita est.

Et ex his solutum manet primum, & vltimum argumentum contrarium. Ad 2. admitto in dante operam rei illicitæ non spectari opinionem, sed rei veritatem in iis, quæ ex ipso opere illicito formaliter, hoc est quatenus illicitum est, oriuntur. Secus in iis, quæ ex illo opere materialiter illicito proueniunt. Cum ergo ex illa copula fornicaria, inuincibiliter tamen ignorata, incestuosa, vel adulterina, non nascantur quoad opinionem committentium filij adulterini, vel incestuosi, sed naturales; efficitur sanè subsequenti matrimonio legitimari posse. Ad confirmationem ex *textu in cap. cum inhibitio*, respondeo esse longè diuersam rationem. Tum quia ibi matrimonium non est ab Ecclesia approbatum, ac proinde non habet vim legitimandi prolem susceptam. Tum quia illa ignorantia impedimenti non censetur à iure inuincibilis, sed potius crassa, & affectata, ideoque non excusat.

§. IV.

Qualiter rescripto principis filij illegitimi legitimari possint.

1 *Rescripto principis filij legitimantur.*
2 *In quo hæc legitimatio, ab ea quæ fit per matrimonium, differat.*
3 *In quo differat à dispensatione.*
4 *Non solet concedi hæc legitimatio cum præiudicio filiorum legitimorum.*
5 *Natiuitate filiorum legitimatio antea concessa videtur reuocata.*
6 *Excipe, nisi princeps contrarium velit.*
7 *Filius legitimatus hoc rescripto non potest à parentibus meliorari.*
8 *Succedit non solum parentibus, sed aliis consanguineis.*
9 *Transit in patriam potestatem.*
10 *Legitimatio rescripto principis sacularis, vel Ecclesiastici, qui censeant esse veram legitimationem, & an legitimetur quoad omnia ea, quæ talis princeps potest.*
11 *Legitimatio non tam ex potestate adæquata dispensantis, quam ex integra natalium restitutione desumenda est.*
12 *Restitutio ad omnes iuris canonici effectus est vera legitimatio canonica; & restitutio ad omnes iuris ciuilis effectus est legitimatio ciuilis.*
13 *An si princeps legitimet cum aliqua restrictione, censeatur dispensare, vel legitimare? Negant plures esse legitimationem.*
14 *Probabilius est legitimationem esse.*
15 *Soluuntur opposita fundamenta.*

1 Regula ab omnibus doctoribus recepta est, rescripto principis, hoc est eius indulgentia, & concessione illegitimos filios, legitimos reddi: cum enim legibus ab ipsomet principe latis sint redditi illegitimi, id est, inhabiles ad successionem, officia, beneficia, muneraque alia reipublicæ, eiusdem principis beneficio habiles reddi possunt, atque adeo legitimi.

2 Differt autem hæc legitimatio ab ea, quæ per matrimonium fit multipliciter. Primo namque legitimatio per rescriptum principis extendi potest, vt videbimus, tam ad filios naturales, quam spurios; cum tamen legitimatio per matrimonium solis filiis naturalibus concedatur. Secundo legitimatio per rescriptum non tollet ad omnes inhabilitates extendi; cum enim aliæ inhabilitates sint iure Pontificio introductæ, aliæ iure ciuili: Si rescripto principis Ecclesiastici filius legitimetur, eius legitimatio non extenditur ad inhabilitates iure ciuili introductas. Econtra si rescripto principis sæcularis fiat legitimatio, nequaquam ad inhabilitates iure Pontificio introductas extenditur. Quia non potest extendi ad id, quod extra eius est potestatem. At legitimatio per matrimonium omnes inhabilitates tam ciuiles, quam canonicas integrè tollit, redditque filios legitimos, ac si constante matrimonio concepti, natique essent.

3 Præterea legitimatio differt à dispensatione; in eo quod dispensatio est circa effectus; est enim concessio alicuius effectus illegitimis denegati; at legitimatio est circa personam: est enim personæ habilitatio, & incapacitatis sublatio. Ex quo fit dispensatum eam habilitatem habere, quæ ex verbis dispensationis strictè intellectis colligitur; at legitimatum per omnia legitimis adæquati, nisi ei expressè interdicatur. Azor. 2. *instit. lib.* 2. *cap.* 14. *quæst.* 2. Vnde legitimatus rescripto principis sæcularis in bonis parentis, & aliorum consanguineorum succedit, potestque agere querela inofficiosi testamenti, in quo exhæredatur, & dicere esse nullum testamentum, in quo præteritur, eo modo ac si legitimus esset, vt patet in *Authent. quibus modis naturales efficiantur sui. §. & quoniam varie. §. reliqui & aliis colla.* 7. & pluribus exornat Anton. Gomez. *l.* 9. *tauri. num.* 66. Couarr. 2. *p. de sponsal. cap.* 8. *§* 8. *num.* 2. Molina Iesuita *tract.* 2. *disp.* 173. *vers legitimatus.* Excipe, nisi cum ea restrictione legitimatio concedatur, vt possit succedere in eo quod pater ei reliquerit: tunc enim conqueri non potest se prætertum esse.

4 Excipe secundo, vt non censeatur legitimatio concessa cum aliorum legitimorum præiudicio: sic late, & optimè expendit noster Molina *dicto tract.* 2. *disp.* 174. Quocirca legitimatus principis rescripto non succedit in maioratu, neque in feudo, quod ad extraneos deuenire non potest, neque in legitima stantibus filiis legitimis, nisi expressè concedatur cum clausula derogatoria.

5 Quod si antequam filios legitimos habeas, obtineas rescriptum principis pro legitimatione filij naturalis, natiuitate filiorum legitimorum videtur legitimatio reuocata; quia censetur sub hac conditione concessa, ne filius legitimis præiudicium fiat, ea enim de causa stantibus filiis legitimis legitimatio obtenta pro filiis naturalibus subreptitia communiter censetur, si legitimorum mentio facta non sit; quia non præsumitur, velle principem filiis legitimis præiudicare, quando non exprimit. At idem præiudicium sequitur, si filij legitimi postea nascantur. Ergo non est censendus princeps in illo casu velle legitimationem concedere. Adde natiuitate filiorum donatio parentis extraneis facta reuocatur. Ergo etiam beneficium legitimationis reuocari debet; quia est quædam principis donatio, & parentis in illam consensus. Tandem pro hac parte est expressa decisio. *leg. tauri.* 12. *quæst.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5. *compilat.* & ita tradit Anton. Gomez. *ibi. num.* 68. Matienzo *l.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5. *compilat. glos.* 2. *in fine.* Aduertunt tamen supradicti doctores, non reuocari legitimationem concessam filio illegitimo natiuitate filiorum legitimorum quoad honores, & dignitates patris, & quoad successionem agnatorum; & cognatorum.

6 Verum si princeps sciens patrem habere filios legitimos legitimationem spurio concedit, vt verè concedere potest; quia in eius potestate est conditiones à se inductas pro legitimatione facienda abrogare, & legitimas filiorum diminuere, vel si legitimationem concedit sub expressa conditione, vt firma

manear

maneat, tametsi legitimi nascantur, filius legitimatus patri succedit, æquè ac alij filij legitimi, vt communiter doctores affirmant, quos sequitur Greg. Lopez *l.vlt.tit.15.p.4. in fine.* Eman. à Costa *in l.Gallus §. & quid si tantum. part.2. concl.2 à n.131.* Anton. Gomez. *l.9.tauri.n.67.* Mantienzo *l.10.tit.8.lib.5.recopil.gloss.2. n.2* Molina *disp.173. in medio.*

7 An vero filius legitimatus possit à parente meliorari? Credo cum communi sententia nequaquam posse; neque in eo maioratum institui; eo quod *Authent. quibus modis naturales efficiantur sui. §. & quoniam variè & l.vlt.§.vlt. Cod. de natur. liberis.* expresè dicatur non posse sic legitimato maiorem portionem relinqui ea, quæ aliis legitimis relinquitur. Et licet suprædictæ leges loquantur in legitimo per oblationem curiæ, idem est dicendum in legitimato per rescriptum principis; cum sit eadem ratio, & tradit pluribus firmans Molina *lib.2. de Hispanor primogen.c.11.à n.17.* nostet Molin. *tr.2. disp.173. vers. verum autem.*

8 Rursus legitimatus rescripto principis succedit non solum parentibus, sed etiam aliis ascendentibus, & agnatis, quia comparatione omnium est factus legitimus, habetur *Authent. quibus modis naturales efficiantur sui. §. si quis ergo filios. vers. quapropter. & l.g. 12. tauri.* Neque obstat *in §. filium eadem Authent.* dici filium per eiusmodi causam factum legitimum, ipsi soli genitori legitimum esse: quia est expressa limitatio pro legitimatione per oblationem curiæ, vt constat ex illis verbis *per huiusmodi causam.* &c. & ita tradit Gregor. Lopez *leg.7. tit.15. part.4.* Anton. Gomez. *leg.9. tauri. num.69.* Couarr. *2.p. de sponsalib. cap.8.§.10. num.2.* Molin. *d. disp.173. vers. item legitimatus.*

9 Deinde legitimatus rescripto principis in patriam potestatem transit, sicut filius legitimus; habetur *§. generaliter. Authen quibus modis naturales efficiantur sui*, & tradit Cou. *dicto c.8.§ 8.n.5.* Quod si de legitimato à Pontifice loquamur, habilis est perinde ac legitimus ad ordines, & quælibet alia beneficia, ita vt si plura beneficia obtineat, non sit obligatus illegitimitatis habitæ mentionem facere; quia hæc iam est beneficio principis omnino sublata: Couar. *2.p. de sponsal.c.8.§.8.n.5.* Mol. *disp. 173. circa finem.*

10 Sed est dubium, an legitimatio per rescriptum principis sæcularis vel Ecclesiastici sit vera legitimatio, an solum dispensatio? Et ratio difficultatis est; quia hac legitimatione tolluntur omnes inhabilitates ex natalibus prouenientes, sed eæ tantum, quæ sub illius principis potestate sunt, v.g. si est legitimatio concessa à Pontifice, tolluntur inhabilitates ad ordines, & beneficia, non ad successiones. Et econtra si est legitimatio concessa à sæculari principe non tollit inhabilitates ad ordines, & beneficia. Ergo illa legitimatio non est vera legitimatio, cum non tollat omnes natalium defectus, sed est in defectu natalium dispensatio. Aliàs sic legitimatus partim legitimus, & illegitimus maneret; quod est absurdum.

Propter hanc rationem Antonius Gabr. *de legitimat. conclus. 8.* censet illam dici veram legitimationem, quæ illegitimis restituitur ad omnes effectus possibiles à legitimante, illam vero esse dispensationem, qua ad aliquos tantum effectus restituitur, cum possit ad plures. Quocirca quia princeps sæcularis solum potestatem habet ad temporalia legitimandi, si hac potestate vtens ad omnia temporalia illegitimum restituit, vera est legitimatio; tametsi ad spiritualia non legitimet, at si eius potestatem restringat, & non ad omnia temporalia, quæ potest, legitimum reddat; non est censenda illa restitutio legitimatio, sed dispensatio.

Verum ex hac doctrina manifestè infertur sic legitimatum partim esse illegitimum, partim legitimum, cum ex parte solum sit natalibus restitutus. Item sequitur habentem potestatem dispensandi cum illegitimis ad ordines minores & beneficia simplicia, qualem habent Episcopi, posse legitimare, si integra sua potestate vtatur, quod est inauditum.

11 Quare dicendum existimo legitimationem non tam ex potestate adæquata dispensantis, quam ex integra natalium restitutione desumendam esse. Illa ergo erit legitimatio, qua illegitimus restituitur ad omnes iuris effectus.

12 Sed quia duplex est ius, aliud ciuile, aliud canonicum, duplex est legitimatio, alia ciuilis, alia canonica. Molina *tract.2. de iust. disp.171. circa finem.* Qui ergo ad omnes iuris canonici effectus fuerit restitutus, legitimus canonicè erit; qui vero ad aliquos, tantum erit dispensatus: sic qui fuerit ad effectus iuris ciuilis restitutus, legitimus ciuiliter erit; qui vero ad aliquos, dispensatus. Quod si vrgeas. Ergo stare optimè potest, esse aliquem partim legitimum, partim illegitimum; cum possit esse ad canonici iuris effectus restitutus, manens inhabilis ad effectus iuris ciuilis; aut econtra? Respondeo id non esse inconueniens, cum comparatione diuersorum iurium fiat: & ita tenent ferè omnes doctores in discursu referendi, supponentes principem sæcularem verè legitimare posse; tametsi solum reddat habilem illegitimum ad temporalia, plurib usque comprobat Couar. *2.p. de sponsal.c.8.§.8.n.4.*

13 Sed est dubium; an vera sit legitimatio, qua princeps te habilem facit simpliciter, vel ad temporalia, vel ad spiritualia, aliqua tamen restrictione apposita; v.g. Princeps sæcularis te habilem reddit ad omnia ciuilia, ita vt inde præiudicium filiis legitimis non proueniat, vel concedit successionem, si pater voluerit, vt tu illi succedas. Item Pontifex te habilem reddit ad ordines, & beneficia, ita vt Episcopus proprius non contradicat, estne hæc legitimatio, aut dispensatio?

Negant hanc esse legitimationem Antonius Gomez. *l.9. tauri. num.70.* & plures ab eo relati. Mouentur; quia legitimatio est natalium restitutio ad omnes effectus iure canonico, vel ciuili illegitimis denegatos: sed princeps legitimationem cum illa restrictione concedens non te restituit ad omnes effectus denegatos; si quidem non te restituit in casu quo præiudicium tertio fiat, neque ad successionem necessariam, sed voluntariam patris, neque ad beneficia, & ordines Episcopo contradicente, cum tamen vera legitimatio nullam horum limitationem dicat. Ergo talis restitutio non est legitimatio, sed dispensatio. Et confirmari potest, si te princeps ad successionem agnatorum, & non patris, habilem redderet, & Pontifex te capacem constitueret ordinum, & beneficiorum, nequaquam legitimatus esses in natalibus, sed solum dispensatus. Ergo etiam dispensatus es, & non legitimatus, cum te habilem constituit princeps absolutè suprædicta restrictione apposita, quia virtute illius restitutionis te habilem reddit ad vnos effectus, & non ad alios: deinde non potest fieri arrogatus, & adoptatus ad certum tempus; quia id adoptioni repugnat, ex *textu in l. si tibi ff. de adopt.* ergo neque ad certum tempus legitimatus. At ex appositione illius restrictionis censeris ad certum tempus legitimatus, quia censeris legitimatus, dum non est tertij præiudicium, vel Episcopi contradictio. Ergo, &c.

14 Nihilominus probabilius censeo appositionem suprædictæ restrictionis non impedire legitimationem, sic aliis relatis Couarr. *2.p. de sponsal. cap.8.§.8. num.1.* Molina *de primogen. lib.3. cap.3. num.38.* affirmans pro hac parte in supremo Castellæ Senatu esse iudicatum. nostet Molina *tract.2. de iustit. disp.173. vers. subitant doctores.* Basil. Legionem. *lib.11. de matr. cap.4. num.3.* Mantienz. *l.10. tit.8. lib.5. recopil. gloss.1. n.5.* Ratio ea est; quia appositio illius restrictionis non impedit legitimatum habilem esse ad omnes effectus iure denegatos; sed solum impedit ne illa habilitate vtatur, dum est præiudicium, vel contradictio. Alias si ex sola illa restrictione legitimatio impediretur, nulla ferè legitimatio in regno Castellæ fieret, siquidem Carolus V. *l.21. tit.2. lib.6. nouæ compilat.* & Philippus II. *l.20. tit.11. lib.2. eiusdem compil.* statuunt filios illegitimos rescripto principis legitimatos non gaudere nobilitate illa parentum (quam *hidalguiam* vocant) nisi eam secluſa legitimatione habeant, aut expresè in rescripto concedatur. Potest ergo legitimatio concedi absolutè, & effectus illius aliqua ex parte impediri.

15 Et ex his soluuntur rationes oppositæ. Dico ergo legitimationem habilem legitimatum reddere ad omnem successionem. Quod vero sub aliqua conditione hæc habilitas concedatur, non destruit veram legitimationem, quæ in habilitate personæ sita est. Ad confirmationem nego ex tali restrictione te constitui habilem ad aliquos effectus, & non ad omnes. Ad omnes namque es constitutus dependenter ab aliqua conditione. Ad secundam confirmationem nego legitimationem pro limitato tempore esse, sed absolutè pro omni tempore, sub illa tamen conditione.

§. V.

Qui possint legitimationem concedere.

1 *Solus supremus princeps potest legitimare.*
2 *Ex speciali commissione sæpè inferiores legitimationem concedunt.*
3 *Ex potestate concessa legitimandi non est potestas concessa legitimandi ad feuda, & maioratus.*
4 *Pontifex in spiritualibus omnes legitimare potest, in temporalibus sibi subditos.*
5 *Dispensando in radice matrimonij quoslibet Pontifex legitimare potest.*
6 *Quæ requirantur pro certo ad hanc legitimationem.*
7 *An stante matrimonio nullo possit Pontifex te legitimum reddere? Negant plures.*
8 *Verius est oppositum.*
9 *Ad hanc inhabilitatem tollendam non est opus, quod parentes viuant, & denuo contrahant.*
10 *Valet hac legitimatio, esto in aliorum cedat præiudicium.*
11 *An ex illa clausula in dispensationibus apponi solita, prolem, si quæ est, legitimam decernendo, legitimetur proles non solum quoad spiritualia, sed etiam quoad temporalia? Negat Sanchez, & alij.*
12 *Verius est oppositum.*
13 *Satisfit cuidam obiectioni.*
14 *Censeaturnè Pontifex legitimare prolem, si matrimonium ratum habeat, vel in illo perseuerare concedat? Affirmatiuè respondeo, esto contra alij teneant.*

15 *Probat*

15 *Proles sic legitimata succedit in maioratu.*
16 *Excinctus à maioratu, quia se sacris initiauit, si ex dispensatione contrahat matrimonium, in maioratu succedit secundum aliquos.*
17 *Sub distinctione respondetur.*
18 *Principes temporales solum in temporalibus legitimare subditos possunt.*
19 *Ad ius patronatus bene possunt legitimare, sed indirectè.*

1 CErta conclusio est ferè ab omnibus recepta, solum supremum principem, quique in temporalibus, vel in spiritualibus superiorem non recognoscit, legitimare posse; quia solus ille est, qui iura abrogare potest, & impedire ne habeant effectum, atque adeo iure inhabiles habiles reddere. Abbas *in cap. per venerabilem. qui filij sint legitimi. num.* 23. Basil. de Leon. *lib.* 11. *de matr. cap.* 5. *in princ.* Mol. *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disput.* 173. *verb. legitimare.* Azor. 2. *p. instit. lib.* 2. *cap.* 14. *quæst.* 5. & alij passim. Ex quo fit solum Pontificem in spiritualibus hanc potestatem habere; quia solus ille iura illegitimitatis iure canonico introductæ abrogare potest. Secundo fit in temporalibus quemlibet principem supremum eam potestatem habere. Vnde non solum Imperator & Rex, sed etiam alij principes suprem, qui leges condere possunt, & conditas abrogare, hanc potestatem legitimandi in suo dominio habent. Basil. *lib.* 11. *de matrim. c.* 5. *num.* 15.

Inferioribus tamen iure concessa non est hæc potestas. Nam esto Episcopis datum sit posse illegitimos habiles reddere ad ordines minores, & beneficia simplicia; quia tamen non est illis concessum posse eos habiles reddere ad omnes iuris canonici effectus; ea de causa eorum habilitatio non legitimatio, sed dispensatio nuncupatur. Molin. Azor. & Basil. Legion. *supra.* Et idem est quoad ciuilia de aliquibus magistratibus.

2 At ex speciali commissione à principe supremo sæpè inferiores legitimationem concedunt. Quia cum hæc potestas sit iurisdictionis, & competat principi iure ordinario, optimè potest eam cui placuerit delegare. Ipsi vero inferiores aduertere debent, ne limites concessionis excedant; sæpè enim illis potestas ad dispensandum conceditur, non ad legitimandum, & ex potestate ad dispensandum non infertur potestas legitimandi, quæ potior est. Couarruu. *cum communi sententia* 2. *part. de sponsal. lib. cap.* 8. §. 8. *num.* 6. Molina *disp.* 173. *vers. obseruandum est.* Ex potestate tamen legitimandi bene infertur potestas dispensandi concessa. Nam licet hæ potestates diuersæ sint, at potestas dispensandi in potestate legitimandi includitur; qui enim simpliciter potest illegitimum habilem reddere ad omnes iuris effectus, à fortiori poterit ad aliquos reddere habilem. Sic Molina *supra.* quamuis Couarruu. *numer.* 10. contrarium videatur sentire.

3 Præterea ex potestate tibi simpliciter concessa legitimandi, non infertur data potestas legitimandi ad feuda, & maioratus: sic Couarr. *num.* 6. *vers. obseruandum etiam est.* Quia ex illa potestate solum potes simpliciter legitimare, sed legitimatus simpliciter rescripto principis non est habilis ad feuda, & maioratus, vt tenet communis sententia in *l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de liber. & posthum.* Ergo neque tu poteris ad feuda, & ad maioratus legitimare. Ob eandem rationem ex eadem potestate simpliciter concessa legitimandi, nequaquam poteris legitimare stantibus filiis legitimis; quia illa potestas non extenditur amplius, quam simplex legitimatio; at hæc locum non habet stantibus filiis legitimis. Ergo neque illa potestas. Quapropter vt potestas legitimandi locum habeat, stante aliorum legitimorum præiudicio, id clarè explicari debet, saltem illa clausula generali, qua tibi concederetur plena, & libera legitimandi facultas. Basil. Legionen. *lib.* 11. *de matr. cap.* 5. *in fine.* Verum si tibi potestas concedatur legitimandi filios spurios, poteris & filias legitimare. Quia sub nomine filij & filia in fauorabilibus comprehenditur, & potestas legitimandi, vtpote beneficium principis, & non contra ius, latè est interpretanda. Couar. *dicto. c.* 8 §. 8. *n.* 7. Mol. *dicta disp.* 173. *vers. obseruandum etiam.*

Restat ergo examinare qualiter Pontifex, aliique principes supremi hanc legitimandi potestatem exercere possint?

4 Qua in re Pontifex sine dubio illegitimos legitimare potest in spiritualibus ad ordines, & ad beneficia. Nam cum ab ipso Pontifice ius reddens illos inhabiles ad ordines, & ad beneficia statutum sit, ab illiusque voluntate pendeat; poterit quos maluerit ab eo iure eximere. In temporalibus autem solum temporaliter sibi subditos legitimare potest, quia Pontifex (vt ex communi sententia constat) non potest per se, & directè leges supremorum principum tollere, & illarum efficaciam in sibi non subditis minuere. At si causa grauis intercedat ad bonum spirituale pertinens, benè poterit Pontifex illam legitimationem concedere; quia tunc iurisdictio temporalis spirituali subijcitur, & ex spirituali iurisdictione, quam ad gubernandam Ecclesiam habet, poterit legitimare prolem quod temporalia, quando huic gubernationi necessaria est. Constat hæc doctrina *ex cap. per venerabilem. qui filij sint legitimi.* & ibi glossa, & doctores; & tradit Couarr. 2. *p. de sponsal. c.* 8. §. 8. *n.* 16. & 18. Mol. *de Hispanor. primog. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 11. noster Mol. *tr.* 2. *de iust. disp.* 173. *in princ.* Basil. de Leon. *lib.* 11. *de matr. c.* 5. *n.* 6. Sanch *lib.* 8. *de matr. disp.* 7. *n.* 1.

5 Controuersia ergo est, an dispensando in radice matrimonij, possit Pontifex te illegitimum legitimum reddere, non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia. V.g. natus es in Hispania ex parentibus impedimento ligatis, poterit ne Pontifex te legitimum reddere ad honores, & bonorum successionem eo modo, ac si ex vero matrimonio genitus esses?

6 Et quidem si nullo, nec ficto matrimonio existente genitus es, neque tui parentes matrimonium contrahunt, nequaquam potest Pontifex te legitimum ad temporalia reddere, quia cessante matrimonio cessat radix, ex qua legitimatio ortum habere potest, esset que legitimatio directa quoad temporalia, quæ Pontifici concessa non est: sic ex omnium sententia restatur Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 3. *n.* 3. & 7. Secundo est certum, si genitus es ex matrimonio nullo, ob impedimentum à Pontifice indispensabile, scilicet quia defuit consensus, vel quia vxor prima viuebat, nequaquam legitimari potes; quia non potest Pontifex nullitatem illius matrimonij tollere, & consequenter nec matrimonium radicem legitimationis honestare: sic Sanch. *n.* 8. & 10. Basil. de Leon. *lib.* 11. *de matr. cap.* 5. *num.* 8. quod benè limitat Sanchez *dicto n.* 10. quando impedimentum est certum, secus si dubium fuit; quia in dubio non est spoliandus Pontifex possessione potestatis, quam habet dispensandi. Tertio certum esse debet illegitimos spurios subsequenti matrimonio legitimari posse, si id Pontifex concedat; sicut enim Pontifex illegitimos naturales legitimos reddit matrimonio subsequenti, sic potest illegitimos spurios. Quod ergo per legem statui potest, potest & aliquo casu speciali decerni, & tradit Rota apud Basil. Legion. *lib.* 11. *c.* 5. *n.* 1. *decis. in medio, & etiam in* 2. *in medio,* & apud Garc. 7. *p. de benefic. c.* 2. *à n.* 40. Sed non est credendum id fieri, nisi clarè constet, cum sit derogatio communis iuris statuti in *c. tanta. qui filij sint legit.*

7 Quare duplex est dubitatio. Prima, an Pontifex possit à matrimonio nullo à quo genitus es, removere illegitimitatem, & consequenter omnes inhabilitates, quæ à iure canonico, & ciuili tibi proueniunt? Negat Molina *t.* 3. *de iustit. disp.* 614. *n.* 3. & alij relati à Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 7. *n.* 3. *fine.* vbi refert ex addit. noua Nauarri *cons.* 2. *tit. qui filij sint legit. ad finem.* Gregor. XIII. mense Nouemb. 1584. negasse hanc dispensationem sibi petitam, addidisseque non posse. Mouentur, quia Pontifex non potest facere, quod matrimonium illud inualidum, ex quo genitus es, non fuerit inualidum, & consequenter quod ex illo non fueris genitus illegitimus, inhabilitatesque illegitimorum non contraxeris. Sed hæ inhabilitates non solum proueniunt à iure canonico, sed etiam à ciuili; in quo Pontifex nullam potestatem habet. Ergo neque habere potest potestatem ad te legitimandum. Et confirmo, si absque vllo matrimonio ex copula fornicaria natus esses, non posset Pontifex te legitimum reddere ad temporalia; quia iure ciuili illegitimus factus es, & inhabilis. Ergo neque poterit, cum matrimonium irritum est. Quia esse irritum matrimonium, ac non esse matrimonium, pro eodem reputari debet.

8 Cæterum verius est, posse Pontificem te in supradicto casu legitimum reddere tam quoad spiritualia, quam temporalia, honores, & successiones: sic aliis relatis Couarruu. 2. *p. de sponsal. cap.* 8 §. 8. *num.* 13. Molin. *de Hispanor. primogen. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 12. Sayrus *thesaur. casuum. t.* 1. *lib.* 6. *de irregular. cap.* 20. *n.* 27. & *cap.* 11. *num.* 6. Sanch. innumeris relatis, *lib.* 8. *de matr. disp.* 7. *n.* 4. Basil. de Leon *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 9. Garcia 7 *p. de benef. cap.* 2. *n.* 41. & 42. Ratio fundamentalis est; quia licet Pontifex facere non possit, quod matrimonium illud, ex quo genitus es, inualidum non fuerit; at potest effectus ex illo prouenientes omnino tollere reuocando illam legem, qua tale matrimonium irritum fuit, ac si nunquam edita fuisset, quod constat ex *clement. vnica. de immunit. Ecclesiar.* vbi Clemens V. reuocat quasdam prædecessorum constitutiones etiam quoad effectus antea productos: ibi; *quidquid ex eis subsequutum est, vel ob ea penitus reuocamus, & eas habere volumus pro infectis:* sed vnus ex præcepuis effectibus illius irriti matrimonij est illegitimatio. Ergo facta reuocatione illius legis, & subiata per dispensationem illegitimitate, quam tibi illud matrimonium nullum reliquit, perit omnis inhabilitas tam iure canonico, quam ciuili inducta; quæ in illegitimitate illius matrimonij fundabatur. Hincque ratio contraria soluta manet. Ad confirmationem respondeo, cum es illegitimus, eo quod nullo existente matrimonio sis genitus, nequit Pontifex te habilem reddere ad temporalia; quia illa illegitimitas non est solum iure Ecclesiastico inducta, sed ciuili, in quo non potest Pontifex dispensare: quæ prouenit ex matrimonio irrito, immediatè ex solo iure Ecclesiastico habetur, cum solum ex illo habeatur matrimonium esse irritum. Quare dispensante Pontifice in radice illius matrimonij, tollit à te illegitimitatem, & consequenter omnes inhabilitates in illa fundatas: in tantum enim ius ciuile te inhabilem ad honores, & successiones facit, in quantum ex matrimonio irrito, & nullo fueris illegitimus: at sublata tali illegitimitate cessant inhabilitates iure ciuili inductæ.

9 Ex

9 Ex quo fit ad hanc inhabilitatem tollendam superuacaneũ esse, quod tui parentes viuant, & denuo matrimonium contrahant; quia non fis legitimus per matrimonium denuo contrahendum, sed per dispensationem in radice matrimonij contracti, & remotionẽ illegitimitatis inde prouenientis. Quare etiam si tui parentes mortui sint, hac via legitimari potes: sic Mol. *Hispanor. primogen. lib. 3. cap. 2. n. 12. fine.* Saytus *lib. 6. de irregularit. c. 11. n. 6.* Sanch. plurib⁹ relatis *dicta d. sp. 7. n. 6.* Basil. *lib. 11. c. 5 n. 10.* quimuis contra sentiat Ioann. Gutierr. *de matrim. c. 74. n. 10.* motus eo facto Gregor. XIII. negantis hanc dispensationem; cui respondere possumus, tum de illa negatione non satis constare, tum quia fortè absque causa legitima ei persebrauit dispensatio, & ideo dixit se illam concedere non posse.

10 Hinc fit validam esse hanc legitimationem, etiamsi in aliorum cedat præiudicium; quia præiudicium aliis prouenientis impedire non potest facultatem Pontificis, sic Sanchez & Basil. *supra.* Debet tamen Pontifex ne peccet, iusta causa moueri ad hanc legitimationem concedendam, quia dispensat in lege præiudicante aliis successoribus legitimis: sic Nauar. *lib. 4. consil. in 1. edit. tit. de sponsal. cons. 3. circa finem. & in 2. edit. lib. 4. tit. qui filij sint legitimi. cons. 2. in fine.* Sanch. *lib. 8. de matr. dicta disp. 7. num. 5.* Quare num quam censendum est hanc legitimationem à Pontifice concedi stante tertij præiudicio, nisi clarè id exprimat, iuxta *reg. de non tollendo iure quæsito.* Sanch. *supra. n. 6. fine.* Gutierr. *de matr. cap. 74. n. 26.*

11 Secunda dubitatio non leuis est, an per clausulam illam in dispensationibus appositam pro matrimonio contrahendo, vel contracto reualidando nempe vt non obstante impedimento fiat dispensatio ad matrimonium inter se liberè & licitè contrahendum, prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendum legitimum decernendo, hæc legitimatio proli susceptæ concedatur non solum quoad spiritualia, sed etiam quoad ciuilia, ac si ex legitimo matrimonio suscepta fuisset?

Negant Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 7. à n. 14.* Gutier. *de matr. cap. 74. à n. 10.* Mouentur ea præcipuè ratione; quia illa clausula apponitur, eodem modo, siue proles habita sit contracto matrimonio, siue non; sed quando non est contractum matrimonium, neque figura matrimonij extitit, proles susceptа per matrimonium legitimari non potest; quia non legitimatur matrimonio subsequenti, cum sit concepta, & nata à parentibus impeditis, iuxta *textum in cap. tanta. qui filij sint legitimi.* Neque etiam legitimari potest matrimonio antecedenti, cum neque figura illius præcesserit. Ergo nulla ratione illa clausula legitimari potest. Et licet Pontifex eodem tenore verborum decernat legitimam esse prolem ex illo matrimonio suscipiendam, ac susceptam; non inde (inquit Sanch.) debet inferri eodem modo legitimari. Nam verbum illud *decernendo*, compatatione prolis suscipiendæ declaratiuè sumitur; declarat namque futuram esse legitimam, vepote ex vero matrimonio generatam: comparatione vero prolis susceptæ effectiuè sumitur; quia per decretum interponendum legitimatur: ac proinde non legitimatur in radice matrimonij, sed extra. Neque est inconueniens idem verbum in eadem oratione diuersimodè sumi comparatione diuersorum vt constat ex *cap. capitulum. de rescript. in 6. iuncta glossa fin. verbo relaxetis.* Hinc infert Sanchez *n. 14.* illam legitimationem prolis susceptæ solum esse quoad spiritualia, esto ut in terris suæ ditioni temporaliter subiectis: quia omnibus communis est. neque Pontifex sic legitimando prolem censetur vti potestate dominij temporalis, cum id non explicet, sed solum potestate spirituali Pontificis. Deinde dicit Sanchez *n. 25.* Gutierr. *n. 22.* ex vi illius clausulæ, qua Pontifex sic impeditis concedit, vt possint in matrimonio contracto remanere, non legitimari prolem etiam quoad spiritualia; quia illa non est legitimatio matrimonij, neque prolis, sed solum remotio impedimenti, quod matrimonio contrahendo obstat. Quapropter concludit ad legitimationem plenam prolis antea susceptæ necessarium esse, vt pontifex matrimoniũ ex quo genita est, legitimaret, & approbaret ex tunc, id est ab eo tempore, quo genita fuit.

12 Cæterum verius est supradicta clausula in dispensationibus appositа legitimari prolem incestuosam subsequenti matrimonio celebrato, sicuti legitimatur proles suscepta naturalis subsequenti matrimonio inito. Moueor præcipuè ex authoritate Rotæ sæpius pro hac parte sententiam ferentis, vt constat ex iis, quæ adducit Garc. 7 *p. de benef. c. 2. à num. 40.* Basil. de Leon. *lib. 11. de matr. cap. 5. à n. 12.* Gutierr. *tract. de matr. cap. 74. in fine.* Neque pro hac parte deest ratio. Negari enim non potest, posse Pontificem in fauorem matrimonij, & prolis susceptæ concessionem *cap. tanta*, extendere, vt matrimonium non solum legitimet filios naturales, sed etiam spurios, & incestuosos; quod ergo potest lege, & constitutione præstare, id præstat illo speciali casu per illam clausulam. Tum quia eodem tenore verborum decernit prolem suscipiendam, & susceptam fieri legitimam. Ergo eodem matrimonio legitima redditur. Tum quia hic modus legitimandi prolem nobilior est, & excellentior. Ergo credendum est Pontificem id præstare.

13 Neque obstat, quod tempore illo, quo proles genita fuit, non videtur fuisse genita ex affectu futuri coniugij, cum fuerit coniugium impossibile ob impedimentum. Ergo non fuit capax legitimationis subsequenti matrimonio, iuxta *textum in dicto cap. tanta. cap. ex tenore. qui filij sint legitimi.* Non, inquam, obstat; quia subsecuta dispensatione, & matrimonio celebrato, iam ius præsumit ex affectu futuri coniugij per dispensationem celebrandi prolem generari, ac proinde capacem esse legitimationis; vt latius hæc omnia in supradictis decisionibus Rotæ habentur.

14 Tertia dubitatio est: an si Pontifex legitimet, & ratum habeat matrimonium quod nullum erat, vel in illo concedat perseuerare, dispensет in radice matrimonij, & prolem susceptam legitimet? Negat Sanch. *supra. d. disp. 7. à n. 24. & 28.* quia nec Pontifex cõcedere potest in matrimonio irrito perseuerare, neque illud ratum habere potest. Ergo illa verba non retrotrahuntur ad præteritum contractum, sed futurum respiciunt, faciuntque hunc censum; matrimonium, quod antea nullum erat, nouo consensu accedente legitimamus, & ratum habemus, & in illo concedimus perseuerare. Ex quibus verbis nulla esse videtur facta legitimatio prolis. Cæterum sustinendum contrarium ob supradictas decisiones Rotæ, quas sequuntur Garcia *à n. 42.* Basil. *supra.* Ratio est, quia ex stylo curiæ legitimans matrimonium, illudque ratũ habens censetur à contractu prius facto omnem irritationem, & illegitimationem tollere, illudque fictione iuris ita legitimum reddere, quoad omnes effectus, ac si legitimè à principio factum esset. Et idem est dicendum, cum concedit in contractu perseuerare: concedit namque perseuerare in illo contractu, qui nullus fuit, valido iam per dispensationem effecto, & secluso ab eo omni impedimento irritationis ex illo tempore, quo primo fuit celebratus: quia verbum illud *perseuerandi* retro respicit, & contractum in quo perseuerare debes legitimum supponit. Facta vero legitimatione matrimonij, ab illo tempore proles concepta redditur ex consequenti legitima.

15 Hinc fit hanc prolem incestuosam sic subsequenti matrimonio legitimatam succedere in maioratu & excludere substitutum; quia verè ex legitimo matrimonio; sicuti succedit filius naturalis subsequenti matrimonio legitimatus.

16 Hinc etiam videtur inferri excl⁹sum à maioratu; quia se sacris initiauit, aut religiosam vitam suscepit, si Pontifex cum illo dispensет, vt matrimonium contrahat, eo ipso maioratum obtinere posse; quia intentio fundatoris excludentis initiatum sacris à maioratus successione fuit, quia erat incapax legitimam successionem habendi. Ergo cessante hac incapacitate, cessare videtur dispositio. Neque obstat alteri esse ius quæsitum; quia fuit ius quæsitum durante primogeniti incapacitate, secus illa sublata: quod exemplo primogeniti mortui, & resurgentis manifestari potest; durante enim morte primogeniti secundo natus succedit; at si primogenitus resurgat, primogenium illi debetur; sic Basil. de Leon. *lib. 11. de matr. cap. 5. §. fine. n. 13.*

17 Cæterum hac in re distinguendum censeo, aut secundo genitus dominium maioratus, seu hæreditatis acquisiuit tempore quo sacris initiatus est primogenitus, aut non. Si dominium acquisiuit, credo ex dispensatione illa non esse hæreditatem secundo genito auferendam; quia videtur in ipsum translata in perpetuum, & irreuocabiliter, eo quod censeatur in perpetuum excl⁹sus primogenitus. Item dominium alicui acquisitum non potest nisi ex causa publica. & bono cambio ab eo auferri. Adde qualitatem requisitam ad successionem debere esse eo tempore, quo substitutionis cedit dies. Ex *textu in leg. non oportet. ff. de legatis. 2. & in leg. interuenit. ff. de legatis præstandis.* & pluribus exornat Molina *de Hispanor. primogen. lib. 2. cap. 13 n. 37.* Cum ergo pouamus hæreditatem esse translatam in secundo genitum ob incapacitatem primogeniti, quamuis postea hæc incapacitas remouetur, maioratum non acquiret. Molin. *de Hispan. primog. lib. 3. c. 2. n. 14.* Molin Iesuita *tract. 2. disp. 624. n. 5.* At si maioratus delatus non est secundo genito, eo quod viuat vltimus illius possessor & viuente illo primogenitus habilis reddatur ad matrimonium, credo in maioratu succedere, quia ad successionem habilitas tempore quo defertur hæreditas spectanda est, vt satis colligitur ex *leg. 1. § vlt. ff. de bonorum possess. contra tab.* vbi habetur si pater habeat filium, & ex illo nepotem, & filius deportetur, si durante deportatione filij pater moriatur, succedet nepos; quia deportatus habetur pro mortuo. At si viuente patre filius restituatur, ipse succedet; quia ejus ius fuit suspensum, & sublato impedimento reuiuiscit, & consolidatur: sic est dicendum in nostro casu; & ita tenet vterque Molina *loco allegato.*

Quod si dicas fieri præiudicium secundo genito, aliisque vocatis, negandum est; quia secundo genitus, aliique vocati solum vocati sunt ad successionem post mortem vltimi possessoris, casu quo primogenitus habilis non existat. Ergo ex habilitatione primogenito concessa nullum præiudicium considerabile aliis fit. Adde hoc ius successionis ante delatam hæreditatem parum considerabile esse, quia variabile est. *l. 1 § si impuberi. ff. de collat. bonor. l. pretia rerum, cum similibus. ff. ad l. 1. Falcid.* Et hæc de potestate Pontificis.

18 Alij vero principes supremi legitimare sibi subditos possunt quoad temporalia tantum, nempe quoad honores, & successionem, etiamsi successio debeat esse in feudo, aut in maioratu. Nam licet ex simplici legitimatione non censeatur legiti-

matus

matus ad successionem feudi, vel maioratus; vt aliis relatis tradit Molin. *lib. 3 de primogen. c. 3 n. 9.* Couarr. *3. var. cap. 6. n. 7* Iulius Clarus *lib. 3. sentent. §. feudum, q. 82.* At si specialiter ad illam successionem legitimetis, succedere potes, dummodo à voluntate instituentis fideicommissum non excludaris sic Couarr. *supra*, & noster Molina *tract. 2. de iustit. disp. 174. in fine.* Ad spiritualia autem ex limitatione principium sæcularium nequaquam habilis esse potes. Quia nullam in spiritualibus habent potestatem. Quare ex nulla horum principium legitimatione capax esse potes ordinum, ac beneficiorum: illa vero legitimatio in radice matrimonij, quam Pontifici concessimus, principibus secularibus competere non potest, cum illis denegatum ab ecclesia sit matrimonij impedimenta statuere, illave tollere, iuxta *textum in cap. 1. de sponsalib. & cap. tuam. de ordine cognit.* & ita tradit Sanch. *lib. 8. disp. 7. num. 11.*

19 Ad ius patronatus esto spirituale sit, quia tamen rebus spiritualibus solet annecti, bene possunt principes sæculares habilem indirectè reddere sibi subditum. Nam habitando ad successionem hæreditatis, cui ius patronatus annexum est, consequenter ad ipsum ius habilitant: sic aliis relatis Couarruuias *2. part. de sponsal. cap. 8. §. 8. num. 18* Basilius Legionen. *lib. 11. cap. 1. num. 14.* Ioann. Azor. *1 p. lib. 2. c. 4. quæst. 7.* Molina *tract. 2. de instit. disput. 173. vers. item.*

§. VI.

De his, qui legitimari possunt.

1 *Legitimandus debet esse subditus legitimantis.*
2 *Quid si bona intra tuum territorium existant, poterisne alienum subditum legitimare? Affirmant aliqui.*
3 *Contrarium est dicendum.*
4 *Fit satis oppositæ rationi.*
5 *Princepsne possit filium suum legitimare? Negant aliqui.*
6 *Verius est oppositum.*
7 *Non potest filius ex vi talis legitimationis in regno succedere.*
8 *Filium clerici plures negant à principe legitimari posse.*
9 *Verior est contraria sententia.*
10 *Pontifex potest statuere, ne bona clericorum ad filios spurios deueniant, esto à principe sæculari legitimati sint.*
11 *Si filius clerici in sacris sit, vel beneficiatus, plures firmant satis probabiliter legitimari à principe sæculari non posse.*
12 *Probabilius est oppositum.*
13 *Qualis consensus legitimati, & parentum requiratur.*
14 *Filius natus ex parentibus impeditis ad contrahendum an legitimari possit? Proponitur dubitandi ratio.*
15 *Verius est legitimari posse.*

1 COnstat ex § præcedenti, legitimandum subditum esse debere legitimantis; quia legitimatio actus est iurisdictionis saltem voluntariæ; ac proinde necessario in subditum exercenda. Quod omnino verum est, quando non solum legitimandus, sed bona ad quæ legitimatur, extra territorium legitimantis existunt. Quia extra territorium nulla est iurisdictio. *l. vlt. ff. de iurisdict. omn. iudic.*

2 Dub um tamen est an si bona intra tuum territorium existant, possis alienum subditum ex consensu parentis, & illorum quorum interest legitimare? Affirmant Bald. *Proœm. Codic. column. penult.* & alij relati à Fachineo *lib. 3. controuers. c. 58. in princip.* Moueor, quia legitimatio est actus iurisdictionis voluntatiæ, eo quod inuitis dari non potest *§. generaliter. Auth. quibus modis naturales efficianter fiat*, sed actus iurisdictionis voluntariæ vbiq; exerceri potest & à quocunque iudice. *l. 2 ff. de officio proconsulis, l. 2. C. de emancipatis liberis*, præcipuè cum iemini ex hac legitimatione fiat præiudicium; si quidem ei consentiunt omnes, quorum interest. Ergo fieri potest à iudice erga non subditum. Adde ratione rei sitæ videtur principem iurisdictionem habere ad legitimandum alienum subditum.

3 Negatiua tamen sententia amplectenda est cum Abbate *in c. per venerabilē, qui filij sint legitimi. n. 23.* Couarr. *2 p. de sponsal. c. 8. §. 8. n. 14.* Fachin. *supra.* Basil. Legionen. *lib. 11. de matr. c. 6. n. 2.* & aliis videturq; decisa esse in *d. c. per venerabilem.* vbi Pontifex dicit se legitimare filios Regis Franciæ, quia id facere potest absque alterius iniuria, eo quod nemini sint subiecti Ex quo manifestè colligitur, si alteri subiecti essent, eos legitimare non posse. Et ratio est manifesta; quia legitimatio est inhabilitatis per legem inductæ remotio, sed nemo potest ab hac inhabilitate quempiam remouere, nisi is, qui eum per legem à se latam inhabilem fecit. Ergo nullus potest alienum subditum legitimare; siquidem nullus potest alienum subditum suis legibus ligare.

4 Neque obstat ratio contraria. Admitto namque legitimationem esse actum iurisdictionis voluntariæ; nego tamen à quocunq; iudice exerceri posse, iurisdictio namque voluntaria quæ à quocunque iudice potest exerceri, est iurisdictio, quæ ex consensu subditi prorogari potest, secus quæ à subditis non pendet, qualis est potestas legitimandi. Et licet nullum præiudicium patentibus, aliisque vocatis fiat ex illa legitimatione; non inde infertur ex ipsorum consensu aliquam in non subditum iurisdictionem acquiri, iuxta *l. priuatorum. C. de iurisdict. omn. iudic.* ex ratione vero rei sitæ nulla communicatur Principi iurisdictio, cum hæc personam spectet, non res circa quas est successio, & docuit Basil. Legion. *lib. 11. c. 6. num. 11.*

5 Secundo dubitatur; an possit princeps filium suum legitimare? Negat Iaf. *in l. qui iurisdictioni præst. ff. de iurisdiction.* consentit Basil. Legionen. *lib. 11. de matr. c. 6. n. 1. in fine.* Moueor. Tum quia legitimatio est actus mixtus ex iurisdictione voluntaria, & contentiosa, cum sæpe fiat in inuitum, & parte contradicente: sed iurisdictio contentiosa exerceri non potest à patente in proprium filium. Ergo neque legitimatio potest à principe in proprium filium exerceri. Minorem probat *dicta lex. qui iurisdictioni*, ibi: *Qui iurisdictioni præst, neque sibi ius dicere debet, neque vxori, neque liberis suis, neque liberis, vel vxoris quos secum habet.* Adde neminem posse suo proprio facto authoritatem præstare: iuxta *textum in cap. fin. de institut.* & tradit Glossa *in dicto cap. per venerabilem, verbo tanquam princeps*: præstaret autem si propriam filium legitimaret. Ergo dicendum est id fieri non posse.

6 Cæterum contraria sententia verior est, quam defendit Abbas *in dicto cap. per venerabilem. § in super, per textum, vbi*, 13. & Bald. *in l. si consul. 4. ff. de adoptionib.* Couarr. *2. de sponsal. c. 8. n. 20.* Mol. *tract. 2. de iust. disp. 173. vers. princeps.* Ratio earum quia ex communi sententia legitimatio, actus est iurisdictionis voluntariæ per se, licet per accidens, & ex consequenti aliquando habeat adiunctum actum iurisdictionis contentiosæ, sed iurisdictionis voluntariæ actum optimè potest pater in filium exercere argumento manumissionis, adoptionis, quæ à patre in filium fieri possunt. *l. 1. & 2. ff. de officio prætoris. l. 2. 3. & 4. ff. de adoptionib.* Ergo & legitimationis actum optimè potest pater in filium exercere. Adde esto legitimatio actus esset iurisdictionis contentiosæ: at bene à patre in filium exerceri potest, si filius ipse consentiat; quia in voluntariis bene potest ius filio dicere *l. in priuatis. ff. de iudiciis.* Neque contradicit *lex. qui iurisdictioni.* Tum quia ibi de conuenientia; non de necessitate videtur loqui. Tum quia loquitur de iure, quod alij prætendunt sibi competere. At ius legitimationis solum legitimando competere potest, non aliis, qui legitimationi contradicunt, esto ex legitimatione illis in consequentiam præiudicium fiat.

7 Ex vi tamen huius legitimationis non potest filius legitimatus in regno succedere, si à republica statutum est, vt soli legitimi succedant; quia legitimatus rescripto principis, sub legitimo non comprehenditur, vt pluribus comprobat Molin. *de Hisp. primog. lib. 3. c. 3. n. 3. & seqq.* & ita tradit Mol. *tract. 2. de iustit. disp. 163. vers. princeps.* Qui autem potestatem haberet à principe legitimandi, proprium filium legitimare non posset; quia hæc ligitimatio extraordinaria est, & sub dubio principi conditur, non est igitur credendum in generali clausula communicari. Quapropter in particulari exprimenda est, vt censeatur comprehensa. Couarr. *2. p. de sponsal. cap. 8. §. 8. numero 21.*

8 Tertio dubitatur de filio clerici an à principe sæculari legitimari possit? Negant Dominic. à S. Germiniano *in cap. vlt. de iudicijs. in 6.* Paris. *cons. 2. n. 23. lib. 2.* & in Senatu Parisiensi sic statutum fuit anno 1562. prout testatur Gregor. Tolosan. *lib. 20. syntag. cap. fine.* Alexand. *consil. 87. volum. 2.* quod incipit *visis codicillis.* Mouentur primo; quia ad legimationem huius filij requiritur patris clerici consensus. At clericus in laicum iudicem consentire non potest. *cap. si diligenti. de foro compet.* quod non solum de iurisdictione contentiosa, sed etiam voluntaria ferè omnes doctores interpretatur. Ergo iudex laicus hanc legitimationem concedere non potest. Secundo mouentur; quia bona clericorum sunt exempta à laica potestate. *capit. eccles. sanctæ Mariæ. de constitut.* Ergo laicus non potest in illis iurisdictionem exercere: at exercet legitimando filium clerici; si quidem ex tali legitimatione bona clericorum ei manent applicata. Ergo id facere nequaquam potest.

9 Affirmatiua tamen sententia, nempe posse iudicem laicum legitimare filium clerici sæculatem quoad honores, & successiones verior est, & tenenda: Quia legitimatio est actus iurisdictionis exercitus in personam legitimatam. At ille filius cum sæcularis sit, subditus est iudici legitimanti. Ergo nihil obstare potest legitimationi. Nam consensus patentis ad legitimationem, non est requisitus ad propagandam, vel concedendam iudici iurisdictionem in ipsum clericum, sed in ipsum filium laicum legitimandum, vel potius ad impediendum ipsius clerici præiudicium. Bona vero ad quæ legitimatur, esto exempta sint à tributis, & gabellis, dum à clerico possidentur, non tamen exempta sunt, quominus post mortem eius alteri à principe applicentur, & ius successionis concedatur. Leges vero, quæ per hanc legitimationem relaxantur, ciuiles sunt, & non canonicæ: legibus namque ciuilibus statutum est, ne illegitimi in parentum siue laicorum, siue clericorum bonis succedant. Ergo nihil obstat huiusmodi legi

legitimationi. Facit pro hac sententia § *illud in Authent. quibus modis natur. efficiantur sui* in illis verbis, *Quid enim si ad sacerdotium alter eorum ascendat*; quibus satis indicat Imperator se posse legitimare filium sacerdotis, & ita tenet Decius *cons.* 150. *num.* 5. Couarr. 2. *p. de sponsal. cap.* 8. §. 8. *num* 10. Fachin. *lib.* 3. *controuers. cap.* 59. Molina *tract.* 2. *de iustit. disp.* 173. *vers. ad quæ autem* Basil. de Leon. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 6. *num.* 6. Matienzo *lib.* 5. *recopilat tit.* 8. *leg.* 10. *gloss.* 1. *num.* 13. & alij apud ipsos.

10 Aduertit tamen oprimè Mol. *supra. vers. illud tamen.* posse Pontificem lege sua statuere. ne bona clericorum ad filios eorum spurios deueniant, quantumuis à principe legitimati sint, vt hac via clerici à libidine frænentur, & impediantur, ne occasione ditandi filios sactilegos pauperibus debita alimenta denegent. Neque ex hac constitutione infertur Pontificem in laicum iurisdictionem exercere, sed solum in clericum, eorumque bona impediendo, in filios transferantur. Quod fecit Pius V. in sua bulla, quam refert Nauar. *de spoliis clericis.* §. *vlt. n.* 6. *notab.* 4. *circa finem.* quæ tamen non videtur recepta in his Hispaniæ regnis, prout testatur Mol. *tract.* 2. *de iust. disp.* 169. *circa finem.*

11 Maior dubitatio est, si filius clerici legitimandus in sactis sit constitutus, vel si in minoribus sit, beneficium Ecclesiasticum habeat, ratione cuius fori priuilegium habeat, an, inquam, hic legitimari possit à principe sæculari? Negat Decius *cons.* 150. *n.* 4. Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 2. *c.* 15. *q.* 5. *in fine.* Basil. Legionen. *lib.* 11. *de matr. c.* 6. *n.* 9 Mouentur, quia laicus in clericum exercere nullatenus iurisdictionem potest, etiam ipso clerico consentiente, iuxta *tit. de foro comp.* Sed legitimatio, vt sæpè dictum est, iurisditionis est exercitium. Ergo hanc iudex laicus compatatione clerici exercere non potest. Item supradictus clericus exemptus est à laica potestate. Ergo iudex laicus illum legitimare non potest. Quia legitimatio (vt omnes supponunt) fieri necessario debet in subditum.

12 Cæterum etsi hæc sententia sit satis probabilis, probabiliorem existimo affirmantem à iudice laico hanc legitimationem faciendam esse, sic docent aliis relatis Couarr. 2. *p. de Sponsal. c.* 8 §. *n.* 9. Mol. *tract.* 2. *de iustit. disp.* 173. *in med. vers. quando filius.* Mouet ea consideratione. Nam hic filius ob leges ciuiles inhabilitantes spurios ad successionem patris, est inhabilis ad succedendum, quamque inhabilitatem contraxit tempore quo laicus erat, neque illam excluserit clericatu accepto, sed legum ciuilium relaxatio ad illarum conditorem pertinet. Ergo ad ipsum pertinere debet legitimatio; conditor autem harum legum est iudex laicus. Ergo ad ipsum legitimatio pertinet. Neque obstat clericum exemptum esse à iurisdictione laica; quia non est exemptus integrè à iurisdictione directiua, sed à coercina. Aliàs nullus legibus ciuilibus obligari posset contra receptam sententiam, de qua *tract. de legib. disp.* 1. diximus.

13 Quarto dubitatur, qualiter consensus legitimandi, & parentum ipsius requiratur? Si spectata iuris dispositione legitimatio facienda est constat non solè parentum, sed ipsius legitimatio consensum requiri: habetur expressè § *generaliter. Authent. quibus modis natural. afficiatur sui.* & subditur ibi ratio; nam per legitimationem transit legitimatus in patriam potestatem; ac proinde vsusfructus bonorum ipsius, & administratio ad patrem pertinet. Non igitur erat conueniens, vt renuente patre, vel filio, hanc legitimationem princeps concedat: sic omnes doctores. Aduerto tamen, si legitimatio esset diminuta, vt scilicet solum respiceret personam legitimatam, quam habilem redderet princeps ad honores, aliaque officia reipublicæ, & non ad patris successionem, nullus patris consensus requiritur; quia sua non interest, & ex principis beneficio habet. sic Mantiean. *l.* 4. *recop. l.* 10. *tit.* 8. *gl.* 1. *n.* 11. Nunquam vero consensus aliorum agnatorum, aut consanguineorum requiritur, tametsi legitimatus ad successionem patris consequenter maneat legitimatus ad aliorum successionem. Mol. *tract.* 2. *de iustit. disp.* 173. *vers. item legitimatus rescripto.* Qualis autè consensus requiratur? Eman. Costa *in l. Gallus* §. *& quid si tantum ff. de liber. & posthum. p.* 2. *concl.* 1. & Mol. *tract.* 2 *de iust. disput.* 173. *vers. vt legitimatio.* negant esse necessarium expressum, sed sufficere præsumptum, dummodo hæc præsumptio non colligatur ex sola scientia legitimationis, & silentio, sed ex aliquo actu, quod non nisi legitimationis iure effici poterat. Cæterum probabilius credo te sufficienter consentire, si scias legitimationem, & sileas, neque contradicas, cum contradicere possis ex *leg. in adoptionib.* 5. *ff. de adoptionib.* & videtur decidi in *leg.* 2. §. *vlt. ff. soluto matrimonio*, ibi: *scire eum exigimus, vt videatur non contradicere.* Et ratio ea est: quia cessatio contradictionis cum scientia legitimationis est virtualis legitimationis approbatio. Basil. Legionen. *lib.* 11. *de matr. c.* 6. *n.* 13. vide Marienz. *leg.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5. *recopil gl.* 10. *n.* 11

Dixi spectata iuris dispositione. Nam si princeps velit vti plenitudine suæ potestatis, poterit inuitum quemlibet legitimare; cum enim legitimicationis conditiones à iure humano statutæ sint, princeps iuris illius constitutor, eas relaxare poterit. Titaquel. *de nobilit. c.* 6. *n.* 11. Aut. Gabr. *tit. de legitim. concl.* 5. *in fine.* Basil. *supra. n.* 14.

Hinc sit absentis legitimitationem efficium non habere, quousque ipse illam ratam habeat, neque infantis legitimationem, quousque ipse liberè consentiat. Excipe nisi ex plenitudine potestatis princeps ei velit hoc beneficium concedere. Azor. 2. *p. instit. mor. l.* 2. *c.* 14. *q.* 9.

15 Quinto dubitatur, an filius natus ex parentibus impeditis ad contrahendum legitimari possit? Ratio difficultatis est, quia legitimatio est natalium restitutio, at hic nequit natalibus restitui, cum non possit princeps copulam illam, ex qua genitus est, legitimam, & coniugalem facere. Ergo eius restitutio nõ est legitimatio, sed dispensatio. Adde *Auth. quibus modis naturales efficiantur sui* §. *vlt.* prohibet his filiis legitimationem concedi: ibi, *neque naturales vocari, neque participanda eis vlla clementia est.* Huc accedit horum filiorum restitutionẽ dispensationem vocari, in *cap. per venerabilem. qui filij sint legitimi* & ita tenent plures relati à Fachin. *l.* 3. *controu. c.* 57. *in pr.* & à Matienzo *l.* 5. *recopil. l.* 10. *tit.* 8. *gloss.* 1. *n.* 1. quos ipse sequitur Couarr. 2. *p. de sponsal. c.* 8. §. 8. *n.* 4. testatur sibi aliquando hanc opinionem placuisse.

15 Cæterum verius est hos à principe legitimari posse, si plenitudine suæ potestatis vtatur: sic Couarruuias & Fachineus *supra.* Molin. *tract.* 2. *de iust. disput.* 173. *in princip.* Basilius Legionen. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 6. *fine.* Ratio est; quia hæc inhabilitas, & illegitimatio iure humano introducta est; iure enim naturæ omnes filij legitimi nascuntur. Sed quæ iure humano inducta sunt, principis voluntate abrogari, seu mutari possunt, § *sed naturalis. institut. de iure natur. gentium, & ciuili.* Ergo potest hæc inhabilitas mutari, & loco illius legitimatio naturalis succedere. Neque obstat principem non posse copulam illam, ex qua filius legitimandus genitus est, legitimam reddere, quominus non posset filium naturalem legitimare. Non enim ad legitimationem requiritur restitutio natalium ex matrimonio, sed natalium ex natura, & sic restitutus reputatur; ac si ex vero matrimonio natus esset, quamuis matrimonium inter parentes esse non possit. Lex autem illius *Authen.* statuit hos filios indignos esse legitimatione, ac proinde iure ordinatio legitimandos non esse, at non tollit, neque potest tollere à principe potestatem illos legitimandi, si sibi placuerit. *textus vero in c. per venerabilem*, vtitur verbo dispensationis; quia legitimatio est quædam iuris dispensatio, si quidem illegitimus, & alioquin iure inhabilis ad successionem admittitur.

§. VII.

Quæ conditiones exprimendæ sunt, validùm sit legitimationis rescriptum.

1 *Debet matrimonium inter parentes moraliter esse impossibile.*
2 *Debet fieri mentio, si forte pater habeat filios legitimos.*
3 *Non est opus exprimere alios cognatos, & consanguineos patri succedentes.*
4 *Deinde est mentio facienda substituti.*
5 *Potestne princeps legitimare prolem, vt in hæreditate cognatis delata succedat: Affirmant plures, si nondum possessionem habeat.*
6 *Contrarium censeo tenendum.*
7 *Idem est dicendum, esto hæreditas delata sit, sed nondum adita.*
8 *Idem de substituto sub conditione, si pater sine liberis ex legitimo matrimonio decedat.*
9 *Secus dicunt aliqui, si conditio sit, si decedat sine liberis legitimis.*
10 *Contrarium etiam in hoc casu verius existimo.*
11 *Si substitutio facta est sub conditione, si vltimus possessor sine liberis decesserit, an hunc substitutum excludat filius naturalis? Ex circunstantiis substitutionis desumendum est.*
12 *In legitimationis imperatione citandi sunt qui ius ad hæreditatem habent impedibile.*
13 *Qui excludantur in legitimatione concessa sub hac conditione, nempe sine præiudicio legitimorum.*
14 *In Imperatione legitimationis explicari debet qualitas illegitimitatis.*
15 *Apponitur quædam limitatio.*
16 *Requiritur causa ad concedendam legitimationem.*
17 *Qualiter legitimatus, vel dispensatus habilis est ad beneficia.*

1 PRimo, & præcipuè requiritur, ne possint parentes matrimonium contrahere, vel quia cum aliis illorum decessit vel est longè absens, vel quia cum aliis fornicationem commisit: vel se inhabilem moraliter fecit. Nam secluſa hac impossibilitate saltem morali, nequaquam princeps legitimationem concedit, cum eam subroget loco mattimonij, quod credit impossibile: probatque *textus in Authent. quibus modis naturales*

efficiantur legit.§.sit igitur. collat. 6.& tradit Couuarr.*2. p. de sponsal.cap.8.§.n.5.*Gregorius Lopez *l 4 tit.15. part 4.verbo de barraga.* Molin. *de Hispan. primogen.l. 3.c.3 num.39.* noster Molin.*tract.2.disp.173.vers.item si is.*Matienzo.*l.10.tit.8 . lib. 5.compil.gloss.1.n.10.*& alij plures ab eisdem relati.

2 Secundo requiritur,vt legitimandus mentionem faciat , si fortè eius pater habeat filios legitimos. Quia spectata ordinaria potestate non censetur princeps cum præiudicio legitimorum velle legitimationem concedere : habetur expresse *in §. si quis ergo,& sequenti. Authent.quibus modis naturales efficiatur sui.& §.generaliter.eod.tit.& Authent.quibus modis efficiantur legitimi.§ sit igitur.*& docent passim doctores. Videtur autem cessare necessitas hos legitimos filios explicandi, si ipse in impertratione legitimationis consentiret. Quia tunc cessaret eorum præiudicium:sic Ana.Gabriel.*de legitim.concl.6.n.17* Basil. Legionen.*lib.11.de matr.c.7.n.3.*Sed non caret difficultate. Quia mentio legitimorum non solum expostulatur,ne fiat eis præiudicium, sed vt intelligat princeps,non esse necessarium subrogare filios naturales loco legitimorum , qui est finis legitimationis,cum filij legitimi adint.Nunquam tamen ob parentum consensum excusatur legitimandus ab expressione legitimorum; quia consensus parentis non impedit eorum præiudicium , nec superfluam subrogationem: Couarr.*2.p.de sponsalib.c.8 §.9.n.7.* Azor.*2.p.lib.2.c.14.q 11.*Basil.Legionem. *supra.* Si vero nullus adsit filius legitimus,& legitimandus habeat patrem, & auum, vtriusque consensum existimo in regnis Hispaniæ necessarium esse. Quia in his regnis patri carenti filiis legitimis necessario succedit auus in duabus partibus,ita vt non possit filius de illis liberè disponere,sed ob præiudicium legitimæ filiis legitimis necessario competentis est mentio facienda filiorum legitimorum.Ergo etiam ob præiudicium successionis auorum, est mentio illorum facienda,& ita tenet Mol.*tract.1.de iustit.disp.173. vers.item si legitimatio.* cum Eman.à Costa *in leg. Gallus.* §. *& quid si tantum.ff.de l.& posthum.2.p.n.146.*

3 Alios vero cognatos,& consanguineos succedentes patri ab intestato, non est necessarium exprimere. Quia solum succedunt casu quo pater aliter de bonis suis (vt potest) non disposuerit,cum autem liberum patri sit cui voluerit bona sua relinquere, nullum agnatis, & consanguineis ex illa legitimatione præiudicium fit;ac proinde eorum mentio non est facienda. Couarr.*2.part.de sponsal.cap.8.§.9.n.7.*Decius *cons.55.col.1.&* 3.Tiraquel.*in l.si unquam.God. de reuocandis donat.verbo suscepterit.n.53.*Basilius *l.11.c.7.n.4.*Quod procedit non solum viuente patre, sed illo mortuo, casu quo in morte expostulauerit filij legitimationem , & sub ea conditione illum hæredem instituerit; quia tunc ex voluntate principis effectus legis suspendentis censentur hæredes non acquitere ius ad bona defuncti,nisi casu quo princeps voluntati parentis defuncti non annuerit, legitimando filium,vt patet expostulauit. At si princeps filium legitimauerit,vt verè legitimare poterit, possit poterat in vita,cessat ius hæredibus concessum:sic ex Bart.& aliis tradit Couarr.*supra,* & multis allegatis Matienzo *leg. 10. tit. 8.lib.5.recopil.gloss.1.n.10.*Molina *tract. 2. de iustit. disp. 174. vers.illud etiam.*At parente intestato mortuo non potest legitimandus legitimationem impetrare, quin exprimat hæreditatem cognatis delatam esse, quia non est censendus princeps velle illis in iure quæsito præiudicare, Couarr. *n.9.*Matienzo *n.19.* Azor.*lib.2.c.14.q.10.*Basil.*c.7.n.4.*

4 Deinde est mentio facienda substituti,si fortè aliquis sit in hæreditate parentis,casu quo sine liberis legitimis decesserit,quia cum pater non potuerit liberè de hæreditate disponere,sed obligatus sit substituto relinquere , ipseque substitutus ius succedendi habeat , non est credendus princeps huic iuri præiudicare velle : sic aliis relatis Couarr. *dicto cap.8.§.9. numer.8.*

5 Sed grauis est,inter iurisperitos controuersia,'possitne princeps de plenitudine suæ potestatis tibi legitimationem concedere,vt in hæreditate cognatis delata succedas? Et quidem si cognati hæreditatis possessionem habeant,omnes conueniunt nō posse principem te legitimare ad succedendum in illa;quia non est in eius potestate aliquem bonis propriis spoliare,vt alteri ea concedat,excepta causa boni communis, & dato bonō cambio. At si hæreditatis possessionem non habeant,sed solum illā adierint,hoc est,hæreditati consenserint , voluerintque esse hæredes,tatione cuius dominum acquisierint , iuxta *l. cum hæredes. ff.de acq.poss.* plures censent posse principem te ad illius successionem legitimare.Quia princeps in iure ciuili dispensare potest, cum sit ab ipso constitutum,sed à iure ciuili habetur,quod agnati dominium habeant hæreditatis per illius additionem.Ergo à principe impediti potest,& tibi concedi.

6 Contrarium tamen omnino tenendum est.Nam esto à iure ciuili,& legibus regalibus pendeat, quod per additionem hæreditatis dominium acquiratur , at illo acquisito,iam à principe, illiusque legibus independens est , iuteq; naturæ debitum illud habenti:nequit ergo princeps illud tollere:sic aliis relatis Matienz.*l.10.tit.8.l.5.compil gloss.1.n.10.*Mol.*de Hisp. primog.l.1. c.7.&n.28.*Couarr.*2.p.de sponsal.c.8.§. 9. n. 9.* Molina Iesuita *tract.2.disp.174.concl.4.*

7 Verum si hæreditas solum cognatis delata sit,eo quod ipsi potestatem habeant repudiandi hæreditatem,vel illam acceptandi,prout magis sibi fuerit expediens, communior sententia defendit posse principem ante illius additionem te legitimum reddere ad succedendum,& excludendum agnatos , quibus est hæreditas delata.sic Molina *de Hisp.primog.l.2.c.7.n.30.*Basil.*l.11. de matr.c.7.n.5.fine.*Matienz.*supra.n.21.* Cou.etsi dubius, *supradicto §.9 n.9.*Ratio ea esse potest,quia ante additionem hæreditatis non est plenum ius cognatis acquisitum.Ergo à principe impediri potest ex plenitudine suæ potestatis.

Cæterum,probabilius credo oppositum cum nostro doctiss. Mol.*tract.2 disp.174.concl.4.*& Fortunio relato à Couarruu.*supra.*cuius authoritatem ipse magnificat.Ratio est,quia eo ipso, quo hæreditas cognatis delata est ipsi eum non repudiauerint, neque in hoc iure acquisito iam à principe eiusve legibus dependent;festo in eius acquisitione dependerint , & esto dependeant in dominio acquirendo per additionem. Sed ius alteri acquisitum nequit princeps tollere,nisi ex causa publica boni cōmunis & dato bono cambio.Ergo nequit in præiudicium eorum,quibus delata est,tibi legitimationem concedere.

8 Idem quod dictum est de hæreditate cognatis delata , dicendum est de substituto sub ea conditione,si tuus pater sine liberis ex legitimo matrimonio decedat,non inquam,potest princeps te legitimare, vt hunc substitutum excludas. Quia esto à voluntate principis, eiusque gratia dependerit institutio feudi, & maioratus,in qua substitutus cum illa conditione nominatus est;at facta ea institutione , nominatione non pender à principis voluntate ius ad successionem,quod substitutus habet.Ergo non potest illud ab eo auferre,& ibi contra voluntatem instituentis communicare.At est voluntas instituentis,vt detur substitutio deficientibus filiis ex matrimonio genitis.Ergo dari non potest tibi legitimato,cum legitimatus nō comprehendaris sub his,qui ex matrimonio sunt geniti,sic Mol.*l.3.de primogen.c.3. n.29.& 51.*noster Mol.*tract.2.de iustit.disp.174.concl.6.& 7.* Couarruu.*3.var.c.6 n.7.in respons.ad 4.*

9 At si institutio solum dicat,si sine liberis legitimis decesserit? Communis sententia affirmat te ligitimatum à principe hunc substitutum excludere,quia legitimatus inter legitimos filios computari debet. *Authent.quibus modis naturales efficiantur legitimi.§.sit igitur licentia.& in Auth.quibus modis naturales.efficiantur sui.§.& quoniā.*ibi:*si quis ergo filiosegitimos nō habens. colat.6.l.4.tit.15.p.4* ibi*son dende en delāte legitimos.* Ergo stante tua legitimatione cessat conditio necessaria,vt substitutus succedat,siquidem iam non decedit sine legitimis filiis, sic Couarr.*3.var.c.6 n.7.& 2.p.de sponsalib.c.8.§.9.n.8,*& plures relati à Mol.*l.3.de Hisp primoge.q.3. n.2.&* 26.Limitant autem plures hanc sententiam , vt non procedit in substitutio à persona nobili,quales regulariter sunt omnes Hispani maioratus;quia tunc non præsumitur sub filiis legitimis legitimatus, qui solet ex infima plebe esse,instituentem voluisse cōprehendere.Secundo litimant , nisi vocet filios , & filias , addatque & eas tum filios legitimos : non enim est credendum filios legitimatos tescripto principis sub hac dispositione contineri. Alias comprehenderet filios naturales filiarum,si à principe legitimarentur;quod videtur absurdum:sic Mol. *lib. 3. cap.3.n.30 & 34.*

10 Nihilominus probabilius existimo te sic legitimatum à principe non excludere substitutum , cum illa clausula. Nam licet legitimatus fictione iuris quoad plures effectus,& priuilegia legitimus censeatur:at in communi acceptione non ita censetur, sed instituens maioratum credendus est nomen legitimi secundum communem acceptionem vsurpasse.Ergo ex eius acceptione sub filiis legitimis te legitimatum non comprehendit. Ergo non excludis hinc institutum,sic Molina *l.2.de primog.c. 7.n.31. & lib.3.cap.3.n.27.&* 29.noster Molina *tract.disp.174. concl.8.*

11 Quod si institutio maioratus, feudi vel fidei commissi facta sit sub ea clausula,vt substitutus succedat si,vt eius possessor sine liberis decesserit , grauis est controuersia inter doctores, an filius naturalis hunc substitutum excludat ? Alij affirmant,alij negant,vt videre est apud suprad. Mol. *lib. 3. c.3. n. 41,& seqq.* & nostrum Mol.*d.disp.174.in fin.* eorūque resolutio nobis probatur , nempe ex conditione , & qualitate instituentis, aliisque circunstantiis hoc desumendum esse. Nam si instituens sit persona nobilis , nunquam credendus est voluisse maioratum ad natnralem filium deuenire,ne possidens maioratū, quique defert sui generis honoris insignia , caputque est totius familiæ,cui omnes reuerentiam exhibent,vilis sit & adiectus;ac proinde conditio illa,si sine liberis decesserit, idem est regulariter cum illa,si sine liberis legitimis decesserit.

12 Hinc colligere potes citandos esse in impetratione legitimationis eos omnes , & solos, quia ius ad hæreditatem habent impedibile à patris libera voluntate. sic doctores relati. Vide Mol.*de Hisp.primog. l.3.c.3.n* 10.Cou.§ *9.n.8.*Hæc enim citatio requiritur, vt principi constet causam legitimam adesse ad legitimationem concedendam.Nam esto substituras aliisq; filij legitimi sæpe præsumantur cōtradicturi filij legitimationi faciendæ

faciendæ, quia illis præiudicat. At quia eorum contradictio deseruit ad examinandum, an causa legitima intercedat concedendi legitimationem, ea de causa citari debent: si tamen illis non citatis, expressis tamen principi, princeps legitimationem absolutè concedat, valida est eius concessio, quia potestatem habet supradictis præiudicare in iure quod habent ad succedendum, cum illud habeant ex dispositione legis ab ipso principe latæ, vt latius tradit Molina *tract. 2. de iustit. disp. 174. concl. 2. & 3.*

13 At si non absolutè sed cum restrictione concedat legitimationem, nempe sine præiuditio legitimorum hæredum, vel succedentium ab intestato, nequaquam illi omnes, qui ius necessarium habent ad succedendum, quodque à parte impediri non potest, præiudicabuntur. An vero alij hæredes vsque ad quartum gradum, qui ab intestato succedunt, ex illa clausula excludantur? Affirmat Molina *supra*, & Sarmient. *lib. 1. select. cap. 8. n. 7.* & plures relati à Fachineo *l. 3 controu. c. 62.* quia supradictis propriè præiudicium non fit, cum non habeant ius succedendi, quod à possore frustrari non possit. Deinde quia nullius effectus videtur esse legitimatio, si hi non essent exclusi, cum raro succedere possit esse aliquem consanguineum intra quartum gradum destitutum: placet mihi hæc sententia, quamuis Fachineo, & aliis ab eo relatis contrarium probetur.

14 Tertio, vt valida sit legitimatio, explicari debet qualitas illegitimitatis, non solum in genere, sed in specie. Tum vt princeps sciat quam gratiam concedit. Tum quia pro qualitate illegitimitatis facilis, vel difficilis redditur. Quapropter explicare debes, an sis naturalis, an spurius: & si spurius, an ex incestu, sacrilegio, vel adulterio, vel ex omnibus simul. Item explicare debes ex quo incestu natus sis, si ex incestu cum matre, cum sorore, cum vxore fratris, cum nutu, cum filia. Nam esto hæc iuxta opinionem Caier. *2. q. 154. art. 9.* non varient speciem, explicanda tamè sunt, vt Pontifex sciat, quā gratiam concedit. Item explicanda sunt, quæ difficiliorem reddunt concessionem: *c. postulasti. de rescriptis*, & negari non potest ex vno incestu, potius quam ex alio difficiliorem esse concessionem: sic Couarruu. *2. p. de sponsal. cap. 8 §. 9. n. 4.* Basil. Legionen. *l. 11. de matr. c. 7. n. 6.* Molina *tract. 2. de iustit. disp. 173. vers. hinc colligitur.* Fachin. *lib. 3. controuers. cap. 61.* Deinde explicare debes ex quo sacrilegio legitimus natus sis, an ex sacerdote, moniali, religioso, vel vtrinque simul. Molina. Basilius *supra.* Item si esses genitus ex episcopo, non sufficeret narrare te ex sacerdote genitum esse, quia dignitas episcopalis notabiliter aggrauat sacrilegium, sicut esse genitum ex sacerdote, & religioso simul. Mol. *supra. n. 6. s. qualitates.* Præterea est explicandum, si ex adulterio natus sis.

An vero explicare debeas, si vtrinque adulterium est commissum? Affirmant plures, quos refert, & sequitur Couarr. *2. p. de sponsal. c. 8. §. 9. num. 3.* Azor *2. p. instit. moral. l. 2. cap. 14. q. 6.* Basil. Legionen. *l. 1. cap. 7. n. 9. in fine, iuncto n. 8.* Molina *tract. 2. de iustit. disp. 173. vers. hinc colligitur.* Mouentur, quia difficilior videtur reddi dispensatio, si vtrinque adulterium est commissū, quamsi ex vna parte tantum, at principi manifestanda sunt, quæ possunt eum ad concedendam gratiam, dieffiilem reddere. *cap. dudum. de electione. cap. super litteris. cap. postulasti. de rescript.* Ergo. Cæterum contrariam sententiam, sufficere namque si dicas te ex adulterio esse genitum, docuit Angel. *cons. 104.* quem refert & sequitur Fachin. *lib. 3. controuers. c. 60.* ea, inquam, ratione; nam ex vi illius relationis cognoscit princeps te ex muliere adultera genitum esse; eo quod adulterium absolutè sumptum compatatione mulieris desumitur. *l. 1. Cod. de adult.* sed illo non obstante princeps legitimum reddit: ergo etiam, esto viri adulterium declaretur; quia superadditum viri adulterium non videtur difficiliorem reddere principem in cōcessione. Verum hæc ratio non multum stringit; alias ex illa inferri potest si genitus esses ex coniugato, & soluta, te non esse obligatum ex quo coitu sis genitus explicare; eum adulterium ex parte viri non sit propriè adulterium quoad infamiam, & punitionem, neque principem reddat difficiliotem in gratia concedenda, quod est absurdum. Quapropter retinenda est prima sententia, vt communior, & probabilior.

15 Supradicta limitanda sunt, nisi princeps concessionem ita generalem faciat, vt ex verbis ipsis constet non esse opus coitum in particulari exprimere, vt si diceret ex quocunque coitu natus sis, te legitimum facio; vt aliis relatis docet Couarr. *2. p. de sponsal. c. 8. §. 9. n. 4.* Mol. *de iustit. tract. 2. disp. 173. vers. hinc colligitur.*

16 Quarto requiritur causa ad concedendam legitimationem, vt multis relatis probat Molina *de Hispanor. primogen. l. 3. c. 3. fere per totum.* Cum enim princeps legitimationem concedens, iura, legesque à se statutas relaxet, aliisque præiudicet, nequit absque causa hæc præstare; alias non esset administrator, sed dissipator. An autem valeat legitimatio absque causa concessa pendet ex illa quæstione, quam *tract. de legibus. disput. vlt.* diximus, an dispensatio principis in propriis legibus absque causa teneat, cuius affirmatiuam partem, vt probabiliorem defendimus. Ex illa tamen legitimatione absque causa concessa non præiudicabitur tertio in iure quæsito.

17 Ex his omnibus infertur, qualiter legitimatus, vel dispensatus habilis sit ad beneficia. est enim legitimatus æquè habilis, ac legitimus, quia sublatum est illegitimitatis impedimentum, dispensatus vero iuxta verba dispensationis, quæ strictè explicanda sunt, vt latius *tract. de legib. disp. vlt. de dispensatione* diximus, iure autem communi episcopus ad ordines minores, & beneficia simplicia cum illegitimis dispensat. *c. 1. de filiis presbyt. in 6.* Ad ordines maiores, beneficia curata, dignitates, & personatus solus Pontifex concedit dispensationem, vt latius *tract. de irregularit. disp. 2. punct.* dicemus.

Punctum II.

An filij presbyterorum aliàs legitimati, vel dispensati ad beneficia obtinenda, possint in ecclesia paterna beneficium obtinere?

1 *Expenditur decretum Trident.*
2 *In quo hoc decretum distinguatur ab his, quæ iure communi statuta erant.*
3 *Prohibitio est de filiis illegitimis comparatione suorum parentum. Non de nepotibus comparatione aui.*
4 *Limitant aliqui, vt procedat mortuo parente. Sed non admittitur limitatio.*
5 *Pater non est prohibitus obtinere beneficium filij illegitimi.*
6 *Sed an obtinere possit beneficium in illa ecclesia, in qua filius est actu beneficiatus? Verius est non posse.*
7 *Qualiter pater obtinere beneficium debet, vt filius illegitimus impediatur illud habere.*
8 *Qualiter neque mediatè neque immediatè potest filius beneficium patris obtinere.*
9 *Potest pensionem.*
10 *Proponitur obiectio & soluitur.*
11 *Prohibetur filius quodcunque beneficium etiam dissimile in ecclesia paterna obtinere.*
12 *Quid dicendum de beneficiis vnitis?*
13 *Non potest supradictus filius obtinere beneficium in ecclesia, vbi pater solam sedem habet ob dignitatem alterius ecclesiæ.*
14 *Neque obtinere beneficium in ecclesia, quæ est soror alterius, vbi pater beneficium habet.*
15 *Benè potest obtinere canonicatum, qui erat portio non beneficialis tempore patris. Item & capellaniam non collatiuam.*
16 *Interdicitur filio illegitimo administratio in ecclesia, in quā pater [illegible]um habuit. Et quæ administratio.*
17 *Si pater [illegible] administrationem habuit, non excluditur filius, neque ab administratione, neque à beneficio.*
18 *Interdicitur à concilio qualibet reciproca regnatio. parentum in fauorem filiorum.*
19 *Episcopus nunquam in supradictis dispensat, & raro Pontifex.*

1 TOta difficultas versatur in explicatione *textus concil. Trident. sess. 24. c. 14. de reformat.* vbi decernit concilium, vt paternæ incontinentiæ memoria locis Deo consecratis, quos maximè puritas, sanctitasque decet longissimè arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio in ecclesiis, vbi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt quodcunque etiam dissimile beneficium obtinere, neque in dictis ecclesiis quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerūt habere. Quod si in præsenti pater, & filius in eadem ecclesia beneficia obtinere repetiantur, cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra ecclesiam intra trium mensium spatium: aliàs ipso iure eo priuatus existat, & super his quæcunque dispensatio subreptitia censeatur. Ad hæc reciprocæ resignationes si quæ post hac à parentibus clericis in fauorem filiorum fiant, vt alter alterius beneficium consequatur, in fraudem huius decreti, & canonicarum sanctionum factæ omnino censeantur, nec collationes secutæ vigore huiusmodi resignationum, seu aliarum quarumcunque quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis clericorum filiis suffragentur.

2 Hoc decretum, vt sacra concilij congregatio declarat, plurimum differt ab his, quæ iure communi statuta erant. Primonamque differt in fine. Nam ius commune prohibebat filiis illegitimis beneficia parentum habere, ne videretur in ecclesia dari successio. At Trident, non tam ob successionē, quam vt paternæ incontinentiæ memoria arcestur hanc statuit prohibitionem. Secundo differt in eo quod prohibet filius clericorum non solum immediatam successionem in beneficio parentum, sed etiam mediatam, & remotam. Quam tamen successionem mediatam, & remotam ius commune non prohibebat: vt constat ex *c. ad extirpanda. 1. dilectus. cap. ex transmissa. de filiis presbyterorum.* Tametsi constitutio quædam Clementis VII. quæ in bullario est 36. hāc successionem remotam prohibuerit filiis ex fornicatione natis, nempe vt non possint vllo vnquam tempore

obtinere beneficia, quæ eorum patres in titulum, vel commendam, aut administrationem seu vt aliis perpetuo vnita aliquando obtinuerant. Tertio non solum prohibetur successio in eodem beneficio, vt iure communi prohibitum erat, sed etiam in alio dissimili, dummodo sit in eadem Ecclesia. Quarto prohibetur filius ministrare in Ecclesia, in qua pater obtinet, vel obtinuit beneficium, cum tamen ex iure communi solum fuerit prohibitus ipsi parenti ministrare. Quinto prohibetur ne pensiones obtineat super beneficia, quæ parentes obtinent, vel obtinuerunt, cum tamen iure communi non erat prohibitum parentem renunciare beneficium in fauorem tertij cum reseruatione pensionis filio conferendæ. Gigas *de pensionib. q. 89. n. 5.* Sexto hoc decretum solum loquitur de filiis illegitimis, vt ex principio textus cõstat, ibi, *qui non ex legitimo matrimonio nati sunt*, &c. Quapropter filij clericorum ex legitimo matrimonio nati sub hoc decreto nõ continentur, sed dispositioni iuris communis relinquuntur. Ex iure autem communi prohibentur filij clericorum etiam ex legitimo mattimonio nati parentibus immediatè succedere in beneficio, nisi Pontifice dispensante, de mediata successione nulla est prohibitio: habetur *cap. ad extirpandas. cap. dilectus. cap. ex transmissa. de filiis presbyter.* & tradit aliis relatis Garcia *7. p. de benef. cap. 3. n. 3. & 18.* Barbosa *2. de potest. episc. alleg. 65. num. 16.* Item filij legitimi clericorum possunt in ea ecclesia, vbi eorum parentes beneficiati existunt prouideri, dummodo non succedant in beneficiis immediatè. Quia neq; à concilio, neque à iure communi hoc videtur prohibitum. & sic decisum refert Seraphin. *decis. 1442. n. 6.* Augustin. Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 65. n. 16.*

3 Hinc colligo primo prohibitionem solum esse de filiis illegitimis comparatione suorum parentum; vt patet illis verbis: non liceat filiis clericorum, vbi eorum pater, &c. Vnde filius illegitimus benè poterit beneficium aui habere. Tum quia in odiosis, & pœnalibus sub nomine patris non venit auus, nec sub nomine filij venit nepos, vt ex Bart. *in leg. liberorum. n. 6. ff. de verbor. significat.* tradit Couarruu. *lib. 2. var. c. 8. n. 2.* Surdus *de aliment. tit. 9. q. 36.* Tum quia concilium paternæ, & non auitæ incontinentiæ memoriam à loco sacro voluit arcere. Tum denique quia nepos succedit auo ex testamento, cum tamen filius patri succedere non possit. *leg. fin. Cod. de naturalib. liberis.* Anton. Gomez *in leg. 9. tauri. n. 17.* Couarr. *2. p. de sponsal. cap. 8. §. 5. n. 11.* noster Molina *tract. 2. de iustit. disp. 167. concl. 9.* & ita causa maturè discussa hanc sententiam amplexa fuit sacta concilij congregatio 17. Octobris 1591. vt testatur Barbosa *in dicto cap. 15. n. 2.* tametsi alias contrarium senserit, & tenet Nauarr. *cons. 9. de filiis presbyt. in 9.* Sayrus *l. 6. de irregularit. c. 10. n. 4.* Azor. *2. p. instit. l. 6. c. 4. q. 17.* Vgol. *de officio decani. c. 50 §. 7. n. 2. & §. 8. n. 2.* Garcia aliis relatis. *7. p. de benefic. cap. 3. num. 21.* Barbosa *3. p. alleg. 64. n. 18.*

4 Limitat hanc doctrinam Lessius *l. 2. c. 34. dub. 18. n. 91.* vt procedat mortuo patente. Nam cum viuente patre filius succedere non possit auo, neque etiam beneficium ab illo accipere potest. Sed non placet limitatio; quia in beneficiis non datur hæc stricta successio, vt ex auo in filium, & deinde in nepotem deriuentur: imo potius ius commune hanc hæreditariam successionem abhorret: quare cùm possit auus in quemlibet extraneum viuente eius filio beneficium resignare, sic poterit in eius nepotem, tametsi pater viuat. Bernard. Diaz *pract. c. 58. n. 4.* Garcia *supra num. 23.* & alij doctores indistinctè loquentes.

5 Secundo colligo patrem obtinere posse beneficium filij illegitimi; quia comparatione patris neque in iure communi, neque in constitutione Clement, neque in concilij decreto vlla est prohibitio. Prohibitio autem filiis facta non est pro parentibus amplianda. Tum quia pœnæ extendendæ non sunt. Tum quia non est eadem ratio prohibitionis. Nam pater accipiens beneficium filij non videtur æquè ac si filius eius beneficium acciperet, hæreditariam successionem repræsentare, neque paternam incontinentiam, cum pater non sit imago filij, neque ipsum repræsentet, benè tamen filius est imago patris, illumque repræsentat. Qua de causa tempore concilij, cum pater, & filius illegitimus in eadem ecclesia beneficium obtinebant, cogitur filius, & non pater intra trium mensium spatium beneficium resignare, aut cum alio extra ecclesiam permutare. Non igitur est eadem ratio de patre, ac est de filio; & ita tenet Rebuff. *in praxi. tit. de dispensat. super defectu natal. 29.* Quintanaduenas *ecclesiast. lib. 2. n. 95.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 18. num. 91.* Gigas *de pensionib. q. 86 n. 10.* Garc. aliis relatis, *7. part. de benefic. c. 3. n. 28.* Barbosa *3. p. de potest. episc. alleg. 65. num 17.* Salzedo *pract. c. 48.*

6 Sed nunquid pater stante dispositione concilij poterit obtinere beneficium in illa ecclesia vbi eius filius est actu beneficiatus? Ratio dubitandi est; quia concilium solum disponit de patre, & filio beneficiatis tempore concilij. Quod constat ex illis verbis: *quod si in præsenti pater, & filius*, &c. & in illo casu cogitur filius beneficium dimittere patre intacto. At cum filius est beneficiatus, non potest cogi filius dimittere beneficium, vt pater aliud obtineat. Ergo hic casus omissus fuit à concilio. & consequenter relictus est dispositioni iuris communis. Sed ex iure communi optimè potest pater beneficium in eadem ecclesia cum filio obtinere. Ergo post concilium Trident. id ipsum poterit. Nihilominus verius videtur oppositum, non posse patrem obtinere supradictum beneficium. Quia tacitè, & virtualiter fit contra concilij dispositionem; cum enim concilium voluerit, ne filius, & pater in eadem ecclesia beneficiati existant, vt paternæ incontinentiæ memoria longissimè arceatur, si pater obtinere beneficium posset, vbi filius de præsenti existit, finis concilij frustraretur. Ergo dicendum est nequaquam posse parentem beneficium obtinere in illa ecclesia, vbi eius filius illegitimus beneficiatus existit. Neque enim filius cogendus est tunc beneficium acquisitum relinquere; potius enim pater impediri debet ab illo consequendo, quia ipse agit de lucro captando, & filius de damno vitando. Garcia *de benefic. 7. part. c. 3. num. 31.*

7 Tertio intellige prohibitionem esse, ne filius illegitimus obtineat. nec immediatè, nec mediatè beneficium patris. Requiritur ergo, vt pater beneficium obtineat, vt locus sit huius prohibitionis. Vnde si pater verè non obtinuit beneficium; quia nec possessionem accepit, neque illud acceptauit, optimè poterit filius illud obtinere. Et idem est si illud cessit, antequam litteræ sint expeditæ; quia ante litterarum expeditionem non censetur gratia beneficiorum perfecta. Secus vero dicendum videtur, si beneficium acceptauit, tametsi illius possessionem non acceperit, neque in illo administrauerit. Quia per acceptationem ius in beneficio acquiritur. & proprium acceptantis fit; ac proinde iam verificatur, quod pater in illa ecclesia beneficium habuerit. Cæterum verius est non solum acceptationem, sed etiam possessionem per se, vel per procuratorem acceptam requiri; quia cum simus in odiosis, & pœnalibus, verba stricte sumenda sunt; ac proinde intelligenda sunt de perfecta, & complera beneficij consecutione, quæ perfecta non est, quousque possessio accipiatur: & ita tenent; referuntque, decisum à sacra congregatione. Garcia *7. p. de benefic. cap. 3. num. 55.* Augustin. Barbosa *in remission. concilij. n. 4. & 3. p. de potest. episc. alleg. 65. n. 7.* Hæc tamen possessio, esto capta fit absque legitimo titulo, sufficit ad impediendum filium ne tale beneficium habeat; quia ex illa possessione paternæ incontinentiæ memoria refrigatur, sic tenet, & decisum refert Garc. *7. p. de benef. c. 3. n. 38.* Augustin. Barbosa *in remissionib. concilij dicto c. 15. circa finem. & 3. p. de potest. episc. alleg. 65. n. 8.* Non tamen requiritur, quod pater beneficium ministrauerit, quia id concilium non expostulat. Garc. & Barbos. *supra.*

8 Dixi, nec immediatè, nec mediatè posse beneficium patris obtinere: quod videtur intelligendum, dum modo triginta anni non fuerint elapsi postquam pater beneficium obtinuit. Nam his elapsis non caret probabilitate posse filium illegitimum patris beneficium obtinere; quia cessat paternæ incontinentiæ memoria ob longitudinem temporis præterititie Gonzalez *reg. 8. cancell. glos. 5. n. 33.* Barbosa *in remissione concilij. verbo longissimè arceantur. & 3. p. de potest episc. alleg. 65. n. 19.*

9 Deinde dixi non posse obtinere beneficium patris, vt tacitè insinuarem pensionem patris in ipsũ transferri posse; quia pensio in odiosis, & pœnalibus sub beneficio non comprehenditur. Si ergo pater potestatem habet transferendi pensionem, eam poterit in filium illegitimum transferre. Quia de pensione nulla est à iure facta prohibitio: sic Gigas *de pensionib. q. 86 n. 5.* Flamin. *de resignat. lib. 6. q. 4 n. 21. & 22.* Conzal. *ad reg. 8. Cancellar. glos. 5. §. 5. n. 22. & 23.* Azor. *2. p. instit. mor. l. 8. cap. 8. q. 7.* Stephan. Gratian. *disceptat. forens. cap. 397. n. 1. & 7.* Aloysius Riccius *in collectan. decisionib. 4. p. collect. 1367. fine* Augustin. Barbosa *in remission. concilij. dicto cap. 15. vers. beneficium aliquod habent.*

10 Sed obiicies. Concilium prohibet ne filius habere possit pensionem super fructibus beneficij paterni, ne ob illam pensionem memoria paternæ incontinentiæ durer, sed efficacior ratione durabit, si eadem pensio, quam pater habuit, in filium transferatur. Ergo non est concedenda hæc translatio. Nam vbi est eadem ratio, eadem debet esse iuris dispositio. *leg. illud. ff. ad legem. Aquiliam.* Adde pensionẽ loco beneficij succedere, vt tradit Nauarr. *11. n. 2. de temporib. ordinat.* sed beneficium, quod patet habuit, prohibetur communicari filio illegitimo. Ergo & pensio. & ita tenet Mandos. *de signatura tit. de translat. pensionis ad finem in octo:* cui consentire videtur Nicol. Garcia *7. p. de benefic. c. 3. num. 36.*

Respondeo tamen, si eadem ratio in translatione pensionis paternæ procedat, ac procedit in translatione beneficij, vel in constitutione pensionis super beneficio paterno; non inde sequitur eandem iuris dispositionem seruandam esse. Quia sumus in pœnalibus, & odiosis, quæ non debent extendi. Et præterea quia in supradicto decreto concilij sub nomine beneficij pensio non fuit comprehensa, sed vt quid distinctum de pensione disponitur, ibi, *quodcunque etiam dissimile beneficium obtinere, neque pensiones.* &c. Adde si pensio sub nomine beneficij comprehenderetur, filius illegitimus habere non posset pensionem super fructibus alterius beneficij illius ecclesiæ, in qua pater beneficiatus existit, quod certè est falsum, & contra intentionem concilij prohibentis tantum pensionem super fructibus beneficij

beneficij paterni, non super alterius beneficij fructibus. Quapropter etsi pensio loco beneficij succedat quoad qualitates in beneficiis requisitas, ita vt eadem ætas, & qualitas legitimitatis, & habilitatis ad beneficium requisita requiratur in pensione: non tamen succedit loco beneficij in dispositione speciali prohibitiua, Vnde inhabilitatus ad beneficia, non est inhabilitatus adpensiones. Gonzalez *glos.* 5. §. 5. *num.* 26. cum Nauarr. *cons.* 12. *n.* 5. *de rescript.*

11 Quarto collige non solum prohiberi illegitimum paternum beneficium obtinere, sed etiam obtinere aliud quodcunque dissimile beneficium in Ecclesia, in qua pater habuit beneficium in titulum, commendam, vel administrationem. Vnde non potest filius illegitimus obtinere dignitatem in Ecclesia, vbi pater est canonicus neque è contra obtinere canonicatum, vbi pater est dignitas. Rebuff. *in pra. benef. tit. de dispensat. super defectu natal. n.* 37. & 38. Azor. 2. *p. instit. moral. lib.* 6. *cap.* 4. *q.* 16. Barbosa 3. *part. de potest. episc. allegat.* 65. *n.* 15.

12 Solum est difficultas de beneficiis vnitissan possit filius ad vnum intitulari, & pater ad aliud; Cui difficultati sub distinctione respondeo: si illa duo beneficia sunt æquè principaliter vnita, cum rector vnius sit necessario amborum rector, nequit filius vnum obtinere etiam tanquam vicarius perpetuus; quia iam obtineret beneficium patris; si tamen beneficia non æquè principaliter vnita sint, sed accessorie; & ob huiusmodi accessum beneficij naturam accessorium non amittit, sed necessariò accessorium ministrari debet per vicarium perpetuum aut temporalem, & non per rectorem principalis beneficii, optimè potest filius illegitimus accessorium obtinere, tametsi pater principale beneficium obtineat; quia nec beneficium patris obtinet, neque in eadem Ecclesia, sed in diuersa & ita tenent, & decisum referunt Garc. 7 *p. de benef. cap.* 3. *à n.* 61. August. Barb. *in dicto c.* 15. *conc. n.* 4. *& in decisionib. vers. quarta & 3. p. de potest. episc. alleg.* 65. *n.* 11.

13 Deinde nequit filius illegitimus beneficium obtinere ea in Ecclesia, vbi pater solam sedem habuit in choro ratione dignitatis, quam in alia Ecclesia obtinebat, Quia censetur in illa Ecclesia beneficium habuisse ob administrationem, & sedem, quæ ei ex beneficio pertinuit: & ita tenet, & decisum refert Garc. 7. *p. de benef. c.* 3. *n.* 66. Barb. 3. *p. de potest. episc. allegat.* 65. *n.* 14. *& in decision. ad c.* 16. *concil. decis.* 5. Quæ doctrina non caret difficultate ob ea quæ tradit Gonzalez *reg.* 8 *Cancell. glos.* 10. *à n.* 16.

14 Ex eodem principio videtur hic filius illegitimus excluſus à beneficio in Ecclesia, quæ est soror alterius Ecclesiæ, in qua pater beneficium habet. Sunt enim in Hispania aliquæ Ecclesiæ, quæ vocantur sorores in quarum vna residens censetur in alia residere ex fauore, & priuilegio Pontificis. In vna ergo harum Ecclesiarum intitulari filius non potest parête in alia intitulato. Quia iam esset intitulatus in Ecclesia, in qua pater ratione beneficij ministrare censetur, seu in qua censetur beneficium habere: sic Barbosa *in dicto decreto concil. n.* 7.

15 Non tamen prohibetur filius obtinere canonicatum, qui etat patrio non beneficialis tempore quo pater illum obtinebat. Quia non obtinet patris beneficium, neque in Ecclesia vbi pater beneficiatus fuit: sic decisum refert Achilles de Graffis *dec.* 1. *de filiis presby.* Barb. 3. *p. de potest. epis. alleg.* 65. *n.* 12. *& in remission. concil. ad dict. cap.* 15. *vers clericum.* Deinde non prohibetur succedere in capellania absque Episcopi authoritate fundata, quam habuit pater? quia non est beneficium, & concilium solum de successione in beneficiis loquitur. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. glos.* 5 *num.* 34. Augustin. Barbosa *dicta alleg.* 65. *n.* 13. *& in remission. concil. loco allegato.*

16 Quinto collige ex illis verbis concilij *quoquo modo ministrare*, interdictam esse filio illegitimo administrationem in Ecclesia, in qua pater beneficium habuit. Quapropter omnis administratio siue ex beneficio, siue ex salario, quæ propria esse censetur, excluſa est. Vnde nec potest vt simplex musicus canere in choro, neque processionibus interesse, nec epistolam, aut antiphonam, aliudve ministerium ibi exercere ex officio vel beneficio; tametsi beneficium ad aliam Ecclesiam pertineat: sic tenet & decisum, refert Garcia 7. *p. de benef. c.* 3. *n.* 68. Aloysius Riccius *in collectan. decisionib.* 4. *p. collect.* 1367. *vers. tu amplia* Stephan. Gratian. *discepta. forens. cap.* 397. *num.* 26. *& seqq.* Barbosa *dicto loco concilij decis.* 5. *& 3. p. de potest. episc. alleg.* 65. *n.* 20 Dixi interdictam esse ministrationem ex officio, vel beneficio: vt colligeres ministrationem voluntariam, & ex deuotione interdictam non esse: videtur enim nimis rigorosum, vt non possit filius in Ecclesia, vbi pater est canonicus, missam ex deuotione dicere. Quia sic celebrans non tam Ecclesiæ ministrat, quam suæ consolationi, & deuotioni & ita id fieri posse defendit Manuel Rodrig. 1. *t. sum. cap.* 247. *n.* 1. Garcia 7. *p. de benef. c.* 3. *n.* 70. vbi testatur sic praxi esse receptum, tametsi Nauarr. *cons.* 1. *de constitut. q.* 17. *in* 1. *edit.* contrarium sibi probabilius appareat.

17 Vt autem filius ab administratione alicuius Ecclesiæ excludatur, debet eius pater in illa beneficium habere, vel habuisse. Quapropter si nullum ibi beneficium habuit, tametsi ex officio ibidem administrauerit, nequaquam filius à beneficio, neque ab ad ministratione in illa Ecclesia excludetur. Quia concilium ex parte patris beneficium requirit: ibi *vbi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, vel habuerunt*, & tenet, decisumque refert Garcia 7. *p. de benefic. cap.* 3. *num.* 72. Quapropter, vt declarauit sacra congregatio apud Garciam *num.* 73. & Barbos. 3. *p. de potest. episc. alleg.* 65. *num.* 23 & 24. non est molestia exhibenda presbytero celebranti ex obligatione alicuius legati, vbi pater celebrat ex deuotione. Quia hic casus non fuit à concilio comprehensus, neque in concilio, neque alibi inuenitur prohibitum filios clericorum cum patentibus habitare Garc. & Barbosa *supra*: tametsi conuenientissimum, & decentissimum sit, vt nunquam simul habitare permittantur ne parentes filiorum intuitu delicti præteriti complacentiam habeant.

18 Sexto collige, interdictam esse à concilio omnem reciprocam renunciationem, si quæ à parentibus clericis in fauorem filiorum suorum fiat: illa autem dicitur reciproca resignatio à concilio prohibita, in quibus pactum, & conuentio de mutua facienda resignatione interuenit. Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit de renunciat. cons.* 5. Quapropter si in fauorem Titij beneficium resignares, vt Titius beneficium quod habet cederet filio tuo illegitimo, nullius effectus esset resignatio, Verum si omnis conuentio expressa vel tacita cessaret, non esset resignatio damnanda, vt bene probant Nauarr. *supra*. Aduerto tamen in foro externo condemnandas esse resignationes ob præsumptionem fraudis, si simul fiunt, vel non multum inter se distent; eáque de causa sacri concilij congregatio censuit reciprocam, & damnatam resignationem fuisse eam, qua Antonius Correa beneficium resignauit in fauorem Nicolai Gassada, reseruata pensione super parochiali, quam Matthæus pater Nicolai obtinebat de consensu patris, Quia censetur pater consensisse pensioni ea conditione, vt suo filio beneficium daret. Garcia 7. *p. de benef. cap.* 3. *num* 87. August Barbosa 3. *p. de potest episc. alleg.* 65. *num.* 27.

19 Septimo collige, Episcopum non posse cum illegitimo dispensare in iis, quibus à concilio prohibetur? quia nullibi talis potestas ei committitur, neque conueniens erat, vt ei committeretur, Barbosa aliis relatis, *d. alleg.* 65. *num.* 30. Pontifex vero si forte in iis dispensationem concedat aliquando, derogare debet saltem in genere constitutioni Clement. VII. & supradicto Trident decreto: sic Barbosa *supra num.* 31.

Punctum III.

De ætate requisita ad beneficium.

1 *Pro summo Pontificatu nulla ætas à iure designata est.*
2 *Pro Episcopis trigesimus completus requiritur.*
3 *Quid de ætate pro Cardinalibus requisita?*
4 *Pro Abbatibus, Decanis, aliisque beneficiatis curã animarum habentibus 25. inceptus.*
5 *Ad cæteras dignitates 22. est requisitus.*
6 *Absque vlla dispẽsatione cõstitutus in supradicta ætate eligi potest.*
7 *Supradicta ætas non solum pro dignitatibus Ecclesiæ cathedralis, sed collegiatæ requiritur, esto alij contrà sentiant:*
8 *Si aliquibus ex iis dignitatibus ordo presbyteratus est annexus requiritur ea ætas quæ ad ordinem requiritur*
9 *An 22. annus sufficiat inceptus? Affirmant plures*
10 *Probabilius est oppositum.*
11 *Fit satis oppositæ rationi.*
12 *Pro beneficiis curamanimarum habentibus 25. annus inceptus requiritur.*
13 *Ex tenditur ad vicarios perpetuos.*
14 *Quæ ætas pro canonicatibus, & portionibus Ecclesiarum cathedralium.*
15 *An pro canonicatu cui est subdiaconatus annexus sufficiat habere 20 completum, & inceptum, 21. Affirmat Lessius.*
16 *Verius est oppositum*
17 *Canonicus pœnitentiarius quadragenarius debet esse.*
18 *Pro canonicatibus Ecclesiarum collegiatarum, & dimidiis portionibus Ecclesiæ cathedralis 24. sufficiunt.*
19 *Pro beneficiis simplicibus spectato iure communi alij septennium. Alij 14. annum requirunt. Ex trid. 14. inceptus requiritur.*
20 *Ætas requisita pro beneficiis non solũ tempore collationis, sed etiam electionis, præsentationis, impetrationis & of positionis debet esse.*
21 *Collatio, electio, præsentatio facta ei qui legitimam ætatem non habet, irrita est.*

1 A Dignioribus incipiendo nulla pro summo Pontifice à iure determinata ætas requisita est; sed eo ipso quo à duabus partibus Cardinalium fuerit electus, qui alias iure naturali, & diuino spectato apius fuerit ad Ecclesiam Dei gubernandam, electio valida persistit. Neque credendum est Cardi-

nales electuros, qui idoneus non sit tanto muneri, Azor.1.p. instit.moral.lib.6.cap.5.in fine.q.15. Proreliquis Episcopis trigesimus annus requiritur c.cum in cunctis de electione. An vero debeat esse completus? Negat Glossa in c.unico.de ætate, & qual. in 6.verbo complenerint, sed absque fundamento. Nam textus in c.cum in cunctis clarè indicat debere esse completum: cum dicat nullus ad Episcopatum eligatur, qui iam trigesimum ætatis annū non exegerit. Non enim dixit attigerit, sed exegerit, quod complementum significat. vt tradit Ambros. Calepin. iuxta illud Plauti in amphitr. menses iam tibi exactos esse videst; & sic ad omnem excludendam dubitationem definitum est à Gregor. XIV. in sua bulla, quæ incipit: onus apostolicæ seruitutis, edita 15. Martij 1591. & tradit expresè Rebuff. in praxi beneficiar. Rub. requisita ad collationem bonam. num. 37. & tractat. de pacificis possessorib. n. 184. Gutierr. lib. 1. canon. quæst. c. 26. n. 39. Gatc. 7. p. de benefic. cap. 4. n. 76. Menoch de arbitrar. casu 427. n. 24. Azor. 2. p. instit. moral. lib. 6. c. 15. q. 1. Eman. Saa verbo Episcopus. n. 9. Lessius lib. 2. c. 34. dub. 20. n. 107. Aug. Barbosa de potest. episc 2. p. alleg. 2. n. 26. 48. & In regno vero Galliæ ex concordatis inter Leonem X. & Regem Galliæ affirmat Rebuff. dicto tract. de pacific. possessorib. n. 184. & ex illo Barbosa n. 27, sufficere esse in 27. anno constitutum, vt rite eligi possit.

3 Pro Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ eadem ætas, ac in Episcopo videtur requisita iuxta Trident. sess 24. cap. 1 de reformat. ibi. ea vero omnia, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus aliasin eadem synodo constituta sunt, decernit eadē etiam in creatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiam si diaconi sint, exigenda. Sed iam ex constitutione Sixti V. edita de Cardinalium numero, ordine, ætate, tempore, qualitate, & officio ea ætas requiritur in Cardinalibus, diaconis, quæ sufficiat intra annum illo ordine insigniri. Quapropter sufficiet si in 22. suæ ætatis constituantur: sic notauit Cardin. Paleotus de sacri consistorij consultat. 4. tract. q. 1. Garcia 7. p. de benefic. cap. 4. n. 79. indicat Azor. 2. p. instit. lib. 6. c. 5. q. 14.

4 Pro Abbatibus, Decanis, Præpositis Archipresbyteris, aliisque dignitatibus curam animarum habentibus 25. annus inceptus requiritur habetur expresè cap. cum in cunctis §. inferiora de electione & in Trident sess. 24. cap 12. de reformat. ibi. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi qui saltem 22. suæ ætatis annū attigerit & tradunt omnes doctores. Quod procedit non solum in dignitatibus sæcularibus. sed etiam in regularibus; tametsi beneficia mannualia sint, vt deciditur expresse in clement. ne in astro domini §. caterum de statu regularium, & tradit Lessius l. 2. c. 24. dub. 20. concl. Manuel Rodrig. t. 1. q. regul. q. 22. arti. 2. Garcia aliis relatis dicta 7. q. de benefic. c. 4. n. 42. & constat ex dicto cap. cum in cunctis & ex Trident. exigentibus 25. annum pro qualibet dignitate curam animarum habente absque vlla restrictione.

Neque in præsenti; vt benè notat Lessius supra, est sermo de Abbatissa, Priotissa, seu prefecta monialium; quia hæ beneficium non habent, sed solum officium cum iurisdictione ad cuius officium requiritur, vt eligenda non sit minor 40. annis & consequenter, vt illos habeat completos iuxta ea quæ infra decidemus. Et insuper quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit: si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, ex his, quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio superiore consentiente eligatur: sic Concil. Trid. sess. 25. de regularib. c. 7.

5 Ad cæteras autem dignitates, vel personatus (inquit concilium sess. 24. cap. 12. quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei, & 22. annis non minores adsciscantur. Ex quibus verbis.

6 Triplex dubium insurgit. Primo, an stante hoc decreto absque vlla dispensatione possis ad has dignitates eligi, si 22. annum compleueris. Negat Vasquez de benef. cap. 3. §. dub. 2. num. 18. ea ratione. Quia hoc decretum solum corrigit cap. vt vnicum. de ætate. & qualitat. in 6. in quo Episcopis permissum erat dispensare ad has dignitates, si 20. annum compleueris: prohibetque, ne hæc dispensatio concedatur, nisi 22. expleto. At secluſa dispensatione videtur ius antiquum in tactum reliqui. Cum autem ex iure antiquo eadem ætas pro dignitatibus non habentibus curam, ac illam habentibus fuerit requisita vt ex communi sententia tradit Abbas, aliique doctores, in dicto cap. cum in cunctis. §. inferiora, & satis colligitur ex cap. permittimus de ætate. & qualit. in 6. & ex cap. innouamus. 60. dist. & ibi glossa. verbo adolescentibus Nauarr. cap. 25. n. 126. efficitur ad has dignitates recligi non posse secluſa dispensatione, nisi 25. annum attigeris.

Nihilominus probabilius credo nulla esse opus dispensatione. Tum quia non satis erat constans inter doctores, quæ ætas requisita fuerit iure antiquo pro dignitatibus cura animarum carentibus: quia textus in cap. cum in cunctis solum loquitur de iis, quibus animarum cura annexa est. Et idem videtur decendum de textu. in cap. innouamus. Tum & præcipuè quia concilium nullam dispensationis mentionem fecit, sed eodem tenore, quo dixit nullum esse eligendum; antequam 25. annum attigerit, ad dignitates curam animarum habentes, dixit non esse eligendum ad dignitates carentes animarum cura, nisi 22. habuerit & ita tenet Flamin. lib. 4. de resignat. q. 11. n. 14 Garcia. de benefic. 7. p. cap. 4. num. 15. Azor. 2. p. instit. moral. lib. 6. c. 5. q. 3 Lessius lib. 2. c. 34. dub. 20. concl. 3. Emanuel. Saa verbo beneficium num. 31. & alij nullam de dispensatione mentionem facientes,

7 Secundum dubium est, an hæc ætas 22. annorum requisita sit non solum pro dignitatibus Ecclesiæ cathedralis, sed etiam pro dignitatibus Ecclesiæ collegiatæ: Negat Zerola praxi episcop. 1. p verbo beneficia §. 1. vers. ad dignitates. & verbo canonica. §. 9. Altera praxi noua 2. p. cap. 5. num 21. Aloys. Ricc. in praxi fori Ecclesiast. decis. 731. in 1. edit. & resolut. 512. num. 3. in fine. in 2. edit. Augustt. Barbosa allegat. 90. num. 67. Eman. Rodrig. in addit. ad bullam. compositi. n. 4. vbi testatur Christophorum Vellam Archiepiscopum Burgensem contulisse cuidam scholastico ætatis 17. annorum dignitatem scholasticæ Ecclesiæ collegiatæ de Aguilar de Campo, & lite mota iudicatum esse collationem fuisse, canonicam & iuridicam,

Verum probabilius existimo supradictum decretum Trident. non solum de dignitatibus Ecclesiarum cathedralium, sed collegiatarum loqui, & in omnibus eandem ætatem expostulari, Probatur ex procœmio supradicti decreti 24 ibi. cum dignitates in Ecclesiis præsertim cathedralibus, Dictio autem præsertim exprimit clariora, & supponit quæ minus claritatis habent. Si ergo de solis dignitatibus Ecclesiarum cathedralium vellet disponere, vt quid adidit præsertim: sed illo verbo excluso debebat dicere. Cum dignitates in Ecclesiis cathedralibus &c. Adde si concilium in supradicto textu non disponit de dignitatibus Ecclesiarum collegiatarum. sed illas dispositioni iuris communis relinquit, efficitur sanè maiorem ætatem pro ipsis esse requisitam, quam pro dignitatibus Ecclesiarum cathedralium, quod videtur absurdum. Nam spectato iure communi, cap. cum in cunctis. de electione. & cap. innouamus. 60. dist. iuxta explicationem communis sententiæ. 25. annus requisitus est pro qualibet dignitate siue cathedralis siue collegiatæ Ecclesiæ, siue cum cura, siue absque cura obtinenda, tametsi in cap. permittimus. de ætate. & qualit. in 6. concedatur Episcopis potestas dispensandi eis qui 20. annum habent in dignitatibus cura animarum carentibus. Dicendum ergo, est concilium de omnibus dignitatibus tam cathedralis, quam collegiatæ Ecclesiæ locutum esse, indicantque illa verba generalia. Nemo ad dignitates quascunque, &c. & ita tradit, & decisum refert Garcia 7. part. de benef. cap. 4. n. 58. & 62.

8 Aduertendum tamen est, si aliquibus ex iis dignitatibus ordo presbyteratus fuerit annexus, eam ætatem promouendus habere debet, quæ ad illum ordinem suscipiendum intra annum est requisita? vt constat ex iis quæ infra dicemus, & tradit Trid. ibi. vers. neminem: & notauit Garcia supra n. 72. Secundo aduerte principalem dignitatem in collegiata 25. annum regulariter expostulare; quia frequenter curam animarum annexam habet. Garcia 7. p. de benef. cap. 4. n. 65. Barbosa in remiss. concilij dicto c. 12. vers. ad dignitatem.

9 Tertium dubium est, an hic 22. annus pro dignitatibus requisitus debeat esse completus, vel sufficiat inceptus; Sufficere inceptum docet Henriq. in sum. lib. 14. cap. 8. §. 10. in fin. Eman. Saa verbo beneficium. n. 31. Zerola in praxi. Episcop. 1. p. verbo beneficia. §. 1. vers. ad dignitates. Azor. 2. p. instit. mor. lib. 6. cap. 5. q. 3. infine. Augustt. Barbosa 3. p. de potest. episc. allegat. 60. n. 66. Mouentur, quia vigesimus secundus annus non videtur completus requiri, vt dicaris esse non minor. 22. annorum; ex eo namque quod in vigesimum secundum annum intres, iam non es minor sicuti non es maior 22. quo vsque illum compleas & 23. incipias, ita non es minor 22. si 21. compleuisti, & 22. incepisti. Maior enim, & minor videntur esse termini excludi, Et confirmo. Si 22. annus completus requiritur, vt quid concilium dixit ne eligantur minores 22. annis; Clarius procederet, si diceret, non eligantur nisi qui maiores 22. annis fuerint, siquidem ij, qui completum habent 22. annum, & 23. incipiunt, maiores sunt 22. annis.

10 Verum probabilius censeo 22. annum debere esse completum, vt capax sit cuiuslibet dignitatis. Moneor præcipue, quia sæpè sic est decisum à sacra congregatione, vt constat ex decisionibus relatis à Garcia 7. p. de benef. cap. 4. n. 70. quibus in casu dubio standum est. Deinde quia id iudicauit concilium diuersimodè loquens de ætate requisita ad dignitates curatas, ac sine cura. Nam loquens de dignitatibus curatis dixit. Nemo promoueatur, nisi qui 25. suæ ætatis annum attigerit: at loquens de aliis dignitatibus sine cura, inquit, non minores 22. annis adsciscantur, quasi indicans eos qui 22. annum non compleuerint, eligi non posse: qui enim 22. non compleuit, absolutè minor est illis, qui 21. annum completum habent & consequenter minor est 22. anno: & ita tenet Vasq. de benef. c. 3 § 2. dub. 2. n. 18. & dub. 4. n. 24. Lessius lib. 2. c. 34. dub. 20. n. 108. Mádof. tract. de ætate minorum. c. 5. n. 10. Garcia dicto c. 4. n. 67.

11 Negat

11 Neque in contrarium adducta vrgent. Nego namque te non esse minorem 22. annis; si 22. non impleuisti: ad hoc autem vt maior sis 22. implere debes, & 23. incipere; at vt sis minor sufficit, si 22. non impleueris. Quia maior, & minor sunt termini exclusiui anni non vtcumque, sed completi, ita vt ille est maior 22. qui compleuit, & 23. incepit, ille vero est minor, qui 22. nondum impleuit. Nam qui illum impleuit praecise, neque excedit, nequaquam maior est 22. sed qui non impleuit hoc minor est. Ergo iam est minor 22. Ergo capax non est dignitatis. Ad confirmationem dico sufficienter concilium suam mentem explicasse, cum dixerit non debere esse minorem 22. tacitè enim dixit debere habere annum 22. completum. Quod si clarius non fuit locutum, id forte fuit, quia necessarium non reputauit.

12 Pro beneficiis curam animarum habentibus, 25. annus inceptus requiritur, *cap. cum in cunctis. §. inferiora. de electione. & c. licet. de elect. in 6.* & Trid. *d. sess. 24. c. 12. de reformat.* & tradunt alios referentes Flamin. *de resignat. l. 4. q. 9. n. 14.* Garcia 7. *p. de benefic. cap. 4. n. 41.* Aug. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg. 60. n. 81.* Vasq. *de benef. c. 3. §. 2. dub. 2. fine.* Lessius *l. 2. c. 34. dub. 20. concl. 4.* Azor. *l. 6. c. 5. q. 4.*

13 Extendendaque est hæc doctrina ad vicarios perpetuos ecclesiarum parochialium, iuxta *clement. 1. de officio vicarij*: ibi: *Qui de Ecclesiis curam animarum habentibus, & ipsarũ rectoribus promouendis ad sacerdotium, & de earũ ætate à iure statuta noscuntur, in perpetuis Ecclesiarũ parochialium vicariis, & assipis ad eas volumus obseruari.* & notauit ibi Glossa. & Azor. *supra.* Item extendi debet ad coadiutores: eadem enim ætas, quæ in principali requiritur, & sufficit in coadiutor, expostulatur. Azor. *loco allegato.* Gonzalez *gloss. 5. §. 9. n. 6. & 90.* Garc. 7. *part. de benefic. c. 4. in fine.*

14 Pro canonicatibus, & portionibus Ecclesiarum cathedralium olim fuit grauis controuersia, an septennium sufficeret, an vero requisitus esset decimus quartus? Sed cum iam concilium Trident. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* omnibus iis annexuerit ordinem sacrum saltem subdiaconatus; ibi, *In omnibus Ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus, & portiones habeant annexum ordinem presbyterij, & diaconatus necessario eam ætatẽ habere debent, quæ ad suscipiendũ infra annum subdiaconatum requiritur: quia sic cauetur à concilio illis verbis. Neminẽ ad dignitatem, canonicatu, aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, vt infra tẽpus à iure, & ab hac sãcta synodo statutum initiari valeat.* Quapropter si canonicatui annexus est presbyteratus, debes eam ætatem habere, quæ ad suscipiendum illum ordinem infra à iure præfixum necessaria est. Cum ergo ad subdiaconatum necessarius sit 22. & ad diaconarum 23. & ad presbyteratum 24. inceptus, eam ætatem habere debes, quæ ad suscipiendum ordinem canonicatui annexum infra tempus à iure præfixum necessaria est, quod tempus est vnius anni, vt constat ex *c. 4. sess. 22. de reformat.*

15 Hinc ergo oritur difficultas; an aptus sis ad canonicatum recipiendum, cui est subdiaconatus annexus, si habeas 20. annum completum, & intres in 21 & ad recipiendum canonicatum, cui est diaconatus annexus, si habeas 21. completum, & incipias 22. & ad canonicatum presbyteratus, habeas 22. & incipias 23. Et ratio difficultatis est, quia in ea ætate constitutus infra annum promoueri potes eo ordine, quem illa præbenda postulat; siquidem in principio anni sequentis habilis es ad illum. Ergo concilio satisfacis, cum solum postulet te esse in ea ætate constitutum, vt infra annum illo ordine insigniti possis; & ita tenet expressè Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 20. circa finem. n. 110.* indicat Azor. 2. *p. lib. 6. c. 5. q. 5.* ibi; *Quo fit, vt in his canonicis, quorum præbendæ sacerdotium requirunt necessarius sit annus 25. inceptus, aut certè ea ætas, vt ad annum vnum fieri presbyteri queant.*

16 Nihilominus verius existimo eam ætatem ad has præbendas requiri, quæ capax sit ordinis annexi recipiendi. Nam licet concilium dicat, vt sit constitutus in ætate, in qua intra annum possit ordinem annexum recipere, non tollit quominus debeat, cum actu recipit præbendam, habere eam ætatem, qua possit qualibet parte illius anni sequentis annexo ordine insigniri. Illa enim verba, *vt sis in ætate, in qua infra tempus à iure constitutum possis ordinem recipere*, denotant, vt solo in termino illius anni eum ordinem recipere possis. Quod autem ea verba sic debeant explicari, videtur conuinci ex *c. cum in cunctis. de electione. cap. licet canon. eodem tit. in 6.* vbi ad Ecclesias parochiales, quibus est presbyteratus annexus, requiritur annus 24. completus, & 25. inceptus, tametsi eas recipientes, non obligentur tempore receptionis ordine sacro esse insigniti, sed sufficit si intra annum ordinentur. Ergo similiter dicendum est in canonicatibus, & portionibus Ecclesiæ cathedralis debere recipientes esse in ea ætate constitutos, in qua per totum annum sequentem insigniri possint ordine illis annexo, & non sufficere quod solum in termino anni id possint: sic plutibus relatis, variisque decisionibus sacræ congregationis comprobat Garc. 7. *part. de benefic. cap. 4. à n. 22.*

17 A supradicta regula excipitur canonicus pænitentiarius qui in ætate 40. annorum debet esse ex Trident. *sess. 24. c. 8. de reformat.* Quod si in illa diœcesi non reperiatur qui doctor, vel licentiatus sit in iure canonico, vel theologia & ætatem 40. annorum habeat, poterit eligi, qui aliàs pro loci qualitate aptior reperiatur; quia sic cauetur à concilio: & tradit Ioann. Gutierr. *l. 1. canon. quæst. c. 26. n. 40.* Garcia 7. *p. de benefic. c. 4. num. 33.* Barbosa 3. *p. alleg. 55. num. 8.* Verum si intra diœcesim non reperiatur aptus ad illud munus obeundum, poterit extra diœcesim quæri; sed necessario habere debet qualitates à concilio requisitas, scilicet gradum scientiæ, maturam ætatem, & morum probitatem. Garcia & Barbosa *supra.* Sed an huiusmodi anni debeant esse completi, vel sufficiant incepti? Variant Doctores. Garcia 7. *p. de benefic. cap. 4. num. 35.* censet debere esse completos: sed verius videtur sufficere inceptos. Quia nullum est verbum, ex quo debere esse completos colligatur, & sine firmo fundamento non est facienda restrictio: sic Azor. 2. *p. instit. moral. l. 6. c. 5. q. 6. in fine.* Francisc. Leo *in thesauro fori Ecclesiast. c. 18. à n. 20.*

18 Pro canonicatibus Ecclesiarum collegiatarum, & dimidiis portionibus Ecclesiæ cathedralis nihil est à concilio Tridentino innouatum ac proinde 14. annus inceptus, qui (vt dicemus) ad omnia beneficia simplicia requisitus est ad supradictos canonicatus, & dimidias portiones requiritur: sic plutibus decisionibus comprobat Gonzalez *reg. 8. Cancell. gloss. 5. à num. 92.* Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastic. decis. 735. in 1. edit. & resolut. 512. n. 3. in fine, in 2. edit.* August. Barbosa 3. *p. de potest. episc. allegat. 60. n. 71.* Garcia *aliis relatis*, 7. *de benef. c. 2. à n. 36. & seqq.*

19 Pro reliquis beneficiis simplicibus etiam canonicatibus Ecclesiæ cathedralis, si ius commune spectemus, satis controuersum est an sufficiat septennium, an debeat 14. attingi. Dicendum est si beneficium nomen rectoriæ sonet, matutitatemque concilij requirat, qualis est personatus, 14. expostulari, quia sic deciditur in *cap. indecorum. de ætate, & qualitate.* Pro aliis vero beneficiis hoc regimine catentibus, septennium sufficit: tum quia septennium sufficit ad ordines minores recipiendos, & iure antiquo nemo ordinibus initiabatur absque beneficij titulo. Tum quia in *cap. ex eo §. 1. de elect. in 6.* supponitur in pupillari ætate posse esse canonicum Ecclesiæ cathedralis. Cæterum spectato iure nouo Trident. *sess. 23. c. 6. de reformat.* nullus prima initiatus tonsura, vel in minoribus ordinibus constitutus ante 14. annos potest beneficium obtinere, sufficit si sit 14. annus inceptus. Gonzalez *gloss. 5. num. 90.* Azor. 2. *p. instit. l. 6. c. 5. q. 7. in fine.* Barbosa *alleg. 70. n. 66.* Garcia *dicto c. 4. n. 11.* Excipe tamen, nisi aliter in fundatione cautum sit, cui concilium noluit derogare. Gonzal. *n. 91.* Barbosa *n. 77.* Garcia 7. *p. c. 4. n. 8.* Eman. Saa *verbo beneficium n. 30.*

20 Pro supradictorum intelligentia aduerte ætatem requisitam à concilio pro consecutione alicuius beneficij adesse debere non solum tempore collationis, sed etiam electionis, præsentationis, impetrationis, quibus ius ad beneficium acquiritur, Quia verè sic electus, & præsentatus beneficium obtinet. & cõcilium consecutionem verbis generalibus prohibet ante ætatem ab ipso statutam. Nauarr. *cons. 2. n. 1. de ætate, & qualit.* Carc. 7. *p. de benef. cap. 4. n. 85.* Augustin. Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg. 60. n. 78.* Vasq. *de benef. c. 3. §. 2. dub. 3. in fine. n. 23.* Adde non solum tempore impetrationis, sed etiam tempore oppositionis, seu eo tempore, quo te legitimè opponere potes, eam ætatem habere debes; aliàs non eris legitimus oppositor, neque tibi beneficium conferri poterit. Gutier. *cons. 44. n. 7. & ferè per totum.* Zeuallos *q. 693. ex n. 7.* Perez de Lata *de annuers. & capellan. l. 2. c. 9. n. 55. & 58.* quos refert & sequitur Garcia 7. *p. de benef. c. 4. n. 86.*

Deinde aduerto in hac ætate à concilio requisita nulla ratione episcopum dispensare posse, quia ei non committitur, & absque commissione nequit legi Pontificiæ derogare. Azor. 2. *p. lib. 6. c. 5. q. 9.* Lessius *l. 2. cap. 34. n. 108.* Garcia 7. *p. c. 4. n. 57.* Barbosa *n. 75.*

21 Denique aduerte collationem, electionem, impetrationem beneficij factam ei, qui legitimam ætatem adeptus non est, irritam esse, & nullam, vtpote de persona inhabili. & contra formam à concilio statutam. Azor. *q. 12.* Flamin. *l. 4. de resignat. q. 9. n. 20.* Vgolin. *de officio episc. cap. 50. §. 8. n. 3. & 6.* Garcia *d. c. 4. n. 82.*

Punctum IV.

De aptitudine ex parte corporis requisita ad beneficium.

1 *Requiritur ea aptitudo quæ irregularitatem excludat.*
2 *Beneficium conferri potest ei, cuius exercitium non impedit vitium corporis.*
3 *Si patiaris vitium impediens celebrationem, non potes minoribus ordinibus insigniri, nec beneficium simplex recipere.*

1 NEcessario requiritur ad beneficium ea aptitudo corporis quæ irregularitatem excludat. Irregularis namque sicut

exclusus est ab ordine suscipiendo; sic à beneficio excluſus est. Azor.2.p.inst.lib.6.c.4.quæst.13. Garc.7.part.de benefic. cap. 12. num.3. attenta communiori sententia, de qua tract. de irregular. disp.1.punct.3. Quod autem vitium corporis irregularitatē inducat, tract. de irregular.disp.2. diximus; vbi aduertimus posse defectum corporis superuenire ordinato, & beneficiato, vel anteire; si antecedat, constituit irregularem, & beneficij incapacem; at si superuenit, solum impedit exercitium illius ordinis, ad quem inhabilem ordinatum reddit, vt dicitur in cap.2.de clerico ægrotante. & tradit Tolet sum.lib.1.cap. 57. in reg. Suar.disp.51.sect.2.n.9 Sayrus l.6 de irregularit.c.7.num.7. Garc.7.p.de benef.c.12.n.18. Mol.tract.3.de iustit.disp.70. num. 14.& alij apud ipsos.

2 Hinc oritur difficultas, an conferri possit beneficium ei qui post clericatum acceptum vitium corporis contraxit, ratione cuius est irregularis? Cui difficultati respondeo, illud beneficium ei conferri posse, cuius exercitium vitium corporis non impedit. Quia irregularitas ex defectu coporis ordinato superueniens solum exercitium illius ordinis impedit, ad quod reddit vitiatum inhabilem. Ergo etiam illius beneficij consecutionem impedire debet, ad cuius exercitium inhabilis factus est: sic Sayrus dicto lib.6.cap.2.num. 23. Garc.aliis relatis, 7. part. de benefic. cap.12.num.19. Azor.2.p.lib.6.cap.4.quæst.14. Suar. de censur.disp.51 sect. 2. numer. 18. Dixi esse capacem beneficij, cuius exercitium vitium corporis non impedit: cum autem omnibus beneficiis annexa sit obligatio recitandi, si ob vitium corporis inhabilis factus sit ad recitationem, vt quia est cœcus, tametsi ordinibus initiatus sit, nequaquam poterit beneficium obtinere. Lessius lib.2.cap.34.dub.25.n.130. Garcia 7.p.de benef. cap.12.n.21.

3 Deinde dubitatur, an si patiaris vitium corporis, impediens celebrationem, vt si cæres oculo canonis, vel pollice, vel duobus digitis cum medietate palmæ, vt in cap.2.de clerico ægrotante, possis ad ordines minores, & ad subdiconatum, & ad diaconatum promoueri, & ad beneficium simplex, cui non est presbyteratus annexus? Videtur id fieri posse. Quia ad ordines minores, & ad exercitium illius beneficij simplicis habilis es, ac si nullum impedimentum haberes; & minores ordines cum maioribus nullam videntur connexionem habere, tametsi maiores minores supponant. Ergo poteris esse inhabilis; & irregularis ad maiores, quin sis ad minores: & ita sentire videtur Val.4.tom.disp.7.quæst.19 punct.3. de secunda specie irregularitatis.

Nihilominus pro certo tenendum est, te inhabilem esse ad recipiendos ordines minores, si maioribus non potes insigniri, & consequenter ex communiori sententia inhabilem esse ad beneficium simplex recipiendum, cum absque ordine recipi non possit, sic tenet Vgolinus de irregularit.c.52.§.1.numer. 4. & cap.64.in princip.num.4. Tolet.lib.1.sum.cap.57.1.& 4. regul. Garc.de benefic.7.part.cap.12.num.78. Fundamentum præcipuum sumitur ex cap.non confidat.50. dist. vbi corpore vitiati prohibentur diuinis ministeriis applicari, sed per susceptionem primæ tonsuræ, & cuiuslibet ordinis minoris applicatur ordinatus diuinis ministeriis. Ergo vitiatus corpore inhabilis est ad hanc applicationem. Deinde quia ordinatus prima tonsura, ordinibusque minoribus disponitur ad ministerium altaris, quod omnes ordines tanquam sui complementum respiciunt. Ergo inhabilis ad ministerium illud, inhabilis censeri debet ad ordines minores recipiendo, & consequenter ad quodlibet beneficium.

Punctum. V.

De morum probitate ad beneficium requisita.

1 *Ad beneficium morum probitas expostulatur.*
2 *Non reddit ipso iure inhabilem, nec collationem irritam defectus huius qualitatis; nisi vitium inducat irregularitatem.*
3 *Ob crimina commissa infamiam irrogantia, si de illis condemneris, incapax es beneficij.*
4 *Item si sint crimina infamiam irrogantia.*
5 *Quæ delicta reddant committentem infamem.*

1 PRæcipua qualitas, quam beneficiati habere debent, est morum probitas; quia ex ea pendet præcipuus Ecclesiæ fructus, eaque de causa variis textibus cauetur de hac qualitate diligenter inquiri. c.cum, in cunctis. de electione. c. graue nimis. de præbend. & clement.1.de ætate, & qualit. & Trident. sess.24. c.12. de reformat.

2 Dubium tamen est, an huius conditionis carentia te inhabilem ad beneficium constituat? Et quidem si ita grauibus peccatis deditus sis, intentionemque habeas in illis perseuerandi; videris iure naturæ inhabilis esse, & collationem tibi factam esse irritam, & nullam, vtpote indigno, & incapaci: si enim litteris careres, & intentionem haberes perseuerandi in tua ignorantia, non est dubium te fore inhabilem ad beneficium obtinendum; quia incapax es officij exercendi, ad quod beneficium ordinatur. Cum ergo morum honestas magis quam litterarum in beneficiatis requiratur, effici videtur ex illius carentia te reddi posse inhabilem. Panormit. capit. dudum. 2. de electione. Ioann. Selua tract. de benefic. 3. part. q. 2. numero 10 & seqq.

Cæterum credam talem collationem non fore irritam ipso iure, nisi delictum secum trahat suspensionem, excommunicationem, aut irregularitatem. Nam peccatum mortale, & voluntas perseuerandi in illo non impedit officium beneficio debitum exercere, tametsi impediat licitè fieri. Secus vero est de prorsus illiterato. Et ita ob peccatum mortale, & voluntatem perseuerandi in illo, non esse irritam collationem, etsi malè accepta sit, docuit aliis relatis Nauarr. in c. si quando de rescript. except. 17. n. 8. & seqq. & tract. de orat. miscell. 39. Azor. 2. p. lib. 6. cap. 7. quæst. 11 Nauarr. miscell. de orat. 34. a num. 4. & miscell. 40. n. 8.

3 Sed cum collationi beneficij annullatio comparatione criminosi potius ex iure Ecclesiastico, quam naturali proueniat, videndum est ob quæ peccata hæc pœna imposita sit? Respondeo imposita esse ob crimina commissa infamiam irrogantia, si de illis condemnatus sis, quia ratione condemnationis factus es infamis infamia iuris. At infames infamia iuris irregulares sunt, & consequenter ex communi sententia incapaces beneficia acquirendi, tametsi acquisitis ipso iure non priuentur; sed veniant priuandi. Ergo.

4 Verum si condemnatus non sis ob crimina commissa, at tua opinio apud graues, & probos viros grauata est, neque apud illos constat te esse emendatum: credo probabilius durante hac infamia facti, te incapacem esse ordinis recipiendi, & beneficij acquirendi, quia pro illo tempore irregularis es, vt diximus allegato loco de irregular. Ergo collatio tibi facta irrita est. Tum quia irregularis durante irregularitate beneficii est incapax. Tum quia in reg. 87. de reg. iuris, infamibus portæ non patent dignitatum. Tum quia in cap. cum in cunctis. statuitur beneficia conferenda esse iis, qui scientia, moribus, commendabilique vita existunt, & aliter electio facta deuoluitur ad superiorem, quod non fieret, si electio valida foret. sic tradit expresse Suarez tom.2. de relig. tract.4. de iuramento. cap. vlt. n. 4. & 5. & 17. Bernard Diaz. capit. 88. ibi Salzedo, Flamin. Paul. de resignat. lib.4. quæst.3. ad finem. & alij plures relati Garcia 7. p. de benefic. c. 8. à n. 34. Quamuis ipse aliis relatis contrarium sentiat, friuolo fundamento ductus, nempe infamem infamia facti non esse propriè irregularem, eo quod absque dispensatione per contrarium factum aboleri illud impedimentum possit. Hoc enim fundamentum nullum est: alias catens ætate legitima ad ordines, & ad beneficia irregularis non foret, cum absque dispensatione solo successu temporis hoc impedimentum tolli possit.

2 Quod si inquiras, quæ delicta reddunt committentem infamem, & à beneficiis excluſum? Respondeo ea esse, quæ habentur in c. constituimus. 3. q. 5. & c. infames. 6. q. 1. vt late expendit Azor. 2. p. instit. moral. 6. c. 7. tota q. 3.

Punctum VI.

De scientia, seu litteratura ad beneficium requisita.

1 *Ea scientia requiritur, quæ necessaria est ad exercendum officium beneficio annexum.*
2 *Explicatur scientia requisita in Episcopo.*
3 *Quæ in parochis.*
4 *Quæ pro reliquis beneficiis.*
5 *Penitus illiteratus incapax est beneficij.*
6 *Si ille qui tempore collationis litteratus fuit, postea litteras discerat, aliqui dicunt reualidari conditionē, quod non est probandum.*
7 *Limitatur doctrina in beneficiis curatis, & canonicatibus. Sed non admittitur limitatio.*
8 *Si aliquam habet litteraturam, collatio beneficij tenet, esto veniat irritanda.*
9 *Explicatur quis sit censendus prorsus illiteratus.*
10 *Negant plures ex dispensatione Pontificis conferri posse beneficium prorsus illiterato.*
11 *Contrarium est verius, si causa honesta intercedat.*
12 *Ex dispensatione Episcopi fieri non potest prorsus illiteratus, bene tamen ei qui parum, scit spectaturque breui tempore profecturus.*
13 *Gradus, seu testimonium publicum scientiæ pro episcopatibus aliisque superioribus beneficiis requiritur. Et quid & aliis dignitatibus;*
14 *Gradus pro scholastria requiritur.*
15 *Idem de Archidiacono iurisdictionem habentibus.*
16 *Pro decanatu Ecclesiæ cathedralis, & prioratu regulari non requiritur gradus.*
17 *Gradus expostulatur pro canonico pœnitentiario.*
18 *Collatio supradictarū dignitatū facta cuiusli gradu est nulla*

13 Gradus.

19 *Gradus obtentus absque scientia facit ne collatio irrita sit, tametsi contrarium non immerito dici possit.*

20 *Sed quid si gradus est assumptus contra statuta vniuersitatis? Sub distinctione respondetur.*

1 REgula est eam scientiam ad beneficium requiri, quæ requiritur ad exercendum officium beneficio annexum, quia beneficium datur propter officium. *c. fin. de rescript. in 6.* sic omnes doctores.

2 Hinc fit ad Episcopatum assumptum debere esse potentem alios in sana doctrina cohortari, & eos qui contradicunt arguere, iuxta illud Pauli *ad Titum 1. & 1. ad Timot. cap. 3.* & tradit Innoc. III. *in cap. nisi cum pridem. §. pro defectu. de renunciat.* Eadem etiam scientia, & maiori pollere debent assumpti ad Cardinalatum; quia Pontifici assistunt, & consilium præbere debent pro totius mundi gubernatione, vt bene tradit Menoch. *de arbitr. casu 426. à n. 21.* Azor. *2. p. instit. lib. 6. c. 6. q. 10.* Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 24. n. 127.* & constat ex Trident. *sess. 24. cap. 1. de reform.*

3 Assumpti vero ad Ecclesias parochiales ea doctrina debent pollere, quæ sufficiat ad populum edocendum ea, quæ credere, & obseruare debet, eique sacramenta ministranda. Gonzalez *reg. 8. Cancell. glos. 4. à n. 71.*

4 Pro reliquis autem beneficiis spectandum est eorum munus, si enim iurisdictionem habent annexam, & causarum iudicium, vtriusque iuris scientia necessaria est; non enim aliter possunt muneri satisfacere. Menoch. *num. 40. & 41.* Gonzalez *glos. 4. numer. 69.* At si sint omnino simplicia, cum aliqua ex his ordinem sacrum presbyteratus, diaconatus, vel subdiaconatus annexum habeant, vt sunt omnes canonicatus Cathedralis Ecclesiæ, eam scientiam expostulant, quæ ad hos ordines suscipiendos requiritur; quæ autem hæc sit tradit Trident. *sess. 23. cap. 4. 11. 13. & 14. de reform.* Garcia *7. p. de benef. cap. 7. num. 11.* Azor. *2. part. instit. moral. lib. 6. cap 6. quæst. 2.* Ea vero beneficia, quæ nullum ordinem sacrum annexum habent, neque aliud munus præter officij recitationem, eam scientiam expostulant, quæ sufficiat ad officium diuinum recitandum: sic expresè Flamin. *lib. 4. de resignat. quæst. vlt. num. 30.* Gonzalez *glos. 4. n. 73.* Azor. *2. p. lib. 6. cap. 6. quæst. 2. & 3.* Garcia *de benefic. 7. part. c. 7. n. 8.* iis positis,

5 Dubium est; an beneficij collatio facta ei, qui scientiam non habet sufficientem ad munus beneficij peragendum, nulla sit ipso iure?

Communis sententia affirmat nullam esse collationem, si penitus illitteratus sit: sic Bernard. Diaz & Salzedo *pract. cap. 21.* Lessius *lib. 2. cap. 34. n. 129.* Azor. *2. p. lib. 6. c. 6. q. 3. & c. 26. q. 11.* Gonzalez *glos. 4. à n. 47.* Garcia pluribus relatis, *7. p. de benef. c. 7. à num. 13.* & videtur decidi *cap. litteratos. 36. dist. & cap. vlt. de temporib. ordinat. in 6.* & colligitur ex *cap. cum in cunctis. de electione, §. fin.* vbi eligentes indignum ob ætatis, morum, scientiæ, & natalium defectum priuantur potestate eligendi, & electio ad superiorem deuoluitur. Ergo signum est electionem factam nullam esse. Item defectus scientiæ æquatur natiuitatis, & ætatis defectui, sed patienti defectum in ætate, & in natalibus nulla est collatio, vt omnes admittunt. Ergo idem dicendum est patiente scientiæ defectum. Deinde est textus ferè expressus in *capit. dudum. el. 1. de electione.* vbi cassata electione illius, qui tempore electionis defectum scientiæ, vel ætatis patiebatur, alteri collecto etiam à minori parte beneficium adiudicatur. Ergo defectus scientiæ reddit nullam collationem.

6 Aduertit tamen Gonzalez *glos. 4. num. 49.* cum Salzedo *pract. cap. 21. circa finem.* si ille qui tempore collationis fuerit prorsus illitteratus, litteras dicat, & conferens non pœniteat, reualidari priſtinam collationem, tacita noua collatione supernenente. Quod verum non est; quia ex sola taciturnitate non potest noua collatio induci. Selua *de benef. 3. p. q. 10. casu 3. n. 15.* Syluest. *verbo beneficium. 3. quæst. 19.* Garcia *7. p. de benef. cap. 7. num. 20.*

7 Vnica limitatio huic communi sententiæ adhibetur, nempe, vt procedat in beneficiis curatis, & canonicatibus, vbi requiritur industria, & consilium, secus in aliis beneficiis simplicibus, sic aliis relatis Gonzalez *glos. 4. n. 50.* Sed hæc limitatio admittenda non est, quia caret fundamento cum textus & doctores supra relati generaliter loquantur de omnibus beneficiis. Garcia. *7. p. de benef. c. 7. n. 20. in fine.*

8 Dixi, si penitus illitteratus sit. Nam si aliquam habet litteraturam, esto non sufficientem, collatio facta valida est, esto conueniat eam irritare. argum. *text. in cap. quamuis. 15. de ætate. & qualit.* & ex Trid. *sess. 7. cap. 3. de reform.* ibi irritetur. Et ratio est; quia aliqualiter potest beneficij muneri satisfacere, tametsi non competenter, & nullibi habetur collationem factam ei qui parum scit, fore irritam ipso iure, sed venire irritandam. sic aliis relatis docet Azor. *2. part. lib. 6. c. 6. quæst. 3. 5. & 7.* Garc. *7. p. de benefic. cap. 7. à num. 15.* Gonzalez *glos. 4. num. 47.* Augustin. Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 63. num. 3.* Neque obstat *textus in cap. 4 sess. 22. eiusdem concilij*, vbi prouisio facta ei, qui ætatem, cæteraque qualitates ibi præscriptas integrè non habuerit irrita, & nulla esse affirmatur, & ponderandum est verbum *integrè*, quod videtur denotare scientiam integram, sicut & ætatem integram. Non, inquam, obstat. Nam hic textus loquitur de ætate, & qualitatibus à iure determinatis, & nullius arbitrio remissis, qualis est ætas, & ignorantia, seu litteratura omnimoda. *textus vero dictus, cap. 3. sess. 7.* loquitur de qualitatibus arbitrio iudicis remissis, scilicet de scientia competente, de honestate morum, & aliis huiusmodi, in quibus arbitrium esse potest.

9 Quod si inquiras, quis censendus sit prorsus illiteratus? Probabilius existimo esse solum illum, qui legere, & scribere latinè nescit? Quapropter si latinam linguam legere sciat, tametsi sensum non percipiat, crederem non esse prorsus illitteratum, sed capacem esse pensionis Ecclesiasticæ, & beneficij nullum aliud onus præter officij diuini recitationem habentis. sic expresè Nauarr. *in cap. si quando. de rescript. except. 13. num. 8. & miscell. de orat. 33. num. 7. & miscell. 40. num. 8.* Garcia *7. p. de benef. cap. 7. num. 15.* & inclinat Azor. *2. p. instit. lib. 6. cap. 6. quæst. 3.* fauet Menoch. *de arbitrar. casu 425. à num. 9.* & colligitur ex *cap. sedulo. 38. dist.* ibi: *Nouerint non esse voces ad aurem Dei, nisi animi affectum.* Ita enim non irridebunt, si aliquos antistites, & ministros Ecclesiæ forte animaduerterint, vel cum barbarismis, & solœcismis Deum inuocare, vel eadem verba quæ pronunciant non intelligere, perturbatéque distinguere: non quia ista minimè corrigenda sunt: sed quia piè toleranda sunt ab eis, qui didicerunt, vt sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici. Vnum tamen est apud doctores receptum, si prima grammaticæ rudimenta didicit, non esse prorsus illitteratum. sic plutibus relatis Barbosa *alleg. 46. num. 9.* Azor. *dicta quæst. 3.* Gonzalez *glos. 4. numer. 48.* Bernard. Diaz *in prax. capit. 21. in fine.*

10 Deinde dubitatur; an ex dispensatione Pontificis possit beneficium conferri prorsus illitterato? Negant plures relati à Gonzal. *glos. 4. num. 43.* Mouentur pluribus Scripturæ locis requirentibus scientiam in prælato. vt est illud *Oseæ 4. Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi.* & *Pauli 1. ad Timoth. 4.* & pluribus aliis relatis in *cap. qui Ecclesiast. 36. dist.*

11 Sed omnino dicendum est causa iusta intercedente validè, & licitè beneficium illiterato conferri posse à Pontifice; quia ex iure diuino solum habetur, vt beneficiatus officium exercens aptus sit ad illud exercendum; at Pontifex ab hac obligatione excusare potest beneficiatum assignando coadiutorem. Ergo cessat ratio, ob quam iure diuino illitterato beneficium dari non possit. Azor. *2. p. instit. moral. lib. 6. c. 6. quæst. 4.* Aduerte raro causam adesse posse legitimam, vt Pontifex hanc dispensationem concedat.

12 Sed quid dicendum ex dispensatione Episcopi? Respondeo prorsus illiterato nequaquam dari posse. Quia Episcopus non habet potestatem immutandi ius canonicum. At ex iure canonico collatio facta prorsus illitterato est irrita, vt dictum est. Ergo non potest ex Episcopi authoritate valida fieri: sic aliis relatis Azor. *supra quæst. 5.* Bene tamen poterit causa iusta intercedente ei qui parum scit, sed creditur breui tempore profecturus, beneficium conferre, quia pro aliquo tempore potest Episcopus in obligatione annexa beneficio dispensare. Azor. *supra.* Rarò tamen hæc præstanda sunt.

13 Præter supradictam qualitatem scientiæ aliqua sunt beneficia, quæ de hac scientia publicum testimonium ab aliqua vniuersitate requirunt. In primis pro Episcopatu, aliisque beneficiis superioribus statuit concilium *sess. 22. cap. 2. de reform.* ne vllus promoueatur, nisi qui in vniuersitate studiorum magister, siue doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel iure canonico merito sit creatus, aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, à superioribus suæ religionis similem fidem habeat. Idem habetur in constitutione Gregorij XIV. super promouendis ad Ecclesias cathedrales, quæ incipit, *Onus Apostolicæ.* Hæc tamen qualitas gradus non expostulatur pro dignitate principali Ecclesiæ collegiatæ, quantumuis exemptæ, & iurisdictionem quasi Episcopalem habentis: quia concilium *dicto cap. 2.* solum fecit mentionem cathedralis, ibi: *Quicunque posthac ad Ecclesias cathedrales,* &c. & loquens generaliter de omnibus dignitatibus, *sessione 24. cap. 12.* hortatur, vt doctoribus conferantur, non autem id præcipit. sic decisum referunt Barbosa *dicta sess. 22. cap. 2. & 3. part. alleg. 60. numer. 63.* Garc. *7. part. cap. 7. numero 33.*

14 Pro dignitate scholastiæ eundem gradum doctoris, magistri, vel licentiati requirit concilium *sess. 23. cap. 18.* vbi de cætero officia, vel dignitates illæ, quæ scholastriæ dicuntur, non nisi doctoribus, vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut in iure canonico, & aliis personis idoneis, & qui per se id munus explere possint conferuntur, & aliter facta prouisio nulla sit, & inualida. Possunt tamen ad hanc dignitatem assumi, qui non sunt ex illa regione; in qua est scholastria: sic refert Barbosa decisum in supradicto loco concilij *num. 33. & alleg. 60. num. 62.* Garcia *7. part. de benef. cap. 7. num. 35.* Limitandum tamen est hoc decretum, vt non procedat in Ecclesiis cathedralibus

bus existentibus in loco, vbi non est erigendum seminarium; qua ratione ipsius hæc qualitas in magistro expostulatur. Garcia *supra. n.*35. refert à sacra congregatione decisum.

15 Item statuit concilium *sess.*24. *c.*12. *de reformat.* eundem gradum doctoris, vel magistri, aut licentiati in theologia, vel iure canonico requiri in Archidiaconis, qui oculi dicuntur Episcopi, *cap. ad hæc. de officio Archidiac.* Quod intelligi debet de illis Archidiaconis, qui iurisdictionem contentiosam habent, iuxta *tit. de officio Archidiac.* Secus vero de illis qui hac iurisdictione ex recepta consuetudine carent. sic Anastas. Germon. *tract. de indult. Cardinal.* §. *quibus suis num.*4. Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.*473. *in* 1. *edit. & resolut.*497. *num.*3. *in.*2. *edit.* Garcia *de benefic.*7. *part. cap.*7. *num.*40. & 46. Barbosa 3. *part. de potest. Episcop. alleg.*60. *num.*60. Item debet intelligi de Archidiacono, qui est caput capituli, & primus post Pontificem, qualis nullus est in Hispania; nam in sæcularibus Ecclesiis est decanus, in regularibus prior. sic Nauarr. *c.*25. *n.*135. Garcia *n.*34. *& seqq.*

16 Pro decanatu Ecclesiæ Cathedralis, vel prioratu regularis nullus gradus doctoris, magistri, vel licentiati expostulatur necessario à concilio: sed solum pro iis, & aliis dignitatibus tam Cathedralis, quam collegiatæ Ecclesiæ hortatur concilium *sess.* 24. *cap.*12. vt non nisi doctoribus, magistris, vel licentiatis conferantur, & insuper vt saltem dimidia pars canonicatuum iis graduatis detur. Garcia *numer.*43. *& seqq.* Barbosa *alleg.* 60. *n.* 58. *& 61.*

17 Solum pro canonico pœnitentiario Ecclesiæ Cathedralis expostulauit concilium *sess.*24. *c.*8. *de reform.* gradum doctoris, magistri, vel licentiati, quando aliàs pro loci qualitate reperiri potest. Garcia 7. *p. de benef. c.*4. *n.*32. *& c.*7. *n.*49. Barbosa *alleg.* 65. *n.*4. *& alleg.*60. *n.*68.

18 Aduerte collationem supradictarum dignitatum, Episcopatus, scholastriæ, Archidiaconatus factam carentibus gradu requisito à concilio, esse nullam; quia est contra formam ab ipso præscriptam: sic Garc. Barbosa & Azor. *supra.* tametsi contrarium sentiat Lessius *lib.*2. *cap.*34. *dub.*19. *num.*206. existimat namque quando ius statutum in prouidendo gradum requirit, sufficere, si tempore electionis, seu collationis habilis sit ad illum statim sumendum. Quia non videtur cum eo rigore decretum intelligendum, vt actu gradum habeat: si enim sacerdotium, quod in beneficiis cutatis requiritur permittit ius, vt post assumptum beneficium accipiatur, etiam id permittere debet de gradu doctoris, vel licentiati, qui non est ita necessarius. Sed hæc interpretatio nimis lata est; neque firmum fundamentum habet, maximè si verbis negatiuis gradus requisitus sit, vt dictum sit, non conferatur beneficium, nisi ei qui gradum habeat. His enim verbis solum habenti illam qualitatem actu denotarur posse conferri. Neque argumentum de sacerdotio in parochialibus requisito viget, cum ex iure ipso constet non prærequiri ad collationem, sed subsequi illam vide Garciam 7. *p. de benef. c.*1 *à n.*61.

19 Difficultas tamen est; an si gradus sit obtentus absque scientia competente profit, ne prouisio irrita sit? Ratio difficultatis est; quia hic gradus non tam pro se, quam pro scientia, quam supponit expostulatur, neque gradus inanis doctorem facit, sed scientia. Deinde quia Trid. *sess.*22. *cap.*2. noranter dixit non esse in Episcopum eligendum, nisi qui in vniuersitate doctor, magister, vel licentiatus merito sit promotus. Qui autem absque competenti scientia promotus fuerit, non est merito promotus. Ergo non habet qualitatem à concilio requisitam.

Nihilominus tenenda est contraria sententia, quia communior, & benignior, nempe collationem factam sic parum litterato validam esse, eo quod gradus collatus validus est, & consequenter illum habens priuilegia graduatis competentia habere debet. Aliàs si ob defectum aliqualis scientiæ, gradus qui in vniuersitatibus conferuntur nulli essent, & sic graduati priuilegiis graduatorum vti non possent, plurima inconuenientia inde sequerentur. Dicendum ergo est & validos esse gradus, & collationem dignitatis; sic docet Azor. 2. *part. instit. moral. lib.*6. *c.*6. *quæst.*1. Garcia aliis relatis 7. *p. c.*7. *num.*50. Barbosa *alleg.*41. 55. *num.*5.

20 Sed quid si gradum assumpsisti contra constitutiones, & consuetudinem vniuersitatis, vt si falsò probasti cursus necessarios, vel descriptionem in matricula, vel non seruasti formam in examine præscriptam?

Distinguendum est cum Azor. & Garcia *supra.* Si supradictæ constitutiones ita expostulent cursus, & descriptionem in matricula, & formam examinis, vt declarent susceptionem gradus aliter factam nullam esse (vt in omnibus ferè vniuersitatibus est statutum) collatio beneficij gradum supponens inualida erit, Quia idem est non habere gradum, ac illum habere nullum. Et iura requirentia gradum, de gradu valido debent intelligi.

*l.*4. §. *ondemnatum. ff. de re iudic.* At si iure ipso gradus non irriteturs cum validus persistat, collatio beneficij valida erit.

PVNCTVM VII.

Qualiter ordo, & intentio illum recipiendi pro singulis beneficiis requiratur.

1 *Nullus est capax beneficij, qui prima tonsura initiatus non sit Reliqui vero ordines ad beneficia non prærequiruntur.*
2 *Ad Episcopatum debes sex menses antea in subdiaconatu esse.*
3 *Suscipiens parochiale tenetur intentionem habere intra annum presbyterium accipiendi.*
4 *Quid si cum animo dubio, aut conditionato. Alij affirmant esse peccatum, & obligationem restituendi fructus.*
5 *Alij negant.*
6 *Media via proceditur.*
7 *Ante iudicis sententiam debet fructus perceptos restituere, qui suscepit beneficium parochiale absque animo suscipiendi presbyterium.*
8 *Si absque animo sacerdotij beneficium est susceptum, & mutata voluntate sacerdotium intra annum suscepisti, obligatus non es fructus restituere.*
9 *Explicantur supradicta.*
10 *Si recepisti beneficium curatum animo te promouendi ad sacerdotium, & culpabiliter promotus non fuisti. Alij affirmant te esse obligatum rectituere fructus. Alij probabilius negant.*
11 *Stipendium vicario concessum deducendum est.*
12 *Non est peccatum saltem mortale accipere beneficium animo satisfaciendi illius oneribus, dum retinetur, sed cum voluntate permutandi, vel resignandi eo tempore, quo superior permiserit.*
13 *Quid dicendum de hac intentione in receptione dignitatum, quibus animarum cura annexa est?*
14 *Recipiens beneficia simplicia, quibus ordo sacer annexus est absque animo illum recipiendi, esto peccet, non tenetur ante sententiam fructus perceptos restituere.*
15 *Qua culpa sit recipere beneficium animo non ascendendi ad ordines, sed beneficij redditibus fruendi, & postea illud, & statum clericalem dimittendi? Proponitur quod certum est.*
16 *Affirmant aliqui esse mortale. Alij veniale.*
17 *Resoluitur per se nullum esse.*

1 CErtum est apud omnes neminem beneficij, quantumuis minimi, capacem esse, qui prima tonsura initiatus non sit: *cap. cum adeo. de rescript. cap. ex litteris. de transact. cap.* 2. *de institt.*

Alij autem ordines, spectato iure communi, ad nullum beneficium necessario prærequiruntur, tametsi debeant suscipi post beneficium susceptum.

2 Solum de Episcopatu est à Concilio Tridentino *sess.*22. *c.*2. *de reformat.* requisitum, vt antea sex mensium spatio, quam ad ipsum assumaris, sis in sacro ordine constitutus. Sed an sufficiat esse in subdiaconatu, an vero debeas esse in reliquis ordinibus sacris constitutus? non satis exploratum est. Videtur debere omnibus sacris ordinibus esse insignitum. Tum quia Greg. XIV. in illa bulla edita 15. Maij 1590. quæ incipit, *Onus Apostolicæ*, in numero plurali dixit debere esse in sacris constitutum. iuxta *tantum in cap. Osius* 61. *dist.* Ergo non solum subdiaconatus, sed diaconatus, & presbyteratus requiritur. Et ratio esse potest, quia ad Episcopatum omnes sacri ordines præsupponendi sunt. Ergo in omnibus illis debet esse antea versatus: & ita tenet Augustl. Barbosa *de officio, & potest. Episc.* 2. *part. alleg.* 1. *n.*17. Nihilominus existimo sufficere, si in subdiaconatus ordine per sex menses antea versatus fuerit, sic indicat Lessius *l.*2. *c.*34. *dub.* 19. *n.*98. Azor. 2. *p. lib.*6. *c.*8. *q.*1. Moueor, quia in *c. à multis, de ætate, & qualit.* expresse dicitur posse subdiaconum in Episcopum eligi; qui textus non videtur esse per concilium reuocatus, sed solum additum, vt in illo ordine per sex menses antea sit constitutus. Deinde quia concilium solum sacrum ordinem expostulat. Et licet Gregor. XIV. in sua bulla vsus fuerit plurali numero, spectauit communem vsum loquendi, quo subdiaconatus ordinatus dicitur esse in sacris.

3 Quoad intentionem vero suscipiendi sacrum ordinem, neque statum clericalem deserendi, grauior dubitatio est, pro quibus beneficiis requiratur?

Et in primis dicendum est suscipientem parochiale beneficium obligatum esse sub mortali habere intentionem suscipiendi intra annum presbyterium, iuxta *text. in c. licet canon. de electione. in* 6. Alias teneri fructus susceptos restituere; quia illos fraudulenter recipit (nisi voluntate mutata promotus fuerit.) sic habetur expresse in *c. committitur, vers. ceterum, de elect. in* 6. imo non solum sic recipiens beneficium obligatus est illos fructus restituere, sed etiam conferens, si illam prauam intentionem sciat, quia fraudi cooperatur: sic in supradicto textu. Quod intelligendum est casu quo accipiens beneficium non restituerit; quia conferens solum in defectum beneficiati primo

primo obligati tenetur: sic Glossa in *supradicto text. in fine* Dominic. *n.* 2. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 45. *n.* 2. Vasq. *opusc. de benef. c.* 3. §. 3. *n.* 31. Is positis, vt certis.

4 Dubium est, an satisfacias huic obligationi, si cum animo dubio, hæsitans, inquam, an suscepturus sis ordinem; an non; vel cum animo conditionato nimirum presbyterium suscipiendi, nisi tibi aliquid fœlicius contingat, beneficium accipias parochiale;

Negat in vtroque casu te satisfacere obligationi Sotus *l.* 10. *de iustit. q.* 5. *art.* 6. *colum* 2. *vers. & nota*. Azor. 2. *p. lib.* 6 *cap.* 9. *q.* 3. Gutier. *lib.* 2. *canon. q. cap.* 3. *à num.* 2. Mouentur; quia *textus in cap. commissa* absolutam intentionem assumendi presbyteratum videtur expostulare. Inquit enim textus. *Caterum si promoueri ad sacerdotium non intendens parochialem receperis ecclesiam, vt fructus ex ea per annum percipias, ipsam postmodo dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorundem, cum eos receperis fraudulenter.* Qui enim sub conditione tantum intendit, absolutè non intendit promoueri. Ergo non satisfacis obligationi textus. Adde, absolutè recipis fructus absque vlla conditione. Ergo absolutam habere debes intentionem, cum fructus ob seruitium futurum saltem in tua intentione concedantur. Contrarium tamen in vtroque casu nempe neque peccare; neque ad restitutionem fructuum te obligatum esse sic beneficium suscipientem, tenet Nauarr. *cap.* 25. *num.* 118. *& de orat. cap.* 21. *num.* 45. *& cons.* 17. *de clerico non residente*. Graffis *in decis. aurea. lib.* 2. *cap.* 97. *num.* 55. Garcia 3. *part. de benef. cap.* 4. *num.* 46. *&* 48. Mouentur, quia in *dicto cap. commissa*, fructus mandantur restitui ei, qui receperit Parochialem Ecclesiam, non intendens ad sacerdotium promoueri: qui autem dubium animum habet, dici non potest, quod non intenderit ad sacerdotium promoueri, cum potius de promotione dubitauerit. Ergo non procedit contra dictum textum. Et confirmo. Qui sic dubius recipit beneficium, fraudem non videtur committere, cum fraus in eo consistat, vt accipiat beneficium animo fruendi fructibus illo anno postmodum dimissurus. Item à restitutione fructuum excusatur sic fraudulenter beneficium recipiens, si mutata voluntate promotus fuerit. Ergo signum est voluntatem priorem non dubiam, sed absolutam non se promouendi fuisse debere.

5 Cæterum credo media via procedendum esse, & affirmandum, si animum dubium habeas, te peccare mortaliter, & obligatum esse fructus restituere, nisi deposito illo animo dubio intra annum ordineris, secus vero si animum conditionatum habeas: sic Ludouic. Lopez 1. *p. instructorij cap.* 255. *colum.* 7. Vega 1. *tom. sum. cap.* 36. *casu* 23. Manuel 7. *tom. sum. in* 2. *edit. c.* 30 *num.* 6. *concl.* 6. Thom. Sanch *l.* 7. *de matrim. disp.* 45. *num.* 10. Ratio prioris partis est Quia dubium habens animum promouendi cares animo, & voluntate promotionis. Ergo peccas mortaliter, sic beneficium suscipiens. & retinens cum obligatus sis habere voluntatem ea implendi, quæ tali beneficio annexa sunt. Et confirmatur. Stante tali animo dubio nunquam promoueri potes. Ergo non potest esse intentio sufficiens ad beneficium suscipiendum. Ratio vero secundæ partis ea est; quia voluntas conditionata vera voluntas est; & illa posita ordines suscipere potes, si beneficium non dimittas.

6 Secundo dubitabis, an in foro conscientiæ ante iudicis sententiam obligatus sis restituere fructus perceptos ex beneficio accepto absque animo sacerdotium suscipiendi; Ratio difficultatis est; quia ob defectum illius voluntatis non redditur nulla beneficij susceptio, siquidem mutata illa voluntate, & ordine accepto beneficium, & fructus retinere potes absque noua collatione. Ergo signum est collationem priorem validam fuisse, vt relato Nauarr. *d. cap.* 21. *de orat. num* 48. docet Sanch. *d. disp.* 45. *num* 5. Si ergo valida est beneficij collatio, fructus inde accepti tui sunt. Ergo obligatio illos restituendi solum ex lege habetur; nulla autem lex videtur obligare, vt quis ante sententiam saltem declaratoriam criminis in seipso pœnam exequatur, & se priuet iure quæsito, vt latius. *tract. de legib. disp.* 2 *punct.* 2. dictum est. Ergo ante sententiam non eris obligatus hos fructus, quorum habes dominium restituere.

Nihilominus tenenda est communis omnium sententia, te obligatum esse in foro conscientiæ ante vllam iudicis sententiam hanc facere restitutionem; sic Nauarr. *cap.* 21. *de orat. n.* 47. & 49. Gutierr. *lib.* 2. *canon. quæst. cap.* 5. *num.* 10. Sanch. *lib.* 7. *disp* 45. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 34. *dub.* 19. *à n.* 100. *& dub.* 26. *per totum*. Vasq. *opusc. de benef. capit.* 3. §. 3. *dub.* 1. *n.* 41. & alij apud ipsos. Ratio ea videtur esse, quia esto beneficij acceptio valeat, & fructus percepti tui sint. At horum valor, & firmitas pendet ex eo quod voluntatem mutes: si enim illam prauam voluntatem non suscipiendi sacerdotium non relinquas, titulus beneficij & dominium fructuum sic lege disponente euanescit. Negari enim non potest, Pontificem posse beneficij titulum, & fructum dominij sic concedere. Quod autem de facto sic concessum sit, communis doctorum explicat, & verba. *d. cap. commissa* clarè denotant.

7 Tertio dubitabis, si absque animo sacerdotij accepisti beneficium, postea voluntatem mutasti, & sacerdotium suscepisti, debeas restituere fructus perceptos illo tempore, quo debita intentione caruisti? Affirmat Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 6. *col.* 3 & indicat Tolet. *lib.* 5. *sum. cap.* 5. *num.* 5. Moueri possunt, quia non est æquum, vt superueniens voluntas ius ad fructus decursos, & malè perceptos concedat, illaque clausula *d. commissa*, nisi voluntate mutata promotus fueris, ad fructus futuros, non ad præteritos debet extendi,

Sed absque dubio tenendum est, te non esse obligatum restituere: sic Gloss. *d. commissa. verbo mutata. verbo promouendum* & ibi Archidiac. *in fin.* Nauarr. *c.* 21. *de orat. num.* 46. & 50. Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 25. *numer.* 7. & 9. Vasq. 1. 2. *t.* 2. *disp.* 160. *n.* 35. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 133. Suar. *de legib. lib.* 4. *c.* 13. *n* 30. Garcia 3. *p. de benefic. cap.* 4. *num.* 51. Ratio est, quia textus *in d. cap. commissa* expressè statuit te obligatum esse fructus restituere fraudulenter perceptos, nisi mutata voluntate promotus fueris; sed nulli alij sunt fraudulenter percepti, nisi illi qui recipiuntur absque animo suscipiendi sacerdotium. Ergo horum restitutio cessat mutata voluntate, & ordine suscepto. Et confirmo. Per mutationem voluntatis, & sacerdotij assumpti cessat fraus commissa à suscipiente beneficium, quæ in eo sita erat, vt vellet fructibus beneficij frui per annum absque sacerdotio, postmodum beneficium dimissurus. Ergo pœna imposita ob illam fraudem, non potest in hoc casu habere locum.

8 Dixi te esse excusatum à restitutione fructuum, si mutata voluntate ordinem suscipias. Quare non sufficit mutare voluntatem, sed perseuerare in illius mutatione cum effectu ordinem suscipiendo. Alias vana erit talis voluntatis mutatio. Sanch. *d. disp.* 45. *num.* 9. Garcia 3. *p. de benefic. cap.* 4. *num.* 51. Azor. 2. *p. l.* 6. *c.* 8. *quæst.* 10. Quapropter si voluntatem mutes eo tempore quo iure non potes sacerdotio insigniri, nequaquam à restitutione excusaris? quia illa voluntatis mutatio vana est, & inutilis, & morâ purgare non potest: sic Azor. *loco alleg.* Verum si voluntatis mutatio contingat eo tempore, quo potes iure ad sacerdotium promoueri; at de facto non promoueris, quia infirmus es, vel quia Episcopus est absens, vel quia non vult te ordinibus insignire, vel quia tecum dispensat ex aliqua causa legitima; sufficienter à restitutione excusaris. Quia per te non stat culpabiliter non promoueri. sic Sanch. *lib.* 7. *disp.* 45. *n.* 8.

9 Quarto dubitabis, si recepisti beneficium curatum animo promouendi intra annum, sed postea voluntate mutata promotus non fuisti, teneris ne fructus illo anno perceptos restituere. Affirmat Gloss. *in d. cap. commissa, verbo non intendens*, & ibi Dominicus §. *caterum. n.* 7. *vnic.* Sotus *l.* 10. *quæst.* 5. *art.* 6. *concl.* 1. Gutierr. *lib.* 2. *canon. quæst. cap.* 5. *n.* 13. Tolet. *lib.* 4. *sum. c.* 18. *n.* 4. Graffis 1 *p. decis. lib.* 2. *cap.* 97. *num.* 54. Azor. 2. *p. lib.* 6. *c.* 9. *quæst.* 2 Garcia 3 *p. de benef. c.* 4. *num.* 55. Mouentur, quia eadem videtur esse ratio in retentione ac in prima beneficij acceptione. Negarique non potest te cum fraude beneficium retinere ad lucrandos fructus; debes ergo illis priuari; quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent. Adde fructus parochialis beneficij dantur ob seruitium sacerdotale præteritum, vel quod faciendum speratur, at nolens ordinari neque præstat officium sacerdotale, neque sperat præstandum. Ergo non habet titulum vllum ad fructus percipiendos. Ergo ab illo tempore, à quo intentionem mutauit, obligatus erit fructus restituere

Nihilominus etsi supradicta sententia sit satis probabilis, probabilior est te obligatum non esse fructus perceptos illo tempore restituere, tametsi grauissimè pecces: sic Nauarr, *cap.* 21. *de orat. num.* 50 *& in sum. cap.* 25. *num.* 118. Ludouic. Lop. 1. *p. instructor. c.* 255. *colum.* 3. Man. 1. 1. *sum.* 2. *edit. cap.* 30. *num.* 6. *concl.* 6. Vega 1. 1. *sum. cap.* 36. *casu.* 23. Thom. Sanch. *l.* 7. *de matr. disp.* 45. *num.* 11. Lessius *lib.* 2. *de iust. c.* 34. *n.* 34. *& seqq.* Ratio ea est, quia leges pœnales extendendæ non sunt vltra casum expressum, At supradicta lex relata in *cap. commissa*, loquitur expresse de eo, qui recepit beneficium absque intentione se promouendi, non de eo, qui bona intentione recepit, & mala retinet. Ergo ob retentionem obligari non debes ad restitutionem faciendam. Adde non esse eandem rationem in retentione, ac in prima acceptione. Quia prima acceptio ius in beneficium, & in fructus tribuit; eaque de causa grauiorem fraudem committit: sic beneficium recipiens, quam qui solum illam fraudem in retentione habet.

10 Sed quidquid sit de hac obligatione, illud existimo certum deducendum esse stipendium quod vicario conceditur; quia cum validè beneficium retineat, neque illo nisi post annum priuetur, licitè designat administratorem, & consequenter stipendium: sic Gutierr. *lib.* 2. 2. *canon. q. c.* 5. *n.* 23. *in fine*, tametsi contrarium sentiat Garcia *c.* 4. *num.* 56.

11 Quinto dubitabis, an recipiens beneficium parochiale cum animo illud resignandi, vel permutandi peccet, obligatusque sis fructus eo tempore, quo non resignas, perceptos restituere; Et quidem te obligatum esse habere animum beneficio inseruiendi, & illius oneribus satisfaciendi, dum retines, clarum est: aliàs mortaliter peccabis, & obligationem restituendi fructus habebis, quam habent non residentes, de quibus *disp. seqq.* At posita voluntate te promouendi intra annum, si beneficium retines; & inseruiendi dum illud retineas, non credo te peccaturum saltem mortaliter, ex eo quod accipias animo resignandi, vel permutandi eo tempore quo resignationem,

vel

vel permutationem superior petmiserit. Neque enim recipiens beneficium obligatus est illud semper retinere, sed potest illud permutare, vel resignare, vt passim contingit. Ergo habens hanc voluntatem, cum beneficium suscipis, nihil iuri contrarium facis, tametsi vnico die illud retinere proponas: sic Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de præbendis. cons. 24. num. 2.* & Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 45. n. 12.* Vasq. *opusc. de benefic. cap. 3. §. 3. dub. 1. in fine.* Lessius dicens non esse peccatum mortale. *lib. 2. c. 34. dub. 26. n. 136.* Hucusque de beneficiorum parochialium susceptione: Sed quia sunt dignitates curam animarum habentes, aliaque beneficia simplicia.

12 Sexto dubitare poteris an supradicta intentio recipiendi sacerdotium in beneficiis parochialibus, debeat adesse in receptione dignitatum, quibus animarum cura annexa est, ita vt si recipias aliquam ex his dignitatibus, non intendens promoueri, sed fructus percipere fraudulenter, teneatis & dignitatem dimittere, & fructus restituere, nulla expectata sententia; si voluntate mutata intra annum promotus non fueris? Videtur dicendum te esse obligatum, quia hæ dignitates beneficiis parochialibus in iure æquiparantur, maximè cum sit eadem ratio. sic Vasq. *opusc. de benefic. cap. 3. §. 3. num. 35.* Sed nihilominus contrarium non videtur improbabile, quia *textus in cap. commissa, cap. licet canon. cap. ex eo. de electione. in 6.* solum loquuntur de beneficiis parochialibus: non igitur dignitates sub iis comprehenduntur, præcipuè cum in *cap. cum in cunctis. §. inferiora. de electione*, tanquam distincta à reliquis beneficiis curatis apponuntur. Deinde quia in *eo cap. cum in cunctis*, & in concilio Trident. *sess. 24. de reform. cap. 12.* statuitur suscipientes has dignitates debere intra annum sacerdotio ordinari; aliàs si admoniti non fecerint, priuentur Ecclesia. At *in cap. commissa, iuncto cap. licet canon.* nulla præcedente monitione priuantur beneficio, qui intra annum non susceperint ordinem requisitum. Ergo non est eodem tenore de beneficiis parochialibus, ac de dignitatibus curam animarum habentibus procedendum; & ita tenet, aliis relatis, Garc. *3. p. de benef. c. 4. à num. 20.*

13 Septimo dubitabis de aliis beneficiis simplicibus, an inquam recipiens ea absque animo recipiendi ordinem sacrum eis annexum obligatus sit fructus perceptos restituere, nulla expectata sententia? Aliqui affirmant, quia videtur esse eadem ratio, ac in beneficiis curatis; si quidem æquè fraudulenter illos recipis, ac recipis fructus beneficij curati, & cum omnibus obligatio assumendi ordines annexa sit. Sic Iacob. de Graff. *decis. casuum conscient. lib. 2. cap. 97. n. 55.* Garcia, aliis relatis, *3. p. de benef. c. 4. n. 38.*

Sed dicendum est te obligatum non esse hos fructus ante sententiam restituere: sic Nauarr. *cap. 21. de orat. c. 51. & in sum. cap. 25. num. 118.* Sanch *lib. 7. de matr. disp. 45. num. 13.* Salas *de legib. disp. 9. sect. 1. num. 15.* Lessius *lib. 2. cap 34. num. 132.* Gutierr. *lib. 2. canon. quæst. cap. 5. num. 24.* Azor. *2. p. lib. 6. cap. 9. quæst. 3. & 7.* Vasquez *opusc. de benefic. cap. 3. §. 3. dub. 1.* & alij plures apud ipsos. Ratio est; quia in *dicto cap. commissa*, solum de beneficiis parochialibus disponitur: non igitur ad simplicia pœnalis constitutio extendenda est, præcipuè cum longè minor culpa inueniatur in receptione beneficiorum simplicium, quam curatorum. Adde his beneficiis simplicibus ordinem sacrum habentibus annexum, nempe canonicatus, dignitates &c. imponitur pœna prima medietatis fructuum. Secunda omnium, ac tandem beneficiorum. Ergo signum est ipso iure, & nulla expectata sententia nullam esse obligationem fructus restituendi.

14 Octauo dubitabis qualem culpam committas beneficium simplex recipiens animo non ascendendi ad ordines, sed potius relinquendi statum clericalem, postquam aliquo tempore fructus beneficij perceperis? Qua in re omnibus compertum est, si beneficium ordinem annexum habet ex iure, constitutione, fundatione, aut consuetudine, te grauiter peccaturum si absque hac intentione beneficium accipias. Quia cares intentione obsequendi ius. At si beneficium nullum ordinem annexum habeat, qualia sunt in Hispania plurima præstimonia, & capellaniæ, & canonicatus Ecclesiarum collegiatarum; quibus satisfacis, si in habitu clericali incedas, & officium diuinum recites, credo te non peccaturum, tametsi voluntatem habeas non assumendi ordines sacros: quia hæc voluntas non est contraria alicui præcepto, cum nullo præcepto tenearis illos ordines sacros assumere. sic Nauarr. *cap. 25. num. 18.* Graffis *decis. casuum conscient. lib. 2. cap. 97 n. 55.* Sanch. *lib. 7. disp. 45. n. 17.* Garc. *3. p. benefic. cap. 4 num. 42.*

15 Maior dubitatio est, an pecces, si hoc beneficium accipias animo fruendi eius fructibus aliquo tempore, & post modum relinquendi transeundo ad statum coniugalem. Te peccare mortaliter affirmat Sotus *lib. 10. de iustit. q. 5. art. 6. colum. 4.* Tolet. *lib. 3. summæ cap 18. num. 4. & lib. 5. c. 5. num. 5.* Nauarr. *miscell. de orat. 44. in nouæ edit. num. 2.* Mouentur, quia decipis Ecclesiam, quæ tibi beneficium non conferret, si sciret cum hac intentione assumere. At Thom. Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 45. num. 19.* solum agnoscit peccatum veniale in hac intentione, si voluntatem habeas beneficio inseruiendi, eiusque obligationibus satisfaciendi: consentit Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 16. num. 132.* ea inquam limitatione apposita, si studiorum causa, alioque fine honesto ducaris. Priorem partem sic probant; quia nullo iure naturali, neque positiuo recipiens beneficium obligatur in illo ttatu perseuerare. Ergo non peccas grauiter habens voluntatem non perseuerandi. Quod autem culpam venialem in tali intentione committas probat ratio superius allata, quia aliquo modo Ecclesia decipitur, & quia beneficium ad sustentandum beneficiatum in statu clericali ordinatur.

16 Cæterum crederem probabilius per se nullam esse culpam in tali intentione. Quia nulla potest esse culpa, nisi vbi est alicuius præcepti violatio: at nullum est præceptum positiuum, nec naturale obligans beneficiatum ex susceptione beneficij ad perseuerandum in statu clericali; imo potius à iure liber transitus ad nuptias beneficiatis conceditur, modo beneficia relinquant. *cap. Ioannes. cap. diuersis fallatiis. de clerico coniugato.* Ergo nulla potest esse culpa non perseuerandi in illo statu. Adde si aliqua esset culpa, grauis deberet esse. Quia relinquere statum clericalem grauis materia est. Neque in hac intentione Ecclesia decipitur, neque iustè est inuita, cum non intendas aliquid contra id, quod ab Ecclesia est dispositum. beneficium enim datur ad sustentandum beneficiatum in statu clericali, eo tempore, quo beneficium habuerit, non tamen cum obligatione, vt semper beneficium retineat, & statum incompatibilem non accipiat. Sic Garcia *3. p. de benef. c. 4. n. 43.* & clarè indicat Nauarr. *cap. 21. de orat. n. 52.*

Punctvm. VIII.

De carentia censuræ, irregularitatis, alteriusue impedimenti ad beneficium requisita.

1 *Carentia censuræ, & irregularitatis, &c. requiritur.*
2 *Item carentia vxoris.*
3 *Apponitur quadam limitatio.*
4 *Ex Episcopi dispensatione aliqui affirmant coniugatum capacem esse beneficiorum. Alij verius negant.*
5 *Item debet esse carentia bigamia. Sed an ex dispensatione Episcopi capax beneficiorum bigamus esse possit. Aliqui affirmant.*
6 *Probabilius est incapacem esse, si bigamia propria, & interpretatiua sit.*

1 CErtum est excommunicatum excommunicatione maioris, & suspensum, & interdictum inhabilem esse beneficij recipiendi, vt latè dicemus *tract. de excommunicat. suspens. & interdicto.* Idemque dicendum est de irregularitate, vt *in eodem tractat.* notamus.

2 Præter supradictatum carentiam, aliam habere debes, scilicet vxoris. Vxorati namque beneficiorum sunt incapaces, vt tradunt omnes in *cap. 2. de clerico coniugato. per textum. ibi, vbi* inquit Pontifex. *Prouideas attentius, ne deinceps clericus coniugatus ad beneficia Ecclesiastica aut sacros ordines, vel administrationes Ecclesiasticas admittatur, nisi forte castitatem vouerit perpetuam. & qui vnicam, & virginem habuisse vxorem.* Ex quibus verbis constat, coniugatum non solum incapacem esse beneficij recipiendi. sed etiam cuiuscunque Ecclesiasticæ administrationis: sic relato Cæsare de Graffis *decis. 114 & 92.* tenet Garcia *7. p. de benefic. cap. 5. num. 3.* Sanchez *lib. 7. disp. 42. n. 8.* Quod adeo verum est, vt regula de triennali possessore ei suffragari non possit; quia omnino est incapax sicut laicus beneficij acquirendi & retinendi: Rebuff. *de pacific. possessorij. n. 187. in fine.* Ludouicus Gomez *reg. de triennali q. 26. §. sed breuiter.* Sanch. *lib 7. de matrim. disp. 42. num. 15.*

3 Limitanda tamen est hæc doctrina ex supradicto textu nisi vxor consentiat, vt ad ordines ascendat, & ipsa si iuuenis est religionem profiteatur, vel si prouectior sit votum castitatis emittat; quia sic consentiente, & professionem emittente nonest viro recursus ad coniugium. Et idem esset, quando vir legitimam diuortij causam haberet, posset tunc ordinibus insignitis, & beneficium accipere: sic Sanchez *n. 16.*

4 Quod si inquiras, an ex Episcopi dispensatione capax coniugatus sit beneficij acquirendi? Affirmant plures, quos refert Sanchez *dicta disp. 42. n. 17.* capacem esse beneficij simplicis, secus curati. Mouentur ex *c. Ioannes. de cleric. coniugatis*, vbi supponitur coniugatum percipere posse beneficium. Deinde Episcopus dispensat cum homicida in beneficio simplici, & cum regulari *cap. ad audientiam. de homicidio. cap. Henric. de clericis pugnante in duello.* Item cum deposito. *cap. Salonita. 63. dist.* Ergo cum vxorato poterit dispensare.

Nihilominus verius est solum Pontificem hanc dispensationem concedere posse: sic pluribus firmat Sanch. *supra. num. 18.* Garc. *7. p. de benefic. cap. 5.* Ratio videtur manifesta; quia ipsis Episcopus interdicitur conferre beneficia coniugatis. *cap. 2. & cap. diuersis. de clericis coniugatis:* & si scienter ea contulerit, spoliandi sunt per superiorem. Ergo Episcopis non est datum ea conferre. Neque obstat *textus in cap. Ioannes*, supponens coniugatum habere beneficium; quia potest explicari ex dispensatione Pontificis. Minus obstat, quod Episcopus cum homicida.

homicida, depositio, & irregulari dispenset in beneficio simplici, quia ij non sunt omnino incapaces beneficiorum: siquidem beneficia aquisita ante delictum valent retinere: secus coniugatus, & laicus, qui omnino incapaces sunt.

5 Tandem catere debes ad beneficium suscipiendum bigamia. Quia hæc irregularem facit ad ordines, & ad beneficia recipienda. *cap.* 1. 2. & 3. *de bigamis, & cap. vnico. de bigamis. in* 6.

Solum est dubium, an ex dispensatione Episcopi possis ordines minores, & beneficium simplex accipere. Plures doctores id affirmant, quos refert, & sequitur Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 86. *n.* 11 Auila *de censuris*, 7. *p. disp.* 7. *dub.* 4. Sayrus *de censuris. l.* 6. *cap.* 6. *n.* 11. Bonac. *de censur. disp.* 7. *q.* 2. *p.* 5. *num.* 15. Paulus Comitolus *responsor. moral. lib.* 1. *q.* 106. *num.* 5. & 6. Ludouic. Miranda. *in manuali prælat. t.* 2. *quæst.* 8. *art.* 2. *concl.* 2. Fundamentum esse potest, quia nullus est textus negans Episcopo hanc potestatem, imo in *cap. lector.* 34. *dist.* datur facultas bigamo lectori vt in electoratu permaneat ex dispensatione, & subditur, vt possit, si necessitas vrgeat, ad subdiaconatum promoueri; qui ordo illo tempore inter sacros ordines non erat adscriptus, & additur idem esse dicendum de bigamo. Alij supradictam sententiam limitant, vt procedat quoad ordines, & beneficia recepta, sed non quoad recipienda: Sic Abbas *in c. super eo. n.* 5. *d bigamis.* Nauarr. *cap.* 27. *n.* 197. Valen. 4. *p. disp.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. *in* 1. *specie irregularit.* Philiarc. *de officio Sacerdotis. t.* 1. *l.* 4. *c.* 7. *in fine.* Eman. Rodrig. *t.* 1 *sum. cap.* 158, *concl.* 5. *n.* 6. Viuald. *candelabro.* 2. *p. vbi de irregularitate bigamis n.* 34.

6 Nihilominus verius existimo, non posse Episcopum neque in ordinibus minoribus, neque in beneficio simplici cum bigamo vero, & interpretatiuo dispensare. sic Lambertin. *de iure patron.* 1. *p. l.* 2. *q.* 7. *art.* 13. *n.* 4. Ludouic. Lopez *instructor.* 2. *par. cap.* 22. Gregor. Lopez *leg.* 5. *tit.* 5 *part.* 1. *verbo dos mujeres in fine.* Tolet. *cap.* 63. Garcia 7. *p. de benefic. c.* 6. *num.* 14. Suar. 5. *t. de censur. disp.* 49. *sect.* 6. *num.* 4 & 5. Zeuallos *quæst.* 559. Genuens. *in praxi. cap.* 123. Augustt Barbosa alios referens, 2 *p. allegat.* 49. *n.* 21. & 25. Moueor ex *textu in c. vnico, de bigamis, in* 6. vbi bigami omni priuilegio clericali denudantur, neque Episcopo committitur dispensatio: sed in lege generali nequit Episcopus dispensare, nisi ei commissum sit, vt tradunt doctores in *c. at si clerici, de iudic.* Ergo nequit in hac bigamia dispensare. Deinde in Trident. *sess* 23. *cap.* 17. permittitur coniugatis ordines minores exercere, modo non sint bigami: cui decreto non videtur posse Episcopum derogare. Et sic decisum esse à sacra congregatione testantur Garcia *supra num.* 5. & aliis relatis Barbosa *tum loco allegato, tum in remission. concilij dicto c.* 17. Per quæ videtur aliqua ex parte derogatus *textus in c. lector.* 34. *dist.*

PVNCTVM IX.

De naturalitate, & consanguinitate pro aliquibus beneficiis requisita.

1 *Ex legibus hispaniæ solum naturalibus horum regnorum beneficia concedi debent.*
2 *Explicatur quis sit naturalis.*
3 *Ex speciali statuto alij aliàs habiles excluduntur.*
4 *Si dentur aliis à designatis, an teneat collatio; Sub distinctione respondetur.*
5 *An possit patronatus eligere ex consanguineis remotum, si testator solum dixit, eligat ex consanguineis quem capacem inuenerit.*
6 *Si testator dixit, vt proximior eligatur, eligi debet proximior fundatoris, non vltimi capellani.*
7 *Quid si duo sint æque propinqui, alius via masculina, alius fœminina.*
8 *In æquali gradu consanguineus mariti præferendus est, cum ex bonis communibus vxor, & maritus capellaniam fundant.*
9 *Apponitur quædam limitatio.*
10 *Qualiter computatio proximitatis facienda est.*
11 *Beneficium relictum pro consanguineis, an illegitimis dispensatis, seu legitimatis conferri possit? Proponuntur aliqua certa.*
12 *Resoluitur quæstio, spectanda esse verba fundatoris.*
13 *Quo loco admittendus est spurius, & illegitimus. Verius est esse admittendum deficientibus legitimis.*

1 TAmetsi iure communi omnibus aliàs habilibus vndecunque sint, beneficia conferri possint. *cap. ad decorem. de iustit. & ibi* Glossa *verbo vndecunque*, & Abbas *n.* 4. Tamen in nostro regno lege sancitum est, ne aliis quam oriundis, siue naturalibus beneficia conferantur, vt habetur *leg.* 14. & *aliis, tit.* 3. *l.* 1. *recopil.* & de Gallia testatur Cosmas *in præmio pragmaticæ sanctionis, §. nam Ecclesiarum. verbo exterorum ad finē.* Idemque aliis pluribus regni est statutum, & merito. Quia naturales diligentius inseruiunt, & cum maiori fructu, & Ecclesias dicant, non spoliant, secus exteri. Vt autem hæ leges, & quæli-

bet aliàs sæculatia statuta effectum habeant, debent à sancta sede approbari. Quia aliàs eorum dispositio non tenet, vtpote in materia ecclesiastica, & contraria iuris communis dispositioni:

2 Quòd si inquiras, quis dicendus sit naturalis, seu oriundus ex regno Castellæ, vt capax beneficij censeatur? Respondeo illum dici & solum qui in regno Castellæ natus est, vel saltem eius pater. Quia à natiuitate propria, vel paterna oriundus quis dicitur, vt ex Iason. *in leg. huiusmodi. §. legatum ff. de legatis. 1. num.* 18. docet Mandos. *ad regul. Cancel. reg.* 16. *q.* 40. & pluribus relatis Barbosa *de potest. episcop. alleg.* 4. *n.* 6.

3 Præter naturalitatem sunt aliqua beneficia, quæ ex eorum fundatione, institutione, statuto, consuetudine, aut priuilegio consanguineis fundatoris, aliisve certis personis debentur, vt aliis relatis docent Couar. *reg. peccatum.* 2. *p.* § 7. *n.* 5. Gutierr. *cons.* 2. *n.* 3. & *l.* 2. *canon. q.* 1. 11. *n.* 37. Zenedo *collect.* 89. *ad decret.* Garcia 7. *p. de benef. c.* 15. *à n.* 1.

4 Difficultas est, an si dentur aliis à designatis teneat collatio? Distinguendum est. Si ob fauorem ipsorum designatorum fit designatio, vti censetur facta quoties consanguineis fundatoris, vel oriundis ex aliquo loco beneficia designantur, collatio tenet, dum aliquis ex designatis non contradicit; sicuti tenet collatio beneficij iuris patronatus spreto patrono, dum patronus non contradicit, quia solum rescinditur vtraque collatio ob patroni, vel designatorum præiudicium. Zenedo Cutierr. Garcia, & alij *supra*. Verum si non ob fauorem designatorum; sed ob ecclesiæ, & beneficij respectum, vt melius, inquam, ecclesiæ prouideatur & beneficij obligationibus fiat satis, certo generi personarum beneficia designantur, qualiter designantur canonicatus doctorales, & magistrales graduatis in aliqua Hispaniarum vniuersitate, tunc deficiente qualitate requisita beneficij collatio nulla est, tametsi nullus alius qualificatus petat sibi conferri, quia non in fauorem ipsius, sed ecclesiæ quæ semper censetur inuita, qualitas designatorum expostulata est, ideoque ad cuiusuis, etiam non qualificati. petitionem declarati nulla collatio potest: sic expresse Garcia 7. *p. de benef. c.* 15. *à n.* 11.

5 Deinde dubitare potes, quis ex consanguineis censeatur designatus, cùm testator dixit, vt patronus prouideat semper vnum ex suis consanguineis si capax reperiatur, an inquam ex vi huius clausulæ possit patronus eligere, quem ex consanguineis maluerit, vel teneatur eligere propinquiorem?

Communis sententia est obligatum esse eligere propinquiorem: quia tunc intelligitur electio non voluntati patroni, sed eius iudicio, & arbitrio commissa, quod regulatum esse debet, ac proinde eligendus, quem fundator magis præsumitur diligere, qui est sibi propinquior: sic videtur tenere Garcia 7. *p. de benefic. c.* 15. *n.* 17. Gutierr. *lib.* 1. *canon. quæst. c.* 11. *n.* 38. & *cons.* 26. *n.* 11. Perez de Lara *de anniuers. & capellan. lib.* 2. *cap.* 2. *à n.* 7.

Cæterum non videtur probabilitate carere, posse patronum eligere, quem ex consanguineis maluerit. Quia eius voluntati videtur commissa electio, iuxta *leg. vnum ex familia, §. si de Falcidia ff. de leg.* 2. Si enim testator dixisset expresse, se relinquere capellaniam consanguineo, quem patronus elegerit, electio commissa est voluntati patroni. Ergo similiter est dicendum, cùm testator dixit, vt patronatus prouideat vnum ex consanguineis, tacitè enim dixit, vt prouideat, qui sibi placuerit: sic Eman. Rodrig. *tom* 1 *summæ, c.* 106.

6 Quid si testator dixit, vt consanguineus proximior eligatur, eligine debet proximior fundatoris an proximior vltimi capellani? Dicendum est proximiorem fundatoris eligendum esse. Quia capellania non successione hæreditaria, & quasi maioratus ad hæredes transfertur, sed ex collatione ordinarij spectata fundatoris voluntate, quæ semper præsumitur esse de sibi propinquiori: sic Lambertin. *lib.* 2. *de iure patron.* 3. *p. q.* 5. *art.* 4. *n.* 12 & 15. Perez de Lara *l.* 2. *de anniuersar. & capellan. cap.* 2. *à n.* 7. Garcia 7. *p. de benefic. cap.* 15. *à n.* 20. Vasq. *de testam. c.* 8. §. 3. *dub.* 2. *n.* 48.

7 At si duo sint æque propinqui, alius descendens per lineam masculinam, alius fœmininam, non videtur patronus obligatus descendentem per lineam masculinam descendenti per lineam fœmininam præferre; quia in capellanis non tractatur de conseruanda agnatione; ac proinde non videtur hæc sufficiens ratio prælationis. Garcia *de benefic. 7. p. cap.* 15. *num.* 21. Contrarium tamen verius existimarem; eo quod consanguineus per lineā masculinā sēper præsumatur magis dilectus, & affectus fundatori, vtpote qui eius agnationem excellentiori via conseruat.

8 Hinc collige quando vxor, & maritus ex bonis communibus capellaniam fundarent conferendam vtriusque consanguineis præferendum in quam esse in æquali gradu consanguineum mariti. Nam sicut maritus in fundatione videtur præcipua persona, ita etiam in electione eius consanguinei præferendi sunt. Zeuallos *com. contra commun. q.* 265. *à n.* 13. Gregor. Lopez *in simili. leg.* 2. *tit.* 1. *part.* 2. *verbo el mas propinquo patiente*, quamuis contra teneat Garcia 7. *p. de benefic. cap.* 15. *n.* 22.

9 Limita tamen nisi consanguinei vxoris prius nominati essēt, quia ex scripturæ nominatione præuia colligitur mens mariti

fuisse illos præferre, vt latè Felin. *in c. dilecta. verbo ordo scriptura. de rescript. n. 4. & seqq.* Ant. Gomez. *1. tom. var. c. 2. n. 4. & 5.* Gutierr. *cons. 26. n. 10.*

10 Qualiter autem hæc computatio proximitatis facienda est, an secundum ius canonicum, an ciuile? Probabilius existimo secundum ius ciuile faciendam esse: nam licet capellania non iure successionis conferatur, conferenda tamen est iis, qui fundatori proximiores fuerint; ad cuius inuestigationem non tam canonica computatio, quam ciuilis, & legalis deseruit. sic Garcia *7. p. de benef. c. 15. à n. 25.* Excipe tamen nisi fundator consanguineos intra quartum gradum determinaret; quia ratione huius determinationis, & designationis canonicam computationem videtur attendisse, in qua solum consanguinitas vsque ad 4. gradum extenditur. Garc. *supra. n. 27.*

11 Grauior dubitatio est, an beneficium, quod fundator reliquit pro suis consanguineis, possit conferri illegitimis, & spuriis, si alias ad beneficia consequenda dispensatione Pontificis habiles existant? Qua in re certum esse debet, si rescripto Pontificis legitimatus sit spurius, poterit, & debet ei beneficium conferri. Quia Pontificis legitimatio præstat in Ecclesiasticis rebus, quidquid præstaret vera naturalis legitimatio; quia est integra natalium restitutio quoad spiritualia? quale est beneficium: sic expressè Garcia *7. p. de benef. c. 15. n. 46.* At si rescripto sæcularis principis legitimaretur, dubitant plures capaxne sit beneficij consanguineis fundatoris relicti? Quia legitimatio sæcularis principis solum facit legitimum quoad successiones, & honores temporales, non quoad beneficia, aliáque iura Ecclesiastica. Nihilominus credo supradicto spurio legitimato à sæculari principe beneficium conferri posse, & deberi, si alias habilis sit ex dispensatione ad beneficia obtinenda. Nam esto sæcularis princeps solum legitimare posset ad temporalia, & non ad spiritualia; at legitimationem in temporalibus concedens, illegitimum facit esse de familia, genere, & parentela fundatoris, & consequenter habilem reddit, vt dispensatione accedente beneficium possit obtinere. sic Garcia *supra.*

Secundo videtur certum, in Hispania beneficium relictum pro iis qui sunt de familia, cognatione, domo, genere, stirpe, seu parentela, posse, & debere dari filiis illegitimis naturalibus. Quia cum hi gaudeant nobilitate parentum. *l. 1. tit. 11. part. 7.* de eius genere, cognatione, & familia censentur. Garcia *d. 7. p. de benef. c. 15. n. 49.*

Tertio sit certum, illegitimos spurios ex parte matris capaces esse cuiusuis beneficij, & legati pro suis cognatis relicti. Quia respectu matris nulla datur incertitudo; ac proinde sunt de eius genere, & familia. Azeuedo *cons. 24. à num. 37.* Garcia *num. 52.*

12 Quapropter controuersia solum est, an spectato iure communi illegitimus naturalis, & spurius ex parte patris capax sit beneficij relicti pro consanguineis fundatoris? Communis sententia affirmat spectanda esse verba instituentis; si enim verbis iuris vsus fuerit fundator, illegitimus in hac prouisione locum non habet: secus si vsus fuit verbis naturæ, seu naturaliter cognationem significantibus: sic Perez de Lara *lib. 2. de capell. & anniuersar. cap. 2. à num. 25.* Garcia *7. p. de benef. cap. 15. à num. 39. & 46.* Quod si inquiras, quando censeatur fundator vti verbis ciuilibus, quando naturalibus? Respondeo vti verbis ciuilibus, quoties vsus fuerit nomine familiæ, generis, cognationis, stirpis, aut consanguinitatis. Quia hæc nomina à iure inuenta sunt. At verbis naturalibus vti, si descendentium, & consanguineorum verbis vtatur, dicens instituendum esse aliquem ex suis descendentibus, vel consanguineis. sic Gonzalez *glos. 5. n. 121.* Garcia *supra n. 39. & 35.* Regulariter autem semper præsumendum est verbis naturaliter significantibus vsum fuisse. Quia hæc in dispositione hominis attenduntur, quando aliud expressè non constat iuxta *leg. fin. Cod. de his qui veniam ætatis leg. non aliter ff. de legat. 3.* Et quia hæc interpretatio fauorabilior est ipsis illegitimis, & etiam fundatori, qui illos præsumitur amare. Deinde spectandus est communis modus loquendi, & an materia subiecta petat excludere, vel potius includere illegitimum. sic Gonzalez *glos. 5. à n. 123.*

Ex quo ipse infert spurium, & illegitimum aliàs habilem admittendum esse ad capellaniam, & legatum relictum pro iis qui sunt de genere, & cognatione fundatoris. Nam licet hæc verba ciuilia sint, & ex illis videatur illegitimus excluſus: at quia ex communi modo loquendi, & materia subiecta non excluditur, ideo debet admitti, & placet mihi hæc doctrina, tametsi Garcia *dicta 7. p. c. 10. n. 53.* contradicat.

13 Sed quo loco spurius, & illegitimus admittendus est ad legatum, donationem, capellaniam pro consanguineis fundatoris relictam?

Dicendum est, si concurrat in æquali gradu cum legitimo, nequaquam admitti posse, sic vt indubitatum firmat Gonzalez *glos. 5. n. 124.* Garcia *7. p. de benef. c. 15. n. 53. circa finem.* At si illegitimus proximior sit fundatoris quolibet alio legitimo, censet Garcia *supra. n. 47.* & Zeuall. *q. 762. à n. 24.* illegitimum præferendum esse stante dispositione testatoris, quod proximior consanguineus præfetatur; quia ille illegitimus est consanguineus; & proximior. Quod si ex testatoris dispositione non esset obligatio proximiorem eligendi, affirmare debent supradicti doctores illegitimum, & spurium eligi posse, quantumuis remotum, excluſis legitimis propinquioribus, quia est æquè ac legitimi consanguineus.

Cæterum oppositum probabilius existimo, nempe stantibus legitimis nequaquam eligi posse illegitimum, tametsi propinquior sit. sic Peregrin. *de fideicommiss. art. 22. n. 89.* Man. Rod. *1. tom. sum. c. ap. 106. n. 8. ad finem.* Ioann. Gutierr. *pract. quæst. lib. 2. quæst. 67. circa finem. num. 4.* Ratio est; quia legitimus remotior nobilior est quolibet propinquiori illegitimo. Deinde si stantibus legitimis posset electio esse illegitimorum; quia omnes sunt æque de familia, posset illegitimus concurrens in eodem gradu proximitatis cum legitimo eligi à patrono. Quia ipse solum tenetur eligere ex consanguineis fundatoris, qui proximior fuerit: ponimus autem nullum legitimum proximiorem esse illegitimo. Ergo nullus legitimus necessario præeligendus est: quia qualitas legitimitatis non constituit legitimum propinquiorem. Quod si dicas constituere nobilioti modo propinquiorem; ac proinde præferendum illegitimo, inde conuincitur cuilibet illegitimo etiam propinquiori præferendum esse: quia propinquitas prouenies ex legitimatione quantumuis remota, vincit quamlibet propinquitatem illegitimi. Et per hæc sit satis contrario fundamento.

DISPVTATIO V.

De beneficiorum oneribus, & vtilitatibus.

PLVRA sunt onera beneficiorum, pluresque illorum vtilitates. Onus beneficiorum est fidei professionem facere, cum beneficium recipitur: officium diuinum quotidie recitare, choro assistere, in loco beneficij residere, ordines beneficio annexos suscipere. Vtilitas vero beneficiorum est, fructuum perceptio, exemptio à foro sæculari, immunitas à gabellis, & tributis, & tandem titulum concedere ad ordines recipiendos. De obligatione faciendi professionem fidei latè egimus *1. p. tr. 4. de fide, disp. 1. punct. 19.* De assistentia in choro, officiique diuini recitatione, *tr. 7.* dictum est. De fructuum vero perceptione, illorumque dominio, distributione, & alienatione. Tum in *tract. de charitate. disp. de eleemosyna.* Tum *tract. 12.* plura diximus. De exemptione vero à foro sæculari, immunitate à gabellis satis egimus *tr. 10. 11. & 12.* De titulo, quem præbet beneficium ad ordines suscipiendos, *tr. de ordine* agendum est. Restat ergo nobis specialiter agendum de obligatione residendi in loco beneficij, ordinesque beneficio annexos suscipiendi.

PVNCTVM I.

Qualiter beneficium residentiam expostulet.

1 *Duplex est beneficium, curatum, & simplex, & qualiter simplex residentiam expostulet.*
2 *Beneficium curatum non solum iure positiuo, sed naturali diuino residentiam expostulat.*
3 *Contrarium defendit immerito Catherinus.*
4 *Satisfit eius rationibus.*
5 *Non excusatur ab hac obligatione, esto beneficium modici valoris sit, neque ex eo quod coadiutorem habeat.*
6 *Iure item naturali diuino tenetur residere, quia beneficium habens curam animarum exteriorem possideret.*

1 BEneficium duplex est, curatum, & simplex; vtrumque residentiam expostulabat iure ipso. At ex generali consuetudine beneficia simplicia libera sunt à residentia. Quia nullum aliud officium habent annexum præter horarum recitationem, quæ vbilibet fieri potest: sic aliis relatis Flamin. *de resignat. lib. 1. q. 10. n. 66. & 67.* Cæsar. de Graffis *decis. 115. n. 3.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. glos. 5. n. 80. & glos. 15. n. 26.* Garcia *de benef. 3. p. cap. 2. n. 3.* Excipe tamen dignitates, & canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, & aliquarum Ecclesiarum collegiarum, qui ex præscripto concilij, aut specialibus statutis in suis Ecclesiis residere, & horis canonicis assistere tenentur sub priuatione distributionum, & fructuum, de qua assistentia, *tract. 7. disp. 3.* latè diximus.

2 Beneficium vero curatum, sub quo intelligo Episcopatum, dignitatem, cui est animarum cura annexa, & quodlibet aliud parochiale beneficium, non solum ex iure positiuo, sed etiam ex iure diuino naturali residentiam expostulat: colligitur aperte ex Trident. *sess. 6. cap. 1. & sess. 23. c. 1. de reform.* ibi enim statuitur præcepto diuino omnibus pastoribus animarum mandatum esse oues suas agnoscere, sacramenta eis ministrare, sacrificium pro eis offerre, verbi diuini prædicatione eas pascere, ac tandem exemplo, aliisque mediis ad virtutem excitare, & in cætera munia pastoralia incumbere. Quæ vt præstentur, necessario

ecessario præsentiam corporalem illorum, qui ea præstare debent, expostulant; Cum autem ipsi pastores ex vi sui officij, & muneris ea præstare teneantur: fit sanè corporaliter ouibus adesse debere. Nam licet aliquando per alios id rectius fieri posset, hoc non excusat pastores à natiua obligatione, quam habent oues suas cognoscendi, regendi, & pascendi: si enim ipsi aliis possent curam pro libito committere, non ministri pastores, & dispensatores, sed domini dicerentur. Sunt igitur obligati eis assistere: & ita tenent post alios antiquiores Couarr. 3. *var. c.* 13. *n.* 9. Valent. 3. *tom. disp.* 10. *q.* 3. *p.* 5. Nauarr. *cap.* 25. *n.* 121 Salzedo *pract. cap.* 52. Garcia *de benef.* 3 *p. cap.* 2. *n.* 16. Azor. 2 *p. l.* 7. *c.* 4. *q.* 1. & 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 29. *num.* 153. Vasq. *opusc. de benefic. cap.* 4. §. 2. *dub.* 1. August. Barbosa 3. *p. de potest. ep. alleg.* 53 *n.* 4.

3 Contrarium huius receptæ conclusionis defendit Catherinus *in apolog. de residentia contra Sotum, & Mirandam*, iis ratio nibus permotus, 1. Nullum in scriptura esse locum, ex quo hæc obligatio colligatur: solum enim in scriptura habetur, quod debeant pastores populum sibi commissum pascere, quod sanè fieri potest per alios, sicuti de facto fit, cum vrgenti necessitate pastores absunt. 2. Sæpè ob amplitudinem diœcesis assignatur episcopo coadiutor, cuius regimine, & administratione censetur ipse populum sibi commissum regere, cum tamen per se ipsum non regat. 3. solet episcopus plures parochiales Ecclesias suæ dignitati annexas habere, quæ per vicarios perpetuos, aut temporales regit, & non per seipsum; potest ergo obligationi regendi populum fieri satis, media interposita persona. 4. Christus Dominus non instituit diœceses, & parochias, sed earum institutionem, & diuisionem Pontifici commisit: poterit ergo Pontifex in sua institutione dispensare & designatam alicui diœcesim alteri regendam committere, & consequenter poterit à residentia liberare. 5. Si iure diuino beneficiati curati obligati essent in suis beneficiis residere, non poterit Pontifex dispensare, sed solum interpretari, & declarare, quando cesset obligatio. Facta ergo interpretatione in vno casu, non erit necesse nouam interpretationem in alio simili expostulare, sed quilibet poterit superiori inquisito abesse.

4 Sed hæc argumenta leuia sunt, vt à communi, & probata Trident. sententia recedamus. Ad 1. dico sufficienter colligi obligationem residendi ex officio pastoris, qui debet proprias oues agnoscere, ad virtutis officium suo exemplo promouere, eas sua præsentia consolari; quæ vt expresè dicit concil. *d. cap.* 1. *sess.* 23. nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt sed mercenariorum more deserunt. Neque obstat quod aliquando ex vrgenti necessitate ab hac obligatione excusentur, & mediis mercenariis eis fiat satis quia id rectus ordo charitatis expostulabat obligationem tamen naturam, & propriam non tollit, sed suspendit. Eadem ratione ad 2. & 3. respondetur. Adde si episcopus per se obligatus non esset sacramenta ministrare in ecclesiis in quibus vicarios constituit, episcopus comparatione illarum ecclesiarum non esset parochus, sed dominus, qui parochos constituit, neque in illis residere teneretur: Barbosa 3. *p. de potest. episc. alleg.* 53. *n.* 78. Gonzalez *gloss.* 6. *num.* 97. & 98. Potest autem obligatus esse sacramenta ministrare, & tali obligationi sufficienter satisfacere vicarios designans, eo quod non possit per se omnibus ecclesiis inseruire, vt contingit in diœcesi Calagurritana, in qua episcopus est curatus fere omnium ecclesiarum parochialium, & huic obligationi satisfacit vicarios designans. Gonzalez *gloss.* 6. *n.* 65. Ad 4. nego Christum Dominum non instituisse diœcesim, & parochiam in genere, cum episcopatus, & parochiale beneficium instituit: concedo tamen, diuisionem diœcesum, & parochiarum non fecisse, sed Pontifici faciendam commisisse: at inde non infertur posse Pontificem assignata alicui diœcesi, & episcopatu collato ab obligatione residendi pro libito liberare. Quia hæc obligatio supposita assignatione, & beneficij retentione non ex Pontifice, sed ex iure diuino naturali prouenit. Ad 5. dico grauem esse inter doctores controuersiam, an in obligatione iuris diuini cadat dispensatio, vel solum interpretatio; de qua latè diximus, 1. *part. tract.* 3. *de legib. disp.* 6. *p.* 2. & 3. ibique, vt probabilius, resoluimus non cadere dispensationem, sed interpretationem: sed non inde infertur ad similem casum propria authoritate fieri posse: quia licet casus sit similis, circunstantiæ extrinsecæ fortè similes non sunt: negari enim non potest sæpè ob multiplicatas causas absentiæ grauia inconuenientia sequi, si absentia concedatur: ideoque causa, quæ aliquando reputata fuit legitima, alio tempore illegitima, & insufficiens erit, eo solum quia multiplicatur, & ex multiplicatione inconuenientia sequuntur. Debet ergo semper iudicium, & declaratio superiori remitti. Adde ésto concederemus (quod non est concedendum facta in vno casu authentica declaratione, posse beneficiatum ad alium similem casum ea declaratione vti, absque eo quod aduersus ius diuinum procederet aut cum iure positiuo ecclesiastico cautum sit, ne longo tempore à suo beneficio absit absque approbatione superioris legitima manifestè infertur ius ecclesiasticum violaturum.

5 Ab hac obligatione non excusatur beneficiatus curatus, etiam si beneficium modici valoris sit: Quia modicus valor non tollit, quin populus regimine, & administratione indigeat. colligitur ex *cap. conquerente. de clerico non residente* & tradit Rebuff. *in tract. nominat. q.* 9. *n.* 27. Valer. Reginald. *in praxi fo. vi pœnitent. lib.* 30. *tract.* 3. *n.* 294. *vers. si obiicias.* Aug. Barbosa 3 *p. de potest. episc. allegat.* 53. *n.* 70. Neque item videtur excusatus, etiamsi coadiutor cum futura successione ei à Pontifice concedatur? quia ob coadiutoris assignationem non eximitur parochus à cura, & obligatione beneficij, sed solum censetur in eius leuamen: sic pluribus decisionibus comprobat Garcia 3. *p. de benefic. c.* 2. *n.* 173. & 178. Gonzalez *gloss.* 5. §. 9. *num.* 30. Praetius *in praxi episcop.* 2. *p. cap.* 3. *num.* 27. Summa bullarum *verbo residentia, in vers. prater summistas.* Vgolin. *de officio episc. cap.* 15. §. 3. *ad finem, & cap.* 54. *numer.* 3 Barbosa *alleg.* 53. *numer.* 91.

6 Sed quid dicendum de beneficio curam animarum exterierem duntaxat habente, nempe visitare, corrigere, excommunicare, suspendere, & interdicere; An, inquam, de illo prouisus teneatur iure diuino naturali in suo beneficio residere. Respondeo iure naturali diuino hanc esse obligationem; quia ius diuinum naturale obligat quemlibet suum munus, & officium exequi, nisi necessitas, vel maior vtilitas eum excusetsise aliis relatis Vasq. *opusc. de benefic. cap.* 4. §. 2. *art.* 2. *dub.* 1. *nu.* 179. Azor. 2. *part. l.* 7. *c.* 4. *q.* 3. Et facit pro hac parte, quod huiusmodi beneficia iurisdictionalia comprehenduntur sub bulla Pii V. *de residentia parochorum*: quæ incipit *cupientes*. Deinde capellanus, & coadiutores Rectorum, quamuis beneficia non habeant; quia nomine suo non inseruiunt, sed alieno obligati sunt residere, quia alias satisfacere muneri suo non possunt. Gonzalez *gloss.* 5. § 9. *num.* 17. Riccius. *resolut.* 393. *ampliat.* 5. Barbosa *allega* 53. *num.* 78 Garcia 3. *part. cap.* 2. *num.* 164. & *seqq.* Quod à fortiori procedit in vicariis, & coadiutoribus perpetuis authoritate Romani Pontificis designatis. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 160. Garcia Gonzalez, Barbosa *supra, & in declarat. concil. num.* 8. & *in fine num.* 10.

Punctum. II.

Quo in loco beneficiatus residere debet, vt obligationi residendi satisfaciat.

1 *Proponuntur certa, tum de episcopis, tum de parochis.*
2 *Quid de habente duas parochias.*
3 *Quid de habente parochiale beneficium cum canonicatu?*

2 Constat in loco beneficii residentiam esse debere, sed qualiter hoc intelligatur est aliqualis dubitatio, tum in Episcopis, tum in parochis. Episcopi namque non solum debent in diœcesi residere, sed insuper hortatur concilium *sess.* 23. *cap.* 1. ne tempore aduentus, quadragesimæ, natiuitatis, resurrectionis Domini, & pentecostes, & corporis Christi à sua Ecclesia cathedrali absint, nisi Episcopalia munia in sua diœcesi eos aliò vocent. Non tamen videtur peccaturos mortaliter, si in sua diœcesi residentes illis temporibus à suis Ecclesiis aliquando absint; quia concilium non præcipit, sed admonet, & hortatur.

Parochus item debet intra limites suæ parochiæ habitare; quod si ibi domum non habeat propriam, compellendus est conducere; neque satisfacit; nisi ita propè sit vt moraliter intra limites suæ parochiæ habitare censeatur colligitur ex 21. & 25. *declarat.* quam adducit Garcia 3. *p. ca.* 2. *n.* 179.

2 Qui vero duas parochias vnitas habuerit, debet in digniori residere quod si non constet quæ si dignior: in frequentioris si vero vna sit extra, alia intra ciuitatem, in ea quæ est intra residere debet: sic decisum referunt Garc. *supra* Barbosa *in remission. conc. ad dict. cap.* 2. *sess.* 23. & 3. *part. de potest. episcop. al.* 53 *num.* 73. Si vero non constet quæ sit principalior, quæ frequentior, & vtraque extra ciuitatem existat poterit in qua maluerit residere. Garcia *dicto cap* 2. *num.* 179 *in* 16 *declara.* & 12. *part. cap.* 2. *num.* 45 Barbosa *de potest. episcop. allegat.* 53. *num.* 82. Si autem Ecclesia sit in loco vbi minor pars parochianorum habitat, & maior pars habitat longè in oppidis; parochus debet propè Ecclesiam habitare, & aliis succurrendum est iuxta loci antiquam consuetudinem. Garcia *supra in* 20. *declarat.* Barbosa *num.* 71.

3 Verum si quis ex dispensatione habeat parochiale beneficium & canonicatum seu dignitatem in cathedrali, tenetur in parochiali, esto non sit beneficium dignius, residere? quia animarum cura præcipuè spectanda est, & residens in parochiali lucratur fructus, non tamen distributiones canonicatus seu dignitatis: sic statutum est à Pio. V. in sua constitutione incipiente *Cupientes* edita Ibib. Iulij 1568. & est in ordine 64. notauit Gonzalez *gloss.* 9. *num.* 70. Garcia 12. *p. de benef. cap.* 2. *numer.* 40.

* *
*

PVNCTVM III.

Quibus pœnis non residentes afficiantur.

1 *Expenditur Trident. decretum de hac re.*
2 *Conciliantur loca Trident. relata.*
3 *priuatio fructuum spectato iure Trident. habet locum ante sententiam.*
4 *Spectato iure naturali non caret probabilitate obligationẽ non esse restituendi fructus perceptos in absentia.*
5 *Quibus hi fructus restitui debeant.*
6 *Quæ aliæ pœnæ sint episcopis, & parochis non residentibus statutæ.*
7 *priuaturne beneficiis parochus non residens. Proponitur dubitandi ratio.*
7 *Examinatur sententia glossæ, Et quid nobis videatur expendimus.*
9 *An post Trident. hæc priuatio beneficiorum ipso iure locum habeat? Probabilius est non habere.*
10 *Qualiter episcopus procedere debet aduersus parochos non residentes.*
11 *An personaliter citari debeant, an satis sit, si vocentur per edictum.*
12 *Sub pœna excommunicationis non potest parochus prohiberi ne vltra biduum absit.*

1 STat de hac re decretum Trident. *sess. 6. c. 1. de reformat.* vbi in primis tenouat antiquos canones aduersus episcopos, alios que curam animarum habentes non residentes promulgatos, & insuper aduersus episcopos absque legitima causa per sex menses continuos extra suam diœcesim morantes priuationem ipso iure imponit quartæ partis fructuum vnius anni. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseuerauerint, alterius quartæ partis similem priuationem repetit, crescente vero contumacia vt, seueriori sacrorum canonum censuræ subiiciantur. Metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ sedis authoritate animaduertere, & ecclesiis ipsis de pastoribus vtilioribus prouidere poterit, sicut in domino nouerit salubriter expedire. Item *sess. 23. cap. 1. de reformat* inquit concilium *Si quis (quod vtinam nunquam eueniat contra huius decreti dispositionem abfuerit præter alias pœnas contra non residentes sub Paulo III. impositas & innouatas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos nõ facere, nec tutacõscientia, alia etiam declaratione non secuta, eos sibi detinere posse, sed teneri aut ipso cessante per superiorẽ ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare prohibita quacunque conuentione compositione quæ pro fructibus malè perceptis appellatur. Ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscunque priuilegiis cuicunque collegio, aut fabricæ concessis.* Additque deinde concilium, *Eadem omnino quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscunque qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta synodus declarat, & decernit.* Et paulo inferius subdit. *Quod si per edictum citati etiam non personaliter cõtumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis per cẽsuras ecclesiasticas, & sequestrationem & subtractionẽ fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vsque ad priuationẽ compellere. Neque executionem hanc quolibet priuilegio, licentia, familiaritate exemptione, etiam ratione cuiuscunque beneficij, pactione, statuto, etiam iuramento, vel quacunque authoritate confirmato, consuetudine etiam immemoriali, quæ potius corruptela censenda est, siue appellatione, aut inhibitione etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse.*

Præter supradictum decretum Trident. stat bulla Pij IV. quæ est 115, & incipit, *In suprema*, publicata die 4. Decembris 1564. qua cauetur bona patriarcharum, & episcoporum, cuiuscunque quantitatis, mortuorum extra suas ecclesias contra concilium Trid. tanquam spolia ad cameram apostolicam pertinere. Ad cuius executionem, idem Pius IV. in alia bulla, quæ incipit, *Cum tam par sacrosanctum*, auditorem suæ cameræ iudicem designauit.

2 Ex supradictis verbis concilii de pœna episcoporum non residentium disponentibus, oritur prima difficultas qua ratione cohærere possit decretum *sess. 6. cap. 1.* cum decreto *sess. 23. c. 1. de reformat.* Nam *in sess. 6. cap. 1* absenti episcopo vltra sex menses continuos subtrahitur quarta pars fructuum vnius anni & si in culpa perseuerat, repetitur eadem pœna. Contumacia verò crescente potest pontifex procedere vsque ad episcopatus priuationem. At *sessione 23. cap. 1.* ipso iure subtrahuntur omnes fructus tempori absentiæ pro rata correspondentes: cessat ergo subtractio quartæ partis. Sed facile hæc difficultas dissoluitur. Nam textus relatus *in c. 1. sess 6.* loquitur de fructibus tempore residentiæ acquisitis: iis ergo fructibus quoad quartam partem absens episcopus priuari debet, fructibus vero tempori absentiæ correspondentibus integrè, & in totum. Et idem est dicendum de curatis, aliisque beneficiatis curam animarum habentibus vt satis innuit declaratio sanctæ congregationis relata à Garcia 3. *part. cap. 2. n.* 32. statuens eadem interualla quoad subtractionem fructuum seruanda esse in curatis inferioribus, ac in episcopis, quando proceditur quoad subtractionem fructuum ritè acquisitorum; secus vero quando proceditur quod adsubtractionem fructuum, quos pro rata temporis absentiæ suos non fecerunt.

3 Secundo dubitabis? habeatne locum hæc priuatio fructuum tempori absentiæ correspondentium absque vlla sententia saltem declaratoria criminis? Et quidem, spectato iure positiuo Trident. nemini dubium esse potest hanc priuationem nulla sententia declaratoria indigere, vt satis indicatur illis verbis, *Fructus suos non facere, nec tuta conscientia alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse* & ita, vt indubitatum tradunt Vasquez *opusc. de benefic. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 4. sub num* 152. Garcia 3. *part. de benefic. cap. 2. a num.* 26 Azor. 2. *part. institut. lib. 7. cap. 6. quæst. 6* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 39. num.* 157. Augustinus Barbosa *alleg. 53. num* 101. Adeoque ipsis fructibus absens episcopus, vel curatus priuatur, vt nec locum habeat vlla compositio per bullam cruciatæ, aut cuiusuis alterius priuilegij, Vasq. Barbosa, Garcia Lessius *supra.*

4 Quapropter controuersia solum esse poterat; an secluso Trident. spectato, inquam, iure naturali teneatur beneficiatus curam animarum habens fructus restituere in conscientia ante vllam sententiam, si non residerit; Affirmat Couart. *lib. 3. var. c. 13. n. 9.* Vasq. *d. dub. 4. sub n. 153.* vbi alios refert. Mouentur, quia datum ob causam, illa cessante cessat, at fructus beneficij propter officium datur, & in illius stipendium *c. fin. de rescript. in 6.* Ergo officium non exequens fructus lucrari non debet. Neque valet, si dicas te per alium exequi officium: executio namque alterius te laborantem non constituit. Ergo non te constituit capacem fructus percipiendi: cum illos percipere debeas non ob alienum laborem, sed proprium: quia sunt stipendium non alteri, sed tibi designatum. Subdit vero Vasq. & bene idem esse dicendum: si residens in beneficio per te ipsum non deseruias; quia fructus ob residentiam vtilem, & fructuosam conceduntur. Tamet si iure positiuo residens in beneficio, & officium non exequens fructibus ipso iure non priuatur. Nihilominus non videtur probabilitate carere (secluso iure positiuo) nullam tibi esse obligationem restituendi fructus in absentia perceptos, sic docet Panorm. *in cap. 1 de celebra. missar.* Siluest. *verbo clericus 4. q. 23.* Rosella *eod. n. 23.* Azor. 2 *p. instit. moral. lib. 7. cap. 6. q. 6.* Fauetque Trident. *sess. 6. cap. 1. de reformat.* statuens iis absentibus quartam partem subtrahendam esse. Si igitur iure ipso naturali omnes fructus tempore absentiæ correspondentes deberent restitui, omnes subtrahendi essent, & non quarta pars tantum. Quod si dicas loqui concilium de subtractione fructuum ritè perceptorum, id non constat, neque iure probari potest. Ratio vero ea est; quia fructus beneficij concedi videntur non solum ob officium præstandum sed etiam ad sustentationem clerici in partem domini assumpti, ne contra eius statum mendicare cogatur; alias si ob officium tanquam ob causam adæquatam fructus concederentur, cessante officio etiam absque vlla culpa fructus cessare deberent: dantur ergo fructus non solum ob officium, sed etiam in sustentationem illius, qui Dei minister est constitutus. Ergo quamuis cesset officium, non cessat causa legitima hos fructus percipiendi. Adde fructus, spectato iure naturali, concedunturque sub obligatione exercendi officium, non tamen sub conditione, vt officium exerceatur. Ergo quamuis officium non exerceatur, acquiruntur beneficiato. Deinde ipsemet Vasquez concedit: si officium diuinum recitas, partem fructuum illi officio correspondentem te retinere posse, & solum esse obligatum restituere eam partem, quæ residentiæ vtili correspondet, cum de facto non resides, vel residens, non laboras. Ergo etiam debet concedere eam partem fructuum te retinere posse, quæ correspondet aliis officiis, quæ in absentia tui beneficij exercere potes, quæ cum plura sint vix relinquitur pars aliqua, quæ ob omissum officium in loco beneficij restitui debeat.

5 Tertio dubitabis, quibus debeas restituere hos fructus ob non residentiam. Respondeo, si episcopus es, ecclesiis tuæ diœcesis, vel pauperibus dare teneris, si parochus, ecclesiæ beneficij, vel pauperibus illius loci sic cauetur in Trident. *dict. sess. 23. c. 1.* & addendũ est ex sacra congregatione si pauperes intra limites parochiæ non adsint, neque ecclesia parochialis indigeat adhuc ecclesiæ applicandi sunt illi fructus, quia potest in eam indigere. sic Garcia 3. *p. de benef. c. 2. num.* 31. Barbosa *alleg. 53. num* 103.

6 Quarto dubitabis. quæ aliæ pœnæ episcopis, & parochis non residentibus iure antiquo statutæ sunt oportet enim eas agnoscere. si quidem Trid. *in supra decret. sess. 6. c. 1 & sess. 23. de reform.* eas renouat. De episcopis nullæ videntur esse ipso iure

jure statutæ. Nam textus loquentes de Episcopis 7. q. 1. depositionis, reclusionisque in monasterium pœnam imponunt; ferendam tamen, non latam. *c. peruenit. 7. q. 1.* & aliis. Et idem constat ex *toto tit. de clericis non residentibus.*

7 De aliis vero beneficiatis inferioribus curam animarum habentibus est difficultas, an ipso iure ob non residentiam priuati sint beneficiis? Difficultatem fecit *text. in cap. extirpanda. §. qui vero. de prabendis.* vbi Innoc. III. in hæc verba scribit. Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per vicarium, sed per se ipsum illi deseruiat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit, nisi forte dignitati, vel præbendæ parochialis Ecclesia sit annexa, in quo casu concedimus, vt qui talem habet præbendam, vel dignitatem, cum oporteat eum in maiori Ecclesia deseruire, in ipsa parochiali Ecclesia idoneum, & perpetuum habeat vicarium canonicè institutum, qui, vt prædictum est, congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ prouentibus portionem, alioquin illa se sciat authoritate huius decreti priuatum liberè alij conferenda, qui velit, & possit quod dictum est adimplere. Ex quo textu videtur colligi, parochum absentem priuatum esse ipso iure beneficio, cum liberè aliis confetri possit. At in *cap. ex tua. cap. clericos. cap. inter quatuor, & alius. de cleric. non resid.* solum per sententiam post monitionem, & citationem priuandus venit.

8 Glossa ergo *in suprad. c. verbo priuatum*, varias huic textui explicationes adhibet. Primo dicit subintelligendum esse post monitionem sic absentem ipso iure priuatum esse, & non antea: ne hic textus corrigat plures textus relatos in *tit. de clericis non residen.* Sed hoc inconueniens non euitatur ex hac explicatione; si quidem ex *text. in cap. suos. cap. clericos cap. inter quatuor. de clericis non resid.* non priuatur absens beneficio ipso iure post admonitionem, sed venit priuandus. Ergo si post admonitionem, ipso iure priuatur, iam corrigit hic textus alios textus relatos in *tit. de cleric. non residen.*

Secundo dicit hanc priuationem non competere parocho non residenti, sed habenti dignitatem, vel præbendam, cui est parochialis annexa, qui si vicarium idoneum non constituit, ipso iure priuatur parochiali annexa. Sed hæc explicatio non videtur posse subsistere. Tum quia parochiali priuari hic non potest, nisi simul dignitate priuetur, quia est dignitati annexa. Deinde quia hic solum peccat non assignando vicarium. Ergo ob huiusmodi defectum non debet parochiali priuari: si quidem assignatio ad superiorem deuoluitur. Quapropter credo probabilius priuationem non extendi ad habentem dignitatem, vel præbendam, cui est parochialis annexa, sed solum ad eum, qui per se ipsum beneficio parochiali seruire debet; illa enim verba, *nisi forte*, &c. per parenthesim dicta sunt, & priuatio ad primum casum solum refertur: sic gloss. ibi, Gatc. 3. *p. de benef. c. 2. n. 133.* relata ergo ad primum casum ipso iure imponitur: neque inde fit huiusmodi textum corrigere textus relatos *in tit. de cleric. non resid.* sed illis in suo robore relictis quoad beneficia seruiteria, addidit hic textus priuationem ipso iure pro parochialibus. An vero hanc priuationem præcedere debeat monitio? Affirmat Innoc. & negat Abbas *ibi*: sed distinctio, quam tradit Azor. 2. *p. lib. 7. c. 6. q. 4.* mihi probatur, nempe non esse opus monitione, si delictum absentiæ est notorium. Item si manifestum sit, parochum pro derelicto beneficium habere, secus vero si hæc non constant.

9 Grauior tamen dubitatio est; an hæc pœna priuationis ipso iure locum habeat post Trid. decretum? Videtur habere, eo quod Trid. *sess. 6. cap. 1.* non tollit pœnas non residentibus impositas, sed potius illas renouat, vt constat ex illis verbis: *Statuit sancta synodus antiquos canones, qui temporum, atque hominum iniuria penè in desuetudinem abierunt, aduersus non residentes promulgatos, innouare, quemadmodum virtute præsentis decreti innouat.*

Cæterum existimo temperatam esse hanc pœnam aliqua ex parte, quatenus in *suprad. c. 1. sess. 23.* liberum Episcopo relinquitur post citationem factam absentes contumaces per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia etiam vsque ad priuationem compellere. Ergo manifestum est facta citatione non esse ipso iure priuatos; cum liberum sit Episcopo post citationem vsque ad priuationem eos compellere: si enim ipso iure priuati essent, deberet Episcopus ad declarationem procedere, neque liberum illi esset aliis remediis vti. sic Flamin. *lib. 1. de resignat. cap. 10. n. 61.* & decisum refert Garcia 3. *p. de benefic. c. 2. n. 139.* Aug. Barbosa *allegat. 53. num. 105.*

10 Quinto dubitabis qualiter procedere debeat Episcopus aduersus parochos non residentes? Plures censent post citationem, seu monitionem censuris Ecclesiasticis compellendos esse, deinde sequestratione, subtractioneque fructuum, ac tandem beneficij priuatione, neque posse hunc ordinem inuertere, cum sit appositus à concilio. concilium namque non liberum reliquit Episcopo hunc ordinem inuertendi, sed solum illi liberum reliquit, vt seruato hoc ordine per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem fructuum, aliaque iuris remedia vsque ad priuationem procederet: sic à Rota refert decisum Praxis Episcopalis 2. *p. c. 4. n. 96. in fine.* & tenet Aug. Barbosa 3. *p. de potest. Episc. alleg. 53. n. 105.* Vgolin. *de officio Episc. c. 15. §. 4. n. 4.*

At probabilius credo, non esse obligatum Episcopum omnia illa remedia illo ordine tentare, sed posse vti quo maluerit, vel censuris, vel subtractione fructuum, vel beneficij priuatione; quia in suprad. textu concilij non cauetur illum ordinem esse seruandum. Non est ergo hæc obligatio Episcopo imponenda; & ita tenet, referrtque decisum Garcia 3. *p. de benef. cap. 2. n. 139.* Aug. Barbosa *in declar. ad suprad. cap. 1. n. 16.* ibi: *arbitrio Episcopi relictum est qua via, & quo remedio ex his vti voluerit contra non residentes.*

Sed est omnino notandum, post factam monitionem sub censura, vel sub pœna subtractionis fructuum, beneficiique priuatione sex menses transire debere, vt possit executioni mandari, ita vt post quemlibet terminum pœnæ sex menses transeant; aliàs nulla erit executio. colligitur ex *c. ex tua. de clericis non residen.* & ibi Abbas, & pluribus decisionibus Rotæ comprobat Garc. *d. c. 2. à num. 154. & 156.* Barbosa 3. *p. de potest. Episc. alleg. 53. n. 105.*

11 Sed inquires; an personaliter citari absens debeat, an sufficiat vocari per edictum? Respondeo, si fraudulenter se absentat, ita vt inueniri non possit, sufficiens erit per edictum triplicitet promulgatum eum vocare dato post cuiusliber edicti publicationem termino competente ad comparendum, spectata qualitate personæ; & loci distantia: iuxta *textum in cap. ex tua. de cleric. non residen.* Si autem inueniri facile possit, sufficiens erit eum semel personaliter citare, seu monere, iuxta *text. in cap. inter clericos. cap. inter quatuor. eod. tit.* sic Azor. 2. *p. inst. moral. lib. 7. cap. 6. q. 5.* imo aliquibus placet quoties scitur, vbi commoretur, etiam si extra regnum, & in partibus Indiarum, citandum personaliter esse: iuxta suprædictos textus. sic Zeuallos *com. contra com. quæst. 809. num. 17.* Garcia 3. *part. cap. 2. n. 155.* referuntque à Rota sic fuisse iudicatum. Existimat tamen Garcia in citatione personali non esse opus expectare semestre post terminum citationis ad executionem pœnæ, sed statim exequi posse, sed nullum adducit fundamentum: illud autem videtur esse posse: quia semestre solum est datum, cum per edictum vocantur qui se fraudulenter absentant, *cap. ex tua. de clericis non resid.* at cum personaliter citantur, *c. clericos. c. inter quatuor.* semestre non datur, sed solum dicitur beneficiatos absentes, si moniti, vel expectati non redierint, & iustè impediti non sint, suis Ecclesiis priuati debere: consentit Glossa *c. quoniam. vt lite non contestata. verbo canonibus.*

Nihilominus Barbosa *alleg. 53. n. 105.* censet post quamlibet monitionem terminum expectandum esse semestris, quod videntur indicare illa verba, *vel expectati*, & placet mihi hæc sententia, quia benignior.

Neque est necessarium citationem esse solemnem, & iudiciariam, sufficit si sit simplex, & extraiudicialis; quia ad huiusmodi citationem, seu monitionem, spoliatio de facto subsequi potest, vt constat ex *cap. ex parte, cap. ex tua. cap. qualiter. de clericis non residentib.* & tradit Abbas *dicto cap. ex parte. n. 4.* Felin. *cap. 2. sub num. 3. de reser.* Gregor. Lopez *leg. 16. tit. 16. part. 1. verbo tollere*; & aliis relatis Garcia 3. *p. de benefic. cap. 2. numer. 130.*

12 Deinde aduerte, nequaquam posse Episcopum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibere parochum; ne vltra biduum à sua Ecclesia absit illo inconsulto: ad summum enim sub aliqua pœna leui pecuniaria id prohibere poterit; compulsio enim per censuras, subtractionemque fructuum non conceditur Episcopo nisi aduersus absentes contumaces: & ita tenet, & decisum refert Aug. Barbosa *in declar. concil. n. 15.* ibi *Episcopus potest prohibere parocho sub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam decimam non excedat, ne vltra biduum à sua Ecclesia possint abesse, non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.*

Tandem aduerte, executionem pœnarum contra Episcopos, & parochos non residentes suspendi non posse vllo priuilegio, exemptione, aut statuto, aut appellatione interposita, quæ solum effectum deuolutium habet, non suspensiuum, sic concil *sess. 23. c. 1. vers. quod si per edictum.* & aliis relatis notauit Garc. 3. *par. de benefic. c. 2. à n. 161.*

Hucusque diximus de pœnis impos. & imponend. Episc. & parocho non residenti. Nam de pœnis impositis canonicis, & dignitatibus Ecclesiarum cathedralium, aliorumque beneficiorum residentiam expostulantibus, diximus *tract. 7. disp. 3. p. 6.*

PVNTVM IV.

Quæ sint legitimæ causæ excusantes Episcopos, & parochos à residentia.

1 *Trimestris absentia Episcoporum conscientiæ concilium remittit.*
2 *Vltra tres menses quid statuit concil.*
3 *Quid pro curatis.*
4 *Expenduntur causæ legitimæ absentiæ.*
5 *Cardinales Episcopi ob assistentiam in Romana curia excusari à residentia in suis Episcopatibus aliqui affirmant.*

6 *Verius est oppositum.*
7 *Apponitur quædam limitatio.*
8 *Quid dicendum de officio cancellarij, pœnitentiarij, collectoris, auditoris, &c.*
9 *Qualiter ob officium regij præsidis, confessarij, consiliarij excusari à residentia possint.*
10 *Quid dicendum de officio inquisitoris generalis.*

1 CVm Episcopi solum duobus, vel tribus mensibus per annum absunt, remittit concilium *sess.23.c.1.* eorum conscientiæ iudicare, an ex legitima causa absint. Solum aduerto leuiorem causam ad hanc absentiam breuem requiri quam si longioti tempore continuaretur. Quod vero Sotus *lib.10. de iust. q.3.art.4.* dicit, & cum eo alij doctores, ad hanc absentiam honestandam sufficere, si fiat animi recreandi causa, consanguineos, vel amicos inuisendi, non satis mihi probatur. Hanc enim causam ad mensem vnum putarem sufficientem, raro vltra. Quia satis necessitati naturæ illo spatio prouidetur. sic Vasq. *opusc. de benef. c.4.§.2.art.1.dub.3.n.147.*

2 Si vero vltra tres menses in toto anno absentia prorogan-da est, decernit concilium nequaquam Episcopo licere, nisi Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ, vel reipublicæ vtilitas exigant. Et insuper à Romano Pontifice, vel Metropolitano, vel eo absente suffraganeo Episcopo antiquiori residente, causæ legitimæ absentiæ in scriptis approbentur, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & reipublicæ officium Episcopatibus adnectum, quod quia notorium est, & interdum repentinum, hac approbatione non indigebit. Ad eundem scilicet Metropolitanum vel illo absente antiquiorem Episcopum residentem pertinebit prouidere, vt prouinciales Episcopi resideant, & pœnis canonicis compellantur.

3 Pro curatis vero, aliisque quibus animarum cura ob beneficium commissa est, statuit concilium *suprad. sess.23.c.1.* vt quandocunque causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam vltra bimestre tempus, nisi ex graui causa non obtineant.

4 Prima causa legitimæ absentiæ à concilio designata est Christiana charitas, quando nempe Episcopi industria, & præsentia necessaria esset ad inimicitias, grauesque discordias sedandas, alicuius populi grauia peccata vitanda. Sed cauendum est, ne id fiat cum notabili Ecclesiæ propriæ detrimento. sic Toler. *sum. lib.5.c.4.* Aug. Barbosa *alleg.53.n.6.* Secunda causa est vrgens necessitas, quæ tum ex infirmitate, tum ex alio impedimento extrinseco nasci potest. Tertia est debita scientia illius qui præcipere potest. Quarta est euidens Ecclesiæ, vel reipublicæ vtilitas; quæ causæ qualiter intelligendæ sint, vt possint Episcopos, & parochos à residentia excusare, collige ex iis quæ diximus *tract.7. disp.3. punct.9. per plures §§.* Solum est aduertendum arctiori vinculo Episcopos, & parochos ad residentiam teneri, quam canonicos cathedralis Ecclesiæ: ideóque non quælibet causa excusans canonicos à residentia, excusare valet parochos, & Episcopos, qui iure diuino naturali residere tenentur.

5 Solum de Cardinalibus Episcopis restat examinandum, an ob assistentiam in Romana curia excusentur à residentia in suis Episcopatibus. Aliqui doctores canonistæ affirmant, quos refert, & sequitur Barb. *alleg.51.num.21.* Gonzal. *gloss.24.n.128.* Mouentur, quia Cardinales Pontifici assistunt, illiusque sunt consiliarij pro vniuersalis Ecclesiæ regimine. Ergo eorum assistentia in Romana curia cedit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem. Deinde spectato iure communi tenentur in curia apud Summum Pontificem residere. *c.bonæ.el.1.de postul. prælat. & c.2. de cler. non resid.* ita vt absque expressa licentia Pontificis non se possint à curia absentare. Ergo sufficienter à residentia in suis Episcopatibus excusantur.

6 Nihilominus dicendum est ex vi Cardinalatus neminem excusari à residentia sui Episcopatus: videtur decisum à Trid. *sess.23. cap.1. de reformat.* ibi *etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in Ecclesia, vel diœcesi residentiam.* Quapropter antiquo iure nullus Cardinalis eligi poterat in Episcopum, eo quod ratione Cardinalatus debebat Romæ assistere, quod compati non poterat cum assistentia debita Episcopatui: si tamen aliquando Pontifex alicuius Episcopi Cardinalis consilio, & industria indiget ad causas decidendas, negotiaque grauia pertractanda, quæ æquè bene expediri non possunt per alios Cardinales, non Episcopos, poterit à residentia eum excusare. Secus vero, si æquè bene negotia per alios expediri possunt, vt regulariter contingit. sic Caietan. *2.2.q.185. art.5.* Sotus *lib.10. de iustit.q.3.art.4.* Azor. *2.p.inst. moral.lib.7. cap.4.q.7.* Vasq. *opusc. de benef. cap.4.§.2.art.1.dub.2.num.141. & in fine.*

7 Limitari hæc doctrina potest, nisi Episcopatus ita Romæ vicinus sit, vt Romæ assistens Cardinalis censeatur in illo assistere, maximè si negotiis sui Episcopatus personaliter inuigilat, & non tantum per vicarium, quia iis circunstantiis assistentia Romæ videtur causam legitimam præbere absentiæ. sic aliis relatis Vasquez *supra.*

8 Ex his infertur. Primò qualiter ob officium vicecancellarij, pœnitentiarij, auditoris cameræ, Rotæ, thesaurarij, cantoris, & similium excusari possit Episcopus, vel parochus à residentia. Et dicendum est, nequaquam excusari posse, si alij adsint, qui æquè bene hæc officia præstare possint. Nam cessat euidens Ecclesiæ, vel reipublicæ vtilitas in eorum absentia: sic relatis Caiet. & Sot. tradit Azor. *lib.7.cap.4. quæst.5.* Vasquez *d. dub.2.n.141.* cum aliis. Idem dicendum est de officio subcollectoris apostolici, non excusare Episcopum, vel parochum à residentia; si quidem per alios legitime præstari potest. Gonzalez *gloss.6.n.166.* Aloys. Riccius *resolut.393.n.4.* Barbosa *alleg.53. num.88.*

9 Secundo infertur ob officium Regij præsidis, confessarij, consiliarij, Proregis; & similium fas non esse Episcopo, vel parocho à sua Ecclesia, vel diœcesi abesse, nisi forte ea sit hominum penuria, vt non inueniatur qui hæc munera legitimè præstare possit. Nam hoc inuento absentia Episcopi non cedit in euidentem reipublicæ vtilitatem. Azor. *2.p.instit.mor.lib.7.c.4.q.6.* Vasq. *opusc. de benef.c.4.§.2.art.dub.2.n.140.* Aug. Barbos. *alleg.53.n.17.*

Dices Episcopos minori stipendio, quam alios, hæc munera exercere, & cum maiori splendore. Ergo ob hanc rationem potest Rex illos eligere. Respondeo cum Vasq. id leuis considerationis esse; quia cura animarum diuitiis, humanóque splendori est præferenda: præcipuè cum absque illa humana authoritate officia possint rectè & legitimè exerceri.

10 Tertio infertur quid sit dicendum ob officium inquisitoris generalis? Vasq. *loco allegato, dub.2. num.139.* censet ob hoc officium legitimè Episcopum à residentia excusari: quia vix hoc officium per alium, quam per Episcopum potest præstari. Sed contrarium probabilius existimo, cum in Hispania officium hoc non Episcopis sæpè commissum sit, & ab eisdem legitimè præstitum. Deinde officium inquisitoris non excusat parochum à residentia. Ergo neque officium maioris inquisitoris excusabit Episcopum: & ira tener, & decisum refert Gonzal. *gloss.6.n.265 & gloss.43.n.164.* Aloys. Riccius *resol.393 n.4.* Aug. Barbosa *alleg.53.n.87.*

Punctum V.

An stante causa legitima possit Episcopus, vel parochus à beneficio abesse.

1 *Constat quid præstare debeant Episcopi.*
2 *De parochis dubitatur, an debeant pro absentia bimestri coram ordinario, probare causam? Affirmativa sententia, vt tenenda proponitur.*
3 *Non caret probabilitate contrarium.*
4 *Potest Episcopus sua constitutione sancire, ne vltra hebdomadam parochus absit absque eius licentia.*
5 *Vltra bimestre esto legitima causa absentia notoria sit, non potest parochus absque licentia abesse.*
6 *Vltra bimestre non potest parochus ex sola petita licentia & non concessa se absentare, tametsi irrationabiliter negetur.*
7 *Si quis absit ex legitima causa, à superiore tamen non approbata, non facit fructus suos.*
8 *Idem est, si approbationem in scriptis non obtineat.*

1 DE Episcopis iam dictum est duobus, vel tribus mensibus per annum siue continuis, siue discretis, posse absque vlla approbatione superioris abesse. Vltra tres menses indigere approbatione, nisi cum munus, & reipublicæ officium Episcopatibus annexum obligat ad hanc absentiam, eo quod tunc causa publica, & notoria est; vt inquit concil. *sess.13. cap.1. de reform.*

2 Dubium ergo est, an idem dicendum sit de parochis, possint ne illis duobus mensibus à concilio concessis abesse ex causa: quæ sibi legitima vita fuerit, an vero teneantur eam coram ordinario probare? Et quidem quod possit parochus per vnum, vel duos dies abesse, imo per hebdomadam ex causa, quæ sibi iusta videatur, relicto vicario idoneo à se designato, vniuersalis consuetudo declarat. Augustin. Barbosa *3. part. de potest. episc. alleg.53. num.106.* Pro vno autem, vel altero die festiuali absentiæ, si nullus est in parœchia infirmus, poterit abesse nullo constituto vicario; quia non adest morale periculum necessitatis eius præsentiæ. Barbosa *supra.* Solum ergo de absentia bimestri est controuersia, an fieri possit, quin ordinarius causam absentiæ probet? Negat Anton. Gomez. *in explicat. bullæ cruciatæ.cap.7.ad 4.clausulam num.21.* Vgolin. *de potest. Episc.cap.15.§.5.num.2.* Praeius *in praxi Episc.2.p.c.5.num.16. in fine.* Lessius *lib.2. de iust. cap.34. num.159.* Garcia *3. part. de benef. cap.2.num.22.* Augustin. Barbosa *allegat. 53. num.96.* Vasq. *opusc. de benef. cap.4.§.2. art.1.dub.3. num.149.* Fundamentum desumitur ex verbis concilij *sess.23. cap.1.* dicentis quod quandocunque eos (scilicet parochos) causa per Episcopum prius cogni-

cognita, & probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Ergo quoties parocho abesse contigerit, causa per Episcopum cognita & probata esse debet. Ergo non relinquitur eius arbitrio absentia duorum mensium. Deinde addit concilium. *Discedendi vero licentiam in scriptis, gratisque concedendam vltra bimestre tempus, nisi ex causa graui non obtineant.* Supponit ergo concilium ex leui causa obtinere posse licentiam intra bimestre. Et hæc pars à sacra congregatione declarata est, vt testatur Garcia 3. *part. c. 2. num. 23. & 9. part. cap. 2. num. 295. in secundo dubio.*

3 Nihilominus etsi hæc sententia, vt omnino secura, tenenda sit, credo satis probabile esse, posse parochum illis duobus mensibus abesse ex causa, quæ sibi legitima visa fuerit: sic docuit expresse Nauart *sum. cap. 25. num. 121.* Salzedo *in pract. cap. 52. vers. illud vero.* Azor. 2 *part. lib. 7. cap. 4. quæst. 10.* Emanuel, Saa *verbo residentia. num. 7.* Cenedo *collect. 6. ad sextum decret. num. 3.* Zerola *in verbo priuatio, §. 4. dub. 3. & verbo parochus, §. 2.* Eman. Rodrig. 2. *tom. sum. cap. 36. in fine, & in explicat. bullæ compositæ, num. 18.* & alij relati à Garcia *dicta 3. part. cap. 2. num. 19.* Moueor, quia ante concilium Tridentinum parocho licitum erat abesse per bimestre ex causa, quæ sibi iusta videretur. At per Tridentin. hoc ius immutatum non est; ergo licet parocho stante causa legitima abesse bimestri nulla petita licentia. Maiorem probo ex *cap. præsentium. 7. quæstion. 1.* vbi absens absque licentia per duos menses, si probatum fuerit ex legitima causa abfuisse, ad Ecclesiam, qua erat priuatus, mandatur restitui. Neque obstat *text. in cap. si quis in clero. eadem causa, & quæst.* vbi diaconus, vel presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, triennio à communione suspendi mandatur. Non inquam obstat; quia ea pœna apponitur, quando constat ob illegitimam causam abfuisse, nempe ob sæcularia lucra captanda. Ratio vero, quare bimestris absentia cuiusuis parochi conscientiæ remissa sit, sicut trimestris Episcopi conscientiæ; ea est, quia hoc tempus pro modico reputatur à concilio, & qui illo tantum abest, non videtur abesse, vt satis indicant illa concilij verba, *Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse; quia statim reuersuri sunt, sacrosancta synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis siue continuum, siue interruptum extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere.* Sentit ergo concilium abesse per duos menses non esse censendum abesse, cum id æqua ex causa fit, & absque vllo gregis detrimento: & ita tenet Nauart. *dicto c. 21. num. 121.* Azor. 2. *p. instit. moral. lib. 7. cap. 4. quæst. 10. circa finem.* Minorem discursus, nempe in parochis non esse à concilio hoc ius mutatum, sed potius confirmatum, sic probo. Nam concilium dicit eadem omnino esse seruanda in parochis, quæ in Episcopis. Cum ergo Episcopi possint per 2. vel 3. menses ex causa, quæ sibi legitima videtur, abesse, poterunt & parochi per illos duos menses. Neque verum est quod dicit Vasq. *loco allegato*, concilium tantum dixisse ea seruanda esse in parochis, quæ in Episcopis quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas; non tamen quoad potestatem se absentandi per duos menses, ex causa, quæ sibi videatur legitima. Non inquam, est verum: quia licet expresse illud non dixerit, satis insinuauit illo aduerbio *etiam*: cum enim dixit, *eadem omnino etiam quoad culpam*, &c. omnia supradicta implicauit. Adde si eadem omnino quoad culpam in parochis intelligenda sunt, ac in Episcopis, & in Episcopis nulla est culpa, cum bimestri, vel trimestri absunt, ex causa, quæ sibi æqua videbitur, neque in parochis ex eadem causa absentibus culpa censenda est. Deinde verba concilij, quibus contraria sententia mouetur; si rectè expendantur hanc partem probant. Inquit enim concilium: *Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, aliisque curam animarum habentibus esse intelligenda; ita tamen vt quandocunque eos causa per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant.* Ex his enim verbis solum colligitur, vt parochi, quoties ex causa per Episcopum cognita, & probata absunt, relinquant vicarium ab ordinario approbandum: non autem ex illis colligitur in absentia bimestri obligatos esse abesse ex causa per Episcopum cognita, & probata, imo potius contrarium ex illis verbis infertur. Parocho namque se ad breue tempus absentanti licitum est vicarium à se designatum relinquere, secus si longo tempore se absentauerit, vt optimè probat Thom. Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 31. n. 11.* Ergo parochus, qui bimestri abest (quod tempus modicum reputatur,) potest vicarium designare. Ergo potest abesse ex causa; quæ non sit per Episcopum cognita, & probata. Alias si necessarium esset abesse ex causa per Episcopum cognita, & probata, vicarium designare non posset, sed ab ordinario esset designandus. Sensus ergo illorum verborum esse videtur, vt quandocunque parochus obligatus est causa per Episcopum prius cognita, & probata abesse, vicarium loco sui ab ordinario approbandum relinquat: non tamen ibi explicatur, quando debeat abesse causa cognita, & probata ab Episcopo; sed id supponitur ex his quæ de Episcopis dixerat, debere, inquam, esse, quando abest vltra bimestre. Alia item verba concilij, nempe parochos obtinere non posse licentiam discedendi vltra bimestre, nisi ex graui causa, non probant: necessariam esse licentiam pro bimestri. Nihil enim de hac illatione illis verbis concilium statuit, sed solum quod certum est definiuit, nempe parochos non posse vltra bimestre, nisi ex graui causa, licentiam discedendi obtinere. Ergo neque ex iure antiquo, neque ex concilio colligitur licentiam necessariam esse ad absentiam bimestrem.

Præterea id probari potest hac consideratione. Ad absentiam bimestrem quælibet causa honesta sufficiens est, vt tradit Garcia 3. *part. de benefic. cap. 2. num. 22.* ita vt si causa animum recreandi, amicos inuisendi absis, æquam causam censet supradictus author te habere. Ergo licentia, & approbatio Episcopi requiri non potest à concilio pro absentia bimestri. Nam hæc approbatio expostulatur propter dubium, quod esse potest in causa approbanda. Si ergo quælibet causa honesta sufficit, iam esse non potest dubium in approbatione, vt quid ergo approbatio necessaria est? Denique si quoties parochus abest, obligatus est licentiam ab Episcopo obtinere in scriptis, obligabitur etiam si per hebdomadam tantum absit, imo si per duos tantum dies; neque poterit illis diebus designare vicarium; hoc autem falsum est, & contra praxim receptam, vt dicit Barbosa *allegat. 53. n. 106.* Ergo dicendum est ex vi concilij non esse obligatum parochum pro bimestri licentiam in scriptis ab Episcopo obtinere, sed ex causa, quæ sibi æqua videbitur, abesse poterit illo bimestri, & vicarium, qui in illo Episcopatu sit approbatus, designare.

4 Verum etsi hoc ita sit, potest Episcopus sua constitutione sancire, ne parochi vltra hebdomadam, vel vltra biduum absint absque eius licentia, & approbatione; nam esto concilium parochorum conscientiæ remittat iudicium de sufficientia causæ ad absentiam bimestrem, non tamen impedit, quin Episcopus moneatur, & causam approber, & cognoscat, an ex illa absentia populus detrimentum patiatur: sic tenet, & decisum refert Garcia 3. *p. de benef. c. 2. n. 23.*

5 Sed quid dicendum, cum causa absentiæ notoria est, poteritne parochus ex illa, sicut Episcopus, vltra bimestre abesse nulla petita licentia? Respondeo nequaquam posse. Tum quia ipse non potest vltra bimestre vicarium designare. Tum quia cauetur à concilio, ne licentiam vltra bimestre in scriptis, & gratis concedendam sine graui causa obtineat. Supponitur ergo non posse propria authoritate abesse vltra bimestre: sic plurimus firmat Garcia 3. *p. de benef. cap. 2. num. 34.* Neque Episcopus ob quamlibet notoriam causam abesse potest sine licentia, sed ob munus, & officium reipublicæ, quod Episcopatui annexum sit.

6 Grauior dubitatio est; an stante causa legitimæ absentiæ sufficiat petere licentiam, quamuis de facto non concedatur? Et ratio dubitandi est, quia sic petens fecisti quantum in te est. Ergo non debes iure quod habes te absentandi priuari. Item contra iustitiam tibi denegatur licentia. Ergo illius denegatio tibi obesse non debet.

Cæterum omnino tenendum est, nequaquam posse ex sola petitione te vltra bimestre absentare. Quia concilium non petitionem, sed licentiæ consecutionem in scriptis requisiuit: & ita tradit Abbas *in cap. relatum. de clericis non resident. num. 5.* Garcia 3. *p. de benefic. cap. 2. num. 37.* refertque à sacra congregatione decisum. Neque obstat ratio dubitandi; solum enim probat non debere te sic petentem licentiam iure absentandi priuari; non tamen probat de facto priuatum non esse, si contra iustitiam licentia denegetur. Adde te posse ad superiorem recurrere. Quia à grauamine tibi facto in denegatione licentiæ conceditur appellatio, vt aliis relatis tradit Garcia *supra. n. 38. & 88.*

7 Hinc infertur te absentem ex legitima causa, à superiore tamen non approbata, non facere fructus tuos, sed obligatum esse illos restituere, ac si nulla causa legitima intercedente abfuisses, quia non seruasti formam concilij vtrumque expostulantis, & sufficientiam causæ, & illius in scriptis appobationem. Garc. 3. *p. c. 2. n. 26.*

8 Video tamen Lessium *lib. 2. cap. 34. dub. 29. num. 158.* affirmantem, si ex legitima causa, & à superiore approbata absis, tametsi approbationem in scriptis non habeas, fructus in conscientia non amittere; quia illa solemnitas non videtur ad substantiam concessionis pertinere. Sed hoc dictum mihi non probatur. Nam esto ad valorem concessionis, iure naturæ spectato, scriptura necessaria non sit, est tamen necessaria ad valorem huius concessionis; quia pro forma licentia in scriptis expostulatur. à Tridentino.

* *
*

PVNCTVM VI.

De obligatione suscipiendi ordines ratione beneficij.

1 *Quid dicendum de Episcopatu.*
2 *Ad parochialem assumptus debet intra annum ad sacerdotium promoueri.*
3 *Debet possideri beneficium pacificè.*
4 *Apponitur quadam limitatio.*
5 *Non suscipiens sacerdotium culpabiliter, priuatur ipso iure beneficio accepto ante vllam sententiam.*
6 *Patitur difficultatem supradicta communis resolutio.*
7 *Excusaris ab hac pœna, si ex legitimo impedimento, vel dispensatione promotus non fuisti.*
8 *Dispensationem solus Pontifex concedit.*
9 *Quod censentur legitimum impedimentum.*
10 *Quid si ob irregularitatem, cuius dispensationem impetrare non potes, non promoueris? Probabilius est excusari à pœna.*
11 *Quid si Episcopus ob defectum litteraturæ te nolit promouere? Non priuaris.*
12 *Quos beneficiatos afficiat hæc pœna priuationis.*
13 *Assumptus ad beneficia, quibus ordo annexus est, tenetur infra annum à die pacificæ possessionis ordinem suscipere, aliàs priuari poterit.*
14 *Quid de priuatione vocis in capitulo qualiter intelligatur?*
15 *An intelligatur tantum de priuatione vocis activæ?*
16 *In Ecclesiis, vbi cum adiunctis proceditur, non potest Episcopus ad priuationem canonicatus procedere absque adiunctis.*

1 PLutibus beneficiis hæc obligatio annexa est. Nam in Episcopatum assumptus, etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis sit, tenetur intra tres menses munus consecrationis accipere; alioquin ad restitutionem fructuum tenetur, & si intra totidem menses id facere neglexerit, ipso iure est Episcopatu priuatus: sic Trid. *sess. 24. c. 2. de reform.* Hæc obligatio suscipiendi consecrationem intra tres menses à die electionis per superiorem inquam confirmatæ, iam iure aliquo stabilita erat. *c. quoniam quidam. 75. dist. c. quoniam quidam. 110. dist. c. de Siracusana. dist. 28* Circa hanc pœnam priuationis beneficij, & fructuum statutam à Trid. aduerto satis probabile esse non ligare, quousque sententia declaratoria negligentiæ Episcopi accedat, quia nullum est verbum indicans hanc declarationem necessariam non esse, & regulariter pœnæ ipso iure impositæ hanc exposulant declarationem. Sic Lessius *lib. 2. de iust. c. 34. n. 103.* tametsi contrarium communiter receptum sit.

2 Assumptus vero ad parochialem Ecclesiam debes intra annum à die commissi regiminis seu possessionis acceptæ ad sacerdotium promoueri, quod si per te ipsum steterit quominus non fueris promotus, parochiali Ecclesia ipso iure nulla monitione præmissa priuatus existis: habetur expresè *cap. licet canon. de elect. in 6.* Dixi à die possessionis acceptæ, seu à die, quo illam accipere poteras. Quia idem est ad huiusmodi obligationem inducendam realis possessio, & potestas illius, vt definitur *in cap. commissa. de elect. in 6.* Neque enim negligentiæ, vel fraudi fauendum est.

3 Debet tamen possessio pacifica esse, non litigiosa. Nam litigiosa ab hac obligatione excusat ob periculum amittendi beneficium: sic ex communi sententia Azor. *2. p lib. 6. c. 8. q. 2.* Lessius *lib. 2. c. 34. n. 100.* Garcia *3. p. de benef. c. 4. n. 1.* Imo addendum existimo, non solum litigium in limine possessionis ortum te à suscipiendis ordinibus excusare, sed etiam subortum durante anno, quo promoueri debebas. Quia non est æquum te obligatione perpetua ordinum arctare ad beneficium, quo fortè priuaberis. Sic Ægid. Bellam. *decis. 83.* quem refert & sequitur Garcia *11. p. de benef. c. 5. n. 118.*

4 Patitur tamen hæc doctrina limitationem, in lite mota super peritorio, casu quo tibi ex prouisione sedis Apostolicæ concessum sit liberum cutæ exercitium, & omnium bonorum, fructuum, & prouentuum ad dictam Ecclesiam parochialem pertinentium possessionem, eo quod hæc lis non ita periculosa videatur, & periculum perceptione fructuum compensatur: sic tenent, deciſumque referunt Barbosa *in declarat. concil. sess. 22. cap. 4. in fine.* Garcia *11. p. de benef. cap. 5. num. 121. & 122.*

5 Supradictam pœnam priuationis beneficij ipso iure incurris, ita vt ex communi sententia ante vllam sententiam declaratoriam tenearis te beneficio spoliare. Nam licet pœnæ regulariter non obligent ad sui executionem, antequam sententia saltem declaratoria criminis accedat. At hæc priuatio non tam est pœna, quam defectus conditionis à lege requisitæ, vt beneficij collatio firma perseueret. Hic ergo defectus rescindit & resoluit collationem à principio validam, lege sic disponente. Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 29. numer. 101.* Nauarr. *cap. 25. num. 117.* & alij relati à Garcia *11. p. de benef. c. 11. num. 29.*

6 Hanc sententiam approbo, quia communem; tametsi contraria non leui fundamento fulciri possit. Negari namque non potest, illam priuationem relatam in *cap. licet*, esse propriè pœnam. Tum quia est ob delictum commissum non suscipiendi ordines. Tum quia priuat iure quæsito beneficij: beneficium enim quæsitum fuit independenter ab ordinum susceptione: aliàs ordines non suscipiens omnes fructus illo anno perceptos obligatus esset restituere; quod à doctoribus communiter reprobatur. Si ergo hæc priuatio est propriè pœna, vt pro certo tenet Suar. *lib. 5. de legib. c. 5. n. 8. & cap. 8. à n. 10.* & pœnæ regulariter non obligant ad sui executionem ante sententiam, neque hæc pœna ante sententiam obligabit. Dices ideo ante sententiam obligat; quia in ipsamet lege sic cautum est: inquit enim *text. in dicto cap. licet canon.* Quod si infra idem tempus (scilicet annum) promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa nulla etiam præmissa monitione sit præsentis constitutionis authoritate priuatus. Ergo ex vi huius textus nulla monitio, & declaratio requiritur. Sed leue est supradictum fundamentum. Nam illa verba, *nulla præmissa monitione*, referenda non sunt ad priuationem, sed ad promotionem, vt bene notauit Garcia *11. p. de benef. cap. vlt. n. 30.* ita vt faciant hunc sensum, si infra annum promotus non fis, etiam nulla præmissa monitione, Ecclesia tibi commissa priuatus existas. Adde etiamsi illa verba ad priuationem referrentur, adhuc non conuincunt necessariam non esse delicti declarationem; ad summum enim conuincunt non esse necessariam præuiam monitionem, vt tu priuatus existas. Erit tamen necessaria delicti, vel pœnæ declaratio, quia hæc non excluditur.

Quod si ad commune effugium recurras, dicens beneficium concedi sub hac conditione, vt infra annum nullo stante legitimo impedimento ad sacerdotium debeas promoueri, sin minus rescindatur collatio. Obstat gratis hoc esse dictum. Nam vnde constat hic prouisionis modus? Præterea idem dici posset in priuatione ipso iure beneficij contingente ob alia delicta, scilicet hæresim, simoniam, assassinium, & similia; concedimquam, beneficium sub illa conditione, ne illa delicta committantur: illis vero commissis beneficij collationem annullari, quod non est communiter receptum. Ergo probabile est te non esse obligatum ob non promotionem cedere beneficio, quorsque per sententiam obligeris, & ita tenet Zerola *prax. Episc. 1. p. verbo beneficium. §. 4. dicto 4.* Doctor, Salag. *in c. fin. de sequestrat. possess. n. 81.*

7 Ab hac priuatione beneficij excusaris, si ex legitimo impedimento, vel dispensatione non fuisti ad ordines promotus. Quia *text. in c. commissa. de elect. in 6.* petit culpam, quæ omnino cesset stante legitimo impedimento, vel dispensatione.

8 Dispensatio autem solum à Pontifice concedi potest: quia legis à se latæ obligationem solus ille valet remittere. Et etiam vero commissione Episcopus in vnico tantum casu, nempe ob studium ad septennium; & tunc intra annum ordinari debet subdiaconatu, & septennio expleto debet intra annum fieri sacerdos: aliàs beneficium vacat. Habetur *c. cum ex eo. de elect. in 6.* Sed an hæc potestas reuocata sit à Trid. latè disputamus *tract. 7. disp. 3. punct. 9. §. 9. n. 8. & 9.*

9 Legitimum vero impedimentum est, si ob infirmitatem, vel absentiam Episcopi, vel illius contradictionem non promoueris. Si tamen Episcopus dat tibi facultatem vt ab alieno Episcopo promoueris, in culpa eris, si omittas promoueri. Bernard. Diaz *pract. 5. c. 53. n. 3.* vbi consulit, & bene, quotics impedimenta ex parte Episcopi prouenient, te debere ad vitandas lites protestari paratum esse ad ordines suscipiendos.

10 Sed quid si ob aliquam irregularitatem, aliudve canonicum impedimentum, cuius dispensationem obtinere non potes, non promoueris? Et quidem si absque tua culpa contigit beneficio priuandus non es, vt tradunt doctores referendi. At si tua culpa contractum est etiam post beneficij consecutionem, censet Glossa *in dicto c. licet canon. de electione. in 6. verbo priuatus.* te priuatum esse; quia iam per te ipsum stat non promoueri: consentit Azor. *2. p. instit. moral. lib. 7. c. 16. q. 11. in fine.* Bernard. Diaz *part. c. 53. n. 3.*

Cæterum probabilius credo te excusatum esse à supradicta priuatione, si ob irregularitatem tua culpa contractam non promoueris; dummodo tamen non sit contracta ea intentione, vt ab ordinibus suscipiendis impediaris. sic docuit Rebuff. *in prax. benefic. tit. de non promotis intra annum. num. 80.* Garcia *3. p. de benef. cap. 4. num. 6.* Lessius *lib. 2. c. 34. num. 100.* nihil distinguens, an irregularis fuerit ex culpa, vel non. Ratio est; quia posita irregularitate iam legitimè impeditus es, neque per te ipsum stat quominus promoueris: quod vero culpam commiseris in irregularitate contrahenda, est per accidens, cum non contigerit ex intentione, vt ab ordinibus impediaris; aliàs si ob culpam tuam infirmus fueris, beneficio priuandus esses, quod non admittitur.

11 Hinc infertur, quando Episcopus ob illiteratutam non vult te promouere, non esse beneficio priuandum; nam esto in discendis litteris negligens fueris, non ob hanc negligentiam, sed

sed ob negligentiam immediatam suscipiendi ordines debes beneficio priuari: & ita sacra congregatio respondit, vt testatur Garcia *supra*, Salzedo *dicto c.53.n.1.*

12 Petes, quos hæc pœna *dicti cap. licet canon*, afficiat? Respondeo afficere omnes illos, qui Ecclesiæ parochiali in titulum, vel commendam, seu vicariam præficiuntur. Quapropter si in vicarium perpetuum alicuius parochialis Ecclesiæ designeris, teneris intra annum ad sacerdotium promoueri; quia in te translata est tota Ecclesiæ cura? colligitur ex *clement. 1. de officio vicarij*: & notauit Azor. *2.p.lib.6.cap.8.quæst.5.* Extenditur hæc doctrina ad Priores Ecclesiarum conuentualium, in quibus si Prior designetis, obligatus es intra annum sacerdotium suscipere; alioquin vacat prioratus: nec iterum illa vice potest sibi conferri, constat ex *clement. ne in agro. §. cæterum. de statu Monach.* Quod si prioratus regularis, non conuentualis fuerit, & tibi in 20. anno constituto conferatur, vt conferri potest infra 25. ætatis tuæ annum, ad sacerdotium debes promoueri, alioquin vacat, vt supra: sic habetur in *suprad. clement.* & tradit Glossa *ibi*: & notauit Azor. *2.p.instit.moral.l.6.cap.8.q.6.* Dixi pœnam *dicti cap. licet canon*, afficere Ecclesiæ parochialis præfectos, vt hac ratione excluderem Decanum, Præpositum, Archidiaconum, aliásque dignitates, quibus animarum cura annexa est, à priuatione beneficiorum ipso iure, eo quod intra annum non promoueantur. Et idem est de iis, qui Ecclesiis collegiatis præficiuntur. Quia licet curam animarum exerceant, non tamen Ecclesiam parochialem dicuntur habere: *cap. statutum. de electione. in 6.* eo quod cura non vni tantum, sed pluribus collegialiter, vel diuisim commissa sit, quod alienum est à qualitate requisita pro Ecclesia parochiali, ex pluribus relatis à Gonzalez *glos. 6. à num. 42.* & *text. in dicto c. licet canon*, solum loquitur de obtinentibus parochialem, sub qua Ecclesia collegiata, decanatura, præpositura, aliáque similia beneficia non comprehenduntur: sic aliis relatis, Azor. *2. p. lib. 6. c.8.quæst.3.* Gonzalez *glos. 6.à num.34.& seqq.* Debet autem Ecclesia parochialis actu curata esse, & non sufficit habitu, vt hanc obligationem suscipiendi sacerdotium inducat, Azor *supr. quæst.9.* Augustinus Barbosa *allegat.53.num.68.*

13 Assumptus vero ad dignitatem, canonicatum, præbendam, seu quodlibet aliud beneficium, cui aliquis ordo sit annexus, tenetur intra annum à die pacificæ possessionis, seu à die, quo per ipsum stat, quominus eum obtineat ordinem suscipere requisitum. Alioquin post monitionem factam priuari potest. Si vero hæc beneficia in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis sæcularibus, vel regularibus existant, illa obtinentes vocem habere non possunt in capitulo, etiamsi aballiis liberè concedatur, nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerint constituti. Et si infra annum non susceperint ordinem beneficio requisitum, ex tunc donec ad eum promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant, & pars dimidia distributionum, quæ dantur iis, qui certis horis interfunt, subtrahatur: habentur expressè in *clem. vt ij. de ætate, & qualit.* & in Trident. *sess. 22. capit. 4. de reformat.* supradictam clement. renouante.

14 Ex quibus fit promotum ad Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ canonicatum, cui sacerdotalis ordo, v. g. annexus est, si subdiaconatus ordine insignitus non sit, vocem habere nō possit in capitulo à die promotionis, & anno transacto, si per ipsum steterit, quominus ordinem sacerdotij susciperet, priuatum eadem voce existere, & insuper dimidia parte distributionum: sic relato Monetæ *de distribut. quotid. 2.p.quæst.10.num.9.* docet Augustinus Barbosa *1.p.de potestat.episc.tit.1.cap.3. num 22. fine*: & supponit Garcia *3.p.de benefic. cap.4 num.23* imo censet si canonicatum, & dignitatem habeas, & ratione vtriusque vox tibi in capitulo competat, promotúsque sis ad ordinem canonicatui annexum, non tamen ad ordinem annexum dignitati, vtraque voce priuatum existere. Quia illud vniuersale negatiuum, *nullo modo vocem in capitulo habeant, earundem*, excludit omnem vocem, tametsi non excludat distributiones competentes ob canonicatum. Sed non probo. Quia est rigorosa explicatio, neque satis fundata. Nam illud vniuersale negatiuum debet referri ad vocem competentem præbendæ, cuius ordinem annexum culpabiliter non suscipis, non ad vocem competentem præbendæ, cuius obligationi satisfacis. Aliàs etiam priuari deberes voce competente ob canonicatum, si ordinem competentem dignitati, quæ nullam in capitulo habet vocem, non susciperes, quia concilium nullam in hac parte fecit distinctionem, quod Garc. non admittit.

15 Sub nomine distributionum quæ veniant intelligenda, constat ex dictis *tract.7.disp.3.punct.5. in fine.* Solum de vocis priuatione est aliqualis dubitatio, an de actiua, an de vtraque simul intelligatur? Lessius *lib.2.cap.34.dub.29.num.105.* censet vtramque vocem esse comprehensam; ac proinde neque eligere, neque eligi posse non promotum. Moueri potuit: quia vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus. Contrarium credo probabilius, solum de priuatione vocis actiuæ fuisse ius locutum. Quia pœna extendendæ non sunt, & vox actiua est, quæ proprie, & absolutè vox dicitur, non passiua. Ergo pro sola vocis actiuæ priuatione intelligenda est priuatio vocis absolutè sumptæ. Quia verba absolutè prolata stant pro famosiori significato. Sic Garcia *3. part. de benefic. cap. 4. numer.15.*

16 Sed inquires, an in Ecclesiis, vbi proceditur cum adiunctis, iuxta Trident. *sess.25.cap.6. de reformat.* possit Episcopus absque adiunctis procedere ad priuationem contra canonicos non suscipientes ordinem requisitum? Affirmat Garcia *3.p. c.4. num.21.* quamuis *num.23.* contrarium videatur sentire. Et mouetur: quia hæc causa non videtur criminaliter procedere, sed ciuiliter, iuxta *textum in cap. per tuas. de Simon. circa finem*: ibi, *tales* (scilicet testes aliàs minus idoneos) *contra talem taliter duximus admittendum non secundum rigorem iuris, sed secundùm temperantiam æquitatis, cum ageretur nō criminaliter. vt deponeretur ab ordine. sed ciuiliter, vt ab administratione amoueretur.* Ergo priuatio administrationis, & à fortiori vocis actiuæ causa ciuilis est, non criminalis.

Cæterum omnino tenendum est non posse Episcopum absque adiunctis in hac causa procedere. Negari namque non potest esse causam criminalem, esto ciuiliter intentetur. Est enim inquisitio, & inuestigatio delicti commissi in ordinibus non suscipiendis, & ob huiusmodi delictum pœna priuationis vocis actiuæ, & dimidiæ partis distributionum imponitur: nequit ergo hæc causa sine adiunctis tractari: & ita à sacra congregatione decisum est, & reuocatum, quod aliàs in contrarium, disposuerat, vt ipsemet Garcia *supra n.23.* testatur.

DISPVTATIO VI.

De beneficiorum vacatione, amissione, diuisione, extinctione, erectione, & illorum vnione.

BENEFICIVM vacare dicitur, cum domino caret: sed quia carere domino potest aliquando de iure, & de facto: aliquando de solo iure, & non de facto, aliquando de facto, & non de iure; ideo beneficium aliquando vacat de iure, & de facto, aliquando de solo iure, & non de facto, aliquando de facto, & non de iure. Si enim iure possideas beneficium, & moriaris, vel illud deponas, nec sit alteri collatum, vacabit beneficium de iure, & de facto. Si non iure possideas, sed de facto, quia illo priuatus es, beneficium de iure vacabit. *cap. licet Episcopus. 2. de præbend. in 6.* At si tibi legitimè possidenti subtrahatur iniustè beneficium, vacabit beneficium de facto, sed non de iure. *c. accepta. c. olim. de restitut. spoliat.* Rursus supradicti modi vacationis contingere possunt multipliciter, nempe per mortem beneficiati, per beneficij resignationem, per mutationem, alterius assecutionem, &c. Vide Rebuff. *in praxi. tit. requisita ad collationem bonam, à n.49. & in concordat. tit. regia ad prælaturas nominatio. § monasteriis. verbo vacantibus, & in repetit. cap. nulla 2. de concess. præbenda. 6. præmisso.* Staphil. *de litteris gratiæ. tit. de variis modis vacationis. per totum.* Azor. *2.p.l.7.c.16.q.1.& 2.* Amissio beneficij propriè est, quando illo per delictum priuaris. Extinctio quando alteri vnitur, & quasi prædium illius fit, vel supprimitur. Erectio, quando de nouo erigitur. De omnibus ergo sigilatim agendum est, & primo de vacatione.

PVNCTVM I.

De vacatione beneficij per obitum.

1 *Per obitum vacat beneficium.*
2 *Excipiuntur tres casus.*

1 PRima, & præcipua beneficij vacatio est morte beneficiati, *c. susceptum. de rescriptis. in 6. & ibi glossa & doctores.* Mors enim omnia iura soluit. *Authent de nuptiis. §. deinceps. collat. 4.* Quod adeo verum est, vt etiam si miraculosè beneficiatus resurgeret, nullum ius ad beneficium recuperandum haberet. Gonzalez *15. ad reg.8. Cancellar. à n.3.* Aug. Barbosa *3.p. de potestate episcop. allegat.57.n.199.*

2 Tres casus supradicti doctores excipiunt, in quibus beneficium per obitum beneficiati non vacat. Primus est, quando beneficium esset suppressum ab habente potestatem, vel esset alteri beneficio vnitum: sed hoc quid mirum, cum tunc non sit beneficium, sed suppressione extinguatur, & per vnionem fiat quasi prædium illius, cui vnio facta est? Gonzalez *glos. allegata. num.7.* Barbosa *num.199.* Garcia *11.p. de benefic. cap.2. n.2.* Secundus est, quando beneficium est de mensa prælati, seu capituli, ob mortem ei inseruientis non vacat. Quia inseruit non proprio, sed alieno nomine scilicet nomine prælati, vel capituli, cui est beneficium vnitum: sic Gonzalez. Barbosa, & Garcia *supr.* Qualiter autem his vicarius designandus sit, *disp.1. pun-*

pun. de vicariis perpetuis, & temporalibus diximus. Tertius est si beneficium sit situm in Ecclesia non numerata. Nam tunc morte beneficiati non permanet beneficium, sed spirat, & cessat, vt expresse habetur *in c. dilecto. 25. vers. praterea. de præbendis*; & latè docet Gonzalez *gloss. 9. §. 3. à n. 9.* Vbi concludit neque hæc beneficia reseruari posse, neque resignari, neque ad superiorem ob negligentiam in prouidendo deuolui. Quia non vacant, sed cùm electo nascuntur, & cum defuncto pereunt, consentiunt Garc. *n. 17.* Barbosa *supra.*

Pvntvm II.

De vacatione beneficij per renunciationem.

1 VAcare beneficium per renunciationem compertum est apud omnes doctores ex toto tit. de renunciat. in decretal. in sexto. & in clement. quia renunciatione beneficio ceditur. Sed qualiter hæc contingat examinare pergimus,

§. I.

Quæ sit renunciatio, quotuplex, & quæ causæ ad eius valorem requirantur.

1 *Statuitur definitio renunciationis.*
2 *Quotuplex est renunciatio, seu resignatio tacita, & expressa.*
3 *Expressa alia simplex; alia sub conditione.*
4 *Plures sunt causæ honestantes resignationem.*
5 *Expenditur constitutio Pij V. in hac parte.*
6 *Expenduntur causæ ibi appositæ.*
7 *Ex supradictis causis potest ordinarius resignationes admittere, duplici tamen conditione.*
8 *In resignatione ex causa permutationis non est necessarium seruare supradictas causas, & conditiones.*

1 REnunciatio est cessio, seu depositio beneficij proprij: sic Rebuff. *in praxi benef. 3 p. tit. de resignat.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 7. cap. 19. quæst. 1.* Dixi esse cessionem, seu depositionem: quia renunciatione cedis, & deponis ius, quod in beneficium habes, ita vt liberè alteri conferri possit; eáque de causa tuum debet esse beneficium: nam alienum deponere non potes.

2 Duplex est resignatio, alia tacita, alia expressa. Tacita est, quæ ex iuris dispositione inducitur ob actum contrarium retentioni, vt si matrimonium contrahas, religionem profiteare, militiæ nomen dederis: cum enim his actibus ipso iure vacatio beneficij annexa sit, absque vlla alia declaratione eos præstans censeris beneficium dimittere. De resignatione per matrimonium, & ingressum religionis infra erit sermo. De resignatione per militiam seculatem, nihil aliud dicendum occurrit, nisi quod illa assumpta beneficio ipso iure vacent, tanquam assumpto statu incompatibili; sic Glossa *in cap. vlt. de Clericis non residentib. verbo redierint.* Flamin. *de resign. l. 1. q. 1. n. 22.* Gonzalez *gloss. 15. n. 54.* Iulius Clarus *pract. §. fine. q. 73. n. 6.* Barbosa *allegat. 57. n. 216.* & alij.

Expressa verò resignatio est, si verbis expressis beneficium deponas; sic Rebuff. *supra tit. de resignat.* Flamin. Paris. *lib. 1. de resignat. quæst. 1.* Azor. *quæst. 2.* Lessius *lib. 2. capit. 34. dub. 35. n. 189.*

3 Rursus hæc expressa resignatio duplex est. Simplex, seu pura, & conditionalis; sic relati doctores. Simplex, seu pura resignatio est; si nulla adiecta conditione beneficium deponas. Conditionalis econtra; si aliqua adiecta conditione beneficium dimittis. Hæc autem conditio multiplex esse potest. Primò si ea conditione resignes, vt beneficium Titio conferatur. Et hæc vocatur simplex resignatio in fauorem. Secundò si resignes eadem conditione, vt regredi ad beneficium possis. Tertio si ea conditione dimittis, vt tibi fructus ex toto, vel ex parte reddantur, vel aliqua pensio ex beneficio soluatur. Quartò si resignes beneficium ea conditione, vt alter aliud simile, vel dissimile beneficium in tui fauorem resignet, quæ resignatio vocatur permutatio; quia tuum beneficium cum alterius beneficio permutas, & alter similiter tecum, continetque duplicem resignationem conditionalem.

4 Causæ autem requisitæ ad honestandam resignationem plures sunt vt tradunt Ioann. Andreas Abbas & alij *in cap. nisi cum pridem. de renunciat. per textum.* ibi, nempè conscientia criminis ob quod beneficio venires priuandus, debilitas corporis, seu imporentia, scientiæ defectus, plebis malitia, grauis aliorum offensio, capitales inimicitiæ, æris intemperies, censura aliqua, vel irregularitas, à qua liberari commode non potes. Quia aliquo horum impedimentorum ligatus, munera beneficij præstare ritè non vales. Successu tamen temporis aliæ causæ minoris momenti renunciationem honestant; ex eo namque quod beneficio multo tempore inseruieris, admittitur à Pontifice resignatio. Item si in fauorem alicuius resignes: solus enim fauor alteri factus præstat sufficientem honestatis causam, si habiles aliunde, vnde viuere possis. Azor. *2. p. instit. moral. l. 7. c. 19. q. 3.*

5 Verum Pius V. *in sua constitutione* 58. quæ incipit, *Quanta ecclesiæ Dei.* edita Kalend. April. 1. 68. quam refert Quarana *in sum. bullar. verbo beneficiorum resignationes.* Vgolin. *de potest. episc. cap. 50. §. 18. num. 3.* Flamin. *de resignat. lib. 5. quæst. 6. num. 2* varias causas apposuit, ex quibus, & non aliis possint episcopi, aliique facultatem habentes recipere, & admittere resignationes; nempe illorum dumtaxat, qui aut senio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut criminj obnoxij, censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inseruire, seu qui vnum, aliud, vel plura beneficia obtinuerit, vel quos ad aliud contigerit promoueri. Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea in re ipsa exequantur. Denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui constitutione felicis recordationis Innocentij Papæ tertij de dimittendis cathedralibus Ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij residere securi. Sed neque horum vllus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus valeat vllo modo beneficium, vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari.

6 Prima igitur causa, ex qua ordinarij simplicem resignationem admittere possunt, est, cum beneficiarius est senio confectus, quæ causa etiam iure communi stabilita erat *in cap. nisi cum pridem. de renunciat.* Qui autem senio confecti dicatur iudicis arbitrio remittitur, spectata personarum qualitate, & earum complexione, vt bene probat Menoch. *de arbitrar. casu 56. præcipuè num. 3.* Flamin. *de resignat. lib. 5. quæst. 6. numero 9.* Augustt. Barbosa *3. part. de potest. episc. alleg. 69. num. 31.* Azor. *2. p. instit. moral. l. 7. cap. 17. quæst. 5.* & alij. Secunda causa est, cum beneficiarius incommoda valetudine vtitur, quæ similiter iudicis arbitrio relinquitur; vt tradit Azor. *supra.* Menoch. *casu 60. à n. 3.* Barbosa *numero 34.* Tertia est, si beneficiatus corpore sit impeditus taliter, vt commode præstare non possit id ad quod ratione beneficij tenetur, veluti si lepra, paralysi, morbo gallico, comitiali, alióue contagioso, seu periculoso laboret. Flamin. *de resignat. lib. 5. quæst. 6. num. 31.* Azor. *dicta q. 5.* Barbosa *alleg. 69. num. 35.* Quarta est, si beneficiatus corpore vitiatus sit v. g. si sit cæcus, claudus, mutus, surdus, aut alio quouis corporis membro abscisso, contracto, vel deformato, quod ordines suscipiendos impediret. Flamin. *d. quæst. 6. num. 33.* Azor. *dicta quæst.* Barbosa *num. 36.* Quinta est, si crimini sit obnoxius, ob quod possit beneficio priuari, nempe vitio simoniæ, homicidij, adulterij, sodomiæ, concubinatus, periurij, blasphemiæ. Azor. *ibi* Flamin. *à num. 51.* Barbosa *num. 37.* Sexta est, si sit censuris ecclesiasticis irretitus, quarum absolutionem obtinere facilè non possit. Azor. *supra.* Flamin. *num. 23.* Barbosa *num. 38.* Septima, si nequit, aut non debet beneficio inseruire. Prioris partis exempla sunt, si sit bannitus, relegatus, dæmoniacus, mutus, ilitteratus, aut alia quauis irregularitate indispensabili affectus. Secundæ partis exempla sunt, si turpiter, & scandalosè viuat. Azor. *supra.* Flamin. *dicta quæst. 6. num. 91.* Barbosa *num. 40.* Octauo, si resignans aliud beneficium, vel plura obtineat ad sui congruam sustentationem sufficientia: quia quilibet beneficiatus vno tantum beneficio contentus esse debet. Azor. *ibi*, Barbosa *num. 41.* Flamin. *num. 108.* Nona, si beneficiatus ad aliud beneficium ad sui sustentationem sufficiens promoueatur, maximè si sit beneficium incompatibile: quia tunc quasi ex necessitate resignationem præstat. Flamin. *l. 5. quæst. 6. num. 137.* Barbosa *num. 42.* Azor. *2. quæst. 5.* Decima, si religionem ingressurus est, aut matrimonium contracturus, dummodo tamen re ipsa exequatur. Flamin. *n. 163.* Barbosa *num. 43.* Azor. *supra.* Est tamen differentia maximè notanda in resignatione facta ab ingredientibus religionem, vel matrimonium contrahentibus quod beneficium resignatum ob ingressum religionis, non potest prouideri, quousque professio sequatur; at resignatum ob matrimonium contrahendum, illo contracto statim beneficium prouideri poterit. Flamin. & Barbosa *supra.* Adde ex plurium sententia ingressum religionis non sumi ibi pro habitus susceptione, sed pro professione. Quapropter ab huiusmodi causam non potest resignare beneficium, nisi qui iam est in proclectu ad professionem, & quasi moraliter incuitabilem. Garcia *11. part. de benefic. c. 9. num. 15.* Vndecima, si ob capitales inimicitias nequit, aut non audet beneficiatus in loco beneficij residere. Azor. *dicta quæst. 5.* Flamin. *num. 169.* Barbosa *num. 44.* Tandem si adest aliqua causa ex relatis ab Innocent. III. *in cap. nisi cum pridem*, sufficienter resignationem honestabit. Azor. *supra.*

Ex his igitur causis licet ordinarius resignationes simplices, seu puras admittere, duabus tamen conditionibus seruatis. Prima, vt beneficiatus si sacris ordinibus initiatus sit, habeat aliunde, vnde commode viuere possit. Secunda, ne beneficia resignata conferantur ordinarij aut resignantis consanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per circuitum, quia tacitè præsumeretur resignatio non simplex, sed conditionata, seu facta in fauorem. Sic Pius V. in suprà dicta sua constit. Aduerto tamen

men hanc constitutionem, quoad hanc secundam conditionem; non videri vsu receptam, sed potius à principio fuisse ab ea supplicatam. Garcia 11. *part. de benef. cap. 3. num. 270.* August. Barbosa *allegat. 69. num. 48.* & consequenter nec pœnas ob hanc causam ibidem impositas. Quod si ordinarius absque aliqua ex supradictis causis resignationem admittat, nulla est admissio, nullam tamen pœnam obinde ipso iure incurrit. Flamin. *lib. 5. dicta q. 6. n. 215.* Vgolin. *de potest. Episc. c. 50. §. 18. n. 6.* Barbosa *alleg. 69. n. 46.*

8 Sed est dubium, an supradictæ causæ, & conditiones seruandæ sint in resignatione facta ex causa permutationis?

Credo non esse necessario seruandas; quia in permutatione non est locus fraudi, sicut in resignatione simplici; cum permutatio beneficiorum reciprocam beneficij resignationem contineat, eáque de causa in supradicta constitutione Pij V. expressè permittuntur permutationes beneficiorum, vel officiorum iuxta canonicas sanctiones, & Apostolicas constitutiones; quæ autem hæ sint, tradit Azor. 2. *part. instit. lib. 7. c. 26. q. 26.* & iuxta dicemus

§. II.

Quæ beneficia, & coram quo superiore renunciari possint.

1 *Superioris authoritas semper necessaria est.*
2 *Resignationem sub conditione solus Pontifex admittere potest, simplicem ordinarius. Et quis hic ordinarius sit.*
3 *Vicarius Episcopi non habet potestatem admittendi resignationes, nisi ei concedatur.*
4 *Capitulum sede vacante hanc potestatem habet.*
5 *Omnia beneficia, esto reseruata sint, possunt purè, & simpliciter resignari coram ordinario.*
6 *Qualiter beneficium ad cuius titulum es ordinatus, resignare potes.*
7 *Beneficium, quo per delictum es priuatus, vel venis priuandus; plures censent te resignare non posse.*
8 *Beneficium, quo priuandus venis, resignare poteris absolutè.*
9 *Item in fauorem.*
10 *Extenditur, esto alius tuum beneficium impetrasset in euentum priuationis.*
11 *Apponitur limitatio, nisi sciret impetrationem ab alio factam Sed non admittitur.*
12 *Extenditur doctrina ad resignationem ex causa permutationis.*
13 *Quid dicendum de beneficiis, quibus ipso iure per delictum priuatus es?*

1 CErtum est superioris authoritatem necessariam esse ad resignationem; siue resignatio sit pura, siue sub conditione. constat *ex c. admoneat. c. vlt. de renunciat.* Ratio autem huius decreti ea est, ne beneficia Ecclesiastica reputentur bona patrimonialia, de quibus libetè beneficiatus potest disponere, & ne debito ministro, etiam acquisito Ecclesia priuetur. Quod si aliquis absque authoritate superioris beneficio renunciet, renunciatio non tenet, nec beneficium vacat etiam quoad resignantem; sed potest beneficium administrare, quousque in pœnam delicti commissi beneficio priuetur à superiore, vt verè priuari possit. Ab hac doctrina excipiendum est ius ad beneficium præsentationem, nominationem, seu electionem, aut collationem non acceptata acquisitum, cui propria authoritate cedere potes. Quia non cedis beneficio, sed iuri ad illud. Idemque est de cessione iuris in beneficio litigioso; quæ omnia latius dicemus *tr. vlt. de relig. disp. de simonia punct. 17.*

2 Si sub conditione resignatio fiat, solus Pontifex eam admittere potest, vt tenent omnes doctores (excipe resignationem ex causa permutationis, quæ ab ordinariis potest expediri) Ordinarij namque solum possunt simplicem, & puram resignationem admittere ex causis superius allegatis, vt in supradicta constitutione Pij V. cauetur, alioquin simoniam contraherent.

Qui autem sit hic superior ordinarius, qui has resignationes simplices admittere possit? Respondeo eum esse, qui potestatem habet instituendi, & destituendi. Quia renunciatio beneficij est quædam beneficij depositio. Debet ergo fieri coram eo, qui deponendi à beneficio potestatem habeat. Quocirca si ad inferiorem Episcopo competat beneficij collatio, qui tamen à beneficio beneficiatum amouere non potest, non poterit coram illo fieri beneficij resignatio. sic Gloss. *clem. 1. de renunciat.* & Panorm. *in c. admoneat. de renunciat.* Azor. 2. *p. instit. lib. 7. c. 19. q. 7.* August. Barbosa *allegat. 96. n. 4.* & multis allegatis Garcia 11. *p. de benef. c. 3. §. 1. n. 251.*

3 Hinc fit vicarium Episcopi non habere potestatem admittendi resignationes, nisi ei ab Episcopo expressè concedatur; quia non habet potestatem amouendi clericum à beneficio *cap. 2. de vicarij officio. in 6.* & multis relatis docet Garcia 11. *part. de benef. c. ap. 3. num. 255.* Barbosa *alleg. 54. num. 66.* Quod adeo verum est, vt esto illi concessa sit potestas conferendi beneficia, non censeatur concessa potestas admittendi resignationes, aut econtra, quia sunt diuersa. Barbosa *supra. num. 67.* Garc. 11. *p. c. 3. num. 263.*

4 Fit secundo capitulum sede vacante potestatem habere admittendi resignationes purè factas; quia succedit Episcopo in omnibus, quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus à iure expressis. Cum autem admissio resignationis pertineat ad Episcopi iurisdictionem, neque inueniatur in iure excepta capitulo, fit sanè ad ipsum pertinere. Flamin. *lib. 7. de resign. q. 23. n. 20.* Azor. 2. *part. lib. 7. c. 19. q. 7.*

5 Si vero de beneficiis resignandis loquamur, omnia beneficia siue reseruata sint, siue non, possunt purè, & simpliciter coram ipsis resignari. Nam licet ordinarij beneficia reseruata prouidere non possint, eorum tamen resignationes optimè possunt admittere. Quia nullibi est prohibitum. Et sicut possunt ordinarij à beneficiis reseruatis clericos delinquentes amouere, ita possunt eorum beneficiorum resignationes admittere. Flamin. *lib. 7. de resignat. q. 14. n. 5.* Aug. Barbosa *alleg. 69. n. 23.* Azor. 2. *p. lib. 7. q. 9. c. 26.* Item possunt beneficia iuris patronatus, inconsulto patrono, coram ordinariis resignari, non tamen prouideri; quia in resignatione pura non præiudicatur patrono, bene tamen in collatione. Azor. *dicto lib. 7. c. 25. q. 4.* Beneficio item litigioso cedere potes gratia, & fauore collitigantis, quia hac cessione litem extinguis. Non tamen potes in alium transferre, donare, aliquo modo cedere, iuxta *text. in c. 2. ne lite pendente in 6.* & tradit Azor. 2. *p. lib. 7. c. 25. q. 3.*

6 Quocirca solum de duplici beneficio est aliqualis difficultas, an resignari possit? Primo de beneficio, ad cuius titulum sacris ordinatus es. Secundo de beneficio, quo ratione delicti es ipso iure priuatus, vel venis priuandus? Et quoad primum regula certissima est; si non habes vnde te sustentare possis, nullam esse resignationem, nisi hac qualitate expressa; quia est expressè contra Trident. *sess. 21. cap. 2. de reformat.* Quod non solum habet verum in resignatione facta coram ordinario, sed etiam in manibus Pontificis. Nam concilium absolutè loquitur, neque Pontifex præsumendus est velle decreto ita prudenti derogare.

Quod si de facto habeas vnde commodè viuere possis, vel beneficium cum pensione sufficienti ad te sustentandum resignes, iam videris intentioni concilij satisfacere. Ergo potes tunc beneficium resignare, quin exprimas fuisse ad illius titulum ordinatum. Aliqui hoc concedunt, sed immerito. Nam licet satisfactum sit fini concilij, non tamen eius dispositioni. Adde neque intentioni concilij fuisse satisfactum, non enim concilium mentionem illius qualitatis expostulauit in resignatione facienda eo solo fine, vt ordinatus haberet vnde commodè viuere posset, sed etiam vt ita firmiter haberet, vt non posset se ea commoditate priuare; quare amittens resignationem beneficij, ad cuius titulum ordinatus es, poterit loco beneficij patrimonium, vel pensionem subrogare, ita vt inualida sit illius alienatio; sicut est inualida alienatio beneficij ad cuius titulum es ordinatus. Quæ omnia fieri non possunt, nisi in resignatione illam qualitatem exprimas; teneris ergo eam exprimere, tametsi aliunde habeas vnde te sustentare, possis, sic Garcia *de benef. 2. p. c. 5. per totum, specialiter à n. 214.* August. Barb. *alleg 19. n. 35.*

7 Quoad secundum de beneficio, quo es ipso iure priuatus ob delictum, vel venis priuandus, non desunt doctores, qui sentiant in vtroque casu te non posse tale beneficium resignare in fauorem, bene tamen posse absolutè, & simpliciter resignare. Quia in resignatione simplici, & pura, nullum videtur prouidenti fieri præiudicium. Fit tamen ex resignatione conditionali, cum ex illa obligetur prouidere beneficium secundùm voluntatem resignantis: & posito delicto, factáque priuatione liberè prouisurus esset.

8 Cæterum vt cum distinctione procedamus, prius dicendum est de beneficio, quo per delictum venis priuandus, deinde de beneficio, quo ipso iure priuatus es. Et quidem te posse beneficium, quo priuandus venis, resignare purè, & simpliciter ante priuationem, fere omnes doctores fi mant, cum Glossa *in c. 2. vt lite pendente lib. 6.* vt videre est apud Ioann. Gutierr. *lib. 2 canon. quæst. cap. 5. à num. 29.* Couarr. *in clement si furiosus de homicidio 2. p. relect. §. 3. n. 7.* Flamin. *lib. 3. de resignat. q. 16.* Garcia 1. *p. de benef. c. 3. à n. 62.* Ratio est superius dicta; quia nemini præiudicium causas, cum beneficium prouidendum remittis, imo tibi gratum haberi potest, quod priuationem futuram præuenis. Quapropter si accusatus sis de homicidio, periurio, aliove crimine, ob quod beneficio priuandus esses, posses ante priuationem ipso facto beneficio cedere quia non cedis beneficio litigioso, sed beneficio ritè, & pacificè possesso cedis ex timore priuationis futuræ ob crimen commissum: sic relati doctores.

9 Quod autem in supradicto casu possis beneficium in fauorem resignare, docent Ioann. Gutierr. Couarruu. Flamin. & Garcia *supra*, & alij apud ipsos. Et ratio est efficax, quia regulariter cuilibet datum est proprium beneficium resignare in fauorem; sed ob commissum delictum hac potestate non reperitur priuatus, cum non reperiatur priuatus ipso beneficio. Ergo

poteris

poterit illud in fauorem alterius resignare. Neque obstat ex hac resignatione præjudicium prouenire ordinario, eo quod impediatur à libera illius prouisione: quia hoc præiudicium est per accidens, & non spectandum, cum iure tuo vtaris. Neque ad valorem huius resignationis requiritur expressio criminis, quo ligatus es. Quia nullibi cauetur talis expressio, vt aliis relatis docet Garc. 11. *p. de benef. c.* 3. *n.* 120. quamuis alij contra teneant, sed absque firmo fundamento.

10 Extende supradictam doctrinam, etiam si alius tuum beneficium impetrasset in euentum priuationis. Quia hæc impetratio non impedit, quin tu vti possis iure, & potestate, quam habes beneficium resignandi; si quidem ipse impetrans ius habet ad beneficium non absolute, sed sub conditione, quod illo prioris: potes ergo positionem huius conditionis impedire renunians beneficio. Neque obinde dici potes te tollere ab impetrante ius quæsitum, cum non sit illi quæsitum, nisi in euentum conditionis. sic Couarr. *dicta clement. si furiosus. 2. p. §. 3. n. 7.* Ioann. Gutierr. *dicto cap. 5. num. 39.* Thom. Sanch. *in præcepta decal. lib 2. cap. 26. num. vlt.* Garcia 11. *par. de benefic. cap. 3. num. 72.*

11 Limitant hanc extensionem plures doctores, quos refert, & sequitur Gutier. *dicto lib. 2. canon. quæst. cap. 5. à num 41. & 42.* casu quo scies impetrationem ab alio factam. Nam tunc fraudulenter procedis resignans beneficium, præcipuè si non in fauorem alicuius, sed absolutè resignationem faceres; quia conuinceris solum resignare ad impediendam alterius impetrationem. Non igitur hæc resignatio valere debet in præiudicium impetrantis: & fauet *text. in cap. 2. de renunciat. in 6.* vbi habens tenuem præbendam, & credens pinguem breui vacaturam, sciens tertium alium obtinuisse à Pontifice indultum pro prima vacatura, suam resignauit, vt in ea ille tertius prouideretur, ipse vero resignans pinguiorem breui vacaturam obineret. Et Pontifex respondit, quod constito de prædicta fraude resignantis, expectans Apostolicus omissa præbenda sic resignata prouideatur in præbenda secundo vacatura, & resignans careat præbenda habita, & ambita. Ergo resignans animo, & intentione impediendi impetrationem alterius, fraudem committit. Ergo non impedit ius alterius.

Sed hæc limitatio probanda non est. Non enim dici potest fraudem committere suo iure vtens, vt licet ex animo peruerso renunciationem faceret, solum in animo adesset malitia, sed non in effectu. Neque casus *d. cap. 2.* vrget. Nam concessio expectatiuæ, ibi facta fuit pro præbenda primo vacatura, rebus ordinario cursu succedentibus, non pro præbenda ex industria, & ex malitia vacante, ac proinde posita malitiosa, & fraudulenta vacatione non ponitur conditio requisita, vt habens gratiam expectatiuæ teneatur illa vti, ac proinde renunciatio fraudulenta, esto valida sit, non præiudicat expectanti. Secus vero est in præsenti casu, vbi renuncians beneficio, quod times ob delictum tibi esse auferendum. Nam esto noceas impetranti illud in euentum priuationis; quia impedis, vt purgetur conditio, sub qua ei concessum est. Non tamen ex hoc nocumento, quod per accidens sequitur, impediri potes iure quod habes renunciandi: & ita tenet Couarru. *in dicta Clement. si furiosus. de Homicidio 2. part. §. 3. num. 7.* Plaza *de delict. cap. 11. num. 10.* & aliis relatis Garcia 11. *part. de benefic. capit. 3. numero 84.*

12 Secundo extendenda est supradicta doctrina ad renunciationem ex causa permutationis; si quidem delictum non impedit, quin beneficium resignandum, & permutandum tuum sit. Quod si dicas impedire delictum commissum, quod nouiter beneficium acquiras, quia te infamem, & irregularem constituit, & consequenter impedire resignationem ex causa permutationis, quia hæc consistit in depositione proprij beneficij, & acquisitione alterius. Facilè respondere poteris, si aduertas non quodlibet crimen, ob quod beneficio priuandus venis, te constituere infamem, & irregularem, ac proinde neque incapacem beneficij acquirendi: sed gratis concesso quod nouiter beneficium non acquiras, non inde infertur resignationem ex causa permutationis non valere, quia qui tecum beneficium permutat, in culpa non est, quominus tibi beneficium transferatur, ac proinde tibi imputari debet, quod beneficium de nouo non acquiras. Ergo resignatio debet subsistere: & ita tenet, aliis relatis, Garcia *dict. 11. p. de benef. cap. 3. à numer. 67.*

13 Maior difficultas est de beneficiis, quibus ipso iure priuatus es ob delictum, an inquam hæc ante sententiam declaratoriam criminis possis resignare, & permutare? Sed huic difficultati, *tract. 4. de fide. disp. 4. punct. 5.* satisfecimus: ibi enim diximus, attenta communi sententia, nec resignari in fauorem, nec permutari posse, quia sunt Sedi Apostolicæ reseruata: sed concesso quod resignari possint, aut permutari, eo quod ante sententiam declaratoriam criminis non videaris titulo, neque dominio beneficiorum priuari. Facta tamen declaratione resignatio, & permutatio facta rescinditur, & nulla tedditur, ac si à puncto commissi delicti nulla fuisset declarata. Sic vltra relatos ibi tenet Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 35. num. 190.* Aduertit tamen Garcia 11. *p. de benef. c. 3. num. 117.* horum beneficiorum resignationem validam esse, si fiat in fauorem ex clausulis generalibus apposi solitis, siue præmisso, siue alio quouis modo vacet, dummodo alteri non sit ius quæsitum in tali beneficio. Nam vetum est vacare beneficium ex resignatione, vel alio modo, scilicet priuatione; neminique esse ius quæsitum.

§. III.

Qui possint beneficia renunciare.

1 *Omnibus licet beneficia renuntiare.*
2 *Excipitur clericus in sacris, si non habet aliunde vnde commode viuat.*
3 *Secundo excipitur infirmus, nisi post resignationem approbatam vixerit 20. dies ex reg. Cancell.*
4 *Neque sanus, nisi illud tempus viuat, resignare poterit.*
5 *Comprehendit dicta regula quemlibet exemptum.*
6 *Et quamlibet resignationem, seu cessionem.*
7 *Esto coram legato Pontificis fiat.*
8 *Et cuiuscunque beneficij sit.*
9 *Item esto resignatio facta sit per procuratorem.*
10 *Qualiter dies computentur.*
11 *An reputari debeant incepti pro completis.*
12 *Minor 25. annis non prohibetur resignare.*
13 *An concedenda illi sit restitutio in integrum.*
14 *Trident. decretum sess. 25. c. 10.* de regularib. *habeat locum in resignatione beneficiorum facta à nouitio. Affirmant plures.*
15 *Probabilius est oppositum.*
16 *Quid dicendum, si non habeas aliunde, ex quo viuere possis, vel fuisti ad illius titulum ordinatus.*
17 *Ante susceptionem habitus non potes beneficium resignare, si aliunde non habes vnde viuas, vel fuisti ad illius titulum ordinatus.*
18 *Proximus professioni bene poteris.*

1 REgula est per se omnibus licere beneficia resignare iusta causa intercedente, nisi specialiter prohibeantur, quia cuilibet datum est suo iuri sponte cedere. Quapropter videndum est quibus à iure prohibeatur resignatio, vt inde constet quibus licita resignatio sit.

2 Primo prohibetur resignatio beneficij clerico in sacris constituto, si non habet aliunde, ex quo spectata eius qualitate decenter sustenteretur, tametsi ad illius beneficij titulum non fuerit ordinatus. Habetur expresè in constitutione Pij V. *3.* quæ incipit, *Quanta Ecclesia Dei*, Et licet hæc constitutio solum de resignatione facta coram ordinario loquatur, habet tamen locum in resignatione in curia, vbi nulla resignatio admittitur, nisi cum clausula, quod resignans habeat vnde commode viuere possit. Quod qua ratione intelligendum sit, arbitrio prudentis relinquitur spectata resignantis qualitate. Sic Garcia 1. *par. de benefic. cap. 5. n. 198.* Aloysius Riccius *resolut. 272. in fine.* Augustt. Barbosa *alleg. 19. n. 40.*

3 Secundo infirmo prohibetur resignare, permutare, aut quouis modo cedere beneficio, nisi post resignationem, cessionem, seu depositionem à iure approbatam 20. dies superuixerit: sic ex *regul. Cancell.* regula de infirmis beneficia resignantibus. Quæ sic se habet. Item voluit Sanctissimus D. N. Papa, quòd si quis in infirmitate constitutus resignauerit aliquod beneficium siue simpliciter, siue causa permutationis, siue aliàs dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficij vnionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, cum esset sanus signatæ, & postea infrà vigenti dies, à die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, ac ipsum beneficium quauis authoritate conferatur per resignationem hujusmodi facta, collatio huiusmodi nulla sit, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare. Hactenus regula, quam sic explicat Rebuff. *3. part. prax. beneficial. tit. de resign. variæ personæ.* Flamin. Paris. *lib. 12.* Azor. *2. part. lib. 7. c. 28.* Iure communi omnibus concessum erat beneficia quouis tempore resignare, cedere, aut permutare; at ne fraudibus locus detur, ne beneficia quasi bona temporalia consanguineis relinquantur, merito Bonif. VIII. & reliqui Pontifices successores statuerunt, ne cessiones, resignationes, aut beneficiorum depositiones illo tempore factæ firmitatem haberent.

4 Circa quam regulam breuiter aduerto, etsi loquatur de infirmo resignante, iam ex stylo, & praxi recepta, intelligi debere de quolibet etiam sano beneficium resignante, quod indicant illa verba, quæ in regula multis abhinc annis sunt addita, ibi, *etiam vigore supplicationis dum esset sanus signatæ*; & notauit Flamin. *lib. 12. q. 6. n. 7.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 7. cap. 28. quæst. 3.*

5 Secundo hæc regula comprehendit quemcunque resignantem, quantumuis exemptum, etiam si sit Episcopus, Archiepiscopus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Quia regula signo vniuersali vtitur, ibi, *si quis in infirmitate constitutus.* Flamin. *quæst. 4. num. 6. 14. & 21.* Rebuff. *glos. 1. num. 4.* Azorius *quæst. 2.*

6 Tertio

6 Tertio se extendit ad quamlibet resignationem ; cessionem , seu depositionem beneficij ibi ; *resignauerit siue simpliciter, siue ex causa permutationis , siue alias dimiserit.* Rebuff. *gloss.4.num.5.* Mandos. *in hac reg. quæst.13.* Azor. *quæst.4.* tametsi Ludouicus Gomez. *reg. de infirmis. q.19. per totam* Gonzalez *gl. 14. num. 57.* censeant contrarium ex æquitate & benignitate approbandum esse.

7 Quarto habet locum, esto resignatio, cessio , seu depositio beneficii coram ordinario , vel legato Pontificis fiat. Quia regula non limitauit ad resignationes in curia. Et ratio finalis, ob quam constituta est, æquè in resignationibus coram ordinario , ac in curia procedit; & ita tenet , referens bis in Rota sic fuisse iudicatum, Gomezius *quæst.26.* post Cassadorum *decis.33.* Azor. *t.4.*

8 Quinto comprehendit quæcunque beneficia cuiuscunque qualitatis, siue reseruata sint, siue non, esto sint iuris patronatus; colligitur ex illis verbis *si quis aliquod beneficium* docet aliis relatis Azorius *quæst.6.*

9 Sexto se extendit ad quamlibet resignationem , etiam per procuratorem factam , quia resignans per procuratorem , verè ipse resignat. Flamin. *lib.11. de resignat. quæst.5. num 36.* Az. *dicti. lib.7. cap 28. quæst.15.*

10 Septimo computandi sunt illi 20. dies , quibus debet resignans superuiuere à die quo resignationi à superiori approbatæ præstitit resignans consensum, ita vt ipse dies resignationis, & dies obitus debeant ad numerum 20. complendum computati. V.g. resignasti primo Ianuarij hora octaua, decessisti 21. eadem hora , tenet resignatio. Quia enumeratis diebus , resignationis , & obitus : viginti dies post factam resignationem superuixisti. Quod autem dies resignationis, & dies obitus debeant in numero 20. computari , docet Mandos. *quæst. 18. num.3.* Flamin. *dicto lib 12. q.8. n.14.* Azor. *q.7.* Nã licet dies termini non computetur in termino , *leg. cum qui. §. planè. ff. de verbor. obligat.* id verum habet in odiosis, secus in fauorabilibus si enim intra 20. dies obligatis soluere, dies obligationis, & dies solutionis non computantur, quia tunc non interest vt computentur. At in præsenti casu interest resignanti, vt dies resignationis, & dies obitus computentur in illo numero 20. Ergo debent computari.

11 Sed grauior dubitatio est: an hi dies resignationis & obitus debeant computari naturaliter, ita vt incepti pro completis habeantur , an de momento , in momentum ? Nam si incepti pro completis habentur, si beneficium resignasti die prima Ianuarij hora 8. ante meridiem & mortuus fuisti 20. die mensis etiã ante horam 8. resignatio subsistet , quia absolutè dies superuixisti. Quod autem dies inceptus pro completo haberi debeat, probat *lex qua ætate. ff. de testam.* vbi testamenti facti fauore decernitur eum diem, quo testatori impletur ætas ad testandum sufficere esse inceptum : & tradit Glossa *leg. inceptum. §. minorem. verbo momentum prope finem. ff. de morib.* Bar. *ibi num. 2.* Bald. *in fine* Sed omnino tenendum est non esse computandum diem inceptum pro completo. Quia quoties à lege fit computatio per dies, sumitur dies de momento ad momentum , ita vt si primo die Ianuar. hora 8. ante meridiem beneficium resignasti , debes decedere 21. illius mensis hora 8. ante meridiem, vt resignatio teneat : aliàs si ante illum diem , & horam decedas, non tenet resignatio , sed vacat beneficium per obitum, & non per resignationem ; sic expressè Flamin. *l.11. de resignat. q.8. n.26.* Azor. *2. p. instit. mor. lib.7. cap.28. q.7.* & in simili tradit Anton. Gomez. *leg.70. tauri, numero 25.* Thom. Sanch. *lib. 2. de matr. disp.24. num.16 & 22.* Probatque *lex. 3. §. minorem de minorib.*

12 Tertiò videtur prohibitus resignare minor 25. annis absque authoritate tutoris, ex eo quod hæc resignatio est quædam alienatio quæ minoribus absque authoritate tutoris est interdicta, Sed dicendum est minorem 25. annis , & maiorem 14. posse propria authoritate beneficia resignare , sicut & ea potest accipere. Nam in causis spiritualibus , & ab eis dependentibus minor 15. annis pro maiore habetur, vt tradit Glossa communiter recepta *in cap. ex parte. verbo quamuis minor. de restit. spoliat.* Flamin. *l.3. q.7.* Azor. *2. part. instit. lib.7. cap.20. q.9.* probatque *text. in cap. si annum. de iudicis in 6.*

13 Sed an sic resignanti restitutio in integrum concedatur grauis est controuersia quam latè tractat Couarruu. *lib.1. var. cap.5. per totum*, firmatque *à num.* 3. dari minori restitutionem in integrum , non solum quando res est integra , scilicet quando beneficium non est alteri collatum, sed etiam si alteri collatum sit. Nam nullibi habetur. hanc restitutionem esse exceptam, & generale est minori grauiter læso restitutionem concedendam fore. Neque obest, quod minor in spiritualibus , vt maior procedat, quominus si læsus ibi fuerit , restitutio non concedatur. Quia agere potest vt maior in iudicio possessorio, & tamen si in eo lædatur , habet auxilium restitutionis. ; vt ex pluribus doctoribus firmat Couar. *lib.1. var. c.5. n.8.* Cæterum ego existimo , nullam esse restitutionem concedendam. Nam vel resignationem fecit ex causis à iure expressis, & approbatis vel nõ. Si resignatio facta est ex causis à iure approbatis, vt quia duo beneficia habebat quorum quodlibet erat sufficiens ad se commodè substentandum, vel in fauorem consanguinei , aut amici , aut cum reseruatione pensionis resignauit; vel quia matrimonium volebat contrahere ; aut religionem ingredi , non potest restitui. Quia in his casibus allegare non potest læsionem cum iustissima fuerit resignatio; & beneficium restitutionis minori conceditur tantum si fuerit læsus. *leg. Nam omnia. Cod. de minorib. & leg. minoribus. Cod. de restitut. integrum.* sic expressè Azor. *2. part. instit. moral. l. 7. cap.20. quæst.9. circa finem.* Verum si ab que vlla causa iusta resignationem fecit resignatio nec valet, nec admittitur. Quomodo ergo auxilium restitutionis implorare potest, cum restitutio locum non habeat , nisi vbi fuerit translatum dominium.

14 Quarto interdici videtur resignatio religioso nouitio, nisi seruatis conditionibus statutis à Trident. *sess.25. cap.16. de regularib.* ibi enim concilium quamlibet renunciationem , aut obligationem ante professionem factam. etiam cum iuramento, & in fauorem causæ piæ annullat , nisi fiat intra duos menses proximos professioni . & cum licentia Episcopi , seu eius vicarii, & de facto professio subsequatur. Quod decretum habere locum in renunciatione beneficiorum defendit Maiolus *l.3. de irregularit. cap.6. post num.1.* Flamin. *de resignat. lib.3. quæst.13. à num.4.* Azor. *2. part. instit. mor. l.7. cap.20 quæst.6.* Thom: Sanch *lib.7. in decal. cap. num.19* Mouentur , quia eadem prorsus ratio militat in renunciatione beneficiorum ; ac in renunciatione bonorum temporalium : sed renunciatio bonorum temporalium facta à nouitio inualida est non seruatis supradictis conditionibus, Ergo & beneficiorum resignatio. Deinde concilium generaliter loquitur, ibi. *Nulla quoque renunciatio , aut obligatio.* Ergo comprehendit beneficiorum renunciationem.

15 Nihilominus verius existimo supradictum decretum locum non habere in beneficiorum resignatione: sic tenet Garcia *de benefic. 11. part. cap.9. à n.12.* Augustt. Barbosa *allegat 99. n.19* Moueor ; quia à iure antiquo recedendum non est, nisi ex iure nouo expresso, sed ius antiquum concedebat nouitio beneficiorum resignationem. *cap. beneficium de regularib. in 6* ibi *nisi ad id nouitij accedat consensus. & cap. ex transmissa. de renunc.* Ergo ab hoc iure recedendum non est, nisi nouum expressum adsit. At nouum ius Tridentin. non exprimit beneficiorum resignationem, imo potius clarè innuit de sola renunciatione bonorum temporalium loqui: loquitur namque de resignatione, quæ in fauorem causæ piæ fieri potest , ibi : *etiam in fauorem causæ piæ.* Ergo non de beneficiorum renunciatione , quæ in fauorem causæ piæ non renunciantur.

16 Sed quid si non habeas aliunde ex quo viuere possis, & præcipuè si ad illius titulum fuisti ordinatus ; Manuel *2. tom. Summ. cap.7. à num.3.* existimat huius beneficij resignationem admitti non posse etiam seruata solemnitate concilij *dicti cap. 16.* eo quod in *cap.2. sess. 21. de reformat.* expressè prohibetur hæc renunciatio. Flamin. vero *lib.3. de restit. quæst. 13. num. 9.* dicit admittendam non esse hanc renuntiationem , nisi habita professionis certitudine , qualis esset. si iam proximus esses ad professionem. & à monachis admissus, ita vt moraliter loquendo professio ineuitabiliter sequatur. At Thom. Sanch. absolutè dicit seruatis conditionibus relatis *in cap.6. sess.25. de regularibus.* fieri hanc renunciationem posse facta mentione quod ad alius titulum fuisti ordinatus quia tacitam habet conditionem, vt professio sequatur, illâque non sequuta reddatur nouitio, etiam si alteri fuerit collatum.

17 Ego vero dicendum existimo, primo ante susceptionem habitus te non posse beneficium resignare , si ad illius titulum fuisti ordinatus vel non habeas ex quo viuere possis. Quia hæc resignatio prohibetur à Trident. *in cap.2. sess.21. de reformat.* sic pro certo supponit Augustt. Barbosa *allegat. 99. num.20.* Ludouic. de Miranda *in man. prælat. tom.1. quæst.23. art.2.* Garcia *11. part. de benefic. cap 9. à num.23.* Dices in constitutione illa Pij V. superius relata conceditur facultas ordinariis admittendi resignationes ingressuri religionem , vel matrimonium contracturi. Ergo ob hiuiusmodi causam admitti potest resignatio etiam si aliud non habeas , ex quo sustentari possis. sic Flamin. Paris. *lib.5. q.vlt. n.166. & seqq.* Additque beneficium conferendum non esse , quousque professio subsequatur, quia vsque tunc non censetur vacare

Sed non est recedendum à priori sententia , quia constitutio Pij V. æquiparat ingressuros religionem eum matrimonium cõtracturi, decernitque eorum resignationes ob has causas admitti non debere ; nisi re ipsa religionem ingrediantur, & matrimonium contrahant. Loquitur ergo pontifex de ingressu per professionem sicut de matrimonio contracto per verba de præsenti. Quia solus hic ingressus sicut & matrimonium , inducit beneficiorum vacationem; sic tenet Garcia *11. part. de benefic. cap.9 numer. 24.* approbans in hac parte quod docuit Manuel Rodriquez *tom. 1. regular. quæst. 37. art. 2.* nempe nouitium non posse resignare beneficium nisi quando iam esset in procinctu ad professionem & omnia essent ita disposita vt moraliter professio impediri non possit. Adde in hac parte constitutionem Pij V. non videri intelligi posse de beneficio , ad cuius titulum fis ordinatus ; quia post ordinationem in

sacris non est aditus ad matrimonium, cuius contractum æquanimiter cum religionis ingressu Pontifex comparat

18 Secundo dico nouitium proximum professioni optimè posse beneficium renunciare siue absolutè coram ordinario: siue in fauorem coram Pontifice, tametsi alioquin non habeat vnde viuat, vel ad illius titulum fuerit ordinatus facta huius qualitatis mentione. Hoc mihi persuadet praxis harum resignationum communiter recepta. Durum namque esset priuare nouitium potestate resignandi, & cogere vt permittat professione secuta beneficium vacare. Neque inde fit nouitium, si aliquo casu contingenti professionem non emittat, esse priuandum beneficio. Quia illa renunciatio non habet effectum, quousque professionem emittat; sicuti renunciatio contracturi matrimonium facta coram ordinario ob hanc causam coram ordinario non habet effectum, quousque de facto matrimonium contrahatur; ac proinde ordinarius nec prouidere beneficium potest, nec valebit eius prouisio; quia non purgatur conditio imbibita ex iuris dispositione in renunciatione, & consequenter nunquam beneficium vacabit.

§. IV.

An per procuratorem possit resignatio fieri.

1 *Per procuratorem fieri resignatio potest.*
2 *Hic procurator potest esse laicus.*
2 *Forma constituendi procuratorem.*
3 *Non habet à iure tempus determinatum ad præstandum consensum.*
5 *Sed an procuratoris consensus trahatur ad diem, quo mandatum acceptt; Affirmant aliqui: Sed non probo.*
6 *Consensus procuratoris excedere mandatum non debet.*
7 *Si mandatum dedisti ad resignandum, reseruatis omnibus fructibus, & procurator integrè conditionem non seruauit, non valet resignatio.*
9 *Idem existimo, si mandatum dares ad purè resignandum, & procurator sub conditione resignauit.*
9 *Procuratoris potestas morte mandantis finitur.*
10 *Item finitur reuocatione mandantis.*
11 *Qualiter hæc reuocatio.*
12. *Beneficium resignatum vacat eo loco, quo resignatio non fit, quo datum est mandatum.*

1 COnstans est omnium sententia resignationem fieri per procuratorem posse. Nam generale est tepotse facere per alium, quod per te ipsum facere potes, nisi expressè prohibearis ex *l. Labeo ff. de vsucapionib.* Nullibi autem es prohibitus resignationem facere per procuratorem, nisi in Romani curia commoreris, cum resignationem facis. Ergo in omnibus aliis casibus licitum tibi est ad resignandum procuratore vtisic ex omnium sententia tradit Rebuff. *prax. beneficial. 3. p. tit. de procurator. ad resignandum constitutis, num. 1.* Assistens verò in Romana curia prohibitus es per alium præstare consensum, ex *reg. Cancell. 40.* ibi *Apostolica littera nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens sit præsens, vel in Romana curia fuerit personaliter, alioquin per procuratorem consensum præbeat.* Sic Garcia *de pensionib. q. 12.* Azor. *2. p. lib. 7. cap. 21. q. 8.*

2 Hunc procuratorem constituere potes, esto laicus sit Quia nomine alieno, & non proprio resignat. Sic Glossa Cardin. & alij *in Clement. verbo procuratorem: de renunciat.* Rebuff. *3. p. prax. benefic. tit. de procuratore ad resignandum constituto, n.* Azor. *q. 2.* Adde & monachum in procuratorem constituere potes, si superior consentiat. Qui tamen consentire non debet, nisi in vtilitatem conuentus cedat resignatio. Quia *in cap. Monachi 2. 16. q. 1.* cauetur ecclesiastica negotia monachos tractare non posse, nisi monasterio vtile sit & Abbas præcipiat, Glossa *in suprad. Clem.* Rebuff. *num. 17.* Azor. *q. 3.* Item potes non solum vnum, sed plures simul designare, aut singulos in solidum prout tibi placuerit: sic Gloss. *in dict. Clem.* Si autem plures designes simul, vnus sine altero cedere non potest, non tamen est necessarium, vt simul consensum præbeant, sufficit, si vnus post alium; quia nullibi contrarium cauetur: si autem quoslibet in solidum designes, quilibet cedere potest: sic Flamin. *lib. 9. q. 3. n. 27.* Azor. *dicto lib. 7. cap. 22. quæst. 4.* Item idem procurator potest à duobus compermutantibus eligi, quia nulla apparet contradictio, quod vtriusque personam repræsentet, & vtriusque nomine beneficia dimittat, & recipiat: sic aliis relatis Azorius *2. part. lib. 7. cap. 24. quæst. 24.* Nunquã tamen eligere poteris procuratorem ad recipiendum beneficium & illud dimittendum, quia ante adeptionem beneficii illud dimittere non potes. Ergo nec potes potestatem concedere dimittendi. Azor. *suprad. q. 24.*

3 Forma constituendi procuratorem est vt mandatum scriptum sit à publico tabellione, seu notario, & obsignatum signo publico iudicis ordinarii; & tale mandatum recognoscatur ab ipso, qui mandat, & à tabellione subscribatur: insuperque in mandato contineatur expressè facultas ad resignandum, & beneficia, quæ resignari debent. Rebuff. *dict. 3. part. tit. de procuratoribus n. 8.* Flamin. *q. 7* Azor. *q. 6.* Nunquam tamen ex generali mandato etiam cum plena, & libera administratione, censetur ad resignandum constitui, sicut neque ad donandum *l. procurator. cui. ff. de procuratoribus & c. 2. eodem tit. in 6.* Sic Azor. & Rebuff. *supra.*

4 Procurator verò constitutus non habet à iure tempus determinatum ad præstandum consensum resignationi, sed interim dum à mandãte non reuocatur, consensum præstare potest Flamin. *d. lib. 9. q. 13.* quamuis non desint, qui dicant post quadriennium finiti mandatum, & in Francia post annum non admitti. Prouinciarum ergo consuetudo spectanda est. Vnum tamen est certum, si supplicatio signata sit, debere procuratorem ante sex menses consensum præstare, vt sic possint litteræ expediri, & iuxta constitutionem Gregorij XIII de publicandis resignationibus publicari, Azor. *dicta 2. p. lib. 7. cap. 22. q. 9.*

7 Sed an procuratoris consensus trahatur ad diem quo mandarum dedisti ad resignandum; Affirmat Flamin. *lib. 9. quæst. 15. n. 1. & sequentibus.* Azorius *quæst. 10.* Mouentur, quia ab eo die censeris beneficium pro detelicto habere. Ex quo infero quod si Titiusin mense Augusti procuratorem constituit, & idem Titius mense Septembri penes ordinarium loci beneficio cessit, & mense Octobri vi mandati Caius procurator beneficium resignauit, valeat resignatio per procuratorem facta, licet posterior, quia retrotrahitur ad diem, quo Titius tradidito mandato Caium constituit procuratorem. Sed hæc mihi non probantur. Non enim beneficium vacat, cum procuratorem constituis; ergo non potes censeri beneficium relinquere. Deinde retrotractio non admittitur in reliquis actibus à procuratore factis. Ergo neque in resignatione beneficiorum est admittenda, cum non habeat in iure aliquod speciale fundamentum. Hincque aduersus supradictam illationem infero, Titium cõstituentem Caium procuratorem mense Augusti, & mense Septembris eundem Titium beneficium resignantem, valere eius resignationem, cum mense Octobris Caius resignat. nullam esse illius resignationem. Tum quia per resignationem Titij cessauit eius mandatum. Tum quia facta Titij resignatione, quæ valida fuit, cum ex constituto procuratore non impediatur resignare, non habet Caius quid resignet.

6 Deinde consensus à procuratore præstitus excedere mandatum non debet. Quia nomine proprio non agit, sed alieno, & per mandatum ei potestas communicatur: sic omnes doctores, probatque *textus, in cap. cum dilecti. de rescript. cap. cum olim. de officio iudicis deleg. leg. diligenter. ff. mandati.* Hinc fit constitutum procuratorem ad resignandum in fauorem Titij, non posse in fauorem Caij resignare? neque constitutum ad resignandum cum reseruatione pensionis, posse absolutè resignare, vel resignate reseruatis fructibus, quia non seruat formam mandati. Idem est si constitutus ad resignandum coram ordinario resignet coram Pontifice, aut econtra: sic Flamin. & *dicto lib. 9. q. 17. per totam.* & Azor. *2. p. lib. 7. cap. 22. q. 22.* vbi pluribus aliis exemplis hanc communem doctrinam exornant.

7 Solum est dubium: an si procuratorem constituit ad resignandum reseruatis omnibus fructibus, ipse vero reseruata parte fructuum, seu pensione resignauit, teneat resignatio? Et idem est, si fuit constitutus ad resignandum cum reseruatione regressus, accessus, vel ingressus; seu coadiutoriæ teneat resignatio omissa hac conditione; Affirmat Flamin. *dicta q. 17. & num. 10.* Azor. *dicta q. 12.* dummodo per procuratorem non steterit quominus resignatio cum illa conditione fieret. Quia illa conditio, cum difficilis sit & à Pontifice soleat repelli; non videtur mandatarius ad illam arctari, sed solum obligari ad illam procurandam.

Cæterum contrarium verius censeo cum aliis relatis à Flamin. *supra.* Quia esto supradicta conditio difficilis sit concessu? ac sæpè conceditur, & sub illa, & non aliter est procurator constitutus; ergo illam omittere non potest. Deinde resignatio, in qua pars fructuum, seu pensio reseruatur, diuersa omnino est à resignatione cum reseruatione omnium fructuum, & resignatio simplex, & absoluta longè diuersa est à resignatione cum reseruatione regressus. Ergo ex facultate ad resignandum reseruatis omnibus fructibus non potest inferri facultas ad resignandum cum reseruatione pensionis, neque ex facultate ad resignandum cum reseruatione regressus facultas ad simplicem resignationem.

8 Econtra dubitare potes, si mandatum dedisti ad purè & simpliciter beneficium resignandum coram Pontifice, & mandatarius resignauit reseruata pensione, vel fructibus, teneat resignatio; Affirmat Azor. *dicta q. 12. fine.* Quia in ea resignatione vtiliter mandatarius tuum negotium facit. At verius credo resignationem non valere; quia ad resignationem conditionalem non dedisti mandatum. Neque dici potest mandatarius mandatum excedens vtiliter mandantis negotium gerere, cum non ex voluntate mandantis procedat.

9 Rursus procuratoris potestas morte mandantis finitur. Quia cum non agat nomine proprio, sed alieno ex cessante cessat, habetur expressè *clem. vlt. de procurat.* & tradit, Glossa com

niter recepta *in clement. 1. de renunciat.* Quod intelligendum venit dummodo res sit integra. Nam si per procuratoré cepta sit ad effectum illam perducere poterit ex *leg. nam & Seruius. ff. de reg. iuris.* Ex quo fit, si resignator pro resignatione supplicauit, & supplicatio fuit à Pontifice signata, & à datario recognita, viuo resignante, posse eo mortuo consensum in Cancellaria, vel Camera Apostolica præstare, vt litteræ expediantur, & possessio capi possit. Quia ante mortem resignantis fuit gratia facta, & ius resignatario quæsitum, & ille consensus postea succedens retrotrahitur ad diem admissæ supplicationis, sic Flamin. *l. 9. q. 24. n. 14.* Azor. *2. p. instit. moral. l. 7. c. 22. q. 13.*

10 Secundo finitur procuratoris potestas reuocatione mandantis, vt est expressa decisio *text. in clem. 1. de renunciat.* Quæ reuocatio & potest esse tacita, vel expressa. Tacita est, si alium procuratorem designes, eius enim electione censeris præexistentem reuocare, non reseruato primo, vt expressè decidit *in c. non iniustè, de procuratorib.* ibi: *dato posteriori prioris esses procuratio reuocata*, & tradit ibi Gloss. *verbo cum aliis, & clem. 1. de renunciat. verbo quomodolibet.*

11 Vt autem tacitè, vel expressè procurator censeatur reuocatus, debes reuocationem illi denunciare, vel saltem teneris coram illo superiore apud quem resignatio facienda est, publicare reuocationem: quia hæc publicatio æquiualet personali denunciationi. sic *in supradicta clement. 1. de renunciat. & ibi glossa.* Quapropter si procuratorem ad resignandum in curia constituisti. & velis coram superiore, apud quem resignatio facienda est, reuocationem publicare, teneris reuocationem denunciare in Cancellaria, & Camera Apostolica; quia vtroque loco litteræ Apostolicæ resignationem expediuntur. sic cum Flamin. *l. 9. quæst. 26. per totam.* tradit Azor. *dicto l. 7. cap. 2. q. 14.* Si autem procurator solùm litteras missiuas accipiat à mandante, ne vltra in resignatione procedat quousque moueatur; tamesi ex hac cautione non sit reuocatus, est tamen eius officium suspensum, ac proinde nihil vltra agere potest, quia agit contra voluntatem domini. Quod verum habet, etiamsi supplicatio signata sit, & à Datario recognita, & solum desideretur in Cancellaria, vel Camera Apostolica consensus, adhuc, inquam, hunc consensum præstare non potest, critque attentatus, si de facto. Flamin. *quæst. 28.* Azor. *quæst. 14. in fine.* Aduerto tamen, si malitiosè à procuratore, vel superiore impediaris, quominus possis eis reuocationem denunciare, procurator reuocatus censetur, ac si ipsi reuocatio intimata fuisset, vt decidit *textus in clem. 1. de renunciat. in fine.* Et addit Glossa *verbo eorū alterum.* Hoc verum esse, esto vni eorum intimati reuocatio posset. Quod textui non videtur conforme. Inquit enim textus, *teneat cessio facta per eum, antequam ad ipsius, vel illius (in cuius manibus cessio fuerat facienda) notitiam reuocatio huiusmodi sit deducta.* Nisi forte per ipsos aut alios malitiosè factum fuerit, quominus ad eos, vel eorum alterum ante cessionem potuerit reuocatio peruenisse. Ergo si non ita fuisti impeditus, quin potuisses alteri eorum, scilicet procuratori, vel superiori reuocationem denunciare, cessio facta tenebit, & reuocatio non habebit effectum.

12 Tandem inquires, quo in loco censeatur beneficium resignatum vacare, an in loco, quo mandatum concedis ad resignandum, an in loco, vbi resignatio fit? Aliqui censent ibi beneficium vacare, vbi beneficiarius mandatum dedit; quia virtute mandati se beneficio priuat. Alij verò censent beneficij vacationem vbi beneficiarius existit, attribuendam esse. Quia beneficij vacatio sita est in eo, quod beneficium domino careat; ergo vbi caret domino ibi beneficium vacat, sed caret domino vbi dominus illud admittit. Ergo vacat ibi, vbi dominus existit. sic Imola *c. vltim. de rerum permutatione in 6.*

Cæterum tenenda est communis sententia, quam pluribus, relatis firmat Flaminius *lib. 9. quæst. 14.* & Azorius *2. part. lib. 7. cap. 21. q. 15.* Gonzalez *glos. 15. §. 2. num. 11. & glos. 13. in prine. num. 42. & 43.* beneficium eo loco vacare, quo resignatio fit. Nam cum per resignationem formaliter vacet, ibi vacare censendum est, vbi resignatio perficitur, mandatum vero ad resignandum non est resignatio, nec vacatio, sed est causa resignationis, & vacationis. Non ergo loco mandati, sed loco resignationis vacatio tribuenda est. Neque etiam tribuenda est loco vbi beneficiatus existit. Quia eo loci non est forma vacationis, scilicet resignatio, ac proinde ibi non potest esse vacatio. Neque obstat ibi dominum carere beneficio, quia caret per dimissionem, & vacationem alibi factam.

§ V.

De conditionibus requisitis ad resignationem.

1 *Duplex conditio expostulatur ad resignationem. & de qua in præsenti agendum est.*
2 *Resignatio ex metu cadente in constantem virum caret robore firmitatis.*
3 *Plures firmant esse nullam ipso iure.*
4 *Ope exceptionis esse recidendam verius existimo.*
5 *Satisfit oppositis fundamentis.*
6 *Resignatio beneficij quo ex spoliatus, venit rescindenda.*
7 *Apponuntur aliquot limitationes.*
8 *Renuntiatio dolo facta nulla est.*
9 *Ex stylo curiæ debet beneficium resignandum saltem triennio possideri.*

1 DUplex conditio ad resignationem expostulatur. Prima vt libera sit, hoc est absque metu, & fraude. Secunda vt sit pure, hoc est absque vlla labe simoniæ. De hac secunda conditione latè egimus *tract. de vitiis relig. oppositis, disp. vlt. à punct. 17.* Prima ergo conditio in præsenti examinanda est.

2 In qua certum est resignationem metu cadente in constantem virum factam firmitatis robore carere, tametsi iuramento firmetur, sic Innocent. III. *in cap. ad audientiam de his quæ vi. c. ad aures. eod. tit. c. redintegranda. 3. q. 1.*

3 Solum est dubium an sit nulla ipso iure, an ope exceptionis. Nullam esse ipso iure firmantur plures doctores, quos refert Flamin. *lib. 13. de resignat. q. 2. n. 1.* & Nauarr. *in c. accepta. de restit. spoliat. oppos. 5. salut. 1.* ipseque asserit huic sententiæ multo tempore adhæsisse. Mouentur primo. Quia renunciatio metu facta non impedit beneficij restitutionem, vt constat ex *c. ad audientiam. cap. ad aures. de his quæ vi.* at si ipso iure valeret, hanc restitutionem impediret: ideo enim spontanea resignatio impedit beneficij restitutionem: quia ipso iure valet. Ergo si renunciatio coacta valeret, impediret restitutionem. Et confirmo. Restitutio beneficij dari non potest, vbi nullus titulus etiam coloratus concedi potest: at si resignatio coacta teneat, nullus titulus etiam coloratus relinquitur in resignante. Ergo nulla ratione restitui potest. Secundo si textus de resignatione meticulosa loquentes expendantur, hanc nullitatem ipso iure indicare videntur. Nam *textus in cap. ad audientiam.* inquit eam renunciationem robore firmitatis carere debere. Ergo non est valida: nam quæ valida est, robur habet firmitatis. Deinde in *c. ad aures. eod. tit. de his quæ vi.* dicitur renunciationem ex metu factam non obstare, quin is qui ad regimen Ecclesiæ prius fuerat electus, præficiatur eidem: quod non videtur posse esse verum, si valida esset resignatio, & ius in alium esset translatum. Item *in clement. multorum de pœnis*, inquit Pontifex resignationes factas à coniecto in carcerem, donec id faciat, nullius omnino decernimus esse firmitatis. Quæ verba nullitatem ipso iure clarè indicant. Tertio probari potest nullitas resignationis à simili. Electio namque metu facta est ipso iure nulla, *cap. vbi periculum. §. caterum. de electione. in 6.* & tradit Glossa *in cap. bona. 1. de electione.* & Innocent. *in c. quod sicut, de electione.* Ergo etiam renunciatio. Tum quia contrariorum eadem est disciplina. Tum quia electio agit de iure quærendo, & renunciatio de quæsito perdendo, quod difficilius fieri debet, *argum. cap. dilectus. de sponsalib.* Deinde matrimonium metu contractum est ipso iure nullum, *capit. cum locum. cupit. veniens. de sponsalib.* Item ingressus religionis per metum factus nullus est. *cap. 1. de his quæ vi.* Ergo & beneficij acquisitio, & illius renunciatio.

4 Oppositam sententiam, nempe resignationem metu graui factam validam esse venire tamen rescindendam actione quod metus causa, veriorem existimo cum Glossa, Butrio, Abbate, Cardin. & aliis, quos refert, & sequitur Flamin. *lib. 13. q. 2. num. 8.* Nauarr. *in c. accepta de restit. spoliat. oppos. 5. solut. à n. 7.* Azor. *12. p. instit. moral. l. 7. c. 26. quæst. 2.* Garcia *11 p. de benef. cap. 3. num. 143.* Fundamentum est, quia ea quæ ex metu fiunt, mero iure valent, vt multis allegatis probaui *tract. 2. de peccat. disp. 1 punct. 9.* Sed nullus est textus, qui resignationem beneficij metu factā declaret esse ipso iure nullam, vt ibidem probaui, & ex solutione fundamentorum oppositæ sententiæ amplius constabit, imo potius in *cap. Abbas* dicitur debere in iritum reuocari. Ergo resignatio beneficij ex metu facta valida est, venit tamen rescindenda implorato iudicis officio, vel actione quod metus causa, vt suptad. text. constat.

5 Ad primam ergo rationem oppositæ sententiæ respondeo valorem resignationis meticulosæ non impedire, quin resignans possit restitui; quia esto careat titulo, & possessione beneficij, caret tamen illo ob resignationem coactam, ad cuius rescissionem propter iniuriam ibi imbibitam ius habet: resignatione verò rescissa restituitur ad beneficium. Sed an in hac restitutione noua collatione indigeat, alij affirmant, alij negant. Credo probabilius nouam interuenire collationem, maximè si alteri beneficium collatum esset. Nauarr. *supra. num. 15.* Azor. *c. 26. q. 2. in medio.*

Hinc soluuntur textus allegati in 2. ratione. admitto namque resignationem meticulosam robore firmitatis carere debere, vt dicitur *in cap. ad audientiam*, sed nego inde inferri non esse validam; sed solum infertur non esse validam perpetuo, & irreuocabiliter, cum veniat rescindenda. Qua de causa *in c. ad aures*, dicitur sic resignantem posse beneficio resignato præfici, non, inquam, propria authoritate, sed officio iudicis, rescissione resignationis prius facta. Textus vero *in clem. multorum*, loquitur de speciali casu, in quo non solum resignanti fit iniuria in resignationis coactione, sed etiam fit iniuria Ecclesiastico statui,

eo quod in carcere à potestate laica detineatur. Non ergo mirum est, quod talis resignatio statuatur nulla; imo ex huiusmodi textu non leue argumentum sumitur ad probandum reliquas resignationes meticulosas validas esse, siquidem in aliis textib. non vtitur verbis ita nullitatem declarantibus; nullibi enim diximus; nullius omnino decernimus esse firmitatis: vniuersalis enim negatiua omnem firmitatem excludit. Item verbum *decernimus*, denotat nouum ius induci, iuxta Glossa *in cap. eos. de sententia ex commun. in 6. & clem. fin. de etate. & qualit. & clement. 1. de causa possess. & propriet & clement. 2. de appell. & clement per litteras de præbendis. & clem. 2. de rebus eccles. nõ alienand.* Ad tertium concedo electionem meticulosam esse ipso iure nullam; quia ita expresse in suprad. textu cauetur; sed nego inde inferri renunciationem esse. Quia nec sunt contraria nec est eadem ratio; cum electio ius publicum respiciat, renunciatio ius priuatum. Simile vero de matrimonio, & ingressu religionis non vrget, eo quod sunt status perpetui, & indissolubiles, non autem acceptio, vel renunciatio beneficij.

6 Secundo dubitabis de resignatione facta beneficij, quo ex spoliatus; an inquam, talis resignatio veniat etiam rescindenda? Respondeo rescindendam venire ob præsumptionem coactionis. Nullus enim præsumi potest spoliatus cedere sponte suo beneficio, ex textu expresso in *cap. sollicite. de restitut. spoliat. & ibi gloss. & doctores.* Debet tamen petens restitutionem probare tum spoliationem violentam, tum tempore spoliationis ius saltem coloratum in beneficio habere. Aliàs repelli poterit.

7 Patitur tamen hæc conclusio aliquas limitationes. Prima si coram iudice idoneo, ex cuius præsentia cessare violentia potest, resignationem spoliatus faceres. Quia tunc restitui non deberes, eo quod cesset præsumptio resignationem ex priori voluntate, qua fuisti spoliatus natam esse. sic Abbas *in suprad. c. sollicite num.* 10. Flamin. aliis relatis, *lib. 13. quæst. 5. num. 22.* Azor. *2. p. instit. moral. lib. 7. cap. 26. q. 7.* Secunda limitatio est, an resignatio post spolitationem breui tempore contingat. Nam si post annum facta est, cessat præsumptio violentiæ continuatæ. Flamin. *n. 41.* Azor. *dicta q. 7.* Tertia limitatio est, ne resignatio fiat per procuratorem ante spolitationem sponte electum. Quia ex electione spontanea procuratoris cessat præsumptio, quæ ex spoliatione nascitur. Azor. *supra.*

8 Tertio dubitabis de renunciatione dolo, seu fraude facta, an ipso iure nulla sit, an veniat annullanda? Credo probabilius esse ipso iure nullam. Quia deceptio tollit omni modo libertatem, quam metus diminuit, & probat Glossa *in cap. suggestum. verbo decipiat. 7. q. 1.* Azor. *2. p. lib. 7. c. 26. q. 3. & 4.* Neque obstat *text. in cap. redintegranda. 3. q. 1.* & alij ibi relati à Gloss. vbi dolus, & violentia æquiparantur, quia æquiparantur quoad redintegrationem, ita vt omnia sic dimissa redintegrari debeant, sed diuerso modo: nam ea quæ dimissa sunt ex metu, redintegrantur quodius, & possessionem: quia ius, & possessio amissa est: at quæ dimissa sunt ex dolo, solum redintegrantur de facto, non de iure, quia solum de facto, & non de iure dimissa sunt.

9 Prætet supradictas conditiones ex parte resignantis, alia conditio ex stylo curiæ inducta est pro resignatione beneficiorum residentiam expostulantium, maximè si sint in fauorem, seu sub reseruatione pensionis, nempe vt resignans saltem triennio beneficium possederit. Quapropter tenetur declarare tempus, à quo beneficium habuit. Nam si breue est, non admittitur eius resignatio: Flamin. *de resignat. lib. 3. q. 2. n. 21.* Garc. *11. p. cap. 3. à n. 45.*

Conditiones vero ex parte resignatarij, & beneficij resignati, & superioris admittentis resignationem ex supradictis liquent.

§. VI

De publigatione resignationum

1 *Statuitur regula Cancellariæ.*
2 *Finis huius constitutionis.*
3 *Comprehendit omnia beneficia cuiuscunque sint qualitatis.*
4 *Excipiuntur beneficia consistorialia.*
5 *Comprehendit constitutio quoslibet exemptos etiam Cardinales.*
6 *Et quamlibet resignationem etiam simplicem coram Pontifice factam.*
7 *Esto nulla sit resignatio ex aliqua resignatarij incapacitate.*
8 *Item comprehendit publicatio beneficia resignata vacantia ob non factam publicationem.*
9 *Extenditur ab aliquibus hac publicatio ad coadiatoriam cum futura successione. Sed non admittitur.*
10 *Statuitur tempus, intra quod hæc publicatio facienda est.*
11 *Item locus in quo debet publicatio fieri.*
12 *Item modus publicationis.*
13 *Pœna imposita non publicantibus, aut possessionem non capientibus expenduntur.*
14 *Impetrari possunt beneficia ob non factam publicationem.*
15 *Quali er probandum est factam non esse.*

1 STat regula Cancellariæ de publicandis resignationibus desumpta ex constitutione Greg. XIII. quæ incipit, *Humani iuri.* & est in bullario 87. in ordine, quam curia Romana obseruat, & ad verbum refert Flamin. Paris. *de resignat. lib. 11. in præfat. n. 5.* Quaranta *in summ. bullar. verbo beneficiorum resignatarum publicationem.* Prosper de Aug. *in additionib.* ea, inquam, reuocata est vel in totum, vel magna ex parte constitutio Sixti IV. & Pij V. quarum meminit Azor. *2. p. instit. mor. lib. 7. 24 q. 1.* Gregor. igitur XIII. in supradicta constitutione statuit, omnes resignationes etiam ex causa permutationis, de quibuscunque beneficiis, nec non cessiones litis, & iuriuæ beneficij per cessionarium tempore cessionis non possessi factas in manibus Papæ, & super eis prouisiones, seu mandata de prouidendo publicari debere cum litteris Apostolicis desuper confectis intra sex menses, si ea beneficia citra menses existant, nouem vero menses, si vltra menses extiterint: qui menses numerandi sunt à data prima concessionis gratiæ, non autem à die præfixi consensus. Quod si resignationes, cessiones, &c. etiam ex causa permutationis factæ fuerint extra curiam in manibus legati à latere Episcopi, aut alterius collatoris, tenetur collator intra mensem vel resignationem admittere, vel reiicere, & si illam admittit, intra idem tempus negotium absoluere; alioquin beneficium ad Sedem Apostolicam deuoluitur, & ordinarius ea vice potestate disponendi de beneficio priuatur; ipse vero resignatarius tenetur intra tres menses à die sibi factæ prouisionis eam publicare, & possessionem beneficij capere: publicatio autem facienda est in Ecclesia in qua situm est beneficium, vel in Ecclesiis, si in pluribus sit, & in Cathedrali: si vero beneficium est in cathedrali: ibi est promulgandum: si beneficium sit rurale, quia populo, conuentúque caret, publicari debet in parochiali, intra cuius limites continetur, & in Cathedrali: Quod si locus sit peste, bello, aliove impedimento infectus, publicatio fieri debet in parochiali viciniori. Modus publicationis statuitur, vt fiat cum ad missarum solemnia frequens populus conuenerit, ostensis litteris Apostolicis, vel earum transsumpto, & alta, intelligibilique voce explicatis, tum resignatione beneficij, tum nominibus resignantis, & resignatarij, insuperque vt valuis Ecclesiæ hæc publicatio apponatur. Si beneficium fuerit litigiosum eodem modo publicandum est, & vigore litterarum Apostolicarum apprehendere resignatarius possessionem intra supradictum tempus debet; quod si propter litem, aliudve impedimentum præstare nequiuerit, instare debet apud executorem pro illarum litterarum executione. Tandem subdit Pontifex, his non seruatis gratiam esse irritam, & inanem, nullamque aliam gratiam super huiusmodi beneficio, seu iure cesso iis quibus concessa fuerit suffragari, sed ipsos inhabiles, & incapaces esse ad huiusmodi beneficia quandocunque obtinenda, ipsaque siue iura ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione, etiam si ipsæ aliàs nullæ, aut inualidæ essent vacauisse, & tunc vacare eo ipso.

2 Hæc publicatio statuta est, ne clandestinæ, simulatæ; & fictæ fierent resignationes, neve resignantes ad resignata beneficia redeant, neve ordinarij collatores iure quod habent ad conferendum priuentur, neve parochiani suos pastores, & à quibus debeant sacramenta recipere, & decimas soluere ignorent.

3 Hæc constitutio comprehendit omnia beneficia cuiuscunque qualitatis sint. Quia signum illud vniuersale *quodcunque*, in dicta constitutione appositum hæc omnia complectitur. Præterea id claris verbis Gregor. XIII. explicuit. Inquit enim de quibuscunque Ecclesiis, monasteriis, prioratibus tam virorum, quam mulierum, dignitatibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis ordinum etiam militarium regularibus etiam electiuis, & manualibus, & etiam de iure patronatus laicorum illustrium, & aliàs quomodocunque existentibus siue pacificis, siue in petitorio, & possessorio litigiosis, &c. Ex quibus manifestè constat comprehendi sub hac constitutione beneficia tam sæcularia, quam regularia, tam perpetua, quam temporalia, tam pacifica, quam litigiosa. Azor. *2. p. instit. mor. lib. 7. cap. 24. q. 5.* imo etiam beneficia commendata, quia commendatio perpetua loco tituli habetur. Azor. *q. 7. vers. quares.* Item non solum supradicta beneficia, sed etiam iura ad illa, si ex resignatione obtineas, publicare debes. Nam Gregor. inquit. *Quæcunque dictorum beneficiorum resignationes, necnon litis, & iuriuum quorumcunque cessiones,* &c.

4 Solum beneficia consistorialia, quæque in consistorio conferuntur, qualia sunt Episcopatus, & Archiepiscopatus, ab hac eximuntur publicatione iuxta consuetudinem receptam, Rebuff. *in prax. reg. de publicand. gloss. 1.* Flam. *lib 11. q. 3. n. 25.* Azor. *dicta q. 5.* Notanter dixi quæ in consistorio conferuntur; nam alia beneficia consistorialia minora, qualia sunt Abbatiæ, & Prioratus, quæque extra consistorium prouidentur, publicari debent, vt in supradicta constitutione expresse cauetur, & notauit Azor. *supra.*

5 Deinde adstringit hæc constitutio quoslibet quantumcunque exemptos, etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui beneficia ex resignatione obtinuerint.

6 Sed

6 Sed dubium est ex qua resignatione debeas obtinere? Et quidem si ex resignatione facta coram ordinario obtineant, tenentur publicare ex quacunque resignatione obtinuerint. Quia in supradicta cõstitutione expressè cauetur, ibi de beneficiis, quæ deinceps in manibus ordinariorum collatorum, &c. resignati etiam ex causa permutationis contigerit. Præterquam quod apud ordinarium duplex tantum resignatio fieri potest, vel simplex, vel ex causa permutationis. Aduertit tamen Garcia 11. *p. de benefic. c. 3. n. 189.* hanc constitutionem quoad has resignationes, & permutationes coram ordinario factas, non esse vsu receptam, maximè in Episcopatu Abulens. vbi nunquam, publicantur. Quod mihi durum videtur, nec facilè crederem, præcipuè cum Flam. *lib. 11. q. 9.* expressè dicat vbique esse receptam Neque appareat legitima causa contraueniendi huic constitutioni.

At si ex resignatione facta coram Pontifice beneficium obtineatur; non desunt qui existiment te non esse obligatum publicare, si ex simplici resignatione obtineas. Quia illa verba, *à tempore datæ suæ gratiæ*, indicare videntur resignationem fuisse in fauorem: sic Garcia 11. *p. de benef. cap. 3. n. 334. & 335.* Sed verius existimo ex quacunque resignatione beneficium obtineas, te esse obligatum publicare. Quia Pontifex generaliter loquitur ibi, *omnes resignationes*, &c. Et quia eadem ratio militat in resignatione simplici, ac in resignatione in fauorem: sic Azor. 2. *p. lib. 7. cap. 24. q. 7. vers. quæri solet.* Quod intelligendum est, non solum de primo resignatario, sed de secundo, & tertio, ita vt si intra tempus concessum ad publicandum primus resignatarius in alium cedat, hic secundus cessionarius obligatus est publicationem facere, & beneficij possessionẽ accipere intra primum terminum publicationi designatum; sic expressè Pontifex ibi. *Pluresque & quotquot in alium, vel alios cessiones, & etiam in primum resignantem, vel cedentem retrocessionis termino prædicto nondum elapso intercesserint*, ita vt vnus dumtaxat terminus omnibus his successionibus, retrocessionibus decurrat, & qui postremus gratiam habuerit, publicationem huiusmodi facere, cæteraque omnia hic præscripta circa eundem terminum præstare tenentur. Azor. *dicto c. 24. q. 6.*

7 Præterea extenditur hæc obligatio publicationis ad obtinentes beneficia ex resignatione, tametsi resignatio nulla sit, vt constat ex verbis. *Inhabiles, & incapaces sint ad huiusmodi beneficia quandocunque obtinenda, ipsaque siue iura, ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione, etiam si illa aliàs nulla, aut inualida essent vacauisse, & tunc vacare censeantur eo ipso.*

Sed non est facile explicatu, ex qua nullitate hoc sit intelligendum. Nam quod Flamin. *lib. 11. de resignat. q. 7. num. 36.* fingat, nempe intelligi solum de nullitate contingente ob non factam publicationem, mihi non probatur; quia Pontifex loquitur de gratiis, quæ statim ab ipsa prima resignatione nullæ, & inualidæ essent vt ex supradictis verbis constat. Ergo non de gratiis, quæ ob defectum publicationis nullæ esse contingunt, cum obligatio publicationis multo tempore post primam resignationem adueniat; & gratiæ obtentæ ob non factam publicationem iterum publicari mandantur. Quapropter existimo hoc intelligendum esse de resignationibus nullis ex incapacitate occulta resignatarij; cum enim resignans cesserit beneficium, putans resignatarium capacem esse: ipseque resignatarius ex resignatione sibi facta acceperit, obligatus est publicare, tametsi resignatio ob eius inhabilitatem nulla fuerit.

Notanter dixi ex incapacitate resignatarij. Nam si nullitas contingit ex parte resignantis, eo quod incapax sit resignare, non video qua ratione resignatarius obligatus sit publicationem facere, si ei constet de tali impotentia. Quia tunc clarè intelligit non esse resignationem, nec sibi aliquod ius communicatum, sed omnino obligatum esse dimittere: secus vero est cum ex sua parte resignatio non subsistit; quia potest impedimentum tollere; & illo sublato beneficium retinere, eaque de causa censet Garcia 11. *p. de benefic. c. 3. n. 279.* accipientem beneficium ex resignatione facta ab eo, qui non habet aliunde, ex quo sustentari possit, non esse publicandum; quia resignans incapax est ad resignandum ex constitutione Pij V.

8 Item comprehendit publicatio beneficia resignata vacantia ob non factam publicationem. Nam licet hæc non videantur obtineri ex resignatione, sed ex noua vacatione ob non publicationem incursa. Quia tamen resignatio principium dedit; ea de causa Pontifex statuit eodem modo publicari debere. ibi. *Quicunque sic impetrans, aut gratiam etiam motu simili habens præfinitum cuicunque casui tempus prædictum à data concessionis gratiæ sibi factæ huiusmodi, ac omnia, quæ cadens à iure prædicto debebat, præstare teneatur.* Azor. 2. *p. instit. moral. lib. 7. c. 24. q. 6. vers. quæres item.* Garcia 11. *p. cap. 3.* 287. vbi benè aduertit, hunc impetrantem infra sex, vel nouem menses; & non infra tres publicare debere. Nam licet beneficium fuerit coram ordinario resignatum, non tamen est ab illo impetratum, sed à Pontifice, & pro omnibus Pontificiis prouisionibus sex vel nouem menses conceduntur. Hinc à fortiori constat; si beneficia coram ordinario resignata sint, nec prouisa in tempore præfixo, tu vero illa à Pontifice obtineas, obligationem habere publicandi. Quia vacant ex resignatione ad Pontificem deuoluta. Azor. 2. *p. lib. 7. c. 24. q. 7. circa finem* Garcia *n.* 301,

9 Aliqui vero extendunt etiam hanc publicationem ad coadiutoriam cum futura successione; quia hæc videtur esse quædam resignatio eo, quod indigeat coadiuti, & coadiutoris consensu. Sed non est admittenda hæc extensio. Tum quia coadiutoria non est propria resignatio, cum per illam non dimittat beneficium resignans, sed solum consentiat, vt post mortem ipsius alteri conferatur. Tum quia verba constitutionis coadiutoris conuenire non possunt; non enim beneficij possessionem infra sex, vel nouem menses capere possunt. Gonz. *reg. 8. cancell. gl. 5. p. 9. n. 72.* Garc. 11. *p. de benef. cap. 3. n. 275.*

10 Tempus autem intra quod hæc publicatio facienda est, expressit Pontifex. Nam loquens de resignatione in curia sex menses constituit, si beneficium citra montes fuerit, vltra vero nouem. Loquens tamen de resignatione coram ordinario illiusque prouisione, ipsi mensem constituit ad prouisionem, & resignatario eundem ad capiendam possessionem, & tres menses ad publicationem faciendam. Huiusmodi sex, vel nouem menses computantur non à die resignationis, sed à die prouisionis Pontificiæ, hoc est; à die, quo fuit supplicatio signata, & à Datario recognita, tametsi litteræ non sint expeditæ. Quod verum habet, etiam si plures cessiones intra tempus ad publicandum fuerint multiplicatæ, postremus inquam cessionarius obligatus est publicare à die primæ datæ supplicationis, vt expressè cauetur in supradicta constit. & notauit Azor. 2. *p. l. 7. c. 24. quæst. 4.* Tres item menses pro prouisione ordinariorum concessi computantur à die, quo ipse ordinarius beneficium contulit: ibi, *intra tres menses à die sibi facta prouisionis.* Hinc collige, si beneficium coram ordinario resignatum impetres, quia ipse in tempore non prouidit, vel quia resignatarius non publicauit, sex vel nouem menses tibi concedi ad publicandum, quia non ab ordinario, sed à Pontifice gratiam, & prouisionem habes. Garcia 18. *p. cap. 3. n. 287.* Azor. 2. *p. l. 7. c. 24. q. 3.*

11 Locum in quo hæc publicatio facienda est, clare Pontifex expressit, dicens esse Ecclesiam, in qua situm est beneficium, vel Ecclesias si in pluribus situm sit, & cathedralem. Si autem est beneficium, vt vocant rurale; quia populo conuentuque caret, esse Ecclesiam parochialem, intra cuiusuis limites continetur, & cathedralem. Et si locus pesti, bello, aliisque manifestis periculis subiacet, proximam parochialem assumendam esse. Si autem beneficium in ipsa cathedrali existit, locum publicationi esse ipsam cathedralem, si tamen ad nullam diœcesim pertineat, locum beneficij esse sufficientem. Azor. 2. *p. instit. l. 7. c. 24. q. 8.* Garcia 11. *p. c. 3. n. 274.*

12 Modus huius publicationis est, vt cum ad missarum solemnia frequens populus conuenit, scilicet die festo in cathedra Ecclesiæ, seu loco publico, ex quo omnes audire possunt, notarius habens in manibus litteras originales resignationis, seu carum transumptum alta, & intelligibili voce notum omnibus faciat, quemadmodum A, resignauit suum beneficium simplex constitutum in tali Ecclesia, vel curatum talis Ecclesiæ in manibus sanctissimi, & de eo facta est gratia B, vt apparet ex illis litteris, seu ex illo transumpto, quod in manibus habet; exprimere inquam debet nomina, & cognomina resignantis, & illius cui est gratia facta, & qualitatem beneficij. Non tamen tenetur litteras legere, neque earum datam. Flamin. *l. 11. q. 9. n. 41.* Garcia 11. *p. c. 3. n. 290.* Azor. 2. *p. instit. l. 7. c. 24. q. 8.* Insuperque tenetur hoc testimonium publicationis eodem modo ac dictũ est valuis Ecclesiæ affigere, neque opus videtur ipsas litteras, aut earum transumptum ibi relinquere, tametsi praxis contrarium obtineat, sed non ex necessitate; sed ad maiorem abundantiam Flamin. *dicta quæst. 9. num. 56. & 59.* Garcia *à numer. 296.*

13 Pœnæ impositæ non publicantibus, neque possessionem capientibus, aut saltem pro possessione non instantibus intra tempus præfixum, est annullatio resignationis, & inhabilitas ad illa beneficia, siue iura quãdocunque obtinenda. Quam pœnam non euitat ex publicatione extra tempus constitutionis facta. Garcia 11. *p. cap. 3. num. 304.* neque ex possessione continuata etiam per triennium; quia triennalis possessio non suffragatur non publicantibus, vt expressè constat ex ipsa constitutione, & notauit Azor. 2. *l. 7. c. 24. q. 8. in fin.* Flamin *q. 6. n. 7. & q. 7. n. 19* Garc. *n. 313.*

14 Hinc fit quemlibet posse hæc beneficia tanquam omnino vacantia impetrare: debet tamen concludenter probare non esse factam publicationem. Nam cum sit fundamentum suæ gratiæ, & in alterius præiudicium, concludenter probandum est: vt pluribus decisionibus Rotæ comprobat Flamin. *lib. 11. de resignat. q. 6. n. 71. & quæst. 10. num. 3. & q. 14. num. 5.* Garc. *d. c. 3. n.* 308.

15 Solum est dubium qualiter probare debeat. Nam cum non publicatio constat in negatione, non apparet quo modo negatiua probari possit concludenter? Dicendum ergo est concludenter probari posse tum ex confessione partis, vt clarum est, tum ex litteris non expeditis, vel non expeditis in tempore apto, vt intra terminum constitutionis deferri ad locum publicationis possint; quia hæc publicatio ostensis litteris fieri debet; carentia autem expeditionis litterarum optimè probari potest ex libris cancellariæ, cameræ, & registro secreto parte citata;

quia cum ibidem remaneat omnium litterarum Apostolicarum testimonium, eo non apparente convincitur litteras expeditas non esse. Vide Flamin. *q.14.à n.56.* Garc *à n.316.* Ex eo tamen quod resignatarius possessionem beneficij non obtinuit intra tempus, non convincitur litteras non publicasse; quia ad publicationem litterarum non est necessaria possessio, vt bene dixit Garc. *dict.* 11. *p.c.8.n.327.* eaque de causa prouisus in forma dignum, si per ipsum non stat quominus collationem habeat, & beneficij possessionem accipiat, satisfacit constitutioni Gregorianæ, si collationem petat, & pro possessione instet. Ergo ex collatione non facta non infertur litteras publicatas non esse.

PVNCTVM III.

De vacatione contingente ob resignationem ex causa permutationis.

1 CErtissimum est permutatione beneficia vacare, cum vacent per renunciationem; quia permutatio vera est renunciatio. *cap. 1. de rerum permutat. in 6.* ibi *resignantur. & clem.1. eodem tit* ibi *resignata.* & tradit pluribus allegatis Paris. *lib.11.q.5.n.19.& lib.12.q.5.n.19.* Azor. *lib.7.c.29.q.20.& c.30. q.19.* Garcia 11.*p.de benef.c.3.à n.3.* Gonz. *gloss.14.à n.32.& 39.* Sed qualiter permutatio facienda est, vt hanc inducat vacationem pergimus explicare.

§. I.

Quid sit permutatio, & ex qua causa facienda sit.

1 *Expenditur quid sit permutatio.*
2 *An resignationis ex causa permutationis admissio sit beneficiorum collatio. Affirmant aliqui. Sed contrarium est verius.*
3 *Potest fieri collatio longo tempore post admissam beneficiorum resignationem.*
4 *Causa ob quam fit permutatio est sola necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ.*
5 *Coram ordinario permutatione facta probanda est causa honestans permutationem.*

1 PErmutatio in præsenti est mutua, & reciproca beneficiorum resignatio, quæ adinuicem inter permutantes fit. *cap. vnico de rerum permutat. in 6. & in Clement. 1. eodem tit.* & tradunt omnes. Quapropter permutatio non nisi inter duos fieri potest, quorum vnus suum beneficium alteri cedit, vt sibi alius vicissim cedat. Azor. 2.*p.inst.lib.7.c.30.q.6.* Nam triangularis, vel quadrangularis permutatio omnino prohibentur, quia non sunt veræ permutationes, sed potius resignationes conditionales, quales sunt si meum beneficium tibi cedam, vt tu cedas beneficium tuum meo nepoti, Gonzalez *gloss.14.n.58.* Garcia 11.*p.de benef.c.4.n.11.* Azor. *supra.* Permutatio ergo continet & reciprocam duorum beneficiorum collationem, & mutuam illorum collationem. Nam resignans ex causa permutationis sub ea conditione resignat, vt beneficium resignatario detur. & resignatarij beneficium sibi vicissim conferatur. Quapropter admittens resignationem ex causa permutationis, eo ipso obligatur beneficia resignata compermutantibus conferre.

2 Sed dubium est, an horum beneficiorum resignationis admissio sit tacita illorum collatio? Affirmat Gonzalez *gloss. 14. n.44. & seq. & gloss.15.§.2. num.57.* & concludit de rigore iuris aliam collationem necessariam non esse, fieri tamen de facto, vt securius permutatio expediatur. Moueri posset. Quia permutatio est cessio beneficij vnius in alterum, sub ea conditione vt alteri conferatur, & ipse tibi suum beneficium cedat. Ergo quousque hæ conditiones perficiantur, cessio non tenet. Ergo non est locus cessionis admissioni, nisi simul admittantur conditiones illius: illis vero admissis iam sunt beneficia collata. Ergo admissio resignationis ex causa permutationis est tacita beneficij collatio.

Sed contrarium tenendum est cum Garcia alios referente. 11. *p.cap.4.à num.85.* Nam beneficia compermutantibus dari non possunt, quousque vacent. Ergo prius per resignationem illa beneficia vacant, quam conferantur. Potest ergo resignatio admitti, quin conferantur beneficia resignata. Non tamen admitti potest resignatio, quin simul admittatur conditio collationis illorum beneficiorum compermutantibus faciendæ, sed non factæ. Neque amplius probat contraria ratio.

3 Hinc fit longo temporis interuallo post admissam beneficiorum resignationem ex causa permutationis ficti collationem posse: imo sæpe prius vni ex permutantibus, & post modum alteri. Azor. 2.*p.lib.7.cap.29. quæst.28* Adde frequenter Pontificem admittere resignationem ex causa permutationis, & vni ex permutantibus, quia Romæ beneficium confert, alteri autem mandatum de conferendo concedit in forma dignum, in quo manifestissimè constat admissionem resignationis non esse beneficiorum quæ permutantur, collationem, & concedit Gonz. *gloss.15.* §.2.*n.61.*

4 Causa autem, ob quam permutatio fieri potest, vnica est, nempe necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ. Nam cum permutatio beneficiorum iure sit prohibita *cap. Minoribus. de prabend. cap. quæsitum. de rerum permutat.* præstat ne hæc prohibitio relaxetur, nisi iusta, & legitima causa intercedente, quæ nulla alia videtur esse, nisi ea quæ cedat in Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem: sic aliis relatis Flamin. *lib.11. quæst.5. num.14.* Garcia 11.*p.c.4. num.45.* Aduerto tamen vitare inimicitias, æris intemperiem, aliaque corpotalia damna compermutantium ad vtilitatem Ecclesiæ reduci. Quia illis vitatis melius Deo seruiri potest. sic Azor.2.*p.instit.lib.7.cap.30.q.4.* Garcia 11.*p.cap.4.n.47.* Adde vtilitatem vnius ex compermutantibus in Ecclesiæ vtilitatem cedentem præstare sufficientem causam permutationis, dummodo ex parte alterius permutantis damnosa Ecclesiæ permutatio non sit. Quia absolutè illa permutatio in vtilitatem Ecclesiæ cedit. Garcia *n.49.*

5 Hinc fit si permutatio coram ordinario facienda est, obligatos esse permutantes allegare causam legitimam permutationis, & ordinarium illam examinare. Alias dispensatio nulla esset, vt pote in lege superioris facta absque causæ cognitione. Quod à fortiori procedit stante constitutione Pij V. 58. *vers. ad hæc* vbi ordinariis conceditur admittere posse permutationes, quæ canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittantur, & si secus factum fuerit, irritum esse decernitur. At nullæ aliæ permutationes canonicis sanctionibus sunt permissæ, nisi eæ quæ cedunt in necessitatem, aut vtilitatem Ecclesiæ. Ergo aliæ sunt omnino irritæ; & inanes. Garc. *dict.* 11. *p.c.4.num.44.* Quod adeo verum est, vt etiam superiori testanti adesse causam ad permutationem faciendam fides adhibenda non sit, nisi causa cognitionem præmiserit, sic ex Decio. Alciato, & aliis docet Garc. *loco alleg. à n.54.*

§. II

Quæ beneficia permutari possunt.

1 *Omnia beneficia permutari possunt.*
2 *Amplia ad beneficia commendata.*
3 *Item beneficia manualia.*
4 *Item beneficia iurispatronatus.*
5 *Item reseruata.*
6 *Sed non litigiosa.*
7 *Item beneficia nondum possessa.*
8 *Procedit doctrina, esto beneficium vnum pro pluribus permutes.*
9 *Beneficium vnitum permutari non potest, non permutato ei cui est vnitum.*
10 *Neque permutari potest, dum speratur vnio habitura effectum morte possidentium beneficium.*
11 *Intelligitur de vnione beneficij certi, & determinati.*
12 *Item de beneficio vnito absolutè, secus si vniretur sub conditione si per cessum, vel decessum, vel resignationem vacaret.*
13 *Supradicta sublimitari debent in resignatione coram Pontifice declarata vnione.*
14 *Quid si nulla facta mentione vnionis tentares beneficia resignare.*
15 *Beneficia expectata resignare, vel permutare potes coram legitimo superiore.*
16 *Nunquam dari potest permutatio beneficij realis cum ficta.*

1 REgula generalis est omnia beneficia permutati posse quia eorum permutatio vtilis, & necessaria est Ecclesiæ, colligit ex toto tit. de rerum permutat. & tradunt omnes.

2 Amplia primo supradictam regulam ad beneficia commendata. Et quidem si in perpetuum commendata sint, ferè omnes conueniunt permutari posse: quia commendatio perpetua loco tituli succedit: sic aliis relatis docuit Azor. 2.*p.instit.moral.lib.7. c.29.q.11.* Si autem sint ad tempus commendata, dubiæ quæstionis est, an permutari possint, eo quòd ij commendatarij non habent quid in alterum transferant, cum nec ius, nec titulum in beneficio habeant. Cæterum probabilius est authoritate eius, qui commendauit permutari posse, quia eius authoritate transfert poterit ius temporale, quod commendatarius habet. Sic Andr. Gambar. *de permutat.benefic.2.par.n.88.* Azor. aliis relatis, *q.11.* Garcia *de benef.c.4.n.12.*

3 Secundò extende ad beneficia manualia, quæ licet perpetua non sint, sed ad nutum superioris amobilia, ex illius tamen authoritate transferti in alios possunt: Sic aliis relatis Azor. 2. *p.l.7.c.29.q.9.* Rebuff. *in prax. benef.tit. de permut.n.49.* Gonz. *ad reg.8 Cancell. gloss.5.§.6.n.26.*

4 Tertio extende ad beneficia iurispatronatus an possit inquam permutari patrono consentiente? Quod si absque illius consensu permutentur, permutatio tenet, dum non contradicit, illo vero contradicente rescindenda est, nisi facta esset in magnum Ecclesiæ vtilitatem, vt superiori *cap.* diximus de resignatione in

in fauorem; & latius cum de iure patronatus sermonem fecimus: & tradit in præsenti, Azor. 2. p. lib. 7. c. 29. q. 6 & 32. Garcia innumeros referens 11. p. cap. 3. n. 19. Aug. Barbos. alleg. 69. n. 20. & 21. Quapropter volens permutare suum beneficium iurispatronatus, tenetur consensum patroni prius habere, quod si illum non habet, citet patronum per edictum signato termino, vt intra illum consentiat, vel dissentiat. Quod si peremptorie vocatus non comparuerit intra terminum præfixum, nec probauerit legitimè impeditum esse, non est amplius audiendus; quamuis quadrimestre transactum non est. Aug. Barbosa *supra. num.* 21. At si comparuerit signato termino, & contradixerit, permutatio effectum habere non potest. Neque opus est patrono contradictionis legitimam causam probare, quoties enim à contraria parte non probatur irrationabiliter contradicere, detrubari à suo iure non potest, sic relato Couarruu. *pract. cap. 36. n. 9.* tradit Garcia 11 *p. de benef. c. 3. n. 21. & 27.* Quamuis Staphil. *de litter. grat. tit. de modo, & forma impetrat. §. de iurispatronatus permutat. num. 3.* Zerola *in praxi Episcop. 1. part. verbo iurispatronatus §. 6.* Rebuff. *in praxi tit. de rerum permutat. numer. 21.* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 198.* affirment ex stylo, vsuque communi in permutationibus beneficiorum non requiri consensum patroni, sed sufficere quod ad consentiendum vocetur; sed admittendum non est; nisi cum probatur permutationem in magnam Ecclesiæ vtilitatem cedere, & patronum nullam contradictionis legitimam causam habere; alias inutilis esset requisitio, si eius consensus necessarius non esset, vt bene Azorius *dicto c. 29. q. 6. & 32.*

5 Quarto extende ad beneficia reseruata; ratione enim reseruationis impediri non potest permutatio, si fiat ex consensu reseruantis. Debes tamen reseruationis mentionem facere, aliàs nulla erit permutatio, vtpote non declarata beneficij qualitate, quæ si exprimeretur forte non permitteretur permutatio: sic aliis relatis, Azor. 2. *par. lib. 7. cap. 29. quæst. 10. circa finem.*

6 Quinto extendunt aliqui ad beneficia litigiosa, sic innuit Rebuff. *in praxi benefic. 2. part. tit. de permutat. num. 33.* eo quòd ex permutatione beneficij litigiosi nullum Ecclesiæ detrimentum prouenial, dummodo is, in quem est beneficium translatum, potentior non sit. Cæterum hæc extensio admittenda non est; quia durante lite beneficia conferri non possunt. *c. 1 & 2. vt lite pendente, in 6.* Azor. 2 *part. lib. 7. c. 29 q. 5.* Flamin. *lib. 2. q. 3. à n. 1.* Barbosa *alleg. 69. n. 19.*

7 Sexto extenditur ad beneficia nundum possessa, modo tamen ius in illis habeas; quia iam habes ius, & titulum, quem potes in alterum transferre. Garcia 11. *p. c. 4. n. 15.* Barbosa *alleg. 69. num. 17.*

8 Supradicta procedunt, esto vnum beneficium pro pluribus permutares (nisi aliàs ea plura habere esses impeditus) quia vnum beneficium pluribus æquiualere potest: sic aliis relatis Azor. 2. *par. lib. 7. c. 29. q. 12.* Rebuff. *tit. de permut. n. 40* Nauar. *consil. 43. de simonia. n. 3.* Garcia 11. *part. c. 4. n. 14.*

9 Duplex restat difficultas. Prima de beneficiis vnitis. Secunda de beneficiis expectatis, an inquam hæc permutari possint.

Circa primam difficultatem, si beneficium beneficio vnitum sit, clarum est permutari non posse, nisi permutato eo beneficio cui est vnitum; quia accessorium naturam sequitur principalis: & quia mediante vnione desinit esse beneficium, & fit prædium illius, cui vnitur: sic Gonzalez *glos. 5. §. 7. sub n. 11. 14. 22.* Azor. 2. *p. lib 7. c. 29 q. 7.* Garc. 11. *p. c. 4. n. 24.* At si beneficium monasterio, alterive loco pio vnitum sit, permutari non poterit vnione non dissoluta. Quare vt locum habeat permutatio, dissolui vnio debet: quod qua ratione fieri possit, ex his, quæ dicemus de vnione, constabit.

10 Verum si beneficium vnitum sit; neque vnio habuit effectum; eo quod facta sit sine præiudicio possidentium, iuxta Trident. *sess. 24. c 15. ad finem. de reformat.* & possidentes adhuc viuunt, omnino dicendum est neque resignari, neque permutari hæc beneficia posse. Nam si in his beneficiis vnitis daretur resignatio, aut permutatio, impediri posset vnionis effectus. Item illa beneficia sunt iam affecta eo ipso quod possidens illa reliquerit, non igitur in alium tertium possessorem transferri possunt. & ita ex communi sententia firmat Azor. 2 *p. lib. 7. c. 29. q. 7.* Sanch. *lib. 7 in decal. c. 29. n. 171.* Flamin. *lib. 2. q. 9. n. 2.* Garcia 11. *p. c. 4. n. 27.* & alii apud ipsos.

11 Hoc tamen intelligendum est de vnione beneficij certi & determinati. Quia hæc determinatio necessaria est, vt locus pius, cui beneficium vnitum est, ius ad illud beneficium habeat, illique sit annexum; sic aliis relatis, Garcia *num. 37.* Secus si indeterminatum beneficium vnitum esset, vt fuit vnitum in Hispania sancto inquisitionis officio beneficium primo vacaturum in omnibus cathedralibus, & collegiatis Ecclesiis, non impedit resignationem, & permutationem cuiuslibet in particulari, cum nullum in particulari affectum vnitumque sit. Gonzal. *glos. 14. n. 12.* Hieron. Gab. *cons. 199. num. 1.* Garc. 11. *p. cap. 4. num. 38.*

12 Deinde intelligi debet de beneficio certo vnito absolutè, secus si vniretur sub conditione, quod per cessum, vel decessum, vel resignationem vacaret. Nam ex hac vnione non impeditur resignatio in fauorem, seu permutatio. Quia in decreto odioso vacationis sub cessu, vel decessu, cessus purus, & non conditionalis intelligitur. Puteus *decis. 314. à n. 1. lib. 1.* Gonzal. *glos. 14. n. 8.* & sub resignatione resignatio simplex, & non conditionalis, qualis est permutatio. Sic Puteus *decis. 357. à n. 1. lib. 1.* Gonzal. *n. 9.* Garcia 11. *p. c. 4. n. 39.*

13 Hæc limitari debent casu quo coram Pontifice resignasses, vel permutasses beneficium vnitum vnione declarata. Nam si ipse tunc resignationi, seu permutationi consentiret, permutare beneficium posses, quia effectus vnionis pro illa vice censetur suspendi. Neque necessarium est derogare regulæ de tollendo iure quæsito; quia non videtur per hanc resignationem, seu permutationem ius considerabile illi, eo quod possit contingere, quod resignatarius obeat prius quam resignans, & sic suspendendo effectum vnionis vnio acceleretur. Sic Puteus *decis. 357.* Flamin. *de resignat. lib. 2. quæst. 9. n. 8.* Mandos. *in praxi de signatura grat. tit. de renunciat. col. 4.* Garc. 11. *part. cap. 4. n. 29.* Gonzal. *glossa 5 §. 7. à n. 137.* Azor. 3. *p. lib. 7. cap. 25. quæst. 8.*

14 Sed quid si de facto nulla facta mentione vnionis hæc beneficia vnita tentares permutare, seu resignare? Et quidem si resignatio esset simplex, clarum est vnionem intrare, nec te posse ad beneficium redire. Tum quia facta illa absoluta dimissione subintrauit vnio, Flamin. Paris. *lib. 2. q. 9. à n. 22.* Garc. 11. *p. c. 4. n. 34.* At si resignatio est in fauorem, seu ex causa permutationis, communiter doctores distingunt. Vel sciens vnionem resignasti, vel illam ignorans; si sciens resignasti, affirmant subintrare vnionem, nec tibi esse redditum ad beneficium. Quia ob illam iniquam resignationem beneficium vacauit. Scire namque debebas, te non posse in alterum beneficium transferre: Si ergo hac scientia non obstante resignasti, tenebit resignatio ea parte, qua te beneficio priuat. Quia hanc priuationem illa resignatione conuinceris voluisse. Facta autem illa priuatione, & beneficij dimissione, nihil est quod vnionis effectum impediat. Verum si ignorans vnionem resignasses, cum tunc non contineatur beneficium voluisse dimittere, nisi sub ea conditione, quod alteri conferretur, & hæc conditio impleri non possit ob vnionem. Non est cur beneficio prieris, aut cur vnioni locus detur. Flam. *lib. 2. q. 9. à num. 20.* Garcia 11. *p. de benef. c 4. num. 36.*

15 Circa secundam difficultatem de beneficiis expectatis, an inquam hæc permutari possint, v. g. electus præsentatusque es ad beneficium, vel habes à Pontifice mandatum de prouidendo in primo beneficio vacaturo, poteris ne cum alio simili iure, vel cum beneficio permutare? Respondeo te posse, si legitima adest superioris authoritas; sicut enim beneficia per reciprocam resignationem transferuntur, cur non iura ad beneficia transferri similiter poterunt, si legitimus superior consenserit? Quis autem hic sit, statim subiiciemus.

16 Nunquam tamen permutatio contingere potest beneficij realis cum beneficio ficto, v. g. habes beneficium, quod optas in alterum beneficio carentem transferre, & vt facilius hanc translationem perficias, fingis alium beneficium habere, & cum illo beneficio ficto tuum reale permutas, nulla est permutatio. Quia permutatio generatim sumpta est certæ rei ad alteram mutua præstatio. *l. 1. ff. de rerum permut.* At beneficium fictum beneficium non est. Ergo capax esse non potest permutationis. Ergo illa translatio resignatio est in fauorem, tametsi facta fuerit sub titulo permutationis. Azor. 1. *p. inst. moral. lib. 7. c 29 q. 17. & c. 30. q. 16.* Lessius *lib. 2. c. 35. n. 200.* Suar. 1. 1. *de rel. lib. 4. de simon. c. 30. n. 19.* Neque obstat sic permutanti nullam fieri iniuriam, cum ipse sciens alium beneficio carere cedat beneficio, quod obtinere poterat: ob quam rationem Rebuff. *in praxi benef. 3 p. tit. de perm. num. 14.* sentit hanc permutationem fieri posse. Non inquam obstat; quia facta permutatione rei ad rem, potest vnus ex permutantibus rei sibi transferendæ cedere. At si de facto nulla est; quæ tranferatur res, non permutationem celebrabit, sed donationem. Non igitur permutatio esse potest beneficij realis ad beneficium fictum. Adde superiorem in hac parte non consentire; ipse enim resignationi ex causa permutationis consentit, quia sic credit celebrari. Ergo non consentit resignationi in fauorem, quæ re ipsa celebratur. Ergo illa resignatio nulla est. Quod à fortiori procedit si coram ordinario fiat, vt constat ex constitut. Pij IV. incipiente, *Ad eiius aures*: vbi has permutationes fictas irritas esse declarat.

§. III.

Cuius authoritate beneficia sint permutanda, & qui ea permutare possunt.

1 *Propria authoritate non possunt beneficia permutari.*
2 *Necessario authoritas superioris expostulatur.*
3 *Vicarius ex ratione vicariatus non habet hanc potestatem.*
4 *Si vicario conceditur potestas admittendi resignationes ex causa permutationis. Varius est beneficia conferre posse.*

5 *Capitulum sede vacante qualiter possit recipere resignationes beneficiorum ex causa permutationis.*
6 *Beneficiorum reseruatorum permutationem non potest Episcopus admittere.*
7 *Beneficiis sitis in duabus diœcesibus ab vtroque Episcopo resignatio admittenda est.*
8 *Coram ordinario non potest fieri permutatio beneficij nundum acquisiti. Neque beneficium cum pensione.*
9 *Alia remittuntur.*
10 *Dispensatus ad vnum beneficium, verius est non posse cum alio simili permutare.*

1 PRopria authoritate beneficia permutati non possunt. Quia sic cauetur *c. quæsitum. c. penult. de rerum permut. & tradunt doctores ibi, & in c. 1. eod. tit. in 6. & clem. 1. de rerum permut.* Meritoque hæc permutatio est prohibita, ne clerici auaritiæ studeant, neve de beneficiis tanquam de rebus profanis disponant, neve Ecclesiæ damnum inferant, illi ministros ineptos designando.

Sed an hæc permutatio propria authoritate facta labem simoniæ contineat, & vacationem beneficij constituat. *tract. de vitiis religioni opposita. disp. vlt. de simon. punct. 15.* definimus: ibi enim resoluimus & labem simoniæ continere, & vacationem beneficij merèri.

2 Igitur authoritate superioris permutatio facienda est, sed cuius superioris? ibidem resoluimus, esse qui potestatem habet in illo beneficio instituendi, & destituendi. Quia permutatio est vnius beneficij depositio, & alterius acquisitio. Ergo permutationem admittens authoritatem habere debet amouendi à compermutantibus beneficia, & potestatem ea conferendi. Vnde si inferior Episcopo hanc potestatem habet vel ex consuetudine, vel ex priuilegio, coram illo fieri permutatio poterit. Azor. *lib. 7. c. 29. q. 4.* Barb. aliis relatis *alleg. 64. n. 4.*

3 Vicarius Episcopi ex ratione vicariatus non habet hanc potestatem; quia non habet potestatem beneficia conferendi, indiget ergo speciali mandato vt per tex. *in cap. quæsitum, de rerum permut.* docent Rebuff. *praxi beneficiar. tit. de vicario. n. 104.* Azor. *2. p. lib. 7. c. 29. q. 4.* Garc. *de benef. 11. p. c. 4. n. 74.* Barb. *all. g. 34. n. 66.*

4 Sed an si vicatio concedatur potestas admittendi resignationes ex causa permutationis possint beneficia compermutantibus conferri? Negat Rebuff. *supra.* & Barbosa *n. 68.* eo quod resignatio beneficij quid distinctum est à beneficij collatione. Contrarium verius existimo: nam licet sint distincta, sunt tamen omnino connexa: cum enim beneficium resignas ex causa permutationis, ea conditione resignas, vt compermutanti concedatur: superior igitur admittens hanc resignationem eo ipso admittit conditionem: quo modo ergo illam admittere potest, si potestatem non habet ea beneficia conferendi, vel saltem obligandi collatorem, vt conferat?

5 Capitulum Sede vacante potest recipere resignationes beneficiorum ex causa permutationis, si eorum collatio ad ipsum pertineat: tradunt cum Glossa *in clem. 1. de rerum permutat.* Doctores communiter. At si solius Episcopi electio, seu præsentatio beneficiorum sit, nequaquam capitulum poterit resignationes ex causa permutationis admittere. Quia non potest admittere, n si admittendo conditionem, vt compermutanti conferantur, quod sibi datum non est: sic pluribus relatis Garcia *11. p. de benef. 4. n. 75.* Verum si Episcopus horum beneficiorum resignationes admisisset, & antequam ea compermutantibus conferret, è vita decederet, posset capitulum Sede vacante ea compermutantibus dare, quia admissa resignatione beneficiorum collatio necessaria est. *c. de rerum permut. in 6. & clem. 1. eod. tit.* & capitulum Episcopo succedit in his quæ sunt necessitatis, & obligationis. Garc. *supra, n 81.*

6 Dixi permutationem faciendam esse coram illo Superiore, qui potestatem habet in illo beneficio instituendi & destituendi. Vnde cum in beneficiis reseruatis non habeat Episcopus hanc potestatem, non enim potest ea compermutantibus conferre, nequaquam hanc resignationem ex causa permutationis poterit admittere: sic aliis relatis Garcia *11. p. de benef. c. 4. n. 82.* Azor. *2. p. lib. 7. c. 29. q. 10. & 16.* Tusc. *concl. 30.* Mantica *de tacitis & ambiguis conuent. l. 25. tit. 9. à n. 12.*

7 Eadem ratione si beneficia sita essent in diuersis diœcesibus, non posset resignatio ex causa permutationis fieri coram vno tantum Episcopo, sed necessario vterque Episcopus, ad quos illorum beneficiorum collatio pertinet, interuenire debent. Azor. *2. p. lib. 7. c. 29. q. 8.* Aug. Barb. *alleg. 69. n. 20.*

8 Ex eodem fundamento conuincitur non posse coram Episcopo, seu ordinario fieri permutationem beneficij nondum acquisiti. Quia ordinarius datum non est ius ad beneficium ex vno in alium transferre. Sic ex communi sententia docet Flamin. *lib. 2. de resig. q. 21. & 23.* Azor. *lib. 7. c. 29.* Garcia *11. p. c. 4. n. 17.* quamuis Lessius *lib. 2. c. 34. n. 199.* contrarium non videatur improbabile. Item neque potest beneficium cum pensione coram ordinario permutari, neque pensiones inter se tametsi potestatem haberent compermutantes illas in alios transferendi. Quia ordinarius sola beneficiorum permutatio concessa est, non autem pensionum, quæ propriè beneficia non sunt. Azor. *1. p. l. 8. c. 12. q. 8.* Vgol. *de officio Episc. c. 50. § 10. n. 4.* Garc. *11. p. c. 4. n. 18.*

9 Sed an coram ordinario possit fieri permutatio beneficiorum compensata fructuum inæqualitate, solutione pensionis, vel pecunia, latè examinamus *dicta disp. de Simon. punct. 16.*

Quoad eos qui permutare beneficia possunt, vide dicta *Superiori punct. §. 3. & 4.*

10 Solum est aliqualis difficultas, an dispensatus ad vnum beneficium possit cum alio simili permutare? Videtur posse: sic aliis relatis Francus *in c. non potest. §. illud. n. 6. & 7. de prabendis. lib. 6.* And. Gambat. *in c. de rerum permutat. lib. 6. n 79.* Ratio esse potest. Quia permutans moraliter loquendo dici non potest de nouo beneficium accipere, sed beneficium beneficio succedere, eaque de causa prohibitus acquirere non prohibetur permutare, vt plurimus exornant Tiraq. *de vtroque retractu §. 31. glos. 2. n. 18.* Mol. *de Hispan. primogen. lib. 4. c. 5. à n. 47.*

Nihilominus contrarium est dicendum, non solum ex stylo curiæ, vt placuit Rotæ *dec. 1. de filiis presbyter. in nouis recens. decis. 1. num. 6. & 7. de reb. Eccles. non alien.* Gonz. *glos. 14. n. 16.* Sed etiam de rigore iuris. Nam dispensatio est odiosa, neque trahenda ad alia præter concessa, vt colligitur ex *dicto cap. non potest. de prabendis. in 6. & cap. ordinarij. de officio ordinar. in 6. clem. si plures. de prabendis*; & tradit Azor. *2 p. lib. 7. cap. 29. q. 14.* Cum ergo ad habendum beneficium quod dimittis dispensatus sis, non poteris loco illius aliud ex vi dispensationis subrogare.

§. IV.

De conditionibus in permutatione seruandis.

1 *Seruandæ sunt conditiones pro resignatione appositæ.*
2 *Mentionem obtentorum faciendam non esse de rigore iuris, sed de stylo tenent aliqui.*
3 *Verius est vtroque titulo faciendam esse.*

1 CLarum est seruandas esse conditiones pro resignationibus requisitas; quia permutatio est propria beneficij resignatio. Solum de illa conditione, quæ in resignationibus coram Pontifice expostulatur, nempe quod fiat mentio obtentorum beneficiorum, est difficultas, an in permutatione acquiratur.

2 Fred. Gen. *tract. de permutat. q. 18.* quem refert, & sequitur Azor. *2. p. lib. c. 29. q. 17.* existimat de iure mentionem faciendam non esse, benè tamen de stylo curiæ. Prioris partis ratio est; quia canones, & iura decernunt mentionem obtentorum faciendam esse in impetratione beneficiorum, & illorum dispensatione. Quia est res odiosa, & ambitiosa. At permutatio non est propria beneficij acquisitio, cum non addatur beneficium beneficio, sed est noui beneficij in locum prioris subrogatio. Ergo non est in hac permutatione mentio obtentorum facienda. Deinde in permutatione collatio non est gratiosa, sed obligatoria. At solum in collatione gratiosa est mentio obtentorum facienda. Ergo non in permutatione. Et confirmari potest, quia ea de causa cum ea electus, aut præsentatus ad beneficium à Pontifice conferendum, non tenetur mentionem facere de obtentis; quia collatio est tibi debita. Rota *decis. 300. par. 1. diuers.* Garc. statim referendus. Cum ergo in permutatione hoc debitum inueniatur, nullatenus mentio obtentorum erit necessario facienda. Secundam partem de stylo curiæ testantur plures Doctores. Bell. *tract. de permut. 3. p. q. 2. num. 10.* Rebuff. *prax. tit. de permut. n. 34. & 35.* Garcia *11. p. de benef. 4. à n. 89.*

3 Nihilominus verius credo, non solum ex stylo curiæ, sed etiam de rigore iuris hanc mentionem faciendam esse: sic Garcia *11. p. de benef. c. 4. n. 89.* Quia verè & propriè in permutatione beneficium impetratur; tametsi ex titulo permutationis; & quia fortè qui dignus, & idoneus est ad vnum beneficium, non est ad aliud, vel ad plura, si cum pluribus permutatur. Neque absolutè collatio beneficij debita est compermutantibus, nisi supposita resignationis admissione, quam conferens non tenetur semper admittere. Secus vero est in institutione ob præsentationem: quia institutio absolutè est debita, eo quod instituentis consensus ad præsentationem non requiratur.

§. V.

Qualiter vacent beneficia permutata.

1 *Vacant eo ipso, quo superior dispositionem admittit.*
2 *Proponitur quæstio grauis.*
3 *Sub distinctione respondetur.*
5 *Ex vacatione per resignationem ex causa permutationis impeditur optio, & expectatiua.*

1 EO ipso quo apud Superiorem beneficium deponis, Superiorque depositionem admittit, tametsi compermutanti beneficium

beneficium collatum sit vacare, beneficium censetur. Nam beneficium nemini conferri potest, quin prius vacet, sed non potest prius vacate, quam conferatur, nisi vacet per resignationem admissam. Ergo vacat per hanc resignationem: & colligitur *ex clement. 1. de rerum permutat, & c. licet eodem tit. in 6.*

2 Ex hac doctrina ferè ab omnibus approbata infertur decisio illius quæstionis? an facta à compermutantibus resignatione suorum beneficiorum, & à superiore admissa, si permutatio non habet effectum, possint compermutantes ad sua beneficia redire; Item an debeant redire sine noua collatione; præmissis variis, sententiis quas tradit Az. 2. p. lib. 7. cap. 29. q. 21. Garc. 11. p. de benef. c. 4. à n. 5.

3 Distenguendi sunt plures casus, in quibus contingere potest permutationem non habere effectum si enim culpa sua permutatio non habet effectum; quia eatebus beneficio permutando, vel illius legitimo titulo, ob quã causam beneficium ab alio compermutante euitatum est; tu nonpoteris beneficium tibi denuo collatum retinere; sed debes dimittere, & compermutans, qui conscius non est suæ culpæ, poterit propria authoritate ad proprium beneficium reuerti, quia nulla fuit eius dimissio; eo quod fuerit facta sub conditione? quod tu beneficium simum illi conferendum dimitteres, quod cum non feceris, dimissio non tenet. Azor. *dicto. cap. 29. quæst. 21.* Lessius *lib. 2. cap. 34 num. 195* Thom. Sanch. *lib. 2. cap. 26. num 9.* & ex parte consentit. Garc. *dicto c. 4. num. 6.* Si autem tua culpa permutatio effectum non habuit; eo quod incapax fueris beneficij recipiendi, nequaquam redire poteris ad beneficium dimissum; quia conditio, sub qua beneficium dimisisti, executioni mandata est: hæc enim conditio nulla alia fuit, nisi quod alius suum tibi beneficium dimitteret, quod fecit. Tibi ergo imputandum est, quod non obtinueris beneficium ab alio dimissum. Ergo obtuam culpam alius priuandus non est iure quod habet, vt sibi tuum beneficium conferatur, maximè si de facto collatum est. Non ergo poteris ad beneficium dimissum redire,

Quod si absque tua culpa non habuit permutatio effectum in alio compermutante, eo quod compermutans antequam tuum beneficium illi collatum esset mortuus est, vel fuit factus incapax collationis, tu non poteris ad beneficium dimissum redire, quia ex parte tua perfecta fuit permutatio, & per accidens est quod non fuerit tuum beneficium alteri compermutanti collatum, cum per te ipsum non steterit. Gonz. *gloss. 15. §. 2. à num. 40.* Quod si beneficium compermutantis recepisti antequam tuum dimitteres, & tempore, quo dimittere debebas compermutans decessit, vel incapax est recipiendi, poteris vtrumque beneficium retinere, & tuum, & compermutantis, nisi essent incompatibilia, sic Lessius *dicto c. 34. n. 197.* Az. 2. p. l. 7. c. 29. Garc. 11. p. c. 4. *num. 10.*

4 Secundo infertur ex vacatione per resignationem in fauorem, seu permutationem impediri optionem & expectatiuam, Quia vacant ad effectum, vt designatis conferantur; & tradit Azor. 2. p. l. 7. cap. 30. *quæst. 7.* Garc. *pluribus relatis*, 11. p. de benef. *cap. 4. num. 4.* Gonz. *gloss. 34. num. 35. & 36.* Elamin. *lib. 2. q. 20 per totam.*

§. VI.

De vacatione beneficij contigente ob assecutionem alterius.

1 *Qualiter beneficia iuxta diuersa tempora incompatibilia fuerint.*
2 *Si obtineatur beneficium simplex cum alio incompatibile, tenent plures non vacare ipso iure.*
3 *Verius est oppositum.*
4 *Vtroque beneficio priuaris, si vtrumque retinere præsumis.*
5 *Beneficia compatibilia per se, si sub eodem tecto vniformia sint, vacant ipso iure.*
6 *Si in eadem Ecclesia differmia sint, vel in diuersis vniformia Sub distinctione respondetur.*
7 *Apponuntur duæ limitationes*
8 *Si sufficiens sit ad tuam sustentationem vnum ex illis, non potes aliud nisi ex Pontificis dispensatione, obtinere.*
9 *Sed quid si habenti beneficium sufficiens aliud concedatur. Affirmat Garc. valere collationem ab ordinario factam, secus à delegato.*
10 *Idem in vtroque dicendum est.*
11 *An obtento secundo beneficio sufficienti vacet primum ipso iure Negant aliqui.*
12 *Sub distinctione sit satis quæstioni.*
13 *Obtento beneficio insufficienti, si secundũ sufficiens obtineas non vacat primum, tametsi contrarium Garcia sentiat.*
14 *Quod dicatur beneficium sufficiens.*
15 *Proponitur quadam obiectio, Et sit illi satis.*
16 *Beneficia litigiosa vacant obtentione pacifica secundi beneficij incompatibilis.*
17 *Quid de quodam speciali casu?*
18 *Habens duo beneficia incompatibilia ex dispensatione, si tertium litigiosum obtineat nulla est collatio.*
19 *Beneficia acquirenda, seu ius ad beneficium vacat obtentione pacifica secundi beneficij incompatibilis.*
20 *Qualiter secundum beneficium obtinendum est; vt vacationem inducat prioris obtenti.*
21 *Quando censearis, pacificè beneficium obtinere.*
22 *Debet esse obtentio fructifera beneficij.*
23 *Duplex limitatio apponitur. Sed vnam admittimus, aliam reiicimus.*
24 *Si secundum beneficium de facto, & non de iure obtineas, vacat primum.*
25 *Quando ob obtentionem secundi beneficij impediaris resignare primum.*
26 *Pontifex in pluralitate beneficiorum incompatibilium dispensare potest.*
27 *An censeatur dispensare, eo quod beneficium concedat conscius aliorum, quæ obtines.*
28 *Quid dicendum de aliis Pontifice inferioribus.*

1 PEndet huius quæstionis intellectus ex eo quod intelligas qualiter beneficia incompatibilia sint. Nam pro diuersitate temporum diuersimodè incompatibilia fuerunt. Ante concilium Lateranense sub Alexand. tertio duæ dignitates, vel duo beneficia curata, vel aliàs residentiam expostulantia ita erant incompatibilia, vt vno obtento alterum non vacaret ipso iure sed obtinens obligatus erat vnum ex illis dimittere, quòd ipse maluerit *cap. referente cap. præterea de præbend.* Deinde in ipsomet concilio Lateranen. sub Alexand. IV. *in cap. quia nonnulli de cleric. non residend.* non concedebatur obtinendi electio, sed obtento secundo beneficio si primum non dimitteret, secundo priuandus esset: paulo post Innocent. III. in eodem concilio relatus *in cap. de multa de prebendis*, statuit obtinentes supradictas dignitates, officia personatus, aut alia quæuis beneficia curata: primum vacare ipso iure per adeptionem secundi etsi vtrumque retinere quis contenderit, secundo per sententiam priuaretur. & addit, vt nullus in eadem Ecclesia plures dignitates, aut personatus habere præsumat etiamsi curam non habeant animarum: consentit. *capit. litteras. de concess. præbenda. & cap. consuetudinem. De consuetud. in 6. ibi Nulli liceat de cætero, nisi vnicum personatum, vel dignitatem aut præposituram. siue administrationem vel officium perpetuum quocunque nomine censeatur cum prebenda in simul absque dispensatione dicta sedis in eadem Ecclesia obtinere, vel iam obtẽta obtinere. Quod si à quoquam secus præsumptum fuerit, irritum sit omnino*, idem ferè habetur *in element. fin. de præbend. & dignit.* vbi in eadem Ecclesia retinete quis duas præbendas non potest, tametsi vna illarum sit dignitatis accessoria. Post hæc Ioann. XXII. *in extrauag. execrabilis, de prebendis. §. qua tamen. & §. qui vero*, decreuit vt obtinens secundam dignitatem, personatum, officium, vel beneficium curatum vacaret primum ipso iure, & si vtrumque retinere præsumpserit, secundum similiter vacaret, & remaneret inhabilis ad ordines, & ad omnia alia beneficia acquirenda. Tandem successit Trident. concilium quod *sess. 7. cap. 4. de reformat. in hac verba pronunciat. Quicũque de cætero plura beneficia curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica, siue per viam vnionis ad vitam seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine. & titulo cõtra formam sacrorum canonum & præsertim constitutionem Innocen. III. quæ incipit* de multa *recipere ac simul retinere præsumpserit beneficiis ipsis iuxta ipsius constitutionis dispositionem ipso iure. etiã præsenti canonis vigore priuatus existat. c. 17. sess. 24. de reformat.* inquit idem concilium in posterum vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam eius cui confertur honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò vtrumque personalem residentiam non requirat eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam sæcularia, quam regularia quæcumque etiam commendata pertineant cuiuscumque tituli aut qualitatis existant.

Vt ergo supradictæ constitutiones, & incompatibilitas beneficiorum clatius eluceant plures difficultates veniunt examinandæ.

2 Prima est, an beneficia simplicia residentiam expostulantia ita sint incompatibilia, vt secundo obtento primum vacet ipso iure. Et idem est de canonicatu cum curato, aut per obtentionem pacificam vnius primum ipso iure vacet. Et quidem ex constitutionibus ante Trident. editis clarè constat ipso iure non vacare. Nam *c. referente & præterea. De prabendis* hæc beneficia incompatibilia obtinenti dabatur optio, vt quod maluerit eligeret *in c. quia nonnulli* delegabatur electio, & secundum mittebat non ipso iure, sed per sententiam *In c. de multa; & extrauag. execrabilis*, non de his beneficiis incompatibilibus sed de dignitatibus, personatibus officiis, beneficiis curam animarum habentibus, est sermo. Ergo beneficia simplicia incompatibilia obtinentes ipso iure non vacabant ante concil. Trident. Quod autem ex Tridont. decreto, *sess. 7. c. 4. de reformat.* vacent, non leuem difficultatem intulit Nauarr. *lib. 3. cons. tit. de prabend. cons. 34 in priori edit.* eo quod à iure antiquo recedendum

dendum non est nisi nouo iure cogente, *ex leg. præcipimus, Cod. de appellationib.* At Trident. non videtur de his beneficiis loqui, sed solum de beneficiis curatis, de quibus loquitur rex, *in c. de multa*, ad summum de dignitatibus, personatibus, & officiis, de quibus in extrauag. *execrabilis*, vel de beneficiis sub eodem tecto consistentibus, de quibus *in c. litteras, de concess. præbenda & clement. fin. eodem tit.* quod non leuiter indicat illa dictio copulatiua *etiam*, quæ denotat non aliam vacationem præsenti decreto induci, quàm quæ aliis sacris canonibus, & præsertim constitutione Innocent. III. inducta erat. Ob quæ Nauarr. supradicto loco censet seclusa declaratione Cardinalium non induci in his beneficiis ipso iure vacationem Idem tenet Lessius *lib. 2. cap 34 num. 145.* & absolutè absque hac limitatione eam defendunt. Flamin. Parisius *de resignat. lib. 3. q. 3. num. 132.* Marcus Anton. Genuen. *in praxi Archiep. Neapol. c. 64. n. 4. & 5.* Piasecus *in praxi Episcop. 2. p. c. 5. n. 26. v. secundo*, Prosper de August. *ad sum. bullar.* Quaranta *verbo beneficiorum resignatio cauſ. 8.*

3 Nihilominus pro certo tenendum est vacationem inducì ipso iure cuiuscunque beneficii simplicis residentiam præcisam expostulantis per obtentionem pacificam secundi incompatibilis: sic pluribus decisionibus Rotæ, sacræque congregationis declarationibus firmant Gonz. *gloss.* 15. *à num.* 16. Garc. 11 *p. de benef. cap. 5. à num. 83.* Azor. 2. *p. lib. 6. cap. 23. quæst. 2.* Ratio est: quia concilium generaliter prohibet sub priuatione ipso iure receptionem, & retentionem plurium beneficiorum curarorum aut aliàs incompatibilia: sed supradicta beneficia simplicia sunt incompatibilia illaque retinere est contra statuta, & constitutiones relatas *in cap. referente. cap. præterea de præbendis* Ergo vacant ipso iure. Neque in præsenti concilium innouat solum vacationem ipso iure ob pluralitatem beneficiorum incompatibilium *ex c. de multa.* Sed hanc vacationem ipso iure iuxta illius constitutionis dispositionem extendit ad quælibet beneficia incompatibilia, ita vt prætendens illa beneficia incompatibilia recipere, & retinere priuetur illis beneficiis ipso iure, sicut priuatur *in cap. de multa & extrauagant. execrabilis.*

4 Hinc fit te priuari non solum beneficio simplici primo obtento, sed etiam secundò, si vtrumque retinere præsumpseris, quia concilium absque vlla distinctione primi, vel secundi dicit te esse beneficiis priuatum ipso iure. Item quia licet *in cap. de multa*, secundo beneficio non priueris ipso iure, sed priuandus veniasiat *in extrauag. execrabilis.* vtroque ipso iure priuaris, si vtrumque retinere præsumpseris. Sed concilium in eo qui obtinet beneficia aliàs compatibilia, indicit ipso iure priuationem, beneficiorum iuxta priuationem quæ sacris canonibus statuta est. Cum ergo sacris canonibus statuta sit priuatio ipso iure non solum primi; sed etiam secundi beneficii ob retentionem vtriusque *ex dicta extrauag. execrabilis*, efficitur sanè te priuatum existere: sic Garcia 11 *p. de benef. cap. 4. num. 194.* Censeris autem præsumptuosè beneficia incompatibilia retinere, quoties sciens esse incompatibilia retines, quia latam culpam committis, quamuis à iudice monitus non sis, satis enim lex ipsa te monet. Garc. *loco allegato numer. 95.*

5 Secunda difficultas est de beneficiis simplicibus per se compatibilibus, an inquam hæc vacent ipso iure, si ea retinere præsumpseris; Et quidem si sint vniformia sub eodem tecto, vacabunt ipso iure. Quia esto ex munere, & residentia compatibilia sint, cum nullum ex illis residentiam expostulet; at quia iure ipso mutuo se excludunt *ex c. litteras de concess. præbenda eiomēt. fin. eodem tit.* ex iure ipso sunt incompatibilia, & obtento secundo vacat primum ipso iure, & sic tradit Glosla & Abbas *ibi*: Azor. 2 *p. l. 6. cap. 11. q. 3.* Garc. 11. *p. c. 5. n. 18.* Hojeda *de incompatibilit. benef. cap. 10.* Tusch. *litt. B. cont. 64. & 66.* Greg. Lopez. *leg. 3. tit. 16. part. 1. &* alij apud ipsos. Adde non solum primum beneficium vacare, sed etiam secundum, si vtrumque retinere præsumpseris ex *supradicto Trident. decreto*, si quidem iuxta formam sacrorum canonum beneficia vniformia in eadem Ecclesia sunt incompatibilia ex iure. Sed inquires quæ sint beneficia vniformia sub eodem tecto, quæ difformia? Respondeo illa esse vniformia, quæ cum sita sint in eadem Ecclesia, capella, seu cæmeterio illi contiguo, idem ministerium, & exercitium habent, & eandem congregationem constituunt: illa verò difformia, quæ diuersa munera obeunt: si enim vna capellania instituta est, cum obligatione dicendi singulis mensibus 14. missas, alia verò cum obligatione dicendi duas, aut aliud onus subeundi; dissimiles sunt, non similes: sic Nauarr. *cons. 16. de præbendis in nouis. & cons. 35. in antiquis.* Gonzalez *gloss. 10. n. 86.* Garcia 11 *p. de benefic. cap. 5. n. 265. & seqq.* August Barb. *alleg. 62. n. 14.*

6 Si autem in diuersis Ecclesiis beneficia existant, vel si in eadem existunt, difformia sint, distinguendum est an congruæ sustentationi singula sufficiant an non; Si nullum ex illis sufficiat, poteris absque dispensatione omnia retinere. Quia nullo textu apparet hoc tibi esse prohibitum, eaque de cauſa Trident. *sess. 24. c. 17. de reformat.* inquit vnum tantum beneficium simplex conferatur, quod si ad vitam eius cui confertur honestam sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat eidem conferri. Neque hanc potestatem denuo concilium Episcopis concessit, sed declarauit quæ alias iure ipso illis competebat. tradit. Garc. 11. *p. de benef. c. 5. à n. 235.*

7 Quod limitandum venit; dummodo eiusdem Ecclesiæ plura non sint, quam duo. Nam triplicem esse in vna Ecclesia iure ipso prohibetur, & absque Pontificis dispensatione id fieri non potest sic *gloss. fin. in clem. fin. de præbend.* & pluribus telatis Garcia 11. *p. de benef. cap. 5. n. 238.* Deinde limittandum est, nisi magna sit beneficiorum coacetuatio: quia hæc difformitatem causat, & scandalum generat. Flamin. *l. 3. de resig. q. 11. n. 139.* Barbosa *allegat. 62. n. 3.* Garcia 11. *p. cap. n. 273.* Raro tamen est magna beneficiorum multitudo quin aliquod, vel aliquot ex illis sufficientia non sint congruæ sustentationi.

8 Verum si aliquod ex illis sufficiens sit ad tuam congruam sustentationem, nequaquam poteris absque Pontificia dispensatione aliud sufficiens retinere. Quia in supradicto Trident. decreto expresè cauetur nemini habenti beneficium sufficiens aliud esse concedendum, subintelligitur ad effectum retentionis: sic Garcia 11. *p. de benefic. cap. 5. à n. 273.* Barbosa *allegat 62 n 8.* Tametsi in Hispania videatur contrarium consuetudine seruari: vt passim ordinarij habenti beneficium sufficiens conferant. Sed non est sustinenda hæc consuetudo, cum sit expresè contra ipsum concilium.

9 Sed quid si ordinarius de facto conferat beneficium sufficiens tibi habenti aliud, tenerne concessio & beneficium prius obtentum vacat, vel vacat vtrumque si vtrumque præsumis retinere; Affirmat Garc. *dicto cap. 5. n. 283.* concessionem validam esse si fiat ab ordinario; secus si fiat à delegato Pontificis. Nam ordinarius potestatem habet prouidendi de beneficio ei qui aliud habet sufficiens, cum obligatione vt statim prius habitum dimittat, delegatus verò Pontificis nequaquam videtur hanc potestatem habere, siquidem non habet potestatem prouidendi nisi personas idoneas iuxta rex. *in cap. is cui. 19. de præbendis in 6.* beneficiatus autem competenter non videtur idoneus prouisioni nouæ. Deinde affirmat Garcia facta prouisione secundi beneficii sufficientis vacare ipso iure primum sufficiens: quia cum sint incompatibilia hæc beneficia ob sufficientium, *dicto cap. 17. sess. 24.* & beneficia alias incompatibilia ipso iure vacant ex rex. *in c. 4. sess. 7. de reformat.* sit hæc beneficia vacare, & ita declarasse sacram congregationem refert Garc. *supra.*

10 Cæterum existimo concessionem beneficii sufficientis factam habenti beneficium aliud sufficiens validam esse, non solum si fiat ab ordinario, sed etiam si fiat à delegato Pontificis. Quia habens beneficium sufficiens incapax non est aliud sufficiens recipiendi, si velit prius habitum dimittere; sicuti habens beneficium curatū aliud curatum recipere potest cū voluntate dimittendi primum. Ergo potestatem habens prouidendi in beneficio personas idoneas hunc prouidere poterat. Quod si habens beneficium sufficiens, velit de alio sufficienti prouideri cum retentione prioris, non solum delegatus, sed neque ordinarius id præstare poterit, quia ordinario non licet habenti sufficiens, illudque retinere volenti aliud sufficiens conferre. Et si tentet hanc facere collationem nulla erit, vtpote de persona inhabili, & incapaci.

11 Majorem mihi difficultatem infert, an obtento secundo beneficio sufficienti vacet primum ipso iure; Nam licet Trid. *sess. 7. c. 4.* inducat vacationem ipso iure in beneficiis aliàs incompatibilibus, siue sint incompatibilia ex munere, siue ex iure non videtur comprehendere horum beneficiorum incompatibilitatem; quia hæc incompatibilitas non tam est beneficiorum quam beneficiati, cui est illorum beneficiorum inredicta collatio: & ita non vacare primum beneficium ipso iure secundo sufficienti obtento, sed venire vacandum, tenet alias relatis Gonz. *gloss. 15. n. 26.* Barb. *alleg. 62. n. 3.*

12 Hinc colligere potes quid dicendum sit, si tibi habenti beneficium sufficiens, aliud non sufficiens conferatur? Nam attenta opinione Garciæ, qui dicit hæc beneficia incompatibilia esse eo quod nemini habenti beneficium sufficiens aliud conferri possit dicendum est obtentione secundi beneficij primum ipso iure vacare. At Gonz. & alij negantes hæc beneficia incompatibilia esse ex munere vel ex iure; sed solum ex persona, censere debent obtentione secundi beneficij sufficientis primum sufficiens non vacare ipso iure, sed venire vacandum.

13 Sed adhuc in opinione Garciæ est dubium, an obtento primo beneficio insufficienti, si secundum sufficiens obtineas, vacet ipso iure per obtentionem secundi primum insufficiens? Affirmat Garcia *dicta 11 p. cap. 5. n. 303.* eo quod finis Concilij sit, ne quis duo beneficia habeat, quorum alterum sit sufficiens, siue illud sit primo collatum, siue secundo. Ergo illa beneficia incompatibilia sunt; ac proinde vno obtento aliud vacat. Nihilominus credo probabilius neque prohibitam esse collationem secundi, neque illo obtento vacare primum insufficiens: colligitur ex concilio *sess. 24 cap. 17.* ibi enim dicitur, si tiens: colligitur ex concilio *sess. 24 cap. 17.* ibi enim dicitur, si beneficium collatum alicui non sit sufficiens ad honestam sustentationem, liceat aliud simplex sufficiens ei conferri. Ergo

supponit concilium ex retentione primi insufficientis non impediri secundi sufficientis collationem. Neque obstat quod vnum tantum beneficium Ecclesiasticum sufficiens singulis sit conferendum, quominus habenti insufficiens possit sufficiens conferri: quia de facto ei non confertur nisi vnicum beneficium sufficiens: aliud namque insufficiens ei non confertur, sed collatum supponitur.

14 Petes quod dicatur beneficium sufficiens, ad honestè beneficiatum sustentãdum? Optimè huic quæsito satisfacit Glossa *in cap. cum adeo de rescript. & in cap. conquerente, de cleric. non residentib. & cap. Clericus, cap. clericum 21. q.* Menoch. *de arbitr. casu 216.* Nauarr. *miscell. de orat. 62.* Azor. *2. p. instit. moral. l. 6. cap. 10. q. 9.* Flamin. *lib. 5. q. 6. n. 131. & seqq.* Aug. Barbosa *alleg. 19 num. 8. & alleg. 62. num. 11.* Omnes ij Doctores concludunt iudicis arbitrio relinquendum esse, spectata enim qualitate beneficij, & beneficiati plus vel minus designandum est. Beneficiato namque simplici minus designari debet quam canonico, & canonico minus quam dignitati, & dignitati minus quam Episcopo, & beneficiato infimæ sortis minus quam nobili, & illiterato minus quam docto; sed quantum in his iudex arbitrabitur; non potest certa regula definiri: illam exittimarem aptiorem, quæ desumitur ex vsu, & consuetudine timoratorum: spectet enim beneficiatus quantum aliis timoratis beneficiatis eius qualitatis superfit, vt se possint honestè sustentare, & beneficium hanc summam attingens sufficiens erit. Aduertetamen sub honesta sui sustentatione comprehendi sustentationem suæ familiæ, nempe patentum, frãtrum, sororum, & nepotum egentium; imò & filiorum, tametsi ex legitimo matrimonio nati non sint: quia omnibus iis alimenta debentur. Item sustentationem famulorum, & equorum, quos alij similes beneficiati timorati alunt. Item eas eleemosynas, & hospitia, quæque alij similes præstant. Quia sine his sustentari decenter non potest.

15 Sed obiici potest, non posse sacris ordinari litteratum, & nobilem eo beneficio, quo illiteratus, & ignobilis ordinaretur, si ad decentem litterati, & nobilis sustentationem amplius quam ad sustentationem ignobilis, & illiterati requiritur. Cum tamen in Trident. *sess. 21. cap. 2. de reformat.* nulla distinctio horum facta sit, sed illud beneficium statutum est ad hunc effectum sufficere, quod ad honestum victum beneficiati sufficiat. Respondeo negando sequelam. Nam licet nobili, & litterato ampliot sustentatio debeatur, vt cum decentia, & decore vitam transigat; non tamen debetur ampliot sustentatio ad effectum, ne mendicare cogatur. Item debetur illi ampliot sustentacio, quatenus nobilis, & litteratus est; non tamen quatenus est clericus. Sed in Trident. *sess. 21. c. 2.* sufficientia beneficij spectata fuit ex eo solum quod clericus esset, ad hunc tantum effectum ne cum ordinis dedecore mendicare cogeretur, vt ex ipso textu constat. Ergo eadem est omnibus designanda. *sess. 24. cap. 17. de reformat.* sufficientia beneficij absolutè, & absque hac limitatione sumitur, ideoque pro diuersitate beneficij, & beneficiatorum ampliot, vel strictiot designatur.

15 Tertia difficultas est de beneficiis litigiosis: an inquam hæc vacent obtentione pacifica secundi beneficij incompatibilis? Recepta est omnium sententia vacare, quia nulla est ratio, quare retinendum sit: solum namque retineri poterat ob periculum amittendi secundo obtentum: at obtenta pacifica possessione illius cessat omne periculum. Ergo cessat ratio, quare litigiosum retinendum sit, ergo retineri non poterit, ac proinde vacat; & ita tenet Innocent. *in cap. in nostra de rescrip.* quem testatur Nauarr. *cons. 14. alias 31. de prabend.* esse ab omnibus receptum. Rebuff. *in praxi. tit. de tacita renunciat. vers. 3. qui litigat.* Garcia referens à sacra congregatione decisum, 11. *p. de benef. c. 5. n. 107.* Lessius *l. 2. c. 34. n. 141.* Econtra verò obtentione secundi beneficij litigiosi non vacat primum pacificum, ne periculum subeas remanendi absque vllo beneficio, Nauarr. Garcia & Lessius *supra.*

17 At contingere potest, vt obtento titulo vnius beneficij, antequam illius possessionem ceperis, obtineas secundum litigiosum, & durante litigio secundi, prioris accipias possessionem, vacabitne tunc litigiosum, secundo obtentum? Videtur vacare; quia eadem ratio militat. Nam licet sit secundo obtentum, reputatur ac si primò obtentum esset; & primum beneficium ob possessionem pacificam de nuo obtentam reputatur secundò obtentum. Nihilominus probabilius censeo, cum Garcia, Nauarr. & Lessio *supra*, non induci vacationem ipso iure, eo quo hic casus omissus fuerit à iure: cius enim solum induxit vacationem primi beneficij ob obtentionem pacificam secundi, quod non de sola possessione, sed de possessione, & titulo intelligendum est; quia illa est vera beneficij obtentio, & leges odiosæ, & pœnales extendendæ non sunt etiam ad casum similem.

18 Si autem duo beneficia incompatibilia ex dispensatione haberes, & illis retentis aliud etiam litigiosum tibi collatum esset, nulla esset collatio nisi Pontifex dispensaret conscius illorum beneficiorum pluralitatis: haberet expresse. *cap. ordinarij. §. in conferendis de officio ordinar. in 6.* & notauit Garcia 11. *de benef. cap. 5. n. 109. & 177.*

19 Quarta difficultas est de beneficiis nondum acquisitis, sed acquirendis, qualiter vacent obtentione aliorum incompatibilium? v. g. electus, vel præsentatus es ad beneficium parochiale, sed non es confirmatus, nec institutus, collatum tibi est beneficium, sed non acceptasti collationem, vacatne huiusmodi beneficium obtentione pacifica secundi incõpatibilis? Respondeo ipso iure vacare, vt colligitur expresse *ex clem. gratia. de reser.* vbi mandatum de prouidendo expirat obtentione secundi beneficij incompatibilis: & tradit ibi Gloss. Nauarr. *cons. 13. alias 26. de prabend. n. 7.* Garcia 11. *p. de benef. cap. 5. n. 69.* Quia obtentione secundi beneficij incompatibilis tacitè priori gratiæ renunciasti.

20 Quinta difficultas est, qualiter secundum beneficium obtinendum est, vt vacationem ipso iure inducat prioris obtenti? Breuiter respondeo pacificè obtinendum esse, non solum quoad titulum sed etiam qnoad illius possessionem: constat ex *cap. de multa. eodem tit. & cap. licet Episcopus. de prabendis in 6. extrauag. execrabilis, & clement. plures, de prabendis.* Quod adeò verum est, vt si obtento beneficio nolis illius possessionem accipere, cum possis, vacabit primum beneficium ac si de facto possessionem obtinuisses. Quia dolus, & fraus nemini fauere debent, & constat manifestè, *ex dicto, cap. licet Episcopus & extrauag. execrabilis,* & tradunt omnes.

Hinc colligere debes, si prouisus à Pontifice de secundo beneficio incompatibili nolis bullas expedire, ne arceris illius possessionem accipere, non obinde excusare prioris incompatibilis vacationem. Quia iam per te ipsum stat, quominus possessionem secundi accipias. Garcia, referens sic decisum à Rota, 11. *p. c. 5. n.* 104. Secus vero dicendum est, si à possessione capienda impediaris ob alterius in beneficium intrusionem. Quia durante hoc impedimento, etiamsi pro illo remouendo nullam diligentiam facias, non censeris morosus & culpabilis in possessione, sed ad summum in remotione impedimenti. Garcia *supra.*

21 Censeris autem pacificè beneficium obtinere, si nulla lite super ius, aut possessionem illius molesteris tempore collationis, aut possessionis acceptæ, vel immediatè post. Nam si immediatè post molestaris, censeris in ipsa collatione, vel possessione molestatiae proinde non pacificè obtinere, vt tradit Glossa *in cap. Commissa, verbo pacificam. de electione in 6.* Cassador. *decis. 9. de causa possess. n. 2.* Garc. 11. *p. cap. 5. n.* 110. Tiraquel. *in leg. si vnquã. verb. susceperis liberos. n. 149. Cod. de reuocand. donat.* Mascard. *de probat. concl. 183. n. 42.* & alij apud ipsos. Sed quãtum tempus transire debeat libertum à litigio post collationem, & possessionem acceptam, ne lis superueniens turbidam, & litigiosam collationem, vel possessionem faciat, & impediat vacationem prioris beneficij obtenti, non constat inter Doctores. Aliqui enim ad annum extendunt, sed immeritò, aliàs deberent Ordinarij annum integrum expectare, vt prius beneficium vacans prouiderent, quod est contra stylum, & praxim receptam. Alij verò ad duos menses, quibus assentitur Cassad. & Garcia *supra*: & merito: quia distantia duorum mensium moraliter loquendo nulla est. Quapropter si intra duos menses à recepta possessione beneficij lis mota fuerit, statim, & in continenti dici potest possessionem turbari, & vacationem prioris impedire. At si absque vllo litigio duo menses transierint, firma est possessio, & beneficium primum incompatibile vacat à puncto quo secundi fuit capta possessio.

22 Deinde vt hæc collatio, & possessio secundi beneficij obtenti inducat prioris vacationem debet esse tibi fructifera. Nam si fructus illius beneficij, non tibi sed alteri applicantur siue ex priuilegio, siue ex consuetudine, eo tempore quo hoc contingit, non inducit vacationem prioris beneficij obtenti. Quia quousque tibi fructus tradantur, non censeris beneficium plene obtinere. Est decisio expressa text. *in cap. si tibi concesso, de prabendis in 6.* & tradit Glossa, & Abbas *n. 16.* Cassador. *decis. 9. di causa possessione n. 2.* Azor. *2. p. l. 6. c. 16. q. 9.* Garc. 11. *p. de benefic. c. 5. n. 23.* & alij. Hinc infertur, si in aliqua Ecclesia non esset receptum Trident. decretum *sess. 24. c. 14. de reformat.* & Bulla Pij V. *106.* de applicandis fructibus, sed illis non obstantibus, fructus omnes, vel maior illorum pars pro primo, vel secundo anno fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio applicentur, collationem, & possessionem huius beneficij non inducere vacationem illo tempore alterius beneficij incompatibilis prius obtenti. Et idem videtur dicendum etiamsi fructus mensæ capitulari applicentur diuidendi inter antiquos. Quia semper est verum tibi illo tempore infructiferum esse beneficium: sic post alios tradit Garc. *à n. 145.*

23 Huic doctrinæ duplicem limitationem adhibet Garcia, prima *n. 35.* vt non procedat, cum alteri fructus, omnes, vel maior illorum pars est reseruata ad vitam, nisi simul sit tota administratio reseruata: ne dicamus pro tota vita reseruatarij, seu pensionarij te posse vtrumque beneficium retinere. Hæc tamen limitatio mihi non probatur; ideo namque retinere primum beneficium potes, si secũdi beneficij fructus pro aliquo tempore sunt alteri reseruati, ne pro illo tempore cogaris mendicare. Sed hæc ratio efficacius procedit, si pro tota vita alterius fuer-

reseruati. Ergo illa vita durante non tibi vacat primum beneficium, ac proinde neque illud dimittere teneris, sed vtrumque habere poteris. Secundò limitat Garcia *n.* 137. & bene ne procedat vbi solutio differtur post mortem. Nam dilata solutio non impedit, quin tui sint fructus, tibique debiti, tibi aut tuis hæredibus aliquando applicandi.

24 Sed quid si solùm de facto, & non de iure secundum beneficium obtineas, eo quod ob aliquod impedimentum collatio, & possessio nulla sit, vacaue primum beneficium? Alicui videbitur non vacare. Quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. Sed omnino dicendum est, si scienter secundi possessionem accipias, vacare ipso iure primum in pœnam delicti commissi, ne ob iniustam possessionem melioris conditionis sis, quam ob iustam, vt expressè deciditur *cap. eum qui, de prabend. in 6.* Requititur autem, quod de facto possessionem secundi beneficij accipias; quia illa pœna ob intrusionem imponitur, ac proinde non sufficit, vt possessionem accipere possis, cum optimè facias, si ab illa abstineas. Garcia 11. *part. de benefic. c. 5. à numero 173. cum gloss. in clem. si plures, de prabend.*

25 Ex dictis colligere potes, quando ob obtentionem secundi beneficij impediaris resignare in fauorem beneficium prius obtentum? Respondeo te impeditum esse, quoties prius obtentum vacat ipso iure. Nam illo casu tuum non est, licet antea fuerit. Hinc fit si tibi habenti dignitatem personatum, officium, aliudve beneficium curatum, aliud simile conferatur, illiusque possessionem pacificè accipias, non posse prius habitum in fauorem alterius dimittere. At antequam illius possessionem accipias, & in illa accipienda morosus iudiceris, bene poteris prius habitum resignare, vt confirmat praxis satis recepta: sæpè enim parochus ad nouam parochiam promouetur, & canonicus ad nouum canonicatum, & antequam secundi possessionem accipiant, primum in fauorem resignant.

26 Sexta difficultas est, quis dispensare possit, vt plura beneficia aliàs incompatibilia obtineas? Certum est Pontificem posse iuxta causa intercedente, cum omnium beneficiorum administratio illi subdatur. At si absque legitima causa plura alicui beneficia conferet, probabilius censeo nullam esse concessionem, vtpote aduersam iuri naturali, & diuino: ius enim naturale, & diuinum præscribit, ne plura stipendia vnum officium soluenti concedantur, neve Ecclesia debitis ministris destituatur, neve in vnum omnia coaceruentur. Azor. 1. *p. lib.* 6. *c.* 12. *q.* 7.

27 Solum est dubium an censeatur Pontifex in hac pluralitate beneficiorum dispensare, eo solum quod denuo concedit tibi beneficium conscius aliorum quæ obtines? Et quidem si illorum qualitatem, & quantitatem cognoscunt, clarum est censendum esse dispensare: at quia sæpè ignorat beneficia quæ habes sufficere ad tui congruam sustentationem, tametsi qualitatem illorum manifestes, si de facto ea sufficiunt, & tu non declaras, non censetur Pontifex dispensare, vt expressè decidi viderut *cap. non potest. § fin. de prabend. lib.* 6. ibi: Cum verò tibi (non obstante quod aliud beneficium obtinere noscaris) à sede prædicta de aliquo beneficio prouideri contingit, per hoc tecum, vt primum beneficium cum secundo retinere valeas non intelligitur dispensatum: hoc enim solum præfata operatur expressio, quod facta tibi gratia nequeat subreptitia nuncupari, & ita tradit Nauarr. *de orat. miscell. 61. n.* 2. Gonzal. aliis relatis. *gloss.* 15. *n.* 27. Et ratio est, quia Pontifex conferens denuo beneficium habenti aliud cum facultate illud retinendi, præsumit nullum ex illis sufficere ad honestam sustentationem.

28 Præter Pontificem nullus alius iure ipso habet potestatem dispensandi in pluralitate dignitatum, personarum, officiorum, seu beneficiorum curam animarum habentium. Quia lege Pontificia hæc pluralitas interdicta est. *cap. de multa, de prabendis, extrauag. execrabilis, eodem tit.* & nullibi habetur Legato, seu Episcopo hanc potestatem concessam esse: sic Glossa *in suprad. c. & in cap. non potest. de prabend. l.* 6. Mandos. *de signatur. grat. tit. de dispensat. ad plura, vers. aut loquimur.* Garc. alios referes, 11. *p. de benefic. c.* 5. *num.* 337. Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 6. *cap.* 12. *q.* 6. Item neque Episcopus, neque Legatus à latere potest dispensare in pluralitate beneficiorum simplicium sub eodem tecto, quia iure communi sunt incompatibilia: *ex cap. litteras de concess. prabenda,* & Pontifex nemini remittit dispensationem: sic Azor. *dicta q.* 6. Garc. *à n.* 370. Aug. Barbosa *allegat.* 62. *n.* 12. vbi alios refert, quamuis si beneficia simplicia sint, & personalem residentiam non requirant, nec sint sufficientia teneat *prax. episc.* 1. *p. verbo beneficium. §.* 7. *concl.* 6. Perez de Lara *de capell. l.* 2. *c.* 7. *n.* 13. Posse Episcopum dispensare, sed absque fundamento. Deinde non potest Episcopus, neque Legatus à latere dispensare in pluralitate beneficiorum personalem residentiam requirentium. Quia Concilium *sess.* 24. *cap.* 17. *de reformat.* expressè concedit habenti beneficium insufficiens, aliud simplex conferri, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat. Ergo in his quæ personalem residentiam requirunt, non cadit Episcopalis dispensatio. Garcia. 11. *p. c.* 5. *n.* 371. Ob eandem rationem nequit Episcopus, nec Legatus dispensare in pluralitate beneficiorum sufficientium, tametsi personalem residentiam non requirat vtrumque; quia suptadictum Trident. decretum statuit vnum tantum beneficium Ecclesiasticum sufficiens singulis conferri. Azor. 1. *p. lib.* 6. *cap.* 12. *q.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 146. Garcia 11. *p. de benefic. c.* 5. *n.* 372. Quocirca Episcopus, & legatus solum tibi concedere possunt duo beneficia difformia sub eodem tecto, cum vnum congruæ sustentationi non sufficit. Item duo beneficia simplicia insufficientia in diuersis Ecclesiis, si vtrumque residentiam incompatibilem non requirat. Garcia *n.* 376. Azor. *supra. q.* 6.

§. V.

De vacatione contingente ob promotionem ad Episcopatum, Abbatiam, seu Prælaturam Ecclesiæ collegiatæ

1. *Promotione ad Episcopatum omnia beneficia vacant. Et qualiter promotio intelligatur.*
2. *Vacant ante possessionem adeptam, quoad effectum ne renunciari possint.*
3. *Si ex vna Ecclesia ad aliam transferaris, vacat prior eo ipso quo translationi consentias.*
4. *Debet translatio esse fructifera.*
5. *Obtentione cuiuslibet beneficii incompatibilis vacat Episcopatus, tametsi contrarium alij sentiant.*
6. *Episcopus incapax est cuiuslibet beneficij obtinendi seclusa dispensatione, vt verius defendimus.*
6. *Item vacant beneficia ob promotionem ad abbatiam, seu prælaturam*

1 DE hac vacatione dixi *hoc tract. disp.* 3. *pun.* 17. Certum namque est promotione ad Episcopatum omnia beneficia vacare ex text. *in cap. cum in cunctis. §. vero, de electione. Trident. sess.* 7. *c.* 9. *& sess* 23. *cap.* 2. *de reformat.* Quod Doctores extendunt ad pensiones. Anastas. Germon. *de indult. Card. §. vero. n.* 20. & 39. Flamin. *lib.* 3. *q.* 1. *n.* 8. *&* 78. Garc. 1. *p. cap.* 5. *n.* 110. Barbosa 3. *p. de potest. episcop. alleg.* 57. *num.* 73. Nomine promotionis intelligo electionem, illiusque confirmationem à Romano Pontifice. Nam quousque electio confirmata sit ius in Episcopatu non obtines: insuper debes spectato iure communi possessionem adipisci, vel in illa adipiscenda morosus esse, vt beneficia habita vacare censeantur. Et idem est si post electionis confirmationem intra tres menses non consecreris; tametsi possessionem non habeas, vacabunt beneficia ipso iure *cap. cum in cunctis,* & ibi gloss. & Doctores. Dixi spectato iure communi: nam attento stylo curiæ & consuetudine recepta Pontifex confirmans tuam electionem solet decernere beneficia habita ab illo puncto vacare, & virtute huius decreti vacabunt, prouideriique poterunt, & de illis prouisi poterunt possessionè accipere antequam tu possessionem tui Episcopatus habeas. Sed qua contingere potest, vt à possessione accipienda impediaris, & prouisio ad Episcopatum non habeat effectum, beneficia habita non plenè, & perfectè vacant, nec firmiter prouideri possunt, sed solum sub conditione quod tua prouisio effectum habeat, aut per te ipsum stet quominus illum habere possit: sic aliseletis docet Garcia 11. *p. de benef. c.* 6. *à num.* 6. Azor. *lib.* 7. *c.* 16. *q.* 12. Aug. Barbos. *alleg.* 57. *n.* 68.

2 Vnum tamen est certum suprадicta beneficia vacare ante possessionem adeptam quoad effectum ne illa renunciare possis; quia à puncto prouisionis Pontificiæ reseruantur, *ex extrauag. ad regimen. de prabend.* & tradit Azor. & Barbosa. *supra.* Nauarr. *cap. decepta. de restit. spoliat.* 10. *solut. n.* 34. Cassador. *decis.* 2. & 3. *de constit.* Garcia 11. *p. c.* 6. *n.* 30. Adde ex reg. 25. Cancel. omnia beneficia promouendorum ad ecclesias cathedrales, seu alias Prælaturas reseruantur, ita vt nec resignari, neque permutari possint à puncto electionis. Quod in Hispania non seruatur, cum electi ad Episcopatum sua beneficia resignent in fauorem illorum, quos Rex optat, cum derogatione tamen suprадictæ regulæ Garc. *d.* 11. *p. c.* 6. *n.* 37.

3 Quod si ex vna ecclesia ad aliam translatus sis, spectato iure communi vacat prior, eo ipso quo translationi secundæ à Pontifice factæ consenseris tametsi secundæ possessionem non acceperis *c. in apibus. §. translatis.* 7. *q.* 1. *c. quante de translat. Episcopi.* Sed hoc procedit litteris expeditis, & capitulo ostensis, ex text. *in extrau. iniuncta de electione inter communes.* Nam ante illam expeditionem, & litterarum capitulo ostensionem prima ecclesia non vacat, & secundæ administrationem non habet. Gonzal. *gloss.* 15. *n.* 49 *&* §. 3. *n.* 48. Aug. Barb. *alleg.* 17. *n.* 211.

4 Aduerte hanc translationem debere esse fructiferam; nam si episcopatus sit ex solo titulo, nullius beneficij præhabiti vacationem inducit. Nauarr. *cons.* 14. *de elect. n.* 3. Flamin. *lib.* 3. *q.* 1. *n.* 9. *&* 89. Garcia 11 *p. de benef. c.* 6. *n.* 24. Aug. Barb. *alleg.* 57. *n.* 74. Azor. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12.

E contra dubium est; an episcopatus vacet ex obtentione aliorum beneficiorum etiam simplicium? Negat abbas *in 4. cum nostris, de conces. prabenda.* Nauarr. *cons.* 14. *de elect. n.* 3. *in 2. edit.* Garcia alios referens, 11. *p. de benef. cap.* 4. *n.* 43. Fundamentum esse potest, quia nullibi cautum est ob obtentionem dignita-

goitatum canonicatuum, aliorúmque beneficiorum Episcopatum vacare. Nam licet *in cap. de multa* incompatibiles reddita sint duæ dignitates, personatus, officia aliaque beneficia curata; non videtur sub his Episcopatus comprehensus cum non fuerit expressus. Item licet beneficia simplicia vacent obtentione Episcopatus *ex dicto c. cum in cunctis de electione*, non tamen inuenitur à iure statutum vacare Episcopatum obtentione beneficiorum simplicium. Deinde collatio præposituræ, vel dignitatis nulla est facta Episcopo *c. cum nostris de concess. prabenda*. Sed quod nullum est, nullum præstare potest effectum. Ergo hæc beneficia non possunt Episcopatus inducere vacationem.

Cæterum mihi probabilius apparet Episcopatum vacare obtentione cuiuslibet beneficij. Moueor: quia quodlibet beneficium est incompatibile cum Episcopatu, ita vt retineri nullatenus possit *ex dicto c. cum in cunctis*. Sed Trident. Concilium *sess. 7. cap. 4* inducit ipso iure vacationem beneficiorum incompatibilium, ergo vacat Episcopatus obtentione cuiuslibet beneficij. Si autem beneficium sit curatum, dignitas, officium seu personatus, iuxta tex. *in cap. de multa* efficacius procedit Episcopatus vacatio, eo quod Episcopatus potissima dignitas sit. Neque obstat collationem beneficiorum factam Episcopo nullius esse momenti, quominus Episcopatus vacationem inducat *ex cap. cum qui de prabend.* quia non debet esse melioris conditionis stulus quam prudens; si enim legitima obtentio beneficij incompatibilis inducit præxistentis vacationem, etiam inducere eam debet illegitima, & iniusta.

6 Quod si inquiras: an Episcopus incapax sit recipiendi beneficia simplicia, posito quod Episcopatus tenuis sit, & insufficiens; Negat Lessius *lib 2. cap. 34. n. 139.* eo quod nullibi inueniatur cautum Episcopum inhabilem esse ad beneficia futura simplicia, tamesi præhabita amittat. Probabilius tamen est oppositum nempe Episcopum incapacem esse cuiuscunque beneficij obtinendi, seclusa Pontificia dispensatione. Nam esto expresso iure inhabilis factus non sit, tacitè tamen factus est; dum beneficia cum Episcopatu incompatibilia sunt: hæc enim incompatibilitas non tam respicit primum Episcopatus ingressum, quam illius perseuerantiam, & durationem: sic Abbas *in cap. Ecclesia vestra. n. 2. de electione & c. cum nostras de concess. prabenda. nu. 47 & 15.* Garcia aliis relatis, *11. p. de benef. cap. 6 num. 44.*

7 Rursus vacant beneficia omnia ob promotionem ad abbatiam, seu Prælaturam alicuius Ecclesiæ regularis, seu collegiatæ, modo illa prælatura iurisdictionem habeat quasi Episcopalem; quia episcopatus dignitatem imitatur, secus illa iu risdictione careat. Nam tunc, cum aliis dignitatibus æquanimiter procedit, Garcia *dicta 11. p. de benefic. cap. 7. à n. 1 & seqq.* & ex regula Cancell. 25. de beneficiis vacantibus ob promotionem ad Ecclesias, vel monasteria.

§. VI

De vacatione ob matrimonij contractum

1 *Matrimonium per verba de præsenti inducit beneficiorum vacationem. Aliqui censent non inducere ipso iure.*
2 *Tenendum est oppositum.*
3 *Sponsalia de futuro hanc vacationem non inducunt.*
4 *Vacant non solum beneficia, sed iura ad beneficia, & pensiones*
5 *Contrahens matrimonium nequit beneficia retinere, aut in fauorem resignare.*
6 *Item nec semel amissa recuperare absque noua collatione, tametsi matrimonium dissoluatur:*
7 *Neque Ordinarius dispensare potest.*
8 *Matrimonio nullo plures censent beneficia vacare.*
9 *Probabilius est oppositum.*
10 *Limitant aliqui, vt procedat, si matrimonium nullum scienter contractum est, secus si ignoranter. Sed non admittitur limitatio.*
11 *Si in minoribus Ordinibus constitutus, contrahas cum consanguinea, vel affine, non vacant tibi beneficia, esto veniant vacanda.*
12 *Idem est dicendum in matrimonio nullo ex defectu consensus.*
13 *In matrimonio nullo ex defectu formæ.*
14 *Idem in matrimonio nullo ex impedimento sacri Ordinis.*
15 *Item cum propter defectum ætatis matrimonium est nullum*

1 MAttrimonij contractum per verba de præsenti inducere beneficiorum obtentorum vacationem omnium est sententia, cum Glossa *in cap. 1. & 2. de cleric. coniug.* eo quod sit status incompatibilis cum beneficio. Nec desunt Doctores sentientes hãc vacationem non induci ipso iure, sed iudicis sententiam desiderarisse Alexand. Carrerius *lib. 3. de sponsal. cap. 3.* Man. Rodrig. *2 sum cap. 224. n. 5.* & videtur tenere Glossa *in cap. coniugatus verbo ad sacros ordines do eomuers. coniugat.* quatenus inquit sic contrahentes debere beneficiis priuati: supponit ergo non esse ipso iure beneficiis priuatos. Et probari potest, Quia nullus est textus, ex quo colligatur clarè hæc vacatio. Nam *in c 1. de cleric. coniugat.* dicitur sic contrahentes districtione Ecclesiastica compellendos esse ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas vxores *& in cap. quod à te. 3. eodem tit.* debere beneficio priuari, & paulo inferius esse beneficiis spoliandos, & *in cap. diuersis fallaciis 5. eodem tit.* cauetur esse beneficiis spoliandos. Neque apparet tex. hanc priuationem ipso iure inducens. Adde esto illam induceret, videtur subintelligendum esse posita iudicis declaratione; cum satis receptum sit leges inducentes iuris quæsiti priuationem non obligare in conscientia, quousque sententia declaratoria accedat. Denique est tex. *in cap si qui vero 31. disp.* vbi (inquit Gregor. si qui sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri vxores debent, stipendia sua exterius accipere. Ergo stipendia, quæ antea accipiebant, non vacant matrimonio contracto, cum potius illa accipere permittantur. Idem reperitur *in cap. quia tua 12. q. 1.*

2 Tenenda tamen est communis sententia, ipso iure sic contrahentem priuatum esse absque vlla iudicis declaratione: sic post alios antiquiores tenet Mascard. *de probat. concl. 182. n. 1. & 2.* Nauarr. *cap. 15. n. 110.* Thom. Sanch. *lib. de matr. disp. 42. n. 4.* Gonzal. *gloss. 15. n. 43.* Lessius *l. 3. cap. 14. dub. 21. num. 12.* Garcia *11. p. de benefic. cap. 8. num. 1.* Ioann. Gutier. *tract. de matr. q. 97. n. 2.* August. Barbos. *allegat. 57. n. 22.* Farinac. *fragment. 1. p. verbo clericus n. 133.* Azor. *1. p. instit. moral. lib. 1. cap. 28. q. 8. & 2. p. lib. 7. a 16. q. 4.* & alii plures. Fundamentum est, quia hæc priuatio beneficiorum non iuducitur ob delictum cum nullum sit? sed inducitur ob statum incompatibilem assumptum; quo cum beneficia non compatiuntur. Ergo necessaria non est iudicis declaratio. Item contrahens matrimonium ipso facto Ecclesiam relinquit, & eam pro derelicta habet; vacant ergo ipso iure beneficia. Neque obstant in contrarium allegata. Nam vt bene explicat Glossa *in cap. 1. de cleri. coniugat. verbo relinquendo.* Sic contrahentes compelluntur quoad factum, & possessionem, beneficia relinquere, eo quod iniusti sint detentores illorum vt clarè constat *ex cap. diuersis eodè tit.* ibi *detinere contendit*: ex quo inferri non potest ius aliquod in illis habere: imo potius ex verbo *spoliandos*, quo vtitur, constat omni iure priuatos esse. Text. vero *in cap. si qui cap. quia tua.* non vrgent: quia, vt dicit Glossa *in c. 1. de cleric. coniugat.* sunt iam correcti. Deinde possunt intelligi cum Panormit. ibi de stipendiis temporalibus ob aliquod ministerium in Ecclesia exercitum, non de beneficiis Ecclesiasticis.

3 Dixi hanc vacationem beneficiorum inducì matrimonio contracto per verba de præsenti, vt hinc intelligetes contractum per verba de futuro non inducere vacationem quia non est mattimonium, sed via ad illud, ac proinde non constituit statum incompatibilem. Mascard. *n. 1. & vlt.* Thom. Sanc. *n. 1.* Nauarr. *n. 120.* Gutierr. *n. 1.* Garc. *n. 19.* Gonzalez *n 43.* Lessius. *n. 114.* Farinac. *4. p. prax. q. 168. n. 108.* Non tamen est necessarium vt matrimonium sit consũmatum, sufficit si de facto contractũ sit, quia iam est assumptus status incompassibilis: sic aliis relatis, Sanch. *dicta disp. 42. n. 5.* Nauart. *ca. 15. n. 110.* Farinac. *q. 138. n. 180.* Azor. *2. p. lib. 7. cap. 16. q. 4.* & alii.

4 Amplia primò, vt non solum beneficia, sed iura beneficia contracto matrimonio vacent. Quia matrimonium est status incompassibilis cum beneficio, & consequenter cum omni iure ad illud, Sanch. pluribus allegatis *n. 7.* vbi testatur neminem discrepantem inuenisse Farinac. *n. 101.* Gare. *c. 8. numero 2.*

Amplia secundò in pensionibus Ecclesiasticis, quæ eodem modo, ac beneficia vacant; quia loco beneficii succedunt, vt latius dixi *disp. 2. huius tract. pun. 11 §. vlt.* & præter ibi relatos docent Tusc. *litt. P. concl. 817. n. 9. & seqq.* Farinac. *fragm. verbo clericus. n. 331. & 4. p. prax. q. 13. n. 103.*

5 Ex supradicta priuatione infertur nullatenus posse contrahentem matrimonium beneficia retinere, aut illorum fructus percipere, aut in fauorem resignare, aut permutare. Quia omne ius in beneficiis amisit. Sanchez pluribus relatis *disp. 42. à n. 7.* & Gutierr. *q. 97. à n. 5.*

6 Secundo in foro beneficia sic amissa recuperare non posse, esto matrimonium ingressu religionis coniugis, antequam cognita sit, vel decessu illius dissoluatur. Quia ius beneficiorum semel extinctum non reuiuiscit sine noua collatione, *argum. element. gratia de rescript. & c. quamuis de consecrat. disp. 4.* & pluribus firmat Sanch. *dicta disp. 42. n.* Garcia *11. p. de benef. cap. 8. n. 3.* Gut. *q. 97. de matr. n. 3.* Aug. Barbosa *allegat. 57. n. 204.* Quamuis Lessius *lib. 2. cap. 34. n. 113.* in contrarium inclinet.

7 Tertio infero ordinarium dispensare non posse, vt contrahens matrimonium etiam cum virgine beneficia habita retineat. Quia iure communi laicus effectus est in quo alius à Pontifice dispensare non potest; sic ex commni omnium consensu. Azor. *2. p. lib. 7. cap. 16. q. 7.*

8 Controuersia ergo inter Doctores in eo sita est an non solum matrimonio legitimo, sed nullo & inualido beneficia &

iuta ad illa & pensiones vacent; Quia in re duplex est sententia affirmans & negans. Affirmatiuam partem tuentur frequentius Doctores, sed tot limitationibus eam restringunt, vt potius dici possint negatiuam partem, quam affirmatiuam tueri. Fundamentum eius desumitur ex ratione decidendi tex. *in cap. eum qui de prabendis in 6.* vbi obtentione irrita & nulla beneficij incompatibilis vacat primò habitum. Non enim decet (inquit text. vt stultus melioris conditionis, quam peritus existat vel quod inuasor eo, qui iustè ingreditur priuilegio gaudeat potiori. Ergo matrimonio nullitèr contracto beneficia vacabunt efficacius quàm per matrimonium validum. Aliàs melioris conditionis existeret stultus quam prudens, & iniustus matrimonij inuasor, quam iustus, legitimus. Hæc sententia ferè ab omnibus Doctoribus approbatur, cum matrimonium nullum est ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis. Nam cum ex se contrahens habilis sit ad contrahendum, quantũ in se est tentat contrahere; debet ergo ob hanc attentationem beneficio priuari: sic Gonz. *glos.* 1. *n.* 44. *& glos.* 57. *n.* 44. Garcia. 11. *p. de benef. cap.* 8. *num.* 4. Farinac. *q.* 138. *a num.* 209. & alij innumeri apud ipsos. At si matrimonium nullum est ex defectu consensus ex impedimento ligaminis ætatis, ordinis, aliove simili; non ita Doctores conueniunt, sed in variis sententias diuisi sunt, & non satis consequenter, vt postea videbimus.

9 Cæterum probabilius censeo matrimonio nullo, & irrito ex quacunque causa nullum sit, beneficia ipso iure non vacare: sic aliis relatis Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 43. *n.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 21. *num.* 113. Ratio ea est? quia nullibi hæc priuatio inducta est ob matrimonium attentatum, sed ob matrimonium legitimum: de hoc enim matrimonio loquuntur textus hanc priuationem inducentes, vt videre est *in tit. de cleric. coniugat.* & constat ex ratione, quam subiungunt ad hanc priuationem, nempe diuinis obsequiis vacare non posse, qui vxori, & voluntatibus carnis addictus est. Quæ ratio locum habere non potest in contrahente nulliter? cum ipse vxori, voluntatibusque carnis addictus non sit. Ergo per matrimonium nullum hæc priuatio beneficiorum non inducitur. Deinde hæc priuatio induci potest, vel in pœnam delicti commissi, vel ob tacitam renunciationem vel ob assumptionem status incompassibilis; sed ex nullo horum inducitur. Non primum, quia nulla est pœna quæ priuet iure quæsito absque iudicis declaratione; vt *tract. de legib.* latè diximus. Non secundum, quia renuntiatione expressa non vacat beneficium, quousque à superiore accepretur, vt *hac disp. pun.* 2. dictum est. Ergo vacare non poterit renunciatione tacita. Quia tacitum efficacius esse non potest, quam expressum. Non tertium; quia posita nullitate matrimonii non est assumptus status incompassibilis, sed solum est tentatum assumi. Quod si dicas assumptum esse de facto, licet non de iure, sicut qui nulliter assumit beneficium incompatibile, non de iure sed de facto illud assumit. & sicut ob hanc assumptionem beneficiis habitis priuatur, ita priuari debet ob matrimonij de facto assumptionem; facilè respondetur in assumptione beneficij incompatibilis esse expressum vt ambitionis via omnino præcludatur *dicto cap. eum qui*; quod cum expressum non sit in matrimonij assumptione, (esto eadem ratio in vtroque casu militaret) ad casum matrimonij extendi non debet. Quia leges pœnales ex vno casu ad alium ob similitudinem rationis non extenduntur. Et ex his sit satis fundamentis oppositæ sententiæ.

10 Hanc conclusionem Doctores limitant, vt procedat casu quo sciens et matrimonium nullum contraxeris, secus si ignoranter. Quia sciens esse matrimonium nullum, censeri non potes velle contrahere, sed deludere. Ergo ceseri non debes velle renunciare, & beneficium pro derelicto habere: secus contingit cum ignoranter procedis: sic Decius *cons.* 166. *n.* 1. *volum.* 1. Imola *clement. gratia. n.* 25. *de rescrip.* Bernard. Diaz. *c.* 80. *n.* 5. Econtra vero Garcia 11 *p. de benef. cap.* 8. *n.* 8. procedit; censet namque te contrahentem nulliter matrimonium bona fide beneficia non amittere secus si scienter cõtraheres: quia contrahens bona fide non facis actum beneficio contrarium, cum matrimonium nullum sit, dicique non potes facto tuo beneficio renunciasse; & rursus non committis delictum. Ergo non debes esse beneficiis priuatus. At contrahens scienter grauissimè delinquis & statum incompassibilem malitiosè prætendebas assumere. Debes ergo beneficio esse priuatus, *argum. text. in c. eum qui. de prabend. in 6.*

Sed hæc limitatio nullatenus admittenda est; nam siue scienter, siue ignoranter processeris, non amittis ipso iure beneficia. Nam si scienter procedis, solum illa amittere potes ob delictum, & matrimonij attentionem, & nullibi hoc delictum, hac pœna affectum est. Si autem ignoranter processeris, cum nec delictum comitras, neque statum incompassibilem assumas, licet assumere procuraueris, beneficia vacare non debent; non enim censeris illis renunciare, nisi casu quo vere matrimonium contraxisses.

11 Ex hac doctrina infero te in minoribus, ordinibus constitutum, & matrimonium contrahentem cũ consanguinea, vel affine non priuari ipso iure beneficiis obtentis; venire tamẽ priuandũ. Quia nullibi tamẽ est huic casui annexa esse priuationem, siue scienter, siue ignoranter processeris: sic Sanch. *lib.* 7. *disp.* 43. *n.* 5.

12 Secundo, infero quid dicendum sit, si matrimonium fuit nullum ex defectu consensus. Et quidem si ex parte tua fuit defectus, eo quod ob amentiam, vel vim tibi illatam contraxeris non vacant beneficia etiam in opinione eorum, qui affirmatiuam partem tutati sunt. Quia nec matrimonium verè assumpti est, neque in illo culpabilis exticisti: sic tanquam certum tradit Farinac. 4. *p praxi. q.* 138. *n.* 114. Bern. Diaz. *in pract. c.* 80. *n.* 5. *in fine.* Gigas *de pension. q.* 54. *n.* 9. *&* 10. Az. 1. *p. lib.* 13. *c.* 14. *q.* 8. *&* 2. *p. lib.* 7. *c.* 16. *q.* 5. Garc. 11 *p. c.* 8. *n.* 10. Thom Sanch. *disp.* 43. *n.* 7 *fine.* Quod si ob tuam malitiam deficit consensus in illo matrimonio; quia fictè, & simulatè consensisti. Doctores assentes beneficia vacare ob matrimonium attentatum, tenentur idem in hoc casu dicere. Quia facto ipso culpabili beneficio cessisti. At tetenta nostra sententia, negante vacationem induci ipso iure ob solam matrimonij attentationem, beneficia non amittis præcipuè cum defectus consensus faciat deficere formam in tali contractu. Sed quid si defectus consensus sit ex parte fœminæ eo quod ipsa fictè, vel coactè consensit, tu verò tentasti contrahere? variant Doctores etiam illi qui matrimonio nullo vacationem beneficiorum atribuunt. Nam Bernar. Diaz. *pract. cap.* 80. *n.* 5. Farinac. *q.* 138. *n* 114. Azor. *lib.* 7. *c.* 16. *q.* 5. censent vacare quia inpedimentum ex parte fœminæ non impedit, quin cleticus matrimonium contrahere tenet tac proinde beneficiis priuetur. Alij è contra censent non vacare quia deficit forma in illo contractu. Ego vero censeo in opinione affirmantium matrimonium nullitèr de facto contractum inducere vacationem beneficiorum affirmandumesse quoties defectus consensus inuenitur ex parte fœminæ, & non ex parte clerici beneficia vacare, quia de facto est matrimonium attentatum, & culpabiliter. At in nostra sententia ex hoc matrimonio nulla inducitur vacatio.

13 Tertio infero, quid dicendum sit quoties matrimonium est nullum ex defectu formæ requisitæ, nempè, quia sine legitimo parocho, & testibus celebratum est; Aliqui etiam ex illis qui sentiunt matrimonium cum consanguinea, vel affine contractum inducere vacationem ipso iure negant in hoc casu, eo quod ex actu nullo ob defectum formæ contrahi non possit priuatio opposita actui absolutè. Qui enim actũ præstat sine forma substiali; perinde est, ac si non præstaret: sic aliis relatis docet Garcia 11 *p. de benef. c.* 8. *n.* 15. Veg. & Mã. relati à Sách. *disp.* 43. *n.* 8. Sed hi Doctores non videntur consequenter locuti; Nam matrimonium cum impedimento dirimente contractum eatenus beneficiis priuat, quia facto ipso tentasti statum incompassibilem assumere: sed eadem ratio militat, cum matrimonium nullum est ex defectu formæ requisitæ. Ergo si in vno casu priuat beneficiis, etiam in alio. Vt ergo in sermone sit consequentia, dicendum est neque in hoc, neque in alio casu vacationem beneficiorum ipso iure induci.

14 Quarto infertur quid dicendum sit de matrimonio contracto ab ordinato in sacris? Plures qui matrimonio nulliter contracto vacationem beneficiorum ipso iure tribuunt, negant in hoc casu habere locum: sic Bernar. Diaz. *cap.* 80. *& ibi* Salazdo *lit.* C. Farin. *q.* 138. *n.* 104. Mascard. *concil.* 182. *n.* 5 *&* 6. & pluribus relatis, Garc 11 *p. de benef. cap.* 8. *n.* 17. Mouentur quia constitutus in sacris est omnino inhabilis ad matrimonium: sed consequentiùs procedunt alij Doctores relati à Garcia *n.* 18 à Sanch. *disp.* 43. *nu.* 4. Affirmantes ex hoc contractu vacationem ipso iure induci; quia consanguineus & affinis intra 4. gradum aliqua impedimento dirimenti ligati æque sunt inhabiles ad contrahendum, ac est sacris initiatus. Ergo si matrimonium cum consanguinea nulliter contractum inducit vacationem beneficiorum ipso iure, etiam inducere debet matrimonium contractum à sacris initiato. Ne igitur in has in consequentias deueniamus, retinenda est nostra sententia ob matrimonium nulliter contractum non induci beneficiorum vacationem ipso iure.

15 Quinto infero, quid dicendum sit, cum matrimonium est irritum defectu ætatis eo quod vterque, vel alter aliorum impubes sit, neque malitia suppleat ætatem an inquam in hoc casu inducatur beneficiorum vacatio ipso iure: Et quidem retenta nostra sententia negante ex matrimonio nullo vacationem ipso iure induci clarum est ex hoc casu nullam oriri posse vacationem, cum matrimonium non sit. At posita opinione affirmantium ex matrimonio nullo, sed culpabiliter attentato induci vacationem beneficiorum ipso iure, est aliqualis difficultas in hoc casu procedat; Affirmat Staphil. *de liter. gratia*, vbi de variis vacationum modis 5. *modo n.* 9. Mandos. *de ætate minor. q.* 24. Decian. *lib.* 6. *cap.* 22. *n.* 7. Mouentur, quia esto illud matrimonium nullum sit, est tamen attentatum. Ergo ob attentationem vacare beneficia debent. Alii Doctores prout refert Sanch. *dicta disp.* 43 *n.* 5. hoc limitant, vt procedat, si clericus pubes sit & cum impubere contrahat, secus si ipse impubes fuerit, quia si ipse pubes contrahat, iam fecit quantum in se est. manet ergo beneficiis priuatus, tem limitant, si ignoranter processit, secus si scienter.

Cæterùm omnino dicendum est, non induci beneficiorum vacationem esto ipse pubes fuerit, & fœmina impubes. Nam talis contractus iurisdictione resoluitur in sponsalia de futuro

iuxta

iuxta *text.in c.vnico.de desponsat.impuber.in 6.*at per sponsalia omnes sentiunt non vacare beneficia ipso iure,ergo nec vacant per huiusmodi contractum. Neque obstat esse matrimonium attentatum,quia non ob quamlibet attentationem inducitur beneficiorum vacatio, sed ob attentationem culpabilem, nullam inducentem obligationem: sic Bernard. Diaz. *pract. cap.80.n.6.*Iulius Clarus *pract.lib.5.quæst.73.num.* 5. Couarr. *4.decret.2.p.c.6.§.3.num.4.*Garc. 11. *p.de benef.cap.8.num* 20. & 22.

§. VII.

De vacatione beneficiorum ob religionis ingressum.

1 *Professione religionis tacita,vel expressa beneficia vacant.*
2 *Excipiuntur Equites professi in ordinibus militaribus,excepto ordine sancti Ioannis.*
3 *Ante professionem nec beneficia,nec pensiones vacant.*
4 *Adde esto nouitiatus prorogetur.*
5 *Fructus beneficij,qui percipi possunt in absentia, nouitio acquiruntur.*
6 *Expenditur qualiter nouitius ad electionem ratione beneficij competentem vocari debeat.*
7 *Quid dicendum de vacatione beneficiorum,& pensionum religiosorum sanctissimæ Societatis Iesu.*

1 BEneficia ipso iure vacare professione religionis tacita,vel expressa constans est omnium sententia ex tex.*in cap. beneficium,de regularib. .l.6* vbi Doctores omnes.Nam religiosus professus reputatur mundo mortuus, & sicut per mortem omnia beneficia vacant, ita per professionem vacare debebant. Quod non solum de beneficiis,sed de iure ad illa, & de pensionibus Ecclesiasticis intelligendum est, sicut diximus de matrimonio *pun.præcedenti,*& tradit Thom.Sanc.*l.7.in decal.c.4. n.5.& 13 & c.29.n.2.& 8.*

2 Ab hac doctrina excipiendi sunt Equites professi in ordinibus S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, quorum beneficia, & pensiones non vacant eorum professione,eo quod non sint vere,& propriè religiosi, nec solemnem professionem emittant, & esto verè religiosi sint,non sunt inhabiles,& incapaces ex eorum votis habendi proprium. Secus vero videtur dicendum in Equitibus S. Ioannis, qui solemnem faciunt professionem. Sanch.*d.l.7.in decal.c.29.n.4.*

3 ante professionem tacitam vel expressam nequaquam beneficia, nec pensiones vacant, vt ex *suprad.cap. beneficium, de regularib. in 6,* expressè constat. Quod adeo verum est,vt esto nouitiatus vltra annum prorogetur, beneficia nulla ratione vacare censenda sunt. Tum quia prorogatio nouitiatus fit cum qualitatibus sibi propriis, iuxta *leg. lecta. ff si certum petatur.* Tum quia facta nouitiatus prorogatione liberum est nouitio habitum deserere,& ad sæculum redire: si autem beneficiis esset spoliatus, hæc libertas diminuta esset,non igitur est beneficiis,sicut neque aliis bonis,spoliandus,iuxta Trident.*sess.25.c.16. de regulari* sic Mandos.*in casibus annalibus,n.63. casu 192.ad finem,*Thom.Sanch.*lib.7. in decal. cap. 4. num. 6.* Hinc fit si decimo quarto ætatis anno fueris religionem ingressus,tua beneficia illo biennio sequenti;quo professionem emittere non potes,non vacare,quia ex iuxta causa nouitiatus prorogatur:sic Lancellot.*institt iuris canonici lib. .tit.de regularib.§.& si contigerit,verbo probationis,* quem refert. & sequitur Sanch. supra. Et idem est si religio ex aliqua iusta causa professionem post annum distulerit,beneficia vacare censenda non sunt.

4 Adde esto absque vlla causa nouitiatus prorogetur,& professio differatur, beneficia non vacant. Quia solum cautum est vacare professione tacita vel expressa. Poterit autem Episcopus, cui beneficium nouitij subiicitur, contra nouitium, tanquam contra illegitimè absentem, procedere vsque ad beneficij priuationem.Quod intelligendum est de beneficiis residentiam expostulantibus.

5 Hinc costat fructus beneficij, qui percipi possunt in absentia, nouitio acquiri tanquam illius bona:quia verè retinet beneficij titulum,& possessionem. & tanquam de bonis propriis disponere potest Garc.11.*p. de benef.cap.9.num,*28.Sanch. *dicto lib.c 4.num.*18.Suar.*t.3.de relig.lib.5.c.16.n.* 12. Dixi qui percipi possunt in absentia:nam distributiones quotidianæ,aliáque anniuersaria personalem residentiam expostulantia nequaquam nouitio concedi debent, sed interessentibus accrescunt. Quia non reputatur vt præsens,cum non sit ex causis à iure expressis,& præcipuè cum absit ob propriam vtilitatem, Garcia & Suar.*locis allegatis.*

6 Solum est dubium de fructu beneficij,qui est electio,qua ratione nouitio competere possit? Ponamus nouitium canonicum esse alicuius Ecclesiæ,faciendamque esse à canonicis electionem Prælati, vel alterius beneficij: vocandus ne est nouitius,vel remittendus ad electionem? Item est patronus alicuius beneficij, exigenduſne est eius consensus? Videtur in vtroque casu nouitium vocandum esse;quia electio celebrati debet vocatis iis qui potestatem habent eligendi,si proximi sint loco electionis. At nouitius canonicus potestatem habet eligendi, cum canonicatum retineat. Ergo vocari debet, si loco electionis proximus existat. Neque enim, vt dicit Glossa *in cap. beneficium,de regularib. in 6.*deterioris conditionis esse debet, qui ad bonum aspirat, & religiosam vitam probat; præcipuè cum inquietudini,& distractioni, quæ ex his electionibus nasci poterant (si frequentes sint) occurrere posset designando procuratorem.iuxta tex.*in c. quia propter,electione,& in c.si quis, in princ.eodem tit.in 6* sic Archidiacon.*dicto c.beneficiū.n* 1 *& ibi* Probus *addit. ad monachum.n.*1.Bettachin. *de gabellis,7.parte princ.n.*56.Mandos.*in casib.annalib.n.66.casu* 197.

Dicendum tamen est nouitium, cui iure speciali, & singulari electio, seu nominatio competit, vocandum esse, seu petendum eius consensum; quia ius eligendi, seu nominandi, quod ante ingressum habebat,retinet; neque in monasterium transit,& ex alia parte poterit illud ius absque dispendio religionis executioni mandare;siquidem non tenetur ad hanc executionem à monasterio exire:sic docent Glossa *eo c.beneficium, de regularib.lib.6.verbo conferendum, in fine.*Azor.*t.1.lib.12.c. 3. quæst.*1 pluribus relatis Sanch.*lib.7.in decal.c.4.n.*12.Suar.*t.3 de relig.l.5.c.16.n.*16.

Si autem nouitio iure collegij electio, vel nominatio competat,probabilius est non esse necessario vocandum: quia fictione iuris ob statum assumptum reputatur longissimè absens argum.text.*in c.quamuis de procuratorib.in 6.* vbi ingressus religionis,& longa peregrinatio æquiparantur: & Glossa *verbo ingredi* inquit etiam non profitendo, sed solum probationis causa. Sed longè distans vocari non debet, Ergo nec nouitius vocandus est. Item in illo textu procurator, qui per contestationem erat Dominus litis,religionis ingressu vsum litis amittit:sic canonicus amittere debet vsum vocis, quam in capitulo habebat.Adde si ad electionem esset vocandus,detrimentum pateretur religio,cum non posset mores eius satis explorare ob frequentem nouitij è monasterio egressum,quod secus cõtingit cum iure speciali electio, seu nominatio competit; eaque de causa regulariter non potest his electionibus commodè adesse. Ergo vocandus non est, quia non est necessario vocandus qui creditur impeditus:& ita tenet, & latè probat Glossa *in dicto c. beneficium,verbo conferendum,in fine.*Tiraquel.*de retract.lignagier.§ 1.gloss.8.n.*37.Azor.*t.1.lib.12.c.3.quæst.*1.Sanch.alios referens,*lib.7.in decal.c.4.n.*10.Suar.*t.3.de relig.l.5.c.16.num.16.* Hinc fit, non posse nouitium eligere procuratorem cui vices suas commitat, neque collegium obligarum esse illum admittere,quia necessario vocandus non est:Azor.& Sanch. *supra.* Verum si nouitius ad electionem accesserit siue vocatus, siue non vocatus admittendus est,quia priuari non debet iure eligendi, quod habet.sic Azor.Sanch;& Suar.*locis allegatis.*

Hucusque diximus de vacatione beneficiorum,pensionum, & fructuum cuiuscumque religiosi,restat dicendũ de religiosis,& nouitiis nostræ Societatis Iesu.Et quidem si solemnem professionem emittant,aut in gradum coadiutorũ admittantur, beneficia,pẽsiones,& fructus vacant ac vacant professione cuiuscũque religionis;quia in hac parte nihil est speciale. Verum si solum vota biennij veros religiosos constituentia emiserint, pensiones non vacant,sed illas validè,& licitè retinere possunt; quia bonorum dominio non priuatur illis votis;etsi non possint absque consensu Superioris de illis, eatumque fructibus disponere,Sanchez *lib.7.in decalog. cap. 29. num.* 10. Beneficia verò esto iure ipso non vacant per vota biennij; quia (vt dictum est) illis votis non redduntur religiosi incapaces habendi proprium:quæ est ratio ob quam professione beneficia vacant. At præscriptio nostræ Societatis antequã voto biennij emittantur, resignari debent:sic habetur *in 5.congregat.generali.can.*5. ibi. Nostri qui ante ingressum in societatem Ecclesiastica beneficia quæcunque obtinent finito probationis biẽnio priusquam vota simplicia scholasticorum emittant, omnino resignent, non obstante canone primæ congregationis, qua cautum erat. Ne nostri qui ante ingressum in societatem, habebant beneficia, cogerentur ea relinquere ante professionem nisi iubente Generali. Commissario, vel Prouinciali post primum annum probationis.Ex vi ergo supradictæ resignationis vacant, & non aliunde; sic Sanch.*l.7.in decalog.c.4.n.*7.

§. VIII.

de vacatione contingente ob priuationem.

1 *Priuatio contingere potest lege,vel sententia, & de earum differentia.*
2 *Hæresis priuat ipso iure beneficiis acquisitis.*
3 *Crimen læsa maiestatis non videtur priuare.*
4 *Qualiter homicidium priuet.*
5 *Apponuntur 4 limitationes.*
6 *Qualiter sacrilegium beneficiis priuet.*
7 *Quid dicendum de simonia.*
8 *Quid de periurio.*
9 *Quid de blasphemia.*

10 *Quid de falsario.*
11 *Quid de intruso.*
12 *Quid de inobediente in trangressione sequestri.*
13 *Quid de nolente ostendere titulum dispensationis, quo plura beneficia obtinet.*
14 *Quid de alienante res Ecclesiæ, & beneficia absque præscripta solemnitate.*
15 *Quid de ingerente se administrationi beneficiorum à qua est suspensus.*
16 *Idem de apprehendente possessionem ante litterarum expeditionem.*
17 *Item de non publicante resignationem.*
18 *Item de occultante scripturas ad cameram apostolicam pertinentes.*
19 *De non assumente habitum clericalem, vel non deferente.*
20 *De non seruante decretum Pontificis in prouisione positum*
21 *Quid dicendum de crimine simulationis.*
22 *Quid de concubinatu.*
23 *Quid de sodomia.*
24 *Quo loco beneficia vacant, quæ vacant ratione delicti.*

1 DVpliciter priuari beneficiis potes: lege, & sententia. Sententia priuari non potes, nisi ob illa delicta, aut omnino similia, quibus priuatio beneficiorum cauetur à iure imponenda: quia eum hæc priuatio grauissima pœna sit, non debet passim, & absq; fundamento imponi; sic pluribus firmant Gonz. *gl.* 15. *à n.* 135. Garcia 11. *p. de benef. c.* 10. *n.* 2. Plura autem sunt delicta, quibus à iure beneficiis priuãdus venis, de quibus Rebuff. *in praxi, tit. de modis amittẽdi benef. à n.* 50. *vsque in fin.* Breuiter ea ferè enumerauit Gonz. *supra*, nempe si sis homicida, publicus concubinarius, sacrilegus, incendiarius, periurus residere nolens, bannitus, adulter, incestuosus, incorrigibilis aleator, fur, vsurarius, stuprator. De quibus, & aliis videri potest, Bernar. Diaz. *in sua pract. crim.* Ex his ergo delictis, quæ beneficiorum priuationem non ipso iure, sed per sententiam inducunt, non impediris beneficia resignare in fauorem firmiter, & irreuocabiliter, vt pluribus exornat Gonz. *n.* 147. quia tua sunt, quousq; per tres sententias conformes, vel per vnam, quæ transeat in rem iudicatam cõdemneris. Item non potes priuari fructibus post delictum, & ante sententiam definitiuam acquisitis magis quam aliis bonis; quia iusto, & legitimo titulo, & non infecto acquisisti. Secus verò hæc contingunt in delictis priuationem ipso iure inducentibus: nam esto sententia declaratoria criminis requiratur, vt priuatio executioni mandetur. At à puncto commissi delicti ita infirmatur titulus, & possessio beneficij, vt posita sententia rescindantur omnes translationes factæ tam beneficiorum, quam fructuum, ipsumque beneficium non sit cẽsendum vacare obitu delinquentis, sed priuatione delicto annexa, latius Gonzal. *gloss.* 15. *n.* 140. Azor. 2. *p. l.* 7. *c.* 17. *q.* 2.

Sed expendamus breuiter crimina, ob quæ ipso iure priuatio beneficiorum solet à doctoribus induci?

2 Primum est crimen hæresis: nam esto plures grauesque Doctores sentiant beneficiis acquisitis non priuare, contrarium, vt probabilius, & frequentius receptum, nobis probatum fuit, *tract.* 4. *de fide disp.* 4. *punct.* 5. At idem est, si beneficia precibus hæreticorum fuerint scienter obtenta vacant inquam ipso iure, & obtinentes inhabiles efficiuntur ad alia, textus *in c.* 2. §. *adhæc. de Hæretic. in* 6. tradit Gonz. *gloss.* 15. *n.* 68. Azor. 1. *p. instit. mor. l.* 8. *cap.* 13. *q.* 8. *vers. octaua pœna* Aug. Barb. *allegat.* 57. *n.* 230. Sed quid dicendum de iis, qui hæresis suspicionem iuridicam contrahunt? v. g. De fautoribus hæreticorum, de contumacibus, & rebellibus Ecclesiæ censuris, & in ea contumacia perseuerantibus per annum; Verius est ipso iure priuatos non esse beneficiis acquisitis, venire tamen priuandos. Vide dicta *tract. de fide, disp.* 7. *punct.* 2. Et de insordescentibus in excommunicatione optimè tradit, & pluribus exornat Gonz. *gloss.* 15. *à n.* 104.

3 Secundum esse potest crimen læsæ maiestatis humanæ, ratione cuius existimat Gonz. *gl.* 15. *n.* 72. cum Rebuffo. *in prax. tit. de modis amittendi beneficia n.* 32. Aug. Barbosa *allegat.* 57. *n.* 233. beneficia ipso iure vacare: sed huius pœnæ nullum est firmum fundamentum. Nam textus *in c. si quis laicus* 22. *q.* 5. solum dicit Episcopum, presbyterum, aut Diaconum, qui & domini sui regnum peruersè, & dolosè tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatus fuerit, debere degradari: quod verbum sententiam requirit. Synodus verò Toletana 16. qua Bernard. Diaz *pract. cap.* 119. mouetur ad hanc vacationem inducendam, solum dicit debere sic delinquentem à conuentu Catholicorum excommunicationis sententia repelli, honore simul, & loco depulsum, omnibusque rebus exutum, quibus non denoratur vacatio ipso iure, sed per sententiam. & ita existimo dicendum. Adde satis difficile esse, qualiter propriè crimen læsæ maiestatis clericus committere possit: cum sit extra iurisdictionẽ tẽporalis principis. de quo videri potest Iul. Clarus, *l.* 5 *recept. sẽtent.* §. *læsa maiest.* & § *fin. q.* 30. Bernard. Diaz. *pract. c.* 119.

4 Tertium est homicidium; quia cum irregularitatem inducat, videtur beneficiorum inducere priuationem. Sed tenendum est contrarium. Nam esto homicidium irregularitatem inducat, irregularis tamen non priuatur beneficiis obtentis, esto inhabilis ad obtinenda efficiatur, *in tract. de irregularit.* latius diximus: & multis allegatis docet Garcia 11. *p. de benefic. c.* 10. *n.* 47. Et specialiter de homicidio non priuate ipso iure beneficiis obtentis docent communiter Doctores Couarru. *clementi, si furiosus* 2. *p.* §. 4. *n.* 6. Bernard. Diaz. *pract. c.* 94. *n.* 1. & *ibi* Salzedo. Iulius Clarus §. *homicidium, n.* 21. Garcia 11. *p. de benefic. c.* 10. *à n.* 40. Gutier. *lib.* 2. *canon. quæst. cap.* 5. *n.* 6. Azor. 2. *p. l.* 7. *c.* 17. *q.* 1. Gonzal. *gloss.* 15. *n.* 79. & 80. Francis. Suar. *t.* 3. *de censur. disp.* 44. *sect.* 4. quod procedit, etiam si homicidium qualificati sit. Iulius Clarus Salzedo, Azor, Gonzal. Garcia. Suar. *supra.* Et ratio est, quia textus hanc pœnam indicantes potius indicant ferendam, quam latam esse: *c. cum non ab homine, de iudiciis, cap. clericus: ne clerici, vel monachi, & cap. ex litteris de excessib. prælat.*

5 Sed est limitanda conclusio in ocisione, vel percussione Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ob quam occisionem, vel percussionem beneficia ipso iure vacant: habetur expresse in *cap. fœlicis de pœnis, in* 6. ibi. *Si quis Cardinalem S. R. E. hostiliter fuerit persequutus, vel percusserit, vel ceperit, aut se socium adiunxerit his, qui tale quid fecerint, vel concilium, vel auxilium, vel mandatum dederit aut suo nomine factum ratum habuerit, aut suo nomine id facientes postea receperit, vel defenderit, &c. Sit eis ipso iure priuatus:* & tradit Rebuff. *in prax. trid. de modis dimittendi beneficia num.* 39. Azor. 2. *p. l.* 7. *cap.* 17. *q.* 1. *vers. tertio.* Barbosa *allegat.* 37. *num.* 265. Gonzal. *gloss.* 15. *num.* 74. Garc. 11. *p. de benef. cap.* 10 *num.* 55. Quæ pœna extenditur ad filios, ac nepotes horum delinquentium, priuantur inquam beneficiis obtentis, & ad obtinenda inhabiles efficiuntur ex *supprad. textu, in c. fœlicis.* sic Farinac. *praxi, q.* 112. *n.* 121. & *segq.* Barbosa, *n.* 216.

Secundo limitatur in ocisione vel percussione Episcopi, quia vacant ipso iure beneficia percutientis bona, quæ obtinet in illa Ecclesia, in qua episcopus percussus præsit: constat ex dictis *c. fœlicis, & ex clement.* 1. §. *à feudo de pœnis*, & docet Azor. *dicta quæst.* 1. *vers. quartum est.* Gonzal. *glossa.* 15. *n.* 75. Garcia *n.* 56. Barbosa *n.* 237. Debet autem Episcopus esse confirmatus: nam si solum electus est non inducitur hæc priuatio, quia non est Episcopus, sed vt sit eligitur. Gonzal. *gloss.* 9. §. 5. *num.* 27. Barbosa *supra.*

Tertio limitatur in ocisione, vel multilatione per se, vel per alium facta, Rectoris, seu alterius clerici eiusdem Ecclesiæ, in qua occisor, vel mutilator beneficium habet. Quia tunc vacat ipso iure beneficium occidentis, vel mutilantis, textus est in *cap. in quibusdam* 12. *de pœnis:* sic Garc. *num.* 57 Gonzal. *num.* 77. Farinac. *prax. quæst.* 119 *num.* 68. Barbosa *allegat.* 57. *num.* 239. Neque audiendus est Felin, *in cap. inquisitionis de accusationib. num.* 3. & *cap.* 2. *de rescript. num.* 3. dicens, textum, in *c. in quibusdam* non loqui de beneficio Ecclesiastico, sed temporali, seu profano, feudo scilicet, emphyteusi, & similibus. Non inquam audiendus est; quia expresse constat de beneficio Ecclesiastico fuisse actum. Inquit enim textus. *Si patroni, vel aduocati, aut feudatarij, seu vicedomini, aut alij beneficiati cuiuscunque Ecclesiæ rectorẽ vel clericum alium ipsius Ecclesiæ per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando præsumpserint patroni ius patronatus, aduocati aduocatiam, feudatarij feudum, vicedomini vicedominatum, beneficiati beneficii prorsus amittant.* Neque item audiendus est Azor. *l.* 7. *cap.* 18. *quæst.* 2. *vers. deinde quæres, ex supradicto textu* non colligi ipso iure beneficiorum priuationem, quia verbum *amittat* non continet latam, sed ferendam, dum non additur ipso iure, vel facto, quod additum non inuenitur in supradicto textu. Non inquam est audiendus: nam esto id verum esset spectato præcisè verbo *amittant*: at ex dictione *prorsus* antecedenter addita clarè colligitur ipso iure priuatio: æquiualet enim ac si textus diceret omnimodo, totaliter seu, ipso facto, vt tradit Tiraquel, *in leg. si vnquam verbo reuertatur. Cod. de reuocand. donat. num.* 71. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 35. *n.* 8. & ita tenet in præsent. Garcia 11. *p. de benef. c.* 10. *n.* 58.

Quarto limitatur in homicidio per assasinum, qui enim pretio conductus Christianum occiderit, vel de eo sic occidendo mandatum dederit, licet mors secuta non fuerit, & qui assasinum receptauerit, vel defenderit, vel occultauerit, ipso iure beneficiis priuatus existit, ex textu expresso Suar. *tom.* 3. *de censur. disp.* 44. *sect.* 4. Azor. 2. *p. l.* 7. *cap.* 17. *q.* 1. *vers. octauo* Gonzalez *gloss.* 15. *numero* 76. Farinacius *praxi, quæstion.* 123. *numero* 54.

Quinto limitatur in occidente vulnerante, vel quouis modo offendente litigantes in Romana curia, eorumque iudices, aduocatos, & procuratores, vel notarios, cuius beneficia ipso iure vacant ob crimen commissum iuxta constitutionem Alexand. VI. quæ incipit, *in crimine sedis*, quam clarè explicat Puteus *decis.* 102. & 103. & 104. *lib.* 1. Mandoz. *cession.* 60. & 61.

6 Quartũ crimen, ob quod videtur inducta vacatio ipso iure, est sacrilegium, quia constituit infamen. Cæterũ cum infames, & irregulares, *cap. infames in sexto. q.* 1. non sint ipso iure priuatis esto veniãt priuãdi, sacrilegium tametsi irregularem, & infamem facit

faciat, non priuat ipso iure beneficiis, constituit tamen priuandum. Prima pars constat. Quia nullus est textus, ex quo hæc priuatio colligatur annexa esse ipso iure cuilibet sacrilegio. Secunda pars, scilicet sacrilegium dignum esse beneficiorum priuatione, constat *ex cap. si quis presbyter* 50. *dist.* & ita tenent alios referentes B. Inard. Diaz. *pract. cap* 87. *n.*2. Garc. 11. *p. de benef. cap.*10. *num.* 178.

Limitatur in sacrilego insequente, percutiente, aut capiente Cardinalem. S. R. Ecclesiæ, qui ipso iure beneficiis priuatur, & dictum est *ex cap. felicis de pœnis*, &c. in capiente, seu bannizente, seu percutiente Episcopum, qui beneficiis obtentis in illa Ecclesia, vbi Episcopus præest, priuatur, *clement. 1. de pœnis.* Deinde limitatur in sacrilego clericum capiente, vt beneficia resignet, vel impediente ne ad Romanam curiam citatus accedat, qui ipso iure beneficiis priuatur, *clem. multorum de pœnis*, & notat Garcia 11 *p. cap.*10. *num.* 175.

7 Quintum crimen est simonia, ob quam priuatio beneficiorum ipso iure inducitur: si simonia consistit, & ex vtraque parte completa: ex textu *in extrauag. cum detestabile. De Simonia inter communes*, & aliis relatis docent Gonzal. *gloss.* 15. *n.*69. Flamin. *lib.*7. *de resignat. quæst.*2 *à n.*12. August. Barbosa *allegat.*57. *num.*21. *& seqq.* Intelligi tamen debet de beneficiis per simoniam acquisitis: nam beneficia ritè acquisita non vacant ipso iure, vt latè diximus, *disp. vlt. de Simonia punct.*25. Ad idem reducitur crimen confidentiæ, vt si beneficia resignes sub confidentia, quod resignatarius beneficium resignatum, vel fructus illius tibi, vel alteri cedat: tua beneficia, & resignatarij poterunt per sententiam vacare iuxta constitutionem Pij IV. incipientem, *Romanum Pontificem*, sub Kalendis Ianuarij 1569. de qua Flamin. *de confidentia, q.*58. *per totam*, & nos diximus *illa disp. de simon. eodem punct.*25.

8 Sextum est crimen periurij, quod secundum Rebuff *de pacif. possessor. à n.*269. *aliàs* 223. *&* Rupert. *rub. de rescript. num.*1. inducit ipso iure priuationem beneficiorum. Sed communis sententiam contrariam defendit vt nullum periurium, quantumvis grauissimum, inducat priuationem beneficiorum ipso iure: quia nullo textu cautum expresè est: sic Glossa, *in cap. quærelam de iureiurando*, & communem esse fatentur Decius, Abbas, Felin. *in cap.*2. *de rescript.* Couarr. *in cap. quamvis pactum* 1. *p.*§.7. *n.*3. Suar. *de relig.*2. *tract.*5. *lib.*3. *cap. vlt. num.*6. 17 21 *&* 22. Azor. 2. *p. lib.*7. *cap.*18. *vers. quarto.* Garc. 11. *p. cap.* 10. *n.*167. & alij apud ipsos. Adde. Neque ob quodlibet plurium beneficiorum priuatio imponi debet, sed ob periurium in iudicio: sic Staphil. *de litter. grat. tit. de variis modis vacationis.* §. *quando quis veniat priuandus beneficio, à num.*6. Rebuff. *de pacificis possessor. num.*268. *alias* 221. Bernard. Diaz. *pract. cap.* 92. *si* e Garcia *num.* 168.

9 Septimum est crimen blasphemiæ, quod tempore antiquo inducebat priuationem beneficiorum, non ipso iure, sed per sententiam, iuxta textum, *in cap. si quis per capillum.* 22. *quæst.* 1. Sed non ad omnem blasphemiam extendebatur, sed solum ad eam, qua Deum, & Sanctos nefatiis maledictis impetebas. At nouissimo iure Concilij Lateranens. sub Leone X. *sess.*9. sic statutum est. *Quicumque Deo palam, seu publicè maledixerit, contumelioseque, atque obscœnis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expresè blasphemauerit, si clericus, vel sacerdos fuerit, eo ipso quo delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum quæcunque habuerat fructibus vnius anni multetur; & hoc sit pro prima vice: pro secunda vero si ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur fuerit, si vnicum habuerit beneficium, eo priuetur; si autem plura quod Ordinarius maluerit, id dimittere cogatur. Quod si tertio eius scelera arguatur, & conuincatur, dignitatibus, & beneficiis omnibus quæcunque habuerit eo ipso priuatus existat, ad eaque vlterius obtinenda inhabilis reddatur eaque liberè impetrari, & conferri possint.* Ex quibus verbis manifestè constat blasphemum nunquam priuari ipso iure beneficiis, quousque criminis sententia declaratoria accedat. & hoc in tertia condemnatione. Nam in secunda sententia vnico beneficio priuari potest, in prima verò fructibus vnius anni tantum.

10 Octauum est crimen falsi in litteris Apostolicis commissum, Qui enim per se, vel alios vitium falsitatis exercuerit cum fautoribus, & defensoribus suis excommunicatione innodatur, & omnibus officiis, & beneficiis Ecclesiasticis si clericus est, perpetuò priuatur, vt expresè decidit *in cap. ad falsariorum, de crimine falsi.* At prius debet in iudicio conuinci; vt clarè denotant illa verba textus, *qui falsarij fuerint deprehensi.* Qui verò sub nomine Pontificis litteris falsis, ab alio impetratis vsi fuerint, si clerici sint, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis spoliantur; in quo clarè insinuatur sententiam declaratoriam præcedere debere hoc spolium. Idem statuitur de his, qui falsas litteras impetrant. Vide Bernard. Diaz. *pract. cap.*117. *num.*4. Rebuff. *praxit.*3. *p. tit. de modis amittendi beneficia, n.*4. Gonzal. *gloss.*15. *num.*73. Garcia 11. *p. de benefic. cap.*10. *num.* 170. Barbosa *allegat.*57 *num.*234. Azor. 2. *part. instit. moral. num.*7. *cap.*12. *q.*1. *vers.*3.

11 Nonum est crimen intrusionis, ratione cuius vacant non reliqua beneficia antea legitimè habita, sed solum illud beneficium, cuius possessionem violenter occupas, & simile si quod habes, quod tamen intelligendum est in beneficiis curatis: sic deciditur *in cap. cum qui de præbend. in* 6. eum qui beneficium cui animarum cura impendit, vi occupat, seu se scienter iniustè intrudit in eo, decernimus ipso iure fore priuatum beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat. Insuper subiungit Pontifex, vt violenti qui auctoritate, (vel melius temeritate) propria occupare dignitates, personatus, aut alia quæcumque Ecclesiastica beneficia non verentur, eo ipso ius, si quod in dignitatibus, personatibus, & beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis fortsitan competebat amittant. Vide Gonzal. *gloss.*15. *n.*58. *& gloss.*57. *n.*46. Lessius *de iustit. lib. cap.*34. *num.*187. Barbosa *allegat.*57. *n.*220. Farinac. *prax.*6. *p. q.*175. *a n.*64. Couarr. *lib.*3. *var. cap.*16. *n.*6. & alios. At idem est, si electus, vel præsentatus ante confirmationem, vel institutionem per se, vel alium te ingesseris, & administraueris ius, quod per electionem, vel præsentationem acquisisti, eo ipso amittis, & beneficium vacat sicut prius textus est, *in cap. auditis* 5. *de electione in* 6. Sed hæc non est propria vacatio, cum ius in beneficio non habeas, sed ad beneficium. Gonzal. *gloss.*15. *num.*52.

12 Decimum est crimen inobedientiæ, sed non ob quamlibet inobedientiam, & præceptorum transgressionem beneficiorum priuatio imponitur, nec imponenda est, vt de se constat. Imponitur ergo hæc priuatio primò ob transgressionem sequestri impositi vigore sententiæ eius *in collect. decis. par.*1. *collect.* 223. *in fine.* Barb. *all g.*57. *n.*221. Procedit hæc decisio de quolibet beneficio, sub quo etiam pensio comprehenditur: quia est constitutio in fauorem sequestri litigantibus vtilis, & in executionem sententiæ definitiuæ latæ: sic Barbosa *loco allegato.* Qui ergo hoc sequestrum ab Ordinario imponendum impedierit, vel fructus sequestratos præsumpserit occupare, beneficium super quo sequestrum apponitur, amittit: sed non relicta beneficia illi quæ habet, quia de illis non loquitur text. Vt autem locum habeat hæc pœna, debet sequestrum imponi vigore sententiæ definitiuæ non interlocutoriæ, & latæ in Romana curia, non extra. Glossa & omnes *dicta clem. verbo dumtaxat.* Item in causa beneficiali super petitorio, vel possessorio, non in causa attentatorum. Lancel. *de attentat.*3. *p. c.*28. *n.*243. Gonz. *gloss.*15. *n.*60. Riccius *collect.*223. *vers. limitata.* Barbosa *alleg.*57. *n.*221. Debet deinde sequestrum esse appositum super beneficio; non super membro, vel re ipsius, Riccius & Barbosa *supra.* Denique sententia ferri debet contra possessorem non triennalem, contra hunc enim sequestrum imponi non potest. Gonzal. §.7. *procem. a.*72. Barbosa *loco allegato.*

13 Secundo, imponitur priuatio beneficiorum incompatibilium, eo quod beneficiatus iusto impedimento cessante noluerit coram Ordinario monitus, & requisitus ostendere titulum dispensationis, ratione cuius illa beneficia incompatibilia retineat; habetur expresè, *cap. ordinar. in* 6. *& ibi gl.* & licet in ea constitutione solum de retinente plures dignitates, personatus, & beneficia curata fuerit sermo. At concilium Trident. *sess.*7. *cap.*5. vbi hæc pœna priuationis innouatur, ad quælibet beneficia incompatibilia extendit, ibi. *Ordinarij locorum quoscunque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes dispensationes suas exhibere districtè compellant; & aliàs procedant iuxta constitutionem Gregor. X. in concilio Lugdunens. quæ incipit.* Ordinaria, &c. Hæc priuatio beneficiorum non quibuslibet beneficiis imponitur, sed illis tantum, quæ absque dispensatione retineri non possunt, eo quod dispensatione non ostensa, conuincitur illegitimè retineri. Neque ad negandam hanc dispensationis ostensionem se potest beneficiatus tueri regula triennali: quia hæc regula non procedit in beneficiorum pluralitate ob titulum infectum Barbosa *alleg.*57. *n.*224.

14 Tertio, ob crimen inobedientiæ commissum in alienatione rerum Ecclesiæ, & beneficij absque solemnitate præscripta in extrauag. *ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienand.* vacant ipso iure beneficia, quorum bona sine debita solemnitate fuerunt alienata, debent tamen alienantes esse Episcopis, & abbatibus inferiores. Nam abbatibus, & Episcopis alia pœna imponitur; quæ omnia constant in suprad. extrauag. esto in opinione plurium Doctorum recepta non sit. vt *tract.*12. *in fine* diximus.

15 Quarto, vacant beneficia illius, quorum administrationi se ingerit ab illis suspensus. *c.*1. §. *fin. & cap. cupientes, de electione in* 6.

16 Quinto, si possessionem apprehenderis beneficij tibi à Pontifice collati ante litterarum expeditionem, vacat tibi beneficium obtentum, imo & reliqua alia si habeas: sic constitutum est à Iulio III. 22. Maij 1557. Gonzal. alios referens, *gloss.* 14. *num.*98.

Sexto, si prouisus ad Ecclesiam parochialem non promoueris intra annum ad Sacerdotium, vacat beneficium parochiale, *cap. licet canon. de electione in* 6. Quod qua ratione intelligatur diximus, cum de obligatione suscipiendi ordinem ageremus.

17 Septimo, si resignationem beneficiorum non publicaueris iuxta formam constitutionis Gregor. XIII. de publicandis resignationibus; quæ est 87. illius Pontificis, vacat tibi beneficium resignatum, & ita efficaciter vacat, vt nulli iterum

comprehendatur sub clausula, vel alio quouis modo vacationis, sed necessario exprimendus sit, vt aliis relatis docet Gonzal. *glos.* 15. *num.* 86.

18 Octauo si scripturas spectantes ad cametam Apostolicam inobitè retineas, vel illas non reueles cum scias, beneficiis ipso iure priuatis: habetur constitut. 24. Iulij III. incipiente *cum acceperimus*, edita vlt. Aprilis 1552. Et idem est si bona palatij Apostolica detineas, neque restituas, iuxta constitut. 6. Alexand. VI. & constitut. 1. Clement. VII. Gonzalez *glos.* 15. *num.* 99.

19 Nono, si habitum clericalem non assumas, vel iugiter non deferas, vacant ipso iure beneficia, & pensiones ex constitut. Sixti V. incipiente *cum sacrosanctum*, sub 5. Idus Ianuarij 1588. tametsi spectato iure communi in *clrm. 2. de vita & honest. cleric.* & Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* monendus prius eras, & si monitus non obedieris ad certum tempus suspensus manes. Gonzal. *glos.* 15. *num.* 56. August. Barbosa *alleg.* 57. *n.* 217. Azor. 2. *p. lib.* 7. *cap.* 17. *quæst.* 1. *vers. decimumquartum.*

20 Decimo ob non seruatum decretum Pontificis in prouisione positum vacat ipso iure beneficium acceptum. Quia videtur sub hac tacita conditione concedi, veluti si Pontifex concedat tibi beneficium, & in ipsa collatione decretum apponat, vt primum beneficium obtentum in illius manibus infra sex menses dimitas, vel pensionem soluas, vel litteras expedias, aut aliud quidpiam facias, alioquin vacet secundum eo ipso, si conditionem non impleas, rescinditur collatio, & beneficium à solo Pontifice impetrari potest. Ad idem est decretum contentum in prouisione facta à Cardinalibus de beneficiis reseruatis excedentibus valorem 24. ducatorum. Nam sic prouisi intra quatuor menses, si citra montes fuerint, & intra octo, si vltra, tenentur à die factæ collationis sequuta possessione pacifica nouas prouisiones à Sede Apostolica obtinere: alias beneficia sic obtenta vacant, & tanquam denuo vacantia possunt à Pontifice impetrari. Et idem est si per ipsos prouisos steterit, quominus possessionem pacificam non habeant: sic latè, & optimè Gonzal. *glos.* 15. *à num.* 109.

Excusatis ab hac pœna priuationis, & ab obligatione primum beneficium dimittendi, si adsit intrusus, ob cuius causam non potes pacificè beneficium possidere: sic refato Achille, & Mandos. Gonzal. *num.* 115. *&* 116. Secundo si accepta possessione, antequam finiatur tempus dimittendi, super possessione, vel titulo beneficij acquisiti molesteris. Gonz. *num.* 117. quia ex superueniente molestia videtur dubium ius, & periculosum. Tertio in prouisione Cardinalium excusari potes ab obtinenda noua prouisione Pontificia, & à pœna priuationis, si ignoras beneficium acceptum reseruatum esse. Debet tamen reseruatio esse talis, quæ probabiliter ignorari posset, qualis est vacatio per obitum cubicularij, aut alterius officialis Cancellariæ. Gonzal. *num.* 113.

Vndecimo, vacat beneficium ipso iure ob non seruatam formam traditam in Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. & in constit. 32. Pij V. quæ incipit, in conferendis, sub data 15. Kal. April. an. 1566. Sed hæc non est propria vacatio, sed potius beneficij non consecutio, eo quod illius prouisio irrita sit, & nulla.

21 Vndecimum crimen, ob quod beneficia vacant est simulatio, quæ contingit, si pro obtinendis beneficiis te ipsum pro aliis examini supponas: habetur in constitut. 33. Pauli IV. quæ incipit *inter cæteras* edita 26. Nouemb. 1557, quamque ad verbum refert Gonzal *glos.* 15. *à n.* 90. & per quam constitutionem omnia beneficia simulantis vacant ipso iure.

22 Duodecimum crimen inducens beneficiorum vacationem est concubinatus. Sed hoc crimen quantumcunque graue sit, & scandalosum, non inducit ipso iure hanc pœnam, sed est imponenda per iudicem. At priusquam hæc pœna à iudice imponatur, monendus est clericus: quod si monitus non se abstinuerit, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum quorumcunque, & pensionum ipso facto priuatur, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicentur: si vero in delicto eorum cum eadem, vel alia fœmina perseuerans secundæ monitioni adhuc non paruerit, non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittit, qui prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius etiam vti Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspenditur. Et si ita suspensus nihilominus eas non expellat, aut cum illis etiam versetur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuo priuatur, &c. sic Trid. *sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* Concubinatus delicti continuationem petit. Item ad hanc pœnam debet delinquens esse ter monitus, *c. si quisquam. & c. si autem. De cohabit. clericor. & mulier.* Verùm si iudex in sua præsentia delinquentem moneat, vnica monitio triæ æquiualet, ex tex. *in leg.* 2. *Cod. quomodo & quando iudex, &c.*

Hæc autem procedunt de concubinatu cum ea, quæ nullo vinculo consanguinitatis, affinitatis, vel religionis ligata est. Nam si aliquam ex his circunstantiis habeat, non est necessario supradictus ordo seruandus, sed deponi poterit, & beneficiis priuari, vt latius Gutier. *can. quæst. lib.* 2. *c.* 7. *à n.* 13.

23 Decimum tertium crimen priuationem inducens est sodomia: sed non inducit illam ipso iure, sed per sententiam, *clerici. de excessib. prælator.* ibi: *deiiciantur à clero.* Bernard. Diaz. *pract. cap.* 80. *alias* 86. Staphileus *tit. de variis modis vacat. §. quando quis veniat priuandus beneficio. num.* 4. Azor. 2. *p. lib.* 7. *cap.* 18. *quæst. vlt.* Garc. 11. *p. cap.* 10. *num.* 102. Ex constitutione tamen 70. Pij V. beneficiis ipso iure priuati sunt hoc crimen exercentes, quod verum *exercentes*, indicat vsum, & consuetudinem, ac proinde in vno, vel altero concubitu locum non habet, vt ex Azor. Garcia, & aliis ab eo relatis constat, imo neque in hac parte videtur hæc constitutio recepta. Crimen vero pollutionis, bestialitatis, & similium, etsi dignum sit priuatione beneficiorum, non tamen ipso iure illam irrogat.

24 Pro complemento eorum quæ dicta sunt, inquites quo loco beneficia vacare censenda sunt, quæ per delictum vacant?

Breuiter respondeo, si delictum vacationem inducit ipso iure eo loco beneficia vacare, quo delictum commissum est; quia ibi est formalis causa vacationis: si vero delictum ipso iure vacationem non inducit, sed per sententiam, vbi sententia definitiua pronunciata fuerit, ibi est censenda vacatio.

§. IX.

Qualiter beneficium extingui, supprimique possit.

1 *Qua sit beneficij suppressio, & qua causa ad illam requiratur.*
2 *Episcopus cum consensu capituli hanc suppressionem facere potest.*
3 *Quæ requirantur ad hanc diminutionem.*
4 *Mensa Episcopali, aut capitulari non potest Episcopus applicare beneficia suppressa.*
5 *Quid dicendum in præbendis, quarum numerus à Sede Apostolica confirmatus est.*

1 SÆpè conueniens est beneficia ad minorem numerum reducere, eo quod redditus tenues sint, & insufficientes ad beneficiatos honestè alendos; illa ergo reductio vocatur beneficij extinctio, & suppressio; quia exinde beneficium non est, sed eius reditus ad vsum aliorum beneficiatorum applicantur.

Debet autem ad hanc suppressionem, & reductionem legitima causa intercedere; *cap. ex parte de constitutionib.* quæ nulla alia est, nisi prouentuum diminutio: si namque probatum non fuerit redditus ita diminutos esse, vt insufficientes sint ad beneficiatos honestè alendos, cultumque diuinum ritè peragendum, nequaquam poterit alius à Pontifice numerum beneficiorum minuere: sic August. Barbosa 3. *p. de potest. Episc. allegat.* 67. *n.* 5. cum Felin. *in cap. constitutus, num.* 1. *de rescript.*

2 Posita verò, & probata hac fructuum diminutione potest Episcopus cum capituli consensu in cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus præbendas ad pauciorem numerum reducere, vt distributiones augeantur, *cap. cum accessissent, de constitution. & ibi* Abbas *n.* 4. *&* 9. Felin. *n.* 17. Decius *n.* 43 Azor. 2. *p. instit. mor. lib.* 6. *cap.* 30. *quæst.* 12. Garcia 11. *p. de benef. c.* 1. *num.* 1. Barbosa *allegat.* 67. *n.* 1. Nomine Episcopi solus Episcopus comprehenditur: neque enim Abbati exempto habenti iurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem licet cum consensu sui capituli præbendarum numerum in distributiones quotidianas insumendum diminuere: id enim Episcopis tantum datum est à Trid. *sess.* 24. *cap.* 15. *de reformat.* & decisum refert Barbosa, *ibi n.* 2. *&* 5. *& allegat.* 67. *num.* 4. Capitulum vero, cuius consensus expostulatur, est tum Cathedralis Ecclesiæ, *clem.* 2. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, tum illius Ecclesiæ in qua præbenda supprimi debet: sic Barbosa refert decisum à sacra congregatione. Hic capituli consensus potest post diminutionem interuenire: quia in eius gratiam cauetur expostulandus. Stephan. Gratian. *discept. forens. c.* 278. *n.* 30. Quare nullus potest nullitatem vnionis ob defectum huius consensus opponere, cum solum capitulo id concedatur: sic Gratian. *supra.* Barbosa *in remissionib. concil. dicto cap.* 15.

3 Vt ergo hanc potestatem diminuendi præbendas Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum insignium ad distributionum augmentum, Episcopus exerceat, debet constare non potuisse aliquot simplicia beneficia eis vnire. Nam Trident. *sess.* 24. *c.* 15. *de reformat.* hoc remedium prius tentandum esse decreuit, vt colligitur ex illis verbis, *vel si hac ratione* (scilicet per vnionem aliquorum beneficiorum simplicium) *prouideri non posset aliquibus ex iis suppressis*, &c. Deinde debet intercedere patronorum consensus, si præbendæ sint de iure patronatus laicorum. Et præterea fructus præbendarum prædandi sunt esse ita tenues, vt nequaquam ex illis tertia pars deduci possit pro quotidianis distributionibus. Alias non posset Episcopus supprimere præbendas pro augendis distributionibus quotidianis, sed necessario vti deberet remedio præscripto à Trident. *sess.* 21. *cap.* 3. *de reform.* Pro fabrica vero Ecclesiæ, aliorumque piorum operum potest Episcopus si iusta causa intercedat beneficia simplicia, aliaque

aliasque præbendas supprimere. Azor. 2. *p. lib. 6. c. 30. q. vlt.* & constat *ex c. sicut vnire, de excessib. prælat.*

4 Nunquam tamen licet Episcopo mensæ Episcopali, aut capitulari præbendarum suppressarum, aliorumque beneficiorum extinctorum fructus applicare. Quia id esset in facto sibi proprio & vtili authoritatem præstare, contra *clement. si vna de reb. Eccles. non alienan.* & tradit Gonzal. *glossa 37. n. 25.* Azor. 2. *p. lib. 6. c. 30. q. 15.* Barb. 3. *p. de potest. Episc. all. g. 67. n. 9. & 10.* Bene tamen potest Episcopus singulis præbendis eos fructus applicare; quia aliud est capitulum, aliud singuli de capitulo: sic Gonz. Azor. & Barbola *supra.*

5 Difficultas vero est, an in præbendis, quarum numerus à Sede Apostolica approbatus, confirmatusque est, possit Episcopus supprestionem facere?

Videtur posse, quia potest non obstante confirmatione apostolica numerum præbendarum augere, ergo & minuere. Cæterum dicendum est, si post confirmationem à Sede Apostolica factam fructus præbendarum diminuti non sint nequaquam poterit Episcopus cum consensu capituli præbendas supprimere. Quia nequit confirmationi Apostolicæ derogare. Neque obstat posse Episcopum numerum præbendarum augere, non obstante Apostolica confirmatione, & iam non excrescentibus fructibus. Non inquam obstat. Quia confirmatio Apostolica, ne numerus præbendarum augeatur, in fauorem canonicorum inducta est, cui ipsi canonici cedere possunt. Nam Ecclesiæ vtilius regu lariter est, vt numerus præbendarum augeatur: augmento enim præbendarum diuinus cultus augetur. At confirmatio apostolica ne numerus præbendarum minuatur, in vtilitatem Ecclesiæ, & authoritatem diuini cultus cedit; ac proinde Episcopus, & capitulum cedere confirmationi non possunt, & consequenter nec possunt præbendas diminuere.

Aduerto tamen, si confirmatio Apostolica præbendarum expedita sit cum decreto irritante quidquid in contrarium factum fuerit, & c. non solum non posse Episcopum præbendarum numerum minuere, sed neque augere fructibus in eodem statu permanentibus. Quia clausula illa superaddita, denotat voluisse Pontificem facilitati canonicorum obuiare, & præbendarum numerum immutatum manere: sic relato Abbate *in c. dilect. de præb. n. 10. & 14. & c. cum accessissent de constitut. n. 4.* & Fel. *ibi n. 7. & 13.* docet Garc. 12. *p. de benef. c. 5. n. 10.* Azor. 2. *p. lib. 6. c. 30. q. 10.*

Verum si post confirmationem Apostolicam, & cum decreto irritante fructus præbendarum notabiliter diminuti sint; poterit Episcopus cum consensu capituli numerum præbendarum minuere. Quia illa confirmatio subintelligitur rebus in eodem statu permanentibus: sic Abbas *dicto c. cum accessissent. n. 4* Fel. *n. 17.* Garcia 12. *p. c. 1. n. 4.* Azor. *lib. 6. c. 30. q. 13.*

§. X.

Qualiter beneficia dismembrari diuidique possint.

1 *Quid sit dismembratio, & qualiter facienda est.*
2 *Non possunt parochiales fructus dismembrari, vt simplici beneficio applicentur.*
3 *Quid sit beneficiorum diuisio, & qualiter permittatur.*
4 *Quæ sit causa honestans diuisionem.*
5 *Consensus Rectoris non requiritur.*
6 *A decreto diuisionis, & erectionis appellari potest.*
7 *Parochus constitutus debet prouideri ex obuentionibus parochianorum, pro quibus denuo constituitur.*

1 Dismembratio est separatio aliquorum fructuum, & redituum beneficij ab ipso beneficio, vt alteri beneficio, vel loco pio applicentur. Quapropter dismembratio titulum non extinguit, sed titulo beneficij intacto remanente aliqui fructus ab eo separantur, & alteri beneficio applicantur Garcia 12. *p. de benef. c. 2. n. 4. fine.* Vt autem Episcopus hanc dismembrationem facere possit, eadem causa, eædemque solemnitates interuenire debent, quæ in alienatione rerum Ecclesiasticarum requiruntur: quapropter requiritur consensus capituli, vacatio Rectoris, vel defensis: est enim dismembratio, vera alienatio: sic Mandos. *reg. 22. q. 13. à n. 8.* Gambara *de officio legati. lib. 5. pub. de dismembratione. n. 14. & 15.* Garcia 12. *p. de benef. c. 3. à n. 3.* Barb. *alleg. 67. à n. 11. & seqq.*

2 Aduertendum tamen est; non posse Episcopum parochiales fructus dismembrare, vt simplici beneficio applicetur. Quia Trid. *sess. 25. c. 16.* prohibet parochiale in simplex beneficium conuerti, quod sacra Congregatio declarauit, prout refert Garcia 12. *p. de benef. c. 1. n. 88.* intelligi debere etiam in parte fructuum. Secundo aduerte, non posse Episcopum separare, seu dismembrare ab Ecclesia parochialia beneficia simplicia, seu oratoria vnita, tametsi separatis parochialis non egeret; quia esset parochialem ex parte in simplex beneficium conuertere, contra Trid. *dicta sess. 25. c. 16.* sic refert decisum à sacra congregatione Garcia *supra.* Aloysius Riccius *in praxi fori Eccles. decis. 492. in 1. edit. & in 2. resol. 383. n. 6. & 7.*

3 Dismembrationi vicina est beneficiorum diuisio; quæ in eo consistit, vt ex vno beneficio plura fiant; ex vna enim Ecclesia parochiali plures parochiales ex vno canonicatu duplex canonicatus, vel vnus canonicatus, & portio. Hæc ergo diuisio iure interdicta est. *c. maior. & c. dilecto c. vacante de præb.* & ibi Doctores omnes. Triplici autem conditione intercedente permittitur. Prima, vt fructus pro singulis beneficiis designatis sufficientes sint ad honestè beneficiatum alendum: alias irrationabilis esset diuisio, si beneficiatus denuo constitutus sustentari ex beneficio non posset. Secunda, vt causa honesta, & rationabilis ad hanc diuisionem intercedat. Tertia, vt in hac diuisione facienda solemnitates in alienatione rerum Ecclesiasticarum requisitæ seruentur, quia hæc diuisio est vera alienatio. His ergo conditionibus intercedentibus potest Episcopus Ecclesiam sibi subiectam diuidere; colligiturque ex Trid. *sess. 21. c. 4 de reform.*

4 Sed inquires, quæ causa censeatur rationabilis, & honesta huius diuisionis? Respondeo eam solam esse, quæ munera, & obligationes beneficij exequeretur, aliàs non exequendas: si enim beneficium esset curatum, & vnum cum sit, non posset curæ satisfacere, diuisione vero facta id fieret, posset in plura diuidi. Idem est de canonicatu, aliove beneficio simplici, si munus haberet, cui nullatenus secluſa diuisione fieri posset satis, posset diuidi.

Hinc fit non esse sufficientem causam beneficia diuidendi, quod cultus multiplicatione beneficiatorum augeatur. Qui hoc augmentum cultus non expostulatur à beneficio. Abbas, & Imola *in c. vacant. de præbend.* Lambert. *de iure patr. lib. 2. q. 1. q. 12. art. 7.* Rota apud Garc. 12. *p. de benef. c. 4. n. 5.* Item non est sufficiens causa, litis extinctio, & litigantium concordia: hæc enim obtineri possunt, quin beneficium diuidatur, sola inquam reseruatione pensionis, Rota *supra.* Deinde non est sufficiens causa diuidendi beneficium parochiale multitudo parochianorum; si secluſa diuisione omnibus his parochianis administrari commode Sacramenta possunt ab ipso Rectore & ab aliis clericis in adiutorium assumptis; colligitur ex Trid. *sess. 21. c. 4.* vbi concilium priusquam diuisionem concedat, præmittit, vt Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in omnibus Ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, vt vnus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui diuino peragendo; cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exigenda, & cultum diuinum celebrandum. Debet ergo hoc remedium prius tentari, quam fiat beneficij diuisio: sic refert decisum Aug Barb. *in supradicto loco concil.* Ad compellendum autem Rectores, vt hos clericos in sui adiutores designent, non est opus, si procedatur ex officio, vt Episcopus probet aliquè, vel aliquos parochianos sine sacramẽtis decessisse defectu congrui seruitij, sufficit si periculum decedendi extraiudicialiter cognoscat. Secus vero est; si ad instantiam partis Rector compellendus esset clericos in sui adiutorium assumere. Quia difficilè pars probare potest necessitatem, nisi probet aliquem sine sacramentis decessisse: sic ex decisione Rotæ comprobat Garc. 12. *p. de benef. c. 4. n. 10.* Quocirca ea est sufficiens causa diuidendi Parochialem, quando ob locorum distantiam, aquarum inundationem, aliamve continuam difficultatem parochiani non possunt sine magno incommodo pro recipiendis sacramentis, & diuinis officiis audiendis ad Ecclesias parochiales accedere: sic tradit Trid. *sess. 21. c. 4. de ref.* & prius decisum erat in *c. ad audientiam, el. 1. de Ecclesiis ædific.* Quando hoc incommodum contingit, arbitrio Episcopi relinquitur. Rebuff. *in praxi benef. 1. p. tit. de erectione in curatum, & paroch. n. 9.* Menoch. *de arbit. casu 497. n. 2. & 3.* Aloys. Riccius *resol. 476. n. 5.* Aug. Barb. *alleg. 68. n. 2.* Illud tamen est aduertendum, si in illo distanti, parochianis prouideri potest erectione alicuius capellæ, vel oratorij, in qua constituatur Vicarius ad nutum Rectoris amobilis, qui ibidem resideret, & Sacramenta administraret, beneficium diuidendum non est: Aloys. Riccius *resol. 476. n. 6. alleg. 68. n. 7.*

5 Consensus Rectoris, cuius est beneficium diuidendum, non requiritur, cum concilium dicat etiam inuitis Rectoribus id fieri posse. Neque item requiritur consensus parochianorum, cum tota hæc causa iudicio Episcopi remittatur à concilio.

6 Poterit tamen Rector, & parochiani à decreto diuisionis, & erectionis facto per Episcopum, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatum, appellare, sed hæc appellatio necessario interponenda est coram sanctissimo, si Episcopus nouam parochiam erigit tanquam Apostolicæ Sedis delegatus. At si ordinarius procedit, coram Metropolitano interponi appellatio poterit. Barb. *in declar. concil. n. 4.* Hæc autem appellatio solum effectum deuolutiuum, non suspensiuum videtur habere: colligitur ex dicto *c. ad audientiam, de Ecclesiis ædific.* ibi, *& virum bonum appellationis cessante diffugio instituere non omittas.*

7 Parochus constitutus prouideri debet ex obuentionibus parochianorum, pro quibus denuo rector constituitur, quia in eorum gratiam parochia prouidetur. Si autem hæ obuentiones insufficientes sint ex redditibus antiquæ Ecclesiæ, si abundantes sint, suppleri defectus debet, sin minus compellendi sunt parochiani integram parocho sustentationem concedere. Colligitur ex Trident. iuncta Cardinalium declaratione relata à Barb. *loco allegato.*

§. XI.

Qualiter erectio beneficiorum, & illorum mutatio contingat.

1 *Quid sit erectio, & cuius authoritate facienda sit.*
2 *Quid de mutatione.*

1 BEneficium erigitur, si ius percipiendi fructus ob spirituale titulum authoritate Superioris statuatur. Sed quia diuersa sunt beneficia, non est idem superior, qui eorum erectioni authoritatem præstet; Ecclesias Metropolitanas, Cathedrales, & Collegiatas solus Pontifex approbare potest, *c.1. ne Sede vacante c. quod translat. de officio Legati.* Nouam item dignitatem, quæ re, & quæ nomine noua sit solus Pontifex erigere poterit. *c.1. dist.* 22. At benè potest Episcopus, iusta causa intercedente, in aliqua Ecclesia secundum Archidiaconatum, personatum, presbiterium approbare: quia hæc non tam est noua beneficij institutio, quam præexistentium extensio: sic Azor. *2.p.inst. lib.5.c.29.q.25.* Debet tamen ad hanc extensionem consensus illorum quorum interest interuenire. Azor. *lib.6.c.30.q.10.* Deinde Ecclesiæ conuentuales, & regulares, esto olim authoritate Episcopi erigerentur; at modo solius Pontificis, vel authoritate Superiorum regularium eriguntur, quia priuilegiis Romani Pontificis sunt à iurisdictione Episcopali exemptæ, parochiales vero Ecclesias, & simplices, simpliciaque beneficia Episcopus creare potest. Azor. *2.p. lib.6.c.30.q.4.* Nunquam tamen Ecclesia erigitur, nisi dote designata competenti ad sustentandum clericum, vel clericos, qui officia diuina peragant, aliaque munera obeant, ad quæ Ecclesia erigitur, *c.1. de consb. c.1. de conf. dist.1. c. ad audient. de Eccl. ædific.* Vnde extruens Ecclesiam compelli potest ad eam dotandam, *c. cum sicut de consecr. Eccles.* quod si absque dote Episcopus eam ædificare permiserit, tenetur eam ipse dotare, aut suis expensis quomodocunque sustentare. Azor. *2.p. lib.6.*

2 Hinc fit quid sit dicendum de mutatione Ecclesiæ? Solius inquam Pontificis authoritate Ecclesia collegiata aut parochialis in Cathedralem mutari potest. Quia de ratione Cathedralis Ecclesiæ est Episcopatus, qui solum à Pontifice creati potest. Item solus Pontifex potest parochialem Ecclesiam, vel simplicem in Collegiatam mutare. Quia solus ipse potest nouam dignitatem cæteris præexcellentem, & dignitatem habentem instituere. Azor. *2.p.lib.6.c.30.q.2.* tametsi contrarium sentiat Rebuff. *praxi benef tit.de erect. in Colleg.* quem sequitur Garc. *12.p.de benef.c.5.n.3.* Idem est dicendum de mutatione Ecclesiæ sæcularis in regularem, sola inquam Pontificis authoritate id fieri posse. Quia solus Pontifex est vtriusque superior. Quapropter authoritate Episcopi solum potest mutari Ecclesia simplex in parochialem. Azor. *2. p.lib.6.c.30.q.2.* Garcia *12.p.de benef.c.5.n.2.* Barb. *alleg.68.n.9.* Et licet sacra Congregatio censuerit id ab Ordinario fieri non posse, intelligendum est cessante causa, & necessitate, Garc. & Barb. *supra.* Parochialis autem Ecclesia in simplicem nullatenus conuerti potest ordinaria authoritate: quia ita cauetur à Trid. *sess.25.c. 16.de reform.* Barb. *dicta alleg 68. in fine.*

PVNCTVM XII.

Qualiter beneficia aliis vniri possint.

VT totam materiam vnionis distinctè explicemus, placet hunc ordinem sequi. Primò inquirendum est quid sit vnio, quotuplex, qui eius effectus. Secundò, quæ beneficia, & à quibus vniri possint: ex qua causa, & qua forma, & solemnitate. Tertiò, quomodo probetur, & quando censeatur effectum sortita, ac tandem de eius reuocatione.

§. I.

Quid sit vnio, quotuplex, & qui eius effectus.

1 *Quid sit vnio.*
2 *Est duplex, temporalis, & perpetua.*
3 *Vnio perpetua tripliciter fit.*
4 *Pro diuersitate vnionum effectus diuersus statuitur.*
5 *In beneficio accessorie vnito non est locus vacationi.*
6 *Accepta collatione, & possessione beneficij principalis accessorium collatum est.*
7 *Beneficium accessorij vnitum per vnionem amittit omnes suas qualitates, & priuilegia.*
8 *Econtra est in beneficio principaliter vnito.*
9 *Quid præstet vnio principalis.*
10 *Idem præstat vnio ad vitam.*
11 *Vnde cognoscendū sit de vnione accessoria, vel aquè principali.*
12 *Quid est aduertendum in præbendis annexis dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum.*

1 VNio est Ecclesiarum, seu beneficiorum coniunctio legitima superioris authoritate facta: sic cum communi sententia tradit Rebuff. *prax. tit. de vnionibus benef. à n.1.* Hojeda *de incompatibilit. benef. 2.p.c.3.n.1. & 2.* Garc. *12.p. de benef. c.2. n.3.* Azor. *2 p.lib.6.c.28.q.1.* Barbos. *alleg.66.n.1.* Th. Sanch. *lib.7. in decal. c.29.n.145.*

2 Est duplex, alia perpetua, alia temporalis: perpetua, quia in perpetuum; temporalis, quia pro limitato tempore, ad vitam scilicet alicuius, & in eius fauorem facta est. Rebuff. *num.6. & 9.* Garcia *n.9.* Hojeda *de incompatib. benef. 2.p.c.3.n.1.* Sanch. & alij *supra.*

3 Rursus vnio perpetua tripliciter fit. Primo cum ex duplici beneficio vnum tertium distinctum coalescit, *c. decim. ad finem 16. q.1.* Sed hæc non tam beneficiorum vnio, quam illorum extinctio, & noua beneficij erectio. Secundo fit vnio, cum vnum beneficium alteri subiicitur, illique incorporatur. Tertio cum æquè principaliter sibi inuicem beneficia vniuntur: sic Glossa *in c. & temporis, verbo vnire 16.q.1. & c.1. Ne sede vacante, verbo vnitendo, & ibi Doctores* Rebuff. *tit. de vnione n.11.* Petr. Greg. *de benef. c.20.n.2.* Azor. *2 p.lib.6.c.18.q.2.* Garcia *12.p.c.2.n.7.* Barb. *alleg. 66.n.2.* Gonz. *glos. 5.§.7.n.26.* Sanch. *lib.7.c.29.n.146.*

4 Pro diuersitate vnionis diuersus est effectus. Vnio namque, qua ex duplici beneficio vnum consurgit, operatur retentionem priuilegiorum vtriusque si compati possunt; ac si contraria sint, meliorum, & fauorabiliorum. Gonzal. *glos. 5.n.28 & 55.* Pet. Greg. *n.15.* Garc. *12.p. de benef. c.2.n.10.* Vnio vero, qua beneficium alteri accessorie annectitur, operatur extinctionem, & suppressionem nominis, & tituli beneficij vniti, ita vt durante vnione nec esse, nec nominari beneficium possit, sed iudicatur vt prædium illius cui vnitur, sic pluribus relatis Garc. *n.12.* Barb. *alleg. 66.n.38* Gonz. *glos. 5.§.7.n.33.* E contra vero vnio beneficiorum æquè principaliter facta operatur retentionem nominis, & tituli vtriusque beneficij, ita vt beneficiatus in quolibet beneficio intitulatus sit æquè ac si vnum alteri vnitum non esset. Quapropter quodlibet beneficium manet beneficium, sicut antea eadem priuilegia, honores, & redditus tenens: sic Glossa *in c. & temporis 16.q.1 & dicto c.1. ne Sede vacante.* Rebuff. *tit. de vnione, n.15.* Gonzal. *glos. 5.§ 7.n.111.* Garcia. *12.p.c.2.n.73.* Barbosa *3.p. de potest. Episc. alleg. 66.n.50.*

5 Hinc fit in beneficio accessorie vnito non esse locum vacationi, nec reseruationi: quia quod non potest vacatis nec reseruari potest. Gonz. *n.7. & 33.* Garc. *n.15.* Item neque esse locum regulæ de triennali. Quia hæc fauet possidenti beneficium in titulum, non in prædium. Garc. *n.28.* Gonzal. *n.9.* Item neque permutari, neque resignari; neque conferri posse, quia per vnionem accessoriam omnino beneficium extinctum est. Gonz. *glos. 5.§ 7.n. 11. & 14.*

6 Fit secundo collatione, & possessione accepta beneficij principalis & accessorium collatum, & possessum esse, quia comparatione beneficij accessorie vniti non datur collatio, nec possessio, quia non datur beneficij titulus. Gonz. *glos. 5.§.7.n.6.* Barb. *alleg. 66.n.39.* Garc. *12 p.c.2.n.21. & 22.*

7 Fit tertio beneficium accessorie vnitum amittere per vnionem omnes suas qualitates, & priuilegia. Quia amittit beneficij naturam, & non entis nullæ sunt qualitates. At habet qualitates, & priuilegia illius cui vnitur, quia in illius naturam conuersum est: sic Glossa *c. & temporis, verbo vnire 16.q.1. & c.1. verbo vniendo ne Sede vacante.* Gonz. *glos. 5.§.7 n.2.* Barb. *alleg. 66.n. 41.* Quocirca si parochialis vnita sit accessorie beneficio simplici, tanquam beneficium simplex est iudicanda; ac proinde ad illius impetrationem opus non erit ætate pro parochiali requisita, sed solum ætas pro simplici beneficio expostulata. Neque erit necessarius in illius prouisione concursus præscriptus à Trid. *sess.24. c. 18. de reform.* neque habebit incompatibilitatem cum alia parochiali, neque in impetratione noui beneficij erit exprimenda, sic relati Doctores.

8 Econtra res procedunt in beneficio æquè principaliter vnito, vacat inquam, & permutari, resignarique potest, sed non separatim ab eo cui est vnitum: alias dissolueretur vnio. Item conferri debet, & publicari, ac si vnitum non esset. Deinde inducit incompatibilitatem cum quolibet alio simili, ac tandem illius est merito facienda in cuiuslibet noui impetratione. Quia naturam beneficij retinet esto annexam, & coniunctam cum alio, ac proinde seruandæ sunt illius qualitates & conditiones, Garc. *12.p. de benef. c.2 n.37.* Barb. *alleg. 66.n.50.*

9 Ex quo colligere potes hanc vnionem non præstare, vt beneficia inter se communicentur, sed solum vt communicentur, in persona. Vnde nec qualitates, nec priuilegia, nec fructus vnius beneficij cum qualitatibus, priuilegiis, & fructibus alterius communicantur, sed quodlibet beneficium suas qualitates, priuilegia, & fructus distinctos retinet; ita vt si in aliquo ex his beneficiis vnitis sit necessario apponendus Vicarius, vt muneribus illius satisfaciat, is prouideri debet ex fructibus talis beneficij; & non ex prouentibus alicuius beneficij vniti, cuius bona per vnionem distincta, & separata remanserunt, neque obligata ad supplendum defectus beneficij vniti; sicut cum duæ Ecclesiæ sunt adinuicem vnitæ, beneficiati vnius Ecclesiæ non obligantur supplere defectum seruitij in altera Ecclesia, vt benè notauit Gonzal. *glos. 5.§.7.n.117.* cum Rota *decis. 578.n.2.par.3.diuers.* Quod si illi fructus insufficientes sint, ipsius parochiani compelli

pelli debent suppeditare congruam sustentationem, quia ipsi tenentur in subsidium. Gonz *supra n.* 115.

10 Quæ dicta sunt de beneficiis vnitis æquè principaliter procedunt, cum vniuntur ad vitam; quia hæc vnio non extinguit titulum beneficii, sed illius retentionem cum alio concedit. Gatc. 12. *p. de benef. c.* 2. *n.* 38.

11 Sed inquires; vnde cognoscendum sit vnionem factam esse accessorie, vel æquè principaliter. Respondeo, inspiciendum primo esse tenorem vnionis, si enim rescriptum dicat; *illud & illud beneficium vnimus*, vnio est æquæ principalis: si autem dicat, *tale beneficium illi beneficio vnimus & incorporamus*, vnio est facta accessoriè. Quod si ex verbis vnionis id colligi non potest, spectandum est quod beneficium sit magis dignum & illud iudicandum est esse principale vnitum, & minus dignum esse tantum accessoriè, quia magis dignum trahit ad seminus dignū *c. quod in dubiis, de consecrat. Eccles. vel altaris*: si vero beneficia æqualia appareant, attendi debet an ex vno beneficio tantum denominatio prouenerit, & illud iudicabitur principale vnitum aliud accessoriè; cum in hac æqualitate sola vnio accessoria causa esse possit huius denominationis. Item attendi debet vsus, & consuetudo, quæ est optima legum interpres. Verum si adhuc res dubia sit, præsumendum est vnionem æque principaliter factam esse, & non accessoriè. Quia semper præsumptio sumi debet vt titulus beneficij censeatur, non vt extinguatur; *c. Abbate. de verbor. signif.* vide Giossam *in clem. 2. de præbend. verbo Ecclesias* Felin. *in c. nostra de rescr. pr. sub. n.* 30. *& c. translato n.* 6. *& 7. de const.* Gatc. 12. *p. de benef. c.* 2. *à n.* 55. Gonz. *gl.* 5 §. 7 *à n.* 127.

12 Aduertendum tamen est cum Garcia *supra n.* 55. præbendas canonicales annexas dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, & collegiatarum non esse ita accessoriè annexas, vt earum tituli extincti sint cum verè illas possidentes canonicorum titulum retineant, & vocem in capitulo habeant, aliaque munia exerceant. quæ exercent, si solum canonici existerent; quod est manifestum signum illam vnionem non esse in re accessoriam, sed principalem, idque a fortiori constat ex eo quod cum alia simili præbenda compati non possint

§. II.

Quæ, & qualiter, & à quibus beneficia vniri possūt spectato iure communi

1 *Cathedrales Ecclesiæ, & earum prima dignitas, præcipuè in collegiatis à solo pontifice vniri possunt.*
2 *Episcopus omnia beneficia sua diœcesis non exempta valet vnire*
3 *Potest vnire beneficia ad Sedem apostolicam deuoluta.*
4 *Limitatur, ne procedat in beneficiis deuolutis ob propriam negligentiam.*
5 *Dicendum de beneficiis reseruatis, duplici limitatione appositā*
6 *Quibus vnire Episcopus beneficia potest.*
7 *Non potest facere vniones ad vitam.*
8 *An aliis præter Pontificem; & Episcopum competat potestas vniendi.*
9 *Vicarius Episcopi hanc potestatem non habet.*
10 *Quid si vicario data sit potestas cōferendi beneficia cum clausula generali; & ad omnia requirentia speciale mandatum.*
11 *Quid de capitulo Sede vacante, censent aliqui non habere hanc potestatem. Probabilius est oppositum.*
12 *Fit satis contrariis fundamentis.*
13 *Non debet sibi beneficia vnire.*
14 *De legato à latere plures negant hanc potestatem habere.*
15 *Probabilius est oppositum.*
16 *Satisfit contrariis*
17 *Quid de Archiepiscopo.*
18 *Quid de Abbatibus, aliisque Prælatis iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus*
19 *Causa ad vnionē requisita est necessitas, vel vilitas Ecclesiæ.*
20 *Huius causæ cognitionem debet Prælatus permittere ad vnionem*
21 *Debent vocari hi quorum interest, alias erit nulla.*
22 *Vocandus est patronus siue laicus, siue Ecclesiasticus, collator seu electo.*
23 *Rector beneficij vocandus non est neque item est vocandus defensor, si vnio facienda est tempore vacationis.*
24 *Accedere debet consensus capituli Cathedralis Ecclesiæ in vnione ab Episcopo facta, sed non à legato.*
25 *Qualiter Episcopus ab hac obligatione excusari potest.*
26 *Debeatne præcedere hic consensus vnionem, alij negant, verius est tempore vnionis adesse debere.*
27 *Differentia inter alienationem, & vnionem*
28 *Exprimi debet verus valor beneficij vniendi, & eius cui est facienda vnio.*
29 *Non requiritur tractatus expostulatus in alienatione rerum Ecclesiæ.*

1 ET quidem omni iure certum est, solum Pontificem posse vnire Cathedrales Ecclesias *c. & temporis. 16. q. 1. cap. sicut vnire, de excessib. prælat.* Idem est de prima dignitate in Ecclesia Cathedrali, & principali in collegiata; quia earum prouisio soli Pontifici competit. Azor. 2 *p. lib. 6. c.* 28. *q.* 6. Hoieda, 2. *p. de incompatibilit. benef. c.* 3. *n.* 7. *in decal. c.* 29. *n.* 150. *in fine.*

2 Episcopus vero potest spectato iure communi omnia beneficia suæ diœcesis non exempta vnire: *ex dicto c. sicut vnire* ibi. *sicut vnire Episcopos, atque potestati subijcere alienæ ad sanctum pontificem pertinere dignoscitur, ita ad Episcopum Eccl. suarum suæ diœcesis vnio, & subiectio earundem* & tradunt omnes. Apello beneficia non exempta, quæ prouisioni ordinariorum subiiciuntur, exempta, quæ extra illorum prouisionem sunt.

Hinc videbatur inferri, non posse Episcopum beneficia ad Sedem Apostolicam deuoluta aut reseruata, seu aliàs affecta vnire, quia eorum prouisio Sedi Apostolicæ competit.

3 Sed dicendum est, optimè posse Episcopum beneficia ad Sedem Apostolicam deuoluta vnire, vt statim vnio habeat effectum, sed vt habeat effectum post primam vacationem: sic Abbas *in c. sicut vnire, de excessib. prælat. n.* 6. & ibi Antonius, *n.* 10. Marian. senior. *à n.* 67. *vsque ad* 70. Azor. 2. *p. lib. 6. c.* 28. *q.* 15. Gōn. zal. *gloss.* 5. §. 7. *n.* 136. Garcia 12. *p. de benef. c* 2. *n.* 9. 2. Th. Sāch. *l.* 7. *in decal.* 29. *n.* 149. Aug. Barbos. *allegat.* 66. *n.* 15. & alij apud ipsos. Priorem partem, nempe posse Episcopum beneficia deuoluta vnire sic probo. Quia deuolutio solum præstat, vt beneficia illa vice à pontifice prouideantur, non autem impedit Episcopopum, quin de ipsis beneficiis, disponat, dispositione supradictam prouisionem Pontificiam non impedente; at vnio quæ effectum fortituta non sit quousque denuo beneficium vacet, non impedit Apostolicam prouisionem. Ergo hæc vnio fieri potest. Secundam partem conclusionis, nempe vnionem non esse habitutam effectum, quousque denuo beneficium vacet, hac ratione manifesto. Nam Episcopus tollere non potest ius alteri quæsitum sed titulo deuolutionis habet Pontifex ius quæsitum beneficia deuoluta conferēdi. Ergo hoc ius tollere Episcopus non potest. At si vnio haberet effectum antequam Pontifex prouideret, tolleret Episcopus à Pontifice ius quæsitum, si quidem facta vnione extinguitur beneficium, & incapax est prouisionis. Ergo ante collationē Pontificiam non potest vnio habere effectum. Facta vero collatione Pontificia prouiso est ius quæsitum firmum, & irreuocabile. Ergo impediti non potest per vnionem. Ergo vnio habere non potest effectum, quousque ius illud quæsitum amittatur & consequenter quousque beneficium denuo vacet.

4 Videtur tamen limitanda conclusio, vt procedat in beneficiis deuolutis ob negligentiam ignorantiam, vel absentiam prædecessorum; secus si ob Propriam Episcopi negligentiam deuoluta fuerint. In pœnam enim propiæ negligentiæ videtur non solum prouisio, sed quælibet beneficii dispositio interdici. Et videatur vnione prouisionem sibi interdictam compeniare. sic Reb. *prax. tit. de deuolutionib. n.* 31. praxis Episcopalis. 2. *p. verbo vnio.* §. 8. August. Barbosa *allegat. 66. num.* 16.

5 Idem quod dictum est de beneficiis deuolutis, dicendum est de reseruatis; posse inquam Episcopum illa vnire dummodo vnio effectum non habeat quousque reseruatio cesset: atque ita æque de deuolutis, ac de reseruatis loquuntur Doctores, *n.* 2. relati, duplici tamen limitatione appositā prima ne reseruatio iub verbis adeo generalibus fiat, vt censeatur Pontifex quamlibet beneficii dispositionem sibi reseruare. Vt si dicat, tale beneficium nostræ dispositioni, ordinationique reseruamus: hac enim reseruatione censetur non solum beneficii collationem, sed quamlibet de illo dispositionem aliis interdicere: sic Abbas *in dicto c sicut vnire n.* 7. & ibi Alex. de Nouo *in addit* Azor. 2. *p. l.* 6. *c.* 28. *q.* 16. Sanch. *l.* 7. *c.* 39. *n.* 150. Secūda, ne reseruatio perpetua sit: nam hæc impedit vnionis effectum: durante namque reseruatione vnio effectum habere nō potest. Ergo si reseruatio perpetua sit numquam vnio effectum habebit ac proinde inutiliter fiet. Non igitur fieri potest: sic Hoieda *de incompatib. benefic.* 2. *p. c.* 3. *n.* 7. Sanch. *illo num.* 150. *in fine,*

6 Vnionem autem facere potest Episcopus tum aliis beneficiis *c. sicut vnire de excessib. prælat.* *exposuisti de præbend.* tum monasterlis & locis religiosorum *c. consultationib. c. pastoralis de donationib. clement. si vna de rebus Eccles. non alienandis cap. si Episcopus.* 12. *q.* 2. & tradunt post alios antiquiores, quos allegant Felinc. *in nostra. n.* 42. *de rescript.* Azor. *lib.* 6. *c.* 28. *quæst.* 19. Gatc. 12. *part. de benef. c.* 2. *n.* 77. Sanc. *lib.* 7. *in decalog. c.* 29. *n.* 148. Quod verum est quamuis illud monasterium, cui fit vnio exemptum sit. Sanch. & Gatc. *supra.* Tum denique vnire potest fabricæ Ecclesiæ etiam cathedralis; quia est locus pius, & religiosus. Gatc. aliis relatis, *n.* 79. Nunquam tamen vnire potest mensæ Episcopali, aut capitulari, ne ius sibi dicat & in facto proprio authoritatem præstet, deciditur expresse *clem. si vna de rebus Ecclesiæ alien. vel non*, & tradunt ibi doctores, Barbosa *allegat. 66. n.* 30. Gatc. 12. *p. c.* 2. *n.* 166. *& seqq.* Bene tamen poterit singulorum præbendis beneficia vnire; quia inde non infertur vnionem factam esse capitulo. Quia aliud est capitulum: aliud singuli de capitulo: sic Gonz. *gl.* 37 *n.* 2 . Gatc. 12. *p. de ben. c.* 2. *n.* 171. *& seqq.* Gracian. *disc. forens. c.* 174 *n.* 54. *in fine.* Aug. Barb. *alleg. 66. n.* 31.

7 Supradicta intelligenda sunt de vnione perpetua: secus de vnione temporali, seu ad vitam. Hanc enim Episcopus facere non potest, quia hæc non est propriè vnio beneficiorum, sed illorum

illorum dispensatio. Non enim per hanc vnionem Ecclesiis pauperibus prouidetur, sed personis: & ita tenet alios referens Staphileus *de litter. grat. tit. de modis prouisionis, n. 19.* Gar. 12. *p. de benef. c. 2. n. 84.* Sanch. *l. 7. in decal. c. 29. n. 152.* Az. *l. 6. c. 28. q. 17.* Aug. Barb. *alleg 66. n. 8.*

8 Rursus inquirimus; an aliis præter Pontificem & Episcopum competat potestas vniendi beneficia spectato iure communi, & dubitari potest de vicario generali Episcopi, de capitulo Sede vacante, de Legato à latere, de Archiepiscopo, ac denique de aliis prælatis iurisdictionem quasi episcopalem habentibus comparatione beneficiorum sui territorij.

9 Et primo Vicarius generalis Episcopi ex vi vicariatus nequaquam habet Potestatem beneficia vniendi. Quia neque habet potestatem beneficia conferendi, quod minus est: sic post alios antiquiores Rebuff. *praxi beneficiar. tit. de vnionib. n. 37. & tit. form. vicariatus. n. 102. l. 6.* Azor. *6. c. 28. q. 10* Sbrozius *de vicario Episcopi l. 2. 115. à n. 2. vsque ad 8. & q. 116. n.* Thom. Sãc. *l. 3. in decal. c. 29. n. 153.* Aug. Barb. *alleg. 66. n. 7.* Aloysius Ric. *resolut. 383. in prin.* Garc. 12. *p. de benef. c. 2. n. 69.* Gracian. *discept. forens. c. 278. n. 35.* Quamuis contra sentiat Hieronym. Gabr. *cons. 200. n. 3. l. 1.* Mosedun. *decis. 3. de offic. vicar.* sed absque fũdamẽto.

10 Quod si Vicario data sit potestas conferendi beneficia cum generali clausula, & ad omnia requirentia speciale mandatum. Aliqui Doctores tradiderunt concessam esse potestatem beneficia coniungendi; eo quod conferre voluntatis sit, coniungere vero necessitatis: sic Cã. *l. 5. tit. de poteſt. legat. Rub. 1. n. 115.* Sed contrarium omnino dicendum est; quia sub potestate conferendi non comprehenditur potestas coniungendi, vt pote omnino distincta. Neque etiam comprehenditur ex vi illius clausulæ generalis: quia hæc solum extenditur ad similia, non autem ad maiora expressis: argum. *cap. qui ad agendum de procurator. in 6. clem. eodem tit.* Negari autem non potest, vnionem beneficiorum dissimilem esse collationi, & esse quid maius, vtpote quæ nequit fieri sine consensu capituli, & beneficii naturam immutat. Ergo ex potestate conferendi beneficia cum illa clausula generali, non infertur potestas vniendi, & ita tenet Rebuff. *tit. de forma vicariatus n. 102.* Sbrozius *supra. à n. 9.* Garc. *n. 69.* Sanch. *n. 154.* Barb. *n. 7.* & alii apud ipsos.

11 De capitulo Sede vacante plures Doctores censent non posse beneficia vnire, eo quod non potest iuri Episcopali derogare, derogaret autem beneficiorum vnione, siquidem illa facta Episcopus qui potestatem haberet duo beneficia conferendi, vnum tantum conferre posset, aliud enim per vnionem extinguitur. Præterea quia capitulum non habet potestatem conferendi beneficia ad Episcopum pertinentia, Ergo neque habebit potestatem vniendi, quæ maior est: sic Pauin. *de officio, & poteſt. capituli. 2. p. q. 3. à n. 17.* Ant. Euchus *in inſtit. l. 1. tit. 9. n. 87.* Az. *2. p. l. 1. c. 38. q. 9.*

Probabilius tamen est hanc potestatem capitulo Sede vacante competere. Quia hæc potestas est iurisdictionis non voluntariæ sed necessariæ; eo quod necessitate vrgente orta ex necessitate Ecclesiæ, vel euidenti ipsius vtilitate vnio facienda est, & non aliter. At capitulum Sede vacante succedit Episcopo in iis quæ pertinent ad iurisdictionem necessariam, imo ex plurium sententia succedit in iis, quæ pertinent ad iurisdictionem siue voluntariam, siue necessariam. Ergo capitulum hanc vniendi potestatem habet & ita tenet Rebuff. *tit. de vnionib. n. 36.* Hoieda *de incompatib. benef. 2. p. c. 3. n. 7. verſ. similiter capitulum.* Az. contrarius *1. p. l. 6. c. 28. q. 9.* Garc. 12. *p. c. 2. n. 67.* Sanch. *in decal. l. 7. c. 29. n. 155.* Aug. Barb. 3 *p. de poteſt. Epiſc. alleg. 66. n. 5.*

12 Neque obstant contraria; quia vnio beneficiorum non causat Episcopo præiudicium: est enim exercitium Episcopalis iurisdictionis, & licet faciat, vt Episcopus non possit post vnionem nisi vnum beneficium conferre: cum tamen secluſa vnione duo conferre posset non obinde perit ius aliquod, Episcopale quod in eo cõsistit, vt possit omnia beneficia sibi subiecta prouidere. dum beneficii naturam retinent: quæ potestas non immutatur ex eo quod hæc, vel illa beneficia extinguantur. Ad confirmationem respondeo, esto potestas vniendi maior sit, quam conferendi, quia tamen est necessitatis, & non voluntatis; ea de causa potest capitulo, Sede vacante competere, tametsi non competat potestas conferendi.

13 Aduertendum tamen est hanc vniendi potestatem capitulo competere, dummodo sibi beneficia non voiat. Nam si Sede plena non potest capitulum in sui fauorem præbere consensum ad vnionem; quia esset authorizare propriũ factum & quasi in propria causa ius dicere, *clement si vna. De rebus Eccleſ. non alienã.* Minus poterit ea sibi beneficia vnire: & ita tenet, decisumque refert Garc. 12 *p. de benef. c. 2. n. 68.* Barbosa *alleg. 66. n. 5.*

14 Legatus item à latere an possit beneficia prouinciæ sibi demandatæ vnire; Variant Doctores. Negant Innoc. *in c. fin. de confirmat. vtili, vel inutili, ad finẽ* Hostiensis *n. 1.* Iaann. Andreas *n. 2.* Ant. *n. vlt.* Feder. *conſ. 195. per totum.* Matiã. Socin. Senior dubius est post. quæstionem latè disputatam *in c. ſicut vnire de exceſſib. prælat. art. 3 q. 3. à n. 9.* Moueantur, *ex dicto c. fin. de confirm. vtili, vel inutili,* vbi reprobatur Vnio facta à Legato à latere. secundo, quia hæc potestas soli Episcopo videtur iure communi concessa *dicto c. ſicut vnire:* ibi *Epiſcopus, &c.* Tertio Legatus à latere derogare iuri commune non potest; at vniens beneficia videtur ius commune derogare; præscribens cuilibet beneficio suum Rectorem. *c. quia nõnulli. de clericis nõ reſidentib.* & prohibens ne ab illo absit. *c. conquerente. eodem tit.* Quarto Legati potestas non extenditur ad derogãdam Episcopalem authoritatẽ *c. vlt de religioſis domib. c. vlt. de confirmat. vtili vel inutili.* At si ad vnionem beneficiorum extenderetur, Episcopali authoritati derogaretur: si quidem priuaret Episcopum aliqua prouisione beneficiorum in perpetuum. Ergo id facere non potest.

15 Nihilominus oppositum verius est. Quia Legatus à latere in prouincia sibi demandata est Ordinarius, & eandem cum Episcopo authoritatem habet, vt sæpè dictum est aliis relatis decet. Garc. 2. *p. debenef. c. 5. n. 283.* Sãch. *l. 8. de matr. diſp. 9. n. 25.* Cũ ergo Episcopus hanc habeat potestatem, Legatus à latere illam habere debet: & ita tenent Abbas *in c. ſicut vnire de exceſſib. prælat. n. 5.* Staph. *de litter grat. tit. de modis prouiſ. n. 20.* Gãb. *de officio, vel poteſt. legat. l. 5. n. 40.* Rebuff. *in praxi benef. t. de vnionib. à n. 24.* Sãch. *l. 7. in decal. c 29. n. 158.* Garc 12. *p. c. 2. n. 65.* Az. 2. *p. l. 4. c. 29. q. 14 & l. 6. c. 28. q. 8.* Aloys. Riccius *in praxi fori Eccleſi. deci. 492. in 1. edit & in 2. reſol. 383. n. 2.* Aug. Barb. *alleg. 66. n. 4.* & alij apud ipsos.

16 Neque obstant contraria. Non primum, quia in *illo cap. fin. de confirmat. vtili, vel inutili* nõ reprobatur vnio facta à Legato: non enim ibi Legatus beneficia vniuit, sed contulit: reprobatur autem quod ex collatione sibi facta collatarij præterdebãt. scilicet ius exẽptionis in temporalibus, & spiritualibus ab Episcopo: quia, vt inquit ibi textus, iura, quæ diœcesanis debẽ, ut per collationes Legati, & cõfirmationes apostolicas nec minuuntur, nec læduntur. Ad secundum nego, soli Episcopo hãc potestatem vniẽdi competere. Nam etsi *in c. ſicut vnire*, solius Episcopi mẽtio fiat, sub illo nomine quilibet iurisdictionem Episcopalem habens comprehenditur. Quod ex eo patet. Nam competit Episcopo cõfirmato, tametsi consecratus non sit. Sanch. *l. 7. in decalog. 29. n. 147.* Ad tertium nego vnionem beneficij ius cõmune derogare, sed potius ius cõmune hanc concedens facultatem exequi. Neque obstat cuilibet beneficio suum Rectore eligendi, & in eo eius præsentiã expostulari; quia hoc intelligitur, dũ in esse beneficij perseuerat, secus si per vnionem, aliamque viam euanguatur. Ad quartum nego vnionem esse derogationẽ iuris Episcopalis, aliis Legatus à latere conferẽs beneficia prouinciæ sibi demandatæ, iuribus Episcopalibus derogaret contra tex. *in cap. ſua de confirmat. vtili, vel inutili*, siquidẽ per collationem facti à Legato, cessat in Episcopo potestas beneficia illa conferendi, quæ aliàs poterat. Sed quia hæc cessatio est per exercitiũ iurisdictionis Episcopalis, ea de causa dici non potest iuribus Episcopalibus per eam derogari: sic dicendum est in vnione.

Dixi hãc potestatem competere Legato à latere; quia hic potest beneficia prouinciæ sibi demandatæ conferre. *c. 1. de officio Legat in. 6.* At reliquis Legatis, quibus ea potestas cõferẽdi iure communi concessa non est, neque hãc habent potestatem, & rudit alios referẽs Ga. 12. *p. c. 2. n. 66.* Sãch. *l. 7. in decal. c. 29. n. 158.*

17 De Archiepiscopo conueniũt Doctores, in sua propria diœcesi posse beneficia vnire, sicut potest Episcopus. Quia verè Episcopus est: at in diœcesi Suffraganeorum nequaquã posset: quia illa beneficia nõ sũt illi subiecta, nisi in aliquibus casibus à iure expressis, quorum nullius potestas vniendi. Adde hanc potestatem esse potestatem iurisdictionis ordinariæ, quam non habet Archiepiscopus in beneficia Suffraganeorũ, quod manifestè colligitur *ex c. ſicut vnire de exceſſ. prælat.* vbi assignatus, vel cõmutio Metropolitani de vnione beneficij Suffraganei nullius putatur cõsideration is: ita pro certo tenent Abbas *eo c. n. 4.* Reb *prat. benef. tit. de vnionib. n. 29, & 30.* Azor. 1. *p. l. 6. c. 28. q.* Ho. *de incomp. benef. 2. p. c. 3. n. 7.* Sanch. *l. 7. c. 29. n. 156.*

18 Denique de Abbatibus, aliisque Prælatis iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus dubitant Doctores an habeãt potestatem vniendi beneficia sibi pleno iure subiecta? Et quidem si priuilegio, consuetudine immemoriali, aut quadragenaria cum titulo, ferè omnes Doctores conueniũt hos Prælatos vnire posse. Quia hæc potestas cum sit iurisdictionis, præscribi etiam potest. At secluso priuilegio, vel consuetudine immemoriali, communior sententia defendit nequaquam posse beneficia vnire: sic plures Doctores relati à Sãch. & Garc. *locis statim allegandis.* Mouetur ex *c. ſicut vnire*, vbi vnio facta ab Abbate de beneficio sibi subiecto cõmittitur Episcopo, vt eam infirmet, si velit. Cæterum verius censeo hanc potestatẽ his Prælatis competere. tum quia *in c. ſicut vnire*, ea de causa vnio illa ab Abbate facta mandatur infirmari, quia fuit facta absque cõsensu Episcopi, cui beneficium subiiciebatur. Ergo à contrario si ex cõsensu Episcopi vnio facta esset vel beneficium illi subiectum non esset, vnio valida foret. Tum quia his prælatis cõpetunt ea quæ sunt iurisdictionis Episcopalis hæcque potestas ad iurisdictionẽ Episcopalem pertinet, siquidem competit Episcopo nõ consecrato, sed solum confirmato; & ita tenet Man Rodr. 3 *t. quæſt 80. art. 2.* Garcia 12. *p. c. 2. n. 72.* Sanch. *l. 7. in decal. c. 29. n. 196.* & alij plures apud ipsos.

Qualiter supradicti omnes hanc vnionem beneficiorum præstare debeant, constabit explicatis conditionibus pro vnione requisitis.

19 Pri

19 Prima ergo conditio est necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, hanc autem esse omnino necessariam, vt vnio valida sit, probat: tex. *exposuisti: de præbendis*: ibi: *si euidens necessitas vel vtilitas exigat*: & tradunt ibi cõmuniter Doctores. Rebuff. *tit. de vnione n.* 38. Hojeda *de incõpatibilit. 2. p. c. 3, n.* 8. Azor. *2. p. l. 6. c. 28. q. 4. &* 13. Garc. *12 p. de ben. c. 2. n.* 180. Aug. Barb. *alleg. 66. n.* 21. Sãch. *l. 7. in decalog. c. 29. n.* 161. Necessitas est: si præbẽda, cui facienda est vnio, careat sufficientibus redditibus ad alendũ ministrum, vt expressè dicitur *in dicto c. exposuisti*. ibi, *de redditibus præbẽdarum suarum nequeant sustentari*: Vtilitas est, si ob tenuitatẽ fructuum non inueniãtur idonei ministri, qui beneficia deseruiant: sic habetur *in suprad. c. exposuisti*. Azor. *dicta. q.* 13. Sãch. *n.* 161. Barb. *n.* 22. Rebuff. & Hojeda *supra*. Ad vtilitatem pertinet argumentum diuini cultus: si enim facta vnione cultus diuinus augetur, sufficienter præbet causã vniendi; colligitur *ex c. ex parte. de constitut.* & ex Trid. *sess.* 14 *c.* 9 *de reformat.* & *tradit* Sãch. *dicto c. 29. n.* 161. Ex quo manifestè constat, dari legitimã causã vniendi aliqua beneficia conuentibus religiosorum, quia eorum vnione augetur diuinus cultus. Sanch aliis relatis, *dicto. n.* 171.

20 Vt autem hæc vnio non solum licitè, sed validè fiat, debet prælatus, vniens causæ cognitionem præmittere, aliàs cæco, irrationabiliq; modò procedet, & absque potestate, cum non sit ei aliter potestas vniendi concessa: constat ex iis quæ diximus, *tract. de legibus. disp. vlt. dispensat. pun.* 13 & *pun.* 14. explicuimus qualiter credendum sit prælato adhibuisse causæ cognitionem ibi dicta confirmant in præsenti Sanch. *dicto c.* 29. *n.* 162. Garc. *c. 2. à n.* 120. Barb. *alleg. 66. n.* 13. & 14.

21 Secunda conditio est, vt vocentur hi quorum interest, aliàs nulla sit vnio, & meritò. Quia non debet fieri, si tertio iustum præiudicium generatur, *clem. vnica* §. *ad hæc. de statu Monach.* consentit Trid. *sess. 7. c. 6. de reformat.* & tradit Rebuff. *tit. de vnionibus. n.* 43 Azor. *2. p. lib. 6. c. 28. q.* 14. Sanch. *l. 7. in decal. c. 29. n.* 173. Garc. *12. p. c. 2. n.* 203. Aug. Barb. *alleg. 66. n.* 34.

22 Hi verò sunt primò patronos siue laicus, siue Ecclesiasticos inferior collator, seu electo, quia his omnibus per vnionẽ notabiliter præiudicatur: siquidẽ ius quod possidẽt, extinguitur. Debẽt ergo vocari, vt sic vocati opponãt cõtra vnionẽ, si quid habẽt cõstat *ex supradicta clem.* & ex Trid. *ibi* & *sess. 24. c.* 25. sic Doctores nuper relati. Neque Episcopo asserẽti horũ citationẽ fecisse creditur: nisi aliunde probat; aliàs in voluntate Episcopi situm esse supradictis præiudicare. Garc. *12. p. c. 2. n.* 213. Hi ergo vocantur, vt consensum præstent: quapropter absque eorum cõsensu nequit fieri vnio, vt multis relatis probat Sanch. *l. 7. in decal. c. 29. n.* 167. & 178. Garcia 12. *p. de benefic. cap. 2. à n.* 205.

Solum in vnione facienda per Legatum à latere est cõtrouersia, an patronus Ecclesiasticus vocari debeat, & cõsentire? Negat Sanch. *n.* 169. alios referens. Quia huic patronatui Legatus derogare potest, & idem censet de patronatu laycali ex sola consuetudine, præscriptione, aut priuilegio, quia natura pat onatus Ecclesiastici immutatur, *facit cum dilectus de iure patronat. c. dilectus de officio Legati*. Sed cõtrarium verius censeo cum Garc. *12. p. de benef. c 2. n.* 221. quia nullibi est Legato potestas concessa derogandi huic patronatui in vnione beneficiorum. Nam esto data sit ad derogandum in prouisione, non inde infertur in vnione, quæ titulum extinguit. & ius absorbet daram esse. Quod si vocati renuant venire, vel præstare consensum; poterit prælatus ad vnionem procedere. probata prius, & per sententiam declarata necessitate, vel vtilitate. Quia tunc patronus collator, vel electo irrationabiliter dissentiunt, vel cum vocati non comparent, censentur tacitè consentire.

23 Præter supradictos nullus alius vocandus videtur. Non rector beneficij, si vnio non sit effectum habitura durante eius vita, sed post mortem. Quia non præiudicatur. *c. cõsultationibus. de donationib. & clem. si vna de rebus Eccles. nõ alienãd. & ibi Glossa*. Seraph. *decis.* 1078. Garc. *7. p. de benef. c. 2. n.* 214. Sãch. *l. 7. c. 29. n.* 171. Barb. *alleg. 66. n.* 36. Neque item vocandus est defensor beneficij, si vnio facienda est tempore vacationis, Quia defensoris constitutio pro dismembratione, & diuisione beneficij, illiusque alienatione requiritur, nõ pro vnione. Sãch. *n.* 71. Garc. *à n.* 215. Neque item debent vocari plebs: quia non præsumitur allegatura cõtra id quod sibi vtilius & conuenientius sit, si tamen de facto vnioni se opponat, audiẽda est, & causa quã allegat examinanda; quia sua non leuiter interest bonum habere pastorẽ. Garc. *n.* 229. Sãch. *dicto c. 29. à* 163. Barb. *alleg. 66. n.* 37. & alij apud ipsos. Desunio facienda est per Legatum, seu ex commissione Pontificis. aliqui relati a Garc. *n.* 221. existimant vocandum esse Episcopum, quia sua interest. ne per vnionem priuetur iure quod habet beneficia conferendi: Sed contrarium merito probat ibi Garc. *n.* 222. alios referens; quia hoc præiudicium ex natura vnionis nascitur, quam deberet ipse ordinarius præstare.

24 Tertia conditio est, vt capituli cathedralis Ecclesiæ consensus accedat *c. pastoralis. de donationib. clem. si vna. de rebus Ecclesiæ non alienand.* & traduat omnes in vnione facienda per Episcopum. In vnione tamen facienda per Lugatem, seu ex commissione Pontificis, communiter Doctores censent non esse cõsensum capituli requirendum. Quia cum capitulo consortium nõ habet: sic pluribus firmat Garc. *12. de ben. c. 2. n* 150. & 151. at placet distinctio, quam adducit Sanch. *lib. 7. in decalog. c. 29. n.* 166. ex Mariano Socino Seniore *c. sicut vnire, de excessib. prælat. art. 6. concl. 14. n.* 115. nempe consensum capituli requiri, si Legatus vniat tanquam Ordinarius: quia tunc iura, & leges Ordinariis impositas videtur obligatus seruare: secus verò si vniet tanquam delegatus Pontificis, & nomine ipsius.

25 Ab hac obligatione requirendi consensum capituli excusari potest Episcopus consuetudine immemoriali, aut quadragenaria cum titulo; quia videtur esse præscriptio: sic aliis relatis Garc. *12. p. de benefic. c. 2. n.* 152. qui addit his regnis esse præscriptam consuetudinem generalem, qua derogatum est huic obligationi requirendi consensum capituli.

Secundo excusari Episcopus potest, capitulum requisitum nollet absque causa legitima præbere consensum, tunc enim posset Episcopus ad vnionem procedere; tametsi capituli consensus non accedat; quia non est priuandus Episcopus potestate vniendi, quam habet ob contradictionem irrationabilem capituli. Credo tamen prius capitulum compellendum esse quoad fieri possit, vt consentiat. At si eius consensus, obtineri non possit, poterit ad vnionem procedere. sic Azor. *2. p. lib. 6. c. 28. q. 12.* Rebuff. *reg. 21. Cancell. gloss. 11. n.* 3. Mat. Socin. Senior. *c. sicut vnire art. 6. conc. 1. n.* 92. Sãch. *l. 7. in decal. c. 29. n.* 164. vbi aduertit cũ Mariano Socino, existente iusta causa contradicendi, vnius contradictionem sufficientem esse ad impediendam vnionem.

26 Sed ob dubium; an hic consensus capituli præcedere debeat vnionem, an satis sit vt subsequatur? Communior sententia defendit sat esse subsequi, sicuti de consensu patroni, electoris. & similium dictum est: sic Boerius *decis.* 345. *n.* 3. & 4. Rebuff. *dicta reg. 21. Cancell. gl. 11. n.* 10. Hoj. *de incompatib. ben. 2. p. c. 3, n.* 9. Sãc. *l. 7. c. 29. n.* 165. Azor. *q. 12. in fine*. Garc. *12. p. de ben. c. 2. n.* 147. & alij apud ipsos. Et probari videtur ex textu *in c. cũ nos. de his quæ fiũt à prælato sine cõsensu capituli*: ibi: *certũ est cõcessionẽ illã non tenere, quã reclamãte capitulo per prædecessorem tuũ constat factã fuisse, nisi eam rectã postmodũ habuisset*. Item ex textu *in c. iura de iure patronat.* vbi religiosi non possũt retinere Ecclesias sibi à laicis concessas, nisi diœcesani cõsensus accedat.

Cæterum verius credo, consensum capituli tempore vnionis adesse debere. Quia est ad valorem, & substantiam vnionis requisitus Neque obstat sat esse consensũ patroni subsequi. Quia cum in eius fauorem admittatur, mirum non est, si sufficiat subsequi. Et idem est de consensu diœcesani, de quo *in cap. cura de iure patronat.* Idem de consensu capituli in alienatione rerum Ecclesiæ, de qua *in cap. cum nos*. In his enim sat est consensum subsequi; eo quod in eorum fauorem introductus sit. At capituli consensus non in gratiam capituli, de cuius præiudicio in vnione non agitur, sed in gratiam Ecclesiæ, ne passim, & retinerè vniones fiant requisitus est; eaque de causa adesse debet tempore vnionis: sic Burs at. *cons. 85. l. 2. n.* 14.

27 Hinc oritur quædam differentia maximè notanda inter alienationem rerum Ecclesiasticarum. & beneficiorũ vnionem, nempe in alienatione rerum Ecclesiasticarum nullitatem alienationis ob defectum consensus, aliarumque solemnitatum posse ab ipsa Ecclesia, & non ab alio allegari; quia in eius fauorem est nullitas introducta. At nullitatem vnionis ob defectum consensus capituli posse à quocunque allegari. Quia non in gratiam capituli, sed in gratiam Ecclesiæ, & pro illius recta gubernatione introducta est: sic benè notauit Garc. *12. p. de benef. c. 2. à n.* 164.

28 Quarta conditio est requisita, vt exprimatur verus valor beneficij vniendi, & eius cui est facienda vnio. Aliter enim constare non poterit vnionem necessariam, vel vtilem esse, habetur *reg. Cancell. 21. de vnionibus*. Hoc tamen intelligi debet in vnione, quæ postulatur facienda à Pontifice, vel eius Legato. Quia valorem beneficiorum ignorant. Secus de facienda ab Ordinatio, cui valor beneficij satis perspectus præsumitur: sic Rebuff. *supradicta, reg. Cancell. 21. gloss. 5. & seqq.* Sanch. *l. 7. c. 29. numer.* 178.

29 Quinta conditio ab aliquibus in vnione beneficiorum expostulata, est tractatus in alienatione rerum Ecclesiasticarum requisitus. Quia est quædam rei Ecclesiasticæ alienatio. sic Abbas *cons.* 106. *n.* 3. & 4. *l.* 2. Sed merito à reliquis Doctoribus hæc conditio non admittitur; eo quod nullus sit textus eam præscribens. Nam in *in clem 2. de rebus Eccles. non alienãd.* solius capituli consensus, non tractatus requisitus est. Vnio autem beneficiorũ licet sit aliquo modo alienatio, non est tamen verè, & propriè, & consequẽter conditiones alienationis subire non debet: & ita tenent Boerius *decis.* 345. *n.* 2. Pauin. *de officio. & potest. c. Sede vacante 2. p. q. 3. n.* 22. Rebuff. *reg Cancell. 21. gloss. 11 n.* 2. Sanch. *l. 7. in decal. c. 29. n.* 171. Garc. *12. p. de benef. c. 2. n.* 146. Azor. *2. p. l. 6. c. 28. n. 8. q. 12.* & alij apud ipsos.

§. III.

Qualiter beneficia spectato nouo iure Trid. vniri possint.

1 *Expenditur decretum sess. 7. c. 4.*

2 *Qualiter vniones factæ ante concilium examinandæ sint iuxta decretum. sess. 7. c. 6.*

3 *Expen-*

3 *Expenditur decretum Trident. sess. 7. c. 7.*
4 *Qualiter potest Episcopus vicarios perpetuo designare, à qua designatione aliqui casus excludantur.*
5 *Non potest Ordinarius in assignatione Vicarij procedere absque causa rationabili.*
6 *Vt Vicarium temporalem in perpetuum mutet, debet prius exigere Vicarium in titulum.*
7 *Debet vocare eos, quorum interest.*
8 *Extra tempus visitationis hæc designatio fieri potest.*
9 *Datque potest ab vnione appellatio.*
10 *Beneficia vnius diœcesis non possunt cum beneficiis alterius diœcesis, &c. vniri.*
11 *Vniones parochialium inter se, & simplicium beneficiorum cum curatis conceduntur à Trident. Ordinariis etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis.*
12 *Hæc vnio facienda non est absque consensu capituli.*
13 *Qualiter Trident. decernat vniones faciendas Seminario.*
14 *Quæ beneficia seminario vniri possint.*
15 *Quæ conditiones sunt seruandæ in hac vnione.*
16 *Proponitur difficultas non esse opus Seminarium erectum actu esse, vt illi beneficia vniri possint.*
17 *Parochiales Ecclesiæ non debent monasteriis, præbendis, aliisve locis piis vniri.*
18 *proponuntur duæ limitationes, sed non admittuntur.*
19 *Pro distributionibus quotidianis simplicia beneficia vniri possunt.*
20 *Libera beneficia beneficiis subiectis patronatus vniri nō possūt*
21 *Simplicia beneficia vniri possunt religioni, seu conuentui existenti intra diœcesim.*

1 HVcusque explicata sunt ad vnionem requisita iure communi spectato, videndum est an aliquid nouo iure Trident. immutatum sit. Vt ergo cum distinctione procedamus expendamus verba Trident. de vnione tractantia, & inde colligemus, quid immutatum sit.

3 Primo *Trident. sess. 7. c. 4.* inquit, quicunque de cætero plura eurata, aut alias incompatibilia benefic. Ecclesiastica siue per viam vnionis ad vitam, siue commendæ perpetuæ recipere, aut retinere præsumpserit, &c priuatus existat. Ex quibus verbis aliquibus placet beneficiorum aliàs incompatibilium vniones ad vitam omnino prohiberi, sicuti iure antiquo diximus esse prohibitas. sic Gonz. *gloss. 5 §. 7. n. 146.* At verius est ibi nihil de prohibitione vnionum, sed de incompatibilitate ipsorum beneficiorū vnitorū sermonē esse, vt benè notauit Garc. *1. p. 2. de ben. c. 2. 85.*

2 Eadem *sess. 7. c. 6.* sic concilium decernit. Vniones perpetuæ à quadraginta annis citra factæ examinati ab Ordinariis tanquam Apostolicæ Sedis delegatis possunt, & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarantur. Illæ vero quæ à dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cuiusuis instantiam fierent, nisi eas legitimis, aut aliàs rationalibus causis coram loci Ordinario vocatis quorum interest verificandis factas fuisse constiterit per subreptionē obtentæ præsumantur, ac proinde nisi aliter à Sede Apostolica declaratū fuerit, viribus omnino careāt.

In his verbis licet non concedatur Ordinariis potestas examinandi vniones quadraginta annis ante publicationem concilij factas. At cum non regentur, poterunt Ordinarij eas examinare iuxta formam iuris communis, sic Barb. *in sup. loco concilij* refert sacram congregationem declarasse. Item vniones post publicationem concilij concessæ citra 40 annis, & effectum sortitæ vigore huius decreti examinari non possunt, quia nulla de illis est ibi mentio facta, sed dispositioni iuris communis remittitur. Vigore ergo huius decreti possunt Ordinarij tanquam Sedis Apostolicæ delegati reuidere vniones post. 40. annos factas, & quæ per subreptionem, vel obreptionem fuerint obtentæ irritas declarare; quæ tamen non fuerint sortitæ effectum vocatis iis quorum interest tanquā per subreptionem obtentas possūt præsumere, nisi ex legitimis, probatisque causis factas fuisse cōstiterit. Quod decretum excludit ne possessor beneficij vniti possit contra hoc examen, & declarationem præscriptione ferè quadragenaria se tueri. Secundò, excludit ne possit ad Metropolitanum appellare, quia ab eo qui vt delegatus procedit ad solum delegantem datur appellatio: *c. super quæstorio de officio delegati:* ita vt ne Legatus à latere se potest in illa causa intromittere. *c. studuisti de officio Legati. sic* Sanch. *l. 7. in dec. c. 29. n. 179.*

3 Deinde *eadem sess. 7. c. 7. de reformat.* inquit concilium beneficia curata, quæ cathedralibus, collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuo vnita, & annexa reperiuntur ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicitè prouidere procurent, vt per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum aut maiori, vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum portione etiam super certa re assignanda ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur appellationibus, priuilegiis, exemptionibus etiam cum iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in præmissis minimè suffragantibus.

Hoc decretum nihil de vnione statuit, sed illa supposita tria decernit. Primo, vt ab Ordinariis curata beneficia vnita visitentur. Secundo, vt in eis Vicarij temporales, vel perpetui apponantur designata congrua portione. Tertio, reuocantur quælibet priuilegia, exemptiones, & remouetur appellatio. De visitatione late agendum est Deo dante tract. de iurisdict. Ecclesiast. & sæculari.

4 De Vicariorum designatione breuiter dicimus penes Ordinarium esse in supradictis beneficiis iuratis Vicarium etiam perpetuum designare, non obstante quolibet priuilegio, & exemptione.

Excipiuntur tamen aliqui casus, quos benè recenset Flores de Mena *in suis variis quæstionib. q. 17. per totum, & ex illo* Sanch. *l. 7. in dec. c. 29. n. 191.* Garcia *11. p. de benefic. c. 1. à n. 3.* Barbosa *alleg. 72. à n. 189.* Primus est in beneficiis vnitis monachorū, aut mendicantiū. Nā in his non potest Ordinarius Vicarium perpetuum apponere sed appositum, & nominatum à prælato monasterij, seu conuentus, cui est beneficium vnitum potest examinare, & si idoneus repertus fuerit approbare: sic habetur in *constit. Pij V.* quæ incipit. *Ad exequendum edita Kal. Nouēb. an. 1567 & est in Bullario 46.* Hic Vicarius tum sæcularis, tum regularis ex ipso conuentu, cui est beneficium vnitum esse potest, imo ex *constitutione Pij V.* regularis debet esse, si ab ipso monasterio, seu conuentu nominetur; & tradit Barbosa *alleg. 72. n. 190.* Garc. *11. p. de benef. c. 2. n. 13.* Secundo excipiuntur à Flores de Mena *n. 41.* & Sanch. *dicto n. 91.* beneficia vnita eo pacto, & concordia Pōtificē confirmata, vt per Vicarium ad nutum amobilem deseruiantur. Quæ Trident. non derogat his pactis, & concordiis, debebat enim illorum expressam mentionem facere. Tertiò excipiuntur beneficia, quæ ex consuetudine immemoriali per Vicarios ad nutum amobiles reguntur consentientibus Ordinariis. quia nulli consuetudini derogat concilium, & præsertim immemoriali, quæ ad sui derogationem expressam requirit mentionem: sic Flores de Mena *dicta q. 10. n. 4.* Sanch. *dicto n. 191.* Tametsi contrarium defendat Garc. *dicta 11. p. c. 2. n. 7.* referens à sacra congregatione decisum. Quartò excipiunt iidem authores beneficia vnita ex priuilegio in remunerationem concesso cum clausula apponendi Vicarium ad nutum amobilem quia in derogatione priuilegiorum non eluditur priuilegium ni remunerationem concessum. Quintò excipiuntur beneficia vnita post Trident. decretum cum priuilegio Apostolico apponēdi Vicarium ad nutum amobilem, debet tamen in priuilegio contineri saltem in genere derogatio Trident. vt latius diximus, *tract. de legib. disp. de priuileg.*

5 Aduertendum tamen est primo in hac Vicarij perpetui assignatione non posse Ordinarium pro libito, & sine causa ſtylum, statutum, & fundationem alterare, sed ex causa, quæ iuxta prudentis arbitrium in vtilitatem beneficij vniti cedat. Quia arbitrio Episcopi ratione regulato relictum est, vt constat ex illis verbis sollicitè prouidere procurent; & ex illis nisi pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, & tradunt Flores *q. 10. n. 47.* Sanch. *n. 191.* Garc. *11. p. c. 2. n. 8.*

6 Secundò, aduerte, non posse Episcopum Vicarium temporalem in perpetuum mutare, nisi prius Vicariam perpetuam erigat, & beneficium constituat, sic aliis relatis tenet, & decisum refert Garcia *11. p. de benefic. cap. 2. n. 15.*

7 Tertiò aduerte non posse Episcopum ad hanc mutationem faciendam procedere, nisi vocatis iis quorum interest. Garc. *n. 10.* Flores. *d. q. 10. n. 80.*

8 Quartò notat Garc. *n. 12.* Barb. *n. 190.* hanc assignationem Vicarij in beneficiis vnitis, monasteriis, & locis regularibus, & exemptis fieri non posse nisi in visitatione; quia extra visitationem non videtur à concilio concessa iurisdictio in hæc loca exempta. Sed non credo, quia concilium duo concedit Episcopo, scilicet visitare hæc beneficia, & in eis Vicarios perpetuos, seu temporales apponere, neque restrinxit appositionem Vicarij ad tempus visitationis; aliàs extra hoc tempus neque in beneficiis vnitis Ecclesiæ Cathedralis aliisque piis locis non exemptis Vicarios apponere posset; siquidem æquanimiter de omnibus concilium loquitur.

9 Quintò nota appellati posse ab erectione Vicariæ in titulum, & designatione Vicarij perpetui, si ij quorum interest videant expedire: vt benè probat Nauarr. *cons. 12. de statu Monach. aliàs 9. de præbend. in fine.* Sed hanc appellationem credo solum habere effectum deuolutiuum non suspensiuum; eo quod in *dicto c. 7.* Trid. remoueatur appellatio. Et licèt Garc. *dicto c. 2. n. 11.* dicat id esse intelligendū, quando fit appellatio ab erectione Vicariæ & designatione Vicarij tempore visitationis; secus si extra ad tempus designatio fiat. At verius videtur quocunque tempore Vicaria erigatur, & Vicarius designetur appellationem esse remotam, sicuti sunt remota priuilegia, exemptionesque contrariæ, vt constat ex illa generali clausula omnia antecedentia comprehendente, Appellationibus, priuilegiis etiam cum iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in præmissis minimè suffragantibus.

10 Præterea decernit Trid. *sess. 14. c. 7. de reformat.* Beneficia vnius diœcesis, etiamsi parochialis. Ecclesiæ Vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimoniis aut præstimoniales portio

portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum diuinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quæcumque de causa alterius diœcesis beneficio, aut monasterio, seu collegio, aut loco etiam pio perpetuò non vniantur. Ex quibus manifestè constat ius commune correctum esse. Nam illo spectato poterat Episcopus beneficia suæ diœcesis cum beneficiis alterius diœcesis vnire accedente Episcopi consensu, vt benè tradunt Marian. Socin. Senior. *c. sicut vnire de exc. Prælat. art. 4 q. 13. n. 80. & art. 6. conc. 11. 12. & 13. n. 102. 103. & 104.* Cacial. *tract. de vnion. c. 4. q. 13. & art. 6. n. 8.* At attento hoc Trident. decreto nequaquam id fieri potest: sic Fiscus *de visit. l. 2. c. 26. n. 24.* Azor. *2. p. l. 6. c. 28. q. 17.* Garc. *12. p. c. 2. n. 86.* Sanch. *l. 7. in decal. c. 26. n. 180.* Barb. *alleg. 66. n. 9.*

11 Deinde decernit Trident. *sess. 24. c. 5.* vt Ecclesiarum status conseruetur possint Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati iuxta formam iuris, sine tamen præiudicio obtinentium facere vniones perpetuas quarumcunque Ecclesiarum parochialium, & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter carum paupertatem, & in cæteris casibus à iure expressis, etiam si dictæ Ecclesiæ vel beneficia essent generaliter, vel specialiter reseruata, aut qualitercunque affecta. Quæ vniones etiam non possunt reuocari, nec quoquo modo infringi vigore cuiuscunque prouisionis etiam ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis. In quo decreto auget Pontifex potestatem aliàs Ordinariis concessam vniendi beneficia suæ diœcesis, vt eam exercere possint tanquam Apostolicæ Sedis delegati.

12 Solum est dubium: an ex vi huius decreti possit Episcopus vnire beneficia quælibet cum curatis absque capituli consensu? Et ratio difficultatis est; quia Legatus à latere non tenetur hunc consensum expostulare, vt dictum est §. præcedenti. At Episcopus in hoc casu procedit tanquam Apostolicæ Sedis delegatus. Ergo non tenetur consensum capituli in vnione facienda expectare: & ita tenet Nau. *cons. 10. de officio delegati in noua edit.* Prax. *Episc. 2. p. verbo vnio §. 9.* Nihilominus tenendum est consensum capituli requiri: sic docet, decisumque refert à sacra congregatione Garc. *12. p. de benef. c. 2. n. 158.* Sanch. *l. 7. in dec. c. 29. n. 182.* Aug. Barb. *alleg. 66. n. 29.* Ratio præcipua est; quia Trid. notanter expressit vniones beneficiorum faciendas esse iuxta formam iuris, vt ex illis verbis colligeretur consensum capituli esse requirendum; siquidem in vnionibus ab Episcopo faciendis hic consensus expostulatur à iure, in *clem. si vna de rebus Eccles. non alien.*

13 Item Trid. *sess. 23. c. 18. de reform.* in fauorem seminarij decernit, vt possit Episcopus ei vnire & applicare, & incorporare aliquot beneficia simplicia cuiuscunque qualitatis, & dignitatis fuerint, & etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones nuncupatas etiam ante vacationem sine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio; esto beneficia sint reseruata, vel affecta, nec per resignationes ipsorum beneficiorum vniones, & applicationes suspendi, nec vllo modo impediri possint.

14 Circa quam vnionem aduerto. Episcopum non posse beneficia simplicia omnia suæ diœcesis seminario vnire, sed aliquot, vt constat ex illis verbis. Nec non aliquot simplicia beneficia: & notauit Aloys. Riccius *praxi fori Eccles. decis. 492. in 1. edit. & ref. 383. n. 4. in 2. edit.* Barb. *alleg. 77. n. 29. & in declar. dicti loci concil. n. 27.* Hæc beneficia quæ vnienda sunt non debent residentiam expostulare, ne diuinus cultus minuatur, & fructus qui ex vnione seminario facta accrescere poterat, alia ex parte detrahatur; refert Barb. *in suprad. loco. cit. n. 29.* Item nec possunt ea beneficia vniri, quæ ad inferiorum collationem pertinent, neque quæ sint iuris patronatus etiam Ecclesiastici, neque quæ sint monasteriis vnita vel annexa; quia præiudicaretur iuri horum quæsito: cui iuri non derogat concilium in supradicto loco, sic Barb. supra. Neque item potest vnire beneficia commendata: quia hæc non vacant. Barb. *ibi.* Neque beneficia reseruata, vel affecta post eorum vacationem, sed ante tradit Barb. *de potest. Episcopi. alleg. 77. n. 30.* decisumque refert Garc. *12. p. de benef. c. 2. n. 102.* Et ratio est; nam ante vacationem non est certum an vacatura sint mense Ordinario, vel reseruato, ac proinde fraus, quæ interuenire potest vniendo beneficia reseruata, & non reseruata consanguineis conferendo cessat. Quocirca ea beneficia quæ ita prouisioni Apostolicæ subduntur, vt quocunque tempore vacent, semper sint reseruata, vt sunt beneficia familiarium, Cardinalium, collectorum, subcollectorum, aliorumque Officialium Pontificis nunquam vniri possunt: Barb. & Garc *locis allegatis.* Patitur tamen hæc doctrina limitationem, nisi Episcopus prius vnisset beneficia simplicia vacantia in suo mense, & ad suam collationem spectantia; quia hac vnione tollit præsumptionem fraudis, quæ interuenit in vnione beneficiorum reseruatorum: sic tenet, & decisum refert Zerola. *2. p. verbo seminarium. §. 5.* Garc. *12. p. de benef. c. 2. n. 104. & seq.* Barb. *dicto loco conc. n. 29. vers. beneficia simplicia.*

15 Vt autem hæc vnio habeat effectum debet fieri ex consilio quatuor deputatorum, duorum de capitulo, & duorum de clero; quia horum consilium requirit Tridentin. tam pro detractione redditum, quam beneficiorum vnione, ita vt vnio aliter facta nulla sit. Quia sub hac forma præscribitur facienda: sic Barb. *alleg. 77. n. 23.* Garc. *12. p. de benef. 2. n. 190.* decisumque refert à sacra congregatione. Hoc consilium succedit in his vnionibus consensu capituli, ac proinde adhibito horum deputatorum consilio capituli consensus requisitus non est. Glossa *12. p. de benef. cap 2. n. 190.* Barb. *declar. conc. n. 29.* Verum eorum consilio expostulato non tenetur eis acquiescere, quia in supradicto Trid. decreto non imponitur hæc obligatio. Garc. *n. 191.* Gonz. *reg 8. Cancell. gloss. 46. n. 74. & per totam glossam.* Barb. *alleg 77. n. 82. & in remiss. conc. n 8.*

Deinde debet fieri vnio beneficiorum, postquam ex fructibus mensæ Episcopi, & capituli, aliorumque diœcesis beneficiorum pars aliqua competens detracta fuerit. Nam concilium prius hanc extractionem, quam beneficiorum vnionem præscribit, vt constat ex contextu supradicti decreti: & notauit Gonz. *gloss. 5. §. 7. n. 75.* Barb. *alleg. 77. n. 2.*

Item præcedere debet vnionem beneficiorum seminarij erectio; aliàs nulla erit vnio. Quomodo enim vniri potest realiter beneficium seminario, quod in rerum natura non est? sic tenent, decisumque referunt Garc. *12. p. de benef. c. 2 n. 193.* Aug. Barbos. *alleg. 77. n. 23. & 25.* Aloysius Riccius *praxi fori Eccl. in 2. edit. resol. 380. n. 1.* Gonz. *reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 7. n. 68.* Seminarium erectum esse censetur, cum in aliqua domo siue empta siue conducta scholares aliqui adsunt, & magistri ad eos docendos designati sunt. Gar. & Barb. *supra.*

16 Sed aduersus hanc conditionem fortiter Gonz. *à num. 75.* insurgit; existimat namque cessante fraudis suspicione posse beneficia vniri seminario nondum actu erecto, sed quod paratur erigi. Mouetur; quia Trident. statuit ad collegij fabricam instituendam, & ad mercedem præceptoribus, & ministris soluendam, & ad alendam iuuentutem, vt aliqua portio ex fructibus mensæ Episcopalis, & capituli, & quarumcunque dignitatum, officiorum, personarum, præbendarum detrahatur, nec non & aliqua simplicia beneficia vniantur. Ergo vnio beneficiorum, sicut & fructuum detractio non debet seminarij erectionem subsequi. Nam rectus ordo postulat, vt priusquam scholares admittantur, & magistri designentur, dispositum sit, vnde sustentari possint. Neque obstat quod collegium, seu seminarium actu non sit, si tamen est in procinctu vt fiat; quo minus beneficia ei vniri possint; quia ob illam præparationem, & futuram de proximo erectionem reputatur erectum, & constitutum: ea namque de causa pecunia destinata ad emptionem rei immobilis inter immobilia censetur, *leg 8. § quid ergo. ff. de contrario iudicio tutelæ*: quia ratione destinationis naturam rei destinatæ sortitur. Deinde praxi receptissima statutum est, legata relicta pro seminariis erigendis, & instituendis valida esse. text. *in leg. seruos. 35. ff. de liberali causa. leg. seruos. 17. ff. de alimentis legatis.* Ergo beneficiorum vnio valida erit pro seminario erigendo, & instituendo; quia ex designatione, & præparatione ad effectum vnionis, sicut & legati erectum, & institutum censetur. Et confirmo, si seminarium pro aliquo tempore desinat esse statim erigendum; non proinde petit vnio beneficiorum ei perfectè vnitorum, vt tenet Garcia *12. p. de benef. c. 2. n. 199.* Sed in hoc casu dandum est subiectum, in quo vnio permaneat, quod non potest esse aliud quam seminarium denuo breui tempore erigendum. Ergo hoc idem subiectum esse potest ad primo recipiendam vnionem.

Fateor hanc rationem efficacem esse, illaque motus adhæresem sententiæ Gonz. quam etiam de nouo defendit Gratian. *discept. forens. c. 248. n. 71. & c. 385. n. 5.* nisi sacra congregatio, & grauissimus Rotæ consistorius contrarium declarasset.

17 Rursus Trid. *sess. 24. c. 13. de reform.* statuit ne Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque aut Abbatiis, seu dignitatibus, siue præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, siue aliis beneficiis simplicibus, seu hospitalibus, militiisve non vniantur. Ex quo textu manifestè constat restrictam esse potestatem iure communi ordinariis concessam: ius namque commune (vt vidimus) concedebat Episcopis potestatem vniendi quælibet beneficia suæ diœcesis aliis beneficiis, monasteriis, & piis locis; ex hoc tamen decreto non valent ordinarij vnire beneficia curata beneficiis simplicibus, neque monasteriis, neque aliis locis: sic Azor. *2. p. inst. lib. 6. c. 28. q. 17.* Sanch. *lib. 7. in decal. c. 29 n. 184.* Garc. *12. p. de benef c. 2. n. 87.* Barb. *alleg. 66. n. 10.*

18 Hanc decisionem limitant Gonzal. Gloss. *6. n 96.* Barbosa *dicta alleg. 66. num. 13.* vt procedat in parochiali habente certos terminos, & limites; secus in parochiali, quæ solum ex familia, populoque distinguitur, promiscueque à pluribus sacramenta recipit. Quia hæc non videtur esse parochialis propriè; ac proinde in decreto prohibente parochialium vnionem comprehendi non debet: & ita dicti Doctores testantur à sacra congregatione decisum in hæc verba. Parochiæ quæ certos fines non habent, sed certum tantum populum, & per certas familias distinguntur, vsque adeo vt sacramenta promiscuè non administrentur hoc concilii decreto vtique non comprehenduntur. Sed hæc limitatio nullatenus admittenda est: nam licet illa Ecclesia propriè parochialis non esset; est tamen propriè beneficium parochiale, cuius vnionem concilium interdicit. Neque relata decisio sacræ congregationis contraria est. Nam vt rectè aduertit Garc. *12. p. de benef. c. 2. n. 89.* illa decisio refertur ad decretum illud contentum in finalibus verbis *dicti c. 13.* quo cauebatur debere Episcopū in illis parochialibus Ecclesiis, quæ certos non habent fines, neque earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscuè petentibus sacramenta administrant, distincto populo in certos, pro-

priasque parochias vniquique suum perpetuum, peculiaremque parochum assignare, qui eas cognoscere valeat & à quo solo sacramenta suscipiant, aut vtiliori modo provt loci qualitas exegerit prouideant. Sub hoc ergo decreto decidit sacra congregatio non comprehendi Ecclesiam parochialem, quæ etsi certos fines non habeat; habet tamen certum populum; & per certas familias distinguitur, ita vt sacramenta promiscuè non administrentur. De decreto autem vnionis nihil dicit.

Secundò limitat Barb. 3. *p. de potest. Episc. alleg. 66. n. 13*, vt non procedat in vnione, quæ fieret pro fundatione, augmento, vel cõseruatione collegiorum, & aliorum piorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem bonarúmque artium cultum, & adducit Gonz. Glos. 5. §. 7. *n.* 46. Sed neque hæc limitatio admittenda est, Quia decretum Trid. absolutè prohibet vniones Ecclesiarum parochialium absque supradicta limitatione. Ergo absque fundamento apponitur hæc limitatio. Deinde quia seminario non permittit concilium vniones fieri de beneficiis curatis, sed solum de aliquibus simplicibus, cum tamen seminarium instituatur ad fidei Catholicæ defensionem & propagationem, bonarúmque artium cultum. Ergo ille finis non præstat facultatem parochiales vniendi. Neque Gonz. de hoc casu loquitur, sed de *regula 12. Cancell.* in cuius reseruatione censet supradictas vniones factas pro fundatione, augmento, vel conseruatione collegiorum, &c. non comprehendi.

19 Deinde *sess. 24. c. 15. de reform.* statuit in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus vbi frequentes adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, vt sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiant, licere Episcopis cum consensu capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia iis vnire, vel si hac ratione prouideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, &c. Ex quibus verbis constat aliqua ex parte potestatem Ordinariorum in hac vnione esse temperatam, & aliqua ex parte auctam. Temperata est; quia sola beneficia simplicia vnienda conceditur, sub quibus non comprehenduntur dignitates, provt tenent, decisúmque referunt, Garcia 12. *p. de benef. c. 2. n.* 89. Riccius *resol.* 383. *n. 5. limit. 4. in secunda editione* cum tamen iure communi omnia vniri poterant. Aucta tamen est ordinaria potestas, quia beneficia patronatus Ecclesiastici vniri absque patronorum consensu possunt. Nam cum Trid. solum patroni laici consensum requisierit, satis indicauit Ecclesiastici patroni consensum necessarium non esse: & ita tenet Sanch. *lib. 7. in decal. c. 29. n.* 185. Qui *n.* 186. optimè aduertit hanc potestatem Ordinariis concessam vniendi beneficia simplicia patronis Ecclesiasticis irrequisitis, esse potestatem delegatam & non ordinariam. Quia ex ordinaria potestatem patronorum Ecclesiasticorum consensus expostulandus est.

20 Denique *Trid. sess. 25. c. 9. de reform.* prohibet vnionem cuiuscunque beneficij liberi cum beneficiis iuris patronatus, & quæ factæ fuerint examinentur: in quo decreto ius commune temperauit; quia iure communi talis restrictio non habebatur: & notauit Garcia 12. *p. de benef. c. 2. n.* 91. cum Franc. Leone. *in thesauro fori Ecclesiast. c. 31. n.* 14.

21 Ex his infertur non esse à Trident. sublatam potestatem vniendi beneficia simplicia monasterio, alteriue loco religioso, *iuxta clement. 2. de rebus Eccles. non alienand. & cap. consultationibus, de donationib.* Si illud monasterium, vel locus religiosus, cui beneficium vniendum est, sit intra diœcesim, cuius est beneficium. Quia Trident. solum prohibuit vnionem quorumcunque beneficiorum extra diœcesim, & intra diœcesim curatorum beneficiorum cum non curatis. Ergo beneficia simplicia monasterio extra diœcesim existentia vniri possunt: & ita notauit Sanch. *d. lib. 7. in decal. c. 29. n.* 187. Ex qua doctrina ipse colligit, *n.* 188. & benè posse Episcopum statuere, vt id beneficium à te vnitum monasterio regatur per religiosos ad nutum amobiles: quia ratione vnionis iam beneficium illud naturam mutauit, & regulare factum est.

§. IV

Quando vnio censeatur effectum sortita, & qualiter probetur, & reuocari possit.

1 *Quæ sint examinanda.*
2 *Explicatur quando vnio effectum sortiatur.*
3 *Quomodo vnio probanda sit.*
4 *Qualiter reuocetur, & quæ ad eius reuocationem requirantur.*

1 TRia in hoc puncto veniunt examinanda. Primum quando vnio reputetur sortiri effectum; vt sic non detur locus reuocationi, de qua in *reg. 12. Cancell. & in Trid. sess. 7. c. 6. de ref.* Secundum, qualiter probandum sit, esse factam. Tertium qualiter facta reuocari possit.

2 Circa primum aduerto dupliciter beneficium vniri posse alteri beneficio, vel loco pio, primo, antequam vacet. Si beneficium vniatur antequam vacet; clarum est, vnionem non posse effectum sortiri ante illius vacationem. Quia possessum ab altero non potest pio loco effectualiter vniri; quapropter vniens beneficium viuente illius possessore non prætendit vt ex tunc vnio habeat effectum, sed vt illum cum habeat vacauerit: Gloss. *in clement. si vna de rebus Eccles. benef. non alien. verbo vocatus.* Mandos. *reg. 12. Cancellar. q. 5. n. 1.* Garcia 12. *p. de benef. c. 2. n.* 97. Posita vero vacatione beneficij vnio antea facta effectum sortitur si illius possessionem accipias. Et idem est, si beneficij vacantis vnio fiat; debes enim illius vnionis accipere possessionem, vt censeatur vnio effectum sortita: primus enim & præcipuus vnionis effectus est possessio: sic pluribus decisionibus firmat. Garcia 12. *p. de benef. c. 2. n.* 281. *& seqq.* Non tamen est opus, vt fructus illius beneficij vniti percipias, quia fructuum perceptio est secundarius effectus vnionis, & nascitur ex vnione perfecta, illiusque possessione: sic aliis relatis, Garc. *sup. n.* 299. An autem possessio debeat esse pacifica, vel sufficiat litigiosa. Garc. *n.* 292. existimat litigiosam sufficere. Et probari potest: quia esto possessio litigiosa sit, ex vi vnionis capta est. Ergo est illius effectus. Ergo vnio cuius est accepta possessio effectum sortita est. At verius credo possessionem pacificam requiri; quia possessio litigiosa vera possessio non est, neque ius concedit fructus percipiendi. Cum ergo ius requirit ne vniones reuocari possint, vt effectum fuerint sortitæ, de effectu vero, ac fructifero intelligendum videtur.

3 Circa secundum de vnionis probatione regula est ab omnibus recepta vnionem non præsumi; sed probandam esse ab eo, qui eam factam asserit. Quia est quid facti, & odiosum. Mandos. *reg. 12. Cancell. q. 7. lib. 5.* Menoch. *lib. 6. præsumpt. 80. n. 1.* Garcia 12. *p. de benef. c. 2. n.* 225. Augustin. Barbosa *allega 66. n.* 53. Hi ergo Doctores testantur probandam esse vnionem per instrumentum, seu litteras ipsius vnionis. Nam cum vnio fieri non possit solo verbo, sed scriptura, legitima illius probatio est quæ ex scriptura ipsius vnionis desumitur. Si autem hæc non comparet, affirmant probari posse testibus vnionem, si qui sint qui scripturam viderint. Deinde si deponant testes de tempore immemoriali, vel quadragenario cum titulo: nam hæc præscriptionem præstant iuri communi derogantem. Item censent probari posse per instrumenta antiqua ad minus duo, quibus asseratur vnio; quia hæc antiqua instrumenta loco testium deponentium de immemorabili succedunt, eaque de causa debent esse instrumenta diuersarum personarum, & ita antiqua, vt centesimum annum attingant. Confessione autem partis aduersæ affirmant vnionem non probari, sicut nec titulum beneficij, nec ius patronatus illius, nisi aliis coniecturis adiuuetur, prodesse tamen vt ei imponatur perpetuum silentium ne vnionem impugnet.

4 Tandem de reuocatione dicendum breuiter est regulariter eos omnes, qui potestatem habent Ecclesias coniungendi habere potestatem coniunctas dissoluendi. Res enim per quascunque causas nascitur per eas dissoluitur. Vnde Episcopus Legatus à latere, & capitulum Sede vacante dissoluere poterit vniones, quas ipsi præstare possunt, tametsi de facto fuerint factæ à Romano Pontifice. Quia Pontifex vniendo beneficia, Ordinariorum potestati derogare non intendit; sic Rebuff. *prax. benef. tit. de vnionu reuoc. n.* 16. Azor. *aliis relatis, 2. p. lib. 6. c.* 29. *q.* 5. Gutt. 12. *p. de benef. c. 2. n.* 303. Qui vero non iure ordinario, sed consuetudine, priuilegio, vel præscriptione vnire beneficia possunt, ea nequeunt dissoluere. Quia est quid diuersum & consuetudo, priuilegium, & præscriptio non extenditur ad contraria, sic Azor. *d. c.* 29. *q.* 5. Rebuff. *n.* 20.

Ad reuocandam vnionem causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ probanda est, sicuti ad illam faciendam; alias nulla erit reuocatio. Non tamen existimo ita clarè probandam esse Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem ad reuocationem, sicut ad vnionem; quia vnio beneficiorum est odiosa, & iuri communi aduersa, quod prætendit vt singula beneficia singulis conferantur. Quare si causa ob quam facta vnio est cesset reuocari vnio potest, vt benè expendit Azor. *2. p. lib. 6. c. 29. q. 4.*

Deinde requirendus est capituli consensus, sicuti requiritur ad vnionem faciendam, vt probat *textus in clem. fin. de Rebus Ecclesiæ non alien.* Rebuff. *dicto tit. de vnionis reuoc. à n.* 24. Azor. *c. 29. q. 5. fine.* Garcia 12. *p. c. 2. n.* 307.

Item vocandi sunt ad reuocationem ij omnes quorum interest eam vnionem non reuocari. Quapropter inquit Azor. *q. 6.* vocandum esse prælatum vtriusq; diœcesis, si beneficium ad duas diœceses spectet. *c. ne S. de vacante. c. sicut vnire. De excessibus prælat.* Deinde patronus cum sua interest; vtpote ad quem ius patronatus redit. Similiter is qui Ecclesiam coniunctam possidet, & eius Vicarius qui in ea commoratur; quia vtriusque causa agitur: consentit Rebuff. *dicto tit. de vnionu reuoc. n.* 29. Garc. *n.* 308. Denique si Ecclesia possessore vacat constituendus est defensor, quia vnionis reuocatione beneficium quod erat Ecclesiæ ab ea distinguitur, & separatur; ac proinde est vera alienatio. Debet ergo defensor constitui; & ita tradit Garcia *dicto n.* 308. *cum Glossa clem. fin. De rebus Eccles. non alien. verbo vacabat in fine verbo defensor.* Et hæc de beneficiis.

INDEX

INDEX RERVM

PRÆCIPVARVM QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE Operis Moralis de Virtutibus & Vitiis contrariis continentur.

ABSENTIA.

PRO *absentia bimestri an teneatur parochus coram ordinario probare causam*, tract.13. disp.5. pun.5. n.2. & 3. *Potest Episcopus sua constitutione sancire, ne vltra hebdomadam parochus absit absque eius licentia*, n. 4. *Vltra bimestre, esto legitima causa absentia notoria sit, non potest parochus absque licentia ab esse*, num. 5. *Vltra bimestre non potest parochus ex sola petita licentia, & non concessa, se absentare, tametsi irrationabiliter negetur*, n.6. *Si quis absit ex legitima causa, à superiore tamen non approbata, non facit fructus suos*, n.7. *Idem est, si approbationem in scriptis non obtineat*, n.8.

ACCEPTATIO.

Beneficij, quæ ius in beneficium confert, fieri potest per procuratorem habentem speciale mandatum, tract.13. disp.2. pun.32. n.1. *Quid dicendum de ratihabitione?* n.2. *Mandatum de acceptando beneficia laicis dari potest*, n.3. *An beneficiatus post acceptationem beneficij possit propria authoritate beneficij possessionem accipere*, n.4.

ADORATIO.

Nomen adorationis qua ratione vsurpetur, tract 8.disp.1.pun.1. n.1. *Explicatur definitio adorationis*, n.2. *Ex intentione adorantis, & ex dignitate personæ adoratæ distinguitur*, n.3. *Debet persona adorata esse superior adorante*, n.4. *A tribus theologicis virtutibus adoratio distinguitur*, n.5. *Adoratio alia est absoluta, alia respectiua, & quæ hæ sint*, n.6. *Christus Dominus adoratur adoratione latriæ perfectissima*, pun.2. n.1. *Humanitas coniuncta verbo adoratione latriæ adoratur*, n.2. *Decenter humanitas Christi adorari non potest adoratione inferiori*, n.4. *Angeli beati & homines sancti adorari possunt*, pun.3. n.1. *Adorantur adoratione diuersa ab ea, qua adorantur duces, magistratus, aliique in potestate humana constituti*, n.3. *Sanctorum adoratio ex virtute distincta à religione, qua colitur Deus, & qua coluntur homines ob ciuilem dignitatem prouenit*, n.4. *Sanctissima virgo eadem virtute, qua coluntur sancti, colitur*, n.5. *Qua certitudo habenda est de sanctitate illius, qui adoratur tum publico, tum priuato cultu*, n.7. *Quid liceat tibi facere cum eo, quem sanctum reputas, tametsi canonizatus non sit*? n.8. *Vsus sacrarum imaginum est sanctissimus*, tract.8.disp.1. pun.4 n.1. *Eadem adoratio imagini & ei cuius est imago, debetur diuerso tamen modo*, n.3. *An dæmon sub imagine crucifixi apparens adorari possit*, n.5. *Ea quæ Christum tetigerunt adoranda sunt, sicut eius imago*, n.6. *Instrumenta assumpta ad repræsentanda passionis instrumenta ex hac præcisa ratione non sunt adoratione digna*, n.8. *Quæ pœna imposita imagines concultantibus*, n.9. *Altaria, & templa in honorem sanctorum dicantur*, pun.5. n.1. *Dies festi sanctis dicantur*, n.2. *Vota sanctis fundimus*, n.3. *De sanctarum reliquiarum adoratione, & cultu*, toto pun.6 *Vide reliquiæ sanctorum.*

ÆTAS.

Pro summo Pontificatu nulla à iure determinata est, tract.13. disp.4. pun 3. n.1. *Pro Episcopis trigesimus annus completus requiritur*, n.2. *Quid de ætate pro Cardinalibus requisita*? n.3. *Pro Abbatibus, decanis, aliisque beneficiatis curam animarũ habentibus*, 25. *inceptus*, n.4. *Ad cæteras dignitates 22. est requisitus*, n.5. *Supradicta ætas non solum pro dignitatibus Ecclesiæ cathedralis, sed collegiatæ requiritur*, n.7. *Si aliquibus ex his dignitatibus ordo presbyteratus est annexus, requiritur ea ætas, quæ ad ordinem*, n.8. *An 21. annus sufficiat inceptus*, n.10. & 11. *Pro beneficiis curam animarum habentibus 25. annus inceptus requiritur*, n.12. *Extenditur ad vicarios perpetuos*, n.13 *Quæ ætas requiratur pro canonicatibus, & portionibus Ecclesiarum cathedralium*, n.14. *An pro canonicatu cui est subdiaconatus annexus, sufficiat habere 20. completum, & inceptum 21.* n.15 & 16. *canonicus pœnitentiarius quadragenarius debet esse*, n.17. *Pro canonicatibus Ecclesiarum collegiatarum & dimidiis portionibus Ecclesiæ cathedralis 14. sufficit*, n.18. *Pro beneficiis simplicibus ex Trident. 14. inceptus requiritur*, n.19. *Ætas requisita pro beneficiis non solum tempore collationis, sed etiam electionis, præsentationis, impetrationis, & oppositionis debet esse*, n.20. *collatio, electio, præsentatio facta ei, qui legitimam ætatẽ non habet irrita est*, n.21.

AGNVS CEREVS.

Agnos cereos debes piè & religiosè venerari, tract.8.disp.1.pun.6. n.22. *sub pœna excommunicationis prohibitum est hos agnos pingere, & illuminare, & pluris vendere, quam venderentur secluſa consecratione, & expensis in illorum asportatione*, n.23. *Clerici in minoribus eos tangere possunt, laici, etsi absque necessitate tangant, non videntur culpam mortalem committere*, n.24.

ALIENATIO.

Duplex est, tract.12. disp.vnica pun.15. §.2. n.1. *Iurans non alienare bona Ecclesiæ, non potest in feudum concedere, neque locare ad longum tempus*, n.3. *Quatuor enumerantur causa honestandi alienationem rerum Ecclesiasticarum*, n.5. *Pro alienatione rerum mobilium, quæ seruari non possunt, & pro rebus modicis nulla est in iure assignata solemnitas*, n.8. *Conditiones, quæ requiruntur in alienatione rerum immobilium, & mobilium pretiosarum*, n.9. & seqq. *Supradictæ conditiones an debeant seruari in legato ea clausula relicto, vt quoties Ecclesiæ visum fuerit, possit alienare*, n.14. *Legatum relictum ea conditione, vt nunquam alienetur seruatis supradictis conditionibus alienari potest*, n.15. *An in cessione iuris, & permutatione rerum Ecclesiasticarum sint supradictæ conditiones seruandæ*, §.3. *An supradictæ conditiones seruandæ sint in concessione feudi, & emphyteusis*, §.4. *Quæ conditiones in alienatione iuris patronatus, & sepulchorum seruandæ sint*, §.5.

Alienatio rerum Ecclesiasticarum absque causa legitima facta nulla est, tract.13.disp.vn. pun.15.§.6 n.1. *Si alienatio facta est pro satisfaciendis debitis, debet creditor probare pecuniam mutuatam versam esse in Ecclesiæ vtilitatem*, n.3. *Res Ecclesiæ alienata absque legitima causa, vel debita solemnitate, Ecclesiæ restituenda est cum omnibus eius fructibus*, num.6. *Quæ sint pœna alienantium absque causa, vel debita solemnitate*, n.7.

Appellatio in die festo interponi potest, tract.9 disp.vn.pun.7. n.14.

BENEFICIVM ECCLESIASTICVM.

Eius definitio, tract.13. disp.1.pun.1.n.1. *Qua ratione sit ius spirituale*, n.2. *Quæ ad beneficium requiruntur*, n.3. *Ius competens ratione beneficij debet esse perpetuum, prout est ab Ecclesia institutum*, n.5. & seqq. *Quotuplex beneficium sit*, pun.2. *Seculares incapaces sunt beneficij regularis*, pun.3. § 1. n.1. & seqq. *Beneficia secularia simplicia nequaquam possunt regulari conferri*, n.5. *Ad dignitatem Episcopalem regularis promoueri non potest*, n.6. *Nullus regularis assumi potest ad beneficium curatum etiam ad tempus*, n.10. *Limitatur in casu necessitatis*, n.11. *Est tamen necessaria prælati proprij dispensatio*, n.15 *Quid dicendum sit de beneficiis electiuis*, §.2. *An equitibus militaribus, & nouitiis conferri possint beneficia secularia, vel regularia*, §.3. *An beneficium seculare possit in regulare transire, vel econtra* § 2. *Quæ qualitates insint tam simplici, quam duplici beneficio*, pun.4.

Beneficium perpetuum à beneficiato amoueri non potest tract.13. disp.1. pun.5. n.1. *Beneficia manualia reuocari absque causa possunt, neque beneficiatus aduersus remouentem conqueri potest*, n.3. *Intellige de beneficiis, quæ pleno iure subduntur prælato reuocanti*, n.6. *Quid si facta promissione non reuocandi reuoces*, n.8. & seqq. *Beneficium manuale alicui à Pontifice collatum pro eius vita, redditur postea manuale sicut prius*, n.15. *Beneficium manuale non censetur reuocatum morte concedentis*, n.16. *Beneficia secularia præsumuntur perpetua, contra regularia*, n.17. *Ecclesia parochialis vnita monasterio non est censenda beneficium manuale, sed vicaria perpetua*, n.18. *An beneficium manuale fieri possit perpetuum præscriptione, vel consuetudine*, n.19. & seqq.

Beneficium acquiritur actu, & potentia, & qualiter hæc contingant, tract.13. disp.2. pun 1. n.1.2. & 3. *Qualiter per electionem, & ante acceptationem ius in beneficium acquiratur*, n.4. *Qualiter præsentatione, & quæ ad illam requirantur*, n.5. *Non per quamlibet præsentationem ius in beneficium præsentatus acquirit, sed per præsentationem, cui debetur institutio*, n.8. *Gratia expectatiua ius ad beneficium acquiritur*, n.9. *Item acquiritur ius mandato de prouidendo*, n.10. *Hæ gratiæ expectatiuæ, & mandata de prouidendo per concilium sublata sunt*, n.11. *Collatione nondum acceptata ius ad beneficium conceditur*, n.12. *Consuetudo, seu priuilegium optandi ius ad beneficium tribuit*, n.13. *Ius ad beneficium conceditur pensionario, si pensio ei non soluatur*, n.14. *Qualiter ius ad beneficium acquirat, cui est beneficium concessum in euentum priuationis*, n.15. *Item concedit ius ad beneficium coadiutoria cum futura successione*, n.16. *Qualiter oppositione ius in beneficium*

acquiratur, n.18. Qualiter ius in beneficio à iure ad beneficium differat, n.19.

Beneficium gratis prouideri debet, tract.13. disp.3.pun.1 n.1. Purè, & absque conditione, n.2. In præsentatione non reprobatur conditio, n.3. Neque reprobatur in collatione, n.4. Idem dicendum est in electione, n.5. Qualiter electio, seu collatio beneficij facta sub conditione, vt obtentum dimittas vitietur, n.6. Quid dicendum de conditionibus de præsenti, & de præterito extraneis à beneficio, n.17. Prouisto beneficij debet esse libera, n.8. Item debet fieri palam, & non clandestinè, n.9 Item certa, non vaga, & dubia, n.10. Item absque vlla diminutione, n.11. Item in perpetuum, & non pro limitato tempore, n.12. Beneficio vacante constituendus est viarius ab ordinario loci in quo situm est beneficium, pun.1. § 1. n.1. Debet constitui, cum primum Ecclesia vacuerit, n.2. De signata tamen congrua portione, n.3. Item in qualibet Ecclesia patrimoniali, seu Pontifici reseruata, num 4.

Vt beneficium simplex prouideri possit, requiritur, quod prouidens cognoscat prouidendum idoneum esse, tract.13. disp.3. pun.4. n.1. In aliquibus beneficiis concursus requiritur, n.2. An examen pro beneficiis simplicibus necessarium sit, n.3.4.& 5. In beneficiis, quorum institutio ad inferiores Episcopos pertinet, examen pro forma præmittendum est, n.6. Vocandi sunt omnes patroni in beneficiis de iure patronatus, n.7. Non est in potestate instituentis peremptorium terminum apponere patronis ad præsentandum, n.9. Institutio facienda non est durante termino concesso patronis ad præsentandum, n.10. Collatione beneficij simplicis facta in contradictorio iudicio non est tradenda possessio appellatione pendente, neque durante termino ad appellandum, n.11. & seqq.

Beneficia ante vacationem prouideri nullatenus possunt, tract.13. disp 3.pun.5 n.1. An concedi possit alicui potestas beneficia vacantia conferendi, n.2. Vicario generali optimè potest, hæc potestas conferri, secus personæ particulari, n.3. Potestas nominandi, eligendi ad beneficia vacatura cuilibet dari potest, n.4. Facta vacatione patrono laico conceditur quadrimestre, Ecclesiastico semestre, n.5. In beneficiis resignatis ex causa permutationis non est semestre à iure designatum, n.6. Neque in beneficiis resignatis in fauorem, n.7. Neque in institutione beneficiorum de iure patronatus, n.8. Neque in prouisione facta à Legato, & Nuntio, n.9. In Cardinalibus habentibus facultatem conferendi currit tempus, n.10. Currit item in beneficiis manualibus, n.11. Item in deuolutis, n.12. & seqq.

De aptitudine ex parte corporis requisita ad beneficium, tract.13. disp.4.pun.4. De morum probitate ad beneficium requisita, pun.5.

Carentia censuræ, & irregularitatis ad beneficium requiritur, tract 13 disp.4. pun.8.n.1. Item carentia vxoris, n.2. Apponitur limitatio, n.3. Item debet esse carentia bigamiæ, n.5. & 6. De naturalitate, & consanguinitate pro aliquibus beneficiis requisita, pun.9.

BONA.

Ecclesiæ alienari non possunt, tract.12. disp. vn.15. §.1. n.1. Intellige si bona immobilia, aut mobilia pretiosa sint, quæque hæc sint, vt alienationem excludant, n.2. & seqq. Vide Alienatio.

CANONICATVS.

Magistrales, & doctorales qualiter in Hispania prouideantur ex priuilegio Pontificis, tract.13. disp.3. pun.3. n.1. Graduatus extra vniuersitates Regni Castellæ, & legionis, esto in his incorporetur, habilis non est ad has præbendas obtinendas, n.2. Si gradum accipias post finitum terminum edicti, non fis habilis ad oppositionem, n.3. Vota secreto præstanda sunt in electione, n.5. Quid si alteri vices tuas ad eligendum committas, n.8. An data æqualitate votorum sit statim ad sortes deueniendum, n.10. Penes ordinarium tantum est iudicare, an ad sortes deueniendum sit, an ad examen qualitatum, n.12. Canonicus qui non fuit examini præsens, suffragari potest, n.13. Possitne electio à minore parte facta aliquando subsistere, n.14.15.& 16. Nequaquam hæ præbendæ absque examine conferri possunt quamtumvis idoneo, n.17. Apponitur limitatio, n.18. Intra semestre facienda est hæc electio, n.19. Quid si ad Metropolitanum ob negligentiam suffraganei deuoluatur electio, n.20. Si tempore semestris aliqui examinati sunt, & idonei reperti, ex illis Archiepiscopus, cui est facta deuolutio, debet electionem facere, num.21. Qualiter hi canonici præbendis priuentur, si absque licentia sui capituli ab Ecclesia absint, n.22.

CAPELLANIA.

Quotupliciter capellaniæ instituantur, tract.13. disp.1. pun.6. n.1. Quando censeantur capellaniæ authoritate Episcopi erectæ, num.2. An ex consensu patroni, Episcopi authoritate capellania esse possit beneficium Ecclesiasticum, cum tamen à principio non fuerit authoritate Episcopi fundata, n.3. Capellaniæ laicæ cuilibet, & in qualibet ætate constituto conferri possunt, n.4. Capellaniæ laicæ non obligant ad horarum reciationem, n.5. Ad titulum capellaniæ laicæ nemo ordinari potest, n.6. Fundator capellaniarum laicarum, & Ecclesiasticarum statuere potest, ne ordinarius in earum prouisione, aut visitatione se intromittat, n.7 & 8. Ex capellaniis laicis non debeatur subsidium, tametsi à clericis possideantur, n.10. An in Capellaniis, in quibus fundator dixit, vt presbyteris conferantur, possint conferri clericis minorum Ordinum, n.11. & seqq. Quid si testator diceret, instituatur capellanus, qui missas celebret valebit ne institutio non sacerdotis, n.15. & seqq. Capellania actu, vel habitu sacerdotalis ex consensu fundatoris conferri potest clerico 14. annorum, non solum vna, vel altera vice, sed in perpetuum, n.20. non autem ex consensu patroni, n.22. Ex consensu ordinarij onera capellaniarum minui possunt, cum redditus sunt diminuti, & insufficientes videntur, n.23. Obligatus aliquibus diebus celebrare, an obligetur per substitutum, quando ipse impeditus est, n.25. Obligatus celebrare in determinata Ecclesia, & altari, si sæpius alibi absque causa legitima celebret, peccat mortaliter, n.26. An teneatur hic missas compensare, etiamsi alibi dixisset, n.27. Raro, vel nunquam est grauis culpa loco missæ defunctorum ex fundatione signatæ aliam votiuam, vel illius diei dicere, n.28.

CAPITVLVM.

Sede vacante tenetur intra octo dies eligere Vicarium, alias deuoluetur electio, tract 13. disp.2. pun.29. n.1. Potest vnum, vel duos designare, n.2. Non est necesse, quod sit de capitulo, n.3. Qualis eligendus sit, n.4. An in Vicarium designatum transferat capitulum omnem iurisdictionem, n.5. Si intra octo dies non designatur vicarius, potest capitulum moram purgare, si is ad quem sit deuolutio non designauerit, n.6. Constitutum vicarium absque legitima causa capitulum reuocare non potest, n.7. Capitulum in collatione beneficiorum pertinentium Episcopo nullam potestatem habet, n.8. Aliqui casus excipiuntur, n.9. Beneficia, quæ iure deuoluto ad Episcopū pertinent, capitulo non competunt, n.10. Quid de beneficiis parochialibus, quæ per concursum prouidentur, n.11.& 12. Beneficia patrimonialia non possunt à capitulo prouideri, pun.13. Beneficia resignata nequaquam capitulum prouidere potest, esto possit admittere resignationes, n.15. Beneficia permutata an capitulum prouidere possit, n.17. vsque ad 20. Qualiter capitulum beneficia commendare possit, n.21.

CITATIO.

Citatio, quæ mandatum iudicis de citando reum, & executionem ipsius comprehendit prohibita, & nulla est, si in die festo fiat, tract. 9. disp.vn pun.7.n.1. Si citatio facta est in die pro festo, vt in die festo compareas, nulla est, n.2. Si citeris, vt intra decem compareas, & decimus est festus, tenet citatio, n.3. Citari non potest reus existens in loco, vbi est dies festus, tametsi in loco iudicis non seruetur, n.4. Limita, nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat, n.17.

CLERICVS.

De fide est clericos exemptos esse à potestate laicorum, tract.12. disp. vn. pun.1. n.1. In causis temporalibus exemptio ex iure positiuo prouenit, & si in iure diuino fundamentum habeat, n.4. A nulla humana potestate hæc exemptio à Pontifice concessa tolli potest, n.6. Imo neque Pontifex eam integrè tollere potest, n.7. Pontifex immediatè à Christo exemptus est, num.8. Quilibet prima tonsura initiatus gaudet priuilegio fori, pun.2. num.1. Pensionarius gaudet dicto priuilegio, num. 4. Titulus beneficij sufficit, tametsi illius possessionem non habeas, num.5. In minoribus constituens debet habitum, & tonsuram deferre, & alicui Ecclesiæ inseruire ex Episcopi assignatione, vt priuilegio fori gaudeat, n.6. & seqq. Coniugatus in minoribus constitutus plures conditiones habere debet, vt priuilegio gaudeat, num. 9. Religiosi tam viri, quam fœmina hoc priuilegio gaudent, num. 10. Explicantur aliqua dubia circa superiorem doctrinam, pun. 3. Quis sit iudex, cum dubium est, an debeat gaudere fori priuilegio, pun.4. In quibus causis gaudeant supradicti clerici tam soluti, quam coniugati, & religiosæ personæ priuilegio fori, pun.5.

Clerici in minoribus constituti, & coniugati seruantes præscripta à Trident. gaudent priuilegio exemptionis in causis criminalibus, tract.12. disp. vn. pun.6. num.1. Ob nullum crimen (assassinio excepto) tradendus est clericus curiæ sæculari, num.4. Ex consuetudine ob plura crimina traditur curiæ sæculari, num.6 Clericus incorrigibilem potest iudex laicus iudicare, & punire, num.7. & seqq. An per reconuentionem possit clericus à iudice laico iudicari, & puniri, num.9. Secularis iudex negligentiam Ecclesiastici supplere non potest, num.13. Quibus in casibus ex accidenti possit iudex laicus clericum incarcerare, n.14. Qualis sit exemptio clerici à iurisdictione laicali in causis ciuilibus, pun.7.

Clerici tenentur seruare leges, & statuta ciuilia Ecclesiastico statui non repugnantia, tract.12. disp. vn. pun.8. n.2. Expenduntur aliqua statuta an religiosos ligent, vel non, num.3.& seqq. Examinatio litterarum Apostolicarum à regiis consiliariis illicita est, nisi fundetur in priuilegio, pun.8 n.10. Bona Ecclesiæ, & clericorum liberæ sunt à tributis regalibus, pun.9.n.2. An clerico obligati sint soluere tributa imposita pro reparatione pontium, murorum, & similium, n.3.& seqq. Impositio gabellæ, & fissæ in venditione communi carnis, olei, &c. illicita est, secluſa Pontificis authoritate, nisi clericis refectio fiat, n.10. A quibus tributis personalibus, seu muneribus, & obsequiis clerici sint exempti, n.11. Hæc exemptio à tributis non competit clericis coniugatis, n.12. An clericis in minoribus seruantibus conditiones Concilij competat, n.13.& 14. Clerici negotiationes non sunt immunes à tributis ex rebus per negotiationem acquisitis, n.15. & seqq. Omnes religiosi, & nouitij exempti sunt à tributis, n.16. Equites militares ex ordinibus S. Benedicti, &c. exempti sunt à tributis, n.18. Quæ culpa sit violatio supradictæ immunitatis, & quæ pœna violantibus sit imposita, pun.10. An renunciatione hoc priuilegium clericis concessum amitti possit, pun.11. An consuetudine priuilegium immunitatis amitti, aut diminui possit pun.12. An Ecclesiastici iudices laicos iudicare possint, & in quibus causis, pun.13. Vide Index.

COADIVTORIA, COADIVTOR.

Duplex est perpetua, & temporalis, neutra est beneficium, tract.13. disp

disp.1. pun.9.n.1. *Iuxta impedimentum coadiuti coadiutor conceditur*, n.2. *Ex redditibus beneficij assignanda est coadiutori congrua portio*, n.3. *expenduntur causæ, ob quas coadiutoriæ dantur*, num.4. *Episcopis, aliisque superioribus solus Pontifex coadiutoriam assignat. Reliquis Legatus, nuntius, & Episcopus*, n.5. *Hac coadiutoria ab inferiore Pontifice data non debet esse perpetua, sed temporalis neque appellatione suspenditur*, n.6. *Solus Pontifex assignat coadiutorias cũ futura successione*, n.7. *An hac designatio contraria sit Concilio*, n.8. 9. & 10. *Quas qualitates coadiutor habere debeat*, n.11. *Ob coadiutoriã tẽporale non excusatur parochus insufficiens à residẽtia*, n.12.

Coadiutoribus prębendarum Ecclesiæ cathedrălis, vel collegiatæ conceditur ius administrandi prębendam cum iure succedendi in illa, tract.13, disp.1. pun.10. n.1. *An coadiutor teneatur pro coadiuto inseruire, coadiuto sic petente*, n.2. & 3. *An absente, vel ægrotante coadiuto possit coadiutor choro assistere & vocem habere in capitulo nolente coadiuto*, n.4. & 5. *Coadiuto legitime impedito teneaturne coadiutor inseruire volente coadiuto*, n.6. & 7. *Coadiutor infirmus, vel alias impeditus an sit pro præsenti habendus*, n.8 & 9. *Debeaturne coadiutoribus sedes proprietarij*, n.10. & 11. *Non tenetur coadiutor in ingressu soluere, quod alij proprietarij soluunt*, n.13. *Qualiter coadiutor possit dies recreationis assumere sicut & principalis*, n.14. *Reputandus ne sit præsens coadiutor infirmus, vel impeditus*, n.15. *Excommunicato coadiuto coadiutor à diuinis excludendus non est*, n.16. *Coadiutor vocem activam, & passiuam in electionibus canonicatuum, & in officiis sede vacante habet*, n.17. *Coadiutus potest se iuuare beneficio iubilationis, & lucrari fructus, tametsi coadiutor non inseruiat*, n.18. *Qua ratione intelligenda sit gratia coadiutori concessa, vt gaudeat regula de annali, & triennali possessione*, n.19. *In Ecclesiis vbi proceditur cum aduncilis, an coadiutor delinquens puniendus cum illis sit*, n.20. *An coadiutor debeat exire de capitulo, quoties tractatur negotium spectans ad coadiutum, vel contra*, n.23. *Coadiutor, & coadiutus non possunt simul tanquam prębendati inseruire*, n.24. *An canonicus coadiutor dignitatis præeminentias, quæ dignitati canonico competunt, habeat*, num.25. *Canonicus coadiutor dignitatis an sufficiat ad lucrandos fructus competentes dignitati residere eo tempore quo proprietarius dignitas si resideret, lucraretur*, n.26. & 27. *Qualiter coadiutus optare possit nouam prębendam, ac si coadiutore careret*, n.28. *In Ecclesiis, in quibus est ius optandi non est locus opinioni in prębendis coadiutorem habentibus vacantibus per obitum coadiuti*, n.29. *Coadiutoria an inducat incompatibilitatem cum quolibet alio beneficio*, n.30. *Qualiter coadiutor cedere coadiutoriæ possit*, num.31. *Noceat ne confessio coadiutoris coadiuto, vel econtra*, num.33. *Qualiter sententia lata contra coadiutum noceat coadiutori, vel contra coadiutorem coadiuto, aut aliis coadiutoribus*, num.33. *Si tempore datæ coadiutoriæ mortuus sit coadiutus, coadiutor non succedit*, num.34. *Coadiutor committere vices suas alteri potest in electionibus, & prouisionibus, sicut coadiutus*, num.35. *An dignitas, quæ simul est coadiutor alicuius canonici duplicem vocem in capitulo habeat*, num.36. & 37. *Habens coadiutorem in dignitate, & canonicatu, potest ipse in vno inseruire, & in alio coadiutor*, num.38. *An coadiutor dignitatis, & canonici possit esse iudex delegatus*, num.39. *Coadiutor legens in vniuersitate, vel seruiens Episcopo non videtur pro præsenti habendus*, num.40. *An coadiutores potiantur priuilegio cessio coadiutis lucrandi fructus aliorum beneficiorum, si in cathedrali residеant*, num.41. *An coadiutor debeat habere Ordinem, quem petit dignitas, seu beneficium in coadiutoriam acceptum*, num.42. *Quid dicendum de coadiutore canonici, seu dignitatis non curatæ*, num.43. *Mulctæ, quæ canonicis imponuntur, imponi proprietariis possunt ob culpas coadiutoris*, num.45. *Coadiutus tenetur coadiutori congruam ministrare*, num. 47. *Coadiutor in impetratione coadiutoriæ tenetur mentionem facere de beneficiis obtentis*, n.48. *Ob hanc taciturnitatem nulla est gratia coadiutoriæ facta non solum quoad successionem, sed etiam quoad seruitium*, n.49.

COLLATIO, COLLATOR.

Collatione ius in beneficium acquiritur, tract.13. disp.2. pun.13. n.1. *Si Pontifex Ordinarium in collatione præueniat, valida est eius collatio*, num.3. & seqq. *Cum Pontifex in quatuor mensibus ordinario concessis beneficia vacantia prouidet, non tenetur huic iuri derogare*, pun.14. num.1. *An idem sit dicendum, cum ordinario est gratia alternatiua concessa*, n.2. & 3. *Quid in indulto Cardinalium*, num.4. & 5.

Quis ordinarius collator nuncupetur, tract.13. disp.2. pun.27. n.1. *Quæ beneficia conferre ordinarij collatores possint potius ex consuetudine, quam ex iure desumitur*, n.2. *Episcopis ante litteras expeditas, & capitulo ostensas non competit potestas beneficia conferendi*, n.4. *An Episcopus, cui datus coadiutor possit beneficia conferre*, n.5. *Prælatus reputatus à populo potestatem habet beneficia conferendi*, n.6. *Huic doctrinæ plures limitationes apponuntur*, n.5. & seqq. *An ratione possessionis ius conferendi, eligendi, vel præsentandi competere possit, & quid dicendum ratione sequestri*, pun. 28. *Vide sequester.*

COMMENDA.

Alia est perpetua, alia temporalis, tract.13. disp.1. pun.8. n.5. *Quæ possit commendatarius perpetuus, quæ temporalis*, n.6. *Quæ, & à quibus beneficia commendari possunt*, n.7. *Nulla beneficia parochialia commendari possunt, sed Vicarius est constituendus*, n.8. *Solus Pontifex commendare beneficium potest, quia sola commenda perpetua est in vsu*, n.9. *Beneficium commendatum in perpetuum an vacet per obitum commendatarij*, num.10. & seqq. *In impetratione beneficij commendati semper est facienda mentio commendationis*, num.12.

CONSVETVDO.

Consuetudo absentiæ vltra tres menses à residentia chori sublata est per Concilium, difficultatem habet, an censeatur sublata consuetudo immemorialis, tract.7. disp.3. pun.9. §.12. n.1. *Si post Concilium ex causa irrationabili introducta est consuetudo absentiæ vltra tres menses, valida est*, n.2. *Consuetudo, quæ viget in aliquibus Ecclesiis absentiæ per quatuor menses, reputanda est legitima*, n.3. *Si consuetudo introducta sit lucrandi distributiones, præsumi debet honesta*, n.4. *Potest hæc consuetudo extendi ad seruientes Episcopo, studentes, docentes, &c.* n.5. *Introduci potest consuetudine, vt canonici tempore diuinorum Missas in eadem Ecclesia celebrantes lucrentur distributiones*, n.6. *Item extendi potest ad confessiones audiendas*, n.7. *Idem iuris est de occasione peregrinationis alicuius insignis*, n.8. *Valet consuetudo concedens iubilæum absentiæ iis, qui 40. annos inseruierunt Ecclesiæ*, n.9. *Valet consuetudo tot distributiones concedens matutino interessentibus, ac aliis horis*, n.10. *Potest consuetudine introduci, vt chori obligationi satisfacias si per alium assistas*, n.11. *Idem iuris est de consuetudine, vt vnus pro alio suppleat*, n.12. *Obtineri consuetudine potest, vt fructus primi anni dentur haredibus defuncti*, n.13. *Consuetudine obtineri potest nullam esse obligationem interessendi matutinis*, n.14. *Consuetudine firmari potest consecutio grossæ ex assistentia vnius horæ singulis diebus vel ex assistentia aliquorum dierum singulis annis*, n.15. *Sustineri debet consuetudo concedens duos, vel tres dies iubilationis redeuntibus ex aliquo negotio*, n.16. *Introduci potest consuetudo non lucrandi distributiones assistendo choro, si fructibus compensetur assistentia. secus econtra*, n.19. *Valet consuetudo, vt infirmus existens extra locum, in quo est Ecclesia, nec lucretur distributiones, vel infirmus, qui domo egreditur, & non ad Ecclesiam*, n.20. *Distributiones relictæ ex testatorum voluntate interessentibus officiis nulla consuetudine introduci potest, vt dentur aliis*, num.21.

Consuetudo qualis debeat esse, vt festa instituere possit, tract.9. disp.vn. pun.2. n.13.

Quomodo consuetudo introduci possit, vt liberet aliquem à debito decimarum, & quæ sint eius conditiones, tract.10. disp.vn. pun.4. n.1. *Quod tempus requisitum sit*, n.2. & 6. *A debito decimarum eximi potest respublica, & personæ particulares ex vi consuetudinis, dummodo ministris Ecclesiæ debita sustentatio tribuatur*, num.3. *Nunquam potest consuetudo ita vigere, quin Pontifex possit illam abrogare*, num.7.

Circa circunstantias decimarum multum valet consuetudo, & præscriptio, tract.10. disp. vn. pun.5. n.3.

CHORVS.

In Ecclesia est præceptum publicè in choro recitandi horas canonicas, tract.7. disp.3. pun.1. n.3. *Spectato iuris rigore in omnibus Ecclesiis cathedralibus, & regularibus adest tale peccatum*, n.4. *Ex consuetudine in pluribus Ecclesiis hoc præceptum temperatur*, n.5. *Vbi est consuetudo sic recitandi obligantur Superiores, & Prælati curam habere*, n.6. *Ratione ordinis nullus clericus obligatus est officium publicè recitare*, n.7. *Episcopum ex munere Episcopatus probabilius est hac obligatione non teneri*, n.9. *Parochi attenta consuetudine ab hac obligatione excusantur*, n.11. *Nullus religiosus particularis obligatur has horas in choro dicere*, n.12. *Canonici, seu prębendati obligati sunt sub graui culpa officium in choro recitare iuxta consuetudinẽ suæ Ecclesiæ*, n.13. *An prębendati grauiter peccent, si à choro absint*, pun.2. n.1. & seqq. *Quid dicendum de obligatione assistendi capitulis*, n.5. *An omnes beneficiati canonici teneãtur in choro horas canonicas recitare, vel sint aliqui, qui huic muneri satisfaciãt sola assistentia*, pun.3. *Assistens in choro vt lucretur, debet attendere*, pun 4. n.2. *Quid de prębendatis obligatis ad canendum*, n.3. *Omittens suam partem recitare, attendens ad eam, quæ ab aliis recitatur probabilius est nullas lucrari distributiones*, n.5. *Si partem tuam canis, & aliorũ etiã procures non percipias lucraris*, n.6. *Quid dicẽdum de versibus organo dictis*, n.7 *Quo ordine, quo tẽpore, quo loco, & quo corporis habitu, & situ horæ canonicæ sint publicè reciteandæ*, p.5. *Sub qua pœna teneantur beneficiati choro assistere*, p.6. n.1. & seqq. *Explicatur quid nomine distributionum, & fructuum intelligatur*, n.6.

Quid sit annata, quindennium, charitativum subsidium decima, & pensio, tract 7. disp.3. pun.7. n.1. *An canonici à choro absentes teneantur soluere annatam, & quindennium, ac si choro interfuissent, & distributiones lucrarentur, non soluitur ex distributionibus quotidianis*, n.2. *Item nec pensio, potest tamen ex voluntate Pontificis aliquando imponi*, n.3. *Decima ex fructibus beneficij regulariter non soluitur quando id censeatur*, n.5. *Si annata, vel quindennium super distributiones fundatum sit, debet beneficiatus soluere, tametsi integro anno à choro abfuerit*, n.6. *Charitativum subsidium, decima, & pensio debentur si culpabiliter à choro absis, secus si inculpabiliter*, n.7. *Capitulum recipiens distributiones tuæ prębendæ, quas tu reciperes si adesses probabilius est pensionem soluere teneri*, n.11. *Ante diuisionem fructuum, & applicationem singulis est obligatum capitulum soluere pensionem, si in se velit illam partem fructuũ retinere*, p.12. *Si interessentibus diuidat omnes illi obligati sunt hypothecaria actione pensionẽ soluere*, n.13. *Quibus accrescãt distributiones, & fructus, quos beneficiatus amittit ob chori assistentiam*, pu.8.

Quæ causæ excusent beneficiatum à choro, vt non obstante illius absentia distributiones lucretur. Explicatur causa infirmitatis, tract.7. disp.1. pun.9. §.1. Expenditur 2. causa excusans, quæ est corporalis necessitas iusta, & rationabilis, ob quam non interessentibus conceduntur distributiones, §.2. n.1. Enumerantur plures casus fere ab omnibus recepti, in quibus datur excusatio, n.2. & seqq. Expenditur 3. causa excusans ab assistentia diuinorum officiorum, quæ est euidens Ecclesiæ vtilitas, §.3. vsque ad n.3. Missus ad visitanda limina Apostolorum lucratur distributiones, n.4. Item à capitulo missus ad Concilium generale, vel ad Principem, & Legatum gratulationis causa, n.5. Si à capitulo assigneris ad sumendas rationes reddituum, n.6. Si mittaris ab Ecclesia ad iurisdictionem aliquam illius exercendam, n.7. Item si præbendam habeas, cui animarum cura incumbit, n.8. Visitans Ecclesiam, vt Archidiaconus distributiones lucretur, n.9. Item si ob iura tuæ Ecclesiæ defendenda absis, n.10. Quia dicendum de absente ob defensionem iuris proprij beneficij, n.11. Quid de obside dato ab Ecclesia, n.12. Occupatus tempore diuinorum, tametsi possit præuenire, lucratur fructus, & distributiones, n.13. Cui negotia expedienda commissa sunt matutino tempore, & tunc propria expedit, vesperi negotia Ecclesiæ, censent plures nullas distributiones lucrari, n.14. Eas lucratur, quæ correspondent tempore quo Ecclesiæ negotia expedita fuerunt, n.15. Declaratur tempus per quod in expediendis negotiis censeris occupatus, n.16. An ob assistentiam in capitulo excuseris ab assistentia chori, & distributionum amissione §.4. An Pœnitentiarius ob eius officium lucretur fructus, & distributiones choro non assistens, § 5. De canonico magistrali, & lectorali quid est dicendum, §.6. An Vicarius Episcopi, & eius familiaris examinator synodalis, visitator diœcesis, &c. lucretur fructus, & distributiones choro non assistentes §.7. An familiares Pontificis excusentur à choro, & distributiones acquirant §.8. An docentes, & studentes lucrentur fructus, & distributiones §.9. An ex priuilegio possis à residentia chori excusari, & distributiones in absentia consequi, & qua ratione hoc priuilegium intelligatur, § 10. An ex statuto Ecclesiæ excusari possis longiori tempore trium mensium ab assistentia horarum canonicarum, & nihilominus fructus, & distributiones lucrari, §.11. An ex consuetudine excusari à residentia chori possis, & distributiones lucrari, & qualis consuetudo introduci possit, §.12. An absens à choro distributiones lucreris, si alij canonici, quibus distributiones absentium competunt, tibi donent, remittant, vel transigant, §.13.

DEVOLVTIO.

Beneficiorum quid sit, tract 13. disp.2. pun.34. n.1. Qualiter deuolutio fiat, & ad quos, n.2. Deuolutio fit cum qualitatibus beneficio annexis, n.3. Ab vno remouet potestatem, alteri confert, n.4. Contingit deuolutio non solum ob negligentiam prouidendi tempore designato, sed quia inhabilem scienter prouideris, n.5. Quid si iure deuoluto scienter indignum prouidisses, an reuertatur prouisio ad inferiorem, n.6. & 7.

DEVOTIO.

Eius definitio, vnde excitetur, & qua ratione ad religionem pertineat, tract.7. disp 1. pun.2. num.1.

DECIMÆ.

Definitur decima, tract.10. disp.vn.pun.1.n.1. Triplex est iuxta triplicem differentiam fructuum, n.2. Quota decima iure Ecclesiastico debetur, tametsi iure diuino, & naturali debeatur ministris congrua sustentatio, n.4. Quibus rationibus mota fuerit Ecclesia ad imponendam hãc quotam n.5. Ante traditionem non habet Ecclesia ius plenum & perfectum in decima parte fructuum, pun.2.n.3. Ecclesia habet ius vtile in illa decima parte, n.4. Parochianus habet dominium proprium & directum omnium fructuum, n.5. Si à parochiano fructus surripiantur, decimam Ecclesiæ reddere debet, raptore non restituente, n.6. Emens fructus indecimatos bona fide tenetur, cum ei constet, Ecclesiæ partem decimam reddere, & poterit aduersus venditorem de pretio agere, n.7. Ecclesia potest compellere vendentem fructus indecimatos ad solutionem decimæ, tametsi emës subeat obligationem decimandi, n.8. Impediens à venatione, piscatione, aut segetes comburens decimam non debet, n.9. Non soluens decimam, cum teneatur peccat contra religionem, & iustitiam, n.10.

Nullus à Pontifice abrogare legem decimarũ potest, tract.10. disp. vn.pun.3.n.1. Pontifex potest quemlibet à soluendis decimis eximere, n.2. Si absque causa faciat, esto illicitè fiat, factum tenet, n.3. Sëper præsumi debet causam adesse, & in applicatione facta Ecclesiasticis personis certum est, n.4. Decimas vni Ecclesiæ applicatas potest Pontifex alteri applicare, n.5. Virum consuetudo liberare possit aliquem à debito decimarum, pun.4. Virum præscriptio, compositio, vel remissio aliquem eximere possit à debito decimarum, pun.5.

Ex bonis aduentitiis veluti legato, donatione, aut hæreditate decimæ personales non debentur, tract.10. disp vn.pun 6.n.3. Miles de militia, artifex de artificio, aduocatus de acquisitis consilio debet soluere decimam, n.4. de iniustè acquisitis cum obligatione restituendi non debetur decima, secus de illis, quæ iustè retines, etiam si malè acquisieris, dummodo hoc publicè non constet, n.5. Quo tempore hæ decimæ personales soluendæ sint. n.6. In soluenda decima personali deducendæ sunt expensæ factæ in lucri acquisitione, n.7. & seqq. Hæ decimæ vbi quis habet domicilium, & recipit sacramenta soluendæ sunt, n.9. Hæc procedunt ex iure communi, at consuetudine omnibus ferè partibus hæ decimæ sunt abrogatæ, n.10. Decimæ prædiales, & mixtæ ex omnibus fructibus mobilium, & immobilium debentur, pun.7. n.1. Si ager ematur ex fructibus non decimatis, non debetur nisi vna decima, num.3.

Decima debetur ex omnibus fructibus, antequam pensio, vel expensæ deducantur, tract.10. disp.vn. pun.8. n.1. Soluere decimam ex fructibus notabiliter deterioribus peccatum est graue, n.2. Ex fructibus agri culti propriis expensis, vel per colonos decima, debetur semel, n.3. Soluenda est decima fructibus perceptis, neque opus est, vt petatur, n.4. Fructibus indecimati non sunt sine consensu clericorum in horrea mittendi, n.5. Soluenda est decima Prædialis Ecclesiæ parochiali, in qua situm est prædium, n.6. Idem est dicendum de decimis mixtis, quæ ex fructibus animalium prouenunt, n.7. Quid si in vna parochia animalia pascant & in alia accubent, n.8. 9. & 10. Decimæ ex noualibus quo in loco soluendæ sint, n.12. Quæ personæ possint decimas possidere, & præscribere, pun.9. Quibus personis Ecclesiasticis iure communi debeantur decimæ, pun.10. Quæ personæ teneantur decimas soluere, pun.11. n.2. & 3. Quid dicendum de hæreditate sita in Ecclesia S. Michaël. donata parocho, vel Ecclesiæ S. Petri, cui debeantur decimæ, num.5. 6. & 7.

Consuetudine, præscriptione, aut priuilegio eximuntur aliqui à debito decimarum, tract.10. disp.vn.pun.12. n.1. Iure communi religiosi exempti sunt à decimis personalibus, & prædialibus, quæ propriis sumptibus excolunt, nisi prædia sint conductitia, vel ex illis antea Ecclesiis decimæ soluebantur, n.2. An sub his verbis, ne soluas decimas quæ ex prædiis, quæ habes, debeantur decimæ ex his, quæ antea debebantur, an solum noualia excusentur, n.4. 5. 6. & 7. Sub iis verbis, non soluant decimas ex suis agris, non comprehenduntur agri conductiti, neque in emphyteusim accepti, n.8. Qua ratione priuilegium non soluendi decimas amittatur, pun.13. Quæ pœnæ impositæ sint non soluentibus decimas, aut facientibus non solui, vel illas aliquomodo vsurpantibus, pun.14.

Ecclesia decimas non solutas excommunicatione recuperare potest & debet, tract.10. disp.vn.pun.15.n.1. Non solum potest Ecclesia decimam actione personali recuperare, sed etiam reali per vindicationem, n.2. Parochus non potest per vim decimam sibi debitam accipere, neque ob illius non solutionem negare sacramenta, n.4. Causa decimalis facti coram sæculari iudice potest agitari, secus si sit iuris, n.5. Decima translata in laicum in feudum perpetuum, vel emphyteusim coram sæculari iudice peti possunt, n.6. Si decima exigantur à laicis, eo quod non putetur illos priuilegium exemptionis habere, possunt coram sæculari iudice se defendere. Secus vero si de valore priuilegij ageretur, n.7. in causa possessoria decimarum non iudicem laicum, sed Ecclesiasticum adire debes, n.8. Conductor laicus coram laico iudice conueniendus est, n.9. Quid sint primitiæ, & qua ratione sint debitæ, pun.16. De oblationibus, & qua ratione ad illas fideles teneantur, p.17. A quibus personis oblationes recipi non possunt, pun.18. Vide. Primitiæ, & Oblatio.

DIVISIO.

Beneficiorum quid sit, & qualiter permittatur, tract.13 disp.6. pun.10.n.3. Qua sit causa honestans diuisionem, n.4. Consensus Rectoris non requiritur, n.5. A decreto diuisionis, & erectionis appellari potest, n.6. Parochus constitutus debet prouideri ex obuentionibus parochianorum pro quibus denuo constituitur, n.7.

DIES FESTI.

Præceptum fuit lege veteri latum de obseruatione festorum, & qua parte naturale erat mansit, extinctò cæremoniali, tract.9 disp. vn.pun.1.n.1. In lege gratiæ seruandus præcipitur dies Dominicus in memoriam beneficij redemptionis, n.2. Iure tantum humano pro festo est institutus, n.4. Quæ sint festa pro tota Ecclesia instituta, n.6. Expenduntur fines, ob quos hæc festa sint instituta, n.7. Pontifex dat festum statuere potest, pun.2. num.1. Idem potest Episcopus in suæ diœcesi, dummodo sint in Sanctorum numerum relati, n.2. De Sancto à Pontifice beatificato bene potest Episcopus festum instituere, n.3. Si festum perpetuo instituatur ex cleri & populi consensu debet, fieri, n.5. Secus dicendum est de consuetudine, & de festis tantum temporali n.6. Principes sæculares obligare possunt populum ab operibus seruilibus abstinere, n.7. in religiosum cultum hæc præcipere non possunt, n.8. Non possunt principes sæculares dies festos, vt est vsus Ecclesiæ, instituere, num.9. Præceptum principis laici de aliquo festo subintelligitur de festo humano, & politico, n.10. Transgressores huius præcepti politici non videntur mortaliter peccare sæculo scandalo, aliisque rationibus extrinseeis, n.11. De consuetudine qualis debeat esse, vt festa instituere possit, n.13. Qui teneantur festa seruare, & qualiter peregrini, infantes, amentes, &c. n.14.

Quale sit præceptum seruandi festa affirmativum, an negativum, tract.9. disp.vn.pun.3. & 1. & 2. An in illo detur parvitas materiæ, n.3. Duabus horis labori seruili incumbere graue peccatum est, n.4. In operibus forensibus non ex quantitate temporis insumpti, sed ex qualitate operis materiæ grauitas desumenda est, n.5. Ex præcepto affirmatiuo seruandi festa nulla alia actio exercenda est præter Missæ auditionem, pun.4 n.1. Proponuntur plures actiones, quas vt obligamur die festo exercere, n.2. & seqq. Quid sit opus seruile prohibitum die festo exerceri, & qua ratione à liberali distinguatur, pun.5. n.1. Scribere ob lucrum opus seruile non est, n.1. Idem est dicendum de transcriptione, n.4. Actio pingendi seruilis est, etiam si recreationis causa, vel ob disciplinam fiat, n.7. Piscatio aucupatio, venatio per se opera sunt seruilia, ex consuetudine tamen excusantur, n.9. Prælatio opus seruile est, excusatur tamen ob necessitatem, n.11. Iter agere non est prohibitum, & quid si currus deferantur, n.11.

Omnia

Omnis actio liberalis à iure non prohibita, licita est die festo, tract. 9. disp. vn. pun. 6. n. 1. *Omnis actus voluntarie iurisdictionis licitus est, & validus*, n. 3 *Duo genera actionum prohibentur à iure mercatus, & fori, & explicantur*, n. 4. 5. & 6. *Non solum illorum fit prohibitio, sed annullatio, nisi dies feriatus esset in gratiam vindemiarum, & messium*, n. 7. *Qua ratione citatio, processus, & sententia die festo prohibeantur*, pun. 7. *An quodcumque iuramentum in die festo prohibitum sit*, pun. 8. *Vide Citatio, & Iuramentum.*

Peccatum die festo committens non tenetur in confessione manifestare circumstantiam diei festi, tract. 9. disp. vn. pun. 9. n. 2. *Nulla culpa nec venialis quidem contra religionem committitur*, n. 3. *Non peccas aduersus præceptum seruandi festum, si in ludis, & comessationibus diem consumas*, num. 5. *Ex præcepto seruandi festum non obligaris contritionem, amorem Dei, aliaque opera pietatis exercere, tametsi in peccato existas*, n. 6. *Quæ causa excusent ab huius præcepti obseruatione*, pun. 10.

DISMEMBRATIO.

Beneficij quid sit, & qualiter facienda est, tract. 13. disp. 6. pun. 10. n. 1. *Non possunt fructus parochialis dismembrari, vt simplici beneficio applicentur*, n. 2.

ECCLESIA.

Actiones, quibus Ecclesia polluitur, tract. 11. disp. vn. pun. 2. n. 1. *Duo requiruntur ad Ecclesiæ pollutionem*, n. 2. *Actiones, quibus Ecclesia polluitur, etiamsi occultè fiant, sacrilegia sunt*, n. 4. *Nullum peccatum in Ecclesia commissum habet speciem sacrilegij secluso iure positiuo, nisi illud peccatum, quo locus sacer contemnitur, & profanatur*, n. 7. *Tripliciter contingit furtum in loco sacro commissum*, pun. 2. n. 1. *Nullus sacrilegus fur excommunicationem contrahit, nisi simul Ecclesiam effringat*, n. 4. *Pœna ferenda arbitrio iudicis relinquitur, quod arbitrium vsque ad pœnam mortis extendi potest*, n. 6. *Non licet iudicibus sæcularibus extra necessitatem summariam informationem facere in Ecclesia etiam illorum, qui ad illam confugiunt*, pun. 3. n. 2. *Processus, & sententia iudicis Ecclesiastici non prohibetur ibi fieri*, n. 3. *An concilia, confabulationes, contractus politici, & similia prohibeantur fieri in loco sacro*, pun. 4. *Iure canonico, & ciuili grauissima irreuerentia fit locis sacris, si illuc confugientes vi extrahas* pun. 5. n. 1. *Iure naturali, aut diuino non est firmata hæc immunitas*, n. 2. *Immunitas locis sacris concessa latè explicanda est*, n. 3. *Consuetudine tolli, vel diminui potest hæc immunitas*, n. 5. & seqq.

Ecclesijs authoritate Episcopi erectis debetur immunitas, tract. 11. disp. vn. pun. 6. n. 1. *Non est necesse in eis sanctissimam Eucharistiam permanenter esse*, n. 2. *Neque item est necesse diuina celebrari*, num. 3. *Extenditur ad Ecclesiam interdictam*, num. 5 *ad Ecclesiam pollutam*, num. 6. *ad Ecclesiam dirutam, seu destructam, modo non sit diruta authoritate Episcopi, aut sine spe readificationis*, num. 7. *Extenditur ad portas Ecclesiæ clausa*, num. 9. *Ad claustrum, porticum, ambitum, dormitorium*, n. 10. *Extenditur etiam ad Ecclesiæ confines*, n. 11. 12. & 13. *Quod procedit in eo, qui iam ad Ecclesiam confugit*, num. 14. *Hoc priuilegium per 30. passus de iure communi intelligendum est, secus de consuetudine*, num. 15. *Extenditur immunitas ad cæmeterium Ecclesiæ*, num. 16. *ad hospitale authoritate Episcopi erectum*, n. 17. *ad domos, seu conuentus religiosorum, secundum totum illud, quod septum est*, num. 18. *Item ad oratorium, si authoritate Episcopi erectum sit*, numer. 19. *Domus Episcopi hac gaudet immunitate, modo non distet ab Ecclesia 40. passus*, n. 20. & seqq. *Domus illustrissimorum Cardinalium non videntur hac immunitate gaudere*, n. 23. *Tabernaculo Eucharistiæ, seu sacerdoti illam portanti debeatur ne hæc immunitas*, n. 24. *Quæ personæ gaudeant immunitatis priuilegio*, pun. 7. *An supradictis debita sit immunitas in causa ciuili*, pun. 8. *In quibus causis criminalibus debita sit immunitas*, pun. 9. *Quos effectus habeat immunitas*, pun. 11. *Vide immunitas.*

Quam culpam & pœnam incurrant indebitè extrahentes delinquentem à loco sacro, tract. 11. disp. vn pun. 12. *Confugientes ad Ecclesiam in casibus exceptis tradendi sunt iudici sæculari*, pun. 13. n. 1. *Modus, quo tradendus est reus in casibus exceptis expenditur*, n. 3. & seqq *Cognitio, an casus exceptus sit ad Prælatum Ecclesiæ pertinet*, n. 7. *Debet concludenter probari esse casum exceptum, vt possit Prælatus permittere delinquentem extrahi*. n. 8. *Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui iudicis laici*, n. 9. *In hac cognitione Ecclesiæ, & reus citandi sunt*, n. 10. & seqq. *Reus sponte comparens, & petens audiri pro immunitate sibi competente audiendus est*, n. 13. *Qualiter Episcopus procedere debeat in hac cognitione*, num. 14.

EDICTVM.

Proponi debet beneficio parochiali vacante, & qualiter, tract 13. disp. 3. pun. 2. §. 1. n. 6. *Signato termino decem dierum non est licitum illum prorogare, postquam finitus est. si de facto plures subscripti sunt examinandi, secus econtra*, n. 7. *Si finito termino edicti vnus tantum idoneus subscriptus reperiatur, verius est non posse edictum prorogari*, n. 8. *Quid si Episcopus edictum proponat cum ampliori termino, quam sibi conceditur*, num. 9 *Qui possint se subscribere examinandos, ita vt teneatur Ordinarius illos admittere*. §. 2. *Quales examinatores debeant esse ad supradictum examen peragendum*, §. 3. *Qualiter examen ad parochialem præstandum sit*, §. 4. *Vide examen.*

ELECTIO.

Qui potestatem habeant eligendi, tract. 13. disp. 2. pun. 11. §. 1. *Electio debet esse digniori*, §. 2. n. 1. *An ob peccatum mortale reddatur eligendus indignus*, n. 2. & 3. *Quis censeatur dignior ad beneficium*, num. 4. *An ex dignis debeat dignior eligi*, num. 5. & seqq. *Quid dicendum in electione Prælati religiosorum*, num. 14. *Quid in electionibus ad officia sæcularia*, num. 15. *An pater, vel mater instituens maioratum teneatur in digniori filio instituere*, n. 16. *An valeat electio digni omisso digniori*, §. 3. *An teneatur ad restitutionem eligens dignum omisso digniore, cum digniorem eligere teneretur*, §. 4. *An dignus petens beneficium, cathedram, seu collegium, illudque acceptans in concursu dignioris peccet, obligeturque ad restitutionem, & quid de impedientibus dignum, vel digniorem ab illius consecutione* §. 5. *de tempore requisito ad electionem, eiusque confirmatione*, §. 6.

ERECTIO.

Beneficij quid sit, & cuius authoritate facienda sit, tract. 13. disp. 6. pun. 11. n. 1. *A decreto erectionis, & diuisionis appellari potest*, dicto tract. & disp. 11. pun. 10. n. 6.

EXAMEN.

Examen per concursum faciendum est in beneficiis parochialibus, tract. 13. disp. 3. pun. 2. § 5. n. 1. *Cessat in beneficiis iuris patronatus laicalis*, n. 2. *Quid in beneficiis iuris patronatus mixti*, n. 3. *Cessat in beneficiis resignatis in fauorem*, n. 4. *Item in beneficiis vacantibus ex causa permutationis* n. 5. *Item in beneficiis vnitis dignitati, aut canonicatui*, n. 6. *Item cum cura pertinet ad Ecclesiam cathedralem, vel collegiatam, & per vnum, vel plures administratur*, n. 7. *Item in beneficiis litigiosis, & quid si Pontifex noluerit collitigantem subrogare*, n. 8. *Item cessat examen per concursum in beneficiis parochialibus monasterio subiectis*, num. 9 *Item cessat in vicariis perpetuis vnitis Ecclesiæ, vel beneficio sæculari*, num. 10. *Deinde in beneficiis regularibus, quæ regularibus conferuntur*, numer. 11. *Item cessat, esto hæc beneficia sæcularibus commendentur*, n. 12. *Item in parochialibus exigui redditus*, n. 13. *Cessat in parochialibus vacantibus ob non seruatam formam à Concilio præscriptam*, n. 14. *Qualiter facto examine electio, collatio, seu institutio beneficiorum parochialium facienda sit*, §. 6. *Vide edictum in fine.*

EXCOMMVNICATIO.

Ferri potest aduersus beneficiatos non recitantes horas canonicas, tract. 7. disp. 1. pun. 7. n. 25.

Excommunicatio lata est aduersus agnos cereos pingentes, & illuminantes, & carius vendentes, quam venderentur secluso consecratione, & expensis in illorum asportatione, tract. 8. disp. 1. pun. 6. 28.

FRVCTVS.

Beneficiatus horas canonicas non recitans tenetur fructus restituere, tract. 7. disp. 2 pun. 7. n. 1. *primo semestri beneficij non est obligatus restituere*, n. 2. *Fructus perceptos post illud semestre obligatus est restituere*, n. 3. *Debet fieri restitutio fructuum correspondentium illis diebus, quibus recitationem omittit*, n. 4. *Quid dicendum de omittente partem notabilem alicuius horæ* n. 5. *Omittens leuem partem ad nullam restitutionem tenetur*, n. 6. *Qui sine vlla intentione recitat, obligatus est restituere, ac si non recitasset*, n. 7. *Omittens recitare vno, vel duobus diebus obligatus est restituere pro rata*, n. 8. *Ante iudicis sententiam habet beneficiatus hanc obligationem*, n. 10. *Fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus hæc restitutio facienda est*, n. 11. *Si verè pauper sit, probabilius est sibi applicare posse*. n. 12. *Duplex limitatio supradictæ doctrinæ apponitur*, n. 13. *An fructus canonicatus aliis canonicis sint applicandi, neque super illis compositio fieri possit*, n. 14. *Quod dictum est de beneficiato dicendum est de pensionariis non recitantibus*. n. 16. *Potest pensionarius non recitans recipere pensionem tradendam fabricæ, vel pauperibus, neque beneficiatus eam sibi potest retinere*, n. 17.

FVRTVM.

Auferens reliquias ab alio possessas eo inuito furtum committit, tract. 8. disp. 1. pun. 6. n. 19.

GRADVS.

Id est testimonium publicum scientiæ pro Episcopatibus, aliisque superioribus beneficiis requiritur, & quid de aliis dignitatibus, tract. 13 disp. 4 pun. 6. n. 13. *Gradus pro Scholastria requiritur*, n. 14. *Idem de Archidiaconis iurisdictionem habentibus*, n. 15. *Pro canonico pœnitentiario gradus expostolatur*, n. 17. *Collatio supradictarum dignitatum facta carenti gradu est nulla*, n. 18. *Gradus obtentus absque scientia facit, ne collatio irrita sit*, n. 19. *Sed quid si gradus est assumptus contra statuta vniuersitatis*. n. 20.

GRATIA ALTERNATIVÆ.

Solis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis hæc gratia concessa est, tract. 13. disp. 2. pun. 13 § 1. n. 1. *Qualis sit hæc gratia alternatiua*, n. 2. *An Iunius, & Decemb. censeantur concessi in alternatiua*, n. 4. *Ordinarius siue resideat, siue non in supradictis duobus mensibus prouidere potest*, numer. 4. *Vnica est conditio sub qua gratia alternatiua conceditur, nempe residentia apud Ecclesias, seu diœceses suas*, §. 2 num. 1. *Episcopus acceptans alternatiuam non potest postea prouidere beneficia vacantia mense Martij & Septemb.* n. 4. *Episcopus residens in fine Februarij, esto postea non residisset, potest beneficium prouidere vacant tempore quo resedit*, numer. 6. *Acceptans alternatiuam illa vti potest à puncto acceptationis*

recognita, n.7. An residens in loco exempto intra diœcesim contento censeatur in diœcesi residere ad effectum alternatiuæ, n.9. & 10. Existens in loco suæ diœcesis contento intra terminos alterius diœcesis satisfacit obligationi residentiæ per reg.8. Cancellariæ expostulatæ, n.11. Prouisus ab Ordinario vigore alternatiuæ tenetur probare non solum alternatiuam, sed etiam residentiam, n.13.

Ad quæ beneficia se extendit alternatiua, tract. 13. disp. 2. pun.23. § 3. Gratia alternatiuæ incipit effectum habere à puncto, quo acceptatio alternatiuæ à datario fuerit recognita, §.4. n.1. Qui modus seruandus est in acceptatione alternatiuæ, n.2. An absque notitia alternatiuæ possis valide, & licite illa vti, n.3. & seqq. Qualiter acceptationem alternatiuæ probare teneatur ordinarius, vel prouisus ab illo, n.8. An facta acceptatione alternatiuæ possis illius pœnitere, n.9. & seqq. Gratia alternatiua cessat, si ad alium Episcopatum translatus sis, §.5. n.1. Cessat morte Pontificis, n.2. Item renunciatione illius, si à Pontifice acceptetur, n.3. Cessat denique si in prouisione beneficiorum ad Pontificem pertinentium te intromittas, n.4. & seqq.

HORÆ CANONICÆ.

Omnes clerici in sacris habent obligationem recitandi horas canonicas, tract. 7. disp. 2. pun.1. §.1.n.1. Clerici in minoribus non tenentur recitare ratione Ordinis, n.2. An possit Episcopus clericis hanc imponere obligationem, n.3. Probabilius est imponere posse, num.4. Nullibi creditur esse impositam; & quid de obligatione recitandi, num.5. Beneficiati omnes hanc sustinent obligationem, §.2. n.1. Quid sub nomine beneficij comprehendatur, vt obligationem inducat, n.2.& seqq. Beneficium, cuius fructus tua culpa non recipis, te obligat recitare, num.11. Idem est si pro aliquo tempore copiosos non accipias, num. 12. Idem iuris est, si speras accepturus, numer. 13. Item si beneficium accipias ex resignatione cum obligatione satisfaciendi eius muneri, tametsi fructus non recipias, n.14. Quid de beneficio nullam administrationem requirente, n.15. Si ex fraude, aut vi impediaris fructus recipere, non teneris recitare, num. 16. Quid de consuetudine Ecclesiæ non recipiendi primo, vel secundo anno vllos fructus, probabilius est obligationem esse recitandi, num.19. An titulus beneficij cum spe possessionis, & fructus obliget. n.20, & seqq. Habens plura beneficia vnica recitatione satisfacit, n.27. Habens beneficium, & pensionem satisfacit horas canonicas recitans, n.28. Supradictus beneficiatus, vel beneficiatus, & sacerdos omittens officium diuinum, vnum tantum peccatum committit, n.29. Impediens iniustè aliquem à beneficij consecutione, non obinde tenetur recitare, n.30.

Religiosi choro deputati obligati sunt ex consuetudine horas canonicas recitare, tract.7. disp.2. § 3. n.1. Hac obligatio sub graui culpa est, n.3. Religiosus ex dispensatione Pontificis viuens extra claustra, si dispensatio in perpetuum sit, excusatur ab hac obligatione, n.4. Comprehendantur ne religiosi damnati ad triremes, fugitiui, & eiecti, n.5.

Omnes tenentur recitare officium Romanum exceptis aliquibus personis, tract.7. disp.2. pun.2.§.4.n.1. Hoc præceptum singulis diebus obligat sub graui culpa, n.2. Probabilius est priuilegiatos in Bulla Pij V. officium Romanum recitare non posse, omisso illo, cuius habent priuilegium, num.4. Quid dicendum de beneficiato obligato Romanum officium recitare, & commorante in diœcesi Mediolanen. n.5. Quid de Mediolanensi existente Romæ, n.6. Possintne religiosi exempti festiuitatibus diœcesanis se conformare, n.7.& seqq. Possint Episcopus de Sancto extra Kalendarium instituere recitationem, n.10.11.& 12. Ventes breuiario Pij V. non tenentur officium Virginis, defunctorum, &c. recitare, n.13. Quid si Romanum officium alia lingua præter latinum discere. n.14. Si addas, vel diminuas officio diuino, peccas, n.15. Si in graui, notabiliquæ parte diminuas non satisfacis obligationi, n.16. Si vnum officium pro alio recites, scilicet de Sancto, cum est recitandum de feria, probabilius est te non satisfacere, n.18.

Quomodo à supradictis officium diuinum recitandum sit, vt præcepto fiat satis, tract.7. disp.2. pun.3. n.1. An truncare verba obest obligationi, n.2. Quid dicendum de interruptione, n.3. Attentio illa requiritur, quæ ad orationem necessaria est, n.4. Intentio sufficit virtualis, n.5. Si solus recitas, non teneris proferre verba voce ita alta, vt te audias, n.6. Quid si cum socio, n.7. Quæ tenearis proferre, quando recitas cum socio, n.8. Non satisfacis obligationi, si non expectes integram socij prolationem, n.9. Quid si recites animo non satisfaciendi præcepto, n.10. An si recites sine attentione pecces, n.11. Quo tempore, quo ordine, quo loco, & quo corporis habitu, & situ diuinum officium recitandum sit, vt præcepto satisfacias, tract. 7. disp.2. pun. 4. Quanta sit obligatio in clericis horas canonicas recitandi, pun.5. Quæ causæ excusent ab horarum canonicarum recitatione, pun.6. De pœnis clericorum non recitantium, pun. 7. Vide fructus, & chorus.

HOSPITALE.

Hospitalia sunt in duplici differentia, alia authoritate Episcopi fundata, alia authoritate priuata, tract.13. disp.1. pun.7. num.1. Omnes possunt ab Episcopo visitari, n.3. Hospitalia regulariter non sunt beneficia, n.4.

IMMVNITAS.

Omnes Christiani baptizati ad Ecclesiam confugientes gaudent immunitatis priuilegio, tract.11. disp.vn.pun.7. n.1. Interdictus ab ingressu Ecclesiæ hac immunitate gaudet, n.2. Excommunicatus ab hoc priuilegio non excluditur, n.3. Hæreticus in aliis criminibus ab hæresi gaudet immunitate, n.4. An infideles immunitate gaudeant, n.5.6.7. & 8. An banniti, & condemnati in criminibus exceptis immunitate gaudeant, n.9. Captus, & in carcerem reclusus, si ad Ecclesiam fracto carcere confugiat, gaudet immunitate n.10. A fortiori gaudet, si captus à ministris ex eorum se manibus liberet, n.11. Item si ad supplicium pergens ad Ecclesiam confugiat, n.12. Si fide data custodi redeundi ad carcerem, ad Ecclesiam confugias, gaudes immunitate, n.13. Clerici comparatione iudicum secularium gaudent immunitate, n.14. An gaudeant comparatione iudicum Ecclesiasticorum, n.15. & seqq. Seruus confugiens ad Ecclesiam qua immunitate gaudeat comparatione domini, n.19. An supradictis debita sit immunitas in causa ciuili, pun.8.

In omnibus casibus exceptis à iure expressis debetur immunitas, tract.11. disp. vn. pun.9. n.1. Publicus latro non gaudet immunitate, & quis sit, n.2. Simplex fur immunitate gaudet, n.3. Nocturnus agrorum depopulator ab immunitate excluditur, n.4. Diurnus agrorum depopulator an gaudeat immunitate, n.5. Viarum grassator ab immunitate excluditur, n.6. Committens homicidium, vel mutilationem membrorum in Ecclesia immunitate priuatur, n.7. Priuetne quodlibet delictum in Ecclesia illius immunitate, n.8. & seqq. Vulnerans in Ecclesia non priuatur illius immunitate, n.10. Occidens, aut mutilans in Ecclesia illius immunitate non gaudet, n.12. Si existens in Ecclesia occidas existentem extra, vel econtra immunitate priuaris, n.15.& 16. Mandans occidere in Ecclesia immunitate non priuatur, n.17. Si dolo ex Ecclesia extractum occideris, non priuaris immunitate, n.18. Qua mutilatio necessaria sit ad priuationem huius priuilegij, n.19. Ex mutilatione, vel occisione in Ecclesia facta non priuaris immunitate quoad alia delicta, n.33. Delicta in Ecclesia commissa à laico, si secularia sint, puniri possunt ab Ecclesiastico, & à laico iudice ad præuentionem, n.24. Proditorius homicida ab immunitate excluditur, num.25. & seqq. Vulnerans animo occidendi immunitate gaudet, num.29. Occidens infidelem immunitate gaudet, numer. 30. Assassinus ab immunitate excluditur, & quis sit, n.31. & seqq. Hæresis rei ab immunitate excludantur, & qui hi sint, n.40. Reus læsæ maiestatis in personam principis ab immunitate excluditur, n.41. Qui nomine principis intelligatur, n.42. An sint alij casus exempti ab immunitate præter supra dictos, pun.10.

Immunitatis effectus est, vt inuitus ab Ecclesia extrahi non possit, tract.11. disp. vn. pun.11. n.1. Extractus per violentiam restituendus est, n.2. Blanditus, & dolosis verbis extractus capi potest, n.3. Non licet extra casus exceptos reum iudici seculari consignare, n.5. In Ecclesia non potest delinquens gaudens immunitate vinculis alligari, etiam dum causa examinatur, & dubium est, an gaudeat immunitate, n.6. Confugienti ad Ecclesiam non possunt vitæ necessaria impediri, n.7. Bona delinquentis, quæ ad Ecclesiam tulerit, non possunt auferri, n.8. Non potest dum in Ecclesia existit ad mortem, vel ad pœnam damnari, bene tamen in aliqua pœna pecuniaria, n.9. Hanc pœnam, si ab Ecclesia non exit, solus iudex Ecclesiasticus imponere potest, n.10. Quid in hac parte consuetudine inductum sit, n.11. Extractus ab Ecclesia in casibus non exceptis, debet ante omnia Ecclesiæ restitui, n.12. Nulla est extractio delinquentis extra casus exceptos, n.13. Iudici extrahenti delinquentem extra casus exceptos resisti potest, & qua ratione fieri possit hæc resistentia, n.14. Quam culpam, & pœnam incurrant violantes immunitatem, pun.12. Vide Ecclesia.

IVDEX.

Iudex Ecclesiasticus potest esse iudex laicorum in causis omnibus spiritualibus, tract.12. disp.vn.13.n.2. Debet cognoscere de crimine hæresis, & simoniæ, n.3. Item de causa matrimoniali, n.4. Causæ temporales, & spirituales à iudice Ecclesiastico, & seculares simul possunt, n.5. Causæ temporales, & profanæ possunt à iudice Ecclesiastico tractari, si aliqua qualitate religionis afficiantur, n.6.

Iuramentum iudiciale, & illud, quo contractus firmantur, in die festo prohibentur, tract 9. disp.vn.pun.8.n.3. Quoties iudicium, vel contractus celebrari potest die festo, & iuramentum præstari potest, n.4.

IVS PATRONATVS.

Quid sit, tract.13. disp.2.pun.2. n.1. Triplex est, n.2. Ius patronatus ex laicis patronis, & Ecclesiasticis an laicum, an Ecclesiasticum sit quoad iura, & effectus, n.3. Fundatione, extructione, & dotatione ius patronatus acquiritur, n.4. An ex donatione facta Ecclesiæ adificatæ patronatus requiratur, n.7. Consensus ordinarij requiritur ad hanc acquisitionem, n.8. Priuilegio Pontificis ius patronatus acquiritur, non Episcopi, n.10. An præscriptione, & consuetudine patronatus acquiratur. n.11. De patronatu constare debet per scripturas authenticas, pun.3.n.3. Qualiter ex multiplicatis præsentationibus ius patronatus probetur, n.4. Quomodo immemoriale harum præsentationum probetur, n.5. Ius patronatus probatur omnibus illis modis, quibus ius beneficij probari potest, n.6. Qualiter probandus sit patronatus illorum, in quibus iure vsurpatio præsumitur, n.7. Qualiter patronatus ex priuilegio excludatur, n.13.

Patronatus successione acquiritur, tract.13. disp.2.pun.4.num.1. Transeat ne ius patronatus hæreditarium ad fideicommissarium, vel vsufructuarium vniuersalem, n.4 & 5. Donatione patronatus acquiritur, n.7. Permutatione ius patronatus transfertur, n.9. Item venditione, num.10. Locatione & si non acquiratur patronatus, acquiratur

acquiritur eius vsus,n.13. An pignoratione ius vtile patronatus acquiratur, n.14. *Qualiter confiscatione ius patronatus acquiratur*, num.15. *Ius patronatus, si donatione, legato, permutatione in laicum transferatur, consensus Episcopi requiritur, secus si Ecclesiam*, n.17. *Paganus, & Iudæus ius patronatus competere non potest*, n.19. *Tutor præsentare potest ob patronatum competentem pupillo, secus curator*, n.21. *Idem dicendum est de patre respectu filij, dum sub eius est potestate*,n.22. *Præsentatio pupilli præferenda est*, n.23. *Spurius,& alias irregularis capax est patronatus*, n.24. *Quid de possessore iuris patronatus,& quando censeatur bona fide possidere*,n.25. *An præsentare possit maritus ob patronatum vxori competentem*, n.27. *An iura patronatus annexi vxoris bonis in dotem datis transeant in maritum*, n.29. & seqq. *Intra quod tempus liberum sit patrono nominare ad beneficium instituendum*, pun.5. *An liberum sit patrono in præsentatione variare*, pun.6. *Quem debeat patronus præsentare*, pun.7. *Quem modum seruare debent patroni in præsentando, cum plures sunt*, pun.8. *Quem ex præsentatis teneatur ordinarius instituere*, pun.9.

Cuilibet patronatui Pontifex derogare potest,sed ex causa iusta, tract.13.disp.1.pun 10.n.1 *Diuersa causa requiritur pro patronatu laico,& Ecclesiastico*,n.2. *Patronatui laico non censetur derogatum, nisi de derogatione expressè constet*, n.3.& 4. *Secus patronatur Ecclesiasticus*,n.5. *An si ius patronatus mixtum sit, derogetur sub derogatione cuiuscunque patronatus*, n.6. & 7. *An per clausulam generalem derogetur ius patronatus competens ex priuilegio*,n.8.*Cum beneficium est litigiosum in curia,an Pontifex possit illud prouidere absque derogatione iuris patronatus*, n.9.

LEGATVS.

Triplex legatus distinguitur, tract.13. disp.2.pun.25.n.1. *Qualiter omnibus commissa sit potestas beneficia prouidendi*,n.2.*Legatus à latere omnia beneficia suæ prouinciæ de prouisione ordinarij prouidere potest*, n.3 .*Item beneficium monoculare de prouisione ordinarij collatoris*,n.4. *An beneficia deuoluta ad prælatum possit legatus prouidere*, n 5. & 6. *Beneficia deuoluta ad Episcopum ob negligentiam prælati exempti prouidere legatus potest si sunt in prouincia*, n.7. *Item beneficia suæ prouinciæ deuoluta ad Sedem Apostolicam*,n.8. *Legato non currit tempus ad prouidendum*, n 9. *Legatus non potest conferre beneficia vacantia in mensibus ordinarij alternativa gaudentis*,n.10. *Nec beneficia iuris patronatus laici,aut Ecclesiastici mixti, secus Ecclesiastici*, n.11. *Qualiter possit legatus à latere canonicum supernumerarium creare*,n.12. *Spectato Trident. creari non potest canonicus supernumerarius*,n.13. *Non potest legatus beneficia reseruata prouidere*,n 14.*Neque beneficia electiua*,n.15.

Potestas legati Nati,& missi in beneficiorum collatione ex litteris commissionis colligenda est tract.13.disp.2.pun.26.n.1.*Expenditur potestas,quæ nunciis Hispaniæ solet concedi*, n.2. *Sub eius potestate non comprehenditur canonicatus, nec præbendæ cathedralium, & collegiatarum*, n.3. *Neque beneficia, quæ simplicia non fuerint. Et quid de curatis habitu,sed non actu*,n.4. *Archipresbyteratus ruralis sub nomine beneficij simplicis comprehenditur*,num 5. *Non comprehenduntur beneficia excedentia valorem 24. ducatorum de camera*,n.6.vsque ad 15.*Non potest Nuntius prouidere alia beneficia,nisi quæ per obitum vltimi possessoris vacauerunt*,n.16. *Si beneficium vacat in mensibus ordinarij alternativa gaudentis, non videtur posse à Nuntio prouideri*, num.17. *Nuntius, & legatus à latere iurisdictionem voluntariam exercere possunt à die quo vrbe fuerint egressi*, num. 19. *Qualiter ex tunc possint beneficia conferre*, num.20.

LEGITIMATIO.

Quando filij censeantur legitimi, vel illegitimi, tract.13. disp.4. pun.1.§ 1. *Quid sit legitimatio*,§ 2.n.1. *Matrimonio filij legitimantur*, n 2. & seqq. *Valet matrimonium ad legitimandum nepotem, etiam mortuo filio naturali*,n.12. *Legitimati per matrimonium habiles sunt ad ordines, & beneficia & ad omnia alia,ac si constante matrimonio nati essent*,n.15. *An à puncto natiuitatis filiorum matrimonium subsequens reddat filios legitimos, ita vt aliis legitimis prius natis præferantur*.n.16.& seqq. *Filij ex habilibus ad contrahendum procreati legitimantur*, § 1.num.2. *Si tempore copulæ parentes non fuerunt inhabiles,esto fuerint tempore natiuitatis,subsequenti matrimonio legitimantur filij*, n.3. *Si tempore copulæ inhabiles extiterunt, dum tamen tempore natiuitatis fuerint parentes habiles, legitimantur filij*, num.6.*Idem dicendum est de filio concepto, & nato tempore quo parentes inhabiles extiterunt, si dum fuit in ventre habiles extiterunt*,n.7. *Si solum ab vno parente impedimentum sit cognitum, an possint legitimare*, n.8. & 9.

Rescripto principis filij legitimantur, tract.13.disp.4.punct.1. §. 4. num.1. *In quo hæc legitimatio ab ea, quæ fit per matrimonium differat*,num.2. *In quo differat à dispensatione*, n.2. *Non solet concedi hæc legitimatio cum præiudicio filiorum legitimorum*,n.4. *Natiuitate filiorum legitimatio antea concessa videtur reuocata*, n.5. *Excipe nisi princeps contrarium velit*, n.6. *Filius legitimatus hoc rescripto non potest à parentibus meliorari*, n.7. *Succedit non solum parentibus,sed aliis consanguineis*,n.8.*Trãsit in patriã potestatem*, n.9.*Legitimatio non tam ex potestate adæquata dispensantis,quam ex integra natalium restitutione desumenda est*,n.11.*Restitutio ad omnes iuris canonici effectus est legitimatio canonica, & restitutio ad omnes iuris ciuilis effectus est legitimatio ciuilis*, num.12. *An si princeps legitimet cum aliqua restrictione censeatur dispensare vel legitimare*,n.14.& seqq. *Qui possint legitimationem concedere*,§.5. *De his, qui legitimari possunt*, §.6.

Vt validum sit legitimationis rescriptum,debet esse matrimonium inter parentes moraliter impossibile, tract.13. disp.4.pun.1.§.7.n.1. *Debet fieri mentio si forte pater habeat filios legitimos*, n.2. *Non est opus exprimere alios cognatos, & consanguineos patri succedentes*, n.3. *Deinde est mentio faciendæ substituti*, n.4. *Potestne princeps legitimare prolem,vt in hæreditate cognatis delata succedat*,n.5 & seqq. *Si substitutio facta est sub conditione,si vltimus possessor sine liberis decesserit-, an hunc substitutum excludat filius naturalis*, n.11. *In legitimationis impetratione citandi sunt, qui ius ad hæreditatem habent impedibile*,n.12.*Qui excludantur in legitimatione concessa sub hac conditione, nempe sine præiudicio legitimorum*, n.13. *In impetratione legitimationis explicari debet qualitas illegitimitatis*,n.14. *Apponitur limitatio*, n.15. *Requiritur causa ad concedendam legitimationem*, n.16. *Qualiter legitimatus, vel dispensatus habilis est ad beneficia*, n.17. *An filij presbyterorum alias legitimati, vel dispensati ad beneficia obtinenda,possint in Ecclesia paterna beneficium obtinere*, pun.2.

LIBELLVS.

Libelli oblatio contra partem iam citatam licita est dies festos, tract 9. disp. vn. pun.7. n.9.

MVTATIO.

Beneficij quid sit, & qualiter contingat, tract.13.disp.6.pun.11. num.2.

OBLATIO.

Quid sit, & qua ratione à decimis, primitiis, & sacrificiis differat, tract.11.disp vn. pun.17.n.1. *Nullum est in iure præceptum latum de oblatione*,n.2.*Consuetudine introduci potest*,n 4. *Item potest introduci, vt clerici dona aliqua tribuant laicis, quibus ad deuotionem excitentur*, n. 6. *Nulla pœna est ipso iure imposita non soluentibus oblationes*, n.7. *A quibus personis oblationes recipi non possunt*, pun.18.

ORATIO.

Definitur,& probatur esse religionis actum, tract.7.disp.1. pun.2. n.2. *Petitio est actus voluntatis, tametsi operationem intellectus supponat*,n.3. *Laus, & gratiarum actio quomodo ad orationem,& religionem pertineant*, n.4 *Sanctos vt intercessores inuocandos esse*,n.5. *Quid in oratione petendum sit,vbi dominica oratio exponitur*, pun.3. *Deum solum, vt primum omnium bonorum authorem esse inuocandum* n.4. *Sanctos, vt intercessores inuocandos esse*,n.5. *Qui possint orare*, pun 5. *Pro quibus orandum sit*,pun.6. *Ad veram orationem voluntas saltem implicita orandi requiritur*, pun.7.num.1. *Attentio expostulatur ad veram orationem*, n.2. *Item debent petitiones, honestæ, & decentia*, n.3. *Oratio opus est meritorium, satisfactorium,& impetratorium*,n 4.*Proprius orationis effectus est impetratio*, n.5. *Explicantur conditiones in oratione requisitæ*, à num.6. vsque ad 9. *Stantibus supradictis conditionibus Deus concedit petitum ex fidelitate*, n.10. *Declaratur, an oratio pro pluribus æquè prosit singulis,ac si pro singulis offerretur*,n.11. *Oratio ad salutem, necessaria est*, pun.8. n.1. *Pro quo tempore hoc præceptum obligat*, num.2. *Arbitrio prudentis remittitur*,n 3.*Qua ratione in aliis casibus hæc obligatio subsistat*, num. 4. *An omittens orationem, cum tentationi vincendæ necessaria est, duplex peccatum committat*, num. 6.

ORDO.

Nullus est capax beneficij, qui prima tonsura initiatus non sit, Reliqui vero ordines ad beneficia non prærequiruntur, tract.13. disp.4. pun.7.n.1. *Ad Episcopatum debes sex menses antea in subdiaconatus esse*,n.2. *Suscipiens parochiale tenetur intra annum intentionem habere presbyterium suscipiendi*,n.3. *Quid si cum animo dubio,aut conditionato*,n 4.& 5. *Ante iudicis sententiam debet sructus perceptos restituere, qui suscepit beneficium parochiale absque animo suscipiendi presbyterium*, n.6. *Si absque animo sacerdotij beneficium est susceptum, & mutata voluntate sacerdotium intra annum suscepisti,obligatus non es fructus restituere*,n.7.& 8. *Quid si recepisti beneficium curatum animo te promouendi ad sacerdotium. & culpabiliter promotus non fuisti*,n.9.& 10.*Recipiens beneficia simplicia, quibus ordo sacer annexus est, absque animo illum recipiendi, esto peccet; non tenetur ante sententiam fructus perceptos restituere*, n.13. *Quæ culpa sit recipere beneficium animo non ascendendi ad ordines, sed beneficij redditibus fruendi, & postea illud, & statum clericalem dimittendi*, n 14. & seqq.

Non suscipiens sacerdotium culpabiliter priuatur ipso iure beneficio accepto ante vllam sententiam, tract.13.disp.5.pun.6.num.5. *Excusaris ab hac pœna,si ex legitimo impedimento,vel dispensatione promotus non fuisti*, n.7. *Quod censetur legitimum impedimentum*,n.9.*Quid si ob irregularitatem,cuius dispensationem impetrare non potes,promouearis*,n.10. *Quid si Episcopus ob defectum litteraturæ te nollet promouere*, n.11. *Assumptus ad beneficia, quibus ordo annexus est, tenetur infra annum à die pacifica possessionis ordinem suscipere, alias priuari poterit*, n.13. & seqq.

PRÆSTIMONIVM.

Antiquitus præstimonia beneficia non erant, sed modo sunt, tract.13. disp.1. pun.7 n.1.

PRÆSCRIPTIO.

Quid sit,& quæ conditiones illius, tract.10. disp. vn. pun.5. n.1. *Præscriptione eximi potest quis à debito decimarum. Requiritur tempus*

tempus 40. annorum cum titulo, sine titulo tempus immemoriale, n.2. Circa circunstantias decimarum multum valet præscriptio, & consuetudo, n.3.

PENSIO.

Quid sit, tract. 3. disp.1.pun 11.§.1.n.1. *Duplex est spiritualis, & temporalis*, num 2. *Pensio beneficium non est, neque sub beneficio comprehenditur*, n.4. *Quis possit in beneficiis pensionem imponere, & ex qua causa*, §.2. *Laicus incapax pensionis est*, §.3. n.1. *Non solum tempore nominationis, sed reseruationis clericus debet esse*, n.2. *Pensionarius debet habitum clericalem deferre, si pensio 60. ducatos excedit*, n.3. *Ante 14. annos nemo videtur capax Ecclesiasticæ pensionis*, n 4. *Illegitimus dispensatus ad clericatum non ob inde censetur dispensatus ad pensionem*, n.5. *Inhabilitatus per sententiam ad beneficia non est inhabilis ad pensiones, secus si inhabilitas à constitutione procedat* n.6. *Qualiter religiosus incapax sit pensionis*, n.9. *Dispensatus ad beneficia, ad pensionem quoque dispensatus est*, n.10. *Quid si hanc dispensationem concesserit Episcopus*, n 11. *Quæ sint beneficia, in quibus pensiones constitui possunt, & in qua quantitate*, § 4. *De consensu beneficiarij pensio imponenda est*, §.5. n 1. *Vacante beneficio constituendus est defensor beneficij, qui loco beneficiarij pensioni consentiat*, n.2 *Requiritur patroni consensus*, n.3. *In impetratione pensionis non est necessario facienda mentio de beneficiis obtentis, benè tamen de pensionibus*, n.5. *Si beneficio resignato imponas pensionem, credens liberum esse, inualida est pensionis impositio*, n.6. *Quantitas pensionis, non est necessario exprimenda, & apponitur exceptio*, num 7. *Sitne iusta illa clausula vt pensio soluatur habita, vel non habita beneficij possessione*, n.8.

Beneficiarius obligatus est sub graui culpa pensionem soluere, tract 13. disp.1.pun.11.n.1. *Beneficio vacante tenetur Ecclesia fructus percipiens pensionem soluere*, num.2. *An succedens in beneficio pensione grauato teneatur soluere pensionem decursam tempore antecessoris?* n.3. & 4 *Si fructus diminuantur notabiliter, an soluenda integrè pensio sit*, n.5. *In loco beneficij pensio soluenda est*, n.8. *Possitne exigi pensio ante litterarum expeditionem*, n.9. *An pensione imposita beneficio à Titio possesso, quo Titio durante litteras non expedisti, possis decursam pensionem à laico, cui est beneficium concessum exigere*, n.10. *Pensionarius agere potest aduersus quemcunque possessorem hypothecaria actione aduersus quemcunque possessorem fructuum beneficij grauati*, n.12. *Possitne pensionarius aduersus beneficiatum negantem pensionem agere iudicio de spolio, seu possessorio*, n.13. *Quid de pensione debita alicui Ecclesiæ, & soluta tuo antecessori, an possis agere iudicio possessorio, vt tibi soluatur*, num.14. *Agens iudicio possessorio obligatus est ostendere titulum, & reseruationem, & apponitur limitatio*, n.15. *In exigenda pensione quem modum beneficiarius seruare debeat*, n.16. *Sub qua pœna teneatur beneficiarius pensionem soluere* §.7. *Quæ sint obligationes pensionarij ob habitam pensionem*, §.8. *Qua ratione pensionarius possit pensionem in alium transferre*, §.9.

Pensio extinguitur morte pensionarij, tract.13. disp.1. pun. 11. §.10. n.1. *Quid dicendum de pensionibus impositis in capite vnius ad commoditatem alterius*, n 2. *Matrimonio pensio extinguitur*, n.3 *Quid si ex facultate Pontificis retineatur pensio in ordine militari, & professio facta non sit seruatis Trident. conditionibus*, n.4. *Quid si ducat vxorem miles contra consensum supremi ordinis magistri*, n.5. *Quid si data sit facultas retinendi pensionem vno anno post matrimonium, & interim miles lauretanus pensionarius est factus*, n.6. *Promotione ad Episcopatum pensio extinguitur*, num.7. *Item professione religionis, & quid in societate Iesu*, n.8. *Item militia assumpta*, n.9. *Item ob non delatum habitum clericalem, & tonsuram*, n.10. *Item ob cessionem pensionarij etiam nulla authoritate superioris factam*, n.11. *Item si solutione anticipata redimatur*, n 12. *Tandem extinguitur, si beneficium pensionarius obtineat, in quo pensio sita est*, n.13.

An pensiones possint vendi, & redimi absque simonia, tract.17. disp.3. pun.13.n.6. *Duplex est pensio alia laica, alia Ecclesiastica, laica vendi potest*, n.7. *Ecclesiastica, qua multiplex est, nequaquam absque simonia vendi potest*, n.8. *An possint redimi propria authoritate*, n.9.& 10. *Resignans beneficium cum onere pensionis non potest pacisci, vt pensio redimatur*, n.11. *Quod dicitur de pensionibus Ecclesiasticis, dicendum est de præstimoniis*, n.12.

PERMVTATIO.

Quid sit, tract.13. disp.6. pun.3. §.1. n.1. *An admisso resignationis ex causa permutationis sit beneficiorum collatio*, n.2. *Causa, ob quam fit permutatio est sola necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ*, n.4. *Permutatione facta coram ordinario probanda est causa honestans permutationem*, n.5. *Omnia beneficia permutari possunt*, §.2. n.1. *Esto beneficium vnum pro pluribus permutes*, n.8. *Beneficium vnitum permutari non potest, non permutato eo, cui est vnitum*, n.9. & seqq. *Beneficio expectata permutare, vel resignare potes coram legitimo superiore*, n.15. *Neque dari potest permutatio beneficij realis cum ficto*, n.16. *Cuius authoritate sint beneficia permutanda*, §.3. *De conditionibus in permutatione seruandis*, §.4. *Qualiter vacent beneficia permutata*, §.5.

PRIVATIO.

Beneficij contingere potest lege, vel sententia, tract.13. disp.6. pun.8. n.1. *Hæresis priuat ipso iure beneficiis acquisitis*, n.2. *Crimen læsæ maiestatis non videtur priuare*, n.3. *Qualiter homicidium priuet*, n.4 & 5. *Qualiter sacrilegium beneficiis priuet*, n.6. *Quid dicendum de simonia*, n.7. *Quid de periurio*, n.8. *de blasphemia*, n.9. *Quid de falsario*, n.10. *Quid de intruso*, n.11. *Quid de inobediente in transgressione sequestri*, n.12. *Quid de nolente ostendere titulum dispensationis, quo plura beneficia obtinet*, n.13. *Quid de alienante res Ecclesiæ, & beneficia absque præscripta solemnitate*, n.14. *Quid de ingerente se administrationi beneficiorum, à qua est suspensus*, n.15. *Item de apprehendente possessionem ante litterarum expeditionem*, n. 16. *Item de non publicante resignationem*, n.17. *Item de occultante scripturas ad cameram apostolicam pertinentes*, n.18, *De non assumente habitum clericalem, vel non deferente*, n.19. *De non seruante decretum Pontificis in prouisione positum*, n 20. *Quid dicendum de crimine simulationis*, n.21 *Quid de concubinatu*, n.22. *Quid de sodomia*, n.23. *Quo loco beneficia vacant; quæ vacant ratione delicti*, n.24.

PRIVILEGIVM.

Pontifex potest priuilegium concedere, vt excuseris à residentia chori, & distributiones in absentia consequaris, sed non est credendum concedi absque causa, tract.7. disp.3. pun.9. §.10. n.1. *Tale priuilegium ad tempus probabile est posse Episcopum concedere*, n.3. *Hoc priuilegium lucrandi fructus in absentia stricte interpretandum est*, n.4. *Priuilegium percipiendi fructus ad distributiones non extenditur, etiam si adderet redditus, & prouentus*, n.5. *Quid si prabenda tua consisteret in distributionibus*, n.6. *Priuilegium de percipiendis distributionibus non extenditur ad illas minutas, quæ inter præsentes actu diuiduntur, &c.* n.7. *Priuilegium recitationum mensium specialem causam prater leuamen naturæ non requirit*, n 8. *Vt hoc priuilegio gaudeat, debet integro anno interesse, & distributiones lucrari*, n.10. *Hoc priuilegium ad solos fructus, non ad distributiones extenditur, nisi prabenda alios fructus prater distributiones non habeat*, n.11.

PRIMITIÆ.

Quid sint, & qua ratione à decimis distinguantur, tract. 10. disp.vn. p.16 n.1. *Est præceptum Ecclesiasticum soluendi primitias, sed speciari debet consuetudo*, n.2.

POSSESSIO.

Beneficij accipi potest à beneficiato, & ab eius procuratore habente speciali mandatum ad beneficia, tract.13. disp.2. pun.3.n.5. *Procuratorem generaliter constitutum non videtur posse possessionem beneficij accipere*, n.6. *Quomodo beneficij possessio acquiratur*, n.7. *An per inuestituram in beneficij conspectu acquiratur beneficij possessio*, n.8.& 9. *Apprehensa possessione beneficij in Ecclesia, & omnium quæ ad beneficium pertinent censentur apprehensa*, n.10. *Possessio ex mala fide nullum ius concedit*, pun.33. n.1. *Ex possessione bona fide absque legitimo titulo ius in beneficium acquirere videris, & expenduntur regulæ Cancellariæ*, n.2. *Neque annali, neque triennali possessori titulus in beneficio conceditur*, n 3. *Annalis, & triennalis possessio exceptionem aduersus molestantem, & beneficium impetrantem concedit*, n.4. *Explicatur regula de annali possessore*, n.5. *Explicatur regula triennalis possessoris*, n.8. & seqq.

POSTVLATIO.

Ab electione differt, tract 13. disp.2. pun.12. num.1. *Postulato ante admissam postulationem nullum ius in beneficio competit*, n.2. *Legitima est postulatio, si à maiore parte collegij fiat*, n.3. *Si postules indignum, priuaris potestate postulandi*, n.4.

RELIGIO.

Vnde dicatur, tract 7. disp 1. pun.1. n.1. *Eius definitio*, num.2. *Quod nam sit obiectum religionis*, n.3. *Quomodo distinguatur hæc virtus à reliquis*, n.4. *Distinguitur religio, qua colitur Deus, ab ea qua coluntur sancti*, n.6 *Ob diuersas perfectiones Dei, & diuersa beneficia nobis collata, non distinguitur religio*, n.7.

RELIQVIÆ SANCTORVM.

Sanctorum reliquiæ, & qua illos tetigerunt adoranda sunt, tract.8 disp.1. pun.6.n.1. *Eadem adoratio ipsis datur, qua adoratur persona*, n 2. *Debes tamen esse moraliter certus personam adoratæ reliquias esse*, n.3. *Si publico cultu veneranda sunt reliquiæ, qualiter tibi debeant esse propositæ*, n.4. *Modus, quem seruare debet Episcopus in reliquiarum approbatione*, n.5. *Extra diœcesim potest fieri hæc approbatio*, n.6. *Si alio transferantur, non indigent approbatione*, n.7. *Corpus adorari potest vno in loco ex Episcopi approbatione, tametsi dicatur alibi esse*, n.8. *Cuilibet licet sanctas reliquias secum portare*, n.9. *Peccatum commissum à deferente reliquias non habet speciem necessario in confessione manifestandum*, n.10. *Licitum tibi est crucem variis reliquiis non approbatis ab Episcopo ornatam populo adorandam proponere*, n.11. *Si cum reliquiis approbatis misceantur non approbatæ, non licet tibi eas populo adorandas proponere*, n.12. *Virgens causa debet esse, vt reliquiæ antiqua ex capsulis extrahantur*, n.13 *Ex vno loco in alium possunt Sanctæ reliquiæ transferri, seruatis tamen aliquibus conditionibus*, n.14. *Si pii, & religiosè laicus reliquias tangat, non peccat*, n.15. *Pecuniam dare potes non ob videndas reliquias, sed ne illas videre, & habere impediaris*, n.17. *Non est prohibitum ostendere reliquias ea intentione, vt eleemosynæ augeantur*, n.18. *Accipiens reliquias ab alio possessas furtum & sacrilegium committit*, n.19. *Apponitur exceptio*, n.20. *Nulla pœna ipso iure imposita est furantibus sacras reliquias. Excipe constitutionem de hac re*, n 21. *Quid de Agnis cereis*, num.22. & seqq. *Manente consecratione vestes, & vasa sacra vsibus profanis accommodare graue est peccatum, perdita consecratione, esto excusetur à peccato, indecens tamen est*, num.23. *Vestes, &*

& vasa sacra vsibus profanis accommodari possunt, & quæ ratione, num. 26.

RENVNCIATIO, SEV RESIGNATIO beneficiorum.

Eius definitio, tract. 13. disp. 6. pun 2. §. 1. n 11. *Duplex est renunciatio tacita, & expressa*, n. 2. *Expressa alia simplex, alia sub conditione*, n. 3. *Plures sunt causæ honestantes resignationem*, n. 4 & seqq. *Ad resignationem beneficiorum superioris authoritas semper est necessaria*, § 2. n. 1. *Resignationem sub conditione solus Pontifex admittere potest, simplicem ordinarius, & quis hic ordinarius sit*, n. 2. *Omnia beneficia ésto reseruata sint, possunt purè, & simpliciter resignari coram ordinario*, n. 5. *Qualiter beneficium ad cuius titulum es ordinatus, resignare potes*, n. 6. *Beneficium, quo per delictum priuandus venis, resignare poteris absolutè*, n. 8. *item in fauorem*, n. 9. & seqq.

Omnibus licet beneficia renunciare, tract. 13 disp. 6. pun. 1. §. 3. n. 1. *Excipitur clericus in sacris, si non habet aliunde, vnde commode viuat*, n. 2. *Secundò excipitur infirmus, nisi post resignationem approbatam vixerit 20. dies*, n. 3. *Neque sanus nisi illud tempus viuat, resignare poterit*, n. 4 *Qualiter dies computentur*, n. 10. & 11. *Minor 25. annis non prohibetur resignare*, n. 12. *An Trident. decretum*, sess. 25. cap. 16. de Regularib. *habeat locum in resignatione beneficiorum facta à nouitio*, n. 14. & seqq *Quid dicendum, si non habeas aliunde, ex quo viuere possis, vel fuisti ad illius titulum ordinatus*, n. 16. & seqq. *An per procuratorem possit resignatio fieri*, §. 4. *Resignatio ex metu cadente in constantem virum caret robore firmitatis*, § 5. n. 2. *Ope exceptionis venit rescindenda*, n. 4. *Resignatio beneficij, quo es spoliatus, venit rescindenda*, n. 6. *Apponuntur aliquot limitationes*, n. 7. *Renunciatio dolo facta nulla est*, n. 8. *Ex stylo curiæ debet beneficium resignandum saltem triennio possideri*, n. 9. *De publicatione resignationum*, §. 6.

RES ECCLESIASTICÆ.

Vltra triennium locari non possunt, tract. 12. disp. vn. pun. 14. n. 1. & seqq. *Quid si ante triennium finitum renoues locationem*, n. 4. *Triennium non temporis, sed fructuum computandum est*, n. 5. *Vide. Locatio.*

RESERVATIO BENEFICIORVM.

Quid sit, tract. 13. disp. 2. pun. 15. n. 1. *Reseruatio alia specialis, alia generalis est, alia in corpore iuris contenta, alia extra*, n. 2. *An plures, an vnica sit in iure reseruatio*, n. 3. *Beneficia affecta propriè reseruata non sunt*, n. 4. *An reseruatio odiosa sit, vel fauorabilis*, n. 5. *Expenditur reseruatio clausa in corpore iuris, quæ est de beneficiis vacantibus apud sedem*, pun. 16. *Explicatur prima reseruatio contenta in prima regula Cancellariæ*, pun. 17. *Explicatur reseruatio secunda regulæ Cancellariæ*, pun. 18. *Explicatur reseruatio regulæ tertiæ Cancellariæ*, pun. 19. *Explicatur reseruatio quartæ regulæ Cancellariæ*, pun. 20. *Explicatur reseruatio quintæ, sextæ, & septimæ regulæ Cancellariæ*, pun. 21. *Regula 8. Cancellariæ reseruat quæcunque beneficia tam sæcularia, quam regularia*, pun. 22. §. 1. n. 1. *Item reseruat beneficia qualitercunque qualificata, & vbicunque existentia, quomodocunque vacantia aliter quam per resignationem*, n. 2. *An beneficia patrimonialia sub hac regula comprehendantur*, n. 3. & 4. *Beneficia electiua sub hac regula comprehenduntur, sed non electiones canonicatuum magistralium & doctoralium Ecclesiarum Regni Castellæ, & Legionis*, n. 5. *Beneficia iuris patronatus qualiter comprehendantur*, n. 6. *Non comprehenduntur beneficia consistentia in Ecclesia non numerata, seu receptiua*, n. 7. *Beneficia monocularia comprehenduntur*, n. 8. *Item beneficia nouiter erecta post regulam*, n. 9. *Pro quibus mensibus inseruatio sit constituta*, § 2. *Quas limitationes vltra supradictam limitationem mensium dicta regula 8. habeat*, § 3. *De exceptione Cardinalium, & beneficiorum concordatorum apposita in dicta regula*, § 4. *In impetratione beneficiorum mentio mensis, in quo vacatio contingit facienda est*, § 5. *Qua ratione derogentur obstacula reseruationis*, § 6.

Nulla est alia reseruatio præter contentas, in dictis regulis Cancellariæ, nisi imposita in pœnam aliquorum delictorum, & quæ hac sit, tract. 13. disp. 2. punct. 24. n. 1. *Hac beneficiorum vacatio indiget delicti declaratione*, n. 2. *Beneficia deuoluta, seu litigiosa non sunt propriè reseruata*, n. 2.

RESIDENTIA.

Qualiter beneficium simplex residentiam expostulet, tract. 13. disp. 5. pun. 1. n. 1. *Beneficium curatum non solum iure positiuo, sed naturali diuino residentiam expostulat*, n. 2. *Non excusaris ab hac obligatione, esto beneficium modici valoris sit, neque ex eo quod coadiutorem habeas*, n. 5. *Iure naturali diuino tenetur residere, qui beneficium habens curam animarum exteriorem possideret*, n. 6. *Quo in loco beneficiatus residere debet, vt obligationi residendi satisfaciat*, pun. 2. *Non residentes afficiuntur pœna priuationis fructuum, qua habet locum ante sententiam*, n. 3. *Quibus hi fructus restitui debeant*, n. 5. *Quæ alia pœnæ sint Episcopis, & parochis non residentibus statuta*, n. 6. *Primetur ne beneficiis parochus non residens*, n. 7. & 8. *Qualiter Episcopus procedere debet aduersus parochos non residentes*, n. 10. & seqq. *Quæ sint legitimæ causæ excusantes Episcopos, & parochos à residentia*, pun. 4. *An stante causa legitima possit Episcopus, vel parochus à beneficio abesse*, pun. 5. *Vide absentia.*

RESCRIPTVM.

Rescripta Pontificia alia sunt in forma gratiosi, alia in forma digni, & quæ hæc sint, tract. 13. disp. 2 pun. 31 §. 1. n. 1. *Alia vocantur gratia si neutri, si alteri, si nulli*, n. 2. *Alia dicuntur rescripta, Rationi congruit*, n. 3. *Alia nuncupantur noua prouisio, alia simplex prouisio*, n 4. *Executores rescriptorum debent esse canonici cathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate constituti*, §. 2. n. 3. *Eligitur hic iudex per præsentationem authenticam litterarum originalium, vel alias authenticarum*, n. 4. *Quamdiu duret executorum potestas*, n. 7. *Si prouisus esses ab ordinario, & prouisus apostolicus te perturbat, quid tibi faciendum est* n. 10. *Quæ debeat executor apostolicus verificare prius quam gratiam exequatur*, §. 3.

Debent exprimi plures conditiones in rescriptis apostolicis obtinendis, tract. 13. disp. 2. pun 31. §. 4. n. 1. & seqq. *Si qualitatem beneficij impetrati non exprimas, gratia vacat*, n 10. *Vnde nulla est gratia beneficij curati cura non expressa*, num. 11. *Item gratia beneficij iuris patronatus non expressa hac qualitate*, n. 12. *Et beneficij Ecclesiæ cathedralis tacita hac qualitate*, num. 13. *Et beneficij residentiam requirentis, si illius residentia non facias mentionem*, n. 14. *Si beneficium tanquam curatum impetretur, cum tamen simplex sit, vitiatur gratia*, n. 15. *Surreptitia est gratia beneficij, non expresso eius valore, vel falso expresso*, n. 16. *An motus proprius excuset hoc vitium*, n. 17. *Si est beneficium electiuum, & taceas vitiatur gratia*, n. 18. *Si sæculare sit, & beneficium regulare impetres, nulla est impetratio*, n. 19. *Item si sub nomine beneficij hospitalis impetres, quod beneficium non est*, n. 20. *Item est nulla gratia, si beneficium vnitum impetres tacita vnione*, n. 21. *Item si beneficium est monoculare, neque qualitatem manifestes*, n. 22. *Item si narres beneficium vacasse per obitum, cum vacet per resignationem*, n. 23. *Item si sit de beneficio affecto, neque affectionem declares*, n. 24. *Si beneficium à te sine titulo occupatum impetres, tacita intrusione*, n. 25. *Si beneficium alteri æquè principaliter vnitum impetres tacita vnione*, n. 26. *Quid si beneficium Ecclesiæ inferioris impetres, tacito sancto illius Ecclesiæ*, n. 27. *Si est impetratio contra statutum, neque statutum manifestas, est nulla*, n. 28. *An vitietur rescriptum, si alterius colorati tituli mentionem non facias*, n. 29 *Vitiatur rescriptum, si omittas narrare alterum esse in beneficij possessione*, n. 30. *Annalis detentio in beneficio reseruato non videtur necessario exprimenda*, n. 31. *Licet tamen si aliqua sit etiam super possessione est exprimenda*, n. 32. *Supradicta procedunt de impetratione à Pontifice, secus ab ordinario*, n. 33. *Quæ facere debeant executores rescriptorum apostolicorum in forma breuis de capienda possessione*, § 5. *Qua ratione subrogationis rescriptio breuis acquirantur*, §. 6 *Vide Subrogatio.*

Accipiens reliquias ab alio possessas eo inuito sacrilegium committit, tract. 8. disp. 1. punct. 6. n. 19.

SACRIFICIVM.

Expenditur definitio sacrificij, tract. 8. disp. 2. pun. vn. n. 1. *iure naturali sacrificium Deo debetur*, n. 2. *In lege naturæ & veteri multiplex erat sacrificium, in lege noua vnicum tantum*, n. 3. *Ethnicus ignorans legem gratiæ, & offerens titulum in recognitionem supremi dominij verum sacrificium non offert*, n. 5.

SCIENTIA.

Ea requiritur ad beneficium, quæ necessaria est ad exercendum officium beneficio annexum, tract. 13. disp. 4. pun. 6. n. 1. *Explicatur scientia requisita in Episcopo*, n. 2. *Quæ in parochis*, n. 3. *Quæ pro reliquis beneficiis*, n. 4. *Penitus illiteratus incapax est beneficij*, n. 5. *An si ille, qui tempore collationis illiteratus fuit, postea litteras discat, reualidet collationem* n. 6. 7. & 8. *Explicatur quis sit censendus prorsus illiteratus*, n. 9. *Vide Gradus.*

SETENTIA.

Data inter partes die festo illicita est, & inualida, tract. 9. disp. vn. pun. 7. n. 10. *Sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti in die festo pronunciari possunt*, n. 11. *Sententia executio illicita est die festo* n. 12. *Sententia iudicis arbitri illicita est die festo, secus arbitratoris*, n. 16. *Limita supradicta, nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat*, n. 17.

SEQVESTER.

An beneficia prouidere possit, tract. 13. disp. 2. punct. 18. num. 5: & 6. *Sequester, cui beneficiorum prouisio competere potest debet esse clericus*, num. 7.

SOMNIA.

Expenduntur causæ somniorum, tract. 13. disp. 1. pun. 5. n. 1. *Ex somnis temperaturam corporis, illiusque mores, & affectiones conijctari nullum est peccatum*, n. 2. *Inuestigare à qua causa somnia proueniant, an à Deo, vel malo spiritu, an ex dispositione corporis licitum est*, num. 3. *Expenduntur aliquæ coniecturæ somniorum, quæ à Deo mittuntur*, num. 5. *Quoties probabile est somnium esse à Deo, peccatum graue est ex illo prænotionem futuri euentus, vel alicuius effectus occulti colligere*, num. 6. *Credere aliqualiter somnio, seu aliqualiter ex illo timere aduersum, non videtur graue peccatum*, num. 7.

STATVTVM.

Valet statutum à fundatore factum, vt possis excusati longiori tempore trium mensium ab assistentia horarum canonicarum, & nihilominus fructus, & distributiones lucreris, tract. 7. disp. 3. pun. 9. §. 11. num. 2. *Si fiat à capitulo communis est sententia inualidum esse*. num. 3. *In quibus casibus valeat statutum ab Episcopo factum*, num. 6.

SVBROGATIO.

Quid sit, & à quo concedatur, tract. 13. disp. 2. pun. 31. §. 6. n. 1. *An facta collitiganti infra mensem, vel post mensem vacationis*

omnibus

omnibus aliis subrogatis præferatur, n. 2. *Triplex conditio necessaria est, vt subrogatio locum habeat*, n. 3. *Qualibet impetratio beneficij viuente possessore impedit subrogationem*, n. 4. *Ad quæ subrogatio extendatur, concessio spectanda est*, n. 5 *Ex vi subrogationis succedit in ius, & possessionem illius, in cuius locum subrogaris*, n. 6. *Qua in subrogatione verificare debeas, vt tibi possessio defuncti concedatur*, n 7. *Quid si esset contradictor, qui defunctus esset in possessione*, n. 8.

SVPPRESSIO BENEFICII.

Quæ sit, & quæ causæ ad illam requirantur, tract. 13. disp. 6. pun. 9. n 1. *Episcopus cum consensu capituli hanc suppressionem facere potest*, n. 2. *Quæ requirantur ad hanc diminutionem*, num. 3. *Mensa Episcopalis, aut capitulari non potest Episcopus applicare beneficia suppressa*, n. 4 *Quid dicendum de præbendis, quarum numerus à Sede Apostolica confirmatus est*, n. 5.

TESTES.

Testium depositio in die festo illicita est, & nulla, tract. 9. disp. vnica pun 7. n. 6. *Extenditur ad depositionem testium in causa spirituali*, n. 7. *Limita, nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat*, n. 17.

TRANSACTIO.

Transactio, & compositio vim habet liberandi ab obligatione decimarum, tract. 10. disp. vn. pun. 5. n. 4.

VACATIO.

Beneficij contingit per obitum beneficiarij, tract. 13. disp. 6. pun. 1. n. 1. *Excipiuntur tres casus*, n. 2.

Si obtineatur beneficium simplex cum alio incompatibili, an ipso iure vacet, tract. 13. disp. 6. pun. 4. n. 2. & 3. *Vtroque beneficio priuaris, si vtrumque retinere præsumis*, n. 4. *Beneficia compatibilia per se si sub eodem tecto sint, vacant ipso iure*, n. 5. *Quid si in eadem Ecclesia disformia sint, vel in diuersis vniformia*, n. 6. *Si sufficiens sit ad tuam sustentationem vnum ex illis, non potes aliud nisi ex dispensatione Pontificis obtinere*, n. 8. *Sed quid si habenti beneficium sufficiens aliud concedatur*, n. 9. & 10. *An obtento secundo beneficio sufficienti vacet primum ipso iure*, n. 11. & 12. *Obtento beneficio insufficienti, si secundum sufficiens obtineas, non vacat primum*, n. 13. *Quod dicatur beneficium sufficiens*, n. 14. *Beneficia acquirenda, seu ius ad beneficium vacat obtentione pacifica secundi beneficij incompatibilis*, n. 19. *Qualiter secundum beneficium obtinendum est, vt vacationem inducat prioris obtenti*, n. 10. *Debet esse obtentio fructifera beneficij*, n. 22. *si secundum beneficium de facto, & non de iure obtineas, vacat primum*, n. 24. *Quando ad obtentionem secundi beneficij impediaris resignare primum*, n. 25. *Promotione ad Episcopatum omnia beneficia vacant*, pun. 5. n. 1. *Episcopus incapax est cuiuslibet beneficij obtinendi, seclusa dispensatione*, n. 6. *Item vacant beneficia ob promotionem ad Abbatiam, seu prælaturam*. n. 7. *De vacatione ob matrimonij contractum*, pun. 6. *De vacatione beneficiorum ob religionis ingressum*, pun. 7. *De vacatione contingente ob priuationem Vide Priuatio.*

VICARIA: VICARIVS.

Vicaria alia est perpetua, alia temporalis, & quæ perpetua dicantur, tract. 13. disp 1. pun. 8. n. 1. *Vicarius temporalis mortuo Rectore potest repetere seruitium sibi debitum tum ab hærede Rectoris, tum à successore in beneficio*, n. 3. *Vicarius perpetuus alium vicarium ad breue tempus substituere potest, secus temporalis*, n. 4. *Triplex vicarius Episcopi distinguitur*, tract. 13. disp. 2. pun. 3 n 1. *Vicarius tam foraneus, quam generalis potestatem non habet beneficia conferendi*, n. 2. *Excipe nisi habeat speciale mandatum*, n. 3. *Ex generali mandato quid possit vicarius*, n. 4. *Concedi potest vicario generali potestas beneficia conferendi. sed an foraneo concedi possit*, n. 5. *Vicario in spiritualibus tantum constituto hæc potestas committi potest* n. 6. *Quæ sit forma constitutionis vicarij & an lucè interpretanda sit*, n. 7. *Explicatur qualiter clausulæ appositæ in vicarij constitutione intelligendæ sint*, n. 8. & seqq. *Vicarius non potest alium vicarium constituere, benè tamen potest vices suas ad breue tempus alteri committere*, n. 18. *Vicarius non potest Episcopo, neque ei à quo est designatus beneficia prouidere*, n. 9.

VNIO BENEFICIORVM.

Quid sit, tract. 13. disp. 6. pun. 12 § 1. n. 1. *Duplex est temporalis, & perpetua*, n. 2. *Vnio perpetua tripliciter fit*. n. 3. *Pro diuersitate vnionum diuersus effectus statuitur* n. 4. *Beneficium accessorie vnitum per vnionē admittit omnes suas qualitates, & priuilegia*, n. 7. *E contra est in beneficio principaliter vnito*, n. 8. *Quid præstet vnio principalis*, n. 9. *Idem præstat vnio ad vitam*, n. 10. *Vnde cognoscendum, sitne vnio accessoria, vel æquè principalis*, n. 11. *Quid est auertendi in præbendis annexis dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, & collegiatarum*, n. 12. *Cathedrales Ecclesiæ, & earum primæ dignitas, & præcipua in collegiatis à solo Pōtifice vniri possunt*, § 2. n. 1 *Episcopus omnia beneficia suæ diœcesis non exempta valet vnire*, n. 2. *Potest vnire beneficia ad sedem apostolicam deuoluta*, n. 3. & 4. *Idem dicendum de beneficiis reseruatis*, n. 5. *Quibus vnire Episcopus beneficia potest*, n. 6. *Non potest facere vniones ad vitam*, num. 7. *An aliis præter Pontificem, & Episcopum competat facultas vniendi*, num. 8. & seqq. *Causa ad vnionem requisita est necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ*, n. 19. *Huius causæ cognitionem debet prælatus præmittere ad vnionem*, n. 20. *Debent vocare hi quorum interest, alias erit vnio nulla*, n. 21. & seqq. *Accedere debet consensus capituli cathedralis Ecclesiæ in vnione ab Episcopo factā, sed non à legato*, n. 24. *Qualiter Episcopus ab hac obligatione excusari potest*, n. 25. *Debeatne præcedere hic consensus vnionem* n. 26. *Differentia inter alienationem, & vnionem*, n. 27. *Exprimi debet verus valor beneficij vniendi & eius cui est facienda vnio*, n. 28. *Non requiritur tractatus expositiuus in alienatione verum Ecclesiæ*, n. 29.

Qualiter vniones factæ ante concilium examinandæ sint iuxta decretum Trident. sess. 7. cap. 6. tract. 13. disp. 6. pun. 11. §. 3. num. 2. & seqq. *Ab vnione dari potest appellatio*, n. 9. *Beneficia vnius diœcesis non possunt cum beneficiis alterius diœcesis, & vniri*, num. 10. *Vniones parochialium inter se, & simplicium beneficiorum cum curatis concedūtur à Trident. ordinariis, etiam tanquam apostolicæ sedis delegatis*, n. 11. *Hæc vnio facienda non est absque consensu capituli*, n. 12. *Qualiter concilium decernat vniones faciendas seminario*, n. 13. *Quæ beneficia seminario vniri possunt*, n. 14. *Quæ conditiones sunt seruandæ in hac vnione* num. 15. *Parochiales Ecclesiæ non debent monasteriis, præbendæ, aliisue locis piis vniri*, n. 17. *Pro distributionibus quotidianis simplicia beneficia vniri possunt*, num. 19. *Libera beneficia beneficiis subiectis patronatui vniri non possunt*. num. 20. *Simplicia beneficia vniri possunt religioni, sed consentiui existenti intra diœcesim*, num. 21. *Quando vnio effectum sortiatur*. §. 4. n. 2. *Quomodo vnio probanda sit* n. 3. *Qualiter reuocetur, & quæ ad eius reuocationem requirantur*, numer. 4.

FINIS.

DE
CASTRO
PALAO
TOM.
I. II. III

DE
CASTRO
PALAO
TOM.
I. II. III

DE
CASTRO
PALAO
TOM.
I. II. III.




Th
548a


CASTRO
PALAO
TOM.
I. II. D.
EIV



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

